JESUIT-KRAUSS-MCCORMICK LIBRARY
3 9967 00060 7650

ACCESSION NUMBER 13880 SHELF NUMBER BR65 I66

The Virginia Library
McCormick
Theological Seminary
of the
Presbyterian Church, Chicago.

From the Cumming Fund.

RECEIVED

DOES NOT CIRCULATE

DO NOT
PHOTOCOPY

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/unknown0002adol

ΕΥΡΙΣΚΟΜΕΝΑ ΠΑΝΤΑ.

SANCTI IRENAEI EPISCOPI LUGDUNENSIS

QUAE

SUPERSUNT OMNIA.

ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ

ΕΙΡΗΝΑΙΟΥ
ΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΛΟΥΓΔΟΥΝΟΥ

ΕΥΡΙΣΚΟΜΕΝΑ ΠΑΝΤΑ.

SANCTI IRENAEI EPISCOPI LUGDUNENSIS

QUAE

SUPERSUNT OMNIA.

ACCEDIT

APPARATUS CONTINENS EX IIS, QUAE AB ALIIS EDITORIBUS AUT DE IRENAEO IPSO AUT DE SCRIPTIS EIUS SUNT DISPUTATA, MELIORA ET ITERATIONE HAUD INDIGNA.

EDIDIT

ADOLPHUS STIEREN,

THEOLOG. LICENTIATUS ET PHIL. DOCTOR, IN UNIVERSITATE LITTERARUM JENENSI THEOL. PROF. E. O., SOCIETATIS HISTORICAE LIPSIENSIS SODALIS ORDINARIUS.

Tomus II.

LIPSIAE,

T. O. WEIGEL.

MDCCCXLVIII.

ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ

ΕΙΡΗΝΑΙΟΥ
ΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΛΟΥΓΔΟΥΝΟΥ

ΤΑ ΕΥΡΙΣΚΟΜΕΝΑ ΠΑΝΤΑ.

SANCTI IRENAEI EPISCOPI LUGDUNENSIS

QUAE

SUPERSUNT OMNIA.

ACCEDIT

APPARATUS CONTINENS EX IIS, QUAE AB ALIIS EDITORIBUS AUT DE IRENAEO IPSO AUT DE SCRIPTIS EIUS SUNT DISPUTATA, MELIORA ET ITERATIONE HAUD INDIGNA.

EDIDIT

ADOLPHUS STIEREN,
THEOLOGIAE LICENTIATUS ET PHILOSOPHIAE DOCTOR,
IN UNIVERSITATE LITTERARUM JENENSI THEOL. PROF. E. O., SOCIETATIS HISTORICAE LIPSIENSIS SODALIS ORDINARIUS.

McCormick LIBRARY Theological Seminary

Ὥσπερ οἱ βλέποντες τὸ φῶς ἐντός εἰσι τοῦ φωτός, καὶ τῆς λαμπρότητος αὐτοῦ μετέχουσιν· οὕτως οἱ βλέποντες τὸν Θεὸν ἐντός εἰσι τοῦ Θεοῦ, μετέχοντες αὐτοῦ τῆς λαμπρότητος.
Iren. IV. 20, 5.

Tomus II.

LIPSIAE,
T. O. WEIGEL.
MDCCCXLVIII.

JKM Library
1100 East 55th Street
Chicago, IL 60615

JCM Library
1100 East 55th Street
Chicago IL 60615

BR
65
.I6
A=80
1853
Vol. 2

PRAEFATIO.

Hunc Apparatum eo consilio adornavi, ut quaecunque tum de externis Irenaei rebus et doctrina tum de singulis eius sententiis a viris doctis disputata satisque digna visa sunt, quae typis denuo exprimerentur, in unum corpus redigerentur. Sed ut hunc alterum Tomum novae meae editioni adiungerem, memetipsum externa quadam caussa motum esse non nego. Etenim quum accepissem, bibliopolas Anglicanos id moliri, ut suis ipsorum impensis editionem Renati Massueti in Germania iterum prelo subjicerent, consentiente viro honestissimo T. O. Weigelio editionis meae rationem ita mutandam esse cognovi, ut, quaecunque offert Massuetiana editio meliora et viris doctis hodie adhuc lectu scituque digniora, eligenda et cum novis rebus, quas ipse dare possim, in meam editionem recipienda sint. Quo factum est, ut multa ex Massueti opere in hunc alterum Tomum reciperentur, alia, quae eruditus monachus omisit, aut quae ei innotescere non potuerunt, hîc adderentur.

Primum enim praefationes et prolegomena priorum editorum typis expressa reperies. Unam tantummodo disputationem omisi, nempe illam a Feuardentio haud sine ira et studio conscriptam: *antidota adversus probra et impias criminationes, quibus illustrissimam Irenaei famam lacerare, auctoritatemque vel imminuere vel labefactare conantur novissimi huius temporis haeretici.* Semlerus enim iure suo vituperavit Renatum Massuetum, quod cramben istam Feuardentianam repetierit, odiumque inter Catholicos et Lutheranos, Calvinianosque denuo conflare studuerit. Sed *vitam Irenaei* a Feuardentio adumbratam, quam frustra quaeris in Massueti editione, a nostra abesse noluimus. Tum praefationem et dissertationes praevias a Massueto conscriptas, ex quibus eruditio sagaxque ingenium celeberrimi Benedictini praeclare elucet, nemini, rerum ad eccle-

siae historiam spectantium gnaro, non legendas esse semper arbitratus sum. Tum disputationes accedunt mea de ratione Semleri Irenaei adv. haer. opus in dubium vocantis et Walchii de authentia istius operis.

Aptum et consilio nostro consentaneum videbatur, recipere etiam scripta, quae spectant ad quatuor Irenaei fragmenta a M. Ch. Pfaffio Tubingensi e latebris bibliothecae Taurinensis eruta et edita. Namque constat, fragmentis illis haud pauca inesse, in quibus historico antiquioris ecclesiae res indaganti mens defigenda sit. Sed a viris me quidem longe doctioribus jam diu deploratum est, nostri aevi theologos parum habuisse rationem fragmentorum Pfaffianorum. Huc accedit, quod quaestio inter Pfaffium et Scipionem Maffeium aliosque disputata, num fragmenta pertineant ad Irenaei stylum et ingenium, non est supervacanea, sed cuique, qui veteris episcopi lugdunensis indolem penitus nosse cupiat, valde necessaria. Notum est, haec ad Pfaffii fragmenta spectantia scripta virorum doctorum contineri sola Veneta Irenaei editione, exceptis iis, quae sub Nr. VIII et IX primus addidi.

Apparatus noster ita adornatus quum contineat tum quidquid boni non solum Renati Massueti, sed etiam quaeque alia Irenaei editio offert: caussam, cur Benedictini editio typis iterum excudenda videatur, omnino remotam esse putarim.

Praeterea fatendum est, nonnullos locos a me esse emendatos, ne latini sermonis genius auctoribus irasci pergeret. Sic Massuetus pag. 202 v. 25. scripsit *commetiti* pro *commensi;* pag. 349 v. 1. *Irenaeo calumniandi ansam habeant* pro *Irenaei calumniandi.* Quod p. 221 v. 8 idem scripsit: *indigesta dogmatum omnigenum male sibi cohaerentium farragine* — non mutavi, quamvis haud ignorem *omnigenum* pro *omnigenorum* esse solis poetis usitatum. Sed ne longus sim, alias emendationes praetermittam. Hoc addere liceat: fragmentum Papiae ex ipsius ἐξηγήσει τῶν κυριακῶν λόγων sumtum Pfaffius pag. 427 not. 2 prorsus aliter legit, atque Routhius in Rell. sacris. Sed hac de re ipse videbis.

Altera huius Tomi pars, in quam e maxima copia annotationum ab aliis conscriptarum tantummodo optimas recepturus sum, cum Tomi I altera parte Deo iuvante anni proxime instantis paschali tempore prodibit.

Scripsi Jenae m. Sept. MDCCCXLVIII.

ADOLPHUS STIEREN.

CONSPECTUS.

Pag.

Desiderii Erasmi epistola nuncupatoria, in qua, quid in edendis Irenaei libris praestiterit, explicat 1

Nicolai Gallasii epistola nuncupatoria, in qua suae Irenaei editionis consilium exponit 9

Joann. Jac. Grynaei epistola nuncupatoria, in qua suae Irenaei editionis rationem reddit 13

Jac. Billii de sua priorum 18 (21) Irenaei capitum translatione suisque in eadem scholiis admonitio 20

Franc. Feuardentii commonitio ad lectores de sua quinque librorum D. Irenaei editione 21

Vita S. Irenaei episcopi et martyris ex illius et aliorum patrum scriptis collecta per F. Franc. Feuardentium 23

Joannis Ernesti Grabe Prolegomena de vita et scriptis Irenaei, ipsorumque variis editionibus et novissimae ratione et consilio.

Sectio I. De tempore nativitatis et obitus Irenaei nec non genere mortis ejus 32

Sectio II. De V Irenaei contra omnes haereses libris atque horum versione aliisque deperditis ejusdem scriptis 34

Sectio III. De variis V Irenaei librorum adv. haer. editionibus ac hujus novissimae ratione atque consilio 40

Renati Massueti Praefatio 44

Renati Massueti Dissertationes in Irenaei libros.

Dissertatio I. De haereticis quos libro I. recenset Irenaeus eorumque actibus, scriptis et doctrina.

Articulus I. De Valentino.

1. Ejus patria 54
2. Ejus aetas 55
3. Effundendae haereseos occasio 60
4. Valentini scripta 61
5. Valentini et discipulorum ejus dogmata et hypothesis 63

Articulus II. De Valentini discipulis.

1. De Secundo 121
2. De Epiphane 122
3. De Epiphanis discipulis 123
4. De Ptolemaeo ejusque discipulis 124
5. De Colorbaso 126
6. De Marco Mago 127

Articulus III. De Valentini magistris.

1. De Simone Mago 134
2. De Menandro 141
3. De Saturnino 143

Pag.

4. De Basilide 146
5. De Carpocrate 151
6. De Cerintho 155
7. De Ebionaeis 158
8. De Nicolaitis 160
9. De Cerdone 162
10. De Marcione 163
11. De Tatiano 170
12. De aliis quibusdam haereticis 171
13. De variis gnosticorum sectis 171
14. De Ophitis et Sethianis 176
15. De Caianis seu Cainistis 180

Dissertatio II. De Sancti Irenaei vita, gestis et scriptis.

Articulus I. Irenaei vita et gesta 181
Articulus II. De Irenaei libris V adv. haer. 217
Articulus III. De aliis Irenaei scriptis 237

Dissertatio III. De Irenaei doctrina 240

Articulus I. De Scripturarum sacrarum divinitate, canone et versionibus 242
Articulus II. De Scripturarum perspicuitate et obscuritate 251
Articulus III. De traditionis auctoritate et fundamento 254
Articulus IV. De ecclesia, ejus notis ac characteribus et romanae primatu atque auctoritate 264
Articulus V. De mysterio sanctissimae trinitatis 282
Articulus VI. De mysterio incarnationis, Christi nativitate, baptismo et descensu ad inferos ac B. Mariae virginis dignitate et intercessione 299
Articulus VII. De poenitentiae et eucharistiae sacramentis 306
Articulus VIII. De angelorum natura, ordinibus, peccato et poenis 334
Articulus IX. De hominis perfectione ac libero arbitrio, ejusque ad imaginem et similitudinem Dei creatione. De peccato originali et gratiae divinae necessitate 343
Articulus X. De animarum natura et statu post mortem 351

Quomodo Joann. Salomo Semlerus authentiam Irenaei operis adv. haer. in dubium vocaverit ex ipsis Semleri scriptis ostenditur ab Adolpho Stieren 356

Christiani Guil. Franc. Walchii de *αὐθεντίᾳ* librorum Irenaei adv. haer. commentatio 361

Scripta virorum doctorum, quae spectant ad IV Irenaei fragmenta a Christophoro Matth. Pfaffio Tubingensi e latebris bibliothecae Taurinensis quondam eruta et edita.

I. Scipionis Maffei Marchionis Veronensis epistola I. 381
II. Responsio Pfaffii ad primam epistolam Maffeii 384
III. Scipionis Maffeii epistola altera 393
IV. Dissertatio apologetica de fragmentis Irenaei anecdotis a duobus Pfaffii discipulis conscripta 421
V. Epistola Mariae Leoni 466
VI. Epistola Mariae Leoni ad Franc. Rotam monachum 480
VII. Epistola Fr. Franc. Mar. Leoni ad Antonium Lucium episcopum . . . 506
VIII. Quae Josephus Pasinus aliique bibliothecae Taurinensis Custodes de Irenaei fragmentis a Ch. Matth. Pfaffio editis monuerint . 524
IX. Ch. Matth. Pfaffii de Catalogo MSS. Codicum bibliothecae Taurinensis epistola ad Jo. Erhardum Kappium Lipsiensium Polyhistorem 425

PRAEFATIONES ET PROLEGOMENA

EDITORUM TUM COMMENTATIONES AD AUTHENTIAM OPERIS ADV. HAER. PERTINENTES TUM SCRIPTA VIRORUM DOCTORUM QUAE SPECTANT AD IV IRENAEI FRAGMENTA A CH. MATTH. PFAFFIO TUBINGENSI E LATEBRIS BIBLIOTHECAE TAURINENSIS QUONDAM ERUTA ET EDITA.

McCormick
LIBRARY
Theological Seminary

DESIDERII ERASMI

EPISTOLA NUNCUPATORIA, IN QUA, QUID IN EDENDIS IRENAEI LIBRIS PRAESTITERIT, EXPLICAT.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO

D. BERNARDO EPISCOPO TRIDENTINO

DESIDERIUS ERASMUS ROTERODAMUS S. D.

En tuis, ornatissime praesul, auspiciis in lucem producimus magnum illum ecclesiae propugnatorem, ac pro sui nominis augurio pacis ecclesiasticae vindicem Irenaeum. Nam εἰρήνη Graecis pacem sonat, et in evangelio Dominus beatos pronunciat εἰρηνοποιούς, id est pacificos, quoniam, inquit, filii Dei vocabuntur. Deus enim non est dissensionis auctor, sed pacis, qui per Filium suum pacificavit ea, quae in caelis et quae in terris. Contra, qui dissidiis orbem concutiunt, parentem suum referunt, qui primus sevit discordiam inter Deum et hominem, ac salutiferam evangelicae doctrinae segetem vitiavit, clam inspersis zizaniis: nocturnum opus aptumque principi tenebrarum. Utinam et in his ecclesiae tumultibus, quibus nec in annalibus legimus umquam exortos vel graviores, vel latius divagatos, quamquam latissime se sparserat Arianorum haeresis, exoriantur aliquot Irenaei, qui spiritu evangelico mundum redigant in concordiam. Nam libri, qui nunc utrimque provolant, eiusmodi ferme sunt, ut citius novum excitent incendium, quam vetus restinguant. Verum hoc per christianos principes faciet Dominus, postquam nobis ad meliora conversis ex irato coeperit esse propitius. Ad Irenaeum meum redeo. Cur enim non meum appellem, quem paene sepultum, absterso quantum licuit situ, luci restituimus, indignum profecto, qui perpetua oblivione obsolesceret. Spirant enim illius scripta priscum illum evangelii vigorem, ac phrasis arguit pectus martyrio paratum. Habent enim martyres suam quamdam dictionem, seriam, fortem ac masculam. Fuit vicinus apostolorum temporibus, quum adhuc martyrum triumphis floreret ecclesia. Nam puer audivit Polycarpum in Asia; Polycarpus autem Ioannis evangelistae fuit discipulus, a quo et episcopus Smyrnaeis datus, notus et aliis apostolis discipulisque, qui viderant et audierant Dominum, ex quorum relatione multa solitus est commemorare, quae litteris prodita non sunt. Huius viri de Christo deque Christi discipulis sermones Irenaeus puer avidissimis imbibit au-

ribus, ac penitus inscripsit cordi suo, sic ut senex etiam horum omnium vividam ac praesentem retineret memoriam, quemadmodum ipse multis verbis testatur in his, quae scripsit ad Florinum. Referuntur autem ecclesiasticae historiae libro quinto, capite vigesimo. Manebant eo saeculo veterum ecclesiae charismatum manifesta vestigia, quandoquidem ipse libro quinto refert, se multos audisse fratres in ecclesia, quibus esset donum prophetiae, qui Dei mysteria enarrarent, qui linguis omnibus loquerentur, qui secreta hominum proferrent non ad ostentationem, sed ad utilitatem. Et alibi docet, fuisse qui invocato Iesu nomine morbos ac daemones profligarent. Habes Irenaei commendationem ab antiquitate. Accipe nunc pietatis et integritatis testimonia, quae quidem hoc sunt speciosiora, quod eo saeculo promerenti contigerunt, quo laus haec fere suppliciis ac mortibus erat emenda. Nunc delicata res est christiani nominis professio, quum nec facultatibus nec corporibus ullum a persecutore periculum est. Irenaeus igitur presbyter ecclesiae lugdunensis ad componendum ecclesiae dissidium Romam mittitur, ubi tum praesidebat Eleutherus: mittitur autem martyrum epistolis magnifice commendatus, et quod evangelii zelo praemineret, et quod dignitati presbyterii morum integritate responderet: unde dignus est habitus, qui Photino sive Pothino (variant enim in nomine codices) lugdunensis ecclesiae praesuli, qui natus annos fere nonaginta martyrium peregit, subrogaretur. Ecclesiasticae concordiae tam fuit studiosus, ut quum Victor romanus pontifex multas ecclesias amputasset a communione, quod in celebratione diei paschalis et in observatione ieiuniorum morem obtinerent a romana consuetudine diversum, magna libertate Victorem reprehenderit, quod praeter exemplum eorum, quibus successerat, tam facilis esset ad amputandas ecclesias, non in fide, sed in ritibus quibusdam dissidentes. Refert haec fusius ecclesiasticae historiae liber quintus capite vigesimo quarto. Haec Irenaeus, quum nunc Ptolemaei quidam ex quamlibet frivolis nugis haereseon et schismatum excitent calumniam. Sed unde pietatis illius certius argumentum proferam, quam ex ipsius scriptis, quae spirant pectus evangelicum et martyrii (ut ita loquar) candidatum? Nunc de doctrina paucis accipe. Eloquentiae nec studiosum nec peritum sese fatetur ipse praefans in primum librum. Ac non affectatam quidem ab eo facile crediderim; ignoratam ne credam, facit ipse sermonis cursus in rebus tam spinosis ac perplexis, immo fastidii plenis dilucidus, digestus ac sibi cohaerens, nisi quod mihi nondum satis liquet, graecene scripserit an latine; etiamsi magis arbitror latine scripsisse, graeci tamen sermonis peritiorem. Itaque figuris graecis tamquam suo iure abutitur latine loquens, veluti *noceri* pro *laedi*, quemadmodum Graeci dicunt *βλάπτεσθαι*; *ἔχοντες* id est *habentes*, pro *valentes:* cuius generis aliquot annotavimus in spatiis marginum, ne lector his offenderetur. Certe liberalium disciplinarum omnium peritissimum fuisse constat. Tertullianus enim in libro quem scripsit adversus Valentinianos, indicans, quos in eo opere fuerit secutus, hunc in modum loquitur: *ut Iustinus philosophus et martyr, ut Miltiades ecclesiarum sophista, ut Irenaeus omnium doctrinarum curiosissimus explorator.* Quin et Eusebius Caesareensis in catalogo scriptorum illustrium, qui circa Soteris aetatem ecclesiam Dei vita simul et scriptis

illustrarunt, quum ventum est ad Irenaeum, dicit: *Et praecipuus Irenaeus, quorum omnium ad nos apostolicae fidei et sanae doctrinae praeclarissima monumenta perlata sunt.* Floruit autem potissimum Commodi temporibus. Ceterum posteaquam ordo nos vocat, ut de tam egregii viri scriptis aliquid dicamus, dolor quidam subit animum meum, quod ex tot laudatissimis monumentis hoc opus solum, ut videtur, remansit incolume. Scripsit enim librum ad Blastum *de schismate,* alium ad Florinum presbyterum ab ecclesia prolapsum, *de monarchia,* sive quod Deus non sit conditor malorum. Nam Blastus eodem errore teneri videbatur, qui prius Polycarpi discipulus, post in haeresim Valentinianam devolutus est. Scripsit autem et *de ogdoade* librum, quem eximie probat divus Hieronymus. Hic est cui affixit obtestationem ad scribas, quam et nos praefiximus huic operi. Haec tantum viderat Eusebius. Hieronymus addit volumen breve *contra gentes,* rursus aliud *de disciplina.* Item ad Marcianum fratrem *de apostolica praedicatione.* Denique librum variorum tractatuum. Ex his tam multis viri lucubrationibus solum hoc, quod nunc damus, saeculorum invidia reliquum esse voluit. Quod utinam sic dare licuisset, quemadmodum ab illo proditum fuit. Primus et secundus, quoniam fere occupantur recensendis monstrosis haereticorum et vocabulis et opinionibus, alicubi torserunt nos, quos nemo nisi patientis stomachi poterit absque taedio pervolvere. Tribus exemplaribus sumus adiuti, uno quod Romae descriptum illinc ad nos misit egregius studiorum patronus Ioannes Faber; duobus e monasteriis commodato praebitis. Ex Tertulliano pauca restituimus, quod illic plus etiam erat depravationis in vocabulis; non pauca coniecturis sumus assecuti, quae si parum certa videbantur, in margine tantum annotavimus. Solis autem Scripturarum praesidiis pugnat adversus catervam haereticorum, quorum princeps fuit Simon ille Samarites, magiae peritus, qui se Deum summum ausus est praedicare, et Selenem scortum suum persuasit esse summam mentem: et hic impostor Romae statuam meruit cum hac inscriptione, *Simoni sancto Deo.* Huius discipulus Menander non in nomine Iesu, sed in nomine suo baptizabat, negans cum Simone mundum hunc a Deo conditum, sed ab angelis: quem errorem e Platonis philosophia videtur hausisse. Post hunc Saturninus Antiochenus dicebat hunc mundum conditum non a summo Deo, sed a septem angelis. Hos secutus Basilides Alexandrinus in maiorem erupit insaniam, praeter alia dogmatum portenta summum quemdam Deum invehens, et ficto nomen aeque fictum imponens, Abraxas, qui Valentino seminarium insaniae praebuisse videtur. Nam quos ille caelos vocabat, hic dixit *Αἰῶνας.* Dehinc Nicolaus turpitudinis doctor cum superioribus negat mundum hunc a Deo conditum. Quin et Ophitae monstrosa quaedam somnia de Aeonibus et eorum praecipuo Ialdabaoth prodiderunt. Successit his Carpocrates Gnosticorum auctor aperte magiam exercens ac daemones *παρέδρους* iactans, quale quiddam de Socrate legimus. Secutus est hos Cerinthus, negans mundum a Deo conditum, mentiens Christum ex Joseph semine natum, legem non a Deo, sed ab angelis latam. Huic contrarius Ebion sic adstruit legem, ut subvertat evangelium. Talibus portentis successit Valentinus omnium portentuosissimus, platonicae philosophiae sectator, vir alioqui doctrina pollens, iuxta at-

que eloquentia. Ambiebat episcopi dignitatem, sed indigne ferens sibi praelatum alium, qui in tormentis confessus fuit nomen Domini, ad turbandam ecclesiam vertit ingenium, totam doctrinam christianam ad confictas voces et perplexas fabulas pertrahens. Huius impiis inventis nonnihil addiderunt Ptolemaeus et Secundus, aucto videlicet Aeonum numero, sic tamen ut in quibusdam ab eo dissentirent. Eadem cum Valentino docuit Heracleon, sed novitate pronuntiationis videri studuit diversa tradere. Post hunc Marcus et Colarbasus, alioqui non degenerantes a Valentino, rem mire ridiculam commenti sunt, omnia fidei mysteria ad graecum alphabetum pertrahentes. Successit his Cerdon impietatum lernam secum trahens. Duos enim Deos finxit, alterum bonum, alterum saevum, a saevo mundum creatum. Legem in totum repudiabat; solum evangelium Lucae, nec id totum recipiebat; apostoli Pauli epistolas nec omnes nec totas probabat. Acta apostolorum et Apocalypsin ut falsa reiiciens, docebat Christum boni Dei filium in phantasmate tantum venisse, nec vere passum, nec vere natum; resurrectionem animae probans, carnis negans, Hic dum aliquando confiteretur errorem, et rursus clam, interdum et palam doceret impia, tandem convictus veluti deploratum membrum a communione fratrum resectus est. In huius impietatem successit Marcion, genere Ponticus, stoicae philosophiae studiosus, episcopi filius, ob stupratam virginem eiectus ab ecclesia, qui tamen post interdixit nuptias Christianis. Cerdonis ac Marcionis blasphemam doctrinam excepit Lucanus quidam, ob id obscurus, quod nihil innovarit ex eorum doctrina, quos sequebatur. Sed Apelles Marcionis discipulus, quo se faceret novae factionis auctorem, multa ex magistri dogmatibus reprobavit, sed sic ut nihilo saniora substitueret. Hic allegavit nobis puellam nomine Philumenen, cui fingebat adesse propheticum spiritum, quam tamen Augustinus scripsit a Severo quodam inductam, haud scio quid secutus. Nam Eusebius et Tertullianus in hoc, quod narro, consentiunt. Inter haec portenta latuerunt Potitus et Basiliscus, qui Marcionem secuti, duo rerum principia tradiderunt. Syrenus magis etiam delirans, tria principia sive tres naturas induxit. Hos omnes secutus Tatianus, ex Iustini discipulo factus haereticus, Valentini Marcionisque pestifera dogmata revocavit; discipulum habuit Calistionem. In tam longam seriem se porrexit illa detestanda lues a Simone mago profecta, dictuque mirum quam aegre desiit. Iam enim Valentini nomen erat exstinctum, quum tamen non deessent Valentiniani. Nec omnino finis videbatur futurus, nisi venisset Montanus, qui ceteris omnibus abrogavit auctoritatem, se praedicans esse Spiritum sanctum a Christo promissum, qui deduceret in omnem veritatem. Quamquam et Manichaeus nonnihil erroris ex Basilide videtur hausisse. Accidit autem hic quod solet in febri vehementer tenaci, quae nunc est remissior nunc acrior, nunc in aliam atque aliam speciem sese vertit, nec desinere potest, donec in phrenesim aut in aliud malum praesentius exeat. Adversus haec portenta scripsere Iustinus, quem aliquoties citat Irenaeus, Miltiades, Proculus, et Tertullianus, cuius libros quos eruditissimos scripsit adversus Valentinianos et Marcionem, praeterea de haeresibus et haereticorum praescriptis, si quis legere non gravabitur, rectius intelliget hos Irenaei libros.

Iam mihi videor satis praefatus, ornatissime praesul, quod ad huius operis rationem attinet, et tempus erat finem imponere prologo: quod quidem faciam, si paucis aperuero, quae cogitatio subierit animum meum in hoc argumento versantis. Non enim queo satis admirari consilium inscrutabile Dei, qui miris modis sponsam suam ecclesiam vindicarit, purgarit, erudierit, evexerit, illustrarit, in quibus omnibus nihil est non alienissimum ab humanis consiliis, quemadmodum ipse loquitur per Esaiam hominibus: *Non enim cogitationes meae, cogitationes vestrae: neque viae meae, viae vestrae, dicit Dominus. Quia sicut exaltantur caeli a terra, sic exaltatae sunt viae meae a viis vestris, et cogitationes meae a cogitationibus vestris.* Quemadmodum igitur ipse Dominus descendens e caelis viam aperuit in caelos, et accepta forma servi paravit sibi dominium omnium quae in caelis quaeque in terris, ac per summam ignominiam consecutus est aeternam gloriam, patiendo devicit hostem, morte promeruit immortalitatem: sic pusillum et imbellem gregem suum alienissimis a mundi ratione praesidiis provehit, per imperitos confutavit mundi sapientiam, per paucos subegit omnes mundi nationes, per imbecilles prostravit tyrannorum potentiam, per imbelles expugnavit omnem munitionem attollentem sese adversus Deum, per ignotos et humiles obscuravit universam mundi gloriam, per oves domuit leones, per columbos abegit serpentes. Et passus quidem est in oviculas suas Satanam et mundum hunc totis artibus ac viribus suis insurgere; verum arcanis suis consiliis omnia mala vertit electis suis in bonum. Solus enim ille rex regum novit et uti bonis, et abuti malis in suam gloriam et ecclesiae salutem. Infremuit adversus paucos et humiles Christi discipulos Iudaeorum zelus, Pharisaeorum supercilium, sacerdotum auctoritas, tum regum legibus et copiis armata potentia, magorum praestigiae, philosophorum eruditio, haereticorum seditio. Tot machinis Satanas oppugnabat ovile Christi. Sed Domino temperante conatus et actiones hominum, suppliciis ac mortibus crevit et invaluit ecclesia; impiorum philosophorum oblatrationibus confirmata est evangelica philosophia; praestigiae magorum illustrarunt Christi divinam virtutem in discipulis operantem; schismaticorum molimina piorum concordiam arctius iunxerunt ac velut in phalangem redegerunt; haereticorum impia dogmata ad scrutandum arcanas litteras compulerunt. Itaque factum est, ut, dum Iudaei zelo legis, sed non secundum scientiam pugnant adversus evangelium, certius cognoverimus antiquatas esse legis umbras, et illustrata est evangelii gloria. Rursus dum persecutor ignominiis, cruciatibus ac mortibus conatur fidem in Christum exstinguere, fidem auxerit, caritatem accenderit, spem reddiderit firmiorem, et piorum tolerantiam, dum exercet, illustrarit. Postremo dum haereticorum argutationibus agitatur, magis uti didicit armatura divinarum litterarum et confirmata est impugnata veritas. Primus ecclesiae congressus fuit cum Iudaeis, quorum utinam non exstarent et hodie reliquiae. Hic strenuum propugnatorem evangelicae libertatis praestitit apostolus Paulus. Magiae principem Petrus dejecit. Secundus fuit cum philosophis et haereticis, qui fere philosophiae praesidiis bellabant adversus evangelium. Horum impressiones post apostolos exceperunt viri doctrina facundiaque praecellentes. Nec ideo damnanda est philo-

sophiae sobria cognitio, quod a philosophis fere natae sunt omnes haereses, quum per philosophos item oppressae sint. Valentinus philosophus oppugnaverat ecclesiam, sed Iustinus philosophus, et Irenaeus philosophus defendit. Marcion philosophus impetiit veritatem, sed Tertullianus philosophus confecit hostem. Celsus philosophus blasphemias evomuit in Christum, sed Origenes melior philosophus ex illius blasphemiis illustravit Christi gloriam. Libanius sophista defendit idololatriam, sed hoc facundior Chrysostomus asseruit verum Dei cultum. Idem fecit orator Symmachus quod Libanius, sed hunc confodit potentior orator Prudentius. Itaque bona quaedam spes habet animum meum, fore ut hanc ecclesiae tempestatem Dominus inscrutabili suo consilio vertat in bonos exitus, excitetque nobis Irenaeos aliquot, qui compositis dissidiis pacem orbi restituant. Hunc interim Irenaeum velut ominis fausti loco laeta fronte dignaberis accipere, praesul optime, tui nominis auspiciis in lucem prodeuntem. Id ut facerem non tam mihi persuasit singularis quidam ac ut gratuitus ita perpetuus animi in me tui favor, quam uno omnium ore praedicata morum tuorum integritas, cum admirabili prudentia parique humanitate coniuncta. Sed nulla laus episcopo dignior, quam quod ubique studes paci concordiaeque christiani populi. Atque hae quidem in te virtutes hoc sunt admirabiliores, quod aetate florenti Nestorem quemdam, ut ita loquar, praestas tum illustriss. principi Ferdinando, tum ecclesiae Christi. Nec ignota, nec tuas dotes praedico, sed pro donis in te collatis, et Deo gratias agimus et nobis gratulamur. Amplitudinem tuam nobis omnibus augeat is, a quo solo proficiscitur vera felicitas. Datum Basileae sexto Calend. Septembris. Anno MDXXVI.

EIUSDEM ARGUMENTUM IN SECUNDUM LIBRUM IRENAEI.

In primo libro recensuit ac detexit Valentini et aliorum qui hunc secuti sunt opiniones, quae fere tales sunt, ut in lucem protraxisse, sit confutasse. Hic cum singulorum dogmatibus congreditur, indicans, quid a quibus philosophis sint suffurati ad deceptionem simplicium haeretici. Sic autem cum illis pugnat, ut ex ipsorum doctrina sumat tela, quibus illos conficiat. Vix enim sibi constare potest qui multa comminiscitur. Est unus aut alter locus in hoc libro, qui requirit candidum interpretem. Unus est cap. 49. ubi videtur sentire quod solus Pater sciverit diem et horam, ignorante filio. Verba S. Irenaei subscribam: *Quandoquidem et Dominus ipse, Filius Dei, ipsum judicii diem et horam concessit scire solum Patrem, manifeste dicens: De die autem illa et hora nemo scit, neque Filius, nisi Pater solus. Si igitur scientiam diei illius, Filius non erubuit referre ad Patrem, sed dixit quod verum est, neque nos erubescimus, etc.* Dubitandum autem non est, quin pio sensu haec scripserit Irenaeus. Sed pulchre nobis exemplum ingessit, quos pudet quidquam nescire, etiam in rebus divinis. Alter est in capitibus 39. et 40. ubi refert Dominum non fuisse passum anno trigesimo aut trigesimo primo, sed ultra quadragesimum annum docuisse evangelium. Hanc opinionem confirmat ratione et auctoritate duplici. Rationem hanc affert, quod quemadmodum Dominus pueris, adolescentibus, viris et senibus servandis venerat, ita conveniebat ut omnium

aetates susciperet; post annum autem quadragesimum homo vergit ad senium. Auctoritatem profert ex evangelio Ioannis: *Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti?* Ex hoc colligit, Dominum id temporis praetergressum annum quadragesimum, nondum autem ad quinquagesimum pervenisse. Confirmat hoc testimonio discipulorum qui cum Ioanne evangelista vixerant in Asia, qui se praedicarent haec audisse non solum ab ipso Ioanne, verum etiam ab aliis apostolis. Haec opinio plurimum discrepat ab ea, quam nunc sequitur ecclesia. Consideret lector.

EIUSDEM ARGUMENTUM IN TERTIUM LIBRUM IRENAEI.

Videtur hoc vir sanctissimus Irenaeus studio cavisse, ne scholiis aut argumentis foret opus; adeo diligenter in titulis capitum rei summam colligit, et in singulos libros praeloquens recenset ordine, quae dixerit libro superiore, proponens quae proximo dicturus est. Si quis tamen de his copiosius avebit cognoscere, legat quinque Tertulliani libros adversus Marcionem, in quibus Irenaeum imitatur. Sunt autem minutula quae annotavimus, eaque pauca. Cap. 38. recitat ex Genesi: *Et ipse conteret caput tuum;* ut *ipse* non referatur ad mulierem, sed ad semen mulieris, qui est Christus. Cap. 21. dicit *filium hominis commixtum Verbo Dei;* pio quidem sensu, sed verbo quod nunc aversantur theologorum aures, quum a *permiscendi miscendique* vocabulis non abhorruerit Augustinus epistola tertia: tametsi quod Augustinus dixit, durius est dicto Irenaei. Ait enim, *Quoniam Deus homini permixtus sit;* Irenaeus dicit, *hominem Deo commixtum.* Solum autem *uniendi* verbum nunc placet scholis, quum nulla vox sit magis impia, nisi benigne interpretemur. Haec ob eos commemoro, qui miras concitant tragoedias ob voculas. Quarum emphasim interdum non intelligunt. Eodem in loco sanctus Irenaeus dicit, Christum juxta humanam naturam adoptatum, ut fieret filius Dei. Verba ejus sic habent: *Et qui filius Dei est, filius hominis factus est, commixtus Verbo Dei, ut adoptionem percipiens fiat filius Dei.* Cap. 12. referens locum ex Actis Apostolicis 15. quum ponat idolothyta, sanguinem et fornicationem, suffocatorum non meminit, et ni fallor, alicubi sic refert Ambrosius; reliqua minutiora sunt, quam ut operae pretium sit commemorare.

EIUSDEM ARGUMENTUM IN QUARTUM IRENAEI LIBRUM.

Hic Irenaeus velut eluctatus e locis confragosis et impeditis ingreditur campum liberiorem, explanans multa Scripturarum loca, quae depravarant haeretici. In hoc libro, quemadmodum et in quinto, frequenter asserit liberum arbitrium, cui tribuit, quod et angeli ceciderunt et homo in mortem prolapsus est, et quotidie prolabuntur impii. Idque facit non uno in loco. Unum locum adscribam ex cap. LXXI. *Et propter hoc,* inquit, *Deus consilium quidem bonum dat omnibus; posuit autem in homine potestatem electionis, quemadmodum et in angelis, etc.* Et alibi dicit, in hoc hominem esse conditum ad similitudinem Dei, quod permissa sit illi libera voluntas. De eucharistia frequenter meminit, sed ea religione qua fere veteres solent de hoc mysterio verba facere: veluti cap. libri huius XXXII. vocat eucharistiam *novi Testamenti*

novam oblationem, quam ecclesia ab apostolis traditam in universo mundo offert Deo. De transsubstantiatione nihil aperte dicit; nisi quod Christus, ut refert, panem ex frumento confectum dixerit corpus suum, vinum sanguinem suum confessus sit. Rursus capite XXXIV. sic loquitur: *Quomodo autem dicunt carnem in corruptionem devenire, et non percipere vitam, quae a corpore Domini et sanguine alitur.* Ac mox: *Quemadmodum qui est a terra panis, percipiens vocationem Dei, iam non communis panis est, sed eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena et caelesti.* Et *offerendi* verbo frequenter utitur. Tanta erat sanctissimis de rebus divinis loquendi reverentia, priusquam ecclesia super huiusmodi mysteriis pronuntiaret explanatius. Opinor et ob eam caussam priscos doctores de multis parcius ac tectius fuisse locutos, ne si sanctum proiecissent canibus, Ethnicis ac Iudaeis praeberent ansam blasphemiae. Sed melius ex ipso disces Irenaeo.

EIUSDEM ARGUMENTUM IN QUINTUM LIBRUM.

In hoc quinto libro quum multa Scripturarum loca diligenter explicentur, quaedam tamen insunt, quae nisi quis commode interpretetur, non satis congruere videntur cum his dogmatibus, quae hoc tempore praescribit ecclesia. Probat enim Iustini martyris sententiam, qui dixerit, Satanam nusquam ausum dicere blasphemiam adversus Deum, priusquam advenisset in terras Dominus, eo quod nondum cognosceret damnationem suam. In altero loco videtur sentire, animas exutas corpore non statim frui glorificante visione Dei, sed abditas servari in diem resurrectionis: de purgatorio nulla mentio.

Quin potius videtur duplicem sentire resurrectionem; primum animarum, mox corporum. Sic enim loquitur in calce operis: *Quum enim Dominus in medio umbrae mortis abierit, ubi animae mortuorum erant, post deinde corporaliter resurrexit, et post resurrectionem assumtus est: manifestum est, quia et discipulorum ejus, propter quos et haec operatus est Dominus, animae abibunt in invisibilem locum, definitum eis a Deo, et ibi usque ad resurrectionem commorabuntur, sustinentes resurrectionem: post recipientes corpora et perfecte resurgentes, hoc est, corporaliter, quemadmodum Dominus resurrexit, sic venient ad conspectum Dei.* Hactenus Irenaeus, in quibus quum ait, *Post recipientes corpora, et perfecte resurgentes,* subindicat aliquam animarum resurrectionem imperfectam ante recepta corpora. Rursum quum ait, *Sic venient ante conspectum Dei,* significat animas non recipi in gloriam caelestem ante resurrectionem corporum: in quo errore fuisse videtur Ioannes pontifex romanus, eius nominis XXII. coactus opera theologorum parisiorum ad palinodiam, coram Galliarum Rege Philippo, non sine buccina; quod indicat Ioannes Gerson in sermone de pascha. Quin et Hieronymus alicubi testatur, cum sensisse cum chiliastis, quum alias, tum enarrans Ezechielis caput trigesimum sextum. Sed in huiusmodi multis veteres illi cum candore, nonnumquam et cum venia legendi sunt, quod haec tum temporis nondum in quaestionem venerant, aut si venerant, nondum excussis Scripturis ecclesia super his suam sententiam clara voce pronuntiarat. In prima quidem praefatione dubitabamus, utrum graece scripsisset Irenaeus, an latine, nec adhuc

certum aliquid habemus, nisi quod Hieronymus, eo loco quem modo citavi, testatur eum fuisse Graecum: quamquam et hic dubitare licet, utrum natione Graecum dixerit, an scriptorem graecum. Sed apparet illum de scriptura sensisse, quum illum copulat cum Apollinare, quem consfat graece scripsisse. Verba Hieronymi sic habent: *Quod et multi nostrorum, et praecipue Tertulliani liber, qui inscribitur* de spe fidelium, *et Lactantii Institutionum volumen septimum pollicetur, et Victorini Petabionensis episcopi crebrae expositiones, et nuper Severus noster in dialogo, cui* Gallo *nomen imposuit; et, ut Graecos nominem, et primum extremumque coniungam, Irenaeus et Apollinaris.* Haec Hieronymus. Adiuvant hanc opinionem tituli librorum graeci. Tantum obstrepit, quod versus aliquot graecos admixtos videmus illius libris, quod ab auctore fit usitate, ab interprete non item: tum quod nullus indicavit interpretis nomen. Bene vale lector.

NICOLAI GALLASII

EPISTOLA NUNCUPATORIA AD EDMUNDUM GRINDALLUM, EPISCOPUM LONDINENSEM, IN QUA SUAE IRENAEI EDITIONIS CONSILIUM EXPONIT.

Mitto ad te, vir amplissime, fructum aliquem laboris nostri, cuius hoc tempore edendi occasionem, ac simul quae me nunc tempestas Genevam expulerit paucis accipe. Quum nuper in Galliis, speciosae pacis praetextu, tam crudeliter vexatae essent ecclesiae nostrae, ut longe miserior esset earum conditio, quam dum aperto bello ac diris persecutionibus antea palam affligebantur, ego tristem exitum animo praevidens, in Angliam ad te cogitabam: quo mihi et planior via et brevior traiectus et commodior rerum mearum tractatio fore videbatur. At subito Aureliae exorta seditione, quam pridem moliebantur papistae, ut nostros impune trucidarent; multis interfectis, aedeque, in qua aggregabantur, incendio consumta, mihi non solum mutandum consilium fuit, sed omnis via et ratio captanda, et qualiscumque rimula observanda, qua e tanto periculo evadere statim liceret. Saepius enim vitae periculum subieram: inflammabatur populi furor, ministri deposcebantur ad caedem, urbis vero portae tam diligenter observabantur, ut nemo egredi posset. Itaque in tam gravi discrimine quaecumque exeundi facultas offerretur, ea utendum fuit. Nec me sane, et collegas nonnullos, in ipso momento ope sua destituit Dominus. Nam emissi noctu Aurelia, deviis itineribus per medias silvas Montargium usque deducti sumus. Ibi salutata illustrissima Ducissa, quae nos omni officio ac pietate adeo sibi devinxit, ut nec illi umquam satisfacere, nec eius virtutes satis praedicare possimus, longius progrediendi consilium cepi, atque illius ipsius heroidis favore et ductu, post longas molestias in hanc usque urbem perveni. Tum respirans paullulum, ubi cum dilectissimo et suavissimo fratre meo D. Theodoro Beza de publicis et privatis rebus communicassem, is me rogavit, quid mihi nunc esset prae manibus. Tum respondi, me de sublevando animo tantum et relaxando ab iis curis, quibus diu vexa-

tus erat, cogitare. Non est vero tuum, inquit, languori et ignaviae indulgere, ac certo scio, te hoc tempus, quod tibi vacuum a negotiis datur, non posse in otio transigere. Me ergo ad conciones et praelectiones hortatus, simul adiunxit, se iamdiu aliquod meditari, in quo non inutiliter operam meam, si ita videretur, locare possem. Satis nosti, inquit, quam utilis sit lectio veterum doctorum, quam tamen plerique negligunt, cum propter obscuritatem tum etiam ob impuritatem nonnullam, quam labantia iam illa tempora doctrinae christianae attulerunt. Utrique impedimento remedium facile adferri potest, si primum distinctis librorum capitibus, summae rerum et sententiarum praefigantur, quibus animo conceptis ac perspectis, lector facile assequetur, quid singula contineant; ac praecipuo illo labore superato, reliquum facile exhauriet, atque etiam gustu doctrinae illectus latentem fructum colliget ac recondet. Deinde impuritati facile occurretur, si in cuiusque operis fine addatur admonitio aut censura, qua ostendantur ea, quae purae et sanae doctrinae minus consentanea sunt, ac detorti aut implexi et involuti Scripturae loci vera et genuina interpretatione explicentur. Tum admonuit, ut, re diligenter expensa, iudicarem, num res digna esset, cui labor et opera impenderetur; ac me incitavit, ut ei in isto otio manum admoverem. Ubi considerassem attentius, omnino assensus sum. Periculum feci ex re ipsa, ac plane agnovi opus dignum esse, cui plurimi docti et in rebus divinis exercitati animum intenderent: vix enim unus tot veterum evolvendis voluminibus, annotandisque et recensendis sufficeret. Visum est igitur ab eo, qui inter Latinos antiquissimus censetur, initium facere, ab Irenaeo scilicet, cuius scripta ut obscura, ita plerisque in locis corrupta et depravata fuerunt. Quamvis autem ipsum inter Latinos numerandum non putem, (nam phrasis plane graeca est) tamen quia nondum naturali suo habitu et ornatu indutus apparuit, eum, quem hactenus inter Latinos obtinuit, locum illi relinquo. Testantur nonnulli pii et docti viri, se graecum legisse in venetiana bibliotheca, ubi quum ab iisdem postea quaereretur, locus vacuus est repertus. Alii etiam in Vaticano visum ferunt. Qui talia monumenta ecclesiae adimunt aut invident, digni sunt, qui perpetuo horrendis invidiae furiis et diro conscientiae vulnere crucientur. Graece vero scripsisse Irenaeum testantur multae paginae, quas apud Epiphanium transscriptas reperimus. Eas autem inseruimus huic libro atque objecimus versioni, ut pius lector facile de hac re iudicaret. Quod si quis excipiat, potuisse Irenaeum utraque lingua scribere, atque in latinam vertere, quod prius graece edidisset, quamvis mihi verisimile non sit, ego tamen non magnopere laboro, nec sane contendendum puto. Mihi satis est, Graecum esse ac scripsisse graece; id quod librorum tituli, Homeri et Hesiodi versus intexti, item *ἀνακόλουθα καὶ ἀναπόδοτα* admodum frequentia satis ostendunt. Praeterea dictiones, phrases et formae loquendi minus usitatae Latinis, veluti nomen *conditionis* pro creatione, *aegrimonia* pro aegritudine, *deminoratio* pro diminutione, *habere* pro posse, *quemadmodum* pro quomodo, *Deus non bene sensit in illis*, pro non acquievit, vel acceptos illos non habuit, et sexcenta eiusmodi, quae diligens lector facile poterit animadvertere. Atque optimus sane huius rei aestimator ac iudex est Hieronymus, qui hunc inter graecos scriptores constanter annumerat. Est

autem hic attentione opus et diligentia, ut res et sententiae comprehendantur. Nam praeterquam quod materia, quam tractat, obscura est, durior est stilus et remotior a consuetudine latini sermonis. Sed omnia faciliora reddent summae uniuscuiusque capitis initio a me praefixae, quibus aperte ac breviter auctoris mens ac scopus declaratur. Numeris omnia distinxi. Locos Scripturae, quos citat, notavi ad marginem, ac menda, quae occurrerunt, collatis exemplaribus et locis ipsius auctoris, emendavi. Sectionem capitum veterum secutus sum in quatuor libris, quae certe nec ita divisa ab auctore, nec ab ipso summas iisdem praescriptas esse arbitror. Nam sectiones saepenumero breviores sunt ac interruptae, aut etiam longiores; summae vero interdum aut rem non attingunt, aut quod praecipuum est praetermittunt. Quintum porro librum, quem nemo hactenus diviserat, distinxi per capita, quibus, ut aliis, summas rerum et sententiarum addidi. Mihi sane omnia sedulo expendenda ac saepius relegenda et examinanda fuerunt, ut planum facerem, nunc quid in tantis illis errorum labyrinthis sibi vellent haeretici, nunc quibus rationibus pius vir eorum dogmata refutaret. Quod exquirendi taedium qui devorare nequeunt, haud miror in huius ac similium auctorum lectione, non multum nec diu progredi, neque nucleum edere, quia nucem non frangunt. At nemini studioso umquam constitit fructus laboris sui, nisi ei qui assidue et constanter in eo perseveravit. Mihi certe gratissimus fuit labor, quod ea colligens, quae praecipua sunt atque in summa capita redigens, speraverim me ita lectorem molestia sublevaturum, ut neque obscuritas neque difficultas illum iam deterrere aut retardare posset. Nec me (ut arbitror) spes fallet apud eos qui propius attendent, candideque et sincere iudicabunt. Testatur abunde Irenaeus, quantum negotii exhibitum ipsi fuerit in eruendis atque proferendis in medium erroribus, quos tam astute Valentiniani dissimulabant ac tegebant, ut pauci admodum intelligerent quid docerent, et quibus rationibus niterentur. Nunc igitur iis intelligendis, quae vir tantus magno labore eruit ac detexit, haud mirum est iam sublatis illis erroribus, et multis saeculis exactis, a nobis quoque nonnihil laborari. Sed nobis illius studium, vigilantia et sollertia imitanda sunt. Tantam certe diligentiam et sagacitatem adhibuit in sectandis vestigiis ac gressibus immanium eiusmodi ferarum, ut non solum deprehenderit earum latibula, sed eas inde, velut e lustris et saltibus, in medios agros et apertam lucem eiecerit, atque ita produxerit, ut neque latere neque amplius incautis nocere possent. Quo exemplo nos admonet, quam sedulo cavere debeant gregibus suis episcopi et pastores, ne pestilenti talium serpentum veneno inficiantur. Falluntur enim vehementer qui putant, veterum illarum haereseon descriptionem ac refutationem nihil ad nos aut tempora nostra pertinere. Ac frustra obtendunt tam absurdos et prodigiosos fuisse illos errores, ut nemo nunc iis adhaesurus sit. Nec enim minus absurda, nec minus portentosa dogmata nostro tempore invexerunt fanatici quidam homines, nec minore astu seduxerunt illitteratos et simplices viros, nec minore pertinacia veritati obstiterunt. Annon quotidie cernimus, quibus fallaciis et fraudibus utatur Satan ad renovandas haereses, et specioso quodam fuco sic interpolandas, ut numquam exstitisse videantur?

Quis non videt eos, qui nunc divinam nunc humanam Christi naturam hodie oppugnant, ex iisdem lacunis et cloacis faeces suas hausisse? Anabaptistarum porro nostri temporis secta, quam multa tum in doctrina tum in ritibus similia habet cum veteribus illis haereticis, quos tamen fortasse ne de nomine quidem agnovit? Verum antiquus ille serpens, qui iam pridem talibus organis vexavit ecclesiam Dei et evangelii cursum retardavit, non minus quam olim callidus et vafer est ad excitandos tales pugiles et agonothetas, quibus illos supplantet, qui se optata evangelii luce indignos praebent. Quis putaret umquam fore ut homines degenerarent in brutas pecudes, aut potius verterentur in monstra, quae omnem ferarum immanitatem, turpitudinem ac spurcitiem superarent? Quali enim nomine appellabimus eos, qui sic usum rationis exstinguunt, ut tollant discrimen boni et mali? Et quum impurissimi et nequissimi fuerint, negant tamen se ullius impuritatis aut nequitiae reos esse? Qui nefandas cupiditates, libidines, flagitia, scelera sua Deo tribuunt? Et quum maxime indulserint affectibus carnis atque in omni vitiorum coeno se provolverint, iactant se esse spirituales ac perfectos: eos vero qui sobrietati, continentiae et puritati student, tamquam rudes et idiotas sannis et ludibriis proterunt et proculcant? At tales nostro tempore exstiterunt (utinam vero ne adhuc exstent) quales Irenaeus primi libri capite primo, nono, vigesimo tertio, et trigesimo quinto describit. Quid enim Satan renascente evangelio molitus non est, ut ejus cursum averteret aut retardaret? Quibus autem armis et machinis illi obsistendum sit, pius hic episcopus aliique antiqui doctores nos exemplo suo docuerunt. Sola enim pugnant Christi apostolorumque doctrina, ad quam omnia dogmata, traditiones ac ritus examinant. Nam quod iactabant haeretici, ut hodie superstitionum fautores ac patroni, se ab apostolis commenta et deliria sua accepisse, statim ex illorum scriptis facile refutatur. Quod etiam adversus omnes conspurcatores religionis christianae nobis arbitror esse faciendum. Id vero saepius expertus es, vir clarissime, et re ipsa comprobasti, quoties tibi negotium fuit cum fanaticis et praefractis hominibus, qui ecclesias vestras assidue turbabant. Hoc ego magna ex parte testari possum, qui ipse adfui, vidi ac perspexi, qua cura et vigilantia ecclesiarum, quibus praces, paci consuleres, quanto studio tum ab impiis ritibus, tum ab erroribus Anabaptistarum qui iam irrepserant, repurgares; qua sedulitate pacares turbas et dissidia, sive inter tuos, sive inter exteros exorta essent. Nam quantum in te fuit, peregrinorum ecclesias, quae Londini Elizabethae Reginae beneficio collectae sunt, non tantum foris sartas et tectas servasti, sed intus a metu, a dissidio et divisione reddidisti immunes. Cohibuisti temerarios homines et cupidos rerum novarum, repressisti insolentes et praefractos, domuisti elatos, innoxios tutatus es, sedasti rixas et jurgia, denique te vere Irenaeum et tranquillitatis fautorem praebuisti. Haec ego praeterire silentio aut dissimulare absque ingrati animi vitio non possem, quum maximus illarum molestiarum, quas aliquando nostratium caussa tulisti, fructus ad me redierit. Nam et purgatis ab erroribus opera tua peregrinorum ecclesiis, et sedatis turbis quas multi excitaverant, et quiete maiore et pace liberiore apud vos usi sumus. Merito igitur te Irenaeo comparo, quem iisdem in negotiis diligenter imitatus

es, atque optimo iure tibi offero nostras in eius librum vigilias et ucubrationes, quae grati erga te et memoris animi mei testes esse possint. Nam quum te ecclesiarum nostrarum patronum et tutorem praebueris adversus Satanae et pestilentium hominum insidias, qui tunc perniciem illis moliebantur, aequum est meo et nostratium nomine tibi gratias agi, atque etiam Londinensibus tuis, quorum humanitatem, beneficentiam et liberalitatem, ut tuam erga profugos atque extorres, quum apud vos essent, adversissimo tempore saepius experti sumus. Eam hoc tempore non minorem esse audio: quo nomine nos tibi illisque plurimum debere confitemur. Ut Dominus vobis rependat dotesque suas in te tuisque adaugeat, ego quam maximis possum votis postulo atque opto. Te vero obsecro atque obtestor, ut qualem te iam praestitisti nostris hominibus, tum fovendis bonis, tum malis coërcendis, tum etiam reprimendis factiosis et studiosis rerum novarum, ut tranquillus ecclesiolae illius status inter procellas ipsas, quamvis in medio mari, servaretur, talem quoque te in posterum praestes, nec sinas te ullius ingratitudine aut malignitate dimoveri. Quod tametsi te sponte tua abunde facturum non dubitem, tamen et meum in nostrates studium et pericula, quae assidue impendent, me sollicitum reddunt, idemque etiam atque etiam petere cogunt. Hoc etiam rogo, ut quo animi erga te affectu hoc qualecumque praeludium ac specimen maioris (si Dominus dederit) operis tibi offero, eodem accipias, nec me aliud spectasse putes, quam ut memorem et gratum me tibi praebeam. Bene tibi precantur quam plurimi qui huc se receperunt optimi viri, in primisque te salutat Beza noster, cuius consuetudine et benevolentia sic recreor, ut mihi jam levius exsilium hoc redditum sit. Bene vale, optime et observantiss. vir. Dominus Jesus Christus tibi perpetuo faveat, diu te incolumem servet, tuisque laboribus et curis benedicat. Genevae pridie Cal. Februarii. MDLXIX.

IOANNIS IACOBI GRYNAEI

EPISTOLA NUNCUPATORIA AD BERNARDUM BRANDUM BASILEENSIS REIPUBLICAE TRIBUNUM PLEBIS PRIMARIUM, IN QUA SUAE IRENAEI EDITIONIS RATIONEM REDDIT.

Etsi graves cumprimis caussae fuerunt, propter quas vetustas erudita magno applausu et consensu recepit, approbavitque elegans illud apophthegma *γνῶθι σεαυτόν, nosce teipsum*; et Amphictyones, Platone teste, illud pro delphici templi foribus inscribendum esse censuerunt, eo quod videretur de suis bonis et malis unumquemque mortalium commonefacere, superbiae pariter et desperationi mederi, immodicum amorem sui fiduciamque tollere, et ad modestiam universos hortari: non tamen minus graves caussae sunt, cur aliud adeo illi cognatum, ut neutrum sine altero recte intelligi possit, non tantum addamus, sed etiam ambabus manibus et toto pectore amplectamur, videlicet *γνῶθι τὸν Θεόν, Nosce Deum.* Veram enim et solidam sapientiam in Dei optimi maximi, et

hominis ad eius imaginem conditi cognitione positam, nec alteram sine altera plenam esse vel ex eo colligi potest, quod divinae litterae testantur, ideo nos homines a Deo conditos et redemtos, ut Deum Patrem Domini nostri Jesu Christi, una cum Filio unigenito Jesu Christo et Spiritu sancto vere agnoscamus, invocemus, et non tantum in huius vitae militia, sed etiam in omni aeternitate celebremus. Ideo nihil est dubium, vere Origenem Adamantium in tertio contra Celsum libro de sapientia pronuntiasse, esse eam divinarum humanarumque rerum et caussarum scientiam, aut, ut sacra Scriptura definit, divinae potentiae vaporem, emanationem sinceram omnipotentis gloriae, splendorem sempiterni luminis, speculum virtutis Dei purissimum, bonitatisque eius imaginem expressam. Apparet autem philosophos quosdam, qui, ut ait Paulus apostolus, invisibilia Dei, hoc est, aeternam eius potentiam ac divinitatem et alia quae ex creatione mundi, dum per opera intelliguntur, pervidentur, rectius quam vulgus hominum observaverunt, tametsi mentes eorum densa caligine ignorantiae verae doctrinae de essentia et voluntate Dei occupatae essent, nec ipsis quidquam de lapsu primorum parentum et tristissima corruptione naturae humanae constaret; in ea tamen sententia fuisse, ut sapientiae candidatis Dei suique cognitionem prorsus necessariam esse ducerent. Eius rei nunc non libet multa coacervare testimonia, quum unum illud cordatis hominibus satisfacere queat, quod in undecimo libro de praeparatione evangelica Eusebius cognomento Pamphylus adducit. Narrat gymnosophistam quemdam ex India profectum, in urbe attica cum Socrate de sapientiae studio collocutum esse. In eo colloquio quum Indus quaesivisset, qua ratione sapiens fieri posset, respondit Socrates, si qua ratione homini vivendum sit, consideres. Hanc vocem Indus nonnihil subridens eleganti hac sententia excepit: *μὴ δύνασθαί τινα τὰ ἀνθρώπινα κατιδεῖν, ἀγνοοῦντά γε τὰ θεῖα*, hoc est, res humanas nemo divinarum ignarus rerum recte perspicere et cognoscere potest. Iudicabat enim doctrinam ethicam inanem esse ludum ingeniorum et hypocriseos *σοφὸν φάρμακον*, si ea cum Dei luculenta agnitione et sincero cultu non sit coniuncta. Sunt enim re vera otiosae et inutiles commonefactiones de hominis officio, de virtutum pulchritudine, de vitiorum turpitudine, denique de omnibus vitae humanae muniis et partibus, si interim mens ignara Dei et voluntatis eius se ipsam tamquam numen aliquod admiretur et colat, nec serio cogitet, et quod sit Deus et qualis sit, videlicet omnipotens, bonus, castus, misericors, iustus, vindex scelerum; et quod hic Deus nos quoque bonos, castos, benignos, justos, osores scelerum esse velit. Ideo in hominis christiani institutione, prima et praecipua cura esse debet, ut tenerae mentes imbuantur hisce *ἀξιώμασι* et veluti principiis. Primum est, homines ideo conditi et redemti sunt, ut Deum Patrem, una cum Filio Iesu Christo et Spiritu sancto agnoscant et colant. Alterum est, de Deo et voluntate eius sic est statuendum, sicut is se voluntatemque suam illustribus testimoniis et expresso verbo patefecit. Sic autem Deus aeternus se nobis patefecit, ut iuxta magni Basilii sententiam, baptizari nos oporteat, sicut accepimus: credere autem, sicut baptizamur: glorificare autem, sicut credimus, Patrem, Filium et Spiritum sanctum. Haec quum prophetis et apostolis cordi essent, de sa-

pientia, hoc est de Deo vero et de homine rectissime gravissimeque senserunt et scripserunt. Eorum vestigiis Irenaeus quoque noster insistens, in his quinque libris multa praeclare de Deo uno et trino, de hominis ortu, lapsu, corruptione, restitutione, litteris memoriaeque mandavit. Exstat autem in primo libro Irenaei symbolum (hac voce vetus ecclesia brevem et orthodoxam de Deo et homine confessionem appellare solita est) quod non tantum eo adscribere libet, ut habeat lector *φιλέλλην* quod cum cap. 2. lib. I. conferat, verum etiam quia doctrinam ecclesiarum nostrarum in effeta hac mundi senecta a nobis receptam et traditam olim quoque in ecclesiis Germaniae, Galliae et Hispaniae, Irenaei aetate, hoc est, circa annum post natum Christum 185. magno consensu traditam esse inde colligere licet. Verba eius haec sunt. *Ἡ μὲν γὰρ ἐκκλησία*, etc. [1]) Operae pretium autem non vulgare fuerit in vestibulo huius operis ob oculos ponere brevem antithesin sanae et orthodoxae doctrinae et humanorum commentorum ac haereseon, ut videant eruditi lectores, de quibus partibus caelestis doctrinae adversus Valentinianos, Gnosticos, Encratitas et alios *ματαιολόγους καὶ φρενατάτας ἀποστρεφομένους τὴν ἀλήθειαν* Irenaeus noster et qua ratione pro virili depugnaverit. Multum enim lucis collatio doctrinae affert, ut monet vetus paroemia: *ἡ πορφύρα παρὰ τὴν πορφύραν διακριτέα;* et harum rerum consideratio facit, ut mens pia intuens tristissima nostrae aetatis de religione certamina, non abiiciat veritatis professionem, nec dubitationi *καὶ τῇ ἐποχῇ* academicae locum det, sed cogitet gravissime a Paulo dictum esse: *Oportet enim et haereses in vobis esse, quo qui probati sunt, manifesti fiant inter vos.* 1. Corinth. 11.

De Deo aeterno cum sanctis patribus, prophetis, apostolis et ecclesiae apostolicae doctoribus orthodoxis Irenaeus constanter, pie vereque docet, unum esse Deum, si essentiam Patris, Filii et Spiritus sancti; trinum, si personas earumque proprietates peculiares consideres. Etsi autem hoc mysterium de Deo et de tribus personis superat multis modis captum et sapientiam omnium angelorum et hominum: tamen ei nos religiose assentiri decet, quia, ut supra monui, de Deo secundum patefactionum eius normam et praescriptum cogitandum et statuendum est. Hunc Deum esse unum et eumdem Testamenti veteris et novi auctorem, bonum et iustum, conditorem caeli et terrae, angelorum et hominum, omniumque rerum, quae in hoc amplissimo mundi totius systemate ac theatro continentur, qui sua providentia praeterita, praesentia et futura intueatur ac gubernet, recte et copiose docet Irenaeus. Tres etiam personas in sacrosancta divinitate, quas Graeci illustri appellatione *ὑποστάσεις* nuncupaverunt, discernit a se invicem Irenaeus, ac monet primam personam in divinis Patrem esse, qui sese ab aeterno intuens inenarrabili modo genuit filium, qui est imago et character substantiae eius; secundam vero personam esse Dei Filium, Dominum Iesum Christum, qui divinae naturae respectu appellatur et est Verbum, Sapientia et *ἀμήτωρ;* humanae autem naturae respectu dicitur et est filius Abrahae et Davidis, *ἀπάτωρ*, fratribus suis similis, peccato excepto; tertiam autem personam esse Spiritum sanctum, qui a voluntate

1) Lib. I. c. 10.

Patris et Filii procedens, mittitur in corda credentium, ut ea regeneret, sanctificet et vivificet, et sit σφραγὶς et arrhabo hereditatis nostrae.

Econtra Valentiniani furenter et impie contendebant, Deos esse plurimos et prope innumerabiles, quia mirum et incredibile illis videbatur, in illa aeterna solitudine unum tantum esse Deum. Negabant etiam unum eumdemque Deum veteris novique Testamenti fuisse; et quia veteris Testamenti Deus severus, scelerum vindex et ultor exstitisse videbatur, iustum, sed non bonum appellandum putaverunt. Deum autem novi Testamenti, propterea quod omisso τῷ ἀκριβοδικαίῳ, id est summo iure, ἐπιείκειαν evangelicam et gratuitam resipiscentibus et credentibus promulgavisset et concessisset, bonum, non autem iustum nuncupaverunt. Multa etiam de Demiurgo, mundi huius opifice, de Aeonum syzygiis et erroribus, deque aliis opinionum absurdarum monstris, plenis buccis depraedicabant, quibus omnibus Satan, mendaciorum istius generis pater, veram de Deo et tribus personis doctrinam delere et in animis hominum oblitterare, scelerate conatus est.

Porro de homine Irenaeus eisdem prophetis, evangelistis et apostolis reverenter subscribens, pie docet hominem a Deo conditum, et multis ac pulcherrimis tum animi tum corporis ornamentis bonisque instructum, ut esset opificis templum et imago ei serviens in omni aeternitate; eum vero Satanae fraude circumventum, in peccatum, mortem et ἔσχατα ἐσχάτων mala incidisse cum tota sua posteritate, quae ideo sit conclusa sub peccato, ut eius Deus misereatur. Ac quum natura omnes Adami primi posteri filii irae sint, negat ullam veniae ac salutis spem superesse, praeterquam in Christo Iesu, qui ideo in hunc mundum venit, ut quaereret quod perierat et peccatores salvos faceret; itaque eos gratuito Christi beneficio restituendos in integrum, qui a peccatis suis resipiscentes, credunt sua caussa Filium Dei in hunc mundum venisse, ut assumta natura humana, in carne patiens victima pro ipsis fieret, expiaret ac auferret peccata mundi, mortuus propter eorum peccata, et resuscitatus propter eorumdem iustificationem. Et hos quidem Irenaeus esse dicit peculium Dei, βασίλειον ἱεράτευμα, sanctam ecclesiam, cui sit commissus thesaurus oraculorum Dei, comprehensus in libris propheticis et apostolicis; huic coetui amplectenti integram et incorruptam legis et evangelii doctrinam, Filium Dei foederis aeterni sacramenta, velut visibilia divinae gratiae et aliarum caelestium rerum, quas nobis Christus una se daturum promisit, symbola et argumenta, ministerium verbi, hoc est, dispensationem fidelissimam mysteriorum Dei, et alia salutaria dona et officia exhibuisse et instituisse, ut ne deesset ecclesiae quidquam eorum, quae ad augendam, ornandam et conservandam facerent. De animarum autem immortalitate et corporum resurrectione, totiusque hominis salute vel interitu aeterno, Irenaeus apostolicam doctrinam incorruptam profitetur, et platonica ac pythagorica deliramenta de animarum in alia atque alia corpora discessu confutat.

E diverso Valentiniani vociferabantur, homines vel natura esse malos, ὑλικοὺς καὶ χοϊκούς, qui si maxime conversionis et salutis percupidi forent, converti tamen ad Deum et salvi fieri non possent; vel natura esse bonos, qui etiam gravissime peccantes, recte tamen facere censendi sint.

De animabus et earum in alia atque alia corpora, pro ratione meritorum et expiationum, transmigratione multa audacissime confingebant, ut stabilirent Pythagorae commenta de *μετεμψυχώσει καὶ μετενσωματώσει*. Quidam corporum resuscitationem prorsus negabant. Scripturam divinam partim obtorto, quod aiunt, collo ad sua somnia adstruenda detorquebant; partim truncatam, misereque suis corruptelis laniatam, ridendam ethnicis obiiciebant. Ecclesiae concordiam dissensionibus suis et schismatis perturbabant. Sacramenta impuris et detestandis ritibus profanabant, ut est videre in narratione Irenaei de Marco quodam Gnostico, mago et peste humani generis.

Res ipsa autem docet, non unicum errorem imposuisse Gnosticis istis, sed hosce potissimum. Primus est, quod de Deo et eius voluntate non iuxta divinas patefactiones in verbo traditas, sed secundum sua somnia figmentaque iudicandum statuendumque putarent. Secundus, quod non verbum Dei, sed *τὸ τῆς σαρκὸς φρόνημα* caecutiunt, quum de hominis ortu, viribus, lapsu et restitutione dissererent. Tertius, quod Scripturas et Dei potentiam ignorantes, Pythagorae, Platonis et sua somnia maioris facerent, quam evangelium de Christo; ac opinionibus suis fascinati, Scripturas ad plumbeam placitorum suorum regulam exigerent. Ceterum adversus Gnosticos, fanaticos homines et ut paulina voce utar, *διεστραμμένα* loquentes, Irenaeus Polycarpi (eius qui Ioannis evangelistae auditor fuit) discipulus, et lugdunensis episcopus, conscripsit praeclarum volumen *ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως*, quod ut solum inter multa eius viri scripta superest, ita satis magno argumento est, non tam scite quam vere Tertullianum de Irenaeo dixisse: curiosissimum omnium doctrinarum exploratorem fuisse. In primo enim libro prolixe recenset Valentinianorum errores tetros et diabolicos de Diis, de Aeonum syzygiis, erroribus, numero. Subiungit narrationes de dissidiis haereticorum, et eorum haeresiarchis Simone Mago, Cerintho, Ebione, Menandro, Marco quodam, et aliis qui flagitiis et improbitate morum vitam moresque aliorum profanarunt, fermento suarum opinionum verbum Dei corruperuut, ritibus impuris sacramenta divinitus instituta violare aggressi sunt. Hisce subiungit in secundo libro *τὰ ἀποδεικτικὰ* de Deo uno, aeterno, vero, omnipotente, omniscio, *ἀπεριγράπτῳ*, extra quem nullus alius Deus, nullum prorsus numen est. Ostendit etiam non fictitium quendam Demiurgum, non angelos, sed Deum aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, una cum Filio unigenito (quem subinde *λόγον*, sermonem vocat Irenaeus, ut agnoscas doctrinae Ioannis evangelistae *σπουδαστήν*) et Spiritu sancto condidisse, et e nihilo produxisse amplissimum hoc mundi theatrum, angelos, homines et alias inferiorum ordinum creaturas. Deinde annectit refutationem dogmatum, quae a Gnosticis tradebantur de mundi primordiis, de Demiurgo, seu opifice et architecto universorum, de Aeonum ordinibus, de *μετενσωματώσει καὶ μετεμψυχώσει*. Probat autem Irenaeus, animas non modo immortales esse, sed etiam proprium characterem habere, ac convellit proteritque platonica somnia de caussis ignorantiae animae, Lethaeo videlicet poculo, humanoque corpore. In tertio libro qui partim est *πολεμικός*, partim vero *διηγητικός*, initio haereticos inexpiabilis flagitii, corruptae nimirum et detruncatae sanctae Scri-

pturae, reos peragit ac convincit; deinde perpetuum consensum prophetarum et apostolorum de Domino nostro Iesu Christo Deo et homine evidenter demonstrat. In quarto libro primum quidem perspicue et solidis argumentis probat unum esse Deum utriusque Testamenti, veteris, inquam, et novi auctorem, qui promulgata legis et evangelii doctrina toti humano generi, se voluntatemque suam et arcanum illud divinitatis decretum de restitutione et salute hominum resipiscentium per Dominum et Archipontificem Iesum Christum patefecerit. Deinde vero de viribus humanis et imperfectione nostra, aliisque, hisce quae dixi cognatis, fuse disputat. Ac tandem in quinto libro, quum plurima ex superioribus repetivisset et comprobasset, accedit ad refutandam Gnosticorum *ματαιολογίαν* de corporum humanorum exitio perpetuo: *πανωλεθρίαν* enim corporum illi introducebant. Prolixe igitur et sapienter monet probatque Irenaeus, non tantum corpora resuscitaturum esse Christum in secundo et illustri suo adventu, sed etiam sanctorum corpora Dei templa futura in aeterna vita, et una cum animabus salvanda esse. Atque haec paucis *καὶ σαφέστερον* monere visum est, ut cordati lectores viderent duo esse praecipua disputationum Irenaei *κεφάλαια*, Deum videlicet et hominem, et quid de hisce piis mentibus (quibus gravissima iudicia veteris ecclesiae antistitum de tantis rebus gratissima esse consueverunt) sit statuendum. Etsi autem in his Irenaei nostri lucubrationibus non desunt salebrae et naevi quidam de libero hominis arbitrio, de tempore quo Christus inter homines visibiliter conversans docuit, de diabolis, deque paucis aliis, tamen quum de iis Erasmus pro sua sapientia in argumentis librorum gravissime admonuerit legentes, non est animus post Homerum Iliada canere et erratis Irenaei *ἀκριβολογεῖν*. Tantum hoc monere libet, magnas fuisse caussas, cur post Des. Erasmum Roterodamum summo iudicio virum, ipse quoque Irenaei libros emaculandos et pro virili illustrandos in manus sumerem. Praestitit Erasmus, ut in aliis plurimis scriptoribus, ita quoque in Irenaeo operam se dignam, hoc est longe maximam. Primus perfregit glaciem, superavit difficultates et veluti syrtes et scopulos, nobisque viam aperuit, sic tamen ut sibi nondum satisfaceret et quum de lingua qua usus esset Irenaeus subdubitaret, non admodum probaret hanc, qua necessario, quum graecum exemplar non exstet, in posterioribus libris utimur, conversionem latinam, propterea quod et obscura esset et non necessariis Hellenismis scateret undique. Factum autem est singulari beneficio Dei studioque bonorum et eruditorum quorumdam virorum, ut postquam apud superos agere coepit Erasmus, prodiret in lucem Epiphanii episcopi Constantiae Cypri eximium opus contra octoginta haereses, in quo quum multa ad verbum ex Irenaei libris descripta exstarent, maximam libri primi partem ex Epiphanio restituere et multo meliore Iani Cornarii versione uti nobis licuit. Deinde quum ineptissimae et plerumque *οὐδὲν πρὸς ἔπος* facientes summulae et libris et capitibus praefixae, errorum potius quam scopi praemonstratrices, exstarent in hoc opere, illis maxima ex parte sublatis, breves *περιοχὰς* capitum adieci, ut de consilio Irenaei ac disputationum statibus commonefacerem legentes. Postremo totum opus recognitum, a mendis non paucis vindicatum, cum aliis exemplaribus contuli, variam lectionem notavi in margine, ac *σχη-*

ματισμῷ involutam et monstrosam de XXX saeculis *δολομανίαν* illustriorem reddere studui. Haec qui attente considerabunt et editionem hancce nostram cum aliis conferre non gravabuntur, facile opinor dabunt, et sine praeiudicio Erasmiani nominis, et cum fructu aliquo theologiae candidatorum susceptam, et quod vulgo aiunt, ad umbilicum deductam esse Irenaei scriptorum recognitionem.

Cogitanti autem mihi cui tandem egregio virtutum et eruditionis patrono *καὶ βραβευτῇ* Irenaei vetustissimi scriptoris insigne hoc volumen non tam offerrem defendendum (neque enim Irenaeus defensione opus habet, ut quem nemo bonus non amet, nemo malus in Christo quiescentem *τῇ σκιαμαχίᾳ* laedere potest) quam legendum, commodum evenit ut vir clarissimus D. Doctor Isaacus Keller, medici vestri collegii ac praecipue urbis vestrae ornamentum, caussa *φιλοφροσύνης* cuiusdam admodum religiosae me conveniens, certiorque de Irenaei librorum editione factus, modis omnibus me hortaretur, ut testandi mei erga praestantiam tuam studii ergo, tibi, D. Bernarde Brande vir praestantissime, Irenaei nobile hoc opus dedicarem. Eius igitur consilium secutus, veteris et apostolicae ecclesiae veluti confessionem ab Irenaeo conscriptam, et mendaciis ac erroribus Gnosticorum oppositam, tibi offero et nominatim consecro, non tantum ut optimi et amicissimi viri iudicio voluntatique satisfaciam, verum etiam ut tibi exhibeam *καλὴν παρακαταθήκην*, hoc est egregium depositum, ac formam sanorum sermonum, quam te, pro excellente tua pietate et prudentia, cum iudicio perlegere et ad usum transferre posse non dubito. Sciebam in hoc libro exstare veteris ecclesiae iudicia et cogitationes de Deo, homine, baptismo, eucharistia, sacris litteris, vita aeterna, et de aliis doctrinae caelestis capitibus, quorum cognitio piis mentibus grata et salutaris est. Iudicabam quoque virtutes tuas dignissimas esse omnium bonorum virorum congratulatione, applausu et testimoniis eiuscemodi publicis, quae tametsi a pluribus auctoritate, ingenio et sapientia praestantibus proficisci debent, nec tuae praestantiae hactenus defuerunt, ut nostra *τὰ ἐξωτερικὰ ἐλόγια* non admodum necessaria videri possint: nihil tamen vetat, quominus ipse quoque testatum faciam, quanti te faciant nostri homines, nequaquam a Musis et Gratiis alieni, quantum sibi et gratulentur et polliceantur de tua virtute et sapientia. Quum praecipua hominis vere generosi et ad patriae suae utilitatem nati officia sint rempublicam consiliis moderari, et vera animi fortitudine administrare, et iuvare, studia doctrinae tueri adversus imperitos *μισομούσους*, provehere et alere pia studia docentium et discentium; tu amplissimae reipublicae basileensi (in qua magno cum fructu ecclesiae et reipublicae Tribunitia potestate et auctoritate polles) vigilantia, fide, consiliis, industria, vera animi magnitudine et constantia nusquam dees: academiam vero basileensem, sempiternum et incomparabile regiae urbis vestrae decus, in cuius gremio et complexu, liberalium disciplinarum, veteris historiae, linguarum et iuris civilis cognitionem usumque magnum tibi comparavisti, posteaque reipublicae gubernacula moderanda suscepisti, amore et patrocinio tuo, professores vero omnium ordinum et facultatum benevolentia et liberalitate ea prosequeris, qua digni sunt viri ingenio, virtutibus, sapientia et omni ornamentorum genere praestantissimi. Haec

nimirum caussa est, propter quam sicut olim Darium Persarum regem ferunt, tot Zopyros optavisse, quot grana in punicis malis conspiciuntur: ita optimi quique viri et apud vos, et in vicinia inclitae urbis vestrae, multos Theodoros et Bernardos Brandos Basileae vestrae a Deo aeterno comprecentur, et sibi gratulentur, quod ea quae superioribus annis reipublicae basileensi decesserunt, defuncto hac vita patriae patre et consule prudentissimo D. Theodoro Brando parente tuae praestantiae, ea omnia, Dei beneficio singulari, abunde in filio, non tantum facultatum, sed etiam virtutum paternarum herede, compensata esse intelligant, Deumque optimum et maximum celebrent, quod opera tua et aliorum gravissimorum virorum, ac in primis adfinis tui D. Henrici Petri, viri de republica vestra, et de re litteraria praeclare meriti non tantum *εὐνομίαν*, societatem et tranquillitatem politicam, iudicia, leges, civium concordiam, urbis decus et libertatem, sed etiam sanctissima studia et optimas artes, in quibus grata de Deo fama sparsa est, fovere, moderari, tueri et velut praeclaram quandam spartam, dignam in qua exornanda boni viri laborent, ad posteritatem transmittere dignatur. Faxit Dominus noster Iesus Christus, ut haec reipublicae et ecclesiae bona et ornamenta diuturna sint, et cum aliis politiis, academiis, et Christi ecclesiis communia. Bene vale, perpetuum patriae tuae ornamentum, et Irenaeum optimum scriptorem in familiam fidemque tuam *εὐτυχῶς* et sereno vultu suscipito. Scripsi Kal. Aprilis 1571.

IACOBI BILLII

DE SUA PRIORUM 18. (21.) IRENAEI CAPITUM TRANSLATIONE SUISQUE IN EADEM SCHOLIIS ADMONITIO.

Etsi veteres graecorum theologorum interpretes magna ex parte, dum verbum verbo reddere student, non satis eleganter quod volunt exprimunt, immo etiam plerumque graeca non assequuntur: tamen eos vel hoc uno nomine non prorsus repudiandos et aspernandos esse semper iudicavi, quod innumerabiles maculas, quae typographorum negligentia optimos quosque auctores occuparunt, consultis illis promtissime deleri posse persaepe sum expertus. Qua quidem in sententia si is quoque fuisset, qui octodecim haec prima D. Irenaei capita non ita pridem latinitate donavit, non tam turpiter et flagitiose tot locis lapsus fuisset: idque potius studuisset, ut ex emendatis latinis depravata graeca, quam ex corruptis graecis emendata latina corrigeret. Quod quoniam facere neglexit, ego amico cuidam, ut ea denuo verterem a me postulanti, hanc qualemcumque operam denegare non potui. Brevissima etiam scholia adieci, ex quibus proclive, ni fallor, erit intelligere, me non temere multa paullo aliter, atque apud Epiphanium habentur, interpretari. Vale, christiane lector, et his fruere.

FRANCISCI FEUARDENTII

COMMONITIO AD LECTORES DE SUA QUINQUE LIBRORUM D. IRENAEI EDITIONE.

En beatissimi patris et martyris Irenaei quinque libros, denuo collatos, emendatos et locupletatos nova editione, in publicam studiosorum utilitatem emittimus. Quos etsi quidam adhuc subdubitent, graece ab auctore eleganter, idque ante mille et quadringentos annos, conscriptos, et in rem totius ecclesiae catholicae vulgatos fuisse; non dubitamus tamen id cunctis persuasum iri, qui tot longa egregiaque fragmenta, que ex Epiphanio, Eusebio, Theodoreto et aliis graece ad verbum ex auctore transscripta et scriptis suis quondam inserta, et a nobis opportunis locis recitata, ac velut postliminio eidem restituta, attentis animis expenderint. Accedit gravissimum D. Hieronymi [1]) testimonium, qui graecis librorum inscriptionibus ab auctore editis, et a superioribus patribus probatis, *Ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως βιβλία πέντε, Reprehensionis ac eversionis falso nominatae scientiae libri quinque*, aliisque permotus rationibus eum inter scriptores graecos annumerat, et graece scripsisse non ambigit. Accedunt phrasis plane graeca, innumerae dictiones formaeque loquendi Latinis non usitatae; graeci auctores tam divini quam humani persaepe ad verbum citati, numquam vero latini: ut etiam a Graecis frequenter citetur, raro a Latinis. Testantur denique nonnulli pii et docti viri, se graecum exemplar in venetiana bibliotheca legisse; alii quoque in vaticana visum ferunt: quae tamen ibi postea frustra quaesita sint.

De primo horum librorum interprete nondum satis mihi apparet, quid pro certo statuam, quum nullus ad hoc usque tempus illum, quod sciam, indicaverit. Si de re tam ancipite et obscura sententiam ferre licuerit, citra cuiusquam animi offensionem lubens affirmem, auctorem et interpretem eumdem esse, qui quod graece pereleganter et scienter primo scripserit, latine postea, non pari licet sermonis felicitate et lepore, Latinis, inter quos versabatur, impertiverit. Quidni, quum et Tertullianus eidem fere aequalis graeco latioque sermone stilum exercuerit? Athanasius quoque, ac plurimi alii religionis nostrae proceres, utraque lingua non pauca ediderint? Sic enim et horum librorum auctoritas nulla parte vacillabit; sed erit semper augustior et firmior: et quod de se ipso ait, quod in barbara lingua (nam sola graeca ei nativa et propria erat) inter Celtas degens, plurimam operam collocaret (sic!), apertius evadet. Nec parum sententiam istam confirmant duo citati per D. Augustinum ex hoc auctore loci, eadem fere, quae hactenus prodiit, vetustissima certe tralatione. Aut profecto presbyterum quemdam ad manum Irenaeus habuit, qui eius iussu de verbo ad verbum coram, latinae orationis splendore artificioque neglecto, transtulerit; aut, ut idem de scripto suo testatur, *ἁπλῶς καὶ ἀληθῶς καὶ ἰδιωτικῶς*, id est, simpliciter et vere ac vulgari tunc inter Latinos sermone auctoris fideliter expresserit. Qui firmioribus coniecturis aut testimoniis certioribus productis, alium primumque interpretem indicaverit, nos sibi magno bene-

1) Comm. in cap. 36 Ezech.

ficio gratos et devinctos habebit. Atque haec de sermonis genere ac interprete dicta sint: nunc quid hac potissimum editione novissima praestitum sit, accipe.

Libri primi decem et octo priora capita ab Epiphanio quondam ad verbum ex Irenaeo graece transscripta; deinde ex Eusebio fragmenta viginti et duo; ex Theodoreto quatuordecim, ex Basilio duo, ex Melissa totidem, unum ex Anastasio Nicaeno suis locis graece, prout ab Irenaeo primum descripta, hinc ab his patribus laudata fuerunt, typis evulganda curavimus. Deinde ad finem operis sex alia ex diversis eiusdem Irenaei operibus fragmenta, ex auctore Quaest. et responsionum ad Orthodoxos apud Iustinum Martyrem, Eusebio et Demetrio Diacopo collecta graece subiecimus: et tam illa, quam ista maiori parte a laudatissimo viro Iacobo Billio, reliqua a doctiss. interpretibus Ioan. Christophorsono, Herveto, Erasmo, Fabro latine reddita, quam decenti fieri potuit ordine collocavimus. Superiora decem et octo libri primi capita graeca idem Billius scholiis, deinde R. P. Fronto Ducaeus, Societatis Iesu tam pius quam doctus theologus, suis notis ad Epiphanii graeca exemplaria contulerunt, emendarunt, et illustrarunt. Nos quoque non solum ad illa, sed ad singula librorum capita et adiecta de novo fragmenta annotationes locupletissimas addidimus, quibus emendationum rationes reddimus, obscuriora et ambigua plurima loca, multasque graecas, et Latinis minus usitatas phrases explicamus, et quidquid ad ecclesiae catholicae doctrinam, hierarchiam, ritus, fidemque confirmandam, et antiquas novasque haereses refellendas pertinere deprehendimus; denique quod expunctum vel immutatum a nobis est, ne quid iniuria sublatum sibi quiritentur aliqui, retinemus et observamus. Accessit quoque editioni cum vaticano manuscripto Codice nova collatio, cuius, praesertim vero per illustrem ac eruditum D. Ioannem Sant-Andreanum ecclesiae parisiensis canonicum, nobis pridem commodati codicis veteris attentiore lectione et meditatione, adhuc supra sexcentos locos emendatiores reddidimus. Addita duabus clausulis, nonnumquam unica, et numero quodam signamus: variis adhuc quibusdam lectionibus asteriscis in margine notatis. Ad haec, beatissimi et vere apostolici viri Polycarpi, episcopi smyrnensis et martyris, quinque non aspernanda fragmenta ante mille et centum annos a Victore Capuano citata, et Latio donata, a nobis vero in vetustissimo codice reperta et transscripta convenienti sede locavimus. Irenaei nostri ex sanctis patribus collecta encomia, et recentium haereticorum imposturis, maledictis, et in hunc sanctissimum auctorem nostrum confictis criminationibus, post auctoris vitam a nobis tam ex scriptis eius, quam ex aliis scriptis ac historia eccles. fideliter collectam, operis initio praefiximus: sicut ad finem totius operis locupletissimos indices in lectorum commodiorem usum subiungendos curavimus. Denique Leodii, in monasterio S. Jacobi memoriae sacro, repertum a nobis Arnobii catholici cum Serapione Aegyptio Conflictum, utcumque per nos emendatum et annotatum, ac nunquam antea typis publicatum, communi studiosorum utilitati iudicavimus esse communicandum. Multas, fateor, dictiones et phrases minus latinas, hiulcas adhuc sententias et periodos, adeoque non paucos adhuc locos in utroque auctore luxatos, imperfectos et obscuros a nobis relictos invenire licebit; tum quod plurium ac

emendatiorum codicum auxilio destituti fuimus, tum quod tam veteribus ac sanctis patribus manum temere inferre religio fuit. Ceterum haec solo natali, et quod longe molestius est, musaeo ac nostra bibliotheca exacti, solumque nunc ab illis, mox ab istis commodato inter peregrinandum acceptis libris adiuti contexuimus, et in publicam studiosorum utilitatem emittimus; quae quum acceperint candidi lectores, et his nostris qualibuscumque laboribus fruiti fuerint, studiis nostris bene favere, ac praesertim nostram salutem suis precibus apud communem salvatorem ac iudicem nostrum D. Iesum Christum commendare, rogo et obsecro, non recusent.

VITA S. IRENAEI

EPISCOPI ET MARTYRIS EX ILLIUS ET ALIORUM PATRUM SCRIPTIS COLLECTA PER F. FRANCISCUM FEUARDENTIUM.

D. Irenaei episcopi lugdunensis ac martyris patriam, parentes, natalem diem et locum habitationis aetatis initio conscribere et pro certo ac explorato nunc exhibere, difficile sane et operosum fuerit: praesertim quum nulli antiquorum, quod sciam, ea litteris prodiderint. Vitae genus et mores supremus dies indicat. Gallum quidem ipsum vocat Oecumenius [1]), sed eum functionem episcopi in Gallia respexisse potius, quam natale solum, lubens admitterem: nam quantum coniectura consequi possum, Asianus, non Gallus, Graecus, non Latinus, et forte Smyrnaeus fuit, piis et christianis parentibus ortus. Qui enim a Galliis Smyrnam Asiae minoris oppidum profectus peragratis Cycladibus totum mare Aegaeum parvulus traiecisset, quo Polycarpum illic docentem audiret? Opinionem nostram videtur confirmare nomen graecum *Εἰρηναῖος*, pro more catholico in sacro fonte ei inditum; quod latine expressum *pacificum* significat Porro ipsum scripsisse graece non solum ex Iustini martyris, Demetrii, Eusebii, Basilii, Epiphanii, Hieronymi, Theodoreti, Melissae, Anastasii et Damasceni scriptis colligere licet: verum et illius quoque opera id manifestissime testantur, sic ut nihil certius esse constet.

Optimis a pueritia philosophiae disciplinis et artibus praeclare fuisse institutum et imbutum, ostendunt subtiles abstrusarum haereseon investigationes, quibus res perobscuras et confusas summa perspicuitate et electione in lucem producit et repraesentat; acutae item et acres disputationes idem probant, quibus eos refutat. Praeterea ordo rerum tractandarum, quo singulis libris praefationes singulas praefigit; anacephalaeoses etiam illae superiorum et subsequentium hypotheses, demum quod quatuor postremis libris nunc haereses easdem pugnantia inter se continere, nunc apertis rationibus atque traditionibus universarum ecclesiarum adversari commonstrat: et partim a prophetarum vaticiniis, par m apostolorum et evangelistarum testimoniis ductis argumentis (hae-

1) Ad 2 Petr. c. 3.

reses), quas libro primo recensuit, tanquam machinis admotis expugnat, hominem dicendi ac disserendi arte peritum planeque philosophum demonstrant. Omnem dubitationem huius rei tollit Cap. 19. libri secundi, in quo fallacibus argumentis exacto iudicio semel expulsis et reiectis, evincit errores omnes quos impugnat ex veterum philosophorum atque poetarum placitis et fabulis, immutatis tantum nomenclaturis, petitos esse: quae res omnibus satis pro testimonio esse debet, quam accurate diligenterque Thaletis, Anaximandri, Anaxagorae, Democriti, Empedoclis, Platonis, Aristotelis aliorumque veteris philosophiae auctorum libros evolverit. Idem de tragicis, comicis et lyricis poetis intelligendum, quando illorum exclamationibus, proverbiis et exemplis saepe et apposite utatur; istorum versus hinc inde decerptos in concinnos centones pro re nata consuat atque adaptet. Merito igitur eas ob res Tertullianus eum omnium doctrinarum curiosissimum exploratorem appellat.

Sed quia praeclarum organum ecclesiae suae Deus ex hoc puero formare decreverat, huius mentem Spiritus sanctus flectit, pectus sancto amore inflammat, ut sanctarum litterarum desiderio ardeat mireque earum studio delectetur. Polycarpi ergo venerandae antiquitatis viri, qui non tantum Ioannis evangelistae auditor, sed et aliis apostolis et discipulis, qui Christum in carne viderant, familiariter usus fuerat, ex quorum viva voce tamquam purissimo fonte doctrinam pietatis nostrae hauserat, scholam quasi pulcherrimam omnium virtutum officinam petit, Polycarpoque instituendum se tradit et penitus informandum. Iuvenis alacritate simul et pietate valde delectatum senem toto pectore gratias Deo egisse mihi persuaserim, quod ecclesiae suae instrumenta futura praepararet, et ad usus utilissimos et amplissimos deinceps idoneos magna solertia redderet. Polycarpo dein sive publice Scripturas mira ingenii dexteritate pertractanti, sive privatim difficiliores quaestiones explicanti ac dissolventi, Irenaeus se benevolum et attentum auditorem praebet; et incredibili discendi cupiditate annis pietateque gravem ac observandum praeceptorem audit, admiratur, ab huius ore omnino pendet, perinde atque si ab apostoli vel Christi coelestem doctrinam sibi dictitantis excipiat: dicta et facta tanti viri sic intimo pectori committit atque adeo insculpit, ut nihil eorum per totam vitam praetermissum fuerit, quin expleverit. Haec ita se habere comprobant ea, quae idem refert Irenaeus epistola ad Florinum,[1]) quem in schola Polycarpi socium offenderat, sed iam ad haereses delapsum. Locum, ait, in quo assidebat Polycarpus quum dissereret, illius eo adventum et introitum, formam et modum vitae, corporis effigiem, disceptationes ac sermones quos apud multitudinem habebat, et ut necessitudinem ac vitae usum cum Ioanne et reliquis qui ipsum Dominum vidissent, se habuisse narraret, et quo pacto memoraret eorum sermones; quin etiam quaenam ab illis de Domino audivisset; quomodo de miraculis eius ac virtutibus et de doctrina denique sicut ab illis qui fuissent suis oculis Verbum vitae conspicati, Scripturis vere consentientia narraret, videar mihi posse rite percensere. Haec eo tempore per Dei misericordiam, quam erga me ostendebat, studiose et attente audiebam, atque non chartae et litteris, sed interioris

1) Euseb. h. e. V, 19.

mentis cogitationi mandabam et perpetuo Dei iuvante gratia, ingenue et exquisite recordatione renovo. Hactenus ille.

Nec Polycarpi modo sed et Papiae Hierapolitani episcopi et Ioannis Ephesii et Aristonis et consimilium aliquot apostolicorum virorum et cooperariorum discipulus fuit. Insuper, et si qui ex apostolorum auditoribus alicubi adventarent aut haererent, qui donis illis singularibus, quibus ad eius usque aetatem claruit ecclesia, essent illustres apostolosque referrent, iis omnibus se adiungebat: quo fidei et pietatis maiorem accessionem faceret, et confidentius postea contradicentibus sese opponeret. Quòd ex animi sententia magno totius ecclesiae commodo contigisse sibi ipse his verbis locupletissimus testis est[1]): Plurimum abest ut haeretici possint mortuum suscitare sicut Dominus ipse, sicut eius apostoli praedicationis subsidio adiuti, sicut alii e fratribus complures suscitarunt. Saepenumero autem aliqua de caussa necessaria illud ipsum postulante, spiritus mortui (propterea quod tota ecclesia illius loci ubi eiusmodi res gerebatur, cum ieiunio et multa intercessione Deum orabat) in corpus rediit et hominis vita sanctorum precibus donata est. Et rursus: Qui vere sunt Christi discipuli, in nomine illius per gratiam ab illo acceptam eiusmodi praestant, quo reliquis hominibus gratificentur, sicut quisque eorum ab eo donum acceperit. Quidam enim daemones sic pro certo et vere eiiciunt, ut non raro ii qui malis et nequam spiritibus purgati fuerint, tum fidem recipiant, tum in ecclesia et fidelium hominum societate constanter perseverent. Nonnulli rerum futurarum praescientia, divina visione et praedicatione prophetica imbuuntur: alii eos qui gravibus morbis afflictantur per manuum impositionem curant, et ad pristinam valetudinem restituunt[2]). Jam vero, ut diximus, mortui suscitati sunt, et multos annos post apud nos commorati. Quid plura? Dona sane nec dicendo quidem numerari poterunt, quae Deus ecclesiae per universum mundum diffusae donavit, quibusque illa in nomine Iesu Christi sub Pontio Pilato crucifixi, in dies singulos multa miracula ad gentium utilitatem efficit. Iterum alibi planius et apertius[3]): Multos fratres in ecclesia ipsi audivimus, qui et dona prophetiae habent, et variis linguis per Spiritus sancti gratiam loquuntur, et occulta hominum in apertum proferunt ad aliorum commoditatem, et mysteria Dei perspicue et evidenter aperiunt. Inde porro factum est, ut idem ab Epiphanio, Hieronymo et aliis vir apostolicorum temporum et apostolorum successor passim appelletur. Atque haec de eius ortu, adolescentia, institutione partim ex patribus certa partim ex coniecturis dicta sunto: nunc functiones explicemus.

In ecclesia lugdunensi (quae civitas est in Gallia celebris, cuius populum iam inde a tempore apostolorum, pietatis christianae amantissimum et adversus haereses aetate nostra propugnatorem acerrimum se praestitisse palam est) munus presbyterii gessit. Quod ipsemet subindicat prooemio Lib. I. quum dicat, se inter Celtas commorari; et alibi, Rhodanensem regionem se incolere. In hanc Galliae partem a B. Poly-

1) Adv. haer. II, 31, 2. Eus. h. e. V, 7. 2) Euseb. l. l.
3) Epiph. haer. 24. Hier. in Ez. c. 36.

carpo legatum testis est Gregor. Turonensis [1]). Unde apparet vehementissimum aetatis illius pastorum studium, qui omnes Christi gloriae et saluti hominum tantum incumberent: nostris contra omne ius et fas, Christo et salute gregis sui neglectis, multis sacerdotiis comparandis et coacervandis aulaeque omnium improbitatum officinae, etiam contentiose inhiantibus ac incumbentibus. Quanta autem fide et sedulitate presbyterii seu sacerdotii sui partes omnes obierit, facile est iudicare. Huius prima pars est Christi corpus sacro ore (verbis Hier. utor) conficere [2]): idemque rationali ac incruento sacrificio Deo oblatum, creditis sibi populis distribuere, id quod magna diligentia et religione se praestitisse hunc in modum de eucharistia disserens affirmat [3]): Oportet nos oblationem Deo facere, et in omnibus gratos inveniri fabricatori Deo, in sententia pura et fide sine hypocrisi, in spe firma, in dilectione fervenți. Et postea [4]): Offerimus enim ei quae sunt eius, congruenter communicationem et unitatem praedicantes carnis et spiritus. Quemadmodum enim qui est a terra panis, percipiens invocationem Dei, (en consecratio) iam non communis panis est, sed eucharistia ex duabus rebus constans, terrena et coelesti, sed gratias agentes dominationi eius etc. Et iterum [5]): Ipsum Verbum dedit populo praeceptum faciendarum oblationum, quamvis non indigeret eis, ut disceret Deo servire: sic et ideo nos quoque offerre vult (en oblatio) munus ad altare frequenter sine intermissione. Eadem repetit lib. 5 cap. 2. Quantum autem studii et diligentiae adhibuerit ad praedicationem evangelii et conservationem disciplinae et pacis ecclesiasticae, quibus alias sacerdotii partes complectimur, sub venerandae pietatis et antiquitatis viro Photino, postea martyre, ex veteribus nunc accipiendum.

Ab hoc itaque venerando sene in partem sollicitudinis assumptus, vitae ac doctrinae tam admirabili virtute, ait Gregorius Turonensis [6]), Lugduni enituit, ut in brevi temporis spatio, praedicatione sua maxime civitatem christianam universam effecerit. At tam prosperis successibus invidens inimicus, duplici excitata calamitate felicitatem hanc interturbare studuit: quando et atroci immanique gentilium persecutione viennensem ac lugdunensem clarissimas Galliarum ecclesias infestavit [7]): et Asiae Phrygiaeque iisdem pia doctrinae ac fidei consensione coniunctissimas, Montani, Alcibiadis, Theodoti et Maximillae confictis prophetiis, spurcissimis autem haeresibus commaculare et dissipare conatus est. Solliciti ergo de fratrum salute Galli amplissimas et de rebus, quae apud se gerebantur, martyrum epistolas et privatum iudicium suum, idque, inquit Eusebius, prudens et rectum cumprimis de Montanistarum opinionibus in Asiam transmittere constituerunt. Nec modo, verum etiam Eleuthero episcopo romano (quem vehementer rogabant, ut pax et concordia in ecclesiis constitueretur) litteras exararunt, et iisdem epistolis fratribus in Asia et Phrygia destinatis adiecerunt. Quis vero tam sancta, gravi duplicique legatione dignius fungeretur praeter unum Irenaeum, quem ad omnem laborem omneque periculum pro Christo et eius ecclesia subeundum promptissimum cognoverant? Hic itaque a Photino,

1) Lib. I. c. 9 et 29. 2) Hier. ep. ad. Heliod. 3) adv. haer. IV, 18. 4.
4) Iren. l. l. §. 5. 5) Iren. l. l. §. 6. 6) Hist. Franc. I. 29. 7) Eus. h. e. V, 1—3.

aliisque ecclesiarum Galliae proceribus, et martyribus adhuc in carcere constitutis, rogatus, ob quasdam ecclesiae quaestiones, ait Hieronymus,[1]) legatus Romam missus, honorificas super nomine suo ad Eleutherum perfert litteras, pontificem de dubiis consulit, iudicium Gallorum de Montanistis ab eodem probandum et firmandum communicat rebusque sic ex animo Romae compositis, in Asiam patriam suam alacer proficiscitur afflictas et perturbatas illic ecclesias sua simul praesentia et doctrina Occidentaliumque sedis apostolicae sententia confirmato iudicio consolaturus et in recepta semel fide catholica contra novarum haereseon figmenta firmaturus et asserturus. Quod non solum vir totus Deo addictus magna cum laude ac ecclesiarum Orientis utilitate praestitit, verum etiam his et aliis de rebus fidei congregato in Caesarea Palaestinae concilio interfuit, ut ex priscorum monumentis Nauclerus, Vincentius Bellovacensis et Hugo Floriacensis[2]) memoriae tradiderunt.

Ex quibus efficitur, non esse satis firmum ad praepediendam Irenaei nostri ad Asianos legationem Baronii argumentum, quod nulla penes Eusebium[3]), Hieronymum vel alium antiquorum quempiam huius mentio sit, quum etiam Eusebius scribat, martyres litteras suas ad Eleutherum, epistolis ad Asianos adiectas, eidem Irenaeo perferendas tradidisse, nullusque alterius legati meminerit. Oportet ergo aut hunc legatum in Asiam profectum fuisse, aut nullum, quod nemo dixerit. Non fuit igitur illa Irenaei in Asiam profectio in contentionem revocanda: aut Feuardentius ob eius assertionem notandus. Quantum vero temporis in conficienda huiusmodi duplici legatione consumpserit, aut quot anni, antequam Lugdunum repeteret, effluxerint, definite distincteque ex veteribus affirmare non possumus. Veruntamen constat, eum, quum Photinus nonagenarius una cum aliis in Gallia martyribus ex hac vita migrasset, a legatione redeuntem ecclesiae lugdunensis episcopatum sumsisse.

Initium autem administrationis eius fuit grave, insedatum et turbulentum, quoniam aut partem ecclesiae persecutionis rabies vel longe dissiparat, vel absumserat, vel certe deiecerat; hostes feri nimis et immanes adhuc undique imminebant, quando imperator homo stoicus et a primis annis in Saliorum sacrificulorum collegio educatus, ob idque Christianis durior, quartae persecutionis a Nerone edicta necdum penitus revocarat. In tanto igitur ecclesiae naufragio colligendo, ac reficienda salute communi, ad pristinumque statum et auctiorem disciplina restituenda, omnia reperientur Irenaei dicta, facta, consilia versata. Haudquaquam enim ex eorum numero erat, quos videmus in proelio cervos, in pace leones. Nam orando, praedicando, instando opportune et importune hunc instituit et Deum docet, alium arguit, alium observat, alium urget et increpat in omni patientia et doctrina. Quod perierat ex grege, conquirit, quod amissum et abiectum, reducit, quod confractum, cogit et religat, quod infirmum, confirmat et corroborat, quod firmum et solidum, tale custodit. Tanta vitae integritate ac sinceritate doctrinae collecto gregi is praesidet, ut ametur a suis, et ab exteris merito suspiciatur. Rem ecclesiasticam iam fere proclinatam maxime iuvit tranquillitas illa, quae obvenit universis Christianis circa finem imperii Marci

1) In Cat. Script. eccl. 2) Lib. II. spec. hist. c. 124 in Chronic. 3) Hist. eccl. V, 4.

Antonini Veri, qui apologiis Melitonis, Apollinarii, Athenagorae, Iustini et Dei misericordia fletuque Christianorum assiduo commotus, bello denique Marcomanico miraculosae pluviae beneficio precibus militum Christianorum impetrato perfractus et victus, edictis publicatis Christianos cum omni fiducia et securitate conventus suos facere, concilia per provincias habere, per totum imperium libere peregrinari et palam quemvis erudire passus est: idque grave accusatoribus indicto supplicio. Commodus Antonino succedens, quamvis aliis in rebus, quas gessit, incommodus fuerit, nullam tamen in Christianos persecutionem movit, sed a patre pace concessa feliciter frui permisit.

At saluti hominum infestissimus hostis et zizaniorum ille sator, aliis artibus pacem ecclesiae perturbare et doctrinam labefactare conatus, Valentinianos et alios Gnosticos etiam in Gallias usque introduxit[1]), qui, serpentum more paulatim irrepentes, haereseon suarum veneno multos inficerent, praecipue claras, illustres, nec non et opulentas matronas Rhodanenses (quemadmodum usu venire solet, tritumque et familiare iam inde ab orbe condito cunctis haereticis est, ut aut luxuriae et avaritiae ergo, aut utriusque simul in quodvis hominum genus insidias semper intendant) cuiusdam Marci magi et scortatoris impurissimi opera, suis praestigiis fascinarent et corrumperent. Hic viribus opus fuit et pectore firmo. Pervigil igitur pastor Irenaeus in hac quasi universae Galliae specula positus, quantum potest animo excubat, vigilat pro omnibus, vix quietem capit, unde prodeant, quo iter faciant hostes, in quos proruant, quibus armis et artibus instructi sint, quid moliantur, deprehendat; ut signo dato, suas imprimis oves, dein alias, denique omnes, uti sibi diligenter caveant, praemoneat et cohortetur; sicque a contagio pestilentissimo tum doctrinam, tum animas Christi sanguine redemtas fortiter excellenterque vindicet. Qua in re quos labores pertulerit, quamque formam quemvis eliciendi, docendi et disciplinae tradendae secutus sit, quosve ad meliorem frugem revocarit, testantur eius opera, testantur publicae resipiscentium exomologeses, testantur et martyrum greges, quos una cum eo pietatis gratia nulla interposita mora mortem oppetiisse statim audiemus.

Praesidiis relictis satis firmis locoque munito, fidei hostibus vel fugatis vel repressis, operae pretium existimavit aliarum ecclesiarum pastoribus vigiliis et scriptis suis suppetias ferre. Et quoniam multiplices haeretici iamiam Romam confluxerant, nimirum Blastus, qui praetextu ritus Paschatis Iudaismum in ecclesiam inducere cogitabat; Florinus, qui Deum mali auctorem cum Valentini fabulis praedicabat, aliique complures[2]) ardeliones, qui non paucos ab ecclesiae complexu in suam sententiam paulatim pertrahebant, Irenaeus, idcirco coactus varias adversus eos scripsit atque misit epistolas; unam ad Blastum, quam inscripsit: De Schismate: et librum de Ogdoade, quem egregium commentarium vocat Hieronymus[3]). Florini autem doctrinam blasphemiae et impietatis convicit libro de Monarchia, sive quod Deus non sit auctor malorum. Postulationibus deinde sive praeceptis, ut ait, quorundam, sive mutua

1) Iren. adv. haer. I, 1 — 8. 2) Tert. de praesc. haer. Eus. h. e. V, 19.
3) Tert. de praesc. haer. Euseb. h. e. I. 19. Hier. in Cat.

dilectione permotus, omnes in universum haereses detegere simul et refellere quinque doctissimis libris constituit: quod ut facilius aggrederetur, sibi primum putavit illorum scripta contentioso studio pervolvenda; deinde crebris disputationibus cum eis manus conserere, quo, viribus cognitis et exploratis, nullo negotio postea pestifera scripta et dogmata aut propelleret aut perderet.[1]) Quod ei cum ingenti ecclesiae utilitate ex animi sententia successit: nam libro primo omnes veluti perniciosa monstra et crudeles feras (eius exempla et verba usurpamus) e suis lustris educit, ab omnibus perimendas; detractis ovium pellibus, lupos graves aperit persequendos; vafras vulpeculas et canes impuros exuviis regiis, id est aliquot Scripturarum locis detortis, absconditos, palam deridendos offert et fuste quatiendos foras. Aliis deinceps quatuor, variis et seriis congressionibus acutissime et fusissime refellit et damnat.

Tunc quoque notissimum illud dissidium de paschatis die adeo recruduit, ut in manifestum schisma erumpere ac inter Asiaticos et Europaeos contentionis proiectum pomum esse videretur. Asiatici[2]), quorum primas erat Polycrates Ephesius, ex antiqua patrum suorum traditione pertinaciter censebant more Iudaeorum decimo quarto die Lunae, in quemcunque diem hebdomadae incidisset, pascha celebrandum: quibus e regione se opponebat Victor romanus episcopus, docens ex principis apostolorum traditione et concilii Romae coacti determinatione, nonnisi dominico die, quo Salvator a mortuis surrexerat, ieiunium solvendum, festumque illud celebrandum[3]). Congregati ea de re in synodum Galliarum episcopi, quibus praeerat Irenaeus, Victoris partes uno animo sequuntur: coacta etiam sunt nonnulla in Oriente, Asia et Palaestina a sanctissimis episcopis concilia, in quibus romanae ecclesiae mos, ut vere apostolicus, imitandus comprobatur. Ecclesiae Ponti, Palma viro apostolico praeside, atque Achaiae praesidente Bachylo Corinthiorum praesule, B. Petri successorem sequendum omnes iudicant. Quibus permotus Victor huic liti finem semel (ut sibi videbatur) impositurus, plurimas minoris Asiae ecclesias cum aliis finitimis, tamquam alterius fidei, simul a communi unitate ecclesiae amputare cogitat, et in eas graviter per literas invectus, omnes fratres eam incolentes regionem a communione prorsus secludendos edicit[4]). At Irenaeus noluit tam funesti belli spectator otiosus haberi. Nam nominis sui appellationi pulchre respondens, concordiam inter ecclesias omni studio amplexandam, retinendam et propagandam ratus, nunc ad istos, mox ad alios plerosque episcopos litteras dirigit, dissidia compescit, alienatos animos conciliat, et ut externi ritus diversae observationes vinculum pacis et dilectionis non dissolvant, hortatur, rogat, obsecrat. Hinc episcopi romani praeceps consilium ceteris omnibus, etsi cum eo de re controversa sentirent, non placet, sed improbatur. Inter quos Irenaeus gravissimis ad eum suo et fratrum, quibus praeerat, nomine scriptis et directis litteris, hominem graviter et acerbe coarguit, gallica sanctaque libertate obiurgat, et magnopere adhortatur, ut pacis, concordiae et caritatis erga proximos diligentiorem et circumspectiorem curam haberet: atque Aniceti et Polycarpi

1) Praef. in lib. I. adv. haer. I, 30 et 31. 2) Eus. h. e. V, 22 et 23. 3) Eus. h. e. V, 22. 4) Eus. h. e. V, 24.

exemplo proposito, et multis ac gravibus aliis argumentis, ab abscindendis de corpore Christi tam illustribus ecclesiis virum omnino deterret ac revocat: sicque post turbulentam tempestatem, quae christianas ecclesias iactaverat, magna tranquillitas et serenitas subsecuta est.

Tum vir piissimus toto conatu studens acquisitas iam Christo animas retinere: ne posthac omni vento doctrinae circumferrentur, sed in ea quam apostoli tradiderant constanter perseverarent, librum edidit, in quo apostolicae praedicationis modum et rationem exponit, eumque fratri cuidam Martiano dedicavit[1]). Librum rursus alium de disciplina: item librum *Διαλέξεων διαφόρων*, id est, de variarum rerum disquisitione, in quo tum epistolae ad Hebraeos, tum libri Sapientiae mentionem facit, certaque testimonia ab eisdem depromta citat, ad ecclesiae informationem. Nec satis illi fuit Lugduni magnum Christo gregem consecrasse et devovisse, verum ut et gentes finitimas multorum Deorum erroribus adhuc implicatas, evangelicae gratiae faceret participes, Ferreolum presbyterum et Ferrutionem diaconum, a se prius salubribus praeceptis et exemplis informatos et institutos sanctos viros, ad Vesontii civitatis populos Christo initiandos: deinde Felicem presbyterum, Achilaeum diaconum et Fortunatum ad Valentinam urbem Deo vero praedicatione pietatis nostrae insinuandam delegavit[2]). Et quo ad plures veri Dei agnitio citius penetraret, librum edidit adversus Gentium errores, quem de scientia inscripsit, brevem quidem illum, ait Eusebius[3]), summe tamen necessarium. Huiusmodi sanctis laboribus aliquot annos perfuncto sub Antonino principe, toto deinde Commodi imperii tempore, aliquo denique sub Severo, quum iam satis longo cursu bonum certamen certasset fidemque servasset, supererat corona accipienda. Severus igitur Pertinax, in omnes saevus, in Christianos saevissimus, anno imperii nono, Christi ducentesimo sexto[4]), quinta a Nerone persecutione Christianos vexans, plurimos per diversas provincias martyrio coronavit. Lugduni vero omnium maxime saevitum refert Turonensis, taliaque ibidem per tyrannos diabolum bella exercuisse, tantamque multitudinem Christianorum ob confessionem dominici nominis iugulatam, ut per plateas sanguinis christiani flumina currerent, quorum nec numerus, nec nomina colligi potuerunt; sed Dominus eos in libro vitae conscripsit. Tunc et B. Irenaeum diversis poenis affectum, cum omni fere civitatis suae populo, Christo Domino per martyrium carnifex dedicavit, quod 4. Calend. Iulii contigisse scripto mandavit Trithemius: quum iam natus annos circiter sexaginta procurationem evangelii lugdunensis episcopus creatus suscepisset, et ad nonagesimum fere annum, ut aliqui ferunt, pervenisset. Quo autem a Christi nativitate anno martyrio consummatus sit, tam varia est scriptorum sententia, ut id definire non valeam; hoc uno contentus, quod christianam et catholicam fidem, quam hic vivens verbo et scripto asserverat, fortiter pro Christo moriens proprio sanguine subsignavit. Nam Sixtus Senensis lib. 4. Bibliothecae refert martyrium eius ad annum 175., Wernerus in fasciculo ad 184., Pamelius in vita Tertulliani ad 203., Baronius Annalium tomo 2. ad 205., Bergomas in Supplemento Chro-

1) Eus. h. e. V, 25. 2) Usuardus in Martyrolog. Sur. To. 2. 23. Aprilis. 3) Eus. h. e. V, 25. 4) Eus. in Chron.

nic. ad 210. Auctor Chronicorum mundi fol. cxvi. de illo peculiariter adiicit: quod positus inter duos colles Irenaeus, quum in uno crucem, in alio idolum tyranni posuissent, ut vel mortem per crucem, vel vitam per idolum eligeret, cum populo suo ad crucem veniens, omnes martyrio consummati sunt.

Sanctas porro corporis eius reliquias studiose collectas, magna religione eius urbis cives ad hanc aetatem usque adservarant, donec Hu-Gnosticorum furor omnium, qui ab orbe condito geniti fuerunt, tyrannorum rabie efferatior et perniciosior, anno Domini 1562 depraedatis ferme universae Galliae templis, Lugdunum et alias varias urbes occupat, depopulatur, diripit, Monasteria praecipue et sacra loca Turcico more devastat, imaginibus, bibliothecis, altaribus, sacramentis, sacris nullis parcit. Proh nefas! Cum vita functis caeloque regnantibus haeretici illi bellum gerunt, S. Irenaei martyris ossa de requie sepulturae tollunt, ab asylo mortis, in quo clarissimum Christi Iesu adventum et resurrectionem gloriosam expectabant, avellunt, in ea iterum saeviunt, iterum debacchantur, iterum, quantum in eis situm fuit, ad martyrii certamen reposcunt.[1]) O tempus! O mores! Qui Gnosticos represserat, eius reliquiae Hu-Gnosticorum cruentatas iam pridem sanguine bonorum ac barbaras manus effugere non potuerunt. Martyrum corporibus, capillis tiaris septies accensae fornaces pepercerunt; ursi, pardi, tigrides, leones saepenumero quae attingere formidarunt; novum ac reformatum (si Deo placet) evangelium ea vel flammis absumit, vel in flumen, sterquilinium aut cloacam proiicit; ad martyrum tumulos, urnas et ossa daemones in oraculis silent, et in corporibus obsessorum distorquentur, rugiunt, confitentur, morborum omnium genera sanantur: at nihil veriti huius defaecatae sectae ac rebellionis antistites post thecarum aurum direptum, pretiosarum reliquiarum B. Irenaei partem aliam in profluentem demergunt, aliam, capitis nempe cranium, pilae more pedibus protrudunt et per vicos plateasque tota die contumeliose deludunt. Quod tandem in rivulo derelictum catholicus quidam chirurgus clam suffuratum domi abdidit, donec ferme post biennium christianissimus et catholicae religionis vindex Carolus rex nonus, urbe recuperata, archiepiscopo, clero, magistratui populoque catholico plenam libertatem reddidit. Qui omnes publica supplicatione indicta, ad domum, in qua latere reliquias didicerant, cum magna religione properant, veneranda ossa colligunt, ad ecclesiam nomini eius sacram reverenter deferunt et asservanda collocant. Haec autem ut maiorem apud posteros fidem haberent, curaverunt diligenter in acta publica referri, a quibus nos haec accepimus.

---

1) Feu-ardentium, et qui eum secutus est, Massuetum, Calvinianos falsissime accusare docet Ioannes Rainoldus libro: de Romanae ecclesiae idololatria in cultu Sanctorum (Oxoniae 1596). Annot. Adolphi Stieren.

IOANNIS ERNESTI GRABE PROLEGOMENA

DE VITA ET SCRIPTIS IRENAEI, IPSORUMQUE VARIIS EDITIONIBUS, ET NOVISSIMAE HUIUS RATIONE AC CONSILIO.

SECTIO I.

DE TEMPORE NATIVITATIS ET OBITUS IRENAEI, NEC NON GENERE MORTIS EIUS.

§. 1. Omnia quae ad vitam et scripta Irenaei pertinent, adeo erudite et prolixe exposuit clarissimus Dominus *Henricus Dodwellus*, Dissert. III, IV, V, et VI. in Irenaeum, ut vix quidquam sit, quod addi queat. Atqui quum dissertationum illarum usus omnibus eruditis, hic in Anglia praesertim, sit in promptu, nullis fere opus fuisset hanc in rem verbis, nisi de quibusdam dubium, de aliis diversa sententia animo meo insideret. Pace itaque ac venia doctissimi, mihique ob ipsa huic Irenaei editioni benevole praestita adminicula, suo loco nominanda, plurimum colendi amici atque fautoris, et dubitationes et diversas meas aliorumve opiniones proponam; ut studiosus Irenaei lector eas aequa trutina expendere queat. Irenaeum Traiano imperante natum fuisse, Vir cl. Dissert. III. §. 3. optime collegit ex ipsis S. Patris verbis, quibus id, quod *sub finem Domitiani* contigerat, *paene sub suo saeculo (γενεᾷ)* factum scripsit pag. 449. lin. 21. huius semper posthac a me citandae editionis (nunc lib. v. cap. xxx. num. 3. fi.) Ut autem distinctius perspiceretur, utrum inter initia, vel sub medium, aut finem Traiani ortus fuerit Irenaeus, alia eius verba §. 5. consideranda sumsit, quibus se *adhuc puerum et in prima aetate (ἡλικίᾳ)* S. Polycarpum senio provectum, ac cum eo Florinum in aula regali splendide agentem, in inferiori Asia vidisse atque audivisse memoravit lib. III. adversus Haeres. cap. 3. ac in epistola ad Florinum. Quum itaque Irenaeus lib. II. cap. 39. diversas hominum aetates designans, *infantes, parvulos, pueros, iuvenes, seniores* nominet, atque iuvenilis aetatis principium anno trigesimo statuat; puerilem idcirco ab anno vigesimo ad trigesimum protendi, vir clariss. §. 6. coniicit, et mox §. 8. demonstrat *πρώτην ἡλικίαν* etiam in annum vigesimum primum, aut potius vigesimum quintum cadere. Hunc itaque Irenaeus egisse ei videtur, quum Polycarpum atque Florinum in inferiori Asia oculis usurpavit. Annum autem Christi ei respondentem indagaturus, supponit ulterius §. 10. per *αὐλὴν βασιλικήν*, in qua tunc splendide vixit Florinus, non regalem, sed imperatoriam aulam intelligendam esse. Cui hypothesi confirmandae haud abs re fuerit parallelum addere locum ex lib. IV. adversus haereses cap. 49: *Quid autem et hi, qui in regali aula sunt fideles, nonne ex eis, quae Caesaris sunt, habent utensilia?* Non de alio autem quam Hadriano imperatore, et quidem secunda vice in Asiam veniente, Irenaei ad Florinum verba accipienda esse, luculenter ibidem probat, atque fieri non potuisse, ut is secundo in Asiam venerit ante annum Christi 122. Quem proinde cum anno vigesimo quinto aetatis Irenaei componens, hunc anno Christi 97. sub Nerva, vel anno sequenti sub Traiano natum concludit.

§. 2. Hoc ratiocinium consideranti mihi objecere se quidem ipsius Irenaei verba lib. II. cap. 42. *Quinque aetates transit hominum genus; primum infans, deinde puer, deinde parvulus, et posthaec iuvenis, sic deinde senior.* Ubi quum *puer parvulo* praeponatur, puerilis aetas intra annum 10. et 20. ponenda videri posset. Ast verba ibi a librario transposita, ac prior ordo omnino praeferendus videtur, quo parvulus puerum praecedit; praesertim quum huic magis congruat *ἡλικία*, quae ante vigesimum annum non incepit. Missa itaque ista obiectione, alia proponam, quae mihi persuadent, Irenaeum aliquanto serius, nempe anno Christi vulgari 108. (vero 106.) natum esse. Id equidem constat, Hadrianum imperatorem non ante annum Christi 122. secunda vice in Asiam venisse; non tamen necesse est, isto praecise anno id factum supponere. Immo vero anno 129. (127.) secundum Hadriani in Asiam adventum a *Baronio* recte adscriptum, ipse eius in quamplurimis adversarius *Pagius* fatetur, et nummi ab eo ad annum 127. 128. 129. allati satis probant. Idem etiam confirmant Irenaei ad Florinum de Polycarpo verba ab ipso Domino *Dodwello* §. 12. adducta: *Atque in conspectu Dei contestari possum, beatum illum et apostolicum presbyterum, si tale quid audivisset, exclamaturum sane ac obturatis auribus pro more dicturum fuisse: Deus bone, quae me in tempora reservasti, ut haec sustinerem!* Quibus citatis, optime subinfert: *Plane hic innuit Irenaeus ortum illum haereticorum recentiorum sub Hadriano, quo fuerit Polycarpus ad tantam indignationem excitatus; ortum, inquam, illum, qui in grandaevam Polycarpi aetatem inciderit. Qui enim queritur, sese ad ea usque tempora reservatum, is una innuebat, iam se ordinarios etiam senectutis limites esse praetergressum. Et quia σύνηθες hoc Polycarpo fuisse ait, non itaque de uno dumtaxat haeresiarcha intelligendus. Id vult igitur Irenaeus, dum Polycarpi discipulus esset, multos identidem ortos haeresiarchas, et quoties novi exorirentur, toties repetitam esse illam Polycarpi exclamationem. Prodierunt nimirum e Menandri schola omnium sub Hadriano primi Basilides et Saturninus; secuti postea, sed brevi, ut videtur, intervallo Valentinus et Cerdon. Cerdonem denique secutus Marcion, paullo superioribus recentior. De his itaque, excepto Marcione, omnibus intelligendas crediderim Polycarpi illas toties repetitas exclamationes.* Atqui Valentinum pariter ac Cerdonem, sub Hygino Romam venientes, haereticum virus spargere coepisse, ipse Irenaeus lib. I. cap. 28. et lib. III. cap. 4. docet, Hyginus autem iuxta *Pearsonii* rationes anno Christi 122. post 9. Augusti, aut iuxta ipsius Dn. *Dodwelli* sententiam anno 123. episcopus Romae creatus fuit. Aliquanto igitur post, exorta iam Valentini et Cerdonis secta, ita exclamare coeperit Polycarpus necesse est; ac proinde anno 127. optime istud martyris *σύνηθες* convenit. Provectior quoque tunc fuit eius aetas, 66. scilicet annorum, si iuxta *Pearsonii* rationes a Dno. *Dodwello* approbatas, anno Christi 147. martyrio defunctus est; quum contra anno 121. sexagesimum primum egerit annum, quo vix ordinarios senectae limites superasse dici poterat.

§. 3. Sed et ipsius Irenaei historia suadet, ut *πρώτην* eius *ἡλικίαν* anno Christi 127. potius quam 122. adscribamus, indeque serius quam anno 97. illum natum statuamus. Constat quippe, eum a lugdu-

nensi ecclesia post coeptam persecutionem Marci Aurelii cum litteris ad Papam Eleutherium Romam missum fuisse. Octogenarius itaque tunc fuerit Irenaeus, si dicta persecutio in annum Christi 177. iuxta Eusebii in historia ecclesiastica calculum inciderit; saltem septuagenarius, si ad annum 167. ex ipsius Dn. *Dodwelli* sententia referatur. At vero Lugdunenses tantum senem ad adeo molestum iter adegisse, vix crediderim. Et quid de libris ipsius dicendum? Istos sane quinque adversus haereses saltem anno aetatis octuagesimo, alios plures, veluti *de Ogdoade,* contra *Florinum*, *Blastum,* nec non eos, qui ad paschalem pertinebant controversiam, partim circa, partim post annum nonagesimum scripserit necesse est, si is anno Christi 97. natus fuisset. Quis autem illum adeo senem demum scribendo manum admovisse et iam decrepitum tot tantosque libros elaborasse, facile sibi persuaserit? Atque haec etiam faciunt, ut *πρώτην ἡλικίαν,* in qua Polycarpum se vidisse ait Irenaeus, de anno vigesimo primo potius quam quinto accipiam: nam de illo etiam accipi posse, ex iis, quae vir clarissimus §. 8. dixit, utique patet. Accedit denique istud, quod meliori iure gloriari potuerit auctor noster de memoria dictorum Polycarpi, eiusque formae ac habitus etc. si paullo iunior, anno scilicet 21. eum viderit. Qui si in annum Christi 129. (127.) iuxta ante dicta inciderit, Irenaeus anno Christi 108. (106.) natus fuerit.

§. 4. Ubi de ortu s. patris satis prolixe egerat Dn. *Dodwellus,* postea §. 21. tempus ac genus mortis eius indagare incipit. Equidem a vulgo chronologorum et historicorum hactenus traditum fuit, illum obiisse martyrium notissima illa Severi Imp. persecutione, quae anno eius x. iuxta alios v. coepit, quando Albinum, praelio prope Lugdunum commisso, devicit, indeque capta urbe cum civibus, praecipue christianis, saevissime egit. Verum tanta loco citato argumenta martyrio Irenaei opposita video, ut istud pro certo affirmare nolim. Neque tamen pertinaciter inficias ire ausim, tam ob Hieronymi in cap. 64. Esaiae, quam Iustini verba supra pag. 3. et 4. Veterum testimoniis inserta; quorum ille ducentis, hic non ultra trecentos post Irenaeum annos ista scripsit. Suspicionibus quippe contra Hieronymi locum allatis tuto fidere nequeo, donec MS. cuiusdam codicis auctoritas iis suffragetur. Id vero certum est, et ab ipso clariss. viro §. 20. assertum, Irenaeum anno Christi CLXXXIX. Commodi imperatoris x. adhuc superstitem, synodo propter paschalem controversiam in Gallia habitae praefuisse, ac proinde *πάνυ γηραλέον,* ut ipse de Polycarpo scripsit, defunctum esse.

SECTIO II.

DE QUINQUE IRENAEI CONTRA OMNES HAERESES LIBRIS AC HORUM VERSIONE ALIISQUE DEPERDITIS EIUSDEM SCRIPTIS.

§. 1. Irenaeum quinque adversus haereses libros primos omnium conscripsisse, ex illorum prooemio ingeniose post *Feuardentium* collegit clariss. *Dodwellus* Dissert. IV. §. 1. Fatetur tamen, ista, quae id indicare videntur, verba, *οὔτε δύναμιν συγγραφέως, ἣν οὐκ ἠσκήσαμεν,* ac proinde etiam praecedentia, *μήτε συγγράφειν εἰθισμένοι,* de simplicitate stili accipi posse. Atque ut ita accipiam, et, si non plures, unum saltem tractatum antea ab Irenaeo elaboratum fuisse credam, ipsius

lib. III. c. 7. inducor verbis: *Si quis secundum Pauli consuetudinem, quemadmodum ex multis et alibi ostendimus, hyperbatis eum utentem sic legerit,* etc. At vero de hoc frequenti hyperbatorum usu ne verbum quidem habet in praecedentibus: in alio igitur tractatu prius scripto hac de re egerit necesse est.

§. 2. Dictos quinque libros non uno impetu editos, sed duos priores seorsim ad amicum missos esse, vir clariss. §. 4. et 6. recte docet ex prooemio libri III. Immo et sequentes tres singulos prodiisse, quarti et quinti libri praefationes innuunt. Horum tamen posteriorum argumenta, ab apostolorum et Christi verbis petita, iam in animo habuisse Irenaeum, quum priores scriberet, ipse lib. II. cap. 3. his testatur verbis: *Iam quidem ostendimus, unum esse Deum; ex ipsis autem apostolis, et ex Domini sermonibus adhuc ostendemus.* Et cap. 8. *Dominus hunc* (creatorem) *Patrem, qui est in caelis, docet, et non alium, quemadmodum ostendemus procedente sermone.* Confer pag. 131, 1, 19. et 2, 14. 175, 1, 19. (lib. II. cap. 11. n. 1. 2.) et cap. ultimo huius II. libri, ubi expresse *consequentes* nominat *libros.* Et sane absque his imperfecta prorsus fuisset *ψευδωνύμου γνώσεως ἀνατροπή*, quam ipsa huius operis inscriptione pollicitus est. Ceterum tempus, quo libri isti scripti sint, statuere est difficillimum. Circa annum Christi 177. aetatis Irenaei 80. episcopatus eius nonum aut decimum, id factum, citata IV. Dissert. §. 2. et in fine eiusdem statuitur. Non desunt autem argumenta, quae partim post, partim ante istud tempus, volumen contra haereses elaboratum esse, probare videntur. Pro priori parte militat mentio versionis Theodotionis lib. III. cap. 24. facta, quam tamen ad Commodi tempora retulit Epiphanius, huncque secutus auctor chronici alexandrini anno VI. istius imperatoris adscripsit. Ad quae Dominus *Dodwellus* Dissert. singulari de pontificum romanorum successione cap. 14. §. 17. regessit, ista de Theodotione verba a priori Irenaei exemplari forte abfuisse, ac postea ab ipso inserta esse. Aliam, quae mihi magis placet, responsionem dedit Dissert. IV. in Irenaeum §. 39. seq. ubi Theodotionis versionem iam sub Marco prodiisse, contra auctorem chronici alexandrini contendit. Et sane neque huius, neque Epiphanii, quem is allegat, auctoritas in chronologicis tanta esse debet, ut eorum aera nos turbari patiamur, ubi certior aliunde nobis suppetit ratio. Isto autem scrupulo excusso, aliud pro altera parte mihi incidit argumentum, quo fere persuasus sum, Irenaeum adhuc presbyterum, ante annum 177. haereticorum refutationem integram edidisse. Id deducitur ex ortu sectae Cataphrygum, quae Phrygiae Asiaeque ecclesias vexavit: quem Eusebius in chronico anno 17. Marci, Christi 171. adscripsit, cl. *Dodwellus* vero antiquiorem facit. In quodcunque autem inciderit tempus, duos sane priores Irenaei libros praecessisse inde colligo, quod in his nullam huius sectae, sed haereseos Tatiani tanquam novissimae fecerit mentionem; illam non omissurus, si Asiam, in quam hos mittebat libros, iam tum turbare coepisset. Contra libro III. et IV. pag. 223. col. 1. lin. 25. (lib. III. c. 2. n. 8.) et pag. 349. 1. 10. (lib. IV. cap. 33. n. 6.) pseudoprophetas istos leviter perstringit; unde illos paullo post excitatas ab iis turbas scripserit necesse est: neque enim longum inter priores ac posteriores libros intercessit intervallum.

Ex quo etiam colligitur, Irenaeum non adeo senem, necdum episcopum, sed presbyterum hoc opus edidisse; antequam scilicet a lugdunensibus martyribus Romam ad Eleutherium propter compescendam sectam istam mitteretur una cum litteris commendatitiis, quibus ut presbyter ecclesiae et *ζηλωτὴς τῆς διαθήκης τοῦ Χριστοῦ* laudatur apud Euseb. lib. v. cap. 4. Merito sane, si iam caussam Dei ac Christi contra haereticos adeo strenue tot scriptis libris egerit. Atqui presbyteri etiam ordini, non autem episcopali dignitati congrua sunt, quibus prooemium libri III. incipit, verba: *Tu quidem, dilectissime, praeceperas nobis*, etc. nec non quae in prooemio libri v. exstant: *Quemadmodum postulasti a nobis, obedientibus tuo praecepto, quoniam in administratione sermonis positi sumus.* Nemo quippe Irenaeo iam episcopo ausus fuisset *praecipere*, ut calamum in haereticos acueret: vix etiam Irenaeus se *praecepto obedientem* professus esset; ac insuper *in προστασίᾳ ecclesiae* potius quam *in administratione sermonis* se positum dixisset, si iam tum summus ecclesiae lugdunensis sacerdos fuisset. Ab Irenaeo itaque adhuc presbytero libri adversus haereses elaborati fuisse videntur, inter annum Christi 170. et 174., si isto temporis intervallo enata fuerit secta Cataphrygum, et si altera quoque persecutionis Marci aera, quam in historia eccles. fixit Eusebius, steterit firma. Sin vero rationes Domini *Dodwelli* ad annum 167. dictam persecutionem referentis sequamur, et Irenaci libros antiquiores statuere necesse foret: quod tamen mentio haereseos Tatiani, aliaque haud permittunt.

§. 3. Graeco sermone hoc adversus haereses volumen scriptum fuisse, tot tantisque argumentis probavit vir doctissimus Dissert. v. §. 1. usque ad 6. ut plura addere haud sit opus. Quod autem §. 6. latinam eorum versionem Tertulliano recentiorem, et exeunte demum saeculo IV. factam putat, in eo me cogunt dissentire aliquot Tertulliani lib. adversus Valentinianos cap. 10. periodi, quibus latinum Irenaci interpretem plane imitatus esse videtur. Nam de Sophia matre ait, eam *primo quidem contristari propter inconsummationem generationis; metuere postremo, ne finis quoque insisteret.* Quae latinae versioni exacte consonant; a graeco autem textu aliquatenus discrepant. Quippe lib. I. cap. 1. §. 3. pag. 11. (cap. 11. n. 3.) interpres iisdem verbis dicit, *contristatam propter inconsummationem generationis: post deinde timuisse, ne hoc ipsum finem habeat.* Graeca vero ibidem haec sunt: *πρῶτον μὲν λυπηθῆναι διὰ τὸ ἀτελὲς τῆς γενέσεως, ἔπειτα φοβηθῆναι μήτε αὐτὸ εἶναι τελείως ἔχειν.* Ubi nota, *τὸ ἀτελὲς τῆς γενέσεως inconsummationem generationis* ab utroque verti; et Tertullianum in posteriori commate, relicto graeco Irenaeo, vestigia interpretis sectari. Pergit Tertullianus, loco citato referens, *confirmatam Sophiam et coniugio restitutam: et ipsam quidem in pleromatis censu remansisse; Enthymesin vero ejus, et illam appendicem passionem ab Horo relegatam, et crucifixam, et extra aevum* (ex Irenaei versione repone *eum*) *factam*, etc. Haec si iterum conferas cum latina interpretatione pag. 12. prope finem (num. 4.) itidem sonante: *confirmatam Sophiam, et restitutam coniugi: separata enim intentione (ἐνθυμήσει) ab ea, cum appendice passione, ipsam quidem infra* (intra) *pleroma perseverasse; Concupiscentiam (ἐνθύμησιν) vero eius cum passione ab Horo separatam, et crucifixam,*

et extra eum factam esse; vix dubitabis, haec Tertulliano illa scribenti ante oculos fuisse. Ut enim de reliquorum consonantia nihil dicam, *in pleromatis censu remansisse,* perinde ut interpres *perseverasse,* ait, quum tamen graeca *εἶναι* non *μεῖναι* habeant; et *τὸ ἐπιγινόμενον πάθος* uterque reddidit *appendicem passionem:* quod fieri haud potuisset, nisi alter ab altero accepisset. S. Cyprianum etiam, quae epist. 74. ad Pompeium de Cerdone haeretico scripsit, ex Irenaei lib. I. capitis 28. fine, et initio cap. 29. depromsisse, inferius pag. 103 num. 5. annotavi. At vero s. martyr nuspiam in epistolis vel tractatibus suis, quantum ego memini, ullam graecae linguae peritiam prodidit: unde latina Irenaei versione, perinde ut magister eius Tertullianus, usus fuisse videtur. Exeunte itaque saeculo II. superstite adhuc vel nuper defuncto Irenaeo, hos eius libros in latinum eumque barbarum sermonem translatos esse crediderim; et quidem a quopiam lugdunensis vel alterius in Gallia ecclesiae ministro, quia quaedem in ista versione occurrunt voces, vix aliis quam gallicanis scriptoribus usitatae. Vide infra pag. 168. (152.) not. 5. (in haec verba *sinistrae manus* levamen) et alibi passim. Ipsum vero Irenaeum qui sui interpretem faciunt, nae illi tantum virum propria animi sui sensa ignorasse, aut perperam expressisse asserant necesse est. Latinam enim versionem a graeci textus sententia identidem diversam esse, ex plurimis, suo quibusque loco annotatis, exemplis patet.

§. 4. Titulus ab auctore huic operi praefixus fuit, *ἔλεγχος καὶ ἀνατροπὴ τῆς ψευδωνύμου γνώσεως,* prout memoriae proditum est ab Eusebio lib. v. Hist. Eccles. cap. 7. suffragantibus Andrea Caesar. in Apocalypsin Serm. VI. cap. 18. Damasceno in Parallelis MSS. passim, Photio, Oecumenio in 2. epist. Petri cap. 3. pag. 543. et in epist. Iudae pag. 628. Immo ipse Irenaeus huius rei testis est in prooemio libri II. ubi ait: *Quapropter quod sit detectio et eversio sententiae ipsorum, operis huius conscriptionem ita titulavimus;* et in prooemio lib. IV. quod incipit: *Hunc quartum librum, dilectissime, transmittens tibi operis, quod est de detectione et eversione falsae cognitionis.* Similiter in fine huius libri vocat *opus exprobrationis et eversionis falso cognominatae agnitionis;* ac in prooemio lib. v. *opus de traductione et eversione falso cognominatae agnitionis.* Et quidem *ἔλεγχος* detectio sive *traductio* respicit librum primum, quo errores haereticorum recensuit; *ἀνατροπὴ* autem sequentes quatuor, in quibus eos et ratiociniis et Scripturae s. dictis refutavit. Atque hinc non modo ab Eusebio plurimis in locis ad compendium verborum faciendum *libri adversus haereses,* et a Cyrillo Hierosolymitano Catech. 16. *institutiones contra haereses* vocantur, sed et in antiquis latinae versionis codicibus ita inscripti sunt; in veteri *Feuardentii* codice: *Contra omnes haereses libri quinque;* ac in *Vossii* MS. exemplari: *Contra omnes haereticos* (al. *haereses*) *libri numero quinque.* Cui inscriptioni suffragantur ista, quibus Irenaeus librum IV. claudit, verba: *et nos ipsos et te ad contradictionem omnium haereticorum in quinque exercentes libris.* Ceterum quae de titulis singulorum capitum, et tam horum, quam ipsorum librorum divisione Dominus *Dodwellus* Dissert. v. §. 12. disseruit, istis brevitatis studio nihil addo, nisi graecum etiam Irenaei textum in capita, et quidem minutiora, quam quae in latina sunt versione, iam olim distinctum

fuisse; prout colligo ex Procopii Gazaei Comment. in cap. 3. Geneseos pag. 76. ubi ea quae auctor noster lib. III. cap. 37. de pelliceo Adami vestimento docet, tanquam cap. 59. et 65. eiusdem libri dicta allegat.

§. 5. Ceterum de dictorum quinque librorum codicibus, quibus utimur, aliqua dicenda restant. *Graecum codicem MS. in universo orbe nullum habemus, vel mutilum,* inquit clariss. *Dodwellus* Dissertat. v. §. 11. Equidem *Feuardentius* in commonitione ad lectores suae editioni praefixa refert fuisse quosdam, qui graecum exemplar in venetiana bibliotheca se legisse testati sunt, aliosque in vaticana visum dixisse; addit tamen, *ea ibi frustra quaesita esse.* Neque nunc in vaticana bibliotheca graecum Irenaeum reperiri, per litteras certiorem me fecit dignissimus illius praefectus, Dn. *Laurentius Alexander Zacagnius;* de venetiana vero exacte inquirendi occasio mihi defuit. Per *mutilum* autem Irenaei *codicem graecum* intellexit procul dubio vir ante laudatus maximam libri I. partem, in *Epiphanii* Panario contra haereses graece conservatam, nec non alia plura fragmenta ab *Eusebio, Theodoreto, etc.* excerpta, maxime a *Ioanne Damasceno* in libris *Parallelorum,* quos inscripsit, vel ab horum interpolatore. Ista enim quae in claromontanis membranis exstant Irenaei dicta, ab ipso Ioanne Damasceno inserta esse iam dubito, quia nec in latina Parallelorum istorum versione a *Billio* edita, nec in MS. vaticano codice graeco ea reperiuntur, si breves quasdam sententias excipias. Accedit, quod in pericope de nomine Antichristi lib. v. cap. 30. loco ultimae appellationis *Τειτάν,* quam omnia Irenaei exemplaria habent, et integer contextus confirmat, in claromontano codice legatur *Παπίσχος.* Atqui hoc quidem nomen fuit Iudaei Alexandrini, quem cum Iasone christiano disputantem repraesentavit *Aristo Pellaeus* (de quo vide Spicilegium patrum saeculi II. pag. 127. seq.) ac proinde Antichristo, ex unanimi sententia patrum itidem Iudaeo, ac acerrimo Christianorum hosti futuro, satis aptum. Attamen nullam invenire possum rationem, quare hoc potius nomen, altero *Titanis* reiecto, sit acceptum, et cum alio, *Λατεῖνος,* recensitum; nisi quod forte recentior quispiam Graecus, romanum pontificem, aut factum, aut futurum Antichristum opinatus, diminutivum nominis Papae *Παπείσχος* ei accommodandum duxerit. Quas meas de interpolatione claromontani Parallelorum codicis coniecturas hoc loco proponere volui, quia in notis semper, quantum memini, ipsi Damasceno collectionem graecorum istorum Irenaei fragmentorum adscripsi. A cuiuscumque autem manu ea profecta fuerint, illi sane multas debemus gratias, quod, quintam fere libri v. Irenaei partem graece nobis conservaverit; ut de II. et IV. libri fragmentis nil dicam.

§. 6. Latina denique exemplaria si spectes, istud, quod inter MSS. *Isaaci Vossii* libros servatur, quodque idem cum veteri *Feuardentii* codice esse fertur, ego vero ob variantes quasdam lectiones diversum esse arbitror, pro perfecto ac nulla parte mutilo habet vir doctissimus loco paullo ante citato. Ac de primis quatuor quidem libris id verissimum est, excepto unico forte loco pag. 219. col. 2. lin. 26. (pag. 109. col. 2. lin. 5.) Sed librum v. in fine magna parte mutilum esse, haud dubitare me sinit eius praefatio et libri IV. conclusio. Illa quippe ita sonat: *Manifestatis* (libro IV.) *pluribus, quae a Domino per parabolas et dicta*

sunt et facta, in hoc libro quinto — ex reliquis doctrinis Domini et ex apostolicis epistolis conabimur ostensiones facere. Haec sequentibus constat verbis: *Reliquos igitur sermones Domini, quos quidem non per parabolas, sed simpliciter ipsis dictionibus docuit de Patre, et expositionem epistolarum beati Pauli apostoli in alio libro disponentes, integrum tibi opus praebebimus.* Istos scilicet Domini sermones haereticis opponere voluit, qui *unum et eundem annuntiant Patrem factorem mundi huius*, ut paullo ante scribit. Similiter ex epistolis s. Pauli demonstrare sibi proposuit, illum *docuisse unum Deum Patrem, eum qui locutus sit ad Abraham, qui legisdationem fecerit, qui prophetas praemiserit, qui Filium suum miserit, salutem suo plasmati donans, quod est carnis substantia.* Et carnis quidem salutem, id est, resurrectionem ac vitam aeternam variis argumentis ipsisque Pauli apostoli dictis demonstrat, et in contrarium obiectam ab haereticis sententiam 1. Corinth. 15. *Caro et sanguis regnum Dei non hereditabunt,* prolixe explicat Irenaeus a cap. 2. libri v. usque ad caput 15. inque hoc ex ss. litteris probat, quod Demiurgus resurrectionis ac incorruptelae carnis sit auctor; ut adeo mutato, nescio quare, consilio, quod in fine libri v. tractare proposuerat, priori eiusdem parte praestiterit. Promissam vero ex verbis Christi, citra parabolarum involucrum prolatis, demonstrationem de uno Deo, mundi creatore, eodemque Patre Servatoris nostri, cap. 21. demum aggreditur, et ex allegatione legis mosaicae contra tentationes Diaboli primum deducit argumentum, quod est et ultimum: siquidem ex verbis nequissimi spiritus: *Haec omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me etc.* occasionem longius digrediendi cepit, primum de Diaboli mendaciis ac conatu, quo id agit, ut loco Dei adoretur, disserens; deinde a cap. 25. usque ad finem nostri textus, doctrinam de Antichristo huiusque interitum secuturo regno Christi millenario prolixe prosecutus. Reliquae igitur ex verbis Christi et apostoli Pauli scriptis petitae demonstrationes unius et eiusdem in V. et N. Testamento Dei perierunt, quod librarii exosam sequiori aetate millenarii regni doctrinam ulterius describere nollent, ideoque filum abrumperent.

§. 7. De aliis auctoris nostri operibus prolixe agitur Dissertatione VI. in Irenaeum. Unum tamen atque alterum de iis, quorum fragmenta inferius subnexa sunt, scriptis observare haud abs re erit. Agmen ibi ducit clausula libri *de Ogdoade*, quem non quidem Florino instar epistolae scriptum puto; attamen *propter illum Valentini errore abreptum,* sive ad confutationem illius, ab Irenaeo elaboratum credo, prout diserte traditum est ab Eusebio lib. v. Hist. Eccles. cap. 20. De cetero quod in Hieronymi Catalogo script. eccles. istud σποίδασμα, uti vocat Eusebius, inscriptum legitur *περὶ Ὀγδοαστῶν,* id recentiorum librariorum vel editorum, qui Sophronium, interpretem graecum, secuti sunt, non ipsius Hieronymi erratum fuisse videtur. In manu exaratis enim bibliothecae bodleianae codicibus, nec non in illo, quo *Freculphus* saec. IX. usus est, *de octava* scriptum est. Ita igitur Hieronymum puto titulum *περὶ Ὀγδοάδος* latine vertisse; neque sic tamen bene: quippe *Octonationem* potius cum veteri Irenaei interprete reddere, aut magis latine de *octonario Aeonum numero* dicere debuisset. Deinde sequitur dicto loco fragmentum *epistolae ad Florinum περὶ Μοναρχίας, ἢ περὶ τοῦ μὴ εἶ-*

ναι τὸν Θεὸν ποιητὴν κακῶν, de Monarchia, sive quod Deus non sit conditor malorum; prout titulum vel summam huius scripti expressit Eusebius citato lib. v. cap. 20. Ex quo *Valesius* in notis perperam collegit, *Florinum duo principia invexisse, et Marcionis ac Cerdonis dogmatibus adhaesisse: et alterum quidem bonorum, alterum mali auctorem affirmasse.* Obstant enim verba ipsius Irenaei, Florino exprobrantis: *Haec dogmata ne quidem haeretici extra ecclesiam positi proferre umquam ausi sunt.* Diversum itaque a Marcionis vel alterius cuiusdam haeretici errore atque magis impium fuit dogma Florini; ac videtur ille monarchiam creatoris mundi, tamquam supremi Dei, ita contra Marcionitas aliosque haereticos asseruisse, ut eundem conditorem atque caussam malorum fecerit, quod sane ne ipsi quidem haeretici istius aevi hactenus ausi fuerant. Irenaeus itaque strenuus bonitatis supremi Dei vindex, monarchiam eius, reiecto altero Deo, malorum principio, ita tenendam Florino demonstravit, ut tamen ipse haud statuatur conditor malorum, sive auctor criminum, quae ab hominibus committuntur; quo nihil magis impium dici potest. Lege clariss. *Dodwellum* §. 2. Porro epistolam Irenaei ad Victorem, cuius duo fragmenta suo loco subieci, et *λόγον de paschate,* quem a Iustino allegatum itidem notavi, pro uno eodemque scripto habet vir doctissimus §. 21. Sed quoniam epistolam voce *λόγου* a nullo scriptore denotatam memini, *λόγον περὶ πάσχα* potius *homiliam de paschate* ipso hoc festo peroratam interpretor, hancque puto fuisse unam *διαφόρων διαλέξεων,* quarum Euseb. lib. v. cap. 26. mentionem facit, et Hieronymus de scriptoribus eccles. qui *varios tractatus* appellat, id est, sermones ad populum in ecclesia habitos; quomodo etiam Sophronius accepit, *βιβλίον ποικίλων ὁμιλιῶν* reddens. Atque exinde depromtam quoque puto sententiam *de meditatione mortis* pag. 468. ex Damasceni Parallelis descriptam, ubi ita citatur: *τοῦ ἁγίου Εἰρηναίου ἐκ τῶν δ'. λέξεων.* Legendum enim esse *διαλέξεων* haud dubito: quae coniectura mihi non succurrebat, quum annotationem **4.** pag. 468. scriberem. Sic dies diem docet, et plura forte de his aliisque Irenaei scriptis posthaec docebit.

SECTIO III.

DE VARIIS QUINQUE IRENAEI LIBRORUM ADVERSUS HAERESES EDITIONIBUS AC HUIUS NOVISSIMAE RATIONE ATQUE CONSILIO.

§ 1. Irenaei quinque adversus haereses librorum versionem latinam antiquissimam primus in lucem edidit in folio *Desiderius Erasmus Roterodamus* cum hac inscriptione: *opus eruditissimum divi Irenaei episcopi lugdunensis, in quinque libros digestum, in quibus mire retegit et confutat veterum haereseon impias ac portentosas opiniones, ex vetustissimorum codicum collatione, quantum licuit, emendatum, opera Desiderii Erasmi Roterodami, ac nunc primum in lucem editum opera Ioannis Frobenii. Additus est index rerum scitu dignarum. Apud inclitam Basileam anno* MDXXVI. *cum gratia et privilegio caesareo.* Opus istud dedicavit *Bernardo,* tunc temporis episcopo Tridentino, ad quem data epistola nuncupatoria non modo in principio istius voluminis, sed et in collectione epistolarum *Erasmi,* Londini anno 1642. excusa, lib. XXVIII. num. 5. legi potest. Epistolam nuncupatoriam sequitur *Divi*

Irenaei obtestatio ad scribas: Adiuro te etc. non quidem his adversus haereses libris, sed alteri *de Ogdoade* tractatui ab ipso suffixa. Continuo sequitur textus Irenaei, variis quibusdam lectionibus et graecarum, quas interpres retinuit, atque latinarum vocum minus usitatarum interpretationibus in margine appositis. Praefixit autem quatuor prioribus libris antiquos singulorum capitum titulos, et quatuor posterioribus proprias praefationes seu *argumenta*, uti vocat.

§. 2. Biennio post, nempe anno 1528. alia ex officina Frobeniana Basileae prodiit editio in folio, mox anno 1534. recusa, in cuius titulo post verba, *emendatum opera Desiderii Erasmi Roterodami,* sequitur: *ac nunc eiusdem opera recognitum, correctis iis, quae prius suffugerant*; adeo ut ipse *Erasmus* secunda cura quaedam sustulisse videatur menda. Ceterum nil novi ad istam accessit editionem, nisi quod praefatio lib. v. sit auctior. Post ista enim verba, *De Purgatorio nulla mentio,* ita pergit: *Quin potius videtur* etc.

Eodem anno 1534. Parisiis Irenaeum in lucem prodiisse memorat Dupinius in bibliotheca nova ecclesiasticorum auctorum; sed illam editionem videre mihi haud contigit. Vidi vero aliam ab ipso non nominatam Parisiensem 1545. in octava forma, cuius titulus quidem profitetur, *libros Irenaei longe castigatiores quam antehac in lucem datos esse.* Ast haec fraudi bibliopolae deputo, quia nullas ibi deprehendo emendationes. Ceterum quas Dupinius recenset editiones basileenses 1545. 1548. 1554. ignotas mihi esse fateor: neque tamen id aegre fero, quia recentior Basileensis 1560. in folio mihi ad manus fuit; in nullo tamen praecedentibus praestantior, nisi quod loco nudae adiurationis Irenaei, qua scribas obtestatus est, integra habeat Hieronymi in Catalogo scriptorum ecclesiasticorum de Irenaeo verba, quae veterum testimoniis suo loco inserui, quodque index rerum sit locupletior, ut vel ex prima littera *A* patet. Atque ab ista basileensi editione nihil differunt Parisienses in 8.° 1563. et 1567.

§. 3. Posthaec *Nicolaus Gallasius,* s. theologiae professor, Genevae 1570. hos Irenaei libros excudi fecit, *Edmundo Grindallo* episcopo londinensi dedicatos; praemissa praefatione ad lectorem de instituto totius operis, de utilitate colligenda ex lectione veterum doctorum, una cum alphabetica serie graecarum vocum, quae in Irenaeo occurrunt, latine expositarum, ac testimoniis Eusebii atque Hieronymi de vita et scriptis Irenaei. Dehinc omnia fere, quae Epiphanius ex lib. I. Irenaei citavit, graeca verba apposuit una cum nova latina versione, retenta simul veteri; quam quidem *collatis exemplaribus accurate emendatam* se dare dicit, Erasmi scilicet editionibus, saepius recusis: neque enim ullis manuscriptis codicibus eum usum esse patet. Quintum porro librum, quem nemo hactenus per sectiones diviserat, ipse in capita distinxit, quibus, ut et aliis quatuor priorum librorum capitibus, summas rerum et sententiarum praefixit: atque ad marginem loca Scripturae ab Irenaeo allegata maximam partem apposuit; denique in fine operis annotationes quasdam adiecit, quarum pleraeque haud magni sunt momenti et ad textum Irenaei emendandum aut explicandum nihil fere conferunt. Proxime sequenti anno *Ioannes Iacobus Grynaeus* Basileae edidit Irenaei adversus haereses *opus,* quod vocat *eruditissimum, nova*

libri primi conversione, singulorum capitum argumentis et variae lectionis observatione illustratum et recognitum, prout inscriptio libri sonat. Quam planius declarant sequentia, quae in dedicatoria ad *Bernardum Brandum*, basileensis reipubl. tribunum plebis primarium, epistola habet verba: *Factum est singulari beneficio Dei studioque bonorum et eruditorum quorundam virorum, ut postquam apud superos agere coepit Erasmus, prodiret in lucem Epiphanii, episcopi Constantiae Cypri, eximium opus contra octoginta haereses, in quo quum multa ad verbum ex Irenaei libris descripta exstarent, maximam libri* I. *partem ex Epiphanio restituere, et multo meliori* Iani Cornarii *versione uti nobis licuit. Deinde quum ineptissimae et plerumque οὐδὲν πρὸς ἔπος facientes summulae, et libris et capitibus praefixae, errorum potius quam scopi praemonstratrices, exstarent in hoc opere, illis maxima ex parte sublatis, breves περιοχὰς capitum adieci, ut de consilio Irenaei ac disputationum statibus commonefacerem legentes. Postremo totum opus recognitum, a mendis non paucis vindicatum, cum aliis exemplaribus contuli, variam lectionem notavi in margine, ac σχηματισμῷ involutam et monstrosam de* xxx *saeculis δοξομανίαν illustriorem reddere studui.* Ac quod veterem quidem versionem et priscas summulas plane abiecerit, male ab eo factum; postremum autem, de quo gloriatur, prorsus infectum puto: neque enim ullas in margine varias lectiones reperio.

§. 4. Denique *Franciscus Feuardentius*, theologiae Doctor parisiensis, quinque Irenaei adversus haereses libros, ex veteri manuscripto Domini Ioannis San-Andreani, ecclesiae parisiensis canonici, codice plurimis in locis emendatos et quinque capitibus in fine libri quinti auctos, apud Nivellum Parisiis edendos curavit anno 1575. et 1576. ut ex cl. *Dupinii* nova ecclesiasticorum auctorum bibliotheca didici: neque enim ipse hanc editionem in oxoniensibus bibliothecis nostris vel Londini invenire potui. Id tamen parum refert: siquidem posterior editio Coloniae Agrippinae anno 1596. excusa, ac ibidem anno 1625. nec non Parisiis 1639. ac posthaec recusa, priori melior est, ut ipse *Dupinius* animadvertit, quia graeca Irenaei loca ex variis scriptoribus inserta habet. Sed ipsum potius *Feuardentium* tam de hoc, quam de aliis ad posteriorem editionem suam additamentis praefantem audiamus:

Libri primi decem et octo priora capita, ab Epiphanio quondam ad verbum ex Irenaeo graece transscripta, deinde ex Eusebio fragmenta viginti et duo, ex Theodoreto quatuordecim (*lege* sedecim), *ex Basilio duo, ex Melissa totidem, unum ex Anastasio Nicaeno, suis locis graece, prout ab Irenaeo primum descripta, hinc ab his patribus laudata fuerunt, typis evulganda curavimus. Deinde ad finem operis sex alia ex diversis eiusdem Irenaei operibus fragmenta, ex auctore Quaest. et Responsionum ad Orthodoxos apud Iustinum martyrem, Eusebio et Demetrio Diacopo* (Diacono) *collecta, graece subiecimus: et tam illa, quam ista maiori parte a laudatissimo viro Iacobo Billio, reliqua a doctiss. interpretibus, Ioanne Christophorsono, Herveto, Erasmo, Fabro, latine reddita, quam decenti fieri potuit ordine collocavimus. Superiora decem et octo libri primi capita graeca idem Billius scholiis, deinde R. P. Fronto Ducaeus, societatis Iesu, tam pius quam doctus theologus, suis notis ad Epiphanii graeca exemplaria contulerunt, emendarunt et illustrarunt.*

Nos quoque non solum ad illa, sed ad singula librorum capita et adiecta de novo fragmenta, annotationes locupletissimas addidimus, quibus emendationum rationes reddimus, obscuriora et ambigua plurima loca, multasque graecas et Latinis minus usitatas phrases explicamus, etc. Ceterum novissimae *Feuardentii* editioni adiecta sunt ad calcem graeca Irenaei loca, quae *Halloixius* e claromontano Parallelorum *Damasceni* codice praecipue descripta, in Vita Irenaei cap. 15. ediderat.

§. 5. Hanc nostram quod attinet editionem (cuius suscipiendae primus mihi auctor idem qui praecipuus in Anglia Maecenas fuit, Reverendus Dominus D. *Henricus Aldrich*, aedis Christi decanus mihi plurimum colendus) exhibet ea antiquissimam versionem latinam, ad exemplar *Feuardentii* recusam, sed IV. MSS. codicum, quandoque etiam *Erasmi* ac *Gallasii*, ut et graecorum exemplarium ope, adhibitis haud raro nostris aliorumque coniecturis, ducentis ferme in locis emendatam, ac rectius, quam hucusque factum fuerat, per commata, cola, parentheses, periodos, capita distinctam. Sistit ea dimidiam prope graeci textus (si citata Scripturae loca demas) partem, ac tam a *Feuardentio et Halloixio*, quam a *Combefisio* undique conquisita, denique a memetipso ex editis et manuscriptis *Catenis*, quas vocant, patrum aliisque codicibus suo loco indicatis, collecta fragmenta, illaque emendatiora, ac suis quaeque locis inserta; additis insuper pluribus deperditorum Irenaei tractatuum haud spernendis particulis ac sententiis, velut ex naufragio collectis. Continet ea selectiores *Gallasii, Feuardentii, Billii, Frontonis Ducaei, Leopardi, Scaligeri, Petavii, Halloixii, Valesii, Isaaci Vossii, Cotelerii, Dodwelli*, aliorumque, ac meas insuper annotationes textui subiunctas, nec non varias dictorum exemplarium lectiones inferius subnotatas. Porro necessarium visum fuit, duos locupletissimos conficere indices, locorum s. Scripturae alterum, alterum rerum in Irenaei textu occurrentium. Hos sequitur triplex glossarium: *latino-graecum*, quod graeca Irenaei verba, quae latinis antiqui interpretis vocabulis respondent, ordine recenset; *graeco-latinum*, quod graecas voces ac phrases rarioris usus exhibet; *latinum* denique, quo inusitata eaque obscuriora latini interpretis verba usitatis clarioribusque explicantur. Postremo, ne quid ad Irenaei nostri illustrationem deesse videretur, Ioannis Croii *specimen coniecturarum et observationum in Irenaeum, Epiphanium*, etc. ob exemplarium raritatem recusum ac mantissae loco adiectum est.

§. 6. Prius autem quam praefandi finem faciam, amicis, qui de me meoque Irenaeo bene meriti sunt, debitas publice ago gratias. Horum primus est ante laudatus celeberrimus Dominus *Dodwellus*, qui iam pridem novam operum Irenaei editionem meditatus, isto consilio optimum *Isaacii Vossii* codicem manuscriptum accuratissime cum *Feuardentii* exemplari contulit, indeque collectas varias lectiones omnes pro singulari erga me et quoscumque ecclesiasticae antiquitatis studiosos affectu libentissime communicavit, ut et apographum variantium lectionum, quas a *Iosua Mercero* olim e duobus MSS. codicibus, nescio quibus, erutas, idem *Vossius* ipsi Domino *Dodwello* describendas dederat. Codicem *Arundelianum* in bibliotheca regiae societatis Londini iam asservatum, quem quadringentorum annorum esse arbitror, ipsemet quidem ante

triennium cum *Feuardentii* editione diligenter contuli; utpote cuius usum vir supra modum humanus Dominus *Woodward*, medicinae Doctor, ac dictae societatis sodalis, mihi benignissime impetraverat. Attamen quum Reverendus D. *Battely*, canonicus cantuariensis, postea suum Irenaei exemplar, in quo magnam variantium dicti codicis lectionum partem annotaverat, sponte mihi transmiserit, hanc eius benevolentiam tacere nolui, praesertim quod una atque altera ad oram adscripta eius observatione usus fuerim. Fragmentum e codice bibliothecae vindobonensis pag. ultima huius editionis pro singulari humanitate sua mihi transmisit clariss. D. *Edmundus Gibson*, reverendissimo archiepiscopo cantuariensi a sacris et bibliotheca: quamquam istud antea e schedis eruditissimi D. *Ab. Selleri* Londini descripseram. Multas vero gratias habeo viro ob eximium candorem, nec minorem eruditionem, mihi dilectissimo D. *Ioanni Pottero*, collegii lincolniensis socio, qui glossarium graecum integrum fere, me rogante, conficere haud gravatus est, quod ad prolegomena conscribenda temporis praefiniti angustia me adigeret. Ceterum per universum hoc opus, ubi dubius quandoque haesi, praesertim circa loca quaedam Scripturae, ab Irenaeo paullo aliter ac nos ea legimus citata, honoratissimum fautorem meum D. *Ioannem Millium*, s. theologiae professorem doctissimum, consului, cuius monitis et pererruditis in novum Testamentum annotationibus me haud parum profecisse gratus profiteor. Inter exteros unicus mihi nominandus R. P. *Michael Lequien*, ordinis praedicatorum theologus parisiensis, cuius inusitatae ad meam omnemque rem litterariam iuvandam alacritati debeo omnia, quaecumque e gallicanis codicibus descripta aut emendata dedi. Hisce igitur, benevole lector, utere et Deum pro mea salute ora.

RENATI MASSUETI

PRAEFATIO.

Ex omnibus sanctorum patrum operibus vix ulla esse Irenaei scriptis bonorum omnium veneratione, studiis, lectione ac curis digniora, mecum ultro fatebitur quisquis christianarum rerum non omnino rudis exstiterit. Quaecumque enim ad auctoritatem scriptoribus ecclesiasticis comparandam praecipua sunt, ea omnia sanctissimum hunc Lugdunensium episcopum splendidissimumque quondam Galliae nostrae lumen commendant. Si antiquitatem spectemus, *vir apostolicus* [1]) fuit, *vicinus apostolorum temporibus* [2]), et ab apostolorum discipulis institutus; si doctrinam, *omnium doctrinarum curiosissimus explorator* [3]) exstitit, *rectae semper catholicaeque doctrinae propugnator* [4]) strenuissimus et in Scripturae sacrae, priorumque patrum lectione apprime, ut ubique clamant eius scripta, versatus: si sanctitatem denique, *vir omnino Spiritus Sancti donis ac caelestibus ornamentis instructus fuit* [5]), cuius

---

1) Hieron. in cap. 64. Esa. 2) Basil. lib. de Spirit. S. c. 29. 3) Tertull. lib. cont. Valent. cap. 5. 4) Euseb. lib. III. Hist. cap. 23. 5) Epiphan. Haer. XXXI. §. 33.

scripta, ut Erasmi verbis utar, spirant priscum illum evangelii vigorem, ac phrasis arguit pectus martyrio paratum; quem sanctissimi martyres lugdunenses epistolis suis magnifice commendant; quem denique morum integritas in Pothini primi Lugdunensium episcopi locum suffecit. E pluribus vero quae reliquerat doctrinae pietatisque monumentis supersunt libri quinque quos scripsit adversus haereses Gnosticorum, quae eius tempore in regione lugdunensi, cui praeerat, grassari iam coeperant; eo pluris aestimandi, tum quod ex tot et tantis quibus christianam fidem illustraverat operibus, nihil aliud fere sit reliqui; tum quod pretiosae sint apostolicae aetatis reliquiae, quibus ea, quam discipulis suis tradiderant apostoli et ab his acceperat Irenaeus, doctrina et facile deprehenditur, et ad nos illibata transmittitur. In iis siquidem praecipua quaeque catholicae, quam hodienum profitemur, fidei dogmata de mysteriis sanctissimae Trinitatis et incarnationis, de sacramentis, ecclesiastica hierarchia, divina episcoporum institutione, traditionis auctoritate, Petri eiusque successorum suprema dignitate ac primatu etc. diserte adeo explicantur et confirmantur, ut non veteres tantum, sed quotquot ab apostolicis temporibus ad nostra usque emerserunt haereses hinc radicitus exstirpari ac funditus everti valeant. Eapropter a Gregorio Magno diu ac sollicite quaesiti et a ss. patribus ac piis quibusque Catholicis tam sedula manu versati et eo studiosius perlecti sunt, quo puros apostolicae doctrinae latices a fontibus recentes haurire volupe fuit. Hinc ex quo renata in Occidente bonarum litterarum studia, resurgente simul in Irenaei lucubrationes amore, nihil prius habuerunt ii, quibus sacra antiquitas cordi fuit, quam ut eas e bibliothecarum tenebris erutas typis committerent publicique iuris facerent.

Prima omnium editio est quam Basileae procuravit Desiderius Erasmus anno 1526. ex tribus exemplaribus; uno quod Romae descriptum ad eum misit Ioannes Faber, duobus aliis e monasteriis commodato praebitis. Quid insuper in hac editione praestiterit, monet in sua epistola nuncupatoria ad Bernardum de Gloss episcopum tridentinum, postea creatum cardinalem a Clemente Papa VII. anno 1529. quam ad editionis nostrae calcem reponi curavimus. At ut homini de litteris ceteroquin tam bene merito plurimum debetur, quod Irenaei libros primus luce donaverit; ita dolendum, quod melioribus codicibus destitutus plura praestare non potuerit. Tot enim mendis, lacunis, mutilisque ac depravatis periodis scatet eius editio, ut Irenaeus saepe in ipso Irenaeo quaeratur illiusque sententiam assequi difficile sit. Secundam curavit Nicolaus Gallasius, Calvinianorum genevensis minister, qui eam Genevae evulgavit anno 1570. Sed quamvis errata, collatis exemplaribus, a se emendata fuisse dicat; quum eadem tamen, quae apud Erasmum, occurrant, palam est nullos consultos fuisse MSS. codices. Novae dumtaxat veteribus additae capitum summulae et inserta quae graece ex Irenaeo transscripsit Epiphanius, cum nova interpretatione latina eaque parum accurata. Unde Gallasii, ut videtur, consilium fuit, non tam ut cultior et emendatior prodiret Irenaeus, quam ut prolixis ex calviniana doctrina notis viri sanctissimi sententia circumveniretur, et veterum haereseon triumphator reluctans ad novam traheretur aut maledictis lacerarctur. Gallasium excepit Ioannes Iacobus Grynaeus ex eadem secta, qui novam

Irenaei librorum editionem Basileae anno 1571. curavit, a praecedentibus nihil diversam; nisi quod antiquam priorum libri primi capitum, quae graece refert Epiphanius, interpretationem latinam temere sustulerit, ut Iani Cornarii versionem substitueret, omisso textu graeco; novaque singulis capitibus argumenta, veteri servata divisione, praemitteret. Iis omnibus emendatior quae Francisci Feuardentii, ordinis Minorum, in sacra Facultate parisiensi Doctoris, opera et studio Coloniae anno 1596. prodiit, ibidem ac Parisiis deinceps saepius recusa. Ea enim, quae typis Nivellii anno 1575. et 1576. prodierat, a priorum editionum vitiis nondum satis expurgata erat. Nam praeterquam quod textum latinum ad Vaticani et veteris alterius optimae notae codicis MS. fidem comparatum pluribus in locis restituit, lacunas supplevit ac quinque postremis libri quinti capitibus hactenus desideratis auxit; libri primi priora decem et octo capita, ab Epiphanio quondam ex Irenaeo graece descripta, aliorumque fragmentorum graecorum ex variis auctoribus erutorum copiam non poenitendam verbis latinis adiunxit, subiectis etiam doctissimis Iacobi Billii et Frontonis Ducaei observationibus. At ut prioribus perfectior, nec ipsa tamen numeris omnibus absoluta, immo nec paucis nec levibus vitiis laborat Feuardentiana haec editio. Ut enim nihil de notis dicatur, eruditis quidem, ut ea aetas ferebat, sed prolixioribus et a proposito longius excurrentibus, nihilque aut parum omnino ad textus elucidationem conducentibus; eum in locis bene multis nec feliciter restituit, infelicius explicavit, in pluribus ne quidem quid posset expertus est: ita ut post Feuardentii curas sexcenta superessent, quibus medicam manum admoveri necesse erat; quorum tamen non pauca emendavisset facili negotio, si codices MSS. quibus usus est, paullo attentius consuluisset. Omitto quae in ea editione desiderantur adminicula, quibus lectoris labor minuatur eique via ad facilius investigandum et assequendum auctoris sensum muniatur.

Prodiit tandem anno 1702. Oxonii in Anglia, nova, accuratior et elegantior operum Irenaei editio, studio et opera viri clarissimi Ioannis Ernesti Grabe, variorum ipsiusque notis illustrata et novis fragmentis locupletata. Quin ex eius laboribus saepe profecerimus, dissimulare nec possumus nec volumus. Hanc editionem commendat typorum elegantia, in exquirendis ac colligendis novis fragmentis graecis non indiligens cura et in emendandis locis aliquot felix coniectura. Verum quod in Feuardentio et Gallasio eruditis displicuit, idem viro clarissimo accidisse quisque agnoscet. Nam illius exemplo meliora saepe quum vidisset probavissetque, deteriora tamen secutus, vitiosas aut minus sanas lectiones amplexus est, obviis et nativis in marginem reiectis, ac longe plura, quam emendaverit, loca manifeste corrupta ne tentavit quidem, aut plane infeliciter. Gallasium vero imitatus, ecclesiae anglicanae, cui se adiunxit, dum studet impensius, potior illi cura fuisse videtur, ut Irenaeum etiam invitum et reluctantem anglicanae sectae adiungeret, quam ut opus castigatius daret et emendatius. Hinc tot notarum fastidiosa prolixitas, ut levissima quaeque verba, saepissime nihil ad rem facientia distorqueat, in aliis véro locis parcior, Feuardentii et aliorum notis, iisque nullo delectu adscitis, nihilque ad textus intelligentiam conferentibus, margines inferiores refercit; proprias suas, si quae sunt, eruditas

licet, quum tamen eruditionis illa supellex ad auctoris sententiam illustrandam parum pertineat, lectorum exiguo fructu auxit maiorem in modum. Hic taceo, quod in dissertatione secunda commodius exponam, quod in oxoniensi editione servata veteri quidem, Irenaeo tamen longe recentiori, at inepta prorsus capitum sectione, lemmata interdum pro arbitrio sustulerit, transtulerit, dissecuerit, pluribusque non raro simul, non sine dispendio plurium capitum iam lemmatibus truncatorum, congestis, vel iisdem bis aut ter repetitis, confusionem magis auxerit, quam minuerit clarissimus Grabius. Quid, quod fragmenta graeca suis quidem locis opportune inserta, sed ita incommode disposita sint, ut perpetuo velut circuitu per paginas oberrare teneantur lectorum oculi, incerti saepe quo ferri debeant? Sed haec forte typographorum culpa est, quibus etiam id imputare debemus, quod tanta sit illius editionis in transmarinis regionibus penuria, ut quum non sine maxima difficultate maiorique pretio comparari posset, eam praelis suis subiicere meditarentur bibliopolae parisienses et amstelaedamenses.

Itaque viris doctrina et pietate conspicuis visum est, non utilem modo, sed necessariam esse novam Irenaei editionem, quae et accuratior esset et a Catholicis inoffenso pede decurri posset. Id laboris a quopiam e nostris suscipi cupierunt, rati videlicet, nec immerito, Irenaeum, apostolicum illum virum, *Occidentalium Gallorum lumen,* ut vocat Theodoretus [1]), tantaeque auctoritatis scriptorem, non mereri minus quam reliquos, ut in eius operum accurata editione nostra versaretur industria; et quod in aliis non poenitendo successu, quae ex congregatione nostra prodierant, editionibus praestitum est, in ista quoque, non minus operosa quam necessaria, praestare conaremur. Id igitur oneris impositum mihi, detrectatum quidem diutius, subii tandem. Quid vero praestare conatus fuerim, paucis explicandum. Tria mihi potissimum praestanda esse duxi: textum emendare ac pristino decori, ut fieri potest, restituere, eundem illustrare ac demum ea omnia lectoribus parare subsidia, quibus labor eorum minuatur. Ad primum quod attinet, quum graecus Irenaei textus, maxima ex parte, temporum iniuria, dudum perierit, unusque fere supersit latinus, iam instar archetypi; in hunc curas omnes contuli, ut emendatissimus quam fieri poterat, et ab inspersis librariorum culpa naevis abstersus prodiret. Hunc ad novos tres MSS. codices, a nullo hactenus recensitos, attentissime exegi. Primum e bibliotheca claromontani collegii Soc. Iesu acceptum, utendum mihi praebuit vir doctissimus, cuius humanitatem numquam non experti sumus, R. P. Ioannes Harduinus, eidem bibliothecae praefectus. Is optimae notae codex, quum ante annos ut minimum 800 scriptus sit, teste eruditissimo piae memoriae D. Ioanne Mabillonio, perito, si quis umquam, talium rerum aestimatore, omnium, ad quos priores editiones factae sunt, videtur antiquissimus. Mutilus tamen est; avulsis enim postremis foliis pluribus, extremis fere decem capitibus decurtatus manet liber quintus. An casu, an improvido scioli cuiuspiam (cui forte displicuerit millenariorum error ab Irenaeo propugnatus) zelo id acciderit, obscurum est. Certum est integrum olim fuisse codicem; quum pars vigesimi sexti capitis adhuc supersit. Cetera

1) Theodoret. Dial. I. pag. 33.

deinceps ad libri finem interierunt. Hinc Claromontanum codicem diversum esse a Feuardentiano manifestum videtur: hic enim integer fuit, ille vero multo emendatior. Alterius codicis varias lectiones toto libro primo et prioribus octo libri secundi capitibus Passeratii manu descriptas ad oram unius exemplaris editionis Erasmi, ab uno e reverend. patribus Dominicanis vici S. Honorati, huius urbis, amico meo accepi. Quin e MS. codice, eoque perantiquo, ac bonae notae, et a Feuardentiano, Claromontano et Vossiano diverso excerptae sint, nullus ambigendi locus mihi est, nec aliis erit, qui eas cum laudatorum codicum lectionibus contulerint. Quis sit ille codex et ubi nunc delitescat, hactenus deprehendere non potui; amissum non adeo aegre ferrem, si ceteras varias lectiones ad libri sui marginem notare perrexisset Passeratius. Tertius codex quo usus sum, recens ac chartaceus, annos quadringentos non excedit, nec posteriora quinque libri quinti capita continet. Is Romae asservatur in bibliotheca eminentissimi cardinalis Otthoboni; quem quidem vir optimus ac de litteris tam bene meritus D. Bianchinus, pro singulari sua in nos humanitate, communicavit cum RR. PP. Domino Guillelmo La Parre, congregationis nostrae in Curia romana procuratore generali, eiusque socio D. Claudio de Vic, qui varias eius lectiones pro sua benignitate describere et ad me transmittere dignati sunt.

In subsidium accesserunt ii codices, quibus in adornandis editionibus suis usi sunt tum Franciscus Feuardentius, tum clarissimus Ioannes Ernestus Grabius, quorum varias lectiones ad oram editionis suae non indiligenter (Grabius praesertim) adscripserunt. Et quidem veterem illum, quo Feuardentius usus est, frustra quaesivimus, neque utrum perierit, an in alicuius bibliothecae forulis delitescat, scire potuimus. Sunt qui existimant eum in Vossii manus devenisse; sed utriusque lectiones conferenti, diversos esse statim apparebit. Alium codicem in bibliotheca vaticana asservatum citat Latinus Latinius, variasque eiusdem lectiones refert, et post eum Feuardentius; sed iam in illa bibliotheca desiderari, tum ex iis qui eam diligenter perlustrarunt, tum ex amicorum litteris accepi. Quatuor, ut dixi, MSS. codicibus usum se esse profitetur Grabius, illo nimirum qui Isaaci Vossii fuit, optimo codice supra laudato, quem accuratissime cum exemplari Feuardentii contulit Dodwellus, indeque collectas varias lectiones cum eodem Grabio communicavit; Arundeliano, in bibliotheca regiae societatis Londini iam asservato, quem quadringentorum annorum esse arbitratur; et apographo variantium lectionum, quas a Iosia Mercero olim e duobus MSS. codicibus, nescio quibus, ait Grabius, erutas, idem Vossius Dodwello describendas dederat. Sed neque Grabius neque Vossius neque alius quisquam, praeter Iosiam Mercerum, duos illos codices vidisse se dicit, nec, ubi iam exstent, indicat. Quas vero ex apographo refert eorundem varias lectiones Grabius, secum illae adeo in omnibus fere consentiunt, ut ex uno et eodem codice excerptae esse videantur, aut saltem ex duobus, quorum alter ex altero descriptus fuerit; uterque vero, si duo sint, ex recenti codice, eoque non adeo bonae notae. Et nisi me fallat coniectura, puto Otthobonianum codicem superius memoratum, esse ipsum autographum ex quo primum transcriptum fuerit apographum, et ex hoc aliud: utrumque vero quum in Iosiae Merceri manus devenerit, ceu totidem diversos codices

habuit. Quaecumque enim ex Otthoboniano lectiones mihi Roma transmissae sunt, eaedem fere sunt, quas Grabius ex duobus illis Merceri codicibus allegat. Quare licet a nobis lectiones illorum codd. variae ex Grabio adducantur; ne tamen illis plus fidei attribuant quam mereantur, (merentur autem exiguam) monitos lectores velim. Arundelianus codex interpolatus fuisse videtur sive a librario ipso, sive ab aliquo recentiori; quod verisimillimum agnoscet quisquis eiusdem lectiones diligenter perpenderit. Unde superest unus Vossii codex, cuius nutare non possit fides. Et revera collatis eiusdem lectionibus cum Claromontanis et iis quas ex veteri suo codice refert Feuardentius, antiquum esse et bonae notae deprehendi; in eoque ceteris omnibus, qui iam supersunt, praecellere, quod solus, Grabio teste, posteriora quinque libri quinti capita contineat. Nec proinde dubitavi, ubi tres istos, omnium antiquiores et meliores, consentientes habui, textum eorum auctoritate restituere ipsisque, spretis aliis, ad amussim adhaerere, nisi apertas corruptionis notas prae se tulerint.

Praeter MSS. codices, edita exemplaria, antiquiora praesertim, consulere non piguit, eaque interdum, ubi MSS. codices vel depravati, vel minus sani esse videbantur, praeponere. Sic factum ut Irenaei textum plurimis adhuc in locis vel scribarum seu imperitia vitiatum, seu oscitantia mutilatum, vel sciolorum audacia redundantem, aut interpolatum, castigarim; additis quae deerant, resectis quae abundabant, recte distinctis quae male cohaerebant, adeo ut pauca iam mihi superesse videantur, in quibus lectionis difficultas lectorem possit remorari. Ubi vero manifesta fuit exemplarium depravatio, hanc vel ex graecis verbis, si illorum copia fuerit, vel ex aliis parallelis locis, in quibus occurrunt eadem prorsus repetita verba, vel ex coniecturis aliunde certis, adhibito etiam doctissimorum hominum consilio, emendare non dubitavi. Id tamen rarius et tanta religione factum est, ut vulgata lectio, quantumvis aperte corrupta, ad oram libri servetur, deinde ut ea licentia intra singulares voces, et non tam latini interpretis, quam librariorum culpa depravatas constiterit; ad dubias numquam pervaserit, longe minus ad integra commata vel periodos integras; quibus novas, graeci textus vel alterius cuiuscunque parelleli loci auctoritate, substituere nefas duxissem. At ubi sanior ille visus est, id observare, novamque interpretationem, veteri latina accuratiorem, dare operae pretium visum est, sed in inferiorem marginem translatam; ita ut vetus lectio sedem auctoritatemque suam retineret. Varias, quae alicuius momenti forent, lectiones infra adscripsimus, indicatis unde sumtae sunt codd. Si quid ex eorum fide mutandum supplendumque visum est, lectores monere mutationisque rationes afferre non negleximus, tanta cum religione, ut verendum sit, ne arguta nimium aliquibus diligentia nostra videatur: sed praestat hic diligentiam culpari, quam desiderari. Ne tamen actum ageremus, priorum editionum errata omnia, quae iam correxerat Feuardentius, revocanda esse non putavimus: unam Feuardentianam editionem, quae omnium manibus tere batur, emendandam esse censuimus; iis dumtaxat observatis et inter varias lectiones recensitis, quae in aliis editionibus praecipua et saniora esse videbantur.

Non minor in recognoscenda ea parte graeci textus, quae exstat,

cura fuit adhibita, quamvis deficientibus MSS. minori successu. Quin graece scripserit Irenaeus eiusque libros in latinum sermonem, quem modo habemus, converterit imperitus aliquis ac barbarus interpres, vix dubitatur; id abunde probatum est in secunda dissertatione, quae praefationem excipiet, ad quam lectorem remitto. Quum autem textus graecus integer, temporum iniuria, iam dudum perierit, supererat ut dispersa undique fragmenta conquirerentur; quod et sollicite factum est. Quaecunque enim seu veteres conservarunt, seu recentiores ediderunt, seu aliae editiones exhibent Irenaei fragmenta, sive eorum quae supersunt, sive quae interierunt, operum, ac nova protulit clarissimus Grabius, ex variis auctoribus tum editis, tum manuscriptis eruta; et nostra haec exhibet editio, sed interdum auctiora et emendatiora, iis additis quae ipse collegi vel amici suppeditarunt; omnia eo ordine collocata atque disposita, qui Feuardentiano et Grabiano longe commodior sit. Graecas bibliothecae regiae et colbertinae Catenas aliosque earumdem codices MSS. graecos, quos in notis suo quemque loco indicavi, consului, ac per diligentes amicos graeceque doctos expendi curavi; quaeque ex iis transscripta, sive a Combefisio, sive a Grabio, sive ab aliis edita sunt, a me recognita sunt omnia, nec semel correcta et restituta. Quae vero ex Epiphanio excerpta sunt, cum eiusdem bibliothecae regiae codice uno chartaceo, eoque recenti ac mendoso (nec enim melior occurrebat) denuo post Petavium contuli et a quibusdam, quae doctissimi viri diligentiam fugerant, erratis expurgavi. Ut et cum Vaticano codice (alios enim MSS. Epiphanii Panarii codices graecos non novi) conferrentur, nihil quod in me fuerit praetermisi; sed nullus graece doctus, qui tantillum laboris, paucorum certe dierum, suscipere dignaretur, Romae, ubi tamen plures sunt, reperiri potuit. Ceterum quae Irenaei graeca ab Epiphanio descripta Iacobus Billius in latinum sermonem convertit, quia longe elegantius accuratiusque vertit, quam vetus interpres latinus; illius interpretationem, iam Feuardentii editioni Coloniensi anni 1596 et Parisiensibus deinceps insertam, et in nostra e regione veteris adiunximus, ut altera ex altera illustretur. Alia vero pauca Irenaei fragmenta graeca, quae Billius itidem vertit, quaeque sic conversa Feuardentius editioni suae inseruit, et nostrae pariter inseri voluissemus; sed quum haec versio cum veteri citra confusionem componi non potuisset, eam omittere coacti sumus.

Irenaei textum a mendis purgare parum fuisset, nisi recte distinctus atque divisus prodiret. Distinctioni consulunt consuetae distinctionum notae apte, quantum licuit, quaeque suis locis repositae; divisioni vero nova capitum sectio novaque singulis praefixa lemmata. Factum id, quod vulgata divisio et antiqua lemmata non Irenaeo, sed imperito cuipiam recentiori tribuenda certissime videantur, ut in dissertatione secunda probatum satis existimamus; tum quod sectiones capitum saepe absurdissimae sint, non minus quam argumenta, quae auctoris sententiam obscurant potius quam repraesentant. Nihil tamen actum est, nisi ex doctissimorum hominum consilio, idque in prioribus quatuor libris dumtaxat: nam in quinto Feuardentiana divisio et lemmata fere servata sunt. Quin et singula capita in plures paragraphos seu numeros divisa sunt, affixis ad marginem brevibus summulis, quibus, quid quisque praecipuum com-

plectatur, lector uno velut intuitu conspiciat. Ne tamen, qui veteri divisioni in citandis capitibus assueti sunt, ex nova turbentur; Feuardentiana, quae iam communior, ad marginem servata est, cum asteriscis in textu, quibus Feuardentianorum capitum initium et finis designetur, quorum etiam argumenta integra initio operis comparata cum novis exhibentur.

Alterum quod pro officii ratione agendum mihi hac in editione duxi, textus illustrationem spectat. Quum enim vel ex tractati argumenti difficultate, vel ex latini interpretis imperitia, obscurissimus interdum sit Irenaeus; textum emendare emendationumque rationem reddere satis esse non videbatur, nisi etiam caligo verbis offusa dispellerctur. Monet Irenaeus ipse [1]), *portentuosissima et altissima esse* Gnosticorum *mysteria, quae non omnes capiunt.* Haec quidem, quam dilucide fieri poterat, aperit et confutat, sicque toto opere insectatur, ut ab iis numquam oculos avertat, ita tamen ut qui his in rebus mediocriter versati sunt, totumque tum auctoris scopum, tum adversariorum eius hypothesin non satis attente considerant, interdum animi pendeant, incerti vel quid significent salebrosae et obscurae, sed ut plurimum interpretis culpa, sermonis ambages, vel quorsum spectet oratio. His quum prae ceteris consulendum fuerit eorumque taedio ac labori parcendum, difficilia quaeque loca subiectis textui notis, quam brevissime potui, explicare conatus sum, adscitis etiam doctorum virorum observationibus, quaecunque ad auctoris intelligentiam conducere visae sunt, sed laudato semper auctorum nomine. Si quando vero frequentiores et fusiores videantur esse notae, id tribuendum argumenti difficultati, quam paucioribus expedire non valui, veritus ne, dum brevis esse studerem, obscurus fierem. Accedit, quod, quum varia et multa e sacris utriusque Testamenti codicibus testimonia proferat Irenaeus, quae quum ex alia versione sint, discriminis nonnihil habere videbantur; id observare in gratiam Scripturae sacrae studiosorum operae pretium visum est. Qui autem eiusmodi notis et observationibus non indigent eruditi, eas praetermittere Irenaeumque continenter legere possunt: in inferiori quippe margine positae a textu facile seiungi queunt. Non commisi tamen, ut margines gravarem iis notis, quae ad eruditionis (in me certe exiguae) ostentationem dumtaxat, vel ad dogmata et fidei controversias pertinent, nisi quando paucis verbis absolvi potuerunt, ratus videlicet, proprioque doctus experimento, lectoribus nihil molestius, quam ut singulis fere vestigiis, interpositis moris, insistere cogantur. Satius esse duxi, ea quae fusiori et accuratiori examine indigebant, non quidem in ipsa praefatione, ne in immensum cum rectae methodi dispendio cresceret, sed in singularibus dissertationibus pertractare, in quibus res quaeque suo ordine et continua serie expenderentur. Tres igitur operi praemisi: in prima de iis omnibus, quam accuratissime potui, disserui quae ad haereticorum, contra quos scribit Irenaeus, personam, aetatem, mores, scripta et dogmata pertinent; fontes, e quibus impura doctrina profluxerit, aperui, *altissimaque* eorum *mysteria* scrutatus, quid sub aenigmatico verborum cortice delitesceret, retegere conatus sum. In secunda quidquid de Irenaei vita et gestis,

1) Iren. Praef. l. I. pag. 3.

martyrio, scriptis ac potissimum de quinque libris *Detectionis et eversionis falso cognominatae agnitionis*, (hunc enim genuinum esse eorum titulum ibidem ostendi) de operis huius consilio atque methodo, quidquid denique de aliis sancti doctoris scriptis deperditis in veterum monumentis occurrit, studiose collegi ac pro virili mea parte explicui. In tertia demum totam s. episcopi doctrinae seriem evolvi; leviora, si quae sint, offendicula, ne in ea temere quispiam impingeret, patefeci; quod obscurius fuit, illustravi; quod alienum et male affictum reieci; quod ab heterodoxis prave contortum vanisque cavillationibus obscuratum, explanavi, vindicavi et asserui. Haec, inquam, initio operis praemisi, ut lector inoffenso pede posset Irenaei libros decurrere. Erit forte cui displicebit tanta haec chartarum moles operi non adeo ingenti praemissa. Moleste et ipse tuli, foliorum impressorum numerum praeter modum et exspectationem excrevisse. Sed fefellerunt typographi, falsi et ipsi paginarum manu exaratarum inaequalitate; alioqui huic incommodo prospexissem. Singulis porro libris praefixa est brevis ac dilucida uniuscuiusque analysis, (ea videlicet quae dudum a doctissimo nostro Domno Nicolao le Nourry sollerter concinnata, ab ipso vulgata est in Apparatu ad bibliothecam maximam veterum patrum; paucis quibusdam pro ratione nostrae editionis additis vel immutatis) qua libri scopus et argumentum uno velut conspectu perlustretur.

Ad calcem operis, praeter deperditorum Irenaei scriptorum fragmenta, ex variis tum editis, tum MSS. libris eruta, quorum quaedam graece, alia graece et latine nunc primum prodeunt, adiecta sunt per modum appendicis alia ex veterum Gnosticorum libris excerpta, quae sparsim apud veteres patres occurrunt; quae pluribus Irenaei locis non parum lucis afferent: ex hoc saltem specimine deprehendi facile poterit, haud vana esse, quae tum Irenaeus, tum alii patres de iis opinionum portentis scripserunt. Maximam partem iam collegerat clarissimus Grabius, Spicilegioque suo veterum patrum et haereticorum primi et secundi saeculi inseruerat. Quaedam ad MSS. bibliothecae bodleianae codices recognovit: quaedam et ipse ad MSS. bibliothecae regiae codices exegi. Haec excipient eorum praefationes, prolegomena, notae et observationes, qui novas Irenaei editiones hactenus publicarunt vel illustrarunt, ut sic uno volumine comprehensum, minorique sumtu studiosi nanciscantur, quod antea non nisi pluribus et maiori impensa comparare sibi poterant. Et quidem quod ad notas et observationes attinet, Billii, Frontonis Ducaei et Feuardentii integras denuo edi curavi, quamvis plura iam ex iis decerpsissem meisque inseruissem; ratus gratum me facturum lectoribus, si totum exhibeam, cuius partes antea legerint. Ex Gallasio paucissimas selegi, quum pleraeque nihil nisi vanas inficetasque declamationes contineant. Ex Grabio plures, eas videlicet quas catholicae aures ferre possint. Feuardentii notas non omnibus placere, Protestantibus vero plurimum displicere probe novi. Quin tamen pro tempore eruditae sint, virque pius ac doctus de Irenaeo totaque ecclesia catholica optime meritus fuerit, nemo absque iniuria negare potest. Saepe quidem ab argumento longius discedit et in heterodoxos acerbiori quam par esset stilo excurrit; sed id zelo catholicae fidei et tempori, quo, ferventibus controversiis bellisque civilibus, Calvinistae Catholicos perpetuis conviciis

et calumniis incessebant, condonandum. Quisquis ministrorum illius temporis scripta legerit et quam inverecunde Catholicis calumniam facerent ac clarissimis quibusque patrum testimoniis vim inferrent, expenderit, Feuardentium facile excusabit. Si quae vero huius argumenta intempestiva iam esse videantur non ipsius, sed adversariorum culpa est, qui parum sibi constantes, mutata identidem velificatione retrocedere, pluraque male constituto systemati vel addere vel demere, pro temporum et argumentorum ratione, coacti sunt. Acrius, nec aequius doctissimum hominem deprehendunt recentiores quidam, quod adulterina scripta non pauca ut vera allegaverit, eosque libros et tractatus patribus pluribus attribuerit, qui iam suppositicii esse agnoscuntur. Sed communis hic fuit error illorum temporum: nondum quippe satis eliquata veritate, reque ad severiores criticae regulas pensitata, id bona fide citabatur, de quo nullus esse videbatur suspicandi locus. Qui Magdeburgenses ipsos famosumque illum apud Protestantes criticum Andream Rivetum examinaverit, si non iisdem, in aliis tamen gravius lapsos, nec artis criticae peritiores fuisse illico deprehendet. Sed tandem si quid peccaverit Feuardentius, gravius, mea quidem sententia, peccat, qui culpam confitenti et quam primum emendanti iterum obiicere non veretur Dum primam Irenaei sui editionem adornaret, scribens in libri tertii cap. XXXIII. nunc XXII. inter varia quae congerit patrum testimonia, unum velut ex Cyrillo Alexandrino lib. VI. in Ioann. cap. XV. addidit: quod Cyrilli non est, sed Iodoci Clichtovei, qui quatuor Commentariorum suorum libros Cyrillinis interseruit. Errore statim agnito, hunc emendare festinavit vir bonus; sed quum folium iam per typographos excusum esset, nullum aliud supererat remedium, nisi ut, qua ratione corrigendus esset, lectores tempestive moneret in erratorum indice; quod et fecit. Quum autem Franciscus Suarez, haud lecto illo indice, Feuardentium acerbius perstrinxisset, digne pro incogitantia castigatus est in editione Coloniensi anni 1596. Ecce tamen, recentior quidam criticus, ne lectis quidem seu memorato indice, seu notis in citata editione additis, in sola Suarezii aut Theophili Rainaudi fide, erratum bis correctum et emendatum illi adhuc impingit. Quibus iam verbis exciperet Feuardentius, si viveret, accuratum illum censorem, qui quos auctores redarguit, ne segni quidem manu evolvere dignatur? Ut ut est, Feuardentii notas et observationes, quales in novissimis Irenaei editionibus prodierunt, tales iterum edi curavi, ita tamen, ut omnia eiusdem (quod et idem de aliis dici velim) dicta et allegata praestare nolim. Neque enim a me exspectandum fuit, ut omnia quae profert auctorum testimonia expenderem, ac si quis in iis citandis error obrepserit, indicarem; laboris id immensi fuisset, quem si suscepissem, non iam ipsas Feuardentii notas, sed novas in Feuardentium observationes, nullo aut exiguo fructu dedissem. Quum autem tum Feuardentius, tum alii observationes suas ad veterem capitum sectionem, quam sequebantur, accommodarint, sic accommodatas, ne qua confusio suboriretur, reliqui, novae dumtaxat editionis capita et paginas ad marginem indicavi.

Tertium denique, quod in animo fuit, lectori videlicet ea parare et offerre subsidia, quibus labor eius minuatur, sic exsecutus sum. Praeter tres superius memoratas dissertationes, easque omnes notas et observa-

tiones, quibus difficilia Irenaei loca elucidare conaus sum, ac novam capitum sectionem, novaque lemmata et summulas, quibus auctoris scopus et argumentum oculis exhibetur, in quibus omnibus forte nonnihil opis quibusdam fuerit; praeter haec, inquam, accessere quatuor ampliores locupletioresque, quam hactenus prodierint, indices. Primus est graecarum vocum glossarium seu lexicon; secundus latinarum difficiliorum et ab usu communi remotiorum, quarum significata vel Irenaeo seu eius interpreti propria vel non adeo obvia sunt. Tertius est eorum, quaecumque profert Irenaeus, Scripturae sacrae testimoniorum, adnotata etiam, si quae interdum occurrat, in citando uno et eodem testimonio diversitate, ut ea ratione Scripturae sacrae studiosi Irenaei codices sacros cum nostris comparare facile possint, quidve discriminis (levissimi certe) inter utrosque intercedat, observare. Quartus denique, rerum omnium praecipuarum, quae tum apud ipsum Irenaeum, tum in nostris dissertationibus et notis occurrunt; addito etiam in fine altero pro aliorum notis indice.

Haec sunt quae de nova hac Irenaei editione praefari visum est. Exposita iam totius consilii mei ratione, ceterum deinceps lectorem non morabor, quin ipse dispiciat, an opus votis et conatis respondeat. Quod si ita sit, unam hanc esse velim laboris mercedem, de ecclesia quidpiam meruisse; cuius iudicio quaecumque a me prodierunt, libenter subiicio, ea omnia emendare ac revocare paratus, quae emendare ac revocare iusserit.

RENATI MASSUETI DISSERTATIONES IN IRENAEI LIBROS.

DISSERTATIO PRIMA.

DE HAERETICIS, QUOS LIBRO PRIMO RECENSET IRENAEUS, EORUMQUE ACTIBUS, SCRIPTIS ET DOCTRINA.

ARTICULUS PRIMUS.

DE VALENTINO.

I. EIUS PATRIA.

De Valentini patria et stirpe nihil certum, Epiphanio [1]) teste, e veteribus exsculpi potest. Quamvis huius haeresin fuse exagitaverit Irenaeus, haec tamen alto premit silentio. Accepisse se ait Epiphanius, sed auditione sola et fama, non tamen, inquit, usque adeo certa, ut dubium levet, illum Phrebonitem esse, ex Aegypti quadam ora. Ubi pro Phrebonitem, cuius loci nulla apud veteres occurrit mentio, legendum contendit Lambertus Danaeus ad August. de Haeres. cap. XI. Pharbaethitem, cuius sententiae calculum adiicit Petavius in suis ad Epiphanium

1) Epiph. Haer. XXXI. §. 2.

notis. Exstat quidem Pharbaethites inferioris Aegypti nomus, cuius caput urbs Pharbaethus, Bubastico et Busiritico fluminibus conclusus, in meridiem vergens, cuius meminere Herodotus lib. II. cap. 166. Strabo lib. XVII. Plinius lib. V. cap. 9. Sed vereor, ut huius nomi situs cum Epiphanio consentiat, qui *Φρεβονίτην τῆς Αἰγύπτου παραλιώτην, Phrebonitem ad maritimam Aegypti oram* esse scribit. Longius enim a mari distat Pharbaethites nomus, ac, ne propius accedat, intercedunt Tanites et Neut nomi. Quare si quid et mihi coniicere liceat, lubentius apud Epiphanium legerem Phtenotitem vel Ptenetiten. Phtenotes enim Ptolemaeo nomus erat in Aegypti Delta, supra Meteliten, in austrum vergens, nec procul a mari, cuius caput erat *Βοῦτος, Butus*. Doctissimo Harduino idem esse videtur, qui Plinii *Ptenethu*, lib. V. cap. 9. idque verum nomen esse credit vir in geographicis peritissimus Christophorus Cellarius, quia in calchedonensi synodo, Act. I. *Heraclius Ptenethensis* memoratur. Quidquid sit, Alexandriam profectus Valentinus [1]), ibi Graecorum artibus non mediocriter institutus est. Doctissimum enim fuisse scribit Hieronymus in Ose. cap. X. et in Dialogo contra Marcionitas, qui Origeni vulgo adscribitur, *οὐκ εὐτελὴς ἀνήρ, vir minime vulgaris* dicitur. Quin saltem ingenio peracri et in lectione veterum philosophorum ac poëtarum non parum versatus esset. non negabit quisquis ad eius systema ex tam multis tamque abstrusis ideis, partim a se excogitatis, partim aliunde haustis, sed secum invicem utcumque aptatis fabricatum attenderit. In primis philosophiae platonicae, ad quam potissimum mentem appellebant Gnostici omnes, operam dedisse, testis est Tertullianus [2]), pluraque ab ea accepta dogmata demonstrant. Quum in Aegypto et praesertim Alexandriae, plurimi Iudaeorum eo tempore vixerint, hinc verosimile putat Ioannes Franciscus Buddeus, in Dissertat. de haeresi valentin. ad calcem *Introductionis ad historiam philosophiae Hebraeorum*, excusae Halae Saxonum an. 1702. Valentinum eorum philosophia, qualis eo tempore erat, fuisse imbutum. Auctor quidem est Clemens Alexandrinus [3]), discipulos eius, ut magistrum commendarent, gloriatos fuisse, eum praeceptorem habuisse Theodadem seu Theudadem quemdam, B. Pauli apostoli discipulum. Sed quis et qualis fuerit ille Theodades, et quanta fides suspectorum hominum narrationi debeatur, non satis constat.

II. VALENTINI AETAS.

2. De tempore, quo vixerit aut errores suos disseminaverit Valentinus, paullo acrior est inter eruditos disputatio. Dallaeus, ut epistolas Ignatianas, Puritanis omnibus molestissimas, suppositionis argueret, e re sua arbitratus Valentinum iuniorem facere, nullum lapidem non movit, ut Ignatio posteriorem probaret. Nempe quum in epistola ad Magnesianos verbum Dei dicatur *ἄϊδιος, οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθεῖν, aeternum, non a silentio progrediens*, his verbis feriri vult Dallaeus Valentinianorum *Σιγήν*. Atqui Sige haec, inquit, ante Ignatii martyrium nondum nata. *Primus* enim, Irenaeo [5]) teste, *ab ea, quae dicitur gnostica haeresis,*

1) Epiph. Haer. XXXI. §. 2. 2) Tertull. de praescr. haer. cap. 7 et 30. 3) Clem. Alex. Strom. l. VII. Edit. Potter. pag. 898. 4) Iren. I, 11.

antiquas in suum characterem doctrinas transferens Valentinus, sic definivit: dualitatem quandam innominabilem, cuius quidem aliquid vocari inenarrabile, aliud autem Sigen. At Valentinus usque ad Eleutherii pontificatum vitam protraxit, id est, usque ad annum Christi saltem 177. quo hic ecclesiam regere coepit. Quum vero passus sit Ignatius anno Christi 107. quis credat Valentinum tunc iuniorem, si tamen natus esset, dogmata sua cudere vel saltem spargere sic potuisse, ut sanctissimo martyri in notitiam venire quiverint? Sic Dallaeus. At quod veluti certum ex Irenaeo assumit, Valentinum primum omnium Sigen definivisse, falsissimum esse demonstravi in notis ad cit. cap. 11. Et quisquis id asserit, in veterum Gnosticorum historia peregrinus sit necesse est: apud hos enim Bythi et Siges copulatione nihil frequentius, ut fuse et invicte probavit doctissimus Pearsonius II. Part. Vindic. epist. S. Ignatii. Nec illud verius quod supponit Dallaeus, auctorem epistolae ad Magnesianos ad haereticorum Sigen respexisse: *σιγὴν* pro simplici *silentio* accipit, hancque vocem *τῷ ἀΐδιος* opponit. Vult nempe, verbum Patris aeternum esse, quod nunquam siluerit, nec silentium, ut homines, aliquando ruperit Pater; sed semper locutus, verbum sibi consubstantiale, aeternum proinde, proferre nec coeperit nec destiterit. Sed missis hisce controversiis, quae nostri non sunt instituti, Valentinum citius, quam putant Dallaeus et Blondellus, prima saltem pestiferorum dogmatum rudimenta protulisse, certissima demonstrant argumenta.

3. Scribit Irenaeus [1]), *Valentinum Romam venisse sub Hygino, increvisse vero sub Pio, ἦκμασε δὲ ἐπὶ Πίου, et prorogasse tempus usque ad Anicetum, καὶ παρέμεινεν ἕως Ἀνικήτου.* Consentit et Eusebius in Chronico, ubi certam temporum epocham assignat. Nam ad annum Antonini Pii III. Christi vero 141. *Sub Hygino*, inquit, *Romanae urbis episcopo Valentinus haeresiarches et Cerdo magister Marcionis Romam venerunt.* Tum ad annum Antonini Pii VI. Christi vero 144. Pio iam summo pontifice: *Valentinus haereticus agnoscitur et permanet usque ad Anicetum.* At in Graeco Eusebii paullo aliter: *Κατὰ ΥΓΕΙΝΟΝ Ῥώμης ἐπίσκοπον Οὐαλεντῖνος ἰδίας αἱρέσεως εἰσηγητής, καὶ Κέρδων τῆς κατὰ Μαρκίωνα πλάνης ἀρχηγός, ἄμφω ἐπὶ τῆς Ῥώμης ἐγνωρίζοντο. Sub Hygino Romae episcopo Valentinus propriae haereseos conditor, et Cerdon Marcionis erroris architectus, ambo Romae agniti sunt.* Quae tamen non adeo difficile conciliari possunt. Existimo enim Valentinum, quum primum Romam advenit sub initio pontificatus Hygini, catholicam fidem simulasse: nam ea erat, ut observat Irenaeus in praefatione libri primi et alibi, istiusmodi hominum malitia, ut *dissimilia nobis sentientes, similia* tamen *loquerentur,* quo facilius abriperent incautos. At vergente ad finem Hygini pontificatu, mentita iniquitas sibi caput attollere coepit, adhuc tamen timidius; donec audacior facta, sub Pio palam erupit. Hinc agnitus haereticus, et ab ecclesia pulsus, in Cyprum insulam, ut ait Epiphanius [2]), fugit, ubi *ad extremum impietatis prolapsus est, seque in eam, quam tuetur, flagitiorum disciplinam altius immersit.* Ibi exitiosae hypothesi supremam manum admovisse, ac demum e vivis excessisse satis probabile. Quo praecise anno diem obierit,

1) Iren. III, 4, 3. 2) Epiph. Haer. XXXI, §. 7.

non liquet. Ex Irenaei tamen et Eusebii verbis certo colligitur, ad tempora Aniceti pervenisse nec diutius vixisse. Haec enim, *παρέμεινεν ἕως Ἀνικήτου*, quae vertit Irenaei interpres, *prorogavit tempus usque ad Anicetum*, non ulterius prorogasse aperte significant. Quemadmodum idem Irenaeus lib. III. cap. 3. ut diu vixisse Polycarpum indicet, eodem verbo *παρέμεινε* utitur: *ἐπὶ πολὺ γὰρ παρέμεινε, multum enim perseveravit*, id est, diu vixit. Emendandus ergo Tertullianus scribens lib. de Praescript. haer. cap. 30. Marcionem et Valentinum *neque adeo olim fuisse, Antonini fere principatu, et in catholicae primo doctrinam credidisse apud ecclesiam romanensem, sub episcopatu Eleutherii benedicti donec ob inquietam semper eorum curiositatem, quam fratres quoque vitabant, semel et iterum eiecti, Marcion quidem cum ducentis sesterciis, quae ecclesiae intulerat, novissime in perpetuum discidium relegati, venena doctrinarum suarum disseminaverunt.* Si enim usque ad Eleutherii aetatem pervenisset Valentinus, id procul dubio non omisisset Irenaeus, qui sub hoc pontifice tertium librum suum scribebat; quum maxime novum hinc robur accessisset argumento, quod a novitate haereticorum doctrinae petebat, quos apostolis *multo posterius, mediantibus iam ecclesiae temporibus, insurrexisse in suam sententiam* demonstrabat. Quae etiam ait in praefatione libri primi, se Valentini discipulorum sententiam, de qua dicturus erat, exploratam habere tum a commentariis, tum a congressibus eorum, *qui nunc aliud docent*, Ptolemaei videlicet asseclarum; iam tum Valentinum in vivis superstitem non fuisse demonstrant. Sed demum quin Tertullianus gravi anachronismi culpa teneatur, dubitare nos non sinit, quod Antonini principatum cum Eleutherii episcopatu componat: quum tamen constet, Antoninum vivere desiisse annis saltem quatuordecim antequam romanam sedem conscenderit Eleutherius. Vereor ergo, ut Septimius memoria lapsus Valentinum pro Cerdone scripserit. Quae enim illi tribuit, eadem isti adscribit Irenaeus lib. III. cap. 4. Nec veterum quisquam alius memoriae prodidit, Valentinum Romae plus semel ecclesia pulsum fuisse; quod Cerdoni contigisse certum est. Quamquam tamen si quis Tertulliani verbis religiosius adhaerens, Valentinum bis ex ecclesia romana eiectum fuisse contenderet, semel scilicet sub pontificatus Hygini finem, iterum vero sub Pio, non adeo repugnarem. At eum *in catholicae primo doctrinam credidisse apud ecclesiam romanensem*, ibique deinde prima haereseos fundamenta iecisse, quasi a catholica fide nondum recessisset quum Romam advenit, nec alibi terrarum antea agnitus fuisset haereticus; quisquis ex Tertulliano vel cum Tertulliano intulerit, ea asserat necesse est quae cum historiae veritate pugnent.

4. Epiphanius expositis Valentini dogmatibus subiungit §. 7. hunc ea in Aegypto propagasse, tum Romam profectum errorem suum in ea urbe dissipasse, ac demum ad Cyprum delatum, ultimum fidei naufragium ibidem passum, animum omnino depravasse. Diu ergo antequam Romam proficisceretur, catholicam fidem abiecerat; si tamen abiecisse dicendus est, quod forte numquam suscepit. Crediderim enim, illius animum Gnosticorum fabulis iam ab initio Alexandriae imbutum, de nova hypothesi, qua sibi nomen faceret, fabricanda citius cogitasse, quam de veteri religione profitenda. Saltem Epiphanius iam eum ab Aegypto, ubi natus

et educatus fuit, haereticum exhibet, catholicum nusquam. Quam igitur haeresin ibi animo conceperat, ibi et spargere coepit, licet forte tum rudiori penicillo delineatam. Nec Aegypti finibus conclusa stitit venenata doctrina; manavit statim per vicinas regiones, multasque Orientis et Asiae provincias occupavit, sive a Valentino ipso, quum Romam proficisceretur, sive a discipulis eius disseminata. Constat siquidem, quum Iustinus martyr dialogum suum cum Tryphone scriberet, iam tum exstitisse in Asiae provinciis certam et constitutam Valentinianorum sectam, auctoris nomine conspicuam. Disputationem illam cum Tryphone Iudaeo, quae scribendi dialogi occasionem dedit, Ephesi habitam fuisse, testatur ipse Iustinus initio. Quum in decursu sermonis obiecisset Trypho [1]), *audisse* se, *plures* eorum, *qui se Iesum profiteri dicunt et Christiani nominantur, simulacris mactata manducare et nihil se ex eo capere detrimenti dicere*, non negat Iustinus; immo fatetur tales esse apud Christianos, qui ita sentirent et agerent. *Et sunt eorum quidam*, inquit, *qui vocantur Marcionitae; quidam vero Valentiniani, Basilidiani, Saturniliani, et alii alio praediti nomine, a principe sententiae quisque nomen obtinens.* At quid Valentinianos coram homine Iudaeo Ephesi tum commorante, in Graecia autem et Corinthi, ut ipse ait, plerumque agente, protulisset Iustinus, nisi in iis regionibus aeque noti fuissent et in sectam coaluissent, ac ceteri quos nominat? Paucos ex notioribus Gnosticis appellare satis ad institutum fuisset. Porro habitum ac scriptum fuisse dialogum anno circiter Christi 155. paucis annis postquam priorem apologiam Antonino Pio obtulisset, vulgata opinio est. Monuisse siquidem se affirmat, in laudato dialogo, Caesarem, Samaritanos *impostoris seduci in errorem, qui Simoni gentis suae mago parerent: quem Deum esse supra principatum et potestatem et virtutem omnem dicunt.* [2]) Haec vero quum in citata apologia occurrant, nemini dubium esse potest, quin post apologiam oblatam scriptus sit dialogus. Hanc autem oblatam volunt anno Christi 150. Asserit enim Iustinus, tum quum scriberet, *ante annos centum quinquaginta* Christianos *asseverare Christum sub Cyrenio natum esse* [3]). Sed quum ea loquendi formula non adeo certum annorum numerum exprimat, quin addi quidpiam aut detrahi possit, nec aliunde constet quo Augusti imperii anno natum Christum vellet s. martyr, scriptam apologiam anno aerae vulgaris 150. hinc liquido concludi posse non video, quum maxime verum Christi natalem annis quatuor solidis aeram vulgarem antevertere, iam certum sit apud eruditos.

5. Citius ergo scriptam apologiam arbitror, non quidem anno 141. ut vult Eusebius in Chronico, sed anno circiter 145. Plura siquidem hanc nostram coniecturam firmare videntur, Primum quod Antinoi recens in Deorum numerum relati, *Ἀντινόου τοῦ νῦν γεγενημένου*, meminerit. Porro Antinoi apothesis ab Adriano facta est anno Christi 130. si Eusebii Chronico, vel 131. aut 132. si aliis fides; recentis proinde memoriae, si Iustinum anno 145. scripsisse supponamus. Denique quod in dialogo post apologiam, ut diximus, edito, Trypho nomen et genus

1) Iust. dial. c. Tryph. Ed. Otton. T. II. p. 115. et 116. 2) Ibid. T. II. p. 401. et 402. 3) Ibid, T. I. p. 228—230.

exponens: *Trypho,* inquit, *vocor. Sum autem ex circumcisione Hebraeus, ex nupero bello profugus,* φυγὰν τὸν νῦν γενόμενον πόλεμον [1]). Et postea refert Iustinus, quod Tryphonis sodales in stadio, quod in xysto medium erat, sedentes, *de bello Iudaico agebant,* περὶ τοῦ κατὰ τὴν Ἰουδαίαν γενομένου πολέμου διελάλουν [2]). Quin bellum ab Adriano sub imperii finem Iudaeis, Barcochba duce, rebellibus illatum annoque circiter 136. confectum hic intelligatur, dubitari non potest. Ut enim ad aliud quidpiam, quo Iudaeos iterum rebelles petierit Antoninus Pius haec referam, quod innuit doctissimus Tillemontius [3]) in notis ad Marcionitarum haeresin, obtinere a me non possum. Et quamvis Capitolinus asserat, Antoninum per duces suos Iudaeorum rebellium audaciam contudisse; haec de inquietorum quorumdam hominum motibus statim repressis, potius quam de pugnato bello, quo flagrarit Iudaea, intelligenda sunt: huius siquidem, utpote incelebris, vix alios reperias qui meminerint. Non tamen ex citati dialogi verbis inferri velim, tunc temporis, quum Ephesi degerent Iustinus et Trypho, bello arsisse Iudaeam, ut hinc cum Scaligero concludam scriptum dialogum sub Adriano: editum hunc post apologiam, ac proinde sub Antonino, iam demonstravi. Nec necesse putem, pro *γενόμενον* et *γενομένου* apud Iustinum legere *γεγενημένον* et *γεγενημένου,* quod vult clarissimus Tillemontius, participium *γενόμενος* non praesentis modo, sed et praeteriti temporis saepe saepius significationem habere, et particulam *νῦν* pro *nuper* interdum accipi, notum est, et exemplis probari facile posset. Igitur *τὸν νῦν κατὰ τὴν Ἰουδαίαν γενόμενον πόλεμον* bellum significat, non quod tunc temporis gereretur, sed nuper in Iudaeam gestum iamque confectum; quodque quum Iudaeis adeo fatale exstitisset, eo altius illorum animis infixum haerebat, et frequentius in ore versabatur, quo recentior erat plaga.

6. Haec si anno circiter 145. editam priorem Iustini apologiam, ac paullo post dialogum conscriptum fuisse diserte non probant, demonstrant saltem utriusque tempus quam propius fieri poterit ad belli Barchochbaeani tempora revocandum esse; ac proinde quum vix citius scribi potuerit apologia, eo saltem anno scriptam fuisse par esse credere. Quum ergo Valentinianorum sectae meminerit Iustinus in dialogo, hinc sequitur iam ante annum Christi 150. celebrem fuisse ac longe lateque diffusam eorum haeresin. Quid si his addamus librum quem adversus haereses omnes composuisse se profitetur Iustinus in apologia [4]). Hunc autem ipsum esse, in quo Valentinianorum dogmata prodidisse et retudisse ait Tertullianus cap. 5. libri adversus Valentinianos, dubitare nos non sinit Hieronymi auctoritas in Catalogo. Quo vero anno et quo in loco compositus fuerit, dici non potest; at scriptum fuisse ante apologiam certum est; nec proinde probabilitate vacat, sub imperii Adriani finem, ut tradit Cedrenus. His itaque temporibus ab radice adeo pullularat valentiniana haeresis, ut, ne latius serperet, hanc scriptis exagitare necesse habuerit Iustinus.

7. Eo autem spectant hactenus dicta, ut liquido concludamus, Valentinum Romae quidem Pii temporibus agnitum fuisse haereticum;

1) Iust. dial. c. Tryph. Ed. Otton. T. II. p. 4. 5. 2) Ibid. T. II. p. 36. 3) T. II. Comm. in hist. eccl. 4) Iust. Opp. T. I. p. 194.

haeresin autem eius nec ibi nasci, nec adolescere potuisse; utpote quae iam antea alibi terrarum nota (immo et forte Romae, quamvis auctor ibi minus notus) doctorum catholicorum stilo confixa fuerat. In Aegypto primum efformatam, dudum antequam Romam proficisceretur (nec enim ex ea urbe in Aegyptum, hanc veneno suo infecturum rediisse, ullibi legitur) superius ex Epiphanio vidimus. Et quamvis quo tempore factum sit, haud ille tradiderit, a vero procul, mea quidem sententia, non recesserit qui prima haereseos exordia cum saeculi secundi initiis colligaverit. Hancque coniecturam mire confirmat Theodoretus. Scribit enim lib. I. c. 5. Epiphanem Carpocratis filium patris fabulas amplificasse; Adriano autem imperante, utrumque nefarias suas haereses confirmasse; ac proinde ante annum 138. quo vivendi finem fecit Adrianus. Constat vero ex Clemente Alex. et Epiphanio, Epiphanem ad Secundianorum, Valentini discipulorum, sectam sese applicasse, quod quidem fieri debuit sub extremis Adriani temporibus, aut saltem sub ipsa initia Antonini Pii, nec tardius; quum anno aetatis XVII. exstinctus sit Epiphanes. Iam ergo Adriano imperante tam late sparsa erat Valentini secta, tamque famosa, ut Secundus, immo et Ptolemaeus ac Colorbasus, eius discipuli, accepta a magistro materia proprias sibi sectas condidissent. Quae liquido probant, Valentini dogmata, diu antequam Romam proficisceretur, alibi terrarum et nota et latius disseminata fuisse: quae quum non simul et semel, sed paullatim obtinuerint, necesse est ineunte circiter saeculo secundo coeperint. Et certe, quum Irenaeo, apostolicorum temporum viro, antiquior esset Valentinus, ad apostolorum aevum propius accessisse necesse est. Hunc, ut dixi, a Theodade quodam, Pauli apostoli discipulo, institutum iactitabant eius discipuli. Vana forte, quod Theodadem illum, obscuri nominis hominem, spectat, vesanorum hominum gloriatio; non adeo tamen, ut hinc antiquissimum fuisse blasphemae haereseos principem inferri non possit. Quis enim credat, priores Valentinianos, mendaces licet, tam perfrictae frontis exstitisse, ut magistrum suum a Pauli discipulis institutum iactare ausi fuissent, ea praesertim aetate qua mendacium ab apostolicis viris non paucis in vivis superstitibus facile coargui potuisset, nisi saltem apostolorum discipulis coaevus fuisset? Nec, ut id asseramus, necesse est Valentini vitam diutius quam par sit protrahamus. Quum enim diem obiisse sub Aniceto certum sit, si anno circiter 158. mortuum, natum vero anno plus minus 85. dicamus, septuagenario maiorem e vivis decessisse asseremus; quod fidem non superat. Viderint nunc Dallaeus et Blondellus, an tantum, quantum ipsi putant, abhorreat a verosimili, Valentinum, qui vicenario maior esse potuit, quum martyrii palmam adeptus est Ignatius, iam prima sententiae suae rudimenta ponere potuisse. Sed de Valentini aetate iam satis.

III. EFFUNDENDAE HAERESEOS OCCASIO.

8. Huic, ut et multis aliis haereticis, effrenis ambitio, si Tertulliano [1]) fides, ruinae occasio fuit. Speraverat, inquit, *episcopatum Valentinus, quia et ingenio poterat et eloquio; sed alium ex martyrii prae-*

1) Tert. adv. Val. cap. 4.

rogativa loci potitum indignatus, de ecclesia authenticae regulae abrupit, ad expugnandam conversus veritatem. Hoc Romae factum coniicit nuperus auctor coniecturarum ferax; sed sicubi factum, alibi quam Romae fieri debuisse demonstrant quae hactenus diximus. Ut vero ex Tertulliani verbis elici utcumque posse putem, vafrum hominem cum spe adipiscendi episcopatus larvam, qua Catholicos fallebat, deposuisse: sic catholicam fidem usquam sincero animo tenuisse, hinc certo probari posse non censeam. Ut ut sit, exasperatus ob repulsam Valentinus, si quem antea modum tenuisset, minus deinceps tenuit, venenumque, quod in corde latebat, paullo apertius effudit, ita tamen ut huic plerumque ementitam catholicorum verborum speciem induceret; nisi forte in eos incideret qui vel simpliciores, vel auribus prurientes, vel captiosis quaestionibus iam seducti, quoslibet fabularum ventos captare parati erant; quibus seorsim omni remoto fuco mysterium iniquitatis pandebat. Is enim erat istiusmodi hominum, artibus callidae simulationis eruditorum, dolus, ut vanam spem perfectioris scientiae, quam pollicebantur, catholicorumque verborum corticem obiicientes, curiosos ac incautos alliceret, iisque letale venenum paullatim instillarent. Nefarias eorum artes passim describit ac retegit Irenaeus [1]), et post eum atque ex eo Tertullianus [2]).

IV. VALENTINI SCRIPTA.

9. Nec dictis modo, sed et scriptis dogmata sua sparsit Valentinus. Plures ab eo scriptas epistolas memorat Clemens Alexandrinus [3]), quarum et fragmenta refert. Quibus inscriptae essent, dicere praetermisit, una excepta, quam ad Agathopodem quemdam scriptam asserit. Duarum etiam eiusdem homiliarum fragmenta refert, alterius scilicet, in qua supra modum vesaniens immortalitatem suis pollicetur; alterius de amicitia. Psalmorum Valentini meminit Tertullianus lib. 1. de Carne Christi, cap. 20. Horum vero nullum iam superest fragmentum. At partem dissertationis de origine mali ab haeresiarcha editae habes in dialogo contra Marcionitas, qui Origeni vulgo adscribitur, Sect. IV. Sunt qui putant scriptum ab eo librum sub hoc titulo, *Sophia,* nixi his Tertulliani verbis adv. Valent. cap. 11. *Docet ipsa Sophia, non quidem Valentini, sed Salomonis.* Sed haec perperam explicant. Alludit enim Tertullianus, non ad aliquem Valentini librum, sed ad Sophiam, novissimum eorum, quos excogitavit, Aeonum, ut legenti patebit. Nec verius, quod alii contendunt, novum ab haeretico editum evangelium. Id quidem legitur apud Tertullianum cap. 49. libri de Praescript. *legis et prophetarum quaedam probat, quaedam improbat..... evangelium habet etiam suum, praeter haec nostra.* Sed iam constat inter eruditos, posteriora novem capita libri de Praescriptionibus adscititia esse, auctorisque Tertulliano iunioris opus videri. Certe, ne longius a proposito deflectam, genuinus Tertullianus huius libri cap. 38. Valentinum a crimine suppositionis novi evangelii palam absolvit. Id enim discriminis

1) Iren. praef. lib. I. et III, 15 et 17. 2) Tert. adv. Val. c. 1. 3) Clem. Alex. Strom. l. II. Ed. Potter. p. 448. et 488. Strom. l. III. p. 538. Strom. l. IV. p. 603. Strom. l. VI. p. 767.

inter hunc et Marcionem statuit, quod hic *manu scripturas*, ille *sensu expositiones palam interverterit*: Et quamvis *Valentinus integro instrumento uti videatur; callidiore* tamen *ingenio, quam Marcionem, manus intulisse veritati. Marcion enim*, addit, *exserte et palam machaera, non stilo usus est, quoniam ad materiam suam caedem Scripturarum confecit; Valentinus autem pepercit, quoniam non ad materiam Scripturas, sed materiam ad Scripturas excogitavit, et tamen plus abstulit, plus adiecit, auferens proprietates singulorum quoque verborum et adiiciens dispositiones non comparentium rerum.* Quae quidem ut probant Valentinum pravis expositionibus Scripturas ad argumentum suum obtorto collo traxisse; sic canoni nihil addidisse aut detraxisse palam ostendunt. Discipulos quidem Valentini *exsistentes extra omnem timorem, suas conscriptiones proferentes, plura habere gloriari, quam sint ipsa evangelia*, narrat Irenaeus lib. III. cap. 11. n. 8. *In tantum siquidem processerant audaciae*, ut novum evangelium, quod *veritatis* nuncupabant, confinxissent. At ipsi Valentino nihil simile usquam adscribit. Immo tum loco mox cit. tum lib. I. cap. 8. et 9. et alibi passim satis significat Valentinianos sibi coaevos sic canonem Scripturarum novo evangelio auxisse, ut nihil quidquam, nullum librum integrum, nullam eiusdem partem, (quod Marcioni non semel exprobrat) ab eo abiecissent: sed *vel parabolas dominicas vel dictiones propheticas aut sermones apostolicos*, ad hypothesin suam aptare conatos, calumniam intulisse Scripturis. Falsa igitur quae scribit auctor citatus additamenti, quod ad calcem libri de Praescriptionibus legitur: *legis et prophetarum quaedam probat, quaedam improbat..... evangelium habet etiam suum, praeter haec nostra;* si haec ad Valentinum referantur: vera forte, si de Valentini discipulis, non prioribus quidem, quibuscum egit Irenaeus, sed posterioribus. Et eodem modo explicanda putem, quae apud Chrysostomum leguntur lib. IV. de Sacerd. cap. 4. *τὸν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ δοθέντα τῷ Μωϋσῇ νόμον οἱ τὴν Οὐαλεντίνου καὶ Μαρκίωνος διαδεξάμενοι φρενοβλάβειαν, καὶ ὅσοι τὰ αὐτὰ νοσοῦσιν ἐκείνοις, τοῦ καταλόγου τῶν θείων ἐκβάλλουσι γραφῶν: legem quam Moysi dedit Deus, qui in Valentini ac Marcionis insanum dogma successerunt, et quicumque eadem cum ipsis insania laborant, e divinarum Scripturarum catalogo delent.* Haec ex Chrysostomi mente ad posteriores Valentinianos spectare perspicue demonstrant voces, quibus utitur, *τὴν Οὐαλεντίνου διαδεξάμενοι φρενοβλάβειαν, qui in Valentini insanum dogma successerunt.*

10. Exstat apud Epiphanium §. 5. fragmentum quoddam, quod ex aliquo Valentini libro decerptum existimat Blondellus. Sed aperte repugnat Epiphanius tum initio, tum fine, depromtum asserens e Valentinianorum, id est, e quorundam Valentini discipulorum libris, *τῆς αὐτῶν βίβλου, τὰ ἀπὸ τῶν Οὐαλεντίνων.* Repugnat et tota orationis series, ex qua fragmenti istius auctoris sententiam ab ea, quam paullo ante Valentino tribuit et explicuit Epiphanius, diversam esse liquet. Ut enim alia taceam, certum est, secundum Valentini et Ptolemaitarum hypothesin, a Logo et Zoë emissum esse Hominem et Ecclesiam: at in fragmento, inverso ordine, Homini et Ecclesiae Logos et Zoë subiiciuntur; quod quorundam Valentini discipulorum dogma fuit. Hi enim, ut

in notis ad cap. 11. libri I. Irenaei observavimus, a Gnosticis aliis moniti, in hoc a magistro defecerunt; absurdum rati a Verbo Hominem emitti, rationique magis consentaneum esse, ut ab Homine prodeat Verbum. Et hinc etiam Dodwellum [1]) redarguas, qui *hoc fragmentum ad Ptolemaici Valentinianismi characterem propius quam ad alias Valentinianae sectae disciplinas accedere* putat. Non enim Ptolemaici ab Homine et Ecclesia Logon et Zoën, sed potius Hominem et Ecclesiam a Logo et Zoë produci asserebant.

V. VALENTINI ET DISCIPULORUM EIUS DOGMATA ET HYPOTHESIS.

11. His vero, quae ad Valentini personam, aetatem, mores et libros attinent, quantum ex veteribus monimentis eruere licuit, expositis, ad alterum dissertationis nostrae caput, idque longe molestius, hominis nimirum hypothesin atque dogmata, sermo iam convertendus. Si quidem haec historico more simpliciter describere satis esset, res non adeo operosa: summatim enim relatis quae fusiori stilo prosequuntur Irenaeus, Tertullianus, Theodoretus et alii, iam officio functi discederemus. At periculosioris aleae plenum opus tractandum; Valentinianorum *ματαιολογίαι* ad originem, unde promanarunt, revocandae et quidquid male feriatum caput parturire potuit deliriorum, arte quadam et methodo discutiendum, faxque lectoribus antiquitatis ecclesiasticae studiosis praeferenda, ut facilior iis evadat auctoris nostri lectio, Nec tamen est quod quisquam in obscuris et intricatis adeo rebus a nobis certas hic exigat demonstrationes; satis erit, si, dubiis et ipsi manibus viam practentantes, coniecturas afferamus, quarum omnium collectio eum forte probabilitatis gradum attigerit, qui a vero et certo non adeo procul discedet.

12. Totam Valentini ac discipulorum eius hypothesin tribus niti capitibus, notum est. Primum pleromatis seu plenitudinis rerum divinarum explicationem complectitur. Alterum circa ea versatur quae extra pleroma contigerunt. Tertium denique mundi huius adspectabilis originem et constitutionem exponit. In prima parte res superiores ac divinae pertractantur; in postrema res infimae et corporales: in secunda res inter utrasque mediae. Prima triginta Aeonum, quorum quindecim masculi et totidem feminae, seriem exhibet, in varias veluti stirpes divisam, quarum omnium caput sit unus Deus, invisibilis, sempiternus, ingenitus et incomprehensibilis, quem Proarchen, Propatora et Bython, seu primum principium, primum patrem et profunditatem vocabant; cui coniugis loco sociabant Ennoeam, seu Cogitationem, quam etiam Sigen et Charin, Silentium et Gratiam nuncupabant. Haec suscepto a Bytho semine gravida genuit Nun, i. e. Mentem, Unigenitum et Patrem et Principium omnium et una cum eo Alethiam, h. e. veritatem. Haec primigena quaternitas, radix omnium. Ex hac erupit altera tetras, Logi et Zoës, i. e. Verbi et Vitae et Anthropi seu Hominis, ac Ecclesiae; ex Unigenito quidem Verbum et Vita, ex his vero Homo et Ecclesia; quamquam alii ab Unigenito primum Hominem et Ecclesiam, tum ab Homine et Ecclesia Verbum et Vitam derivarent. Ex utraque tetrade ogdoada

1) Dissert. IV. in Iren. §. 6.

conflabant, quam et ipsam primigenam ogdoada, radicem et substantiam omnium dicebant. Uti enim prima tetras secundam effuderat, sic secunda ceteris deinceps Aeonibus ortum praebuit. Et hinc Logos postremae caput, *Pater omnium eorum qui post se futuri essent et initium et formatio universi pleromatis* vocabatur. A Logo siquidem pullulavit nova Aeonum decas, Bythius videlicet et Mixis, Ageratos et Henosis, Autophyes et Hedone, Acinetus et Syncrasis, Monogenes et Macaria: ab Homine et Ecclesia dodecas, Paracletus et Pistis, Patricos et Elpis, Metricos et Agape, Aenus et Synesis, Ecclesiasticos et Macariotes, Theletos et Sophia; totidem nomina graeca, quorum significata reperies in glossariis nostris ad calcem operis. Hi triginta Aeones adeo decantati; hoc Valentinianorum pleroma in tria velut agmina divisum, in ogdoada, decada et dodecada, quorum prius ducebat Bythus cum Sige, secundum Logos cum Zoë, posterius Homo cum Ecclesia.

13. Quamvis autem uni et eidem stipiti, Bytho nimirum, originem acceptam referrent Aeones omnes, non una tamen et eadem fuit omnium conditio, sed dispar. Soli No, utpote primogenito, indulta perfecta cum Bytho communio; soli pervia huius magnitudo, ceteris inaccessa. Hinc in aliis omnibus cognoscendi patris aestus, ac propemodum in Nun invidiae livor; maior vero in novissima Aeonum Sophia, quae praecipiti exquisitionis impetu lata, absorpta fere fuisset et in universam substantiam dissipata, nisi tempestive occurrisset Horo, i. e. Termino, virtuti illi ab omni coniugio liberae, quae omnia fulcit et extra ineffabilem magnitudinem custodit; a qua demum repressa, suffulta et ad se ipsam revocata, priorem cogitationem simul cum ea *passione,* quae ex stupendo illo miraculo orta erat, abiecit. At desiderio rei impossibilis gravidae vix potis erat, quin impetus abortum afferret. Attulit vero, immaturumque fetum abegit, substantiam videlicet informem; cuius generis? haud satis inter fabulae architectos conveniebat, nec matri ipsi constabat. Inde miserae moestitia, timor summaque perplexitas, pristinae cogitationis appendices, necessariaque veluti consectaria: a quibus Hori, quem diximus, opera perpurgata, coniugio demum ac pleromati restituta fuit; ipsa eius Enthymesi, abortivo illo fetu formae ac figurae experte et appendice *passione* extra pleroma relegatis.

14. Ne vero similem casum subirent ceteri Aeones, alterum par Aeonum per Unigenitum supremus pater emittit, Christum et Spiritum sanctum, a quibus alii numeris omnibus absolverentur. Christi enim officium erat Aeones immensam Patris altitudinem edocere, quod nempe nec percipi nec intelligi nec denique cerni aut audiri, nisi Monogenis beneficio, posset. Spiritus vero sanctus eos omnes inter se exaequatos gratias agere docuit, ac veram requiem induxit. Sicque Aeones omnes tum forma, tum voluntate ac sententia pares constituti sunt; facti omnes quod unusquisque, omnes in Nous, Sermones, Homines et Christos transformati; et quae feminae in Veritates, Vitas, Spiritus et Ecclesias. Tum tanta metamorphosi gaudentes, in Propatoris laudes erumpunt, acceptique beneficii memores, communi consilio, consentientibus Christo et Spiritu sancto, Patre quoque calculum adiiciente, quidquid optimum ac florentissimum habebant singuli conferentes apteque compingentes, Iesum in Bythi gloriam et honorem emittunt, ceu perfectissimum pleromatis sidus

et fructum, Salvatorem etiam et Verbum et Christum, ac Omnia denique nuncupatum; quem angelis quoque satellitibus stipant. Christi et Spiritus sancti ortum aliter explicabat Valentinus. Hunc quidem ab Ecclesia productum fuisse, ad Aeonum *examinationem* et fecunditatem dicebat: illum vero non ab iis Aeonibus qui in pleromate sedem habent, sed a matre illinc exclusa, secundum recordationem meliorum procreatum fuisse, nec sine quadam umbra. Verum ingratum, quum masculus esset, excisa a se umbra, ad pleroma recurrisse; matre una cum umbra relicta, ac spiritali substantia orbata. Iesum autem interdum ex Theleto, interdum ex Christo, nonnumquam ex Homine et Ecclesia ortum asserebat. Has de rebus divinis nugas venditabant veteratores isti; et haec prima fabulae pars.

15. Altera in iis, quae extra pleroma gesta sunt, referendis versatur. Superioris nempe Sophiae Enthymesis (Achamoth ab hebraica voce חכמה *Sapientia* vocabant), quam extra pleroma cum appendice *passione* relegatam diximus, in umbra et vacuo, formae, figurae ac luminis expers, misere iacebat. Ipsius calamitate commotus superior Christus, vi sua formam quidem ei indidit, sed secundum substantiam tantum, non secundum scientiam: statimque subtracta virtute ad supera recedens, infelicem deseruit, nonnullo tamen incorruptibilitatis odore perfusam. Ea vero iam formata ac mentis compos effecta, acriori desiderio exquirendi luminis, quod eam defecerat, incenditur. Sed ecce, festinanti importunus intercedit Horus, temerariumque coercet impetum. Hinc animum despondet illa, omnique pertubationis generi succumbit: moerori quidem, quod votis frustrata; metui, ne quemadmodum lux, ita et vita eam deficeret; animi denique anxietati ac lacrimis; parum id, nisi omnis rerum ignoratio tot perturbationibus mista, pondus auxisset. Interdum tamen, priorum oblita, luminisque, quod eam deseruerat, pulchritudinem mente revolvens, laetitia diffundebatur ac ridebat. Sed momentaneus risus, quem cito excipiunt perturbationes consuetae. His sibi per vices succedentibus iactata, tandem se ipsam colligens, ad lumen quod iam delibaverat, hoc est, ad Christum rogandum convertitur. Quorsum, inquis, tot perturbationum fluctibus aestuantis, nec quiescere valentis animi motus? Hoc fabulae exordium. Hinc enim materiae, ex qua mundus hic conflatus est, substantia ortum cepit. Nam ex conversione, et mundi et Demiurgi, rerum conditoris, et denique omnis alia anima originem sumsit; ex metu autem et moerore, reliqua omnia. Ex ipsius siquidem lacrimis liquida omnis substantia initium habuit, ex risu lucida; ex moerore tandem et stupore corporea mundi elementa. Nempe quum Achamoth supplex ad Christum se convertisset, hic Paracletum, h. e. Salvatorem ad eam misit, satellitibus angelis stipatum, qui scientiae formam ei indidit et a perturbationibus liberavit. Nec tamen has ab ea ita secrevit, ut curam omnem earum abiiceret: immo secretas fixit, condensavit et in materiam transformavit, ex qua fieret duplex substantia; altera mala, quae ex passionibus exstitisset; altera passionibus obnoxia, quae ex conversione orta esset. Sic malis omnibus expedita Achamoth, iam gaudio gestiens, in angelos Salvatoris comites defigit obtutus, quorum splendore capta aspectuque fecundata concipit paritque fructum spiritalem, ad eorum imaginem effictum. Iam ergo triplicem habemus

substantiam, Achamothae fetum; materialem ex passione, animalem ex conversione, et spiritalem ex imaginatione. Nec satis erat rerum materiam ministrasse, nisi etiam formam afferret; haec prima Achamothae cura. Et quum nulla ei esset substantiae spiritalis informandae copia, quoniam eiusdem cum ea essentiae erat, in animalis formationem se confert, ex qua Demiurgum efficit, ceterarum deinceps rerum conditorem, parentem, regem et Deum. Et hic alterius fabulae partis finis.

16. Sequitur adspectabilis huius mundi constitutio et origo, quam sic exponebant. Conditus Demiurgus ad opus se accingit, in idque totus incumbit; caecus tamen (hoc stupeas) et quid ageret nescius. At clam regebat mater sub Salvatoris moderamine, quo instigante superioris pleromatis imaginem et hic exprimi curavit. Achamoth siquidem Demiurgo ignota Bythum, Demiurgus Unigenitum, angeli et archangeli a Demiurgo conditi ceteros Aeones referebant. Sic itaque tantum opus molitur inscius ille Demiurgus. Separatis atque distinctis, hactenus confuse permixtis, animali et materiali essentia, ex iis caelestia simul et terrena condidit; fabricatisque septem caelis (quos intelligentia praeditos, immo et angelos esse volebant) sedem sibi supra septimum delegit, matre superiorem locum occupante, medium inter pleroma et mundum. Eapropter ille dictus est hebdomas, haec ogdoas: quo suprema illa ac primigena pleromatis ogdoas exprimeretur. At supina Demiurgi ignoratio immanem peperit errorem. Quum enim tanta condidisset, nec spiritalia attingere valeret, sui ipsius ac matris, multo magis superioris pleromatis ignarus, se solum esse Deum existimavit, ac per prophetas dixit: *Ego Deus, et praeter me non est alius.* Sed ad rem redeamus.

17. Quoniam materialis essentia ex tribus affectibus conflata erat, ex metu, moerore et anxietate; ex metu et conversione ea omnia, quae anima praedita sunt, coagmentata fuerunt; Demiurgus nempe ex conversione, ex metu quidquid reliquum est animalis substantiae, ut animae brutorum animantium, ferarum et hominum: ex tristitia spiritales nequitiae, angeli mali et daemones, quorum princeps diabolus, Cosmocrator dictus, cui sedes assignata subtus Demiurgum in hoc mundo: in eo tamen proprio conditore potior, quod quae supra eum sunt perspecta habeat, quia spiritalis nequitia est; Demiurgus autem ignoret, quia animalis est. Postremo ex stupore et anxietate, ceu ex ignobiliori stirpe, corporea mundi elementa prodierunt. Omnibus vero insitus ignis mortifer et exitiosus; ut et ignorantia praedictis tribus perturbationibus abdita et occultata.

18. Condendus supererat homo, mundi huius inferioris pars nobilior. Fabricavit hunc Demiurgus ex fusili ac fluida substantia; et hic homo choicus seu terrenus, in quem insufflatus animalis, ut similitudinem et imaginem creatoris exhiberet. Circumposita dein terreno pellicea tunica, hoc est, corpus quod in sensum cadit. Parum erat, nisi spiritalis homo, inscio Demiurgo, una cum ipsius insufflatione inspersus a matre fuisset. Semen illud spiritale est, quod ex angelorum contemplatione protulit Achamoth, dictum alias Ecclesia, speculum superioris Ecclesiae. Triplex igitur in uno homine homo, seu tres unius eiusdemque hominis partes, materialis, animalis et spiritalis, quarum dispar sors et exitus. Prior omni incorruptibilitatis afflatu destitutus, necessario perit:

posterior quibuscunque tandem flagitiis ac sceleribus sese mancipet, certam salutem recipit: animalis, inter utrumque medius vel materialis vel spiritalis exitum sortitur, prout vel in hanc vel in illam partem declinaverit. Ut autem hic salutem adipisceretur, sensibilibus disciplinis indigebat, ac proinde Salvatore hic opus erat. Sed quali? Qui sibi accommodatus esset, animali nimirum et spiritali, corpore tamen induto, ut sensibus pateret. Materiale autem nihil suscepit; ea enim dumtaxat assumsit, quibus salutem impertiturus erat; at materia salutis incapax. Per Mariam ille, perinde atque aqua per tubum, transmeavit, ab ea nihil quidquam accipiens, atque in ipsum, quum baptismi aqua tingeretur, Iesus ille seu Salvator, qui de pleromate erat, et ex omnibus ortum traxerat, sub columbae forma descendit. Ut adeo Dominus noster ex quatuor hisce conflatus esset: ex spiritali, quod ab Achamoth erat, ex animali, quod a Demiurgo, ex corpore, quod a dispensatione, ex Salvatore demum, quod erat ea quae descendit in illum columba. Ex quibus solus psychicus passus est Christus et is qui ex dispensatione mystico modo conditus fuerat, perpessionis expertibus manentibus Salvatore et spiritali Christo, et a Domino avolantibus quum Pilato sisteretur. Sic tota salutis nostrae oeconomia et quodcunque de Verbi divini incarnatione Christique meritis, morte et satisfactione fides docet, in aniles fabulas ridiculaque commenta totum abit. Sed audi cetera.

19. Triplex hominum genus Valentinianos distinxisse iam notavimus: choicum, quod salutem percipere nullo modo valet, animale, quod percipere potest vel non potest, prout bonis vel malis adhaeserit, spiritale denique, quod a salute excidere numquam potest. Ad secundum genus Catholicos revocabant. His fidem et bona opera, ut salutem adipiscerentur, necessaria esse dicebant; sibi vero, qui ad tertium genus pertinebant, spiritalibus et perfectis, utpote spiritali semine Achamoth fecundatis, haec superflua esse iactabant: eam enim esse spiritalium hominum naturam, ut, quidquid agant, in corruptionem et interitum cedere nullo modo possint: neque enim actiones aditum ad pleroma munire, sed solum spiritale semen. Et hinc confractis omnibus claustris, ad scelera quaevis omniaque vitiorum genera latissima facta via. In cumulum accessit et illud principium non minus exitiosum, animas quasdam natura bonas esse, quasdam natura malas. Bonas quidem eas esse, quae seminis capaces effectae sint; eas autem quae natura malae sunt, ita esse comparatas, ut semen illud nunquam recipiant. Quod Gentilium fatum inducebat. Et inde etiam latissimum intervallum quod Catholicos ab iis pseudo-spiritalibus disiungebat, non tantum quod illos animales, se vero perfectos, spiritales, ac semina electionis superbe vocarent, sed quod vellent nos in ancipiti usu gratiam sic accipere, ut ea nobis adimeretur: se vero illam proprio veluti iure ita possidere, ut semper accresceret, decresceret numquam aut efflueret. At quaenam spiritalium istorum gratia? quid spiritale illud semen? aliud nihil quam spiritalis agnitio, supernorum pleromatis arcanorum scientia, qua tantopere gloriabantur, et qua sibi Gnosticorum nomen adscribebant. Haec a matre sibi indita, pusilla quidem e supernis initio emittitur, hic autem paullatim adolescat et perficiatur necesse est. Quum autem numeris omnibus absoluta fuerit, consummationem futuram asserebant: tuncque Achamoth e

medietatis loco in pleroma migraturam, sponso suo Salvatori nupturam: spiritales autem, animis animalibus exutos, spiritusque intelligentes factos, pleroma itidem subeuntes, in sponsas assignatum iri angelis Salvatoris satellitibus: Demiurgum vero, cum iustorum animalibus animis in locum matris Achamoth, medietatem videlicet, migraturum, ibi perenni quiete donandum. Neque enim psychici quidquam intra pleroma admitti. Tum vero ignem eum, qui in mundo latet, erupturum, confectaque omni materia, mundo simul et ludicrae huic Valentinianorum fabulae finem impositurum.

20. Paucis haec complexi sumus; idque satis pro instituto fuit. Fusiori stilo prosequitur Irenaeus lib. I. cap. 1. et seqq. Si quid vero difficultatis in verbis occurrerit, hoc in notis explicare conati sumus. Quo iam tendant portentosa illa deliria et unde profluxerint, inquirendum superest. Ac primo quidem vanas Galli cuiusdam recentioris coniectationes non moror, qui ut Valentinum eiusque discipulos in plerisque doctrinae suae capitibus ab haeresi vindicet, mysticos quosdam sensus sub aenigmatico verborum cortice delitescentes, sibique soli revelatos extrahere conatur, ac mendacii probrum veteribus omnibus patribus in os ingerere, immo et eos interdum imposturae arguere, absurdaque Valentini de Verbi generatione commenta aureis Athanasii et Hilarii expressionibus longe anteponere non veretur. Nae! sagacissimum hominem, qui post quindecim circiter saecula id sibi notissimum putet, quod patres haereticis illis aut coaevos aut suppares fugit. Haec forte Achamotha quaepiam mater e sepulto dudum Valentini pleromate rediviva ad neoterici illius aures insusurravit, quae soli illi ferant qui eiusdem matris semine inspersi fuerint; explodant vero quicunque sobrii veneranda historiae simul ac traditionis ecclesiasticae fundamenta concussa non velint.

21. Nec magis audiendi qui, ut Ioannes Franciscus Buddeus, iam citatus, in sua de haeresi valentiniana dissertatione, Valentinianorum placita ex philosophia Hebraeorum kabbalistica derivant, eaque, ut emolliant, ad reconditos nescio quos sensus detorquent, veterum scriptis vim inferentes, immo invidiam temere facientes. Iis enim auctoribus id gratis supponere placuit, quod ab ipso limine probandum erat, kabbalam primo et secundo post Christum natum saeculo notam fuisse. Quamvis a Christi aetate Iudaei a vera patrum suorum simplicitate degeneres, iam fabulis mentem pascerent; nondum tamen eo usque delusa fuerat, ut sephiroticas chimaeras, kabbalisticos mundos, insanasque potius quam mysticas litterarum ac numerorum copulationes, peperisset, quibus ludificati recentiores, alios postmodum ludificati sunt. Certe Iustino martyri, Origeni, Hieronymo, Epiphanio, aliisque patribus antiquis, pro eo quod cum Iudaeis intercessit ipsis commercio, perspecta et explorata erat illorum doctrina: de nominibus Dei secundum Hebraeos interdum disseruerunt: vanas Iudaeorum traditiones anilesque fabulas non semel insectati sunt: de kabbalisticis vero nugis, et Dei nomine per duodecim, per 42, per 72 litteras explicato, aliisque eiusmodi naeniis, ne verbo quidem meminerunt, aut aliquid audivisse se significarunt. Invicto argumento nondum excogitatas esse. Et certe quisquis de kabbala mystica conscriptos libros adierit, aut peritiores e rabbinis consuluerit, e vestigio deprehendet admodum recentes esse, vixque ante annos quin-

gentos aut sexcentos exarari potuisse. Non me quidem latet Philonem Iudaeum subtiliori et argutiori, quam par erat, methodo divina rimari ac pertractare coepisse: sed quam procul ab arcanis sephirarum mysteriis, norunt qui perlegerunt. Ille pro Aegyptiorum more, apud quos vitam agebat, ad platonicam et pythagoricam philosophiam, Eusebio [1]) et Hieronymo [2]) testibus, totum se contulerat, (unde tritum, ut vulgo creditur, de eo proverbium, ἢ *Φίλων πλατωνίζει*, ἢ *Πλάτων φιλωνίζει*) ad cuius proinde principia res divinas exigens, opinionesque philosophicas certis librorum sacrorum dogmatibus et ancipitibus Iudaeorum traditionibus admiscens, compagem evanidam maleque sibi cohaerentem struxit: adeo ut patriorum rituum minus, quam allegoriarum studiosus, in vulgaribus et tritis non semel offensus, offensionem incautis attulerit. At insulsam kabbalistarum farraginem incassum apud eum quaesieris. Nec kabbalae antiquitatis propugnatores iuvat Paulus Timotheo mandans, ut quibusdam denuntiet, *ne intenderent fabulis et genealogiis interminatis* [3]). His enim, interprete Chrysostomo, Theophylacto, aliisque, digitum intendit apostolus vel in stultam Iudaeorum vanitatem, qui ut generis sui nobilitatem ostentarent, longam stemmatum seriem summa cum contentione ac fastu ab Abrahamo accersebant, Gentilesque ad fidem conversos superba avorum suorum enumeratione vexantes, ecclesiam conturbabant: vel in eos e Graecis, qui licet Christo nomen dedissent, in fabulosae Ethnicorum theogoniae gradibus percensendis operam ponere, simul et ludere non destiterant. Quamquam probabilitate non vacet, his apostoli verbis Gnosticos feriri, ut postea dicemus, quorum haeresis Aeonumque *ματαιολογία* a Simone Mago et Menandro propagata, apostolorum aevo altas iam radices egerat. Sed de kabbala ne quidem cogitasse Paulum pro comperto haberi debet. Aliunde ergo repetenda valentinianae haereseos principia.

22. Valentino quidem viam stravisse priores Gnosticos, primaque male constituti systematis lineamenta exarasse, perspicue tradit Irenaeus. *Qui est primus,* inquit lib. I. cap. 11. *ab ea quae dicitur gnostica haeresis, antiquas in suum characterem doctrinas transferens Valentinus, sic definivit.* Non ergo prima haereseos suae fundamenta iecerat Valentinus, sed a veteribus Gnosticis iacta repererat; quibus novam aedificii molem superimponens, ea sibi propria fecit et ad proprium institutum accommodavit. Hinc lib. II. cap. 13. postquam emissionem *Νοῦ* et *Ἀληθείας* a Bytho et Ennoea evertisset Irenaeus rationique e diametro adversam demonstrasset, concludit num. 8. hactenus dicta, non adversus Valentinianos modo, sed et adversus *eos qui a Basilide sunt, et adversus reliquos Gnosticos valere:* ab his siquidem illos initia emissionum accepisse, demonstratum libro primo fuisse. Communis itaque et his et illis primus ordo emissionis, quem impugnat, communis utrisque prima tetras. Nec haec tantum, sed et secunda. Istam enim ubi similiter excussit Irenaeus, subnectit num. 10. *de secunda emissione Hominis et Ecclesiae* Valentinianorum *patres falso cognominatos Gnosticos* cum filiis *pugnare, sua propria vindicantes et malos fures eos convincentes; aptabile esse magis emissioni dicentes, uti verisimile, ex Homine*

1) Eus. hist. eccl. II, 4. 2) Hieron. Epist. 83 ad Mag. Orat. Rom. 3) 1 Tim. I, 4.

Verbum, sed non ex Verbo Hominem esse emissum, et esse Hominem Verbo anteriorem. Haec proinde certaminis caussa: secundam tetradem Verbi et Vitae, Hominis et Ecclesiae furati fuerant a Gnosticis Valentiniani; nec hoc prioribus grave: sed id ferendum minime videbatur, quod clam subductorum hi ordinem invertissent, Verbum et Vitam Homini et Ecclesiae praemittentes; in hoc mali fures, quod furto haud contenti, ablata pessum dedissent. His moti plures e Valentini discipulis, magistri sui ordine immutato, hanc tetradem in integrum restituerunt, Hominem et Ecclesiam ante Verbum et Vitam reponentes.

23. Merito igitur Theodoretus, quum haereses Simonis, Menandri, Saturnini, Basilidis, Carpocratis Prodicique explicatas dedisset, infert: *Ex his omnibus haeresibus Valentinum materiam accipientem, λαβὼν ἀφορμάς, interminabiles fabulas composuisse.* Merito et Irenaeus quum eorundem haereticorum opiniones ordine percurrisset, concludit lib. I. cap. ult. n. 3. *A talibus matribus et patribus, et proavis eos qui a Valentino sunt, sicut et ipsae sententiae et regulae ostendunt eos, necessarium fuit manifeste arguere.* Adeo certum, easdem utrisque fuisse *sententias et regulas.* Et eapropter in praefatione libri secundi spondet, eversurum se Gnosticorum omnium sententiam, dissoluturumque *absconditas ipsorum coniugationes,* a Bytho capite facto initio. Merito et Epiphanius ait, *Valentini doctrinam a speciosa illa Gnosticorum professione prodiisse, τὴν αὐτοῦ διδασκαλίαν τὴν ἀπὸ τῆς μεγάλης ταύτης γνωστικῆς ἐπαγγελίας ὑπάρχουσαν.* Et hinc quinque libris adversus Valentinianos ab auctore nostro conscriptis praefixus titulus, *Ἔλέγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, detectionis et eversionis falso nominatae agnitionis,* quia omnes Gnosticos, id est, intelligentes seu scientes se venditabant ac mysticae cuiusdam scientiae titulo gloriabantur. Idem omnibus pleroma, eaedem primae Aeonum syzygiae, eadem fidei ac morum corruptio, eadem supremi Patris a mundi opifice distinctio ac separatio, ut ex toto Irenaeo patet. Hinc Gregorius Nazianzenus Orat. XXIII. Simoni, Marcioni, Valentino, Basilidi, Cerdoni, Cerintho et Carpocrati ex aequo exprobrat, quod rerum omnium Deum secarent, bellumque pro bono adversus creatorem gererent. Ad quem locum observat Elias Cretensis, octonarium summo in honore a Simonianis (idem de ceteris Gnosticis dicendum) habitum fuisse, ob octo illos magistri sui Aeones, Bythum et Sigen, Mentem et Veritatem, Sermonem et Vitam, Hominem demum et Ecclesiam, quos colebant, et a quibus mundi opificem distinguebant. Quae eadem adnotat Nicetas ad Orat. XLIV. Ex his omnibus id, quod volumus, liquido conficitur, Valentinum systematis, quod ab eo nomen accepit, primum auctorem ac inventorem non fuisse, sed iis quae iam adinvenerant Gnostici priores addidisse, ac supremam manum admovisse. Nempe prima pleromatis ogdoas omnibus communis: huic vero aliquantulum immutatae, decada et dodecada de suo addidit; sicque vetus pleroma viginti et duobus Aeonibus auxit ac locupletavit. Totam etiam Achamothae fabulam cum spiritalis seminis origine huic propriam puto: ceteras hypotheseos partes, mutatis interdum nominibus, hausit e putido Gnosticorum fonte.

24. Nec movere quemquam debet, quod Irenaeus veterum Gnosticorum sententias recensens, primae Aeonum ogdoadis ab iis traditae

haud expresse meminerit. Neque enim, ut recte notat doctissimus Pearsonius part. 2. Vindic. cap. 6. (ubi fusiori stilo exsequitur, quod nos breviori complectimur) integras omnium genealogias singulatim enumerare, omniaque Aeonum nomina recitare Irenaeo animus erat, nec esse debebat. Explicata iam a primis capitibus Ptolemaitarum, qui primas in Valentini schola tenebant, sententia, et summa eorum doctrinae, cum omnibus ipsorum Aeonibus et Aeonum nominibus, reliquisque quae ad eorum haeresin pertinebant, simul et sub uno quasi adspectu positis: postea Gnosticorum, a quibus sua hauserant, et Valentini ipsius et illius discipulorum singulares sententias, et quid cuique proprium esset, quo ab aliis discreparet, breviter exponere satis erat; nec opus erat singula attingere, et quae antea dixerat repetere. Certe Basilidis integram genealogiam ab Irenaeo non describi, vel ex eo liquet, quod Basilides, teste Clemente Alexand. Strom. lib. IV. *δικαιοσύνην τε καὶ τὴν θυγατέρα αὐτῆς τὴν εἰρήνην ὑπολαμβάνει ἐν ὀγδοάδι μένειν διατεταγμένας, tum iustitiam, tum filiam eius pacem putat in ogdoade manere dispositas:* quas apud Irenaeum frustra quaesieris.

25. Ut vero a Gnosticis maximam dogmatum partem acceperunt Valentiniani, sic utrisque, his potissimum, rudem veluti telam, quam variis coloribus ex christiana religione ductis distinxerunt, ministrarunt ethnici philosophi, Pythagorici praesertim ac Platonici, Aegyptiique et Chaldaei mystagogi: adeo ut tota ea hypothesis sit purus putusque ethnicismus varie interpolatus et novis accessionibus ex christiana religione auctus. *Ipsae haereses,* ait Tertullianus [1]), *a philosophia subornantur. Inde et Aeones et formae, nescio quae, et trinitas hominis apud Valentinum: Platonicus fuerat.* Et alibi [2]): *Vult enim Plato, esse quasdam substantias invisibiles, incorporales, supermundiales, divinas et aeternas: quas appellat ideas, id est, formas exemplares, et caussas naturalium istorum manifestorum, et subiacentium corporalibus sensibus; et illas quidem esse veritates, haec autem imagines illorum. Relucentne iam haeretica semina Gnosticorum et Valentinianorum? Hinc enim arripiunt differentiam corporalium sensuum et intellectualium virium, quam etiam parabolae decem virginum adtemperant: ut quinque stultae sensus corporales figuraverint, stultos videlicet, quia deceptui faciles: sapientes autem intellectualium virium notam expresserint, sapientium scilicet, quia contingentium veritatem illam arcanam, ut supernam, et apud pleroma constitutam; haereticarum idearum sacramenta: hoc enim sunt et Αἰῶνες, et genealogiae illorum.* Id ipsum ante Tertullianum monuerat Irenaeus [3]), Valentinianos ex ethnicis poetis systematis formam, e philosophis materiam eruisse: horum quippe *dicta congregantes, et quasi centonem ex multis et pessimis panniculis consarcientes, finctum superficium subtili eloquio sibi ipsis praeparavisse.* Inter eos philosophos enumerat Thaletem Milesium, Anaximandrum, Anaxagoram, Democritum, Epicurum, Platonem, Empedoclem et Pythagoram. Et hinc Philastrius notat, Valentinum Pythagoricum magis fuisse quam Christianum. Porphyrius vero in Vita Plotini scribit, Gnosticos ex antiqua philosophia emersisse. Qui quidem Alexandri Libyci, Philocomi, Demostrati, Lydi, plurimos libros

1) Tert. lib. de praescr. haer. cap. 6. 2) Tert. de an. cap. 17. 3) adv. haer. II, 14.

circumferentes, et revelationes quasdam Zoroastris (cuius librum ab iis confictum esse contendit), Zostriani, Nicothei, Allogenis, Mosi, aliorumque eiusmodi palam ostendentes, deceperunt multos, priores ipsi decepti; asserentes Platonem intelligibilis essentiae profundum minime penetrasse. Quos Plotinus scriptis, quae adhuc supersunt, palam confutavit, probavitque totam eorum doctrinam, additis dumtaxat vocibus quibusdam novis, falsisque sententiis, a Platone desumtam fuisse. Quibus mire confirmantur quae mox diximus, valentinianam hypothesin aliud nihil esse quam inconditam chaldaicorum, pythagoricorum platonicorumque placitorum farraginem, christianis dogmatibus intermixtam. Sed haec paullo enucleatius explicare iuvat, remque a capite repetere.

26. Philosophorum omnium antiquissimi memorantur a Cicerone [1]) Chaldaei, a quibus ad barbaras primum nationes (sic extra Graeciam et Italiam sitae vocabantur), tum ad Graecos et Latinos transmissa philosophia est. A Chaldaeis enim ad Babylonios et Assyrios manavit, ut auctor est Aristoteles, vel alius quisquis scripsit librum, qui inscribitur *Μαγικόν,* et Sotion in libris *τῆς διαδοχῆς,* teste Laertio. Sive vero a Chaldaeis philosophiam edoctus fuerit Abrahamus, sive, quod longe probabilius cum Iosepho [2]) censemus, ab Abrahamo acceperint Chaldaei; certum est per Abrahamum ad Palaestinos, sive Chananaeos, postea etiam ad Aegyptios devenisse. Abrahamum siquidem rerum astronomicarum peritissimum fuisse, fatebantur ipsimet Gentilium antiquissimi, Berosus in primis a Iosepho mox citato laudatus. Nec dubium, quin iisdem scientiis quas apprime callebat, gentium apud quas diversatus est, animos imbuerit. Quumque a Chananaeis ad Aegyptios, urgente fame, ut refert historia sacra [3]), transierit; hos iisdem disciplinis, Iosepho teste, informavit. Et hinc philosophiam traductam a Chaldaeis ad Aegyptios, ante Iosephum [4]) scripsit Diodorus: a Chaldaeis quippe ortum ducebat Abraham. Phoenices, scientiarum fama tota antiquitate celebres, nihil moror, utpote qui a Chananaeis prognati, Abrahaeque posteris contermini, tum a parentibus, tum a vicinis quidquid scirent derivare facile potuerunt. Nec improbabile, quod eruditorum plerique sentiunt, Persarum magos a Zoroastre institutos, ex iis Chaldaeorum fontibus, naturales disciplinas, immo et theologiam hausisse. Id si non persuadere, suadere saltem videtur maximus utriusque gentis in praecipuis doctrinae capitibus consensus. Adeo ut chaldaica philosophia fons uberrimus exstiterit, ex quo primum poculum sibi haurientes Babylonii, Assyrii, Chananaei, Phoenices, Aegyptii et Persae, Graecis postmodum infudere. Hoc ipsimet e Graecis cordatiores, Laertio teste in prooem. non diffitebantur; philosophiae suae initia barbaris accepta memores referebant: nec quidquam efficacius ad ceterorum superbiam frangendam prioribus ecclesiae patribus, Tatiano, Theophilo, Clementi Alexandrino, Eusebio, aliisque visum est, quam ut eos ad scientiarum, quibus tumidius efferebantur, primordia revocarent.

27. Et certe ne plures e veteribus philosophis graecis in medium proferam; quantum Pythagoras, a quo philosophia nomen apud Graecos cepit, barbaris debeat, omnibus notum. Pherecydem Syrum, Pythagoram

1) De divinat. l. I. 2) Antiq. l. I, c. 7. 3) Genes. XII, 10. 4) Antiq. I, 8.

et Thaletem, qui primi de rebus caelestibus et divinis disseruerunt, se ipsos Chaldaeorum Aegyptiorumque discipulos in hoc agnovisse, tradit Iosephus in primo cont. Apion. Consentit Isocrates in Busiride scribens, Pythagoram in Aegyptum profectum, ab Aegyptiis philosophiae, sacrificiorum ac cultus Deorum disciplinam accepisse, quam dein ad Graecos traduxit. *Πυθαγόρας ὁ ἀφικόμενος εἰς Αἴγυπτον καὶ μαθητὴς ἐκείνων γενόμενος, τήν τε ἀλλην φιλοσοφίαν πρῶτος εἰς τοὺς Ἕλληνας ἐκόμισε, καὶ περὶ τὰς θυσίας τε καὶ τὰς ἁγιστείας τὰς ἐν τοῖς ἱεροῖς ἐπιφανέστερον τῶν ἄλλων ἐσπούδασε.* Ibi Sonchedi archipropheta praeceptore usus, teste Clemente Alexand. lib. I. Strom. symbolicam docendi rationem didicit, ut auctor est Iamblichus lib. I. de Vita eius cap. 5. Immo et *μετεμψυχώσεως* errorem inde hausisse, haud obscure colligitur. Herodotus enim in Euterpe dicit, eam ab Aegyptiis primum excogitatam, a Graecis postea susceptam fuisse. Quum vero apud Aegyptios viginti et duos annos, si Iamblicho citato fides, egisset, sacris eorum omnibus initiatus inde Babylonem a Cambysis militibus abductus, cum Chaldaeorum Persarumque magis conversatus est, in ipsorumque mysteriis haud segniter eruditus fuit. Iam antea, inquit idem Iamblichus cap. 3., Sidonem, Tyrum, Byblum, aliasque Phoeniciae ac Syriae partes inviserat: ubi prophetarum Mochi successorum aliorumque Phoeniciae hierophantarum factus auditor, sacra omnia diligenter investigarat ac pro more gentis perfecerat; nec quidquam scitu et observatu dignum in eorum arcanis et sacrificiis ipsum fugerat.

28. Eadem fere de Platone [1]) dixerim, *qui quum esset Atheniensis,* ut scribit Augustinus, *honesto apud suos loco natus, et ingenio mirabili longe suos condiscipulos anteiret, parum tamen putans perficiendae philosophiae sufficere se ipsum ac socraticam disciplinam; quam longe lateque potuit peregrinatus est, quaqua versum eum alicuius nobilitate scientiae fama rapiebat. Itaque et in Aegypto quaecumque illic magna habebantur atque docebantur, et inde in eas Italiae partes veniens, ubi Pythagoreorum fama celebrabatur, quidquid Italicae philosophiae tunc florebat, auditis eminentioribus in ea doctoribus, facillime comprehendit.* Ita Augustinus, qui secum consentientes habet Diogenem Laertium, Apuleium, aliosque qui Platonis acta scriptis tradiderunt. Hic itaque auditis Socrate, tum Cratylo Heracliti discipulo, deinde Hermogene Parmenidis sectatore, demum Euclide seniore, a quo Megarica secta initium sumsit, inde Cyrenem profectus a Theodoro mathematico institutus est. Sed pythagoricae philosophiae, quae tum ceteras sectas fama superabat, ob sublimiorem res divinas tractandi methodum, amore captus, ad eam Italiae regionem, quae magna Graecia dicebatur, appellens, Archytae senioris, Eurici, Timaei, Philolai, Epicharmi aliorumque Pythagoricorum disciplinae se ipsum tradidit. Cui quidem philosophiae quum diutinam diligentemque operam navasset, Pythagoram magistrum imitatus, *Aegypti quoque sacerdotes adiit atque eorum arcana perdidicit* [2]). Communis est etiam, nec improbabilis veterum patrum sententia, Iudaeos a Platone non neglectos, sive Iudaeam ipse adierit, sive Iudaeos tum in Aegypto frequentes consuluerit, et ab iis haud poenitendam divinae scientiae

1) De rep. VIII, 4. 2) Quintil. I, 19.

copiam accepisse, qua libros suos dein exornarit. Sic omnigenis philosophorum exuviis affatim locupletatus, domum reversus veteris academiae fundamenta iecit, novamque sectam condidit, toto orbe celebrem deinceps futuram aliasque omnes paene obscuraturam. Hic porro novae istius sectae character, ut commixtis invicem, ut ait Laertius, Heracliteorum, Pythagoricorum et Stoicorum opinionibus, novum doctrinae corpus ex omnibus sollerter conflatum traderet. *Τὰ μὲν γὰρ αἰσθητὰ καθ' Ἡράκλειτον· τὰ δὲ νοητὰ κατὰ Πυθαγόραν· τὰ δὲ πολιτικὰ κατὰ Σωκράτην ἐφιλοσόφει. Atque in iis quidem quae sensibus subiacent, Heracliti partes tuebatur: ea quae mente comprehenduntur, ex Pythagorae sententia tractavit: in rebus autem civilibus philosophabatur ex mente Socratis.* Huic vero philosophiae prae ceteris pretium addidit, quod de Deo eiusque proprietatibus, ac iis quibus informandi essent hominum mores, aliis sublimius disseruerit. Agnovit enim Plato unum esse Deum, summum opificem universi, *et rerum auctorem et veritatis illustratorem, et beatitudinis largitorem:* ac proinde *finem boni esse, secundum virtutem vivere, et ei soli evenire posse qui notitiam Dei habeat et imitationem; nec esse aliam ob caussam beatum. Haec itaque caussa fuit, cur istos ceteris* praetulerint Iudaei atque Christiani: *quia quum alii philosophi ingenia sua studiaque contriverint in requirendis rerum caussis, et quinam modus esset discendi atque vivendi; isti Deo cognito repererunt ubi esset caussa constitutae universitatis et lux percipiendae veritatis et fons bibendae felicitatis* [1]). In hoc tamen ceteris gravius peccavit Plato, quod licet unum verum Deum agnosceret, *Diis* tamen *plurimis esse sacra facienda putaret* [2]). Nam praeter eum statuit Deos alios inferiores, quos et sacris coli iussit. Sicque variis Gentium superstitionibus, sacrificiis, sceleratis mysteriis artibusque magicis, Platonicorum non minus quam ceterorum defoedata mansit philosophia.

29. Ex veteri Platonis academia prodiere nova et media, quibus addunt nonnulli quartam et quintam, quarum omnium discrimina omnibus nota nihil ad scopum nostrum conferunt. Sed demum post varias quas experta est academia vicissitudines, qui Platonis dogmatibus strictius adhaerebant, spreto Academicorum nomine, quod Arcesilae sectatoribus relictum, illud Platonicorum sibi vendicarunt, novumque splendorem iam in unum coalescenti, quae prius scissa erat, scholae Platonis addiderunt. Effloruisse videntur novi illi Platonici e schola alexandrina, quam Ptolemaeus Philadelphus *φιλογράμματος* instituerat. Ut enim litterarum studia promoveret scholamque suam toto orbe celebrem redderet, totam Aegyptiorum sapientiam hactenus hierophantis aegyptiacoque idiomati dumtaxat concreditam, cum sacris Iudaeorum libris, ut vulgo creditur, in graecum (quo plurimis innotescere ac prodesse possent), converti curaverat; bibliothecam non poenitenda librorum supellectile instruxerat; viros totius orbis doctissimos, iudaeos, graecos, romanos etc. advocarat, amplissimae mercedis spe allectos. Eo confluxere variarum gentium philosophi, doctrinae specimina daturi. Sed primas facile tenuere Platonici, Aegyptiis maxima cum dogmatibus eorum affinitate prae ceteris commendati: utpote quae Plato tum ex frequentibus quos habue-

1) August. de civit. dei VIII, 5 et 8 et 10. 2) Ibid. cap. 12.

rat cum mystagogis eorum congressibus, tum ex iis, quos audierat, Pythagoricis, sedulo edidicerat. In divinis siquidem pertractandis pythagoricam docendi rationem, eandem paene cum aegyptiaca, sequebatur, ut mox ex Laertio diximus. Hincque factum, ut Aegyptiis tanto in pretio fuerit platonica philosophia, qualem docebant novi illi Platonici, indeque longe lateque apud alias nationes propagata fuerit.

30. Primus qui in alexandrina schola famam obtinuisse memoratur, Potamon, Caesaris Augusti et Tiberii temporibus, Suida teste, florebat: *Ποτάμων Ἀλεξανδρεὺς φιλόσοφος γεγονὼς κατ' Αὔγουστον καὶ μετ' αὐτόν.* Hic, si eidem Suidae fides, reliquit *εἰς τὰς Πλάτωνος πολιτείας ὑπόμνημα, commentarios in libros Platonis de Republica.* Si quid aliud scripserit, tempus edax rerum vel ipsam memoriam posteritati invidit. Quamvis autem Potamon potissimum sibi ducem elegisset Platonem, cuius vestigia premeret, non temere tamen in magistri verba quaelibet iurandum sibi duxit. Immo cauto pede sic secutus est, ut libere ab illius sententia, melioribus perspectis, discederet. Novum proinde, liberiusque quam hactenus fuerat, in scholam alexandrinam philosophandi genus introduxit: quo perpurgatis Platonis opinionibus, ablegatis improbabilibus, resectisque nugis, quibus luxuriantia discipulorum ingenia magistri doctrinam obliverant; quaecumque veriora aut vero similiora videbantur, nullo auctorum discrimine habito, adscivit substituitque. *Ἐκλεκτικόν,* Latinis *electivum,* dictum est hoc philosophandi genus; sectatores vero *ἐκλεκτικοί, electivi* seu *electores:* ut optimum et laudatissimum, sic omnium certe difficillimum, quo dogmatum omnium philosophicorum delectu facto, id dumtaxat probabatur, quod ad rationis normam exactum melius quadrabat. Hanc iniere viam quotquot deinceps e schola alexandrina nomen sibi compararunt, ut Ammonius Neroni et Vespasiano *σύγχρονος,* non ille Origenis et Plotini, sed Plutarchi praeceptor, cuius meminit Eunapius in prooemio. Sed maiores in ea progressus fecit, novumque decus restauratae Platonis academiae, admixtis aliorum philosophorum, Pythagoreorum in primis, placitis, addidit celebris Ammonius, *τῆς ἱερᾶς γενεᾶς,* sacrae platonicae successionis caput dictus: ex cuius ore perpurgatam hanc philosophiam hauserunt Herennius, Origenes et Plotinus; quos deinde Porphyrius, Iamblichus, Hierocles, Syrianus et Proclus, *κατ' ἐξοχὴν* vocatus *διάδοχος,* exceperunt, quibus Maximum Tyrium, Alcinoum, Damascium, Apuleium, Chalcidium et alios adiungere possumus.

31. Si quid vero splendoris novae huic platonicae scholae additum ex aliarum sectarum opinionibus, quas proprias sibi fecit; longe maior accessit ex sublimiori theologia, quam ex Iudaeorum ac Christianorum tum libris, tum sermonibus depromsit. Quum enim Iudaei iam a primis scholae illius exordiis frequentes apud Alexandriam agerent, librique sacri in graecum sermonem conversi, Gentilium manibus teri coepissent, non potuerunt ex utrorumque verbis, sannis, dicteriis et invictis argumentis recentiores illi Platonici non colligere, quam eorum polytheismus portentosaque gentilitatis sacra et mysteria a sana ratione abhorrerent, et quam e contrario ea quae ex libris sacris percipitur divinorum notitia, sublimis sit, augusta, pura rationique consentanea. Felices, si micantes inde radii obductas animo nebulas dispulissent, umbrisque discussis

ad solem ipsum oculos convertissent. Sed maluere plerique, anticipatis opinionibus obcaecati, divinae lucis igniculos mendaciorum fumo et tenebris obscurare: et quum theologiam suam ex oraculis divinis metiri debuissent, haec potius ordine praepostero ad Pythagorae, Platonisque placita revocare studuerunt. Eapropter iis omnibus, quaecumque ex sacris libris Iudaeorumque dogmatibus surripere potuerunt, pythagoricam platonicamque speciem inducentes, novum doctrinae corpus coagmentarunt, a crassiori quidem gentilitatis faece secretum, sordibus tamen adhuc non paucis lutulentum. Iam quidem Plato unum supremum mundi opificem inferioresque daemones agnoverat: at de angelis, archangelis, eorum ordinibus et officiis, de mystica nescio qua triade, aliisque sexcentis, de quibus subtiliori disputatione disseruerunt recentiores illi discipuli, ne *κατ' ὄναρ* cogitaverat magister: adeo ut haec iis solis auctoribus prodierint; si tamen auctores dicendi, qui a Iudaeis accepta ementitis coloribus infuscarunt. At si quid a Iudaeis acceperint Platonici isti, id postmodum Iudaeis cum fenore reddiderunt. Nam quum hi novam eam philosophandi rationem dogmatibus sacris, allegoriis et symbolis intermixtam, ceterisque puriorem, nec adeo divinioris scientiae principiis repugnantem animadvertissent, in illius admirationem pertracti, in eius studium incumbere coeperunt; rati non difficili negotio purgandam a sordibus, quas intulerat ethnica superstitio, utilem fore ad explicanda, accuratiorique methodo pertractanda sacrae religionis mysteria. Itaque huc animum appellentes divinamque scientiam subtilius quam par erat eliquantes, cum Platonicis *πλατωνίζειν* ac purissimos veritatis rivulos in Pythagorae ac Platonis lacunas derivare coeperunt: magno sane cum religionis detrimento, quae tota deinceps argutiis, numeris numerorumque copulationibus, symbolis et allegoriis referta prodiit. Quantum vero in eo disciplinae genere profecerint Iudaei, Hellenistae praesertim, ex Philonis scriptis videre est, qui quod platonica dogmata animo altius imbibisset, ceu alter Plato a veteribus habitus fuisse videtur: cuius exemplum male aemulati posteri, argutias argutiis addiderunt, vanisque subtilitatibus aegras mentes paverunt. Quamvis autem adeo longe progressos fuisse Iudaeos, qui in Palaestina Philonis aetate degebant, nulla demonstrent argumenta: eos tamen platonica doctrina haud mediocriter excultos suadent tum frequens quod ipsis intercedebat cum Hellenistis, Aegyptiis et Tyriis commercium, tum Flavii Iosephi libri, virum in philosophorum lectione non parum versatum ostendentes.

32. Quae Iudaeorum animis primum, eadem et Christianorum postea fucum fecit platonica doctrina; idque eo facilius, quo illucescente evangelii die, nova accessione ditata superbius quam antea sese extulit. Nam ex quo apostoli apostolicique viri cum ethnica superstitione acerrimo certamine dimicarunt, palamque de ea triumphos egerunt; imminentem huic ruinam ut averterent philosophi, de nova doctrinae suae reformatione cogitare coeperunt. Perlectis itaque novi Testamenti scriptis, habitisque cum doctissimis quibusque Christianorum congressibus, ex eorum dogmatibus ea collegerunt, quibus ethnicae religioni splendorem et pretium adderent; haecque suis artificiose intexentes, et ne pateret furtum, symbolicarum formarum involucro, more platonico, tegentes, novam hypothesin Christianis obiecerunt, quae simulata sanctitatis subli-

mitatisque specie deciperet imperitos. Susceptum consilium non parum promovit magnus ille Ammonius, Origenis et Plotini praeceptor, qui christianam religionem professus, inordinato platonicae philosophiae, cui operam semper navaverat, amore nihil non molitus est, ut ad hanc Scripturarum oracula revocaret. Malus quidem animus non fuit; hinc enim christianae religioni maiorem apud Gentiles auctoritatem conciliaturum se sperabat. Et si quidem philosophiam, uti par erat, ex Scripturis reformare, eamque intra evangelii limites concludere studuisset, operae forsitan pretium fecisset: at contrariam omnino rationem quum iniisset et christianae religioni et Christianis ipsis exitio fuit. Nam e Christianis plurimi deinceps huius philosophiae, quae prae ceteris in pretio erat, ob affinitatem quam cum Scripturis habere videbatur, studio incumbentes; nec attendentes quidquid sublimius prae se ferebat, totum ex earundem Scripturarum penu depromtum fuisse, hanc pene cum Scripturis ipsis adaequare, et ad eius magis quam ad illarum principia ratiocinationes suas exigere assueverunt: quod infinitorum propemodum errorum, quibus contaminata fides fuit, fomitem ministravit. Ethnici e contrario, ex hac sacrorum profanorumque dogmatum mixtione, quae philosophiam ornabat totque portentosis erroribus purgabat, perficiendae insolentiusque efferendae doctrinae suae occasionem opportune captantes, superbius adversus Christianos, quasi Platonis exuviis se ipsos ditassent, insolescere christianamque religionem contemnere coeperunt. Evanuit ex eorum scriptis ea Deorum nulla vel sibi invicem, vel ulli superiori, subiectione colligatorum multitudo: pauciores apparuerunt, omnesque uni supremae divinitati, augustiori quam antea sermone celebratae, subiecti. Angelis, archangelis, mentibus caelestibus, sexcentisque aliis, quae a Christianis mutuati fuerant, ornata deinceps processit eorum theologia naturalis. De corporis sensuumque fuga, de cura animi, mentisque cultu et elevatione in Deum, de virtutibus colendis, debellandisque vitiis magnifice scripserunt; intentatumque nihil reliquerunt, quo fucatam doctrinae puritatem evangelii sanctitati opponerent. Duo tamen fuerunt, quibus, quidquid agerent, vanae excusationis velum sic obduci non potuit, quin turpis infamiae labes eorum religioni semper adspergeretur; magia videlicet, et abominanda sacrorum mysteria, eleusinia praesertim, et Bacchanalia, ut alia sileam. Ex Plotino siquidem, Porphyrio, Iamblicho, Eunapio, aliisque videas, philosophos, perinde atque mystagogos, magicas artes exercuisse, nefandisque daemonum evocationibus studuisse. Eorum quidem infamiam speciozo nomine *θεουργίας* et commercii sacri cum Diis tegere nixi sunt; sed certe abstergere non potuerunt. Ad scelesta mysteria quod attinet, de iis apud citatos philosophos ne verbum quidem, probe conscios scilicet ista nulla ratione excusari posse.

33. Haec omnia mox dicendis praemittere necesse fuit, ut inde pateret, ex quibus fontibus manarint pleraque Gnosticorum dogmata. Sive hi Iudaei nati essent, sive Pagani, sive christianam religionem ab incunabulis professi fuissent; novorum Platonicorum doctrina eo facilius imbui potuerunt, quo iam apud Iudaeos hellenistas, immo et palaestinos et in Aegypto ac Oriente longe lateque propagata fuerat; ex quo praesertim hoc philosophandi genus in celebrem toto orbe scholam alexandrinam ab Ammonio introductum fuerat, ad quod deinceps studia sua

contulerunt Origenes, Plotinus, Porphyrius, aliique tum Christiani, tum Ethnici. Quum vero Valentinus, Epiphanio teste, Alexandriae Graecorum artibus institutus fuerit, haud dubium quin ibi philosophia platonica animum excoluerit; quum id conceptis verbis asserat Tertullianus supra laudatus. Ex ea praecipua quaeque valentinianae haereseos capita profluxisse, ex enucleata eorundem expositione demonstrare haud adeo difficile fuerit.

34. Ac primo quidem ut a Gnosticorum nomine incipiamus, quod arrogabant sibi Simonis, Menandri etc. Valentini ac Ptolemaei asseclae, a *γνώσει* seu scientia rerum supernarum, qua prae ceteris gloriabantur, deductum esse, norunt omnes. Eandem sermonibus ambitiose iactantes Platonici nihil frequentius habebant in ore quam perfectissimam *γνῶσιν*, veram sapientiam, intimam animae unionem cum Deo, mentis elevationem in Deum, cognitionem atque scientiam veri entis, caelestium rerum contemplationem. Haec apud Platonem, Plotinum, Porphyrium, Iamblichum, aliosque passim occurrunt.

35. Totam Valentini hypothesin ad tria capita revocari iam diximus, 1. ad pleroma, quod res divinas complectitur. 2. ad ea quae extra pleroma contigerunt, quibus res inter caelestes et mundanas mediae continentur. 3. ad mundi huius adspectabilis originem et constitutionem. Haec ipsissima sunt quae de triplici mundo tam operose disputant Plato in Timaeo et Epimenide et post eum discipuli eius. Triplicem namque mundum statuunt illi, alterum quem invisibilem et idealem vocant, quia rerum omnium ideas continet: nihil quippe in mundo inferiori corporali oriri putant, quod non in ideali invisibili mundo exhibeatur. Alterum, quem medium dicunt, qui animam seu spiritum universi, mundi corporalis et visibilis caussam complectatur. Tertium denique, mundum hunc inferiorem, corporeum et adspectabilem. De his ita Marsilius Ficinus in Platonis Conviv. cap. 3. *Tres apud eos* (Platonicos) *mundi sunt... Primum omnium est Deus universorum auctor, quod ipsum bonum dicimus. Hic mentem primo creat angelicam: deinde mundi huius animam, ut Plato vult: postremo mundi corpus. Summum illum Deum non mundum dicimus: quia mundus ornamentum significat ex multis compositum, ille vero penitus simplex esse debet: sed mundorum omnium principium atque finem ipsum asserimus. Mens angelica primus mundus est a Deo factus. Secundus universi corporis anima. Tertius tota haec, quam cernimus, machina.* Triplicem hunc mundum, mutatis dumtaxat nominibus, novisque accessionibus locupletatum proposuit Valentinus. Primum mundum vocavit pleroma: quia totam divinitatis plenitudinem, rerumque omnium inferiorum exemplaria, ideas et imagines continet; ibique divinitatis sedem constituit. Communis sententia est, desumtam fuisse vocem ex dicto Pauli Coloss. II. 9. ubi in Christo dicitur *πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος, tota divinitatis plenitudo,* inhabitare corporaliter. An inde mutuati fuerint Platonici, non dicam: sed certissime asseruerim eadem voce, atque eodem sensu, atque Valentinianos, usos fuisse: adeo ut valde probabile sit hos ab illis accepisse. Id perspicuum est ex istis Iamblichi verbis sect. I. de Myst. cap. 8. *Οἱ μὲν (Θεοί) κρείττονες ἐν αὐτῷ, ὡς ὑπὸ μηδενὸς περιέχονται καὶ περιέχουσι πάντα ἐν αὐτοῖς. τὰ δὲ ἐπὶ τῆς γῆς ἐν τοῖς ΠΛΗΡΩΜΑΣΙ τῶν Θεῶν ἔχοντα τὸ εἶ-*

ναι, ὁπόταν ἐπιτήδεια πρὸς τὴν θείαν μετοχὴν γένηται, εὐθὺς ἔχει πρὸ τῆς οἰκείας ἑαυτῶν οὐσίας προϋπάρχοντας ἐν αὐτῇ τοὺς Θεούς. Dii in hoc maxime praecellunt, quod a nullo contineantur, ipsi autem omnia in se contineant. Terrena autem, quae in Deorum PLEROMASI habent suam essentiam, quam primum ad divina participanda apta sunt, illico Deos in sua substantia prius exsistentes habent, quam propriam naturam sortiantur. Eandem vocem pariter usurpat Damascius non semel.

36. Tripartitum erat Valentinianorum pleroma, in Aeonum tetradas duas, seu ogdoada, in decada et dodecada. Supremum omnium ac primo loco Bythum statuebant, cui Ennoian seu Sigen copulabant. Hunc excipiebat Nus seu Mens, cum qua Veritatem; deinde Verbum, cum quo Vitam; tum Homo, cum quo Ecclesiam colligabant. Quorum si non omnia, prima saltem ac rudiora lineamenta suppeditavit chaldaica, aegyptiaca et pythagorica, seu his omnibus permixta platonica theologia. Iamblichus lib. de myst. sect. VIII. c. 2. scribit, antiquissimam hanc esse Aegyptiorum de rerum principiis doctrinam. 1°. Unum esse Deum, entibus omnibus quae vere sunt, universalibusque principiis, immo ipso etiam primo Deo et rege priorem: *πρὸ τῶν ὄντως ὄντων καὶ τῶν ὅλων ἀρχῶν ἐστὶ Θεὸς εἷς, πρῶτος καὶ τοῦ πρώτου θεοῦ καὶ βασιλέως:* in monade unitatis suae permanentem, exemplarque illius, qui est sui pater, a se genitus et monopator Deus: est enim maius quid et prius, fons omnium et radix omnium intelligibilium primarum idearum, quae sunt: *ἐν μονότητι τῆς ἑαυτοῦ ἑνότητος μένων· παράδειγμα δὲ ἵδρυται τοῦ αὐτοπάτορος, αὐτογόνου, καὶ μονοπάτορος θεοῦ. μεῖζον γάρ τι καὶ πρῶτον, καὶ πηγὴ τῶν πάντων, καὶ πυθμὴν τῶν νοουμένων πρώτων εἰδῶν ὄντων.* Primum istud principium vocat Mercurius, Iamblicho auctore, primum exemplar et Eicton; in quo, inquit, est primum intelligens et primum intelligibile, quodque solo silentio colitur: *ἐν ᾧ δὴ τὸ πρῶτόν ἐστι νοοῦν, καὶ τὸ πρῶτον, ὃ δὴ καὶ διὰ σιγῆς μόνης θεραπεύεται.* De hoc etiam oraculum illud, quod sub Zoroastris nomine circumfertur: *Ἔχει τὸ νοεῖν, πατρικὸν νοῦν ἐνδιδόναι πάσαις πηγαῖς τε καὶ ἀρχαῖς. Ἐστὶ γὰρ πέρας τοῦ πατρικοῦ βυθοῦ, καὶ πηγὴ τῶν νοερῶν, μηδὲ προῆλθεν, ἀλλ' ἔμεινεν ἐν τῷ πατρικῷ βυθῷ, καὶ ἐν τῷ ἀδύτῳ κατὰ τὴν θεοθρέμμονα σιγήν. Habet ipsa intelligentia paternam mentem indere omnibus fontibus et principiis. Est finis Profundi paterni et fons intelligibilium. Neque prodiit, sed mansit in paterno Profundo et in adyto per divinum silentium.* Ex quibus evidenter patet, nec Bythi nomen, supremi ac primi Dei, Aeonum omnium fontis ac parentis, nec rem nomine significatam antiquissimos philosophos latuisse. Bythum nempe seu Profundum vocabant, ob infinitas, quibus gaudet, perfectiones, quarum omnium altitudinem immensam nulla mens creata explorare valet. Rem eamdem, sed aliis verbis, pro more suo, exprimebant poetae, fingentes ex oceano natos esse Deos omnes. Occani quippe nomine, cuius altitudo profundissima est, Bythum ipsum seu Profundum philosophorum designabant. 2°. Ex hoc uno sponte effulsisse ait Iamblichus Deum sibi sufficientem; qui proinde est sui pater et principium. Est enim hic et principium et Deus Deorum, unitas ex uno, superessentialis et essentiae principium: nam ab eo natura est et essentia; et propterea Noetarcha, seu intelligibile principium vo-

catur: *ἀπὸ δὲ τοῦ ἑνὸς τούτου ὁ αὐτάρκης θεὸς ἑαυτὸν ἐξέλαμψε, διὸ καὶ αὐτοπάτωρ καὶ αὐτάρχης* (sic lego, non *αὐτάρκης*) *ἀρχὴ γὰρ οὗτος καὶ θεὸς θεῶν· μονὰς ἐκ τοῦ ἑνός, προούσιος, καὶ ἀρχὴ τῆς οὐσίας· ἀπ' αὐτοῦ γὰρ ἡ οὐσιότης καὶ ἡ οὐσία. διὸ καὶ νοητάρχης προσαγορεύεται.* Hunc Mercurius, Iamblicho teste, vocat Deum Emeth (forte legendum cum Eusebio lib. III. Praep. evang. cap. 11. Kneph), quem tanquam ducem Diis caelestibus praeponit, aitque hunc esse mentem se ipsam intelligentem et alias intellectiones ad se convertentem: *ὃν φησι νοῦν εἶναι αὐτὸν ἑαυτὸν νοοῦντα καὶ τὰς νοήσεις εἰς ἑαυτὸν ἐπιστρέφοντα.* Aliis nominibus vocatum fuisse ab Aegyptiis tradit idem Iamblichus. Opifex quippe mens, ait, veritatis auctor et praeses, ac sapientiae, quatenus ad generationem venit et latentem occultarum rationum vim producit in lucem, lingua aegyptiaca dicitur Amon: quatenus vero perficit omnia summa cum veritate et arte, vocant eum Phtha: quatenus vero bonorum artifex est, dicitur Osiris; aliasque denominationes propter alias virtutes habet. *ὁ γὰρ δημιουργικὸς νοῦς, καὶ τῆς ἀληθείας προστάτης καὶ σοφίας, ἐρχόμενος μὲν ἐπὶ γένεσιν, καὶ τὴν ἀφανῆ τῶν κεκρυμμένων λόγων δύναμιν εἰς φῶς ἄγων, Ἀμῶν κατὰ τὴν τῶν Αἰγυπτίων γλῶσσαν λέγεται· συντελῶν δὲ ἀψευδῶς ἕκαστα καὶ τεχνικῶς μετ' ἀληθείας, Φθά. ἀγαθῶν δὲ ποιητικὸς ὤν, Ὄσιρις κέκληται, καὶ ἄλλας δι' ἄλλας δυνάμεις τε καὶ ἐνεργείας ἐπωνυμίας ἔχει.*

37. Hinc aperte colligitur Iamblichum (eadem est Plotini doctrina En. v. lib. cap. 3.) duos primos Deos statuere, iisdemque characteribus ab eo designari, quibus Bythum et Nun designabant Valentiniani: adeo ut ex eodem fonte hauserint omnes, ex aegyptiaca scilicet et chaldaica theologia, cui operam navaverant Platonici, ii praesertim qui e schola alexandrina prodierant. Id vero utrorumque principia et opiniones secum invicem conferenti manifestum fiet. Affirmat Iamblichus, ex Aegyptiorum sententia, primum Deum principiis omnibus ac rebus, ipso etiam primo Deo ac rege priorem esse, in monade unitatis suae permanere, fontem omnium esse et radicem omnium intelligibilium primarum idearum etc. Haec eadem sunt quae Bytho suo tribuunt Valentiniani. *Dicunt* enim, Irenaeo [1]) teste, *esse quendam in invisibilibus et inenarrabilibus altitudinibus perfectum Aeonem, προόντα, qui ante fuit, quem nulla res capere possit, invisibilem, sempiternum et ingenitum et in quiete multa fuisse infinitis saeculis.* Quae apprime conveniunt; arctius adhuc cohaerere deprehendes, si conferas Epiphanis sententiam, quam exponit Irenaeus cap. XI. *Est quaedam,* aiebat, *ante omnes Proarche, proanennoetos et inenarrabilis et innominabilis, quam ego Monotetem voco. Cum hac Monotete est virtus, quam et ipsam voco Henotetem.* Primus ergo Iamblichi Deus, principiis omnibus et rebus, ipso etiam primo rege prior est. Primus Valentinianorum Deus, perfectissimus Aeon est, *προών,* rebus omnibus praeexsistens, Proarche seu primum principium quod ante omnia est, sempiternus, ingenitus, Propator, ipso proinde Nu, quem *Patrem et initium omnium* dicebant, prior. Iamblichi Deus fons omnium est et radix omnium intelligibilium primarum idearum, primum intelligens et primum intelligibile et ut aiunt oracula chaldaica,

1) adv. haer. 1, 1.

πηγὴ πηγῶν, πηγῶν ἁπασῶν, μήτρα συνέχουσα τὰ πάντα, fons fontium et omnium fontium, matrix continens omnia. Valentinianorum Deus, primus fons et radix primae Mentis, *Νοῦ*, Veritatis et Verbi, uno verbo totius intelligibilis mundi, seu pleromatis. Primus Deus, ex oraculis chaldaicis, est quoddam intelligibile, quod mentis flore percipiendum est; ad quod intelligendum violenter enitendum non sit, sed intima mentis acie, quae omnia metitur, praeter intelligibile illud. *Ἔστι γάρ τι νοητόν, ὃ χρή σε νοεῖν νόου ἄνθει· οὐ δὴ χρὴ σφοδρότητι νοεῖν τὸ νοητὸν ἐκεῖνο, ἀλλὰ νόου ταναοῦ ταναῇ φλογί, πάντα μετρούσῃ, πλὴν τὸ νοητὸν ἐκεῖνο.* Primum Deum ex Valentinianis nulla res capere potest, incomprehensibilis est, proanennoetos, inenarrabilis, innominabilis. Hic ex Platonicis in singularitate unitatis suae manet, *ἐν μονότητι τῆς ἑαυτοῦ ἑνότητος μένων.* Ex Epiphane vero Monotes est, cum qua est virtus quae dicitur Henotes. Ex Marco, cuius sententiam exponit Irenaeus lib. I. cap. 15. n. 1. *τῇ μονότητι συνυπάρχει ἑνότης*, cum singularitate unitas existit. Valentinianis Bythus est, cum quo fuit et Ennoea, cum qua et per quam Nun et Veritatem, ceterorum Aeonum principia et fontes, emisit. Chaldaicis oraculis Profundum est, in quo est primum intelligens et primum intelligibile, *ἐν ᾧ τὸ πρῶτόν ἐστι νοοῦν καὶ τὸ πρῶτον νοητόν*, cum quo intelligentia est, *τὸ νοεῖν*, finis Profundi paterni et fons intelligibilium, quo paternam mentem omnibus fontibus et principatibus indidit. Ennoea Valentinianis dicitur et Sige seu silentium. Eapropter, Irenaeo teste, lib. IV. c. 35. n. 4. *Silentium maximam rem esse apud sapientes* dicebant: *oportere enim eam, quae sit sursum, Sigen, per id, quod est apud eos, silentium deformari.* Aegyptiis et Chaldaeis colitur Deus per solam Sigen, *διὰ σιγῆς μόνης*: huius intelligentia tamquam in adyto clauditur per divinum silentium; primus Deus Aegyptiis, ex Damascio in libro de Principiis, necdum, quod sciam, typis edito, *σκότος ἄγνωστον* dicitur, tenebrae ignotae, et ut canit Orpheus, *Αὐτὸν δ' οὐχ ὁράω, περὶ γὰρ νέφος ἐστήρικται, Ipsum non video, nubibus enim circumtegitur.* Secundum Valentinianos cum Bytho fuit Ennoea, ipsique coniugatur, nec ab eo prodiit. Secundum Chaldaeos primi Dei intelligentia ab ipso non processit, sed mansit in Profundo paterno et in adyto per divinum silentium. Hactenus gutta guttae similior non est, quam Valentinianorum placita Platonicorum, Aegyptiorum Chaldaeorumque dogmatibus. Sed ad reliqua pergamus.

38. Ex primo Deo sponte emicuisse vult Iamblichus, Deum sibi sufficientem, sui Patrem et principium, Mentem se ipsam intelligentem et alias intellectiones ad se convertentem, Mentem secundam et Mentis mentem, ut vocant oracula chaldaica. A Valentinianorum Bytho prodiit secundus Aeon, quem etiam *Νοῦν* vocabant. Nus Valentinianorum *ἀρχὴ πάντων*, initium omnium dicitur, *ἐν ᾧ τὰ πάντα ὁ πατὴρ προέβαλε σπερματικῶς, in quo Pater praemisit omnia seminaliter*, ut aiunt lib. I. cap. 8. n. 5. Aegyptiorum, Chaldaeorum et Platonicorum Nus principium est, Deus Deorum, Noetarcha seu intelligibile principium, essentiae principium, a quo omnis natura est et essentia, dux caelestium Deorum, mensque opifex. Nam ut habent oracula chaldaica, *Πάντα γὰρ ἐξετέλεσσε πατὴρ καὶ νῷ παρέδωκε δευτέρῳ. Νοῦ γὰρ νοῦς ἐστιν, ὁ*

κόσμου τεχνίτης πυρίου. Cuncta namque perfecit Pater et Menti tradidit secundae. Mentis enim Mens est, quae mundi est artifex igneï, id est, intelligibilis. Sic a Bytho prodiit Valentini Nus, ut tamen Pater ipse sit et unigenitus. Sic a primo Deo processit Platonicorum Nus, ut sui Pater sit et principium et per se genitus, *αὐτόγονος, αὐτογέννητος.* Cuius quidem rei rationem hanc affert Porphyrius a S. Cyrillo cont. Iulian. citatus ex lib. IV. de Hist. Phil. *προῆλθε δὲ προαιώνιος ἀπ' αἰτίου τοῦ Θεοῦ ὡρμημένος, αὐτογέννητος ὢν καὶ αὐτοπάτωρ. οὐ γὰρ ἐκείνου κινουμένου πρὸς γένεσιν τὴν τούτου ἡ πρόοδος γέγονεν, ἀλλὰ τούτου προελθόντος αὐτογόνως ἐκ Θεοῦ. Processit ante saecula a primo Deo prodiens, qui est per se genitus suique Pater. Neque enim illo se movente ad huius generationem emissio facta est, sed hoc per se prodeunte a Deo.* Quae etiam ratio ad Gnosticos quadrat. Nam eodem fere modo sententiam suam exprimebat Epiphanes. *Henotes,* inquit, *et Monotes quum sint unum, emiserunt, non emittentes, principium omnium noeton et agenneton et aoraton, quam Archen sermo Monada vocat. Cum hac Monade est virtus eiusdem substantiae ei, quam et eam voco Hen.* Id est, Monas a Patre emissa est, non per motum generationis proprie dictum, cuius terminus fuerit quidpiam a Patre distinctum; sed mera eius *ἐνέργεια* est, non ab eo diversa; ac proinde proprie loquendo ingenita, quaeque Patrem nesciat. Ubi etiam observes velim, quod quemadmodum Platonicis Mens secunda seu secundus Deus dicitur *μονὰς ἐκ τοῦ ἑνός, Unitas ex uno;* sic et Epiphani secundus Aeon dicitur *μονὰς ἐκ τῆς μονότητος et ἑνότητος, Unitas ex unitate:* Marco similiter secunda Aeonum coniugatio, quae Nun et Alethiam complectebatur, *μονάς τε καὶ τὸ ἕν.* Valentinianorum Nus *similis et aequalis est ei qui emisit et solus capit magnitudinem Patris.* Aegyptiis Mens prima *παράδειγμα ἵδρυται,* forma et exemplar est ad quod efficta est mens secunda, quae huius imago est, ab ea recipiens rerum omnium ideas. *Cuncta namque perfecit Pater et Menti tradidit secundae.* Vel ut habet aliud chaldaicum effatum, *ὁ πρῶτος Θεὸς ἀρχετυποῖ τῷ ἐλάττονι, Primus Deus archetypus est secundo.* Item: *πολὺ γὰρ μόνος ἐκ πατρὸς ἀλκῆς ἀρεψάμενος νόου ἄνθος ἔχει, τὸ νοεῖν πατρικὸν νοῦν. Solus uberem, quem ex Patre decerpsit, mentis florem sortitus est, nosse videlicet paternam mentem.* Porphyrius denique mox citatus, *μόνος αἰώνιος ὁ νοῦς, ὥσπερ ὁ Θεὸς ὁ πρῶτος, Nus solus aeternus, quemadmodum et Deus primus.* Valentiniani Nun copulant cum Veritate. Sic pariter et Mercurius. Mens, ait, Veritatis *προστάτης,* perficit omnia cum Veritate, *συντελῶν ἕκαστα μετ' ἀληθείας.* Illi denique Verbum, *Patrem omnium eorum qui post se futuri essent et initium et formationem* universi pleromatis, a Nu emissum asserebant. Et hic similiter: *ὁ γὰρ δημιουργικὸς νοῦς, inquit, καὶ τῆς ἀληθείας προστάτης .... ἐρχόμενος μὲν ἐπὶ γένεσιν καὶ τὴν ἀφανῆ τῶν κεκρυμμένων λόγων δύναμιν εἰς φῶς ἄγων. Opifex quippe Mens et Veritatis praeses, ad generationem veniens, latentem occultarum rationum, λόγων, vim in lucem producit.* Sed expressius adhuc alio in loco quem referunt Suidas et Cedrenus. *Ἦν φῶς νοερὸν πρὸ φωτὸς νοεροῦ, καὶ ἀεὶ νοῦς νοῦ αἴτιον, καὶ οὐδὲν ἕτερον ἦν ἢ τούτου ἑνότης, ἀεὶ ἐν ἑαυτῷ ὤν, ἀεὶ τῇ ἑαυτοῦ νοΐ καὶ φωτὶ καὶ πνεύματι πάντα περίεχει. ἐκτὸς τού-*

τον οὐ Θεὸς, οὐκ ἄγγελος, οὐ δαίμων, οὐκ οὐσία τις ἄλλη. πάντων γὰρ κύριος καὶ Θεὸς καὶ πατὴρ καὶ πάντα ὑπ' αὐτοῦ καὶ ἐν αὐτῷ ἐστιν. ὁ γὰρ λόγος αὐτοῦ προελθὼν, παντέλειος, καὶ γόνιμος, καὶ δημιουργὸς, ἔγκυον ἐποίησε τὸ ὕδωρ. Erat lumen intellectuale prius lumine intellectuali et semper mens mentis principium, nihilque aliud erat praeter ipsius unitatem; semper in se ipso manens, semper propria mente, luce et spiritu omnia continet. Praeter eum non Deus, non angelus, non daemon, non aliqua alia essentia. Omnium enim Dominus est et Deus et Pater et omnia ab ipso et in ipso sunt. Verbum enim ipsius prodiens, perfectum, fecundum et opifex, aquam fecundavit. Ubi tria saltem principia memorantur, Mens prima, Mens secunda, Verbumque opifex ab hac procedens. Quod autem Vitam cum Verbo coniugarent Valentiniani, a Ioannis evangelio sumserant, ubi vita Verbo connectitur: *In ipso vita erat;* ut explicat ipse Ptolemaeus apud Irenaeum lib. I. cap. 8. n. 5. Nihil enim simile apud Platonicos legisse me memini, nisi forte huc trahantur plura quae de *ζωῇ* disceptat Damascius in libro *περὶ ἀρχῶν*. Idem de altera coniugatione Hominis et Ecclesiae dixerim, qua clauditur Valentinianorum ogdoas, seu secundus quaternarius, quamque Ptolemaeus eruere se posse putavit ex his Ioannis evangelii verbis, *et vita erat lux hominum,* ut loco mox cit. refert Irenaeus.

39. Ex hactenus dictis aperte sequitur, ut a Platonicis tria intelligibilium principia, Mentem primam, Mentem secundam et Verbum: sic etiam a Valentinianis tria pleromatis (quod idem esse cum illorum mundo intelligibili diximus) agnosci principia, Bythum, primum principium et Patrem; Nun, Patrem et initium omnium; et Verbum, *Patrem omnium eorum qui post se futuri essent et initium et formationem universi pleromatis.* Et hi forte sunt tres Platonis et Amelii reges, de quibus Proclus in Tim. seu potius trias illa toties a Platonicis decantata. Sed et istud praeterea colligitur, octo illorum Aeonum coniugationes merito ab Irenaeo vocari; primas quidem, *primam et primogenitam pythagoricam quaternationem et radicem omnium:* omnes vero, *primogenitam octonationem, radicem et substantiam omnium.* Quod enim Pythagorici quaternario et octonario numero adscribebant, id Valentiniani sibi vindicantes octo primis Aeonibus tribuebant. Pythagorici, qui ad numeros omnia referebant, quaternionem tanti faciebant, ut totius naturae fontem esse censerent: *ἡ πηγὴ τῆς φύσεως ἡ τετρακτύς, Fons naturae quaternarius numerus,* ait Themistius, ex sententia Pythagoreorum, Phys. lib. III. et Proclus in theol. Plat. lib. IV. cap. 32. *Ἐπειδὴ δὲ τὴν αἰτίαν ἐν ἑαυτῷ περιέχει τοῦ σύμπαντος ἀριθμοῦ, τετράδα προσείρηκεν αὐτὸ, τεττάρων τῶν πρωτουργῶν αἰτιῶν περιληπτικὴν ὁ Τίμαιος, πάσης γὰρ εἰδοποιΐας ἡ τετρὰς αὕτη πηγὴ προϋφέστηκεν. Quoniam vero caussam in se continet omnis numeri, quaternitatem id Timaeus appellavit, quatuor primo operantes caussas comprehendentem: omnis enim formarum procreationis fons praeexstitit.* Hinc sacrum apud Pythagoreos iusiurandum, quo per Pythagoram quaternarii auctorem deierabant.

Ναὶ μὰ τὸν ἀμετέρᾳ ψυχᾷ παραδόντα τετρακτύν,
Πηγὰν ἀενάου φύσεως ῥιζώματ' ἔχουσαν.
Per eum, qui animae nostrae tradidit quaternarium,
Fontem perennis naturae radices habentem.

Et hinc etiam quaternarium omnem numerum appellabant. Suidas in Ἀριθμῷ: οἱ Πυθαγόρειοι πάντα ἀριθμὸν τετρακτὺν προσηγόρευον. ὁ δὴ ἀριθμὸς συμπληροῦται τοῖς δέκα. ὁ δὲ δέκα σύνθεσις τῶν τεσσάρων. Καὶ διὰ τοῦτο ἀριθμὸν πάντα τετρακτὺν ἔλεγον. *Pythagorei autem omnem numerum appellabant quaternarium: qui sane denario completur. Denarius vero est compositio quaternarii: ideoque quaternarium, omnem numerum vocabant.* Nempe quod denarium complectatur, qui in sese numerum omnem comprehendit: quidquid enim ultra denarium numeratur, denarii repetitio est. Quaternarius vero, si coniungas unitatem, binarium et ternarium, quibus constat, mox denarium efficit. Atqui ut Pythagorei quaternarium naturae fontem et radicem et omnem numerum appellabant, sic Valentiniani primum Aeonum quaternionem, primum et primigenum et omnium radicem dicebant: eo quod a primo illo quaternario proflueret secundus, ceterorum omnium Aeonum fons et principium. Et ut a quaternario denarium fluere volebant Pythagorei: sic a secundo quaternario Aeonum decada emitti asserebant Valentiniani. Hi praeterea *octonationem* ex duabus tetradibus conflatam, *primogenitam octonationem, radicem et substantiam omnium* nuncupabant. Quod mire consentit cum eo Pythagoreorum effato, *Πάντα ὀκτώ.* Cuius quidem hanc notionem affert Tarrhaeus in *Proverbiis. Πάντα ὀκτώ. Εὔανδρος ἔφη, ὀκτὼ τοὺς πάντων εἶναι κρατοῦντας θεούς, Πῦρ, Ὕδωρ, Γῆν, Οὐρανόν, Σελήνην, Ἥλιον, Μίθραν, Νύκτα. Omnia octo. Evander tradit, Deos rerum omnium potentes octo esse, Ignem, Aquam, Terram, Caelum, Lunam, Solem, Mithram, Noctem.* Quemadmodum ergo Pythagoreis omnia octo, quia primi Dii, rerum omnium potentes, octo sunt: ita Valentinianis *octonatio primogenita* est, *radix et substantia omnium,* quia ex primis octo Aeonibus ceterorum parentibus constat.

40. Si vero negotium facessat, quod *octonatio quatuor nominibus* dumtaxat *apud eos nuncuparetur, Bythus et Nus et Logos et Anthropos,* praetermissis Sige, Alethia, Zoë et Ecclesia, nodum facile solves ex Pythagoricorum principiis. Numerus omnis par aut impar: hunc perfectum esse, illum vero imperfectum statuebant. Plutarchus lib. de Homeri poesi: ὁ γὰρ Πυθαγόρας τοὺς ἀριθμοὺς μεγίστην δύναμιν ἔχειν ἡγούμενος καὶ πάντα εἰς ἀριθμοὺς ἀναφέρων, τὸν μὲν ἄρτιον ἐνδεᾶ καὶ ἀτελῆ, τὸν δὲ περισσὸν πλήρη τε καὶ τέλειον ἀπέφηνεν. *Pythagoras enim, qui numeros maximam habere vim existimabat, omniaque ad eos referebat, parem quidem indigentem et imperfectum, imparem vero plenum ac perfectum ostendit.* Eapropter imparem numerum praestantiorem esse censebant. Iulianus in epist. ad Serapionem: καὶ οὐκ ἀγνοῶ μέν, ὡς παλαιῶν καὶ σοφῶν ἀνδρῶν ὁ λόγος, τοῦ ἀρτίου τὸν περιττὸν προκεῖσθαι. *Equidem non sum nescius, veteres eosdemque sapientes imparem numerum pari praeposuisse.* Et Plinius lib. XXVIII. cap. 2. *Impares numeros ad omnia vehementiores credimus.* Quia videlicet, ut explicat anonymus in Ptolemaei Tetrabiblon lib. I., numerus par sectioni atque passioni obnoxius; impar vero utriusque expers et efficax et ad unitatem, omnium simplicissimam, propius accedit. Et ideo, eodem anonymo teste, Pythagorei numerum imparem masculum, parem femineum dicebant. Διὸ ὁ μὲν θῆλυς ὀνομάζεται, ὁ δὲ ἄρρην. Et Macrobius *in somnio Scipionis,* lib. I. cap. 6. *Esse imparem*

marem, parem feminam, superius expressimus. Numerus proinde, qui ex pari atque impari conflatus est, id est, ex mare atque femina, ἀῤῥενόθηλυς, *masculo-femina* vocabatur. Anonymus in Theologumenis arithmeticis, ubi de numero senario: *Ἐξ ἀρτίου καὶ περισσοῦ, τῶν πρώτων, ἄῤῥενος καὶ θήλεος δυνάμει καὶ πολλαπλασιασμῷ γίνεται. διὸ καὶ ἀῤῥενόθηλυς καλεῖται. Ex pari et impari primis, mare et femina, potentia et multiplicatione nascitur: unde et masculo-femina dicitur.* Ex quibus omnibus lucem accipiunt, quae modo ex Irenaeo referebamus, *primogenitam octonationem quatuor nominibus apud Valentinianos nuncupatam* fuisse, Bython et Nun et Logon et Anthropon. Nempe quum Bythus, Nus, Logos et Anthropos imparibus numeris 1. 3. 5. et 7. exprimerentur, utpote qui primum, tertium, quintum et septimum locum in ogdoade tenerent; ab his, utpote perfectioribus et praestantioribus, nomen sortiebatur ogdoas: praetermittebantur vero Sige, Alethia, Zoë et Ecclesia, quod numeris 2. 4. 6. et 8. imperfectioribus et ignobilioribus responderent: altera siquidem in secundo, altera in quarto, altera in sexto, altera in octavo ordine constituebatur. Lucem etiam accipiunt quae mox subiungit Irenaeus: *Esse enim unumquemque masculo-feminam.* Quum enim syzygia quaelibet ex impari atque pari numero, mare et femina coalescat; Aeon proinde syzygiae caput, impari numero expressus, alteri Aeoni, qui pari numero respondet, copulatus, masculo-femina dicendus. Nec etiam a verosimili abhorret, totum illud Aeonum masculorum et Aeonum feminarum, vel Aeonum masculo-feminarum mysterium e Platonicorum lacunis depromtum fuisse. Nihil frequentius apud Proclum et alios occurrit, quam Deos quosdam mares, quosdam feminas, vel quosdam masculo-feminas esse. Ubi per feminas nihil aliud intelligunt, quam Deorum potentias et facultates, iis intime adhaerentes, per quas effectus sibi proprios operantur et in lucem edunt.

41. Deinde Pythagorei numerum imparem dextrum, faustum et prosperum; parem vero sinistrum et infaustum habebant. Iamblichus *de vita Pythagorae.* lib. I. cap. 28. *Εἰσιέναι δὲ εἰς τὰ ἱερὰ κατὰ τοὺς δεξιοὺς τόπους παραγγέλλει, ἐξιέναι δὲ κατὰ τοὺς ἀριστερούς, τὸ μὲν δεξιόν, ἀρχὴν τοῦ περιττοῦ λεγομένου τῶν ἀριθμῶν τιθέμενος, τὸ δὲ ἀριστερὸν, τοῦ ἀρτίου σύμβολον. Templa ingredi per loca dextra praecipiebat, egredi vero per sinistra: quippe dextrum numeri, qui impar dicitur, initium esse; sinistrum autem, paris symbolum.* Censorinus, *De die natali* cap. 20. *Impar numerus plenus et magis faustus habebatur.* Lutatius, *ad Statii Theb.* v. *Omnis impar numerus prospera significat et vivis adscribitur.* Festus denique: *Imparem numerum antiqui hominibus prosperiorem esse crediderunt.* Quibus facile explicatur ea quam lib. I. cap. 11. n. 2. Irenaeus refert Secundi, Valentini discipuli, sententia; *Quaternationem esse dextram et quaternationem sinistram et lumen et tenebras.* Quum enim, Plutarcho teste, in lib. *de Animae procreatione,* cuius verba mox recitabimus, Pythagoricis duplex esset quaternarius, alter ex primis quatuor imparibus, alter ex primis quatuor paribus compositus, illeque dexter et faustus, hic sinister et infaustus existimaretur; non mirum, si Secundus eorum vestigia relegens, Gnosticorum octonarium in duos quaternarios secaret, dextrum scilicet et sinistrum. Dexteris erat qui ex primis quatuor imparibus Aeonibus conflatus erat, primo videlicet,

tertio, quinto et septimo; sinister qui ex primis quatuor paribus, secundo, quarto, sexto et octavo. Primus lumen erat, quia numeri impares fausti et mares; secundus tenebrae, quia numeri pares infausti et feminae, haeque a maribus, a quibus pendent, lumen accipiunt.

42. Denique ea vis est pythagorici quaternarii, ut numerum sex et triginta contineat; nempe quatuor primos pares numeros, binarium, quaternarium, senarium, octonarium: et quatuor primos impares, unitatem, ternarium, quinarium et septenarium: qui collecti eum numerum exhibent; ideoque Mundus appellatur. Plutarchus *de Iside et Osiride: Ἡ δὲ καλουμένη τετρακτὺς, τὰ ἓξ καὶ τριάκοντα, μέγιστος ἦν ὅρκος, ὡς τεθρύλληται, καὶ κόσμος ὠνόμασται. τεσσάρων μὲν ἀρτίων τῶν πρώτων, τεσσάρων δὲ τῶν περισσῶν, εἰς τὸ αὐτὸ συντιθεμένων ἀποτελούμενος. Qui vero quaternarius vocabatur, e sex et triginta constans, maximum erat iuramentum, ut sermone omnium tritum est, et appellabatur Mundus, e primis quatuor paribus ac primis quatuor imparibus constitutus.* Et in lib. de Animae procreatione: *Ἡ μὲν ὑπὸ τῶν Πυθαγορικῶν ὑμνουμένη τετράκτυς, τὰ ἓξ καὶ τὰ τριάκοντα, θαυμαστὸν ἔχειν δοκεῖ, τὸ συγκεῖσθαι μὲν ἐκ πρώτων ἀρτίων τεσσάρων καὶ πρώτων περισσῶν τεσσάρων. Equidem quaternarius ille a Pythagoricis praedicatus, scilicet sex et triginta, illud habet admirandum, quod compositus sit e quatuor primis paribus et primis quatuor imparibus.* Eadem vis fuit utriusque quaternarii, cum paris, tum imparis, seu octonarii Valentiniani. Mundus et ipse erat, numerumque sex et triginta complectebatur. Exhibebat nempe octo primos Aeones cum aliis viginti et duobus, Horoque, Christo et Spiritu sancto et Salvatore ab iis emissis, quibus pleroma seu mundus intelligibilis definitur; et Achamotha ac Demiurgo, mundi huius adspectabilis ducibus ac conditoribus, quique a supernis Aeonibus ortum ducunt ac numerum 36 complent.

43. Ex primo illo Aeonum octonario, denarium alterum et duodenarium derivabant Valentiniani, nempe decem a Verbo et Vita, duodecim ab Homine et Ecclesia emissos, ut ex iis omnibus fieret tricenarius Aeonum numerus. Posteriorum quidem istorum nomina et coniugationes non occurrunt in Platonicorum Pythagoricorumque scriptis; utpote quae vel e Scripturis corraserit, vel fabricaverit ipse Valentinus. Quaecunque in Scripturis voces divini Verbi proprietates eiusque in humanum genus effusae benignitatis effectus significant, has studiose colligens et artificio quodam colligans ac connectens, in totidem Aeones transformavit; vana persuasione seductus, diversis illis nominibus res diversas designari. Verbum hominem factum ecclesiam fundasse, inspirataque ei vita in sponsam sibi assumsisse, in Scripturis passim legimus. His abusus nugator a Verbo et Vita Hominem et Ecclesiam effluxisse finxit. Quia vero in Christo *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* [1]) et in eo recoñditi sunt *omnes thesauri sapientiae et scientiae* Dei, hinc Bythius seu *Profundus* et Mixis seu *Mistura;* Profundus quidem ob perfectionum infinitam profunditatem; Mistura vero ob earundem ordinatissimam seriem. De Christo ea Psalmi CI. verba intelligit apostolus [2]): *Ipsi* (caeli) *peribunt; tu autem permanebis et omnes ut vestimentum*

1) Coloss. II, 9. et 2. 2) Heb. I, 11. 12

veterascent: tu autem idem ipse es et anni tui non deficient; ut omittam alia quamplurima, quae Christi immutabilitatem nulli obnoxiam senio, eiusque perfectiones nunquam caducas demonstrant. Inde Ageratos, *senii expers,* cui copulatur Henosis, *unio,* ob perfectionum nunquam defectarum, minuendarum aut dissipandarum arctissimum nexum. Sapientia in Scripturis [1]) fuisse dicitur in initio viarum Domini, antequam quidquam faceret a principio, ab aeterno ordinata et ex antiquis antequam terra fieret, ante abyssos concepta etc. Deo fuisse in deliciis. Verbum in principio erat, Egressus eius ab initio, a diebus aeternitatis, Filius Patri maxime dilectus est, A. et Ω. principium et finis etc. Unde Autophyes, *ex se natus,* et Hedone, *voluptas* [2]). Quod vero aeternum sit Dei Verbum, quod initium excludat, successionem ac mutabilitatem ac finem; quod in puncto ac momento consistens, mutationem ac vicissitudinem nesciat; quod denique infinitatem mobilis temporis praesentem habeat et in quo omnis aetatum et temporum varietas, futurum, praesens et praeteritum perfectissime et absque ullo fluxu cocunt; hinc Acinetos, *immobilis,* cuius proprietas est Syncrasis, temporum, ut ita dicam, *contemperatio.* Quia denique Verbum unigenitus Dei Filius passim dicitur, quem cognoscere vita aeterna est et quocum in caelis regnare, suprema mentium nostrarum felicitas est, Monogenem, *Unigenitum* et Macarian, (suppl. ζωήν, vitam) *beatam vitam* dixerunt haeretici.

44. Qui autem ab Homine et Ecclesia emissi dicuntur Aeones et hi ex iis Spiritus sancti proprietatibus et donis, quae leguntur in Scripturis, stolide a vesanis hominibus conflati sunt. Sic *Paracletus* Spiritus sanctus est, quem missurum se toties spopondit Salvator, ut doceret nos omnem veritatem, fidemque proinde nobis inspiraret [3]). Patricos, *Paternus,* Spiritus adoptionis est, in quo clamamus, *Abba, Pater,* testimonium reddens Spiritui nostro, quod sumus Filii Dei, heredes proinde, exspectantes revelationem filiorum Dei et abundantes in spe et virtute Spiritus sancti [4]). Metricos, *Maternus,* Paracletus est, qui quomodo si cui mater blandiatur, ita consolatur nos [5]), caritate diffusa in cordibus nostris. Ainos, Graece *ἀείνους, mens aeterna* ac semper cogitans, Spiritus est qui scrutatur omnia, etiam profunda Dei et quae Dei sunt cognoscit [6]), per quem nobis revelavit Deus sapientiam in mysterio, quae abscondita est et *σύνεσις, intelligentia* nobis datur eorum quae a Deo donata sunt nobis. Ecclesiasticos, *Ecclesiasticus* idem dicitur, quia ecclesiam quam ex variis gentibus adunavit, regit, tuetur et fovet, multiplicique *μακαριότητι, beatitudine* per inspirata dona locupletat. Theletos denique, seu *voluntarius* est, quia ex amore et voluntate procedit, eique proinde quum datum sit profundissima quaeque Dei voluntatis consilia scrutari, per hunc datur nobis sermo *σοφίας, sapientiae,* loquimurque Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est et quam nemo principum huius saeculi cognovit [7]).

45. At quamvis posteriorum Aeonum nomina et proprietates ignoraverit platonica, chaldaica et pythagorica theologia, tricenarium tamen

1) Prov. VIII, 22. 2) Ioan. I. Mich. V, 2. Matth. III, 17. Apoc. I, 8. 3) Ioan. XVI, 13. 4) Rom. VIII, 15. 17, 19. XV, 13. 5) Esa. LXVI, 13. 6) Rom. V. 1. Cor. II, 10. 11. 7. 7) I. Cor. II et XII.

omnium numerum effingendi exemplum ab ea petiere Valentiniani. Plutarchus in libro *de Iside et Osiride* refert, eam fuisse Zoroastris magi sententiam, duos esse Deos, alterum bonorum, alterum malorum opificem. Illi nomen Oromazes, huic Arimanius. *Καὶ ὁ μὲν ἓξ θεοὺς ἐποίησε, τὸν μὲν πρῶτον εὐνοίας, τὸν δὲ δεύτερον ἀληθείας, τὸν δὲ τρίτον εὐνομίας· τῶν δὲ λοιπῶν, τὸν μὲν σοφίας, τὸν δὲ πλούτου, τὸν δὲ ἐπὶ τοῖς καλοῖς ἡδέων δημιουργόν .... ἄλλους δὲ ποιήσας τέσσαρας καὶ εἴκοσι θεοὺς, εἰς ᾠὸν ἔθηκεν. Porro sex Deos fecit Oromazes, primum benevolentiae, secundum veritatis, tertium aequitatis, reliquos sapientiae, divitiarum, et voluptatis, quae honesta consequitur, opifices .... Alios vero viginti quatuor Deos condidit, et in ovo posuit.* Ubi triginta Deos habes, quorum etiam nomina quaedam cum Valentinianorum Aeonibus conveniunt. Zoroastrem secutus Hesiodus triginta et ipse Deos finxit, quorum *θεογονίαν* descripsit: adeo ut ab eo pleromatis formam desumsisse Valentinianos autumaverit Epiphanius. Quod vero hi Aeones quindecim masculos cum totidem feminis copularent; Pythagoricorum exemplo fecisse demonstravimus, qui numeros impares cum paribus coniugabant, hosque feminas, illos mares appellabant.

46. Aeonibus triginta, quatuor alios, sed extra coniugationum et emissionum seriem, in pleromate tamen, insuper adiungebant haeretici, Horon videlicet, Christum et Spiritum sanctum ac Salvatorem. Priorem ex Aegyptiorum, tres alios e Scripturarum sacrarum fontibus hauserant. Horon Aegyptii fingebant Typhonis conatus fregisse. Ab iis, Kirkero teste, pingebatur puer, labra premens, digitoque suadens silentium, ut ineffabilia esse mysteria indicaret. Horon vero ipsum Apollinem esse, concentus omnis et harmoniae auctorem, medendique ac divinandi peritissimum, pluribus ostendit Plutarchus in Iside et Osiride, unde et manasse videtur Hermionensium ille *Ὅριος* Apollo, id est, terminorum praeses, quem, teste Pausania, olim colebant. Terminum etiam a multis habitum fuisse Deum, pacisque custodem, et iustitiae testem dictum, liquet ex eodem Plutarcho in Numa. Quae omnia ad Valentinianorum Horon quadrant. Hic siquidem temerarios Sophiae et Enthymeseos conatus repressit; Bythum et pleroma (nam duplicem Horon fingebat Valentinus, unum inter Bythum et Aeones, alterum inter pleroma et Enthymesin) quasi vallo cingit et munit, propius accedentibus aditum intercludit, exclamansque *Iao,* id est, ineffabile Dei nomen pronuntians, impervia esse divina mysteria significat. *Horothetes* seu terminorum praeses ac constitutor et ipse dicitur: denique ceu virtus *quae confirmat extra inenarrabilem magnitudinem et custodit omnia,* repraesentatur. Quia vero ex catholica doctrina perceperant, Filium Dei, quem etiam *Νοῦν* Patris sacrae litterae appellant, *ὅρον καὶ λόγον τοῦ πατρὸς* nominari, id est, *definitionem et rationem,* seu *Verbum Patris;* hinc occasio ab insanis hominibus captata *ὅρον καὶ λόγον* ab unigenito Patris Filio distinguendi, sicque unam et eandem personam, seu unius et eiusdem personae varia nomina et rationes in plures Aeones discerpendi. Ut enim *λόγον* a Nu emissum contendebant, sic et Horon a Bytho per Nun in imagine Patris prodiisse volebant. Quod foeda catholici dogmatis deformatio erat. Quippe unus et idem Dei Filius *ὅρος καὶ λόγος τοῦ πατρὸς* a ss. patribus dicitur. Cuius quidem nominis interpretationem

fuse edisserit Gregorius Nazianzenus Orat. xxxvi. p. 590. *λόγος δέ, ὅτι οὕτως ἔχει πρὸς τὸν πατέρα, ὡς πρὸς νοῦν λόγος· οὐ μόνον διὰ τὸ ἀπαθὲς τῆς γεννήσεως, ἀλλὰ καὶ τὸ συναφὲς καὶ τὸ ἐξαγγελτικόν· τάχα δὲ ἂν εἴποι τις, ὅτι, καὶ ὡς ὅρος πρὸς τὸ ὁριζόμενον, ἐπειδὴ καὶ τοῦτο λέγεται λόγος. ὁ γὰρ νενοηκώς, φησί, τὸν υἱὸν (τοῦτο γὰρ ἐστι τὸ ἑωρακώς), νενόηκε τὸν πατέρα. καὶ σύντομος ἀπόδειξις καὶ ῥᾳδία τῆς τοῦ πατρὸς φύσεως ὁ υἱός. γέννημα γὰρ ἅπαν τοῦ γεγεννηκότος σιωπῶν λόγος. Verbum appellatur, quod sic ad Patrem se habeat, ut sermo ad mentem: non modo propter generationem passionis omnis expertem, verum etiam propter coniunctionem ipsius cum Patre vimque enuntiatricem. Fortasse etiam, quia eodem modo se ad Patrem habet, quo definitio ad definitum. Nam definitio quoque λόγος dicitur. Qui enim Filium intellexit, ait, (hoc enim significat illud, qui vidit) etiam intellexit Patrem. Ac brevis et compendiosa facilisque naturae paternae declaratio, Filius est. Omne enim quod genitum est, genitorem suum tacita quadam voce definit.* Igitur definitio, *ὅρος*, naturae paternae ac proprietatis ideo Filius dicitur, quoniam expressa est illius imago, eamque complectitur, continet explicatque: quemadmodum definitio rem definitam explicat, et efficit ut ea mente capiatur et intelligatur. Quod quidem aliqua ex parte exprimere voluerunt haeretici, aientes Horon in imagine Patris emitti, pleromatis Horotheten esse, quod est divinitatem ab eo definiri ac declarari, aliaque Filii Dei nomina huic aptantes, puta *λυτρωτοῦ*, Redemptoris, *Καρπιστοῦ*, vindicis etc. Sed his non contenti, fabulas aegyptiacas in subsidium vocarunt, et quae catholica fides de Verbi divini generatione docet, misere defoedarunt.

47. Eodem sacrilegii genere Christum ab Unigenito, Horo, Verbo, Salvatore et Iesu dividentes, finxerunt alterum par Aeonum, Christum et Spiritum sanctum, a Monogene secundum providentiam Patris emissos fuisse: illum, ut Aeones doceret Unigeniti solius menti pervium esse Patrem, nec a quoquam percipi, aut intelligi, nisi Monogenis beneficio, posse: hunc vero, ut Aeones omnes ad aequalitatem redigeret, omnesque eiusdem formae et animi efficeret, ut universi pariter et Mentes essent et Sermones et Homines et Christi etc. Nempe quod in evangelio Christus docet, neminem nosse Patrem, nisi Filium, et cui voluerit Filius revelare; et quod fide novimus Spiritum S. esse caritatem et amorem, vinculumque sanctissimae trinitatis, ac nexum quo fideles constringuntur et unum fiunt, haec comminiscendi ansam praebuerunt. Salvatorem autem, ex eo quod singuli pleromatis Aeones in se praestantissimum ac florentissimum haberent, scite composito, atque eleganter contexto, ceu pleromatis sidus, perfectumque fructum, ac paternis Aeonum omnium nominibus insignitum, in lucem editum effutiebant, quod apud apostolum legissent, Christum nostrum infinitis divinae sapientiae et scientiae thesauris ditatum, et in eo plenitudinem omnem divinitatis habitare corporaliter. Quem dum angelis satellitibus eodem tempore productis stipatum describunt, partim evangelium, in quo legitur angelos Christi ortum et resurrectionem annuntiasse, eique in omnibus ministrasse; partim Platonicos imitantur, qui Iamblicho teste, sect. II. cap. 2. 3. seqq. *Diis aliquam angelorum turbam, tamquam satellites, assignant.*

48. Sophiae, Aeonum novissimi, casus, insignior valentinianae fa-

bulae pars, in recensione pleromatis omitti non debet. Alterum aenigma ceteris ut insulsius, sic et obscurius. Quid ea de re sentiam, paucis explicabo. Pervetus est de mali origine dubitatio, quae tum philosophorum christiani dogmatis ignarorum, tum etiam eorum qui christianum nomen profitebantur, diutius torsit ingenia. Quum enim hinc ea sit omnium animis ingenita notio, Deum summe bonum malorum auctorem esse non posse, illinc vero malis mundum hunc scatere doceat experientia; nodum solvere non valentes plurimi, vel desperatione fracti sunt, vel in absurdissimorum errorum barathrum praecipites acti, miserrime perierunt. Ut omittam eos e Platonicis, qui materiam aeternam et a nullo productam invexere malorum radicem, quae divinis operibus admista, haec contagione quadam inficeret; alii cum philosophi, tum nomine tenus Christiani, quales Marcionitae, Manichaei et Priscillianistae, duos affirmare Deos maluerunt, et unum eorum mali principium, ne illum verum Deum, qui natura bonus est, fontem et originem mali esse faterentur: alii vero dum duplicem Deum fateri merito reformidabant, aliam divinitati iniuriam inferre veriti non sunt. Statuere siquidem angelos ut mundi auctores, sic et malorum omnium opifices. Quae veterum omnium Gnosticorum, Simonis, Menandri, Saturnini, aliorumque quorum blasphemias recitat Irenaeus lib. I. impia fuit opinatio. Sed quia importuna, nec vanae subtilitatis artibus usquam eludenda, aut solvenda semper redibat quaestio, unde angeli ipsi eo usque cum malitiae, tum potentiae devenire potuerunt, ut mundum Deo bono vel invito vel non repugnante et fabricarent et malis contaminarent; hanc fabularum commentis, certissimas veritates obscurando, expedire se posse putarunt Valentiniani. Audierant in Christianorum scholis, initium omnis perditionis superbiam exstitisse; angelos quippe, quod ad Altissimi solium propius, quam eorum conditio ferebat, accedere voluissent, quodque summam Dei scientiam ac maiestatem temere aemulati, rebus omnibus creatis dominari ac providere, affectu saltem ac voto, concupiissent, e caelo deiectos praecipiti ruina periisse, eodemque, quo primum infecti fuerant superbiae veneno, humanum genus infecisse ac perdidisse et proinde malorum omnium, quibus iam labefactatur orbis, fomitem ministrasse. Audierant et apud apostolum legerant, Deum sibi proposuisse *instaurare omnia in Christo, quae in caelis, et quae in terra sunt, in ipso;* et quod per Filium suum, *qui est imago Dei invisibilis,* complacuerit *reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, sive quae in terris, sive quae in caelis sunt* [1]). Certissima haec ecclesiae catholicae ab apostolis tradita dogmata depravantes, iisque ludicra commenta pro more intermiscentes, novam hypothesin cuderunt, qua rerum genesin suo, platonico potius ac pythagorico modo, aenigmata aenigmatis intexentes, explicarent. Finxerunt itaque, summum Deum infinitis temporum saeculis in summa quiete ac tranquillitate perstitisse, nihil exterius operatum, sed sola sua ἐννοίᾳ seu cogitatione contentum et occupatum; quam ideo Silentium vocabant, quia nullo sese actu exteriori prodebat; Gratiam vero, quia beneficiorum omnium, quae orbi deinceps largitus est, fons et principium exstitit. Ex quo enim Deus in animum induxit orbem condere, cogitationem suam

1) Eph. I, 10. Col. 1, 15. 20.

hactenus sterilem sic fecundavit, ut in novum actum, quo exterius patesceret, erumpens, *Νοῦν* seu sensum produceret, rerum omnium patrem ac principium deinde futurum, sive primaevam et archetypam rerum omnium condendarum formam et exemplar. Huic copulata dicitur Veritas, quia primum illud exemplar suprema veritas et regula est, ad quam omnium fabricatio exigenda sit. Quia vero apertius, quam ut ab iis qui christianum nomen utcunque profitentur, negari possit, in Scripturis legitur, in principio esse Verbum et in Verbo vitam; per Verbum, totius molimenti curam huic demandante Patre, facta esse omnia; a Verbo conditum hominem; a Verbo refectum humanum genus ac fundatam ecclesiam; Deum fundasse terram sapientia, et stabilivisse caelos prudentia etc. fingere necesse visum est, a Nu, rerum omnium principio, processisse Verbum cum Vita; quod quidem Verbum Patre inferius, huiusque minister, primus rerum omnium inferiorum auctor, conditor et architectus esset, a Patre proinde, eiusque Nu persona saltem distinctus; a Verbo autem et Vita, Hominem et Ecclesiam. At quum Verbum et Homo, licet a supremo Patre distincti, hocque longe inferiores Aeones, ei tamen adhuc propiores essent, ut iis tamquam principiis proximis et immediatis rerum materia constantium creatio tribueretur, ne materiae vitia in summum Patrem refunderentur: horum proinde longius a Patre removendorum caussa, longa Verbo et Homini subiecta fuit Aeonum series, ut gradatim operis ignobilioris molimen et caussa ad Sophiam omnium postremum deveniret, cui minus notus esset Pater, quia longius ab eo dissitus. Et inde contexta de Sophiae ultimi Aeonis ignoratione, extremoque paene discrimine fabula; ut hinc eruta malorum scaturigine, Dei sanctitati consuleretur. Dum enim Sophiam invidia flagrantem in scenam agunt delira illa capita, quod Monogeni soli datum esset summum Patrem penitius intueri; dum male concepto Patris magnitudinem comprehendendi desiderio aestuantem, abreptam, ac prae rei impossibilitate paene dissolutam exhibent: quid aliud quam nefaria vota tristemque casum adumbrant illius angeli, qui similem se altissimo futurum sibi spondens, *perdidit sapientiam suam in decore* suo, *et in* terram, in poenam *elevati cordis proiectus est*? [1]) Dum vero Horon, quem ipsum Dei Verbum esse superius diximus, quemque *Crucem* et *Redemtorem* vocabant, laboranti opem ferentem, ipsamque demum pristinae coniugationi restituentem fingunt; quid aliud quam instauratam per Christi crucem et sanguinem angelorum ruinam, citatis apostoli verbis nixi, exprimere animus erat? Haec quidem apostoli verba perperam interpretabantur et a genuino sensu abducebant: at non soli; postea siquidem Origenes, et ipse Platonicorum placitis longius quam par fuisset abductus, in eundem sensum accepisse videtur, instauratosque a Christo angelos existimasse. Quorsum vero iam abeat fabula, quisque videt, ut scilicet praeceps illud temerariumque Sophiae desiderium, et, ut vocabant, Enthymesin, in fetum quendam informem transformarent, ex quo demum rerum omnium condendarum materiam eruerent; malorum omnium ideo seminarium, quod caeco ignari Aeonis desiderio originem acceptam referret. Sic aniles nugas venditando, a Deo malorum caussam avertere se posse, et in so-

1) Ezech. XXVIII, 17.

lam ignorantiam refundere putarunt nugatores illi. Et hinc varias, quibus iactata est Enthymesis, perturbationes omnes cum ignorantia coniunctas fuisse aiunt lib. I. cap. 4. n. 1. et Irenaeo teste lib. II. cap. 17. n. 10. *ignorantiam malum, omnia autem mala ex ea floruisse definiebant.* Sic de rebus divinis aenigmatico, mereque poetico, ac inusitato loquendi more disseruerunt semi-christiani homines, ethnicis christiana attexentes, aliaque aliis foede interpolantes.

49. Sed antequam ad alteram valentiniani systematis partem transeamus, alia nobis incumbit, eaque operosior quaestio solvenda, quid nimirum tot Aeonum nomine sibi vellent haeretici isti? An totidem Deos intelligerent, eo fere modo quo vulgus Ethnicorum Saturnum, Iovem, Mercurium etc. Deos, singulos habentes singulas naturas divinas existimabat? An totidem in una et eadem divinitate subsistentes personas, ad eum modum quo Catholici tres in una natura divina subsistentes, distinctasque personas profitentur et credunt? An denique totidem unius eiusdem ut naturae singularis, sic et personae proprietates, affectiones et *ἐνεργείας*, quemadmodum Sabellius Verbum et Spiritum S. duas dumtaxat merasque efficientias esse dicebat unius et eiusdem personae, cui diversa essent pro diversis operationibus et proprietatibus nomina. Et quidem, ut certa ab incertis secernamus, vocem *Αἰών* non Gnosticis modo, sed et veteribus plerisque Deum denotasse constat. *Καὶ γὰρ τοῦτο τοὔνομα θείως ἔφθεγκται παρὰ τῶν ἀρχαίων. Divine namque nomen hoc pronuntiatum est a veteribus,* ait Aristoteles lib. I. *de caelo* cap. 9. Hinc Epictetus, apud Arrianum eadem, qua Valentinus vixit, aetate florentem, lib. II. cap. 5. ante med. mortis necessitatem considerans, ait: *Οὐ γάρ εἰμι Αἰών, ἀλλ' ἄνθρωπος. Neque enim Deus sum, sed homo.* Alludit scilicet ad etymologiam vocis *αἰών. Αἰών* enim, inquit Aristoteles loco cit. *ἔστιν ἀπὸ τοῦ ἀεὶ εἶναι εἰληφὼς τὴν ἐπωνυμίαν, a semper essendo appellationem sumsit.* Hoc sensu a Pseudo-Dionysio. lib. de Div. Nom. cap. 5. §. 4. Deus dicitur, *ἀρχὴ καὶ μέτρον αἰώνων, καὶ χρόνων ὀντότης, καὶ Αἰὼν τῶν ὄντων,* principium et mensura saeculorum, et temporum essentia, et aevum eorum quae exsistunt. Et Clemens Alexand. in hymno quem Christo Servatori canit, ad calcem lib. III. Paedag. eum vocat, *αἰῶνα ἄπλετον, Aevum infinitum.* Sed nullus hac voce in eo sensu liberius et frequentius utitur Synesio in hymnis. Qui, ut id obiter dicam, si in hoc non omnino vituperandus, vix excusandus, quod Valentinianorum sermones incautius adhibeat, sensu quidem catholico et ab haereticorum somniis procul dissito, at Musa iusto solutiori et plus aequo *πλατωνιζούσῃ.* Durum certe catholicis auribus sonat, quod identidem Patrem aeternum *βυθὸν πατρῷον, Bythum Paternum* vocat, ut initio hymni secundi. Durius quod eodem hymno legitur: *Σὺ δ' ἄῤῥην, σὺ δὲ θῆλυς, Σὺ δὲ φωνὰ, σὺ δὲ σιγὰ, Φύσεως φύσις γονῶσα. Σὺ δ' ἄναξ, αἰῶνος αἰών, τὸ μὲν, ἢ θέμις βοᾶσαι. Μέγα χαῖρε, κέντρον ὄντων, Μονὰς ἀμιβρότων ἀριθμῶν, Προενουσίων ἀνάκτων. Tu Pater, tu es Mater, Tu mas, tu femina, Tu vox, tu silentium, Naturae natura fecunda Tu, o rex, saeculi saeculum, Quantum id quidem fas est voce testari. Longum salve, centrum rerum, unitas divinorum numerorum, sempiternorum regum.* Et hymno III. de eodem Patre. *Πατέρων πάντων Πάτερ, αὐτοπάτωρ,*

Προπάτωρ, ἀπάτωρ, Υἱὲ σεαυτοῦ. Patrum omnium Pater, Pater tui ipsius, Primus omnium Pater, sine Patre, Fili tui ipsius. Et postea: *Σπέρμα τὸ πάντων, Ῥίζα καὶ ὄρπαξ, Φύσις ἐν νοεροῖς, Θῆλυ καὶ ἄῤῥεν. Μύστας δὲ νόος τά τε καὶ τὰ λέγει, Βυθὸν ἄῤῥητον Ἀμφιχορεύων. Semen omnium, Radix et summus ramus, Natura in intellectualibus, femina et mas. Mystica autem mens, Haec atque illa dicit, Profunditatem ineffabilem circa ducens choreas.* Ut omittam alia plurima, a quibus Musa severior temperare debuisset.

50. Illud etiam certum, e ss. patribus non paucos existimasse Valentinum triginta Deos invexisse. Sic Epiphanius Haer. XXXI. §. 2. ubi triginta Aeones recensuisset, addit eos a Valentino Deos nominatos, *οὓς καὶ θεοὺς ὀνομάζει.* Sic pariter Origenes Hom. un. in lib. Reg. cum Tertull. lib. *advers. Valent.* cap. 8. Cyrillo Hieros. *Catech.* 6. et Paulino in *Vita S. Ambrosii.* At vero Ambrosius ipse epist. XL. nov. edit. ad Theodosium imper. scripta, n. 16. de nomine consentit quidem, de numero dissentire videtur. *Licet,* inquit, *Gentiles duodecim Deos appellent, isti* (Valentiniani) *triginta et duos Aeonas colunt, quos appellant Deos.* Sic enim legendum esse, non *triginta Aeones,* ut legerunt editores romani, demonstrant novae editionis auctores ex unanimi veterum cum MSS. tum editt. consensu. Sed quum Irenaeus lib. II. cap. 12. n. 7. ex Valentinianorum principiis probet, *non solum triginta emissiones secundum illos emissas esse, sed quatuor cum istis* XXX. Horon videlicet, Christum ac Spiritum sanctum et Salvatorem, quos et *cum reliquis Aeonibus* annumerandos esse demonstrat; duos ex istis potuit Ambrosius aliis triginta accensere. At ut de Aeonum numero, qui aliunde ex Irenaeo, Tertulliano aliisque satis constat, dissentiat Ambrosius, de indito ipsis Deorum nomine cum supra laudatis patribus consentit.

51. At Valentiniani Aeonibus suis Deorum nomen tribuerint, non inde tamen efficaciter concludi posse putem, ceu totidem aut naturas divinas, aut unius naturae divinae personas ab ipsis habitos fuisse. Si enim hominibus iustis ac piis, principibus ac magistratibus adscriptum in Scripturis quandoque Dei nomen; potuere Valentiniani substantiis quibusdam, Deo quidem inferioribus, sed ceteris quibuscunque rebus creatis superioribus, eodem ferme sensu adscribere. Certe Synesius hymno III. iam citato, angelos plus semel eo sensu Deos vocat. Sic enim Deum Patrem affatur; *Αἰωνοτόκε, Αἰωνόβιε, Ἐπέκεινα θεῶν, Ἐπέκεινα νόων ..... Ἀρχηγὲ θεῶν, Πνευματοεργέ, καὶ ψυχοτρόφε. Saeculorum parens, saeculorum vita, superans Deos, superans Mentes ..... Originem praebens Diis, spirituum Opifex, et animarum altor.* Et postea: *Σέ, πάτερ κόσμων, Πάτερ αἰώνων, Αὐτουργὲ θεῶν, Εὐαγὲς αἰνεῖν. Σὲ μὲν οἱ νοεροὶ Μέλπουσιν, ἄναξ, Σὲ δὲ κοσμαγοὶ Ὁμματολαμπεῖς, Νόες ἀστέριοι Ὑμνοῦσι, μάκαρ* etc. *Te, pater mundorum, Pater saeculorum, Opifex Deorum, Fas est laudare. Te quidem intelligentiae canunt, o Rex, Te mundi rectores, oculi fulgentes, Mentes sidereae celebrant, o beate.* Quae non nisi de angelis, quos non modo Deos, sed et Aeonas, seu saecula vocat, intelligi possunt, ut totus contextus aperte declarat. Quin et Platonici, quorum vestigiis insistebant Gnostici omnes, Deorum triplex genus distinguebaut, ut apud Proclum, Iamblichum, Damascium, aliosque legere est; alios nimirum supercaelestes,

alios caelestes, alios subcaelestes; primos superiores, secundos medios, tertios inferiores: quos omnes tota essentia, totoque genere discrepare contendebant, *κατ' οὐσίαν τε ὅλην, καὶ παντὶ τῷ γένει ἐξαλλαττομένοις*, inquit Iamblichus Sect. I. cap. 4. a superioribus quippe pendebant medii, ab his infimi. Omnibus tamen Dei nomen tribuebant: quamvis mediis et infimis inesse veram Dei essentiam et naturam existimare non potuerint; quum insita omnium animis Dei notio omne subiectionis genus procul ableget. Quin et Deos invisibiles, seu supercaelestes, quamvis cum vulgo loquentes efferrent numero plurali, revera unum Deum, unius naturae, essentiae et personae esse censebant. Sallustius philosophus lib. *de Diis et Mundo*, cap. 2. ait, Deorum naturas neque a prima caussa, neque a se invicem separari; quemadmodum neque a mente notiones, neque ab animo disciplinas. *Αἱ τῶν Θεῶν οὐσίαι, οὐδὲ τῆς πρώτης αἰτίας, ἢ ἀλλήλων χωρίζονται· ὥσπερ οὐδὲ νοῦ αἱ νοήσεις, οὐδὲ ψυχῆς αἱ ἐπιστῆμαι.* Omnesque philosophi, si Damascio fides, *τοὺς θεοὺς τοὺς πολλοὺς τοῦ ἑνὸς θεοῦ ὑπερουσίου ἐλλάμψεις εἶναι λέγουσιν, οὐκ αὐτοτελεῖς ὑποστάσεις, Deos illos plures unius Dei supersubstantialis fulgores esse dicebant, non absolutas ac per se subsistentes essentias.* Quae cum Iamblichi sententia apprime consentiunt, qui Deos invisibiles ipsasmet ideas esse putat, quas omnes unius esse essentiae, unumque inter se esse vult: quia una communis unitas dilatatur in omnes, et per communem unitatem, videlicet per primam mentem, cunctae exsistunt; ad quam, ut ad unum obiectum, principium et finem, omnes simul, absque ulla temporis differentia, in eodem momento referuntur. Neque omnibus ipsis simul, quia singulae res diversas respiciant, unitatem competere negandum est. Nam earum essentialis unitas rerum multitudinem antecedit; neque possunt res natura posteriores, unitatem ideis, natura prioribus, auferre. Et hinc quum Aristoteles, ut invidiam Platoni faceret, huius sententiam sic exposuisset. quasi ideas a mente divina separatas exsistere affirmasset; calumniam propulsantes Platonis discipuli, uno ore negarunt usquam dixisse Platonem, quod fingit Aristoteles, ideas separatas exsistere a mente divina, sed tantum separatas esse a substantia, quae eis inferior esset. Proclus primo in Parmenidem commentario, adductis variis ex Orpheo et oraculis testimoniis pro ideis, concludit longam disputationem contra Aristotelicos his verbis: *Σμικρὰ φροντιστέον τῶν σοφιστικῶν λόγων αὐτῶν ὑφ' ἑαυτῶν ἐληλεγμένων, οὐδὲν ἐπιστημονικὸν οὐδ' ὑγιὲς λεγόντων. σαφῶς γὰρ οἱ Θεοὶ εἰρήκασι, ὡς ἔννοιαι τοῦ πατρός εἰσι, μένουσι γὰρ ἐν ταῖς νοήσεσι τοῦ πατρὸς, καὶ οὕτως προέρχονται ἀπὸ τοῦ πατρὸς πρὸς τὴν τοῦ κόσμου δημιουργίαν. Parum attendendum ad eorum sermones, quos meras esse cavillationes ex ipsismet ostenditur, nec quidquam doctum aut sanum prae se ferentes. Aperte enim dixerunt Dii, Patris notiones esse: manent quippe in Patris cogitationibus, et sic prodeunt a Patre in mundi opificium.* Has tamen seu notiones seu ideas Deorum nomine nuncupabant: certissimo argumento, ex indito pluribus Dei nomine, concludi non posse plures aut substantias, aut personas divinas esse.

52. Sed quod maius est et caussae iugulum petere videtur, tantum abest ut Valentinus Dei unitatem negaret, quin potius, Irenaeo teste,

aperte profiteretur. *Omnes enim,* inquit lib. I. cap. 22. n. 1. *fere quot-quot sunt haereses Deum quidem unum dicunt, sed per sententiam immutant.* Non ait, *multiplicant,* sed, *immutant:* quatenus a Dei idea rationem omnipotentis et rerum omnium opificis separabant, alium a supremo omnium Patre mundi conditorem constituentes, quem et ipsum Dei nomine vocabant; quamvis factum et ignorantiae obnoxium esse dicerent, nec proinde vere Deum, nisi mens eos omnino destituisset, esse crederent. Et hoc ipsum explicat Irenaeus lib. IV. cap. 33. n. 3. *Iudicabit autem et eos qui sunt a Valentino omnes, quia lingua quidem confitentur unum Deum Patrem, et ex hoc omnia: ipsum autem qui fecerit omnia, defectionis sive labis fructum esse dicit.* Aperte igitur professus est Valentinus unum esse Deum. Et certe abhorret a verosimili, aut priores Gnosticos, quorum plerique e Iudaeorum propagine legem mosaicam, iudaicosque ritus cum christiana professione coniungebant, quibus nec venerandum s. trinitatis mysterium, quod Dei unitatem violare hominibus terrena dumtaxat sapientibus videretur, persuaderi non potuerat; aut Valentinum eosque omnes, qui spreta Gentilium superstitione christianam religionem amplexi fuerant, omnes aliquam saltem evangelio fidem habere se confessos, profanum exsecrandumque Christianis omnibus polytheismum ab interitu excitare, aut immensum personarum divinarum numerum profiteri voluisse. Id scilicet exhorruissent Christiani omnes, veteratoribusque vanae famae et asseclarum cupidis male cessisset. Nec tantum nefas inultum abire sivisset Irenaeus, qui hominum flagitia omnia et errorum portenta detegenda et pro merito castiganda sibi susceperat. Is vero, licet saepe saepius arguat quod mundi conditorem a supremo Patre dividerent, unumque et eumdem esse rerum opificem ac supremum Patrem demonstret; licet de Deo indigne sensisse, hominumque affectus, imperfectiones et vitia in eum male transtulisse probet; nunquam tamen ut *πολυθέους* aut divinarum personarum numerum supra modum augentes traducit, argumentave conquirit quibus patres Dei unitatem persuadere solebant; a quibus nihilominus, ut ab imis radicibus malum statim convelleret, disputationis initia ducere debuisset. Quod quum non praestiterit vir ceteroquin accuratissimus, et cui probe nota erant Gnosticorum omnium dogmata; eos non sensisse suos Aeones totidem veros Deos, aut personas divinas fuisse, pro certo affirmare possumus, quamvis Deos nominare solerent. Sed quae genuina fuerit haereticorum illorum de Aeonibus suis mens, quidve tot Aeonum ac coniugationum nomine intellexerint, ex tutioribus tum Irenaei, tum veterum aliorum principiis, quantum in re obscurissima fas est, investigandum.

53. Sic a Valentinianis Aeones dividi, ut alii sint masculi, alii feminae, masculique cum feminis coniugentur, iam diximus. Porro feminas Aeones meras esse masculorum affectiones, virtutes et proprietates, non substantias aut personas ab iis diversas aut distinctas, certum videtur. Et quidem ita sensisse Ptolemaei discipulos extra dubium est. Duas enim quas Bytho assignabant coniuges, vocabant ipsi, Irenaeo teste, lib. I. cap. 12. n. 1. Bythi *διαθέσεις καὶ δυνάμεις,* affectiones et virtutes. Nec secus sensisse ceteros Valentinianos ex eodem Irenaeo manifeste colligitur. Is quippe lib. II. cap. 12. ubi probandum sibi sumit, triacontadem haereticorum et deficere et redundare: deficere ex eo pro-

bat quod Ennoea cum Bytho indivulse coniuncta sit, nec proinde ab eo diversa aut re distincta. *Impossibile est enim,* inquit, *Ennoeam alicuius aut Silentium separatim intelligi, et extra eum emissum propriam habere figurationem,* id est, formam et naturam. Sed quia, quod probe callebat, ea non erat Valentinianorum sententia, Ennoeam a Bytho separatim intelligi, nec dicebant *esse emissam illam extra, sed* potius *adunatam esse Propatori;* hac eorum allata responsione statim infert, Ennoeam *cum reliquis Aeonibus, his qui non sunt adunati,* annumerandam non esse, utpote quae a Bytho sit indistincta. Tum, *necessitatem esse omnem ab unita coniugatione, et inseparabili, et unum exsistente, indiscretam, et unitam eam quae ex ea est, emissionem fieri, ut non sit dissimilis ab eo qui emisit.* Ac proinde, *unum et idem fieri, quemadmodum Bythum et Sigen, sic et Nun et Alethian, semper adhaerentes invicem: et quod non possit alterum sine altero intelligi, quemadmodum neque aqua sine humectatione, neque ignis sine calore, neque lapis sine duritia; unita sunt enim invicem haec, et alterum ab altero separari non potest, sed semper coexsistere ei.* Quod et ipsum de Logo et Zoë, Homine et Ecclesia, et reliquis Aeonum coniugationibus similiter concludit. Clara sunt haec atque perspicua. Sed ne videretur haec gratis et a se ipso supposuisse sanctissimus martyr, ipsummet Valentinianorum principium refert, ut subinde alteram hypotheseos eorum partem funditus evertat, scilicet Sophiam sine permixtione coniugis Theleti passam esse passionem et separatim sine eo fructum generasse. *Feminam enim Aeonem,* ait, *pariter esse oportet cum masculo, secundum eos, quum sit velut affectio eius. Et quum haec ita se habeant, et quum haec dicantur ab ipsis, rursus impudorate audent docere, iuniorem duodecadis Aeonem, quem et Sophiam appellant, sine permixtione coniugis, quem Theletum vocant, passam esse passionem, et separatim sine eo fructum generasse, quem et feminam a femina nominant; in tantum dementiae progressi, ita ut manifestissime duas contrarias de eodem sententias censeant.* Haec ergo Valentinianorum sententia erat, *haecque dicebantur ab ipsis,* feminam Aeonem cum masculo individue copulari, quia erat velut affectio eius. Quod adeo certum, ut inde invicte conficiat Irenaeus secum ipsis pugnare, *manifestissime duas contrarias de eodem sententias censentes;* hinc scilicet Sophiam sine permixtione coniugis Theleti passam esse passionem et separatim sine eo feminam generasse: illinc vero Sophiam cum coniuge tam arte coniunctam, ut esset affectio eius. Quod quidem argumentum futile esset, si secus sensissent haeretici et feminas Aeones a maribus re distinxissent. Et hinc iam apparet, cur lib. I. cap. 1. unumquemque Aeonem masculo-feminam esse dicerent, et primigenam ogdoada quatuor nominibus dumtaxat nuncuparent, omissis feminarum appellationibus. Quum enim hae masculorum affectiones essent, proprietates ac virtutes activae, non mirum si in numerum, qui ex distinctis unitatibus coalescit, proprie non venirent, et unusquisque Aeon masculo-femina diceretur, qui virtute activa gaudebat, quae ei instar feminae esset. Quum itaque iam constet, Aeones feminas a maribus indistinctas esse, Aeones, si proprie et ex rei veritate loqui velimus, esse non possunt plus quam quindecim, aut si iis adiungere libeat Horon, Christum et Spiritum sanctum ac Salvatorem, plus quam decem et no-

vem, in quorum duntaxat investiganda natura totus vertitur difficultatis cardo.

54. Eandem non fuisse Valentinianorum omnium de Aeonibus sententiam, ex Irenaeo, Tertulliano, Theodoreto et aliis exploratum est. In tantum enim Tertulliani aetate abscesserant a magistro discipuli, ut *nusquam iam Valentinus, solusque ad hodiernum Antiochiae Axionicus memoriam Valentini integra custodia regularum eius consolaretur* [1]). Immo nec nugivendis istis omnibus satis perspectum fuisse, quid sibi vellent, quove tenderent, nec involutae rei ideam definiendo usquam explicare potuisse, testatur Irenaeus lib. II. cap. 16. n. 9. Nam proposita sibi quaestione, quam nunc versamus, allatisque variis explicandarum emissionum modis, concludit: *Praeter has autem emissiones ego quidem iam non intelligo alteram posse eos dicere; sed ne ipsi quidem alteram quandam proprietatem emissam reddentes aliquando cogniti sunt nobis, licet valde multam de huiusmodi speciebus quaestionem habuerimus cum eis: hoc autem solum dicunt, quoniam emissi sunt unusquisque illorum, et illum tantum cognovisse qui se emisit, ignorans autem eum qui ante illum est. Iam non autem cum ostensione progrediuntur, quemadmodum emissi sunt, aut quomodo capit tale quid in spiritalibus fieri.* Et cap. 14. n. 8. *Hi paullatim assuetis his suadentes* (sic lego) *per pithanologiam assumere praedictam emissionem,* (sex priorum Aeonum) *inferunt neque congruentia, neque opinatas reliquarum emissionum species, ex Logo quidem et Zoë decem dicentes Aeonas emissos, de Anthropo autem et Ecclesia duodecim: et horum nec ostensionem, nec testimonia, nec verisimilitudinem, nec in totum aliquid talium habentes, frustra autem, et prout evenit, credi volunt, ex Logo et Zoë Aeonis existentibus emissum esse Bythium et Mixin etc.* Quibus verbis significat, Valentinianos quidem affirmasse Aeones ab Aeonibus emitti; sed ubi ad emissionum explicationem et ad definiendam Aeonum naturam ventum erat, haesisse prorsus, nec satis perspicuam vel suis vel aliorum animis earum rerum ideam informare potuisse. Si Colorbasum audiamus, primae saltem ogdoadis Aeones nihil aliud sunt quam plura variis unius et eiusdem rei affectionibus, actibus et perfectionibus indita nomina; non secus ac theologi catholici vulgo dicunt iustitiam, bonitatem, sapientiam etc. a Deo non re, sed cogitatione sola distingui, esseque unum et eundem Deum, qui pro diversa ratione modo iustus, modo bonus, sapiens etc. vocetur a nobis. *Quando* (inquit apud Irenaeum lib. I. cap. 12. n. 3.) *cogitavit aliquid emittere Propator, hoc Pater vocatus est; at ubi quae emisit, vera fuerunt, hoc Alethia vocatum est. Quum ergo voluit semetipsum ostendere, hoc Anthropos dictum est. Quos autem praecogitaverat, posteaquam emisit, hoc Ecclesia vocata est. Locutus est Anthropos Logon; hic est primogenitus Filius. Subsequitur autem Logon Zoë, et sic prima octonatio completa est.* Idem ergo supremus Pater est, qui diversa Patris, Alethiae, Anthropi etc. pro diversis ἐνεργείαις et officiis sortitur nomina; nec proinde censebat Colorbasus Aeones primae saltem ogdoadis substantias esse aut personas a Patre distinctas. Nec aliter sensisse Epiphanem puto, qui, ut superius vidimus, non modo Henoteta et Mono-

1) Tert. adv. Val. c. 4.

teta, id est, Bythum et Sigen, unum esse volebat, sed et emisisse, non emittentes, Monada et Hen, id est, totum priorum saltem emissionum mysterium meram emittentis ἐνέργειαν esse, non motum generationis proprie dictum; cuius terminus fuerit quidpiam ab emittente, non re, sed nomine tenus distinctum.

55. Tertullianus[1]) id discriminis inter Ptolemaeum et Valentinum constituit, quod hic Aeones non alias a divinitate distinxisset, quam ut notiones, affectiones et motus a re; ille vero Aeones in personales substantias a Deo separatas transformasset. *Eam* (*viam*), inquit, *postmodum Ptolemaeus intravit, nominibus et numeris Aeonum distinctis in personales substantias, sed extra Deum determinatas: quas Valentinus in ipsa summa divinitatis, ut sensus et affectus et motus incluserat.* At quam parum sibi constiterit Tertullianus, ostendit quod lib. *adv. Prax.* cap. 8. scribit: *Valentinus probolas suas discernit et separat ab auctore, et ita longe ab eo ponit, ut Aeon patrem nesciat.* Et lib. 1. contra Marcion. cap. 5. adversarium urgens, cur duos duntaxat, non plures Deos admitteret, addit: *Honestior et liberalior Valentinus, qui simul ausus est duos concipere, Bythum et Sigen, quum usque ad triginta Aeonum fetus, tanquam Aeoniae scrophae, examen divinitatis effudit.* Ubi non modo triginta Aeones Deos appellat, sed aeque ad invicem et substantia et persona distinctos asserere videtur, atque duos Marcionis Deos: alias nullam inter utrosque comparationem instituere potuisset. Vix igitur quidquam certi hac in re in Tertulliani fide statuere possumus. Irenaeus vero, cui potior habenda fides, utpote a quo ceteri hauserunt, lib. 1. cap. 1. et seqq. Ptolemaei, et cap. 11. Valentini sententiam describens, in eo duntaxat alterum ab altero discrepare docet, quod hic ὅρους duos, alterum inter Bythum et Aeones, alterum inter pleroma et Enthymesin; ille vero unum solum fingeret. Cetera, quod ad pleromatis naturam et ordinem attinet, concordes exhibet, nec discriminis a Tertulliano memorati usquam meminit. Plura quidem utriusque hypothesi addidisse discipulos, plura detraxisse non me latet: sed Epiphane et Colorbaso, de quibus superius egimus, exceptis, alios de Aeonum natura secus ac illos sensisse, nullibi legimus: ac proinde in ea re omnes fere omnium sententias convenire, pro certo statuere possumus. Quid vero de iis senserint, iam aperio.

56. Non eandem fuisse in Valentinianorum hypothesi Aeonum omnium conditionem, ex iis quae Irenaeus primis libri 1. capitibus et alibi passim refert, liquido constare videtur. Immensum enim a ceteris Aeonibus discrepasse Nun seu Monogenem, certissimum est. Huic soli cognitus supremus Pater, reliquis vero omnibus invisibilis el incomprehensibilis erat. *Solus Nus, secundum eos, delectabatur videns Patrem, et magnitudinem eius immensam considerans exsultabat etc. Reliqui Aeones omnes tacite quodammodo desiderabant prolatorem seminis sui videre, et eam quae sine initio est radicem contemplari.* Uno verbo Nus ὅμοιός τε καὶ ἴσος τῷ προβάλλοντι, *similis et aequalis ei qui emiserat, et solus capiens magnitudinem Patris*, perfectissimaeque agnitionis luce collustratus: ceteri tam procul a Patre distantes, ut iis prorsus *incomprehensibilis* esset, *et non esset neque videre, neque audire eum, nisi per*

1) Tert. adv. Val. c. 4.

solum Monogenem; ignorantiae proinde tenebris suapte natura obvoluti. Longe igitur alterius, sublimioris ac perfectioris naturae Nus, quam ceteri Aeones. Et quamvis omnes in Aeonum nomine convenirent, natura dissimiles fuisse liquet. Porro de utrisque, quantum ex Irenaeo conii-cere licet, sic statuendum videtur.

57. Monogenis quidem naturam divinam fuisse, extra dubium est. Qui enim similis et aequalis supremo Patri statuitur, perfecteque capiens magnitudinem eius, natura inferior esse non potest. Et quidquid de Deo Patre senserint haeretici, nisi penitus insanierint, huic Nun seu Mentem eius aequaverint necesse est. An vero, quod catholica fides de Dei Filio docet, Nun existimaverint personam subsistentem, a Patre distinctam, eiusdem tamen cum ipso substantiae, ipsique consubstantialem? Plura sunt quae contrarium suadere, meramque Patris affectionem, *ἐνέργειαν* aut proprietatem *ἀνυπόστατον*, non subsistentem esse probare videantur. 1°. Quod huic nullam actionem aut proprietatem tribuant, quae personam a Patre distinctam arguat. Logo quidem, Sophiae, Horo, Christo et Spiritui sancto, ac Salvatori, suas cuilibet actiones et affectiones adscribunt, quae personale quidpiam innuant; at Monogeni nullam, quae merae proprietati seu affectioni non subsistenti convenire non possit. 2°. Valentinianos a prioribus Gnosticis accepisse primam ogdoada superius ostendimus. At Simon Magus et Menander, Gnosticorum principes et coryphaei, eorumque discipuli Saturninus et Basilides, Iudaei quum fuerint, vel Iudaeorum anticipatis adversus sacrum trinitatis mysterium opinionibus imbuti, nusquam vere Christiani, ii nunquam fuerunt, qui plures in una Deitate personas confiterentur, rati videlicet cum Iudaeorum vulgo, personarum divinarum numero polytheismum induci. Quid de trinitate sentiret Simon, satis exploratum ex iis quae de eo refert Irenaeus lib. I. cap. 22. Aiebat nempe impiissimus ille, *esse se sublimissimam Virtutem, quae in Samaria quasi Pater descenderit, inter Iudaeos quasi Filius apparuerit, in reliquis vero gentibus quasi Spiritus sanctus adventaverit.* Quae demonstrant, Simonem non aliud de trinitate sensisse, quam quod postea senserunt Noëtus et Sabellius, unicam videlicet in Deo esse personam, quae pro diversis officiis diversa sortiretur nomina. Ut ergo censuerit Nun seu Unigenitum Patri similem esse et aequalem natura; certe nec censuit, nec censere potuit persona distinctum esse. Etsi postea dixerit Basilides, Simonis discipulus, apud Irenaeum lib. I. cap. 24. n. 4. *innatum et innominatum Patrem misisse primogenitum Nun suum,* quem *Virtutem incorporalem et Nun innati Patris* vocat, ad salutem gentium; qui apparuerit in terra homo et virtutes perfecerit, quique e crucifigere volentium manibus elapsus, adscenderit ad eum qui miserat eum, deridens eos, quum teneri non posset: eodem prorsus sensu dixit, quo postea Sabellius asseruit emissum esse Filium tanquam radium divinitatis, qui omnia illa perfecit, quae ad evangelii procurationem et humani generis redemtionem attinent: quo munere defunctus, rursus ad caelum assumtus est; quemadmodum radius emissus a sole, iterum recurrit ad solem: ac proinde in Iesum meram divinitatis efficientiam, ac veluti radiationem quandam, nec solidam, nec substantivam, manasse. Eadem itaque fuit et Valentinianorum sententia, qui de prima ogdoade cum Simone consentiebant:

nec ulla sive apud Irenaeum, sive apud Tertullianum, sive apud Epiphanium, sive apud alios praebent argumenta, se de trinitate personarum catholice sensisse, Et eapropter Athanasius in lib. *de salutari Christi adventu,* Valentinum Patripassianorum erroris reum facit, non quod Patrem vere passum esse affirmarit unquam, aut affirmare potuerit, qui nullam divinitatis cum humana Christi natura substantialem unionem agnovit; sed quod, si Filium Dei aliquatenus passum esse dixerit, hinc et Patrem, qui eadem cum eo persona erat, passum esse sequi videretur. 3°. Irenaeus ut primum ordinem emissionis, quem fingebant haeretici, nulla ratione defendi posse probet, ut quid certissimum et de quo ambigebat nullus, supponit, *Nun esse ipsum quod est principale et summum et velut principium et fons universi sensus; principalemque et primum eius quae est intus, absconditae et invisibilis affectionis locum continere, a qua sensus generatur:* ut inde inferat nonnisi absurde omnino dici, Nun emitti. Id enim *compositum et corporalem* Deum facere est: *ut sit separatim quidem qui emisit Deus; separatim autem qui emissus est, sensus* [1]). Sed quia probe sciebat, respondere haereticos, Nun *non emissum extra Patrem, sed in ipso Patre;* statim infert: *primo quidem superfluum esse etiam dicere emissum esse eum. Quemadmodum enim emissus est, si intra Patrem erat? Emissio enim est eius, quod emittitur, extra emittentem manifestatio. Post deinde hoc emisso et is qui est ab eo Logos, erit intra Patrem etc.* Quae quidem Irenaei argumentatio manifeste probat, duo haec ab haereticis negata non fuisse, Nun *principalem et primum eius, quae est intus invisibilis affectionis locum continere;* et Nun *non emissum esse extra Patrem, sed in ipso Patre:* ac proinde Nun, ex eorum hypothesi, meram Patris affectionem esse *ἀνυπόστατον,* non subsistentem. Nam utrumque si negassent haeretici, si Nun a Patre persona distinxissent, vanum esset et futile prorsus Irenaei argumentum: totum enim quantum est, hoc principio nititur: *Nus mera Patris affectio est, Nus intra Patrem emittitur,* id est, sic a Patre emittitur, ut a Patre non distinguatur, ne compositus dicatur Pater: *Ergo vane emissus dicitur. Emissio enim est eius, quod emittitur, extra emittentem manifestatio.* Quod igitur intra Patrem manet, nec ab eo distinguitur, frustra emissum dicitur. Negato proinde principio, totum quod hoc innititur aedificium ruat necesse est. Et certe si eadem fuisset haereticis de Monogene suo sententia, quae Catholicis est de unigenito Dei Filio; si illum a Patre sic emitti docuissent, ut persona tantum, non substantia ab eo distingueretur, eam refellere nusquam in animum sibi induxisset Irenaeus, catholicae fidei propugnator acerrimus. Nec enim, puto, displicuisset, quod *προβολῆς* seu emissionis nomine, de aeterna Filii Dei generatione loquentes, usi fuissent: hoc quippe veteribus Catholicis ingratum non fuisse, liquet ex Tertulliano lib. *adv. Prax.* cap, 8. immo ex ipso Irenaeo lib II. cap. 28. n. 6. Minus adhuc displicere potuit, quod non eandem Unigeniti et Patris personam esse voluerint: haec enim catholica fides est. Id igitur solum offensionem apud Irenaeum habere potuit, quod Nun seu Unigenitum a Patre nec natura nec persona distinguentes, emissum tamen vellent: quod re-

1) Iren. adv. haer. II, 13.

vera absurdum est. Et hinc ex haereticorum hypothesi tria haec absurda necessario consequi demonstrat toto cap. 13. Primo, quod nominibus abusi, emissum id dicerent, quod ne quidem in hominibus ipsis, licet compositis, emitti potest. 2°. Quod Nun ab Ennoia Patris emissum dicentes et a Nu Logon: *hominum* ipsorum *affectiones et passiones et intentiones mentis*, dum cogitat ac secum ipsa loquitur, *describerent et applicarent omnium Patri. In hominibus* siquidem *compositis natura et ex corpore et anima subsistentibus, capit dici,* a Nu sensum generari et Ennoian et Enthymesin: quae quidem omnia, quum *in cognitionem conterminentur* et *in verbum* mentis *coëmittantur,* a Nu *secundum appellationem duntaxat, perseverantiam, augmentum* et successionem, non secundum rem differunt: haec enim omnia pendent a Nu, qui ea *gubernat et a semetipso per ea quae praedicta sunt, sicut per radium, emittit verbum.* Ast Deo, qui totus simplex est, totus sibi similis et aequalis, totus sensus, totus spiritus, totus cogitatio et ratio, nihil simile affingi potest, nisi compositus ac mutationi obnoxius dicatur. 3°. denique, Deum a Deo separari et in eo aliud et aliud supponi. Quum enim Nus in ipsis hominibus sit quid primum et principale, a quo cetera omnia pendent et emittuntur; emitti non potest, nisi aliud quidpiam et anterius et superius supponatur, a quo emittatur; quod quidem sine manifesta contradictione, ne quidem in hominibus ipsis statui potest. Quisquis ergo Dei, cuius natura est, ut sit totus Nus seu Mens, Nun emitti fingit, quidpiam Dei mente, ac proinde Deo ipso prius et superius, a quo emittatur, supponit; ac consequenter Deum a Deo separat et quasi *aliud ab alio emitti* blasphemat.

58. De reliquis Aeonibus, Logo, Anthropo, Bythio et ceteris, non idem ferri posse iudicium putem. Omnes eiusdem conditionis exstitisse, omnibus ignotum et invisibilem fuisse supremum Patrem, omnes cupidinem videndi Patris incessisse, omnes ignorantiae labe maculatos, omnes, novissimum praesertim, variis perturbationum aestibus obnoxios, passim testatur Irenaeus. Certe Logon ipsum a communi ceterorum vitio immunem non fuisse, et Patrem, perinde atque alios, ignorasse, ut quid certum ex haereticorum sententia supponit s. doctor, lib. II. cap. 13 et 16. ut hinc blasphemias eorum retundat. Omnes proinde natura inferiores fuisse Patre, et ab eo plus quam hypostasi aut ratione distinctos, quilibet confiteatur necesse est. Quemlibet enim sibi Deum finxerit Valentinus, quamlibet rudem, et, ut ita dicam, concretam eius intelligentiam animo conceperit; non tamen adeo plumbeum exstitisse, et tam enormiter desipuisse credam, ut quos Aeones, personas aut perfectiones divinas esse voluisset, ignorantiae et perturbationibus obnoxios dixisset. Naturalis siquidem atque insita in omnium animis Dei notio unicuique suggerit, id omne quod aut persona aut perfectio divina est, infinitum quum sit, divinum ac Deus ipse, omnem ignorantiae, perturbationis aut imperfectionis umbram procul a se ablegare. Et tamen Logon aliosque ex eo prognatos Aeones veras personas esse, non simplices duntaxat affectiones aut proprietates, contendebant Valentiniani. Id invicte, ni fallor, concluditur ex actionibus et *passionibus,* quas eis adscribebant, cupidine videndi Patris, exquisitione Patris, ignorantia et perturbationibus; quae nonnisi personis convenire et de iis dici possunt. Eodemque modo iudicandum videtur de Logo, Anthropo etc. atque de Horo, Christo et Spi-

ritu sancto, ac Salvatore. Hos autem virtutes esse per se subsistentes, verasque personas, manifeste sequitur ex actionibus quas iis adscribunt haeretici, prioribus libri primi capitibus. Christum a matre adhuc sub umbra degente genitum fuisse, et quidem eadem umbra obscuratum, volebat Valentinus; statim vero in pleroma eum recurrisse, sic tamen ut Iesum postea procreasse assereret. Quae ostendunt et quam ceteris Aeonibus ignobilior esset Christus, ex haeresiarchae istius sententia, et quam ab eis distinctus. Quidni pariter ex similibus actionibus et affectionibus idem de Logo et aliis inferre liceat? Deinde Irenaeus lib. II. cap. 13. n. 6. ut probet frustra ab haereticis Nun intra Patrem emissum dici, tanquam absurdum quid in eorum hypothesi infert, hoc semel posito, *et eum qui est ab eo Logos, fore intra Patrem, similiter autem et reliquas Logi emissiones.* Quod quidem argumenti genus, ut valeat, manifeste supponit, Valentinianorum principiis repugnare, Logon ceterosque ab eo emissos Aeones esse intra Patrem. Et revera cap. praecedenti n. 5. asserit endiatheton, id est, intus mente conceptum non esse eorum Logon, sed externum et a Patre adeo distinctum, ut propriam haberet substantiam a substantia Patris diversam. Nempe postquam ostendisset, Sophiam separatim a coniuge Theleto nihil quidquam pati aut generare potuisse, et in uno et eodem pleromate stare simul non posse Sigen et Logon, *Silentium et Verbum,* praeoccupans adversariorum responsiones, subdit num. 6. *Si enim unitas coniugationes dixerint,* id est, si Aeones feminas a masculis non aliter distinxerint, quam virtutes, proprietates et affectiones a re cuius sunt, *soluta est eorum universa argumentatio. Quomodo enim unitis eis, Sophia sine coniuge labem generavit? Si autem,* pergit ille, *sicut in emissione unumquemque ex Aeonibus propriam substantiam habere dicent; quemadmodum in eodem ostendi potest Sige et Logos?* Tam certum igitur erat apud haereticos, Logon, et unumquemque ex masculis Aeonibus ab eo emissis, propriam habere substantiam, ut vereatur Irenaeus ne hinc respondendi ansam arripiant, et feminas propriam habere substantiam; quod tamen eorum opinioni contrarium erat. Logon itaque et alios ex eo natos Aeones sic extra Patrem emissos fatebantur, ut unicuique eorum propriam substantiam a substantia Patris distinctam tribuerent. Praeterea Irenaeus eodem cap. 13. n. 9. perstringens haereticorum de Logi et Zoës emissione somnia, ait: *Et non secundum descensionem ea* (sic lego, non *et*) *quae sunt talia acceperunt emissiones; sed earum virtutum quae semper sunt cum Deo, appellationes sunt, quemadmodum possibile est et dignum hominibus audire et dicere de Deo. Appellatione enim Dei coobaudientur sensus et verbum et vita et incorruptela et veritas et sapientia et bonitas et omnia talia.* Principium hoc Catholicis omnibus certissimum opponit haereticis: aliud igitur hi sentiebant. Opinabantur proinde Logon, Veritatem, Vitam, Sapientiam etc. non earum virtutum, quae semper sunt cum Deo, appellationes esse, nec appellatione Dei coobaudiri; sed a Deo re et natura distingui; ita ut Deus sine iis nedum intelligi possit, sed et reapse aliquando exstiterit, ut quem fingerent infinitis saeculorum intervallis antiquiorem Aeonibus [1]).

59. Nec a verosimili abhorrens cuiquam videri debet, quod Verbum

1) Iren. adv. haer. I, 1.

et Sapientiam a Mente Patris et ab ipso Patre separarint Valentiniani. Tam enim indivulse cohaeret Ἐνθύμησις cum ἐνθυμοῦντι, quam λόγος cum cogitante. Et tamen Ἐνθύμησιν Sophiae sic ab ea separabant, ut utrique diversam prorsus substantiam tribuerent. Quidni similiter Logon et Sophiam a Nu et a Patre divellere potuerint? Absurdissima haec si quis dicat, lubens fatebor; immo adeo absurda dicam, ut nullus unquam, nisi emotae mentis homo haec in animum inducere possit. Verum non quid cum recta ratione consentiat pugnetve, sed quae fuerint Valentinianorum dogmata, hic inquirimus. At, inquis, Irenaeus lib. II. cap. 16. n. 6. expendens, *quemadmodum emissi sunt reliqui Aeones*, id est, Logos, Anthropos et ceteri, varios explicandarum emissionum modos proponit. Utrum, inquit, *uniti ei qui emiserit, quemadmodum a sole radii; an efficabiliter et partiliter*, id est, an a principio emittente soluti et seiuncti, *ut sit unusquisque eorum separatim, et suam figurationem habens, quemadmodum ab homine homo, et a pecude pecus? Aut secundum germinationem, quemadmodum ab arbore rami? Et utrum eiusdem substantiae existebant his qui se emiserunt, an ex altera quadam substantia substantiam habentes? Et utrum in eodem emissi sunt, ut eiusdem temporis essent sibi; an secundum ordinem quendam, ita ut antiquiores quidam ipsorum, alii vero iuniores essent? Et utrum simplices quidem et uniformes, et undique sibi aequales et similes, quemadmodum spiritus et lumina emissa sunt; an compositi et differentes, dissimiles membris suis?* Quibus diversas haereticorum sententias referre ac complecti videtur; ac proinde innuere quorundam opinionem fuisse, unitos emitti Aeones ei qui emittit, quemadmodum soli radios; quorundam vero, eiusdem substantiae existere his qui se emiserunt; aliorum denique, simplices et uniformes esse, et undique sibi aequales et similes, quemadmodum spiritus et lumina. Sed praeterquam quod non negaverim paucos quosdam ex ipsis, ut Colorbasaeos, existimare potuisse, sic emitti Aeones unitos emittenti, ut soli radios; ex iis tamen quas refert et confutat Irenaeus, diversis explicandarum emissionum rationibus concludi posse non crediderim, his omnibus usos fuisse Valentinianos. Nempe id agit vir sanctus, quod in confutandis obscurioribus sententiis fieri vulgo solet: ut invicte refellantur, omniaque adversariis effugia praecludantur, omnes quas adhibere possent explicandi rationes responsionesque referuntur: non quod revera omnes adhibeant, sed ut, etiamsi adhiberent, eorum sententia a sana ratione abhorrere demonstretur. Hoc vero Irenaei consilium fuisse non dubitabit, quisquis attenderit ad ea quae subiicit n. 9. *Praeter has autem emissiones ego quidem iam non intelligo alteram posse eos dicere; sed ne ipsi quidem alteram quandam proprietatem emissam reddentes aliquando, cogniti sunt a nobis, licet valde multam de huiusmodi speciebus quaestionem habuerimus cum eis.* Non ait eas esse emissiones quas probant, sed eas esse emissiones omnes possibiles, quas *dicere possunt*, et praeter eas non intelligere se alteram eos posse dicere; nec alium quempiam emittendi modum audivisse se unquam ab ipsis. Sed tantum abest [ut] eas omnes emissiones sibi adsciscerent Valentiniani, ut vix ulla certa hypothesi stare possent, et quaestionibus sibi ea de re propositis facere satis. Id perspicue tradit Irenaeus verbis sequentibus: *Hoc autem dicunt, quoniam emissi sunt unusquisque illorum, et illum tantum cogno-*

visse qui se emisit, ignorans autem eum qui ante illum est. Iam non autem cum ostensione progrediuntur, quemadmodum emissi sunt, aut quomodo capit tale quid in spiritalibus fieri. Et eapropter ad solvendas propositas sibi difficultates explicandamve sententiam parum adeo comparati erant, ut auctore nostro teste lib .III. cap. 15. n. 2. *Si aliquis ex his qui audiebant eos, quaereret solutiones, vel contradiceret eis, hunc quasi non capientem veritatem, et non habentem de superioribus a matre sua semen affirmantes, in totum nihil dicerent ei, mediarum partium dicentes esse illum, hoc est, psychicorum.* Quod homines ostendit temere quidquid in buccam veniret proloquentes, id vero nec explicare, nec certis rationibus munire valentes.

60. Quantum vero ex verbis eorum et ex recepta apud omnes hypothesi coniicere licet (nam ex iis solis, velimus, nolimus, ferenda sententia), Logon ceterosque posteriores Aeones fuisse substantias quasdam per se subsistentes, sed supremo Deo longe inferiores, concludere possumus. Angelici porro ordinis non immerito quis dixerit: hancque haereticorum istorum mentem esse haud difficile probaverit. Primo enim Marcosii, qui nihil fere a ceteris Valentinianis dissidebant, nisi quod, ut pretium nugis adderent, ad symbolicam litterarum et elementorum farraginem, pythagorico more, omnia revocabant, tradita sub his aenigmatis Aeonum genesi concludunt: *τοὺς δὲ φθόγγους ὑπάρχειν τοὺς μορφοῦντας τὸν ἀνούσιον καὶ ἀγέννητον Αἰῶνα· καὶ εἶναι τούτους μορφάς, ἃς ὁ Κύριος ἀγγέλους εἴρηκε, τὰς δὲ διηνεκῶς βλεπούσας τὸ πρόσωπον τοῦ πατρός. Sonos autem eos esse, qui formant* (exprimunt) *insubstantivum et ingenitum Aeona, et esse has formas, quas Dominus angelos dixit, quae sine intermissione vident faciem Patris.* Nihil clarius: soni, id est, Aeones, angeli sunt de quibus Christus Matth. XVIII, 10. dixit: *angeli eorum in caelis semper vident faciem Patris mei qui in caelis est.* Haec vero non de omnibus Aeonibus, sed de posterioribus duntaxat intelligi, patet ex latissimo, quod inter primam tetrada et reliquos Aeones interesse volebant, discrimine. Illius siquidem *nomina sancta sanctorum intelligi, quae non possunt enarrari, intelliguntur autem a solo Filio, quae Pater scit quaenam sunt,* esse dicebant lib. I. cap. 15. n. 1. Quae demonstrant quanto intervallo prima tetras superaret secundam, ac decada et dodecada; hasque proinde solas angelici ordinis esse posse. 2°. Valentinianos a Simone Mago, Menandro, Saturnino, aliisque Gnosticorum principibus, prima doctrinae suae principia et rudimenta, et, ut ait Irenaeus, *initia emissionum* accepisse, iam non semel diximus. At illos primis et summis Aeonibus immediate subiecisse angelos, archangelos, virtutes, potestates etc. diserte docent Irenaeus [1]), Epiphanius [2]), Theodoretus [3]) et alii. Angelos enim ab Ennoea Patris (procul dubio interposito Nu seu Monogene, quem ab eo re non distinguebant) emissos esse volebant Simon et Menander. Nec alia fuit Saturnini sententia, qui, referente Irenaeo, *similiter ut Menander, unum Patrem incognitum omnibus ostendit, qui fecit angelos, archangelos, virtutes, potestates,* haud dubie quin per Ennoeam et Nun. Constat tamen,

1) Iren. adv. haer. I, 23. 24. 2) Epiph. Haer. XXI, seqq. 3) Theodor. haer. fabb. I, 1 et seqq.

et a nobis superius probatum est, veteres illos Gnosticos, perinde atque Valentinianos, e Nu eduxisse vel Anthropon, vel Logon; e prima tetrade secundam. Dum igitur ab Ennoea et Nu immediate emissos asserunt angelos, dilucide satis, ni fallor, mentem exponunt, significantque, quid posteriorum Aeonum nomine intelligerent, angelos videlicet, archangelos, potestates etc. Solus Basilides, *ut altius aliquid et verisimilius invenisse videretur, in immensum extendit sententiam doctrinae suae;* vel, ut loquitur Epiphanius, *a Saturnino et Simone Mago erroris argumenta mutuatus est, quae alia ratione tractare et maiore cum pompa enarrare instituit.* Nam angelos paullo longius a Nu et Ennoea removit, interpositis nimirum Logo, Phronesi, Sophia et Dynami: quos quidem Aeones non re, sed virtute duntaxat et ratione *ab innato Patre* distinxisse videtur. Sed in hoc cum magistris consensit, quod primis illis ac summis Aeonibus angelos immediate subiiceret. *A Dynami* siquidem *et Sophia virtutes et principes et angelos, quos et primos vocabat,* genitos esse asseruit. Hoc ergo solum inter Valentinianos et Gnosticos interfuisse videtur, quod hi primi ordinis angelos e supremis Aeonibus perturbate, nulloque certo ordine ac numero educerent; illi vero ordinatim componerent, ac sub certis quibusdam coniugationibus, in decada et dodecada, quasi in agmina divisos collocarent.

61. Dixi primi ordinis angelos: multiplex enim apud illos fuit, neque existimandum angelos illos, quos a summis Aeonibus emissos volebant, eiusdem ordinis ac dignitatis fuisse cum iis quibus mundi huius fabricationem adscribebant. Et quamvis alii ab aliis gradatim descenderent, maximum tamen inter priores et posteriores interiectum erat intervallum. Id ex Saturnini hypothesi manifestum est, qui licet *unum Patrem* esse diceret, *qui fecit angelos, archangelos, virtutes, potestates;* non tamen ab his *mundum factum, et omnia quae in eo,* sed *a septem quibusdam aliis angelis* asserebat. Clarius adhuc ex Basilide, qui *virtutes et principes et angelos,* quos a Sophia et Dynami emissos esse contendebat, *primos vocabat, a quibus alteros et alteros principes et angelos factos esse dicebat: eos autem, qui posterius continent caelum, quod etiam a nobis videtur, constituisse ea quae sunt in mundo omnia.* Sic pariter et *Carpocrates et qui ab eo, mundum quidem, et ea quae in eo sunt ab angelis multo inferioribus ingenito Patre factum esse dicebant.* Nempe angeli illi inferiores extra pleroma constituti erant; alii intra pleroma degebant; et hi in multos ordines dispositi. Alii quippe dignitate et ordine praestantiores, vocabantur Aeones (quo etiam nomine angelos identidem donavit Synesius superius a nobis citatus in hymnis), quasi Dii secundarii et ad divinitatem ceteris propius accedentes: alii ordinis inferioris, satellites Salvatori destinabantur. Angelorum etiam, qui extra pleroma versabantur, non unus erat ordo, sed multiplex, alius alio sublimior et dignior: alii enim angeli, alii archangeli, quorum omnia varia officia et veluti praefecturae: ita tamen ut pleromatis angelis superioribus, quorum ministri erant, subessent. Nam in rebus creatis condendis in id potissimum incubuerat *Salvator* per Enthymesin, ut *in Aeonum honorem omnia faceret* et imaginem pleromatis invisibilis in omnibus exprimeret, ut refert Irenaeus lib. I. cap. 5. Ut ergo Demiurgus angelos sibi subiectos, sic Nus sibi subditos habebat. Logos proinde angelus

erat, qui Dei mentis veluti verbum ac interpres oracula divina ceteris pandebat, ac per eos, per *Salvatorem* maxime, hominibus manifestari curabat: quique rerum omnium rationes et ideas, quas divina mens complectitur, per Bythium, Ageraton etc. certa quadam proportione atque norma in *Salvatorem* veluti derivabat, ut hic secundum hoc exemplar cuncta per Enthymesin et Demiurgum effingi studeret; et eapropter *Salvatorem receptaculum Christi* superioris *et universae plenitudinis, et ex omnibus generatum esse dicebant: quapropter beneplacitum vocari, quoniam universum pleroma bene sensit per eum glorificare Patrem. Alii autem ex solis decem Aeonibus, qui sunt a Logo et Zoë emissi, et propter hoc Logon et Zoën dici eum, parentum nomina custodientem* [1]). Homo etiam et Ecclesia angelus fuit, qui spiritalibus hominibus, seu ecclesiae in terris degenti praefectus, hanc per Aeones sibi subditos et per Salvatorem ad *exemplum superioris ecclesiae* instituit et informavit, seu, ut loquebatur Ptolemaeus, *ἐφανέρωσε καὶ ἐγέννησε, in lucem edidit generavitque.* Hinc etiam inferiorem hanc ecclesiam, seu spiritales homines, ut vocabant, imaginem superioris ecclesiae dicebant. Hinc etiam quidam eorum *Salvatorem ex duodecim Aeonibus, his qui sunt ab Anthropo et Ecclesia facti, generatum* esse volebant: *et propter hoc Filium hominis se confiteri, velut postgenitum* (*ἀπόγονον,* nepotem) *Anthropi.* Marcosii vero asserebant *ab Anthropo et Ecclesia, Logo et Zoë virtutes emanatas generasse eum, qui in terra manifestatus est, Iesum. Et Logi quidem locum adimplesse angelum Gabriel, Zoës autem Spiritum sanctum, Anthropi autem, Altissimi virtutem: Ecclesiae autem locum virginem ostendisse. Et sic, inquiebant, ille qui est secundum dispositionem, ὁ κατ' οἰκονομίαν) generatur autem eum (παρ' αὐτῷ,* ex eo, Anthropo, ni fallor) *homo, quem Pater omnium transeuntem per vulvam elegit per Verbum ad agnitionem suam* [2]), id est, ut per eum hominibus innotesceret. Quibus mire confirmantur quae modo diximus, angelos inferiores, ex haereticorum sententia, superioribus pleromatis ministrasse, et Iesum a Verbo tanquam divinae mentis interprete electum, ab Anthropo vero tanquam ecclesiae duce et praefecto in lucem editum, ut per Salvatorem oracula divina hominibus funderet, inferioremque ecclesiam fundaret et institueret.

62. Quae vero hic de inferioribus Aeonibus effutiunt isti, totidem segmina sunt, partim ex Scripturis et traditione misere dissectis, partim ex Platonicorum philosophematibus huc male translatis collecta, pessimeque simul consuta. Nimirum in Scripturis legerant, per Verbum Dei facta esse omnia, Deum Patrem invisibilem esse, neminem unquam Deum vidisse; audierant a pluribus antiquis ecclesiae patribus, Deum Patrem invisibilem semper mansisse, nec usquam hominibus manifestatum per se ipsum fuisse, sed per Verbum suum, quod iisdem identidem sub visibili specie conspiciendum se praebebat, loquebaturque, ut eo videndo et audiendo paullatim assuescerent: viderant in iisdem Scripturis passim, verbum Domini factum esse ad prophetas et in iis locutum fuisse; angelos tamen saepius in Dei nomine et persona verba fecisse et sub humana figura hominibus apparuisse, legem disposuisse et ordinasse, ecclesiae curam gessisse, Christum nostrum angelum novi Testamenti

1) Iren. III, 16, 4. I, 12, 4. 2) Iren. I, 5, 6. 8, 5. 12, 4. 15, 3.

vocari, et alia eiusmodi. Quae omnia inepte consuentes, fabulam, quam dixi, contexuerunt, Logon et Anthropon angelos esse a Dei mente emissos, ut oracula divina funderent, conspiciendosque hominibus se praeberent, ac successione quadam aliorum Aeonum *Salvatorem,* angelum testamenti, gignerent, qui Iesum ecclesiae conditorem illustraret et in hunc descenderet, in quo proinde Logos et Anthropos exprimerentur.

63. At si christiana religio et Scriptura formam, platonica dogmata materiam toti fabulae praebuerunt. Platonici praeter unam *πρεσβυτάτην αἰτίαν, antiquiorem ac superiorem caussam,* ut loquitur Iamblichus [1]), quae Diis omnibus supereminet, multiplex Deorum genus distinguebant; alios qui sunt in hoc mundo, alios qui in intelligibili. Ut de posterioribus duntaxat hic agam, hos Proclus in *νοητούς, intelligibiles,* et *νοερούς, intellectuales,* seu intelligendi facultate praeditos dividit. Similis est illa Chaldaeorum apud Damascium Deorum series, *αἱ πηγαί, fontes, οἱ νοεροί, intellectuales.* De quibus licet, pro more, obscure omnino et allegorice dissererent, haec tamen, quantum assequor, ex eorum sermonibus erui posse videntur. Dii illi, quos *πηγὰς* et *νοητοὺς* vocant, ipsissimae sunt divinae mentis ideae, supremaque rerum omnium exemplaria in intimo Dei intellectus sinu recondita; multiplicia quidem, si terminum spectes, res videlicet quas exprimunt et exhibent; unum quid vero et simplicissimum Ens, si cum Deo conferas, a quo nec re distinguuntur, nec separantur. Hancque Platonicorum genuinam esse doctrinam, superius demonstravimus. Si cui vero scrupulum iniiciat, quod ideae divinae appellentur Dii, hunc eximet Proclus scribens lib. I. Platonic. theol. cap. 24. multis in locis Platonem ea, quae Deos participant, iisdem nominibus exornare et Deos vocare: *πολλαχοῦ δὲ ὁ Πλάτων καὶ μετέχοντα τῶν Θεῶν, τοῖς αὐτοῖς ὀνόμασιν ἀποσέμνει* [*ἀποσημαίνει*] *καὶ Θεοὺς ἐπονομάζει.* Ex quo concludit, alium quidem esse simpliciter Deum, alium propter unionem, alium propter communionem, alium propter connexionem, alium vero propter similitudinem. *Ληπτέον τοίνυν ἐκ τούτων ἁπάντων, ὅτι Θεὸς ὁ μέν ἐστιν ἁπλῶς Θεός, ὁ δὲ καθ' ἕνωσιν, ὁ δὲ κατὰ μέθεξιν, ὁ δὲ κατὰ συναφήν, ὁ δὲ καθ' ὁμοίωσιν.* Porro ideae divinae *αἱ πηγαὶ* dicebantur, quod rerum omnium fontes et principia sint, et veluti archetypa, quae Deus agendo imitatur: Dii autem *νοητοί,* quod utpote spiritales divini intellectus affectiones, sola mentis intelligentia comprehendi queant. Dii vero *νοεροί,* intellectuales, sunt angeli superiores ac Deo propiores, intelligendi facultate pollentes, seu mentes illae caelestes, quibus divina illa exemplaria, pro intelligentiae viribus, contemplari et exprimere, et ad eorum normam opera dirigere datum. Et ita sensisse Platonicos satis aperte significat Proclus, qui lib. III. cap. 21. post *τὰ πρώτιστα καὶ ὑψηλότατα γένη τῶν Θεῶν, prima et altissima genera Deorum, νοητῶν* videlicet, immediate collocat *τὰ δεύτερα καὶ ἀγγελικὴν ἔχοντα τάξιν, Deorum genera secunda et angelicum habentia ordinem.* Itaque Dii *νοεροί,* qui secundas in ordine Deorum mundi intelligibilis tenebant, sunt ipsimet angeli superiores. Consentit et Iamblichus, qui Sect. II. cap. 2. 3. et seqq. primo loco Deos *νοητοὺς* constituit. His proxime accedunt archangeli, quos sequuntur angeli.

1) Iambl. Sect. V, c. 9. Sect. I, c. 19.

Archangelos autem secundum Deorum gradum obtinere, non obscure innuit cap. 7. ubi de Deorum, archangelorum et angelorum, dum sese videndos offerunt, speciebus disserit. *Dii*, inquit, *circa se Deos vel angelos adstantes habent, archangeli adsciscunt sibi alios angelos etc.* Haud dubium enim, quin Dii illi, quos Dii adstantes habent, archangeli sint, quos immediate post Deos *νοητοὺς* statuit. Sed rem totam omnium clarissime demonstrat Ficinus iam a nobis citatus, in Comment. in Conviv. cap. 3. ubi triplicem, ex Platonis sententia, mundum distinguens: *Primum omnium*, inquit, *est Deus universorum auctor; quod ipsum bonum dicimus. Hic mentem prius creat angelicam: deinde mundi huius animam, ut Plato vult: postremo mundi corpus. Mens angelica primus mundus est a Deo factus etc.* Adeo certum est, Platonicorum mundum intelligibilem aliud nihil continere, praeter primam caussam, formarum omnium et specierum feracem, et angelos. Hanc vero ipsissimam esse Valentinianorum et Gnosticorum omnium hypothesin manifeste patet. Quid enim aliud prima illa *πρεσβυτάτη αἰτία*, superior et antiquior caussa, quae Diis omnibus supereminet, quam Valentinianorum *Proarche, Propator* et *Bythus, in invisibilibus et inenarrabilibus altitudinibus praeexistens, invisibilis, sempiternus, ingenitus, in silentio et in quiete multa degens in immensis saeculorum intervallis*, antequam Aeones emitteret? Quid aliud Dii *νοητοί, intelligibiles*, paternae mentis ideae, formae et exemplaria, ad quorum exemplum cuncta effinxit, quam Ennoia, Nus et Veritas, *radix omnium*; Nus, inquam, *Pater et initium omnium*, in quo supremus *Pater praemisit omnia seminaliter*? Quid aliud Dii Platonicorum *νοεροί*, intellectuales, divinarum idearum contemplatores et imitatores, archangeli seu angeli superiores, quos gradatim alterum ex altero derivabant, et quibus, ut vult Plato in Timaeo, mandat Deus, ut ad imitationem sui rerum inferiorum fabricationem aggrediantur; quam haereticorum secundi Aeones, quos *omnes in intellectum et desiderium exquisitionis sui Patris adducere vult* Nus, quique ad divinae mentis ideas attenti, *volentes et ipsi de suo clarificare Patrem, emittunt emissiones*, alios videlicet Aeones, quos in agendo successione quadam ac serie dirigunt, et quorum ministerio suprema rerum exemplaria in condendis rebus exprimi curant? Tanta inter utramque hypothesin affinitas est, ut quum maior esse non possit, eadem prorsus esse videatur. Hoc tantum interest, quod altera tota ad profanam Gentilium theologiam comparata sit; altera vero Scripturarum ope tantillum ad christianam theologiam deflexa sit, sed nugis istis ita defoedatam, ut quae cui praeferenda sit, ambigas. Vereor, ne si latius et per partes, quod facile fieri posset, expenderetur utriusque systematis affinitas, longius excurreret oratio; erudito lectori viam aperuisse sufficiat. Interea ex hactenus dictis, ni fallor, concludet, non modo posteriores Valentinianorum Aeones, ipsissimos Platonicorum archangelos fuisse; sed et invisibile et spiritale illud pleroma a mundo intelligibili Platonis, ut exemplum ab archetypo, manasse. Iam ad alteram Valentiniani systematis partem, nimirum Achamothae fabulam, seu ea quae extra pleroma contigerunt, sermonem convertamus, tempus est.

64. Extra pleroma Sophiae Enthymesin *cum appendice passione relegatam* dicebant Valentiniani, in umbra et vacuo, formae, figurae ac

luminis expertem misere iacentem, ubi per necessitatem effervescebat. Postea vero quam eius auxilio venit superior Christus ac odore quodam immortalitatis perfudit, forma ei indita secundum substantiam, melior quidem eius conditio fuit, ita ut rudem indigestamque rerum omnium creaturam molem iam profundere et aliquantulum secernere coeperit: nondum tamen ab omni calamitate liberata, donec missus ad eam *Salvator* scientiae formam ei indiderit et a perturbationum aestu solverit. Latentem sub his aenigmatis platonicam mundi animam deprehendere haud arduum. Plato, pro eo cui de industria studebat, allegorico ac symbolico philosophandi more, totum hoc Universum esse fingebat *ζῶον ἔμψυχον καὶ ἔννουν*, animal quoddam vivens ac intelligens, ex corpore et anima concretum. Corporis universi nomine intelligit *τὸ ὁρατὸν καὶ ἁπτόν*, materiam quae videri et tangi potest. Quod vero tum ipse, tum discipuli eius tam magnifico verborum apparatu de anima mundi disserebant, ad illud referebatur, et ex eo decerptum erat quod Gen. I. 2. scriptum legitur: *Spiritus Dei ferebatur super aquas;* id est, super informem ac indigestam totius universi materiam, ut ei formam, motum, vitam ac fecunditatem inspiraret. Nempe Plato per *spiritum Universi, universalem spiritum, animam mundi,* sapientiam, virtutem seu efficientiam Dei intelligit, quae cuncta movet, dirigit, ordinat et disponit. Sic enim ipse describit lib. x. de Leg. pag. 896. *ψυχὴν ταὐτὸ ὂν, καὶ τὴν πρώτην γένεσιν καὶ κίνησιν τῶν τε ὄντων καὶ γεγονότων καὶ ἐσομένων, καὶ πάντων αὖ τῶν ἐναντίων τούτοις· ἐπειδή γε ἀνεφάνη μεταβολῆς τε καὶ κινήσεως ἁπάσης αἰτία ἅπασι. Idem esse et animam et primam originem, motumque eorum quae sunt, quae fuerunt et erunt, omniumque rursus his contrariorum: quando quidem et mutationis et universi motus omnibus caussa est.* Et paullo post vocat *ψυχὴν διοικοῦσαν καὶ ἐνοικοῦσαν ἐν ἅπασι τοῖς πάντη κινομένοις, animam regentem et in omnibus, quae moventur, inhabitantem.* Unde concludit, animam ante corpus exstitisse, corpus vero secundum et post animam natum esse, quandoquidem hoc ab ea regatur et moveatur: quod enim alteri caussa motionis est, hoc prius sit necesse est.

65. Porro illam mundi animam non statim perfectam omnibusque numeris absolutam fuisse censebant Platonici. Nam, ut ait Plato in Timaeo, quum vellet mundi architectus mundum intellectuale animal facere, neque posset intellectus absque medio adesse corpori, coniunxit intellectum quidem animae, animam vero corpori, atque adeo ut medio infuderit mundo, et inde per cuncta diffuderit. Prius ergo condidit animam Deus, nondum proinde perfectam donec intellectu ditaret. Sed rem totam melius et ad propositum nostrum aptius edisserit Ficinus cap. 3. in Conviv. Platonis, ubi Platonicorum sententiam explicat. *Principio,* inquit, *Deus mentis illius creat substantiam, quam etiam essentiam nominamus. Haec in primo illo creationis suae momento informis est et obscura. Quoniam vero a Deo nata est, ad Deum sui principium ingenti quodam appetitu convertitur. Conversa in Deum, ipsius radiis illustratur. Radii illius fulgore ille suus appetitus accenditur. Accensus appetitus Deo totus inhaeret: inhaerendo formatur: nam Deus qui potest omnia, in mente sibi inhaerente creandarum rerum naturas effingit. In ea igitur spiritali quodam modo pinguntur, ut ita loquar, omnia quae in cor-*

poribus ipsis sentimus. Illis caelorum elementorumque globi, sidera, vaporum naturae, lapidum, metallorum, plantarum, animalium formae gignuntur. Huiusmodi rerum omnium species, Dei fomento quodam in suprema illa mente conceptas, ideas esse non dubitamus etc. Quod hic sub allegoriarum tegumentis traditur, his ambagibus missis clarius et simplicius exponi potuisset. Nempe quam vocant animae substantiam nondum formatam, chaos est, seu materia, quam informem et rudem, certarum figurarum ac motionum expertem condidit Deus; quae tamen, ex legibus ab eo statutis, certis quibusdam formis, motibus ac figuris instrueretur, exigebat. Huic primum vim motricem indidit, quae paullatim sese exserens, eos motus, Deo dirigente, civit, ex quibus materiae partes sic invicem aptatae, compositae atque ordinatae, ut corporum formae ad superni exemplaris imaginem atque normam prodierint. Id ipsum est quod exprimere voluit Plato in Timaeo scribens, mundum ex intellectu et necessitate, seu erratica caussa compositum esse, id est, ex ipso formarum ordine atque materia. Sic enim animam mundi, seu vim motricem, quam veluti semen quoddam materiae impressit Deus, et ipsam materiam vocat: illam quidem, quoniam intelligentiae divinae simulacrum est: hanc vero, quia non propter se ipsam, sed tanquam formis ultimis necessaria est introducta, has vel illas successive sic exceptura, ut nullius tenax sit, sed ad omnes suapte natura indifferens. *Possumus quin etiam,* inquit Ficinus, in Tim. cap. 39. *sub necessitatis nomine intelligere non materiam solam, sed animam quoque eius in primo processionis suae signo velut informem, materiae instar, consideratam. Utraque enim tam anima, quam materia, in primo originis suae signo informis quidem est, sed facile formabilis est per intelligentiae munus: unde et ipsi animae rationes seminaque formarum naturalium infunduntur, et materiae qualitates atque formae.*

66. In his autem Platonicorum placitis totam Achamothae fabulam plus quam adumbratam nemo non deprehendit. Enthymesi siquidem superioris Sophiae, separatae a superiori pleromate cum passione, in umbrae et vacuitatis locis effervescenti per necessitatem, extra lumen factae et extra pleroma, informi et sine specie, quia nihil apprehendit (sic describunt Valentiniani), tanta est cum anima mundi, qualem modo ex Platonicorum sententia descripsimus, affinitas, ut maior vix esse possit. Utraque a Dei sapientia et virtute emanat. Utraque primum in chao, seu materia obscura, tenebrosa et incondita delitescit, informis et sine specie, velut fermentescens, ac paullatim vim suam exserens; utraque nihil apprehendit; utrique indita primum forma secundum substantiam tantum, sed non secundum scientiam; quia etsi initio motus quidam fuit; quia tamen inconditus, vagus, ut ita dicam, inordinatus et indeterminatus; nullam certam speciem aut formam exhibebat; utraque demum divini luminis radios excepit, quia vis motrix atque σπερματικὴ materiae impressa a Deo excitari debuit, ut in actum prorumperet. Quod addunt Valentiniani, Enthymesin iam aliquali immortalitatis odore perfusam, variis perturbationum aestibus, ex quibus varia mundi elementa prodierunt, agitatam fuisse, donec ad Christum conversa, missum Salvatorem exceperit, Patris et Aeonum potestate decoratum, qui eam a perturbationibus liberaret, hasque ab ea secretas commisceret, condensaret atque ex in-

corporea affectione in incorpoream materiam immutaret; ineptiae sunt, eo verborum apparatu, qui moveat imperitos, venditatae; quibus id duntaxat innuitur, diversis tum primum perturbatisque motibus agitatum chaos, ad eas demum motionum species, rationes et modos, Deo ordinante, determinatum fuisse, ex quibus partes sibi repugnantes ab invicem discedentes, cognatae secum coalescentes, variis rerum formis in lucem edendis aptae fierent. Cur ea materia *incorporea* tum a Valentinianis, tum a Platonicis dicatur, exposuimus in notis lib. I. cap. 4. n. 5. Sed quae Platonis sententiam exponens refert Laertius pag. 208. quia mire quae hactenus diximus confirmant, referre non pigebit. Aiebat nimirum Plato *εἶναι δὲ τὴν ὕλην ἀσχημάτιστον καὶ ἄπειρον, ἐξ ἧς γίνεσθαι τὰ συγκρίματα. ἀτάκτως δέ ποτε κινουμένην, ὑπὸ τοῦ Θεοῦ φησὶν εἰς ἕνα συναχθῆναι τόπον, τάξιν ἀταξίας κρείττονα ἡγησαμένου. Esse materiam informem et infinitam, ex qua concretiones fiant. Ea quum aliquando temere et inordinate moveretur, a Deo ait in unum locum coactam, quod ordinem temeritati praestare censuerit.* Confer, si lubet, Platonem in Timaeo. Id ipsum aliis verborum involucris tegere Ophitis et Sethianis animus erat, dum aiebant, Sophiam, descendentem in aquas, petulanter eas movisse et assumsisse ex eis corpus: *humectationi enim luminis eius omnia accurrisse, et adhaesisse*[1]), et cetera eiusmodi delirantium hominum commenta, quae a Valentinianis penes ineptiae modum, non penes ipsam rem differunt. In hoc vero utrique Platonicis stolidiores exstiterunt, quod hi animam mundi a Deo ipso tanquam principio, et mundo tanquam subiecto, re distinxisse non videantur; illi vero Enthymesin suam ab utroque sic distinxerint et separaverint, ut in substantiam quandam per se subsistentem ac secundarium quoddam Deitatis genus transformarint.

67. Achamothae fabulam excipit mundi huius adspectabilis origo, constitutio et ordinatio, quam fusius exponit Irenaeus, et nos ex ipso compendio superius descripsimus. Summa huc redit, primum omnium ab Achamotha conditum Demiurgum ex animali substantia, cetera omnia deinceps fabricatum fuisse, tum caelestia, tum terrena, tum animalia, tum sensu et vita destituta, angelos, archangelos, Cosmocratorem seu diabolum, et daemonia, septem caelos, quos intelligentia praeditos, immo et angelos esse volebant, hominem demum ex triplici substantia concretum. Caecus tamen et inscius quid ageret, tanta haec molitus est Demiurgus; at clam dirigebat mater Achamoth, hanc vero Salvator, ut cuncta ad imaginem invisibilis pleromatis efficerentur. Sedes Demiurgo constituta supra septimum caelum; mater superiorem locum, medium videlicet, quod inter pleroma et mundum visibilem intercedit, spatium occupabat. In quibus omnibus luce meridiana clarius iterum relucent Platonicorum aliorumque veterum philosophorum dogmata. E molestissimae quaestionis, unde malum? ambagibus expedire sese quum nequirent plures e vetustioribus philosophis, existimarunt, Plutarcho teste, *in Is. et Osir.* duos esse Deos *καθάπερ ἀντιτέχνους*, quasi contrariis artibus deditos, alterum bonorum, alterum malorum fabricatorem. Illum bonum Deum et Oromazen, hunc daemona et Arimanium appellabat Zo-

1) Iren. adv. haer. I, 30, 3.

roaster; illum e purissima luce, hunc e tenebris et ignorantia genitum: a primo bonos, a secundo malos Deos genitos esse volebat, et inter hos alium Deum intermedium, nomine Mithram existere. Has impurissimas repetiere lacunas tum Marcionitae, tum Gnostici veteres, ut inde duplex rerum principium, alterum bonum, alterum malum, alterum alteri perpetuo insidiantem et adversantem excitarent. Valentiniani vero, ut portentosi dogmatis invidiam declinarent, *nominibus* quidem *honestius utebantur*, ut loquitur Irenaeus [1]); neque enim Deum malorum effectorem aperte profitebantur: at revera venenum crudius sorbebant, ut ostendit idem Irenaeus, dum rerum conditorem *ex ea labe, quae extra pleroma emissa est,* temerario videlicet et supra modum audaci Sophiae facinore genitum, ac ignorantiae, caecarum nempe Achamothae perturbationum fructum esse asserebant. Nam Deum malum auctorem mali, et Deum caecum et ignorantem inducere, eiusdem sceleris esse videtur; immo hoc altero gravius. Neque enim Deus iste caecus a se est, sed ab Achamotha conditus est, dirigente *Salvatore,* quem vicissim regunt et inspirant tum supremus Pater, tum ceteri Aeones; ac proinde ignorantia, malorum omnium fomes et radix, et mala ipsa, quae inde pullulant, in summum Deum refunduntur. Sicque recrudescit pestiferum virus, quod e corruptis philosophorum lacubus haustum emollire conantur Valentiniani.

68. Eo usque desipuisse Platonicos, ut duos Deos, alterum bonorum, alterum malorum auctorem fingerent, non legimus: immo quamlibet aliam praeter Deum malorum caussam esse quaerendam constanter asseruerunt. Verum tamen est quod dum rerum inferiorum creandarum et administrandarum provinciam angelis demandabant, aliis postmodum offensionis ansam praebuerint. Id innuere videtur Plato, quum in Timaeo Deum filios suos, id est, inferiores angelos adhortantem inducit, ut ad imitationem sui, mixtionem sub luna rerum aggrediantur, hominique subiiciant omnia, ac rationalem eius animam ab ipso acceptam corpori caduco infundant. Quod expendens simul et refellens Augustinus lib. XII. de civit. Dei cap. 26. scribit, *Platonem minores et a summo Deo factos Deos effectores esse voluisse animalium ceterorum, ut immortalem partem ab ipso sumerent, ipsi vero mortalem adtexerent. Proinde animarum nostrarum eos creatores esse noluisse, sed corporum.* Sed Platonis praeceptoris mentem clarius expressit Proclus lib. v. cap. 29. ubi sic distinguit: mundum indigere Deo Patre, *ὡς ὑποστάτου τῶν ὅλων, καὶ γεννήτορος, tanquam fundatore a quo fulciatur, et genitore: τὸ δὲ γεννᾶν καὶ παράγειν καὶ τὸ προνοεῖν θεῶν ἐστιν ἴδιον, καθόσον εἰσὶ θεοί. Ipsum vero generare et producere et providere Deorum esse proprium, quatenus sunt Dii.* Primam quidem caussam esse Deum Patrem, quatenus exemplaria rerum formas continentia, quibus dirigantur Dii, ministrat: at *τὸ γεννητικὸν καὶ ὑποστατικὸν ἄλλων καὶ προνοητικὸν αὐτοῖς διαφέρειν τοῖς θεοῖς, ipsam generandi vim, et ipsam aliarum caussam fundatricem, et ipsam providendi facultatem ad ipsos Deos maxime pertinere.* Consentit Salustius philosophus lib. de Diis et Mundo, cap. 6. Deorum, inquit, alii mundani, alii supermundani. *Τῶν δὲ θεῶν οἱ μέν εἰσιν ἐγκόσμιοι, οἱ δὲ ὑπερκόσμιοι. Ἐγκοσμίους δὲ λέγω,*

1) Adv. haer. III, 12, 13.

αὐτοὺς τοὺς τὸν κόσμον ποιοῦντας θεούς. Τῶν δὲ ὑπερκοσμίων οἱ μὲν οὐσίας ποιοῦσι θεῶν, οἱ δὲ νοῦν, οἱ δὲ ψυχάς. Mundanos dico eos, qui mundum condunt, Deos. Supermundanorum vero alii Deorum substantias, alii mentem, alii animas efficiunt. Ideoque, pergit, *trino ordine discriminantur. Mundanorum hi condunt mundum, alii eundem animant, alii ex variis diversisque compactum adaptant, alii adaptatum custodiunt.* Quod vero Dii illi tum mundani, tum supermundani primo Deo longe inferiores sint, docet cap. praeced. ubi ait, *τὴν πρώτην αἰτίαν μίαν εἶναι, primam caussam unam esse. παντὸς γὰρ πλήθους,* inquit, *ἡγεῖται μονάς, δυνάμει τε καὶ ἀγαθότητι πάντα νικᾷ· καὶ διὰ τοῦτο πάντα μετέχειν ἐκείνης ἀνάγκη. Multitudini namque universae praeest unitas, potentia et bonitate omnia superans; ideoque omnibus communicari necesse est.* Eademque Iamblichi sententia est, Sect. v. cap. 9. Tum cap. 14. Deos sic partitur, ut alii sint *materiales,* alii *immateriales. Materiales* vocat eos, qui licet a materia maxime separabiles sint, eam immateriali sua potentia comprehendunt, et exornant, eique adsunt ac dominantur, et una cum ea existunt. *Immateriales* appellat eos, qui omnino a materia liberi sunt, eique longe praecellunt. Omnem autem rerum humanarum administrationem ad Deos *materiales* pertinere vult, non ad *immateriales,* (nisi quatenus hi Deos *materiales* eorumque potentias in se, tamquam caussa una et prima, complectuntur) quia administratio haec particularis est, et admixtum habet quoddam anxietatis genus, neque omnino a corporibus segregata est, nec capere potest liquidam et imperturbatam gubernationem. Quare Sect. II. diversis Deorum inferiorum generibus et ordinibus diversas in administratione mundi, perinde atque Sallustius, stationes, officia et functiones assignat. Sic pariter et Ficinus in *Critiam* Platonis, Deos in super-caelestes, caelestes et subcaelestes ex Platonicorum sententia partitur; primis amplissimam providentiam, secundis minus amplam, posterioribus ad angustiora redactam tribuit, utpote qui certis terrae plagis rerumque generibus divina distributione praesint: quemadmodum et caelestes alii aliis caeli partibus, sphaeris et stellis praeponuntur. Ex quibus omnibus liquido certum est, Platonem eiusque discipulos non existimasse primum principium per se creavisse res conditas; sed id quod secundo post illud loco constitutum est, angelos videlicet. Hinc Numenius apud Eusebium lib. XI. Praep. evangel. cap. 18. Platoni haec verba tribuit: *O homines, quem vos arbitramini primum Deum, mundi opificem, non est primus, sed est adhuc eo superior.* Cui effato concinit oraculum istud:

Πάντα γὰρ ἐξετέλεσσε πατὴρ καὶ νῷ παρέδωκε
Δευτέρῳ, ὃν πρῶτον κλῄζετ' ἅπαν γένος ἀνδρῶν.
Omnia siquidem perfecit Pater, et menti tradidit
Secundae, quam primum Deum vocat omne hominum genus.

Quod exponens Psellus ait, mentem secundam vocari ab hominibus Deum primum, quod nesciant Patrem supremum.

69. Ab his fontibus effluxit communis Gnosticorum omnium sententia, angelis tum creandi, tum regendi mundi munus impositum fuisse. Nec secus sensere Valentiniani. Quamvis enim Demiurgum, Deum et Patrem interdum nominarent, revera tamen intra naturae angelicae limites concludebant. *Demiurgum et ipsum angelum esse dicunt, Deo simi-*

lem, inquit Irenaeus lib. I. cap. 5. n. 2. et lib. II. cap. 8. n. 3. Nec minus aperte scribit lib. IV. cap. 1. n. 1. hanc esse Valentinianorum mentem, *Demiurgum naturaliter neque Deum, neque Patrem esse, sed verbo tenus dici, eo quod dominetur conditioni.* Quod et idem de Enthymesi seu Achamoth dicendum. Et hinc est quod s. doctor haec haereticorum deliria confutans libro II. nullatenus inter Valentinianos ceterosque Gnosticos distinguit; sed probare satis esse sibi censuit mundum non ab angelis, aut archangelis, sed ab uno et eodem Deo et Patre conditum fuisse. Commune vero tum philosophis, tum haereticis isthaec asserendi principium fuit, Deum summum et Patrem ignotum ac invisibilem esse ac mansisse, nec per rerum creationem se ipsum manifestando prodidisse; aliis existimantibus Dei maiestatem haud decere, ut ad rerum inferiorum curam per se ipsum suscipiendam sese demitteret; aliis timentibus, ne mala quibus labefactatur orbis, in ipsum refunderentur, si hunc ipse regeret creavissetque. Hinc sponte fluebat, orbis regimen et creationem alterius cuiuspiam a Deo Patre opus et effectum esse: quumque neutri ullam aliam ultra hunc sive personam, sive naturam intelligentem nossent quam angelicam, in hanc operis molem recumbere voluerunt. Quae prava inde enascantur consectaria, paullo post referemus.

70. Interim, quod mundum hunc inferiorem ad superioris, seu pleromatis imaginem effictum dicebant Valentiniani, alterum doctrinae platonicae caput est, quod in suam hypothesin transtulerunt. Notissimum quippe, nec semel a nobis iam dictum, invisibilem seu idealem Platonis mundum, rerum omnium ideas et formas a Dei mente conceptas continere: quas quidem supremus Pater angelorum opificum mentibus insculpit, et quasi oculis obiicit, ut ad illius archetypi exemplum mundum hunc inferiorem efforment: et eapropter scripsit Tertullianus in lib. de Anima cap. 17. in ideis platonicis *relucere haeretica semina Gnosticorum et Valentinianorum.* Angeli etiam et archangeli, quos creat haereticorum Demiurgus, angeli seu Dii mundani sunt, quos a superioribus progenitos esse, multiplici ordine, serie et successione, statuebant Platonici. Ut enim archangelos Diis, sic angelos archangelis, angelis heroes, heroibus animas subiiciebant. Animatos item septem planetarum, aliarumque stellarum orbes, et intellectu praeditos, immo et angelos esse, aeque ac Valentiniani, sustinebant; non quidem ratione formae informantis, sed adsistentis, ut loquuntur in scholis: vel, ut exponebant Valentiniani, non re, sed virtute: quatenus unicuique caelo et sideri praefectus adest angelus, qui motus huius regat ac moderetur, ut passim explicant Platonici. Hosque septem planetarum orbibus praefectos angelos, septem *κοσμοκράτορας* esse puta, de quibus Damascius: quamquam ipse *κοσμοκρατόρων* ordinem duplicem esse velit; alii siquidem mundum superiorem, seu caelestem, alii inferiorem moderantur: quod et ipsum Iamblichus Sect. II. innuit, ubi archontas duplices distinguit, alios superiores, alios inferiores. Ex horum numero fuisse videtur ille Valentinianorum Cosmocrator seu diabolus, omnisque malorum daemonum caterva, quam *spiritalem malitiam* vocabant, quamque a Demiurgo ex Achamothae tristitia conditam asserebant. Cur vero hoc interesse vellent Demiurgum inter et Cosmocratora, quod hic ea quae sunt super eum intelligeret, alter ignoraret, haud facile

quisquam dixerit. Hanc quidem rationem afferunt, quod Demiurgus animalis sit, diabolus vero spiritalis nequitia: sed rem implicat potius, quam explicat. Qui enim ex animali Demiurgo prodire potuerit Cosmocrator, qui, si non natura, saltem intelligentia superior sit; et qui ex tristitia matris Achamoth condi potuerit spiritalis angelus, ex eiusdem conversione animalis tantum, non video, nec quidquam, quo nodum hunc solvam, ministrat platonica philosophia. Illud duntaxat ex Porphyrio in epist. ad Anebonem erui potest, hoc daemones bonos a malis discrepare, quod illi animae sint spiritui adiunctae, sed spiritum ratione superantes, corpusque harmonica proportione compositum quum habeant, in beneficia natura sua proclives sint: hi vero animae sint spiritui adiunctae, sed ei ratione cedentes, corpusque inconcinne compositum et male affectum sortiti, irae et cupidinum impetu feruntur, quibus ad mala omnibus inferenda instigantur. Nempe id discrimen esse volebat Deos inter et daemones, sive bonos, sive malos, seu inter angelos superiores et inferiores, quod primi impatibiles essent et intelligentiae purae, alii vero mentis participes et animales. Iam enim in Platonicorum scholis obtinebat ea sententia, duplex daemonum genus, bonorum videlicet et malorum, esse statuendum. Secus sentiebant Pythagoras, aliique veteres, quibus aliud daemonum genus, quam ἁγνῶν, purorum et beneficorum, haud agnitum fuisse probant ea carmina, quae vulgo Pythagorae adscribuntur. At quum Plato in Timaeo et alibi placitum istud aut induxisset, aut recens natum confirmasset, in daemonum ordinem referendas esse animas heroum, id est, eorum hominum, qui tum beneficentia ac liberalitate erga patriam, tum iustitia ac pietate prae ceteris excelluerant; hinc ad amplificandam daemonum turbam aditum sibi cito patefecere adulatio et timor. Quicunque enim viri potentes popularibus suis formidolosi vixerant, vel qualibet alia ratione nomen sibi inter suos fecerant, licet impuram flagitiosamque vitam duxissent, mortui facile invenerunt et adulatores, qui eos in heroum ac daemonum numero collocarent, atque sacra decernerent, et ignavos ac timidos homines, qui sic collocatorum memoriam divinis honoribus celebrarent. Sed quum ridicula illa faciliorque apotheosis, qua scelestis mortalibus sacra interdum decernebantur, invicta adversus ethnicam religionem argumenta Christianis suppeditaret; horum vim atque pondus ut declinarent philosophi, duplex daemonum heroumque genus statuere coacti sunt, alterum beneficum, maleficum alterum et malesuadum: illis quidem fieri sacra honoris ac religionis caussa, et ut opitulentur; istis vero cautionis ac provisionis gratia, ne noceant. Sic fere rem explicant Iamblichus [1]) et alii. Is vero licet non neget daemones quosdam natura malos esse et improbos, qui tamen a natura ita constituti sint diserte satis non explicat: at quod ad alteram quaestionis partem attinet, daemones scilicet omnes corporeos esse et animales, fatetur id ita plerisque philosophorum videri, hancque communiorem esse sententiam, sibi tamen non probari. Et revera multorum philosophorum opinionem fuisse docet Plutarchus in libro *de Placit. philosoph.* Litem dirimere nostri non est instituti; sed observare sufficiat, quod consilium nostrum fuit, ab hac philosophorum opinione

1) Iambl. Sect. I, cap. 15 et 16.

Valentinianorum Demiurgum animalem, et forte etiam catervam illam spiritalis nequitiae fluxisse.

71. Nec vero in eo solum haeretici istis veteribus philosophis assentiebantur, quod Demiurgum suum ceterosque inferiores angelos animales esse vellent, sed et in eo quod illi sedem in medietate, ut loquebantur, assignarent. Idem quippe de daemonibus sensisse Platonem, extra omnem dubitationis aleam positum. Cuius quidem assertionis hanc affert rationem *in Convivio;* quod quum Dii superiores et homines natura maxime distent, daemones interiici debeant, qui medium locum impleant, et distantes coniungant; idque non solum natura, sed muneris functione etiam praestent, interpretando et traiiciendo humana ad Deos, et divina ad homines; videlicet Deorum monita et praecepta ad nos, preces et sacrificia nostra ad illos. Ex quo sequebatur eos vaticiniorum omnium et prophetiarum auctores esse, quas pro suo quisque modo, affectu et natura inspirabat. Huic Platonis sententiae omnes Academici sequentibus saeculis semper assensere, ut Plutarchus in lib. *de Defectu Orac.* Apuleius in libro *de Deo Socratis,* Iamblichus, Proclus et alii. Sic pariter humana cum divinis consociabant Valentiniani. Hominibus per Demiurgum animalem in medio constitutum, commercium intercedebat cum matre Achamoth spiritali, supra Demiurgum collocata. Quia vero illa media inter Demiurgum et pleroma considebat, huius interpositionis fibula pleroma cum Demiurgo coniungebatur. Cuius etiam dogmatis idem quod Platonici consectarium erat, prophetias omnes vel matri, vel Demiurgo, vel Salvatori per Iesum, acceptas referendas esse. Nam Christum Iesum, novi Testamenti angelum et mediatorem, qui illud, quod peccatis intermissum fuerat, inter Deum et homines commercium instauraturus venit, triplici substantia indutum effutiebant haeretici, spiritali a superiori pleromate devecta, animali a Demiurgo, et corporea a mundi elementis accepta: ut sic nec Deus (sic blasphemabant illi), nec purus homo, sed inter utrumque medius, et ceu Demiurgus alter, ima summis connecteret.

72. Sed ad alteram mundi constitutionis partem sensim delabor, hominis nimirum fabricationem, quam mirum esset si ad platonica placita etiam non exegissent blaterones illi. Triplicem in uno homine hominem esse statuebant, materialem seu choicum; psychicum seu animalem, a Demiurgo insufflatum; et spiritalem, ortum videlicet e spiritali semine, quod ex angelorum contemplatione protulit Achamoth, quem per Demiurgum, ceu per canalem, eo tamen inscio, una cum eius insufflatione inspersit omnium mater. Et quidem quod hominem choicum ex limo primum, tum ex carne compactum assererent, nihil inusitatum sonat, communisque philosophorum omnium sententia fuit. Limus prima velut corporis humani materia est, quam Deus ita conformavit ut caro fieret, cui vitam infudit. Sic Moyses Gen. II. 7. hominis creationem describit, hancque descriptionem, intertextis pro more fabulis, imitari studuerunt. Quod autem animam fingeret in duas veluti partes sectam, cuius altera animalis esset et inferior, altera spiritalis et longe dignior tum origine, tum natura, post Platonicos fecerunt. *Homo,* inquit Iamblichus [1]), *duas habet animas, quod ipsa Mercurii sacra scripta ostendunt. Una est a*

1) Iambl. Sect. VIII. cap. 6.

primo intelligibili, quae etiam de potentia opificis participat. καὶ ἡ μέν ἐστιν ἀπὸ τοῦ πρώτου νοητοῦ, μετέχουσα καὶ τῆς τοῦ δημιουργοῦ δυνάμεως. *Altera vero nobis inditur ex circuitu caelestium mundorum, in quam anima Dei speculatrix se inserit.* ἡ δὲ ἐνδιδομένη ἐκ τῆς τῶν οὐρανίων περιφορᾶς, εἰς ἣν ἐπεισέρπει ἡ θεοπτικὴ ψυχή. *Anima quae nobis advenit a mundis, mundorum quoque obtemperat motibus; illa vero quae ab intelligibili derivata adest intelligibiliter, genesiurgi,* γενεσιουργοῦ, *motioni supereminet.* Vult igitur, priorem animam fato non servire, quia, ut ait cap. seq. habet in se principium proprium, quo possit ad intelligibile restituere se ipsam, et a rebus factis refugere, et cum eo quod est, quodque divinum est, connecti: posteriorem vero animam fato subiacere. Ita Iamblichus, in cuius verbis et sensu perspicue elucet duplex illa Valentinianorum anima. Ea enim, quam a primo intelligibili esse dicit, ipsa est quam spiritalem iactabant, e superiori pleromate per *Salvatorem* et eius angelos deciduam. Ea vero, quam inditam esse asserit ex circuitu caelestium mundorum, ipsa est quam a Demiurgo animali, supra septimum orbem considente, insufflatam volebant, et in quam superior illa sese insinuabat. Hoc tantum inter se differunt, quod Iamblichus post Platonem et cum ceteris Platonicis affirmaret, superiorem illam animam corporibus dudum praeexsistentem, iam perfectam, et velut adultam iisdem infusam fuisse: Valentiniani vero eam opinarentur velut semen quoddam *informe, et sine specie et imperfectum* animae animali inseri, ut ibi *perfectionem et formationem* percipiat [1]). Quamquam tamen non usque adeo dissentiunt, ut concordia redintegrari non possit. Quamvis enim animas iam adultas in corpora deiici vellent Platonici, prius tamen oblivionis poculo epotatae corporum mole sic obruebantur, ut iis ambagibus non nisi paullatim excussis iterum adolescerent, pristinarumque cogitationum vestigia rationis ope gradatim refricarent. Quamobrem et ipsi hanc animam primum informem, successu temporis perfectam evadere contendebant. Hoc etiam inter utrosque conveniebat, quod animam animalem fati vinculis illigatam, spiritalem his liberam esse sentirent; quod aliis terminis, eodem certe sensu, exprimentes Valentiniani, dicebant, *animas quasdam natura bonas, quasdam autem natura malas. Et bonas quidem has esse, quae capaces seminis fiunt: alias vero natura nequam, nunquam capere illud semen* [2]), quibus proinde aditus omnis in pleroma, solis spiritalibus excipiendis destinatum, intercluderetur necesse erat. Sic christianismi speciem Platonicorum commentis inducebant nequissimi homines. Nempe quod in apostolorum scriptis legerant, animalem hominem non percipere ea quae sunt Spiritus Dei; quosdam homines animales esse, Spiritum non habentes; spiritalem omnia iudicare; veros Christianos primitias Spiritus accepisse, et spiritales esse, etc. platonica deliria huc transferendi occasio fuit. Diversam utriusque animae sortem non moror: sponte fluit ex diversa utriusque conditione et origine. Unaquaeque enim principium suum ambit, et ad illud anhelat: ac proinde quum altera e pleromate, altera e *medietate* defluxerit, una in pleroma cum angelis *Salvatoris*, altera in *medietatem* cum Demiurgo recolligenda recurrat necesse est. Nec haec Plato-

1) Iren. adv. haer. II, 19, 1. 2) Ibid. I, 7, 4.

nicis ignota. Nam Iamblichus Sect. 1. cap. 2. putat, animas quasdam per Deorum benignitatem, et infusam ab illis illuminationem, saepe altius ascendere, et in ordinem maiorem, angelicum videlicet, evehi. Hoc quoties fit, ait, non iam amplius animae finibus continentur, sed totae angelicae animae evadunt, et in purissimam vitam perfecte perveniunt. Non moror etiam hylici hominis, seu materialis corporis sortem. In corruptelam abire, nusquam excitandum, cum Sadducaeis aliisque non paucis gentilibus philosophis, ex necessaria consecutione putabant. Nec enim id excitari, vitae particeps futurum decet, quod e labe et ignorantia, Enthymeseos perturbationibus, et Demiurgi inscitia ortum ducit.

73. De Christo Iesu quid sentirent, quibus potius blasphemiis sacrum incarnationis mysterium subverterent, iam diximus. Illud fundamenti loco statuebant, quod verissimum est, nec semel a ss. patribus affirmatum, ea suscepisse Christum quae servaturus erat. Sed hoc turpiter abusi concludebant, ex quadruplici substantia compactum fuisse, ut typum primi ac superni quaternarii servaret: ex spiritali, quae erat ab Achamoth: ex animali, quae erat a Demiurgo: ex ea quam oeconomiae, seu salutis humanae procurandae caussa assumsit, corporea quidem quae sensus afficeret, sed ita a crassiori materia defaecata et pura, et tam sollerti arte parata, ut nihil cum ea commune haberet, ac spiritalis quodammodo prae ea esset: ac demum ex superno *Salvatore,* qui in eum sub specie columbae descendit, tum quum ad baptismum venit. Spiritalem quidem substantiam ab Achamoth acciperet necesse erat, quoniam spiritali semini, hactenus repullulantibus undequaque vitiis, ignorantia praesertim, praefocato perfectionem et incrementum allaturus erat, novamque lucem hactenus invisam, nimirum supremi Patris agnitionem, in homines diffusurus. Animalem etiam, et eam quae videri et tangi posset, assumere debuit: quia quum et animalibus hominibus salutem impertiturus esset, iisque, utpote spiritali semine seu agnitione destitutis, unus aditus ad eam per fidem et bona opera pandatur; necesse erat iis similis ac visibilis fieret, quo dux eorum et magister evaderet. His omnibus accedere debuit de supernis Salvator, qui Iesu Christi mentem pleromatis mysteriis informaret; isque huic uniendus eo unitionis genere, quod procul ab hypostatico dissideat, nihilque nisi mere morale sonet; ac Iesum a communi hominum (si tamen homo dicendus, cui corpus aethereum potius et phantasticum, quam humanum erat) sorte non eximeret, utpote qui nec vere Deus esset, sed merus angelus Deo longe inferior, nec Iesu Christo hypostatice unitus. Neque enim ipsum Dei Filium carnem sumsisse volebant; et si dixissent, haud alio quam Sabellii et Pauli Samosateni sensu dicere potuissent. At hylicum nihil seu materiale adsciscere sibi potuit Iesus Christus: quia hoc quum labis et ignorantiae fructus sit, infausta perturbatae nec sui compotis Enthymeseos soboles, et caeci ac ignorantis Demiurgi opus; salutem capessere nullam potest, sed in corruptelam, unde initium sumsit, cedat necesse est. Haec vero impiissimi dogmatis consectaria necessaria fuere. 1°. Nihil a Maria Christum accepisse, sed per eam, veluti aquam per tubum, transiisse. Quum enim hylicum nihil susceperit, sed corpus ab hylico seu materiali, quod omnium hominum est, procul diversum gestaverit; ab ea mutuari nihil potuit, nec in eius utero formari, ex qua nullum nisi hylicum et illi simile corpus

generari poterat. 2°. Nihil pati potuisse Salvatorem; quum nec Christo Iesu vere unitus esset, nec suapte natura patibilis et visibilis. Sed quum Iesus coram Pilato sisteretur, statim in pleroma revolasse dicebant. 3°. Ne id quidem quod a matre erat semen passum esse, utpote quod et ab anima animali, quae sola passionis capax, distinctum et spiritale et invisibile etiam ipsi Demiurgo esset. Sic illi. 4°. Solam passam fuisse animalem substantiam, et eam quam Christus oeconomiae caussa susceperat, sollerti artificio compactam. Sic totam Verbi incarnati mysteriorum oeconomiam labefactabant, et funditus evertebant profani homines.

74. Mirum si dogmatis vita non respondisset: impiissima dogmata scelestissimis moribus adaequari necesse erat. Vesaniam arguit, quod se ipsos perfectos, spiritales, spiritali semine fecundatos, semina electionis, ac Gnosticos, seu scientes impudentius iactarent; qui gratiam proprio ac hereditario iure a matre acceptam ita possiderent, ut semper accresceret, decresceret nunquam, aut efflueret: Catholicos vero psychicos et animales contemtim vocarent, qui gratiam commodato et in ancipiti usu sic accipiebant, ut ea illis adimi iure posset. Quid sit ista spiritalium gratia, spiritale illud semen, quo superbius efferebantur, diximus. Supremi Patris, usque ad novi Testamenti tempora invisibilis et ignoti, agnitio est, supernorumque pleromatis arcanorum scientia per Christi adventum hominibus indita, qua sola, ceteris omnibus spretis et omissis, salutem comparari putabant. Hanc suae duntaxat sectae hominibus concedebant, aliis omnibus denegabant, utpote quorum captum superaret ea *γνῶσις;* in quibus proinde locum habere crederent solam fidem, implicitam nimirum, et suae disciplinae sectariis adhibendam. Hoc vitiorum omnium, scelerum et turpissimorum facinorum, quibus perditorum hominum funestata vita fuit, seminarium et origo exstitit. Hinc, ut recte observat Irenaeus [1]), *intimorate omnia quae vetantur illi operabantur,* nihil vitiorum omnium coeno inquinari se posse putantes. Si enim Deus summus usque ad N. Testamenti tempora ignotus fuit, si mundi huius curam ipse non gessit, sed eius administrationem angelis inferioribus commisit: ergo ab angelis, ut cetera, ita et prophetiae profectae, et lex in monte Sinai lata fuit. Si vero lex a Demiurgo animali, animalis hominis conditore data est: ergo ea non tenetur anima spiritalis, nec proinde legis iussa negligens peccat, quia altioris est originis, nec Demiurgi imperio subdita. Si sola Dei hactenus ignoti, nunc vero se revelantis, cognitio, iis quibus infusa fuerit, salutem affert, seu, ut loquebantur, in pleroma inducit; ergo non opus erit operibus, in primis quia ab illorum necessitate, quam lex ab angelis lata iniungebat, animas liberavit suo adventu Salvator. Si quibusdam necessaria sint opera; eos duntaxat iuvare queunt, quibus spiritalis scientia deest; ceteris penitus inutilia. Si spiritale semen ad salutem efficax, ex quo semel habitum, perire numquam potest, sed augetur semper, crescit et perficitur: ergo quidquid agant ii, quibus inspersum fuerit, quodcunque scelerum genus perpetrent, a gratia et salute nunquam excident. Si denique ea duntaxat salutem percipiunt, quae suscepit Christus, hylicam vero nihil assumsit: ergo

1) Adv. haer. I, 6, 3.

nihil corporibus impertitus est, iisque nulla speranda resurrectio. Tam arcte cum suis principiis cohaerent eae consecutiones, ut eas ipsimet Valentiniani suas palam fateri non erubescerent.

75. Iam, puto, nullus deinceps, nisi qui veterum omnium auctoritatis iugum audacius excusserit, Valentinianos iis errorum portentis absolvere cogitabit, quibus insimulantur tum ab Irenaeo, teste omni exceptione maiori, tum a ceteris patribus. Immo stupebit cordatus quisque, eo usque temeritatis prorupisse quosdam recentiores, ut testium coaetaneorum oculatorumque auctoritate elevata, eos excusare vanis argutiolis nitantur, quos illi certis rationibus invictisque testimoniis reos esse probant; et ne desipiant perditi homines, immaniter desipuisse ss. patres innuere non vereantur. Attendant, quaeso, benigni illi haereticorum interpretes, quot et quanta postremis hisce saeculis errorum monstra, stolidaque deliria pepererit in Anglia, Germania, Hollandia, immo paucis abhinc annis in Gallia male sanum fanaticorum caput; quibus tamen sui non defuerunt asseclae, neque numero pauci, neque ordine et scientia infimi: et iam fidem superare non videbitur, quosdam priorum saeculorum homines sic insaniise, ut enarrant patres. Sed missis hisce concertationibus, quae hactenus diximus, perspicue demonstrant, Valentinianos puros putosque Ethnicos fuisse, qui ridiculis Gentilium philosophematis simulatam christianismi speciem induxerant: sed Ethnicis ipsis peiores, ipsa moralia praecepta, quae natura mortalium cordibus inscripsit, sic pessum dedisse, ut fractis repagulis homines in pecudum vivendi morem deiicerent. Religio christiana in sacris sanctissimae trinitatis et incarnationis mysteriis, ceu duobus cardinibus, tota potissimum vertitur, Deique verbo tum scripto, tum tradito nititur. Haec autem fundamenta ita succussere, ut funditus diruerint. De trinitate personarum non in eo tantum impie sentiebant, quod mentem, veritatem, verbum, vitam, horon, Christum, Salvatorem, diversa nomina, quibus exprimuntur unius et eiusdem Filii Dei per se subsistentis proprietates, in totidem Aeones transformassent; sed quod Aeones illos vel cum ipso Patre confunderent, uti fecere Noëtus, Sabellius et Paulus Samosatenus; vel sic a Patre separarent, ut longe inferioris naturae esse vellent, nec plus quam angelos esse sentirent, quae Arii deinceps blasphemia fuit. Nec melius actum cum Spiritu sancto, qui et ipse gradu deiectus ad angelorum sortem relegatus est. Sicque una et eadem haeresis ea simul venena miscere novit, quae deinceps divisim epotarent Sabellius et Arius. Quam misere ab iis violata mysterii incarnationis fides, ex paullo ante dictis manifestum est. Ibi nec Deus carnem suscepit, nec natus, nec passus in carne est, nec Verbum caro factum est; nec Christus verus homo fuit, sed hominis simulacrum et vana species, quae sensus deluderet. Etsi Scripturarum libris et verbis pepercit scelerata Valentini manus, eas tamen a summo omnium parente inspiratas negasse, in fabulas foede detorquendo convertisse, sacrae apostolorum traditioni delirantium hominum nugas substituisse, Dei Verbum turpiter abiecisse fuit. De arbitrii libertate, bonorumque operum necessitate nihil dicam: aliud, maxima saltem ex parte, fatali necessitate constrictum; alterum, ceu viles quisquiliae, ad eos amandatum, quos spiritali semine haud inspersisset mater Achamoth: ut sic in Scripturis nihil intemeratum maneret, sed tum dogmata, tum praecepta penitus ruerent.

76. Haec de haeresi valentiniana dicenda nobis erant. Si in ea explicanda paullo longiores exstiterimus, Irenaei exemplo fecimus, qui hanc longe fusiori et accuratiori stilo, quam ceteras omnes persecutus est. Quum enim in eam, ut plus semel asserit [1]), tanquam in sentinam quandam confluxerint omnium haereticorum sordes et spurcitiae, vel, ut verbis eius utar, *ἀνακεφαλαίωσις, recapitulatio* omnium sit; ea semel recte exposita, ceterae nihil aut parum negotii facessere poterunt. Quare et in hoc etiam Irenaeum imitabimur, quod eas levius perstringemus, ea duntaxat observantes, quae unicuique propria erunt, nec aliis communia. Postposito temporum ordine, eum tantum, lectorum commodo consulentes, servabimus, quem servavit auctor noster.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE VALENTINI DISCIPULIS.

77. Consensum in unam fidem, peculiarem solius verae ac catholicae Christi ecclesiae laudem esse; discordes vero turpiterque secum pugnantes in fide sententias, in haereticos omnes proprie quadrare passim notat Irenaeus. Id etsi de haereticis omnibus verissimum, nusquam tamen clarius elucet, quam ubi de Gnosticis ac Valentinianis sermo est. *Discrepant,* inquit ille [2]), *ab invicem et doctrina et traditione; et qui recentiores eorum agnoscuntur, affectant per singulos dies novum aliquid adinvenire, et fructificare quod nunquam quisquam excogitavit.* Et alibi: *Ab his autem qui praedicti sunt, iam multae propagines multarum haeresium factae sunt, eo quod multi ex ipsis, immo omnes velint doctores esse, et abscedere quidem ab haeresi in qua fuerunt, aliud autem dogma ab alia sententia, et deinceps alteram ab altera componentes, nove docere insistunt; semet ipsos adinventores sententiae quamcunque compegerint, enarrantes.* Nempe omnes novae inventionis gloriam captabant, et, ut nomen sibi apud suos facerent, veterem errorem hi novis erroribus cumulare, illi novis saltem ac insolitis nominibus ornare studebant. Qua enim libertate a suis magistris, veteribus Gnosticis, in pluribus discesserat Valentinus, eadem ab ipso in multis secessere discipuli eius, Secundus, Epiphanes, Ptolemaeus, Colorbasus, Marcus, et alii: adeo ut Tertulliani [3]) aetate purus, et qualem excogitaverat ipse Valentinus, Valentinianismus iam nullibi terrarum, praeterquam Antiochiae, sub Axionico vigeret. Ceteri omnes nova suscepta larva, obliterato etiam magistri nomine, suum quisque haeresi propriae nomen imposuerunt.

I. DE SECUNDO.

78. Primus quem post Valentinum proxime memorant Irenaeus, Epiphanius, Theodoretus, Tertullianus, vel quisquis alius auctor est additamenti, quod ad calcem libri de Praescriptionibus legitur, Augustinus et alii, Secundus est. Quis et qualis, quove in loco natus, veterum nemo scripsit. Id duntaxat ex Epiphanio [4]) discimus, quod Valentino coaevus,

1) Iren. Praef. lib. III. et Praef. lib. IV. 2) Iren. adv. haer. I, 21, 5. I, 27, 4. 3) Tert. adv. Valent. cap. 4. 4) Epiph. Haer. XXXI, §. 1.

magistrum novo aliquo invento superare sic gestierit: ut tamen totum quod intererat inter utrumque discrimen, totum fere in verbis haeserit. Nam eadem, quae Valentinus, docebat omnia, sed ampliore sonitu furiosorum aures opplebat: *πάντα μὲν τὰ κατὰ τὸν Οὐαλεντῖνον ἐξηγεῖται, περισσότερον δὲ ἦχον εἰς ἀκοὰς τῶν ἐμβεβροντημένων ἐξήχησεν.* Addit Augustinus, *Secundianos hoc a Valentinianis distare dici, quod addant opera turpitudinis:* forte quia turpem et obscenam Valentini doctrinam impudentius praedicabant, omnique deposita verecundia actu perficiebant. Neque enim principiorum auctores erant, sed haec a Valentino acceperant, qui si discipulis melior exstitit, forte quia paullo verecundior. Et ita sentit Damascenus scribens in lib. *de Haeres.* Secundianos consensisse cum Valentino, nisi quod eum in docenda et commemoranda obscenitate longe multumque superarint.

79. Secundo tribuunt Irenaeus et Epiphanius, quod octonarium primum distinxerit in quaternarium dextrum et sinistrum, lumen et tenebras. Nova quidem et aenigmatica verba, sed non novus error. His enim significabat, ut supra ostendimus, primum octonarium ex duplici quaternario conflari: altero ex imparibus numeris, quos ex Pythagoreorum mente dextros et faustos, altero ex paribus, quos sinistros et infaustos vocabat. Id ipsum est quod Ptolemaici quaternionem masculinum et femininum appellabant. In eo vero ab his et a Valentino discessit ille, quod virtutem, quae prae temeritate defecit, non a triginta Aeonibus derivarit, sed a fructibus eorum. Scilicet angelum quendam inferioris ordinis esse finxit, ne qua labe aspergeretur superius pleroma.

II. DE EPIPHANE.

80. Proximum Secundo subnectit Epiphanem Irenaeus: de hoc enim, nec de alio intelligenda quae in veteri Irenaei latina interpretatione legimus: *Alius vero quidam, qui et clarus est magister ipsorum, etc.* Quorum quidem verborum graeca licet apud Epiphanium desiderentur, merito tamen sic habuisse coniicit Pearsonius: *Ἄλλος δέ τις, ὁ καὶ Ἐπιφανής, διδάσκαλος αὐτῶν.* Ubi imperitus interpres misere lapsus, Tertulliano offendiculum praebuit: nam et ipse scripsit, *insignioris apud eos magistri.* Quippe neuter advertens, Irenaeum voce *ἐπιφανὴς* alludere ad haeretici nomen, ex proprio appellativum fecerunt; definita Irenaei verba in vagum et indefinitum sermonem, ex quo nullius auctoris nomen colligi queat, perperam convertentes. Quin tamen de Epiphane hic agat Irenaeus, dubitare non sinit Epiphanius [1]), qui Secundo proximum recenset Epiphanem, in quem praeterea apprime quadrant quae *claro* illi seu *insigniori magistro* tribuunt Irenaeus latinus et Tertullianus. *Σύγχρονος* Secundo fuit Epiphanes, eique proinde successit, non tam tempore, quam doctrina. Carpocratis, infamis illius haeresiarchae, de quo postea disseremus, filius erat, et matris cui nomen Alexandria; ex patre quidem Alexandrinus, ex matre vero Cephalenius. Liberalibus disciplinis a patre non segniter excultus, tantos eo duce in platonica philosophia progressus fecit, ut exquisitam hominis eruditionem suspicerent omnes. Egregiae quidem dotes, sed quas cum in sui ipsius, tum in aliorum perniciem

1) Epiph. l. l. Haer. XXXII, §, 3. Theodor. haer. fabb. I, 5.

misere convertit: iis quippe abusus, nefaria patris dogmata ampliavit, audaciusque disseminavit; tum ad Secundum se atque eius fautores applicavit, ac illius in se virus, hoc est, imbutam venenata quadam peste loquacitatem expressit. Omitto quod Epiphanius ait, Isidorum quendam (philosophum, an haereticum Valentinianum dubitat; affirmat vero Clemens Alexand. Basilidis filium exstitisse) scriptis Paraenesibus, Epiphani auctorem erroris fuisse, ac Secundum et Epiphanem has Paraeneses ad usum sectae suae transtulisse. Quod enim ex iis Paraenesibus fragmentum recitat Clemens Alexand. lib. III. Strom. pag. 427. repugnare videtur cum iis, quae de coniugio docet Epiphanes apud eundem Clementem. Quidquid sit, Epiphanes ne pluribus exitio foret, diu vivere permissus non est. Nam quum ad XVII. aetatis annum pervenisset, immatura morte praeventus est: quo anno, non constat. At quum Theodoretus scribat, eum Adriano imperante haeresin suam confirmasse, vix huic principi superfuisse potuit. Quare vel sub eius finem, vel inter initia Antonini Pii obierit necesse est. Non tamen istius morte compressum omnino malum. Sic enim vivens conterraneos suos, ex matre, Cephalenios tum praestigiis, tum eruditione fascinaverat, ut mortuo divinos honores detulerint, templum, altaria, Museum in Same urbe exstruxerint, sacrificia et libationes tamquam Deo singulis noviluniis obtulerint, convivia egerint, ac hymnos ei cecinerint. Quod adhuc Epiphanii temporibus obtinebat. Scripsit inter alios librum *de Iustitia,* ex quo fragmenta quaedam, quae insanam hominis impietatem ac libidinem prae se ferunt, descripsit Clemens Alexandrinus. In eo iustitiam Dei dicit esse *κοινωνίαν τινὰ μετ' ἰσότητος, quandam cum aequalitate communionem:* indeque infert, res cunctas, ipsas etiam uxores, inter homines esse debere communes: quod quidem erroris portentum a Platone accepit, qui si non ita reapse senserit, iis saltem verbis usus est lib. v. *de Republica,* quae eum ita sensisse pluribus persuasere. Quae fuerint apud scelestos homines dogmatis huius consectaria, quibusve sordidari criminibus debuerint suum istorum et canum synaxes, quilibet intelligit.

81 Quae fuerit Epiphanis de Aeonibus sententia, superius exposuimus. In eo duntaxat a Valentino et Ptolemaitis differebat, quod primum quaternarium aliis nominibus exprimeret. Nempe quod illi Bythum et Sigen, Nun et Aletheian dicebant, hic Monoteta et Henoteta, Monada et Hen. Totidem voces Platonicis, quum de divinitate sermo erat, familiares, ut vidimus. Et eapropter a Clemente Alexand. *μοναδικῆς γνώσεως* auctor dictus est, scilicet a Monade illa vel Monotete, quam a Platonicorum schola in suam invexerat. Cetera de Valentinianorum hypothesi disserentes exposuimus.

III. DE EPIPHANIS DISCIPULIS.

82. Sicuti vero Epiphanes vetera magistrorum aenigmata novis obscurare voluit, sic discipuli eius maiores adhuc praeceptoris dictis tenebras offundere gestierunt. Ii sunt, auctore Epiphanio [1]), quorum nugas tacito gerronum nomine refert Irenaeus cap. 11. n. 5. Primam tetrada ex Proarche, Anennoeto, Arrheto et Aorato coagmentabant. Ex Proarche

1) Epiph. Haer. XXXII. §. 7.

vero emissum esse primo et quinto loco Archen, ex Anennoeto secundo et sexto loco Acatalepton, ex Arrheto tertio et septimo loco Anonomaston, ex Aorato autem quarto et octavo loco Agenneton effutiebant. Quas quidem ambages (si quis tamen huiusmodi deliriis sensus subesse possit) in notis ad hunc locum extricare conati sumus. Sic primam ogdoada grandioribus, quam ceteri solerent, nominibus infuscare placuit veteratoribus istis; et ne aliorum Gnosticorum vestigia relegere viderentur, Bythum (quem alii coniugis expertem, alii masculum et feminam, alii neque masculum neque feminam esse dicebant) et Sigen de pristina sede deturbare, ut eo loco, quem reliqui Bythio et Mixi assignabant, collocarent. Sed pugna in verbis erat, eadem semper stante hypothesi.

IV. DE PTOLEMAEO EIUSQUE DISCIPULIS.

83. Epiphanem excipit apud Epiphanium [1]) Ptolemaeus, de cuius aetate, patria et moribus nihil certi definiri potest. Secundi et Epiphanis discipulum, et utrique coaevum, magistris tamen longe doctiorem fuisse significat idem Epiphanius; de ceteris altissimum apud veteres silentium. Plures quidem coniecturas his de rebus proponit Dodwellus Dissert. IV. in Iren. §. 28. et seqq. sed quae vix apud alios quam credulos lectores fidem obtineant. Illud duntaxat ex Irenaeo concludere possumus, Ptolemaeum, etsi forte Valentinum viderit, eo tamen iuniorem fuisse. Iste siquidem Theodadem quendam apostolorum discipulum vidisse se iactabat, ut diximus: at Irenaeus lib. II. cap. 32. n. 5. affirmat Ptolemaeum apostolos nunquam vidisse, immo vestigium apostoli ne in somniis quidem assecutum fuisse: id est, aetate iuniorem fuisse, quam ut ad apostolorum discipulos pertingere potuerit. Tantam sibi famam apud Valentinianos fecerat ille, ut huius schola nominis celebritate ceteras omnes longe superaret. Hanc vocat Irenaeus [2]) *ἀπάνθισμα τῆς Οὐαλεντίνου σχολῆς*: quasi diceret lectissimos quosque e valentinianis hortis decerptos flores; quod e subtilioribus quibusque valentinianae scholae dogmatis hypothesin suam adornasset Ptolemaeus. Quamobrem quum istius valentinianae sectae coryphaei placita prae ceteris exagitanda sibi suscepisset auctor noster (ratus nimirum, iis semel subversis, aliorum ruinam brevi secuturam), ceteris etiam accuratius et fusius explicare suarum esse partium arbitratus est. In hac proinde explicatione priora novem libri primi capita insumsit. Quin enim in iis capitibus Ptolemaei sententiam referat, vix dubitem. Nam in praefatione spondet se *sententiam eorum, qui sunt circa Ptolemaeum, τῶν περὶ Πτολεμαῖον,* compendiose et manifeste ostensurum. Ubi licet hellenismus, *τῶν περὶ Πτολεμαῖον,* pro linguae graecae genio, *ἀμφίβολος* sit, et de Ptolemaicis aeque ac de Ptolemaeo ipso explicari possit; de posteriori tamen praecipue intelligendum esse demonstrat, quod reserata iam hypothesi, narrandi finem faciens, addit apud veterem interpretem in fine capitis 8. *Et Ptolemaeus quidem ita.* Quae quidem etsi in hodierno Epiphanii textu graeco desiderentur, credere satius est ab hoc omissa, quam ab interprete contra graeci codicis, quem prae oculis habebat, fidem addita. Sic intellexit Tertullianus, nec ad alium quam ad Ptolemaeum pertinere

1) Epiph. Haer. XXXI, §. 1. et Haer. XXXIII, §. 1. 2) Iren. Praef. lib. I.

priora Irenaei capita censuit. Explicatis enim ex Irenaei mente, et iis dem paene verbis, triginta Aeonibus, hos subinde vocat *familiam Ptolemaei.* Et postea cap. 12. Iesum ex Aeonum omnium symbolis concretum appellat, *Miscellaneam Ptolemaei.* Et cap. 19. quum spiritalem Achamothae conceptum descripsisset: *Hoc est,* inquit, *mulum de asino pingere, et Ptolemaeum describere de Valentino.* Sic totum illud valentinianum systema, quod initio libri primi exposuit Irenaeus, ad Ptolemaeum ille semper retulit. Unde inferendum, eos quorum sententiam describit Irenaeus cap. 12. his quae apud veterem interpretem leguntur verbis: *Hi vero qui sunt circa Ptolemaeum scientiores, duas coniuges habere eum Bython dicant etc.* Ptolemaei discipulos quosdam esse a magistri doctrina degeneres, non Ptolemaeum ipsum, cuius placita, eaque diversa, iam retulerat: minusque recte fecisse Epiphanium, qui, quae plurali numero expresserat Irenaeus, in singularem converterit, et quae ille de discipulis tantum scripserat, ad hos et ad magistrum ex aequo, immo ad istum praecipue detorserit: *ὁ Πτολεμαῖος, καὶ οἱ σὺν αὐτῷ, ἔτι ἐμπειρότερος ἡμῖν τοῦ ἑαυτῶν διδασκάλου, δύο συζύγους τῷ Θεῷ, παρ' αὐτοῖς Βυθῷ καλουμένῳ, ἐπενόησέ τε καὶ ἐχαρίσατο.* Longe melius Irenaei mentem accepit Tertullianus, qui, quae hoc cap. 12. narrat Irenaeus, in *emendatores Ptolemaei* confert. *Exstiterunt enim,* ait cap. 33. *de schola ipsius, discipuli super magistrum, qui duplex coniugium Bytho suo adfingerent etc.* Hoc vero duntaxat a magistro discrepabant discipuli, quod ille unam coniugem, Ennoeam nempe seu cogitationem, isti duplicem, cogitationem et voluntatem Bytho suo tribuerent: ita ut utriusque ex aequo suffragante opera Nun et Aletheian produxerit Bythus, respondente Nu voluntati, Aletheia cogitationi: quum e contrario vellet Ptolemaeus, Bythum per unam cogitationem emisisse Nun et Aletheian. Quae quidem discipulorum sententia rationi magis consentanea videbatur. Quum enim utrique in eo consentirent, quod Aeonum coniuges meras eorum affectiones esse assererent, ut superius probavimus; aequius videbatur cogitationem simul et voluntatem, affectiones a Bytho indistinctas, in productionem Nu et Alethiae influere, quam cogitationem tantum, omissa voluntate. Cetera nihil dissidebant discipuli a magistro. Hic vero paullo aliter atque Valentinus de *Termino,* Christo et Spiritu sancto, ac Iesu sentiebat. Sed utriusque sententiam supra de Valentino agentes exposuimus, ubi quum in explicandam enucleatius Ptolemaei hypothesin diutius incubuerimus, nihil hic dicendum superest. Scripsit is epistolam ad mulierculam quandam, nomine Floram, quam descripsit Epiphanius, in qua legem mosaicam, seu Pentateuchum, a supremo Deo et Patre sancitam negat, sed trifariam distribuendam esse censet. *Quaedam enim,* inquit, *ad ipsum Deum* (mundi conditorem) *eiusque sanctiones pertinent: alia autem Mosi tribuenda sunt, non quidem quatenus aliquid a Deo illius interventu decretum est, sed quatenus per se ac suapte sponte nonnulla constituit: aliorum denique seniores, qui in populo erant, auctores exstiterunt, ac primi illi privata quaedam praecepta inserere sunt ausi.* Sic veterator ille, Valentini aliorumque Gnosticorum principiis inhaerens, qui summum Deum velut otio torpentem sibi fingebant, qui deposita mundi regiminis sollicitudine, eius curam omnem angelis crederet. Ex quo sequebatur veterem legem nihil ad eum pertinere. Sed de his supra.

V. DE COLORBASO.

84. Ptolemaicis illis apud Irenaeum succedit, Marcoque praeit Colorbasus. Quamvis enim huius nomen sileat, ad ipsum tamen pertinere, quae cap. 12. n. 3. refert placita eorum *qui prudentiores illorum* (Ptolemaicorum scilicet) putantur esse, patet ex Epiphanio Haer. xxxv. unde concludere licet, Colorbasum Ptolemaei discipulum fuisse; an vero et Marci? paullo maior difficultas. Id quidem asserit Epiphanius, scribens Colorbasum a Marci praestigiis ineptias suas corrogasse, fuisseque ei primum cum Marco societatem et dogmatum consensionem; postea velut caput a serpentis corpore divulsum, plurimis exitio fuisse. Idemque colligitur ex Augustino et Damasceno lib. de Haeres. ac Theodoreto lib. I. cap. 12. Sed vereor, ut Epiphanius primum deceptus, alios demum in errorem secum abduxerit. Nam Irenaeus, cui potior fides, Colorbasum non Marci, sed Ptolemaei auditorem facit, ut mox videbamus, et Valentini discipulos ordine recensens Colorbaso Marcum postponit. Immo cap. 14. Marci hypothesin expositurus, remque a capite repetens, satis perspicuis, ni fallor, verbis significat, huic Colorbasum viae ducem fuisse. Ait enim, *Marcum vulvam et susceptorium Colorbasi Silentii semetipsum solum fuisse, dixisse:* οὕτως *Μάρκος μήτραν καὶ ἐκδοχεῖον τῆς Κολορβάσου Σιγῆς* (sic legendum) *εἰσηγήσατο αὐτὸν μονώτατον γεγονέναι λέγων.* Marcus autem vulva et susceptorium Colorbasi Silentii dici non potuisset, nisi a Colorbaso mysteria Valentinianorum Siges edoctus fuisset, quae in eo tamquam in vulva formam et incrementum accipientia, inde in lucem emitterentur. Nec omittendum quod idem Irenaeus recensita iam Colorbasi et discipulorum eius haeresi, ad Marcum sermonem convertens subdit: *alius vero quidam ex iis, qui sunt apud eos, magistri emendatorem se esse glorians, Marcus est autem illi nomen etc.* Ad alios certe spectare posse non videntur ea verba, *ex iis qui sunt apud eos,* quam ad illos, de quibus mox dixerat, *multa autem pugna apud eos etiam de Salvatore,* Colorbasaeos scilicet. Et quis ille magister, cuius emendatorem se esse gloriabatur Marcus, nisi Colorbasus, de quo mox sermonem fecerat? Neque enim haec ad Ptolemaeum referri possunt, cuius haeresin longe antea descripsit, et inter quem ac Marcum plures alios scholae valentinianae duces interserit. Non aliter Irenaeum, quod ad Colorbasum attinet, intellexit Tertullianus, *adv. Valent.* cap. 4. Ait enim, *Valentinum, cuiusdam veteris opinionis semen nactum, Colorbaso viam delineasse; eam postmodum Ptolemaeum intrasse; deduxisse demum Heracleonem inde tramites quosdam, et Secundum et magum Marcum.* Viam scilicet Colorbaso affirmat delineasse Valentinum, ut scite observat Dodwellus [1]); viam eandem intrasse Ptolemaeum; ex eadem illa via tramitem deduxisse Marcum; viae scilicet allegoria ubique continuata. Ubi licet Colorbasum Ptolemaeo ac Secundo priorem facere videatur; in quo lapsum eum puto, et ab Irenaeo recessisse; in eo tamen huic assentitur, quod Marcum Colorbaso posteriorem innuat. Nec moror, quod in lib. *de Praescript* cap. 50. ille huic praeponatur. Nam catalogum illum haereticorum, qui ad calcem libri *de Praescript.* legitur, genuinum Tertulliani fetum non esse consentiunt eruditi.

1) Dodwell. Diss. IV. in Iren. §. 19.

85. Longe aliter atque ceteri Valentiniani primam ogdoada explicabat Colorbasus. Illi enim primos octo Aeones gradatim alterum ab altero sic emissum volebant, ut posteriorem tetrada a priori penitus separatam et inferioris naturae esse sentirent. Hic vero primam ogdoada non gradatim, seu *καθ' ὑπόβασιν*, sed simul et in unum, *ὁμοῦ καὶ εἰς ἅπαξ*, emissam esse censebat: adeo ut non multi Aeones, sed unus et idem esset, qui pro variis operationibus et proprietatibus varia sortiretur nomina et appellationes, Patris videlicet, quum aliquid emittere cogitavit; Veritatis, *ubi ea quae emisit vera fuerunt;* Hominis, *quum voluit semetipsum ostendere etc.* Hominem etiam et Ecclesiam non a Logo et Zoë, cum aliis Valentinianis, sed potius Logon et Zoën ab Homine et Ecclesia produci cum veteribus Gnosticis asserebat. De Salvatore autem non una erat, sed multiplex apud Colorbasaeos sententia. Quidam ex Aeonum omnium symbolis conflatum esse dicebant, et ea ratione *εὐδοκητὸν* in Evangelio dici putabant, dum nimirum Pater Filium compellans ait: *οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητός, ἐν ᾧ εὐδόκησα, Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui:* quod videlicet universo pleromati Patris gloriam per eum illustrare placuerit. Alii eum ex solis decem Aeonibus, quos Verbum et Vita in lucem extulerunt, productum fuisse tradebant: ut sic explicarent, cur interdum in evangelio Verbum et Vita vocetur; quod scilicet avita nomina retineat. Alii eum Christi et Spiritus sancti, qui fulciendi pleromatis caussa producti sunt, sobolem esse malebant; et eapropter Christum patrio nomine appellari. Alii eum ex duodecim illis Aeonibus, qui ex Homine et Ecclesia exstiterunt, ortum esse contendebant: hincque fieri, ut ipsemet sese Filium hominis confiteatur, tamquam hominis nepotem. Quamquam, ait Tertullianus cap. ult. *adv. Valent.* post Irenaeum, *sunt qui Filium hominis alibunde conceperint dicendum,* quod nimirum supremus Pater quandoque hominis vocabulo nuncuparetur, quum videlicet se ipsum hominibus manifestum faceret. Praeter eos errores, quos Colorbasaeis tribuunt Irenaeus, Tertullianus et Epiphanius, addit Augustinus lib. de Haeres. quod vitam omnium hominum et generationem in septem sideribus, septem scilicet planetis, consistere affirmaverit Colorbasus. Quod e Platonicorum lacunis hauserat. Nam ii animam animalem ex circuitu caelestium mundorum nobis advenire dicebant, et eorundem motibus fatali necessitate constrictam obtemperare, ut superius ex Iamblicho probavimus.

VI. DE MARCO MAGO.

86. E Colorbasi schola prodiit Marcus, pro more veteratorum illorum magistri deliria novis ineptiis cumulaturus. E Basilidis Gnostici stirpe descendisse scribit Hieronymus [1]); quod si verum, avitae impietatis non degener fuit soboles. Famosissimus fuit apud Valentinianos, nullique illius scholae ducum, ne quidem ipsi Ptolemaco, tum loquacitate, tum discipulorum numero secundus, immo mille nocendi artibus superior. Et eapropter utriusque haeresin, vafritiem ac scelera speciali cura ac fusiori stilo descripsit Irenaeus. Qui dum Marci errores ac vitia confutat ac prodit, supponere videtur adhuc in vivis superstitem manere.

1) Hieron. Ep. 53. al. 29. To. IV.

Scribebat porro s. doctor sub Eleutherii pontificatu, annis plus minus post Christum natum 180. Quum vero iam longe lateque propagata esset Marcosiorum secta, in ipsumque etiam Occidentem invasisset, nec id nisi plurium annorum spatio fieri potuisset; non male coniecerit quisquis huius initia ad annum circiter 160. immo paullo citius ad extrema Valentini vitae tempora retulerit. Magicarum praestigiarum peritissimus quum esset Marcus, pro more Gnosticorum omnium, qui tetrum illud scientiae genus a Platonicis magistris suis acceperant, quibus sub specioso Theurgiae nomine maxime familiare ac summo in honore fuit, ut apud Porphyrium, Iamblichum et alios videre est; mirum, quot viros et mulieres in fraudem induxerit, et ad se converterit, velut ad hominem singulari quadam scientia ac potestate praeditum. Parum esset, si mulierum mentibus duntaxat, non etiam corporibus insidias struxisset ille perditus. Daemonem quendam habuisse paredrum seu assessorem suspicatur Irenaeus, cuius opera tum ipse vaticinia quaedam edere videretur, tum etiam efficeret, ut misere seductae mulieres vaticinarentur. Potissimum enim circa mulieres studium et operam impendebat, eas praesertim, quae eleganter cultae opibus abundabant. Nefarias hominis artes, praestigias, horrendasque verborum formulas, quibus simpliciores ad insaniam, eandemque secum blasphemiam adigebat, fuse describit Irenaeus cap. 13 et seqq. Sed illud non omittendum sceleris genus, quod nedum sacerdotium, nulla accepta secundum ecclesiae leges manuum impositione, sibi arrogaret, sed et mulieribus in prostitutae pudicitiae pretium per summum nefas committeret. Nempe quum probe conscii essent ipsi etiam perditissimi quique eorum temporum haeretici, nullam sine vero sacrificio christianam societatem esse posse, id utcunque adumbrare studebat Marcus. Nam pocula vino (albo procul dubio) mixta consecrare se fingens, prolatis solemnibus invocationis verbis, efficiebat, ut rubicunda et purpurea apparerent: ut sic existimaretur superna Gratia sanguinem suum per ipsius invocationem in poculum illud stillare. Quod et a mulieribus factitari postmodum iubebat. Ubi facile adverterit quisquis tantisper anticipatis Calvinianorum et Lutheranorum opinionibus animum exuere voluerit, tam alte tunc temporis eorum qui christianum nomen, etiam specie tenus, profitebantur, animis illud insedisse, sacra dona consecratione facta in verum Christi corpus et sanguinem converti, eo conversionis genere, quae nunc transsubstantiatio dicitur, ut ii qui legitima auctoritate ac potestate destituti vinum in Christi sanguinem, invisibili, vera tamen ratione convertere se non posse probe sciebant, praestigiis uterentur, ut id operari se persuaderent. Age, quaeso, fac Marcum et eius asseclas in eucharistia nihil aliud agnovisse quam meram Christi corporis et sanguinis figuram, eadem semper perseverante substantia panis et vini post consecrationem; quid tam operose studuisset vinum album in rubrum colorem commutare, sanguinemque desuper stillantem exhibere et praedicare, nisi Christianorum omnium ea tunc fuisset sententia, vinum consecratione facta non manere, sed in verum sanguinem converti? Facinus hactenus in coetibus ecclesiasticis inauditum exhorruissent quique, nec fuisset qui eo liquore, qui sanguinem retulisset, quemque verum esse sanguinem iactasset impostor, labia cruentare non refugisset: quum tamen ex Irenaeo constet, nullum fuisse, qui ex eo

gustare non gestiret. Adeo infixa erat omnium Christianorum animis ea sententia, eucharistiam verum Christi corpus et sanguinem esse. Alio praestigiarum genere fucum suis faciebat magus. Nam post sacrilegam a mulieribus attentatam consecrationem, ipse aliud poculum longe maius eo, quod a muliercula seducta consecratum fuerat, proferens, atque ex minore illo, a muliere consecrato, in id quod a se allatum erat transfundens, praemissis ridiculis quibusdam verbis, efficiebat, ut magnum poculum ex parvo usque adeo impleretur, ut etiam superflueret.

87. His ac similibus dolis Marcus eiusque discipuli, iisdem veteratoriis artibus eruditi, orbem circumeuntes, foeda vitiorum et errorum colluvie hunc infecerunt. Ab Asia malum coepisse videtur: diaconus enim ille, cuius uxorem, hospitalem hominis beneficentiam remuneraturus Marcus constupravit, Asianus erat. Inde in occiduas partes diffusum, Rhodanenses regiones subiit. A Marci discipulis potius, quam ab ipso magistro huc illatum fuisse, ex Irenaei verbis concludi posse videtur. Mirum igitur Hieronymum, tum in cap. 64. Esaiae, tum epistola iam citata confidenter scripsisse, quasi ex Irenaeo: *quod Marcus quidam de Basilidis Gnostici stirpe descendens, primum ad Gallias venerit: et eas partes per quas Rhodanus et Garumna fluunt, sua doctrina maculaverit: maximeque nobiles feminas, quaedam in occulto mysteria repromittens, hoc errore seduxerit, magicis artibus et secreta corporum voluptate amorem sui concilians: inde Pyrenaeum transiens Hispanias occuparit, et hoc studio habuerit, ut divitum domus, et in ipsis feminas maxime appeteret, quae ducuntur rariis desideriis, semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes. Hoc ille* (Irenaeus) *scripsit ante annos circiter trecentos; et scripsit in his libris, quos adversus omnes haereses doctissimo et eloquentissimo sermone composuit.* Quamvis, ut dixi, id Irenaeus Marci discipulis adscribat, *quod in Gallias venerint, et eas partes per quas Rhodanus et Garumna fluunt, sua doctrina maculaverint;* nolim tamen cum Hieronymo, qui illud ipsi Marco tribuit, proterve contendere, ratus videlicet alterum cum altero facile conciliari posse. At quod Marcus Pyrenaeum transiens Hispanias occuparit, tantum abest *scripsisse Irenaeum in his libris quos adversus omnes haereses composuit,* ut ne quidem cogitare potuerit. Fuisse quidem Marcum quendam, qui Gnosticorum errores in Hispaniis disseminaverit, diserte scribunt Sulpitius Severus lib. II. Hist. sacr. cap. 60. et Isidorus Hispalensis lib. de Script. Eccles. Sed eum e Memphi in Aegypto oriundum, secta Manichaeum, ac saeculis duobus Marco mago recentiorem fuisse, ex iisdem patet. Addunt enim, Marcum Memphitanum, quum in Hispanias advenisset, discipulos habuisse mulierem quandam, Agapen nomine, et Elpidium rhetorem, a quibus institutus fuit Priscillianus, qui a concilio Caesaraugustano anno 380. cum Elpidio magistro damnatus fuit, et anno 385. Treviris iussu Maximi tyranni capite truncatus. Vel ergo memoria lapsus Hieronymus, vel homonymia deceptus Marcum Memphitanum cum mago confudit.

88. Longum esset, immo supervacaneum singulas praestigiatoris huius ineptias recensere. Nihil quippe, aut parum a ceteris Valentinianis dissidebat, nisi quod ut nugis pretium adderet impervia quaedam obscuritas, quae alii planius et simplicius tradebant, hic pythagorica me-

thodo usus, allegorica elementorum, litterarum, syllabarum et numerorum farragine, fictitiis pleromatis mysteriis caliginem offundere satagebat. Nempe totum pleroma instar nominis cuiusdam; tetradas, decada et ogdoada, instar totidem syllabarum; Aeones vero singulos instar singularum litterarum, ex quibus mysticum pleromatis nomen coalesceret, exhibebat. Litteras vero viginti quatuor Graecorum, velut *ἀποῤῥοίας, effluvia* quaedam esse contendebat, tres eas virtutes, quibus universus superorum elementorum numerus continetur, adumbrantia. Sic mutas novem litteras, Patris et Veritatis imagines esse dicebat: quod videlicet muti ipsi sint, hoc est, eiusmodi, qui nullis verbis exprimi possint: semivocales autem, quae octo sunt, Verbi et Vitae; quod inter vocales et consonantes velut mediae interiectae sint, atque, ut a superioribus defluant, ita vicissim inferiora ad eas referantur: vocales porro, quae ipsae quoque septem sunt, Hominis et Ecclesiae; quando quidem vox per Hominem progressa, omnia informavit. Fuit itaque haec Marci sententia, singulos Aeones in pleromate peculiares suos habuisse characteres et sonos, ad quorum imaginem litterae Graecorum expressae sint.

89. De Iesu Christo eadem paene, ac ceteri Valentiniani, effutiebat, eum scilicet a rerum omnium parente, Verbi opera electum, ut ipsum hominibus notum faceret, ad supernae virtutis imaginem dispensatum fuisse: quamobrem ab iis virtutibus, quae a Verbo et Vita, Homine et Ecclesia profluxerant, productum fuisse, ad id tamen operam suam conferentibus et quatuor illis supremis virtutibus, non quidem immediate et per se ipsas, sed per angelum Gabrielem, qui Verbi; Spiritum sanctum, qui Vitae; Altissimi virtutem, quae Hominis; virginem denique, quae ecclesiae locum suppleret. Sic autem a Maria in lucem editum fuisse, ut per uterum eius, ceu aqua per tubum transiens, nihil ex ea sumserit. In eum vero, quum ad aquam venisset, columbae instar descendisse supernum Salvatorem, qui quum Aeonum omnium fetus esset, omnium in se virtutem complectebatur: hunc que esse qui per os Iesu verba fecerit, seque Filium hominis confessus fuerit, quod supernum Hominem patrem haberet.

90. Mitto quas de mundi huius adspectabilis ortu nugas venditabant. Hunc ad imaginem supernorum sic conditum volebant, ut in singulis fere partibus pleroma referret. Platonicum id dogma fuisse a nugatoribus istis recoctum superius ostendimus. Ut autem confirmandis, si superis placet, tot et tantis emotae mentis deliramentis sacrarum Scripturarum auctoritas non deesset, stupendum quantas admoverent machinas, ut eas tam impie quam ridicule discerperent, consuerent et obtorto collo in alienos ineptosque sensus traherent. Parum fuisset, nisi innumeras propemodum finxissent apocryphas spuriasque scripturas, quibus fucum facerent imperitis. Quos libros supposuissent, Irenaeo nostro sigillatim edisserere non placuit. Id tantum constat, ridiculam illam, quam de Christo puero fabellam enarrant cap. 20. occurrere in pseudo-evangelio infantiae Christi, quod arabice cum latina interpretatione edidit Henricus Sikius, et in aliis quibusdam eiusdem furfuris scriptis, quorum meminimus in notis ad hunc locum.

91. Quibus sacrilegiis venerandum eucharistiae mysterium, et ordinationis sacramentum contaminassent, ac funditus evertissent, iam vidimus. Mirum, si aliis sacramentis pepercisset impietas. Baptismo profanum

quoddam et a Satana suggestum initiationis genus, ad sacri illius lavacri, per quod ad Deum regeneramur, eversionem, totiusque adeo fidei abiectionem, substituerant. Redemtionem vocabant illi, hancque iis, qui perfectam γνῶσιν consecuti fuerant, necessariam esse dicebant, ut in virtutem, quae super omnia eminet, regenerarentur. Aliter enim fieri non posse, ut cuiquam aditus ad pleroma pateret: quippe quum ea esset, quae usque ad intimum Bythi sinum eos eveheret. Eam porro redemtionem, vulgarem Christianorum baptismum infinito superare intervallo non pudebat asserere. Hic siquidem animalis, illa spiritalis: hic a conspicuo Iesu institutus, illa ab eo qui in eum descendit, *Salvatore:* hic ad poenitentiam annuntiatus, nec eo, quem conferebat Ioannes, virtute superior; illa consequendae perfectionis caussa desuper allata. Haec inter Marcosios conveniebant. At vero de redemtionis modo dissentiebant: *quoniam,* inquit Irenaeus [1]), *unusquisque illorum, quemadmodum ipsi volunt, tradunt eam. Quanti enim sunt huiusmodi sententiae mystici antistites, tot sunt et redemtiones.*

92. Alii apparato nuptiali cubiculo, mysticis quibusdam ritibus, profanisque verborum formulis initiandos suos consecrabant. Hae spiritales ipsorum nuptiae, ad supernorum coniugiorum similitudinem. Alii baptismi caeremonias adumbrabant. Nam ad aquam ducentes eos, inter baptizandum haec verba proferebant: *In nomen incogniti Patris omnium; in Veritatem matrem omnium: in descendentem in Iesum, ad unitionem et redemtionem et communionem virtutum.* Alii ut terrorem miseris incuterent, insulsam et sensu vacuam grandiorum hebraicarum vocum congestum efferebant. Tum Catholicorum unctiones aemulati, initiatos suos opobalsamo ungebant, Quidam spreto aquae baptismo, oleum et aquam una permiscebant, ac in eorum, quos initiabant, caput iniiciebant, verba quaedam ab iis quae diximus haud dissimilia proferentes. Atque ipsi quoque balsamum adhibebant. Alii haec omnia improbantes et repudiantes, divina mysteria, quae nec sensibus, nec mente percipi possunt, per res sensiles et corporeas peragenda esse negabant. Perfectamque redemtionem spiritalem esse, non corporalem, et in ineffabilis magnitudinis agnitione positam esse censebant. Ex his specialem quandam haereticorum sectam fecit Theodoretus [2]), quam Ascodrutarum, seu Ascodrupitarum vocat; a quibus et apud quos nullum celebrari baptismatis mysterium asserit. An iidem sint cum Ascodrobis, quibus Ancyram Galatiae suo tempore infestari, alibi vero terrarum ignorari scribebat Hieronymus in epist. ad Galat. affirmare non ausim.

93. Alii denique redemtionem in vitae finem reiiciebant. Quum quis igitur ex hac vita excessurus erat, huius capiti oleum et aquam iniicientes, ridiculis ceterorum Marcosiorum adhibitis invocationibus, insuper iubebant, ut quum ad principatus, ac potestates, et Demiurgum venisset, certis quibusdam verbis, quae refert Irenaeus, eos compellaret, quibus manus eorum effugeret. Nec illorum nomen expressit Irenaeus. Sed ex Epiphanio [3]) discimus, Heracleonitas fuisse, ab Heracleone sic dictos. Hunc Colorbaso successisse putat: Tertullianus vero Colorbasum

1) Iren. lib. I. cap. 21. n. 1. 2) Theod. lib. I. c. 9. et 10. 3) Epiph. Haer. XXXVI.

inter et Heracleonem interserit Ptolemaeum. Ex Irenaeo colligi posse videtur Marci discipulum fuisse: quum illius placita inter varia Marcosiorum dogmata referat. Augustinus, cui consentire videtur et Damascenus, utriusque, Marci videlicet et Colorbasi, discipulum fuisse putat. Ex Origene [1]), Valentini discipulus dictus est: ex Clemente Alexandrino [2]), maxima illius in Valentini schola fuit existimatio. Sed haec omnia nullam certam temporum notam designant: et ut ex posterioribus inferatur Heracleonem Valentini dogmata amplexum fuisse, ipsi tamen Valentino coaevum exstitisse concludi posse non puto. Quare malim illius aetatem in incerto relinquere, quam quidquam temere definire. Scripserat Heracleon Commentarios, saltem in Ioannis evangelium. Nam Origenes in suis plures illius diversorum locorum expositiones refert et confutat. Quin etiam merito redarguit, quod his Ioannis verbis, *χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν, sine ipso factum est nihil,* impudenter addere ausus fuisset, *τῶν ἐν τῷ κόσμῳ καὶ τῇ κτίσει, eorum quae in mundo sunt et creatione:* ut nimirum hinc cum ceteris Valentinianis conficeret, non omnia per Verbum condita fuisse. Aeonum quidem inferiorum, ac mundi ipsius, interpositu Demiurgi, auctorem esse; at non superiorum quatuor Aeonum. Illos Heracleonis in Ioannis evangelium Commentarios, si non prae oculis, saltem in mente habuisse videtur Photius, ut scite notat cl. Grabius in Spicileg. quando epist. 134. ad Ioannem Proto-spatharium (apud Grabium [3]) male omnino *Aspatharium;* nempe littera *α* hic numeralis est) scripsit: *οὐδὲ γὰρ ἐφ' ὕβρει καὶ διαβολῇ τοῦ νόμου τό, ἡ χάρις δὲ καὶ ἀλήθεια δι' Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐγένετο· τοῖς εὐαγγελικοῖς θεσμοῖς περιήρμοσεν. Ἡρακλέων γὰρ ἂν οὕτως εἶπει, καὶ οἱ παῖδες Ἡρακλέωνος. Non enim in contumeliam et criminationem legis dictum illud:* Gratia autem et veritas per Iesum Christum facta est. *Evangelicis sanctis adaptabatur. Heracleon ita diceret, et Heracleonis filii.* Quibus innuit Heracleonem in suis Commentariis haec evangelii verba in contumeliam legis detorsisse. Aliud etiam Heracleonis fragmentum de martyrio refert Clemens Alexand. loco mox laudato, quod ex aliquibus in Lucam Commentariis exscriptum videtur. Ubi enim praemisit Clemens hunc evangelii Lucae 12. 2. locum: *Quum autem induxerint vos in synagogas etc.* subiungit: *Τοῦτον ἐξηγούμενος τὸν τόπον Ἡρακλέων .... κατὰ λέξιν φησίν etc. Hunc locum exponens Heracleon .... his verbis dicit etc.* In *eclogüis propheticis* ad calcem eiusdem Clementis, occasione horum Ioannis Baptistae verborum, Luc. III. 16. *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni,* citatur altera Heracleonis sententia dicentis, quosdam igne signasse aures eorum, qui baptismatis sigillum acceperant, ita intelligentes illud apostolicum. Tum proxime subnectitur v. 17. *Cuius ventilabrum in manu eius etc.* Quibus firmari videtur eorum coniectura, qui existimant ab Heracleone elucubratos etiam in Lucam commentarios. Ceterum *cum Valentino paria sensisse, sed novitate quadam pronuntiationis voluisse videri alia sentire,* tradit Tertullianus, vel alius quivis cap. 49. lib. *de Praescript.* cui consentiunt Epiphanius et alii omnes. Hoc duntaxat a Ptolemaicis differebat, quod supremum omnium Parentem,

1) Orig. in Ioan. pag. 60. edit. Huet. 2) Clem. Alex. lib. IV. Strom. p. 502.
3) Grab. Spicileg. Patr. et Haer. II. Saec. p. 117.

quem ii Bythum nominabant, ille Hominem appellaret, ut auctor est Epiphanius. Eidem insuper adscribit Origenes [1]), quod animam natura immortalem esse non existimaret, sed corruptibilem. At ea erat communis Valentinianorum omnium de anima animali sententia, quam vel perire vel servari putabant, prout meliora vel deteriora elegisset.

94. Sed ut ad id revertamur, unde digressi sumus, quilibet, etiam tacentibus nobis, perspicit, superius expositas haereticorum redemtiones manasse ab impuris Ethnicorum initiamentis, quae tanti fecere Platonici, tetris magorum artibus prae ceteris mancipati. Ut enim certis quibusdam ritibus ac caeremoniis Gentilium mystae secretiorum quorumque sacrorum participes effecti, perfectionis apicem attigisse censebantur: sic et apud Marcosios qui redemtionis ritibus semel defunctus arcanorum sectae conscius factus fuerat, ad perfectionis culmen evectus existimabatur. Hinc initiationes Ethnicis dictae *τελεταί*, quia perfectionem afferre credebantur: Marcosiis vero *ἀπολυτρώσεις*, quod hominem ab omni mortalitatis faece, et imperfectionum radice ignorantia, liberarent. Easdem suis frequenter inculcabant Platonici, ceu ad animae purgationem apprime necessarias: quatenus religiosis ritibus, ut vocabant, expurgata anima, apta evaderet ad Deos suscipiendos, fatidicaeque eorum potestatis particeps fieret. Legatur Iamblichus Sect. III., v. et x. Sed sicuti ex haereticis aliqui divina mysteria per res sensiles et corporeas peragenda esse negabant: sic etiam ex Platonicis quidam, ut Porphyrius, existimabant usum rerum materialium in sacris haud congruum esse Diis, qui a materia omnino secreti existunt. Id vero sibi de sua redemtione spondebant Marcosii, ut eum perfectionis gradum, perfectissimam videlicet et numeris omnibus absolutam, qua sola stat salus, cognitionem ineffabilis virtutis, quo nequidem Petro et Paulo, aut alii cuivis apostolorum (sic blasphemabant) pervenire fas fuit, assecuti; nec hinc, quamdiu viverent, excidere, nec a quavis mundana potestate post mortem retardari possent, quin destinatas sibi in pleromate sedes statim capesserent. Redemtionis enim beneficio effici, ut, quidquid egissent in hac vita, a iudice nec prehendi, nec conspici possent. Eapropter omnia sibi licere arbitrati, facinorum omnium ac libidinum coeno volutari non erubescebant. Haec erant exitiosi dogmatis necessaria consectaria, ut iam exposuimus. Quod vero barbaris quibusdam vocibus, peregrinisque ac insolitis verborum formulis haeretici suos initiantes uterentur, pythagoricum etiam et platonicum erat. Quid et quantum eiusmodi vocabulis in Gentilium sacris adhibitis tribuerent Pythagorae et Platonis discipuli, notum est ex Porphyrii epistola ad Anebonem et Iamblichi Sect. VII. cap. 4. et 5. ut alios taceam. Ea licet mortalibus ignota, sensu plerumque vacua, et significatione cassa, prae ceteris tamen convenire divinis existimabant: tum quod divinum quid obscuritate sua spirarent, iisque maior inesse vis, emphasis et brevitas censeretur: tum quod in Assyria et Aegypto pridem usurpata, ubi primum Deorum cultus effloruit, hisque maius ac frequentius cum mortalibus intercessit commercium, ea ceteris omnibus antiquiora, Diisque notiora ac familiariora esse viderentur. Quibus iisdem rationibus permoti Marcosii, hebraica, chaldaica et syriaca vocabula aliis omnibus an-

1) Orig. To. XVIII. in Io. p. 255.

teponebant; quod iis, omnium primis et antiquissimis, oracula sua fudisset Deus, eaque soni insolentia incutiendo imperitorum pectoribus terrori aptiora essent.

95. Hactenus recensitis quam accurate fieri potuit, iis quos Irenaeus Valentino tribuit discipulos, ad utrorumque magistros sermo cum eodem conferendus. Nihil quippe efficacius, et merito quidem, ipsi visum est ad Valentinianorum insaniam retundendam, quam ut infamem eorum originem proderet, seu, ut verbis illius utar, *referret* spurcissimum *fontem et radicem eorum, uti intelligeretur arbor, de qua defluxerant tales fructus* [1]). Veros siquidem stirpis suae auctores, Simonem et Menandrum, erubescebant Valentiniani, et tam probrosos magistros omni, quo poterant, conatu repudiabant. Hos tamen germanos eorum parentes exstitisse, vellent, nollent, invicte demonstrabat tum dogmatum consensio, tum continua nec interrupta a Simone ad Valentinum scholarum haereticarum successio, a quibus et in quibus hic quidquid postmodum blateravit, mutuatus est.

ARTICULUS TERTIUS.

DE VALENTINI MAGISTRIS.

I. DE SIMONE MAGO.

96. Simon, *pater omnium haereticorum,* a quo Gnostici *omnes initia sumentes, impia et irreligiosa dogmata induxerunt in hanc vitam,* Gitthis olim oppido, Epiphanii aetate vico Samariae oriundus fuit [2]). Tantum apud populares suos magicis artibus, in quibus aequalem nullum habebat, valuit, ut dementantes, eum pro magna Dei virtute, id est, supremo omnium Patre haberent. A verosimili non abhorret, eum in liberalibus disciplinis, ac platonica praesertim philosophia, quae tum apud Iudaeos inoleverat, non poenitendam operam posuisse. Id suadent tum auctoritas ac dicendi fiducia, quibus ementitam potestatem venditans plebis animos ad se pellexerat, tum ea quae vulgavit dogmata, platonicis haud dissimilia, tum denique magia ipsa quam exercebat, Platonicis eo tempore familiaris, et in laude posita. Itaque platonismum cum Samaritanorum ac Iudaeorum religione miscuisse videtur. Quum vero anno Christi 34. lux evangelii in Samaria coruscare coepisset, veraque Philippi Diaconi miracula Simonis praestigias discutere; errore deposito Samaritae Christo nomen dedere. Stupens et ipse Simon dedit, sed non ex animo. Quam enim in apostolis suspiciebat eximiam patrandi miracula virtutem, praesenti pecunia mercari volens, a Petro pro merito increpatus, ad vomitum rediit canis impurus, artemque magicam studiosius quam antea colere coepit. Sic autem christianam fidem abiecit, ut retenta nonnulla eiusdem umbra, hac utendum sibi statuit, ut pro eo quo exaestuabat in apostolos odio ac livore, iis verbum Dei disseminantibus obices, quoscunque posset, obiiceret.

97. Adscita igitur in societatem pristinae platonicae, iudaicaeque

1) Iren. lib. I. c. XXII. n. 2. 2) Iren. lib. III. Praef. Id. lib. II. Praef. Iustin. M. Apol. I. Epiph. Haer. XXI. Theodoret. lib. I. c. 1. Act. VIII. 9. et seqq.

mixturae hac christianitatis larva, relicta Samaria hac illac circumcursare coepit: ut gentes et provincias, ad quas nondum pervenisset evangelium, praeoccuparet, erroribusque suis inficeret. Tyrum Phoeniciae quum devenisset, ibi vile scortum, mulierem quaestuariam, nomine Helenam emit, sibique eam adiunxit, itinerum deinceps ac scelerum sociam; ridicula plura palam de ea fabulatus, turpiora cum ea clam patraturus. Peragratis Orientis provinciis Romam venit sub Claudio Caesare, circiter annum Christi 41. Ibi tantum nomen sibi praestigiis ac imposturis fecit, ut statuam, ceu numini cuidam, ei positam in insula Tiberina, inter duos pontes, ferant, cum latina inscriptione: *Simoni Deo sancto.* Primus enim omnium Iustinus martyr in ea, quae vere prior est, secundum tamen in editis locum tenet, Apologia ad Antoninum Pium id memoravit. In cuius fide idem, sed aliquantulum dubius, asseruisse videtur Irenaeus: *Statua honoratus fuisse dicitur propter magicam,* inquit. At fidenter asseverarunt Tertullianus Apolog. cap. 13. Euseb. lib. II. Hist. cap. 14. Cyrill. Hierosol. Catech. VI. Theodoret. Augustinus, et alii. Non defuere tamen posterioribus hisce saeculis doctissimi viri, qui Iustinum seu latinae linguae imperitia, seu nominis similitudine deceptum putarint: utpote qui statuam Semoni Sanco, vel Sancto, qui Deus erat apud Sabinos, positam, Simoni Mago sacratam fuisse existimaverit. Centum circiter abhinc annis effossa est in insula Tiberina statua cum hac inscriptione, quae ad illam Iustini proxime accedit: *Semoni Deo Sanco* (vel *Sango*) *Deo Fidio sacrum:* adeo ut ea ipsa esse videatur, quam olim in eadem insula viderat Iustinus; cuius eo proclivior lapsus esse potuit, quo veteribus Latinis commutatione litterarum *e* et *i* frequentius nihil exstitit, et Semo ille minorum gentium Deus, Sanctus, Sancus, aut Sangus promiscue diceretur. Quorum doctissimorum virorum rationes expendit clarissimus Tillemontius ὁ μακαρίτης, ac pro ea qua valet eximia eruditione et acri iudicio confutat, in suis in tom II. Commentariorum in Hist. eccles. observationibus, nota 2. in Simonem magum pag. 482. ubi probat vix ac ne vix quidem fieri potuisse, ut tot antiqui patres ea in re lapsi fuerint, quae oculis omnium pateret, quamque Iustinus, dum Romae ageret, et Apologiam conscriberet, non semel aut bis, sed quotiescunque Tiberinos pontes traiecerat, propriis oculis explorare potuerat. Ecquis enim sobrius sibi persuadeat, sanctissimum martyrem tam incogitantem atque imprudentem fuisse, ut in ipsa urbe Roma scribens ad Imperatores, ea confidenter, nondum satis explorata veritate, bis in eadem Apologia asseverare ausus fuerit, quorum falsitatem vel ipsi pueri, scriptorem temerarium arguentes, deprehendere potuissent? Tam immanem hallucinationem vix ferat quisque in scriptore longa terrarum intercapedine ab ipsa statua dissito: quanto minus in eo qui in ipsa urbe Roma, et ut ita dicam, ad ipsius statuae pedes scripserit. Sed ne actum agamus, consule citatum eruditissimi Tillemontii locum. Nec iis contentus impurus homo, se ipsum sub Iovis, Helenam vero suam sub Minervae habitu effingi curavit: et utramque imaginem discipulis colendam tradidit.

98. Vulgata apud veteres opinio est, apostolorum principem Romam venisse anno Christi 42. ut magi fraudes ac malas artes discuteret: quumque hunc fama iam desereret, collectis viribus enixum esse mirabilem Christi ascensum in caelos aemulari; sed ei tam male cessisse vo-

latum, ut divina virtute apostolorum precibus sollicitata praeceps actus, fractis cruribus misere postea interierit, eo anno qui Petri et Pauli martyrium proxime antecesserit, id est Christi 65. Haec omnia strictim attingo: obvia siquidem sunt et omnibus nota. Plures edidisse fertur seu libros, seu sermones. Quasdam ex altero eorum blasphemias recitat Hieronymus in Matth. cap. 24. Alios memorat auctor libri de Divin. Nom. cap. 6. quorum titulus, *ἀντιῤῥητικοί, Contradictorii.* Si Constitutionibus apostolicis fides, lib. VI. cap. 8. Simon eiusque socius Cleobius plures Christo eiusque discipulis libros supponere ausi fuerant. Ex discipulorum officina prodierat evangelium, quod librum de quatuor mundi angulis inscripserant (quia in quatuor partes sectus erat), ut et apocryphus liber, de praedicatione sancti Pauli.

99. Quod ad Simonis errores spectat, superius de Valentino agentes ostendimus, cum primae Valentinianorum ogdoadis auctorem et inventorem fuisse, Nempe, Theodoreto teste, infinitam quandam statuit potestatem, quam et radicem universorum appellavit; Bythus est, cui et *ἔννοιαν* copulabat. Istam vero duplicem esse fingebat, alteram primam, quam Matrem omnium appellabat, quamque in Helena sua conspicuam esse dicebat: alteram quam cum *φωνῇ, Voce,* coniugabat. Eam autem infinitam potestatem Ignem esse dicebat, id est, virtutem maxime actuosam, cuius duplex foret operatio, altera conspicua, altera latens. Ex illa quidem genitum esse mundum: ex hac vero productas primum esse tres coniugationes, quas etiam radices nominavit; quarum primam appellavit *νοῦν καὶ ἐπίνοιαν, Mentem et Notionem;* secundam *φωνὴν καὶ ἔννοιαν, Vocem et Intelligentiam;* tertiam *λογισμὸν καὶ ἐνθύμησιν; Rationem et Cogitationem.* In hac ogdoade Valentinianam quisque deprehendit. Nomina quidem apud Theodoretum, quem hic exscribimus, aliquantulum dissimilia; at apud Eliam Cretensem et Nicetam supra laudatos, eadem prorsus: adeo ut constare videatur *πολυώνυμον* fuisse, ac modo his, modo illis nominibus a Simonis discipulis significatam. Sed rem eandem utrobique exstitisse demonstrat veterum consensus, ac in primis Irenaei, ut alibi diximus. De his ergo Simonianis Aeonibus idem sentiendum, quod de prioribus octo Valentinianis. Utrique e Platonicorum lacunis educti, christiano amictu utcunque induti haereticorum illorum arte prodierunt.

100. Se ipsum porro Simon *esse sublimissimam Dei virtutem, hoc est, eum qui sit super omnia Pater* [1]), blasphemabat. Summa hic fuerit veteratoris dementia et impudentia, eo tamen usque insaniisse non putem, ut semetipsum re, essentia ac natura supremum esse Patrem crederet iactaretve. Id de se ipso sensisse videtur, quod de Helena sua, quam primam mentis suae *conceptionem* aiebat esse, per quam angelos et archangelos fecisset. At, auctore Theodoreto, hunc mundum, cuius prima et nobilior pars angeli erant, conditum asserebat per eam supremae virtutis operationem, quae conspicua esset, vel, ut loquitur Irenaeus, per Ennoiam quae *exsilüsset* ex summo Patre, *et ad inferiora digressa fuisset,* id est, quae se ipsam exterius prodidisset. Quemadmodum igitur Helenam primam summi Patris Ennoiam esse censebat, non re et

1) Iren. loc. cit.

natura, sed operatione duntaxat; sic se ipsum supremum esse Patrem non aliter existimare potuit, quam ἐνεργείᾳ et efficientia tenus, non substantia, aut unione personali (id enim unitionis genus nunquam agnovit): quatenus eum prae ceteris mortalibus elegisset Pater, in quo inhabitaret, in quem divinitatis suae radiationem quandam, non solidam, aut substantivam, sed transeuntem derivaret, et per quem velut per instrumentum sibi moraliter coniunctum operaretur. Uno verbo id de se opinatus est, quod discipuli eius de Christo, quem etiam se esse dicebat. Constat vero eos, Christum non alia ratione Deum esse, censuisse, quam, sicuti postea delirarunt Noetus, Sabellius et Paulus Samosatenus, efficientia duntaxat et operatione, non substantia aut unione substantiva [1]). Accedit denique quod Menander Simonis discipulus, qui verbis, non re a magistro dissidebat, primam se virtutem non nominaret; ignotam enim eam aiebat esse: sed ab illa se missum iactitans, Servatorem se ipsum appellaret. Quidquid ergo discriminis inter utrumque fingi potest, eo redit, ut alter paullo modestior se ipsum Servatorem diceret, quod a prima virtute ad hominum salutem missus esset: alter impudenter se ipsum primam esse virtutem blateraret, quatenus ista per eum operaretur, eo operationis genere quod externum et conspicuum esset; non eo quod latens, et per quod Aeones produxerat. Hinc Iudaeis quidem, qui Messiam exspectabant (quem Dei Filium esse ab apostolis didicerat), tanquam Filium apparuisse se iactitabat; ad Samaritanos vero, quorum obscurior de Messia fides erat, tanquam Patrem descendisse; ad alias denique gentes, quas Spiritus sancti virtute cooptandas in ecclesiam noverat, tanquam Spiritum sanctum advenisse: ac denique, ut ait Irenaeus, *sustinere vocari se quodcunque eum vocant homines:* hoc est, pro diversis quas edidit primae virtutis operationibus, diversis etiam diversarum gentium affectibus, diversa sibi nomina tribui sivisse, Patris, Filii et Spiritus sancti, immo etiam quandoque Iovis: nam et sub hoc schemate statuas et imagines, quas adorarent, ei posuerant discipuli. Ex quibus certissime colligitur Patrem, Filium et Spiritum S. tres, ex eius sententia, subsistentes personas non fuisse, sed tria duntaxat unius personae nomina et officia.

101. Helenam suam (quam interdum etiam Spiritum sanctum appellabat) dicebat *esse primam mentis suae conceptionem, Matrem omnium, per quam initio mente conceperit angelos facere et archangelos. Hanc vero Ennoiam,* seu conceptionem, *exsilientem ex eo, cognoscentem quae vult Pater eius, digredi ad inferiora, et generare angelos et potestates,* quibus tamen nulla Patris indita notitia. Ab istis *mundum hunc factum dixit* [2]). In Ennoia illa, omnium matre, per quam initio mente concepti angeli et archangeli, Platonis mundus idealis se ipsum manifeste prodit; mundus scilicet idearum omnium, formarum et archetyporum apotheca, ad quorum normam et exemplar conditi primum angeli et archangeli mundum hunc adspectabilem, ex supernarum idearum praescripto, fecerunt. Primus enim e Christianis Simon summum Deum mundi huius creatione, regimine et administratione abdicandum ratus, creatorem ab eo cum Platonicis distinxit, ne mala quibus labefactatur orbis in primum

1) Iren. n. 5. Theod. c. II. Epiph. Haer. XXII. §. 1. 2) Iren. l. l.

Deum summe bonum refunderentur; qui quum insuper ignotus semper manserit, nec ullo visibili signo se ipsum usquam manifestaverit, nullas in mundi fabricatione et administratione partes habere potuit. Cetera quae impostor addebat de Ennoia per invidiam detenta ab angelis, et inique habita, ne recurreret ad Patrem, ac in varia corpora tum humana, tum belluina revoluta, donec in fornice publice prostantis misertus Simon, ovem hanc perditam liberaturus venisset, hominibus simul salutem praestiturus per agnitionem suam, mundumque ab angelorum, de principatu ambitiose contendentium, tyrannide vindicaturus et emendaturus; haec, inquam, omnia christianismum olent, sed fabulis misere deformatum. Angelorum et hominum lapsum sub his symbolis adumbrare voluit. Priores superbiae typho excaecati, Deoque auctori suo subesse renuentes, *quoniam nollent progenies alterius cuiusdam putari esse,* ipsius Ennoiam, ne recurreret ad suum principium, detinuere: dum videlicet quidquid splendoris, potestatis ac perfectionis acceperunt, sibi ipsis inique arrogantes, supremi tantorum beneficiorum auctoris ideam, ne gloria ad eum rediret, in se ipsis primum, tum in hominibus exstinguere conati sunt. His quippe auctores fuerunt, ut Dei imaginem mentibus eorum insculptam, superbia sua foede deformarent; ac paullatim obliterata veri numinis notione, comparati iumentis insipientibus, et belluino vivendi more similes illis facti, in turpissimorum quorumque vitiorum barathrum sese in dies profundius immergentes, contumeliis semper novis afficerent. Haec sunt quae Ennoiae captivitate, calamitatibus miserisque casibus suo modo significabat Simon. Nec dissimile vero est quod ait Tertullianus lib. *de An.* c. 35. pythagoricam metempsychosin, Simoni *hanc fabulam* de Helena in alia atque alia corpora volutata, ex parte saltem *instruxisse*: quum utrumque discipulis eius constiterit; et animas divinae mentis portiones esse, et eas in varia successive corpora detrudi. Eiusdem generis sunt, quae de suo in hunc mundum adventu, ut perditam ovem liberaret, eumque ab angelorum tyrannide vindicatum instauraret, effutiebat. In his inter ipsas commentorum nebulas relucet evangelica doctrina de veri Servatoris adventu: quo vitiis obliterata Dei imago innovata, excitata in animis veri Dei notitia, homines excusso tenebricosarum potestatum iugo in libertatem asserti, omnia denique instaurata, sive quae in caelis, sive quae in terra sunt. Nam eius professione fundamentum christianae religionis, cui consultum aliquatenus volebat, niti animadvertit haeresiarcha. Sic tamen in hunc mundum descendisse se iactabat, ut alienam speciem induens, per quam ementita similitudine angelos et potestates deciperet, ne ab eis teneretur, inter homines homo apparuerit, quum tamen non esset homo, et pati in Iudaea visus fuerit, quum non sit passus. Haec prima Docetarum sectae, cui deinceps nomen dedere tot impuri homines, initia: primus huius auctor hominum omnium perditissimus. Necessaria tamen male susceptae hypotheseos consectaria erant. Si enim, ut supponebat, malorum omnium quae in mundo sunt, auctores angeli, si materiae et corporibus ab iis conditis turpissima inspersa labes; manifestum est eum qui a bono Deo missus est, ut mundi fabricatores debellet, orbemque malis purget, mundanum ac verum corpus adsciscere sibi non potuisse: tum ne malis ipse contaminaretur, tum ne sub angelorum, qui materiae dominantur, imperium concedens, ab iis opprimere-

tur. Necesse erat igitur phantasticum duntaxat et umbratile corpus indueret, quo hominibus, quorum dux et doctor futurus erat, conspiciendum se praeberet, angelisque tutius bellum inferret. Ex quo fluebat, nec vere nasci aut pati potuisse, et, ut recte concludit martyr Ignatius, eucharistiam verum Christi corpus non esse, quum verum nunquam habuerit.

102. Addebat magus, legem non a Deo (invisibilis quippe et ignotus usque ad N. Testamenti tempora permansit), sed a sinistra quadam intelligentia latam fuisse. Prophetas a mundi fabricatoribus, istos ab his, illos ab illis inspiratos vaticinia fudisse. Ea ab illis contemnenda esse, qui vero Deo semel agnito, in Simonem et Helenam eius legatos et interpretes spem collocant: iis quippe iam libertate donatis, quae per supremi Patris cognitionem acquiritur, liberum esse quodcunque velint peragere: salutem uni gratiae, *γνώσει* videlicet, non operibus iustis acceptam referendam esse: natura siquidem nullas actiones bonas esse aut malas, sed ex accidenti; ex arbitrio nimirum angelorum, qui mundum condiderunt, et eiusmodi praeceptorum vinculis in servitutem homines abduxerunt. Quam postremam sententiam ab Archelao philosopho accepisse videtur, cuius hoc fuit effatum, *Nihil natura iustum aut iniustum esse, sed lege.* Nefaria certe dogmata, uberrimaque scelerum omnium seminaria, quae tamen ex constitutis principiis necessario fluebant. Si enim summus Deus ignotus mansit, nec ullo sensibili signo deprehendendum se praebere dignatus, mundi curam et administrationem angelis commisit: ergo legis et prophetiarum, quae ad mundi regimen spectabant, ii soli auctores exstiterunt: ergo qui homines adepta veri et summi Dei notitia ex eorum potestate eruti sunt, et in libertatem asserti, legis praeceptis non tenentur. Si ab una Dei hactenus ignoti, nunc vero se revelantis, cognitione pendet salus: ergo ad comparandam salutem opera supervacanea sunt. Si opera ideo duntaxat bona aut mala sunt, quia a lege quam tulerunt angeli, praecepta vel prohibita: ergo natura indifferentia sunt; excusso proinde legis iugo, nec bona, nec mala. Iam quid mirum, si homines hisce principiis imbuti, fractis omnibus tum naturae, tum pudoris repagulis, effraenem spurcissimamque vivendi rationem inierint? Eo siquidem, velut naturali consecutione deducebat exitiosa doctrina. Absit, ut ea commemorem iniquitatis mysteria, Bacchanalium instar instituta, quae in scelestis conventibus ab iis patrata refert Epiphanius: nolim his scelerum portentis lectorum oculos defoedari. In cumulum accessere magicae artes, quarum teterrima quaeque genera, Simonis et Platonicorum exemplo, exercere veriti non sunt. Et hinc manavit vulgata Gentilibus calumnia, qua dudum christianam religionem vexaverunt, Christianos omnes magicis artibus deditos esse, eorumque coetus, omni pudoris exstincto discrimine, accedente noctis licentia corruptelarum omnis generis officinam esse. Sic in christianam religionem redundabat Pseudo-Christianorum istorum profligata vita. Resurrectionem carnis negabant: non negare qui potuissent? Si enim caro angelorum mundi conditorum opus fuit; a Christo Servatore, qui angelos debellaturus venerat, nec suscipi, nec salvari debuit. Animarum duntaxat cura ipsi fuit. Gentilium idolis, quotiescunque se daret occasio, tus adolere non dubitabant, nec supremum cultum, ut poenas negantibus illatas declinarent, iis adhibere renuebant: haec enim inter *ἀδιάφορα* numerabant. Immo

Gentiles in partes suas cessuros putans Simon, si illis ingeneraret opinionem, se Iovem esse, quem summum numen patremque Deorum venerabantur; Helenam vero suam Minervam, quam ex cerebro Iovis natam esse fabulantur poetae; se ipsum sub Iovis, Helenam sub Minervae habitu pingi et adorari a discipulis voluerat: ut sic gentilismum cum christianae religionis professione consociaret. Sed mirum, eum qui tota doctrinae serie inimicitias angelis denuntiare videbatur, iis tamen divinos honores tribui voluisse. Negabat enim salutem consequi ullum hominem aliter posse, quam si universitatis parenti abominanda sacrificia, quae vel nominare pudet, per principatus et potestates obtulerit: non quidem ut praesidium ferrent, sed ut placati damnum non inferrent, neu hominibus sive in vita, sive post mortem obessent. Quae etiam Platonicorum doctrina fuit superius a nobis exposita.

103. Hactenus dicta perspicue demonstrant, Simonem eiusque discipulos inter Gentiles potius, quam inter Christianos recensendos esse. Nam etsi christianum nomen ore profiterentur; vix tamen vel unius christiani dogmatis fidem integram servaverant. Trium quidem sanctissimae trinitatis personarum nomen proferebant, rem non tenebant: una et eadem persona, pro diversis officiis, Patris, Filii et Spiritus sancti nomine gaudebat. Mysterium incarnationis iis penitus ignotum: Christus nec verus Deus, cuius nulla fuerit hypostatica cum Deo unio; nec verus homo, cuius fuerit umbratilis tantum et phantastica humanitas; sed quoddam veluti simulacrum, quod hinc humanam naturam oculis exhiberet, illinc divinitatis radios exciperet. Quibus omnis Christi nativitatis, vitae et mortis mysteriorum fides pessum ibat. Si aliquod baptismi genus retinuerint, ludicrum certe, quod a christiano procul recederet. Vetus auctor, qui contra Cyprianum scripsit, inter ss. martyris opera, refert quosdam haereticos a Simone prognatos, dum baptismum conferrent, emicantem ex aquis ignem intuentium oculis exhibuisse, quo simulata Spiritus sancti praesentia initiandos suos ludificarentur. Ecquam de eucharistia fidem habere potuissent, qui verum Christo corpus denegabant? Sua quidem iis erant mysteria, sed exsecranda prorsus, quae vel commemorare pudet. Cetera sacramenta flocci fecisse homines impuros, unique γνώσει, ceteris omnibus spretis, salutem adscribendo, bonorum operum necessitatem, et evangelicarum legum observationem funditus evertisse, quisquis asseruerit, haud temere coniecerit.

104. Plures reliquit Simon errorum et scelerum successores, *a principe impiissimae sententiae vocatos Simonianos*. Ab his *falsi nominis scientiam*, Gnosticorum videlicet haeresin, *accepisse initia, ex ipsis assertionibus eorum adest discere*[1]). Revera enim eadem paene Gnosticis omnibus fuere cum Simone dogmata. Si quid discriminis interfuerit, in eo positum fuit, quod eadem principia, et platonicae philosophiae capita ab his paullo pressius, ab illis explicatius ac fusius tradita, et ad res fidei diversimode pro cuiusque captu et ingenio accommodata fuerint, sed inconcusso manente fundamento. Tria fuere praecipua gnosticae haereseos capita. 1. Summum Deum alterum esse a mundi conditore. 2. Opera nihil ad salutem iuvare, sed eam ab una supernarum rerum

1) Iren. l. l.

cognitione pendere. 3. Christum verum hominem non fuisse, sed vana hominis specie oculis delusisse. Haec ab omnibus propugnata, quippe qui scirent iis totam niti hypothesin: cetera vel ad maiorem explicationem addita, vel consectaria quaedam fuere, quae quisque, prout ingenio valebat, ex principiis ducebat amplificabatque. Id ea conferenti quae de valentiniana haeresi iam diximus, observare proclive fuit, nec difficilius observabitur in iis, quae de veteribus Gnosticis dicenda supersunt.

II. DE MENANDRO.

105. Simonis successor et discipulus fuit Menander, praeceptori moribus et doctrina respondens. Genere Samarites et ipse fuit, e vico Capparetaia, ut vocat Iustinus M. vel Chabrai, ut Theodoretus appellat, oriundus [1]). Ubi ad summum praestigiarum fastigium pervenit, ut facile non tantum cum magistro contenderet, sed etiam primas sibi vendicaret, maioribus portentis nomen sibi fecit. Antiochiam, Orientis caput, elegit, ceu publicum theatrum in quo circulatorem ageret, et unde venenatas merces facilius per Orientem spargeret. Ibi misere plures fascinavit. Si Tertulliano, vel auctori Additamenti quod ad calcem libri de Praescript. legitur, credimus, eadem dixit quae Simon ipse. Quidquid Simon se esse dixerat, hoc se Menander esse dicebat. Quod tamen sobrie intelligendum. Nam Simon se esse supremam Dei virtutem impudentius iactabat: tantum sibi non tribuebat Menander, quoniam *primam virtutem incognitam omnibus* esse aiebat: *se autem eum esse, qui missus sit ab invisibilibus* (hoc est, ut explicat Eusebius, ab invisibilibus Aeonibus), *Salvatorem pro salute hominum* [2]). Sed discrimen in verbis haerere et in eo positum esse quod alter altero vesanior esset, superius ostendimus. Neque enim Simon supremam Dei virtutem substantia et natura se esse contendebat, sed missione duntaxat et *ἐνεργείᾳ*, in quo cum Menandro consentiebat. Nec quod alter eam virtutem omnibus ignotam esse diceret, alter ut eius copiam faceret, venisse se iactaret, ulla inter eos pugna intercedit. Si enim cum Theodoreto duplicem summae virtutis operationem distinguamus, occultam et manifestam, lis facile dirimitur. Nam Simon operationem occultam respicit: Menander de manifesta loquitur. Hic etiam explicandus, ne secum vel cum Irenaeo pugnet. Epiphanius scribens, Menandrum a Simonis dogmate non dissedisse, nisi quod maiorem se antecessore et praeceptore suo praedicabat. Nempe hic maiorem se praedicabat, non dignitate et missione; nam uterque a summa virtute missum se esse Servatorem ad hominum salutem nugabatur: sed magicae artis peritia, qua magistrum vincere se gloriabatur.

106. Mundum ab angelis, quos produxit Ennoia, conditum similiter ut Simon docebat. Memoria igitur lapsus videtur Damascenus scribens lib. de Haer. hoc differre Menandrianos a Simonianis, quod hi mundi molitionem ab angelis factam assererent, illi negarent: nam eadem erat utrorumque ea de re sententia. Neminem vero ex angelorum illorum dominatu erui posse contendebat Menander, nisi per eam, quam doce-

1) Iren. lib. I. c. 23. n. 5. Iustin. M. Apol. I. Tertull. de Praesc. c. 46. et de An. c. 50. Euseb. l. III. Hist. c. 26. Epiph. Haer. 32. Theod. l. I. c. 2. etc. 2) Iren. l. l.

bat, magicam scientiam. Salutem itaque hominis positam esse volebat in redemtione ab angelorum servitute: medium autem salutis in magica scientia. Quae omnia simoniaca, immo et platonica. Quae enim haeretici magicae scientiae adscribebant; eadem et Platonici *μαντικῇ*, divinationi et theurgiae suae tribuebant. Nam duplicem magiam distinguebant, aliam quam theurgiam vocabant, hoc est, artem divina operandi, bonam et laudabilem, qua certis quibusdam hostiis et sacrificiis, munditia quadam animae et corporis, aliisque sacris caeremoniis, bonos et beneficos daemones invocabant, quorum afflatu et auxilio et occulta manifestabant et futura praenuntiabant et mira edebant opera: alteram goëticam et necromantiam, artem videlicet praestigiosam et fallacem, quae mortuos evocat et consulit et eorum ac malorum daemonum ope responsa de rebus occultis et futuris reddit. Ut posteriorem probro, sic priorem honori sibi vertebant, laudibusque ad caelum extollebant, ut passim apud Iamblichum et alios videre est. *A Theurgis*, inquit ille sect. III. cap. 31. *omnis spiritus malus fugit, penitusque subvertitur. Exscinditur prorsus omnis malitia et passio: bonorum vero pura communicatio ad puros defertur, ignisque divinus desuper eos veritate replet. His mali spiritus impedimenti nihil afferre possunt, neque ad animae bona avertenda obstaculi etc.* Et sect. IX. cap. 4: *Sola divina μαντικὴ Diis connectens, nos vere participes facit vitae divinae: quumque ipsa praescientiam, divinasque notiones in se contineat, nos quoque vere divinos facit. Haec bonum pure nobis exhibet; est enim beatissima Deorum cognitio bonis omnibus plena.* Et cap. 5. ait, hominem olim visioni Dei coniunctum, postea aliam subingressum animam, eam nimirum quae ad humanae formae speciem aptata est, propterea venisse sub fati et necessitatis iugum: ab his vero vinculis aliter solvi non posse quam per Deorum cognitionem: hanc esse quae veram vitam servat, quoniam ad patrem sua sorte contentum et *superessentialem* reducit: sacram hanc et theurgicam felicitatis donationem appellari ianuam ad ipsum omnium opificem Deum, vel sedem et aulam boni. Tum demum cap. sequenti concludit, theurgiam opifici universali animam sistere et apud eum deponere, liberamque ab omni materia cum solo aeterno Verbo connectere: ipsi Dei virtuti a se genitae, se ipsam moventi, omnia sustentanti, intellectuali, omnia exornanti, ad veritatem intelligibilem revocanti, perfectae et perficienti, ceterisque Dei virtutibus opificibus ita consociare, ut in actionibus earum intelligentiisque efficacibus anima theurgica perfecte confirmetur. Plura alia eiusmodi apud Iamblichum citatis sect. occurrunt. In his, puto, Simonis, Menandri, Gnosticorumque omnium doctrinae fundamenta lector eruditus nullo negotio deprehendit: adeo ut ex impuris hisce fontibus palam hausta videantur tum *γνῶσις* ipsa, tum operosum illud quod in colendam magiam studium conferebant, tum denique quidquid utrique tam procaciter adscribebant.

107. Quoddam baptismi genus suis impertiebatur Menander, quo qui dignati essent resurrectionem adipiscerentur, iamque deinceps immortalitatem consecuti perseverarent, nulli senio aut morti obnoxii. Tum vero baptismum in nomine suo conferebat: quo quidem insaniae Simon devenisse non videtur. Quem vero immortalitatis effectum baptismati

suo impudenter asserebat, Tertullianus [1]) et Eusebius de corporis immortalitate etiam in hac praesenti vita intelligere videntur. Mirum autem homines, ceteroquin acutos, sic animum induxisse suum. Nam praeterquam quod extra dubium omne positum videtur, Menandri mentem explicandam esse ex praeceptoris sententia, qui corpora docebat interire penitus, nec resurgere, solam autem animam immortalem esse: perspicue docet Irenaeus lib. II. cap. 31. n. 2. quid Gnostici omnes per resurrectionem a mortuis, quam interdum praedicabant, intelligerent, nempe *agnitionem eius, quae ab eis dicitur, veritatis.* Quod ipse Tertullianus agnoscens, paullo enucleatius explicat lib. de Resurrect. Car. cap. 29. ubi Gnosticorum fraudes retegens scribit: *Nacti quidam solemnissimam eloquii prophetici formam, allegorici et figurati plerumque, non tamen semper, resurrectionem quoque mortuorum manifeste annuntiatam in imaginariam significationem distorquent, asseverantes ipsam etiam mortem spiritaliter intelligendam. Non enim hanc esse in vero, quae sit in medio, discidium corporis et animae, sed ignorantiam Dei, per quam homo mortuus Deo non minus in errore iacuerit quam in sepulcro. Itaque et resurrectionem eam vindicandam, qua quis adita veritate redanimatus et revivificatus Deo, ignorantiae morte discussa, velut de sepulcro veteris hominis eruperit: quia et Dominus Scribas et Pharisaeos sepulcris dealbatis adaequaverit. Exinde ergo resurrectionem fide consecutos cum Domino esse, quum eum in baptismate induerint. Hoc denique ingenio etiam in colloquiis saepe nostros decipere consueverunt: quasi et ipsi resurrectionem admittant. Vae, inquiunt, qui non in hac carne resurrexerit: ne statim illos percutiant, si resurrectionem statim abnuerint. Tacite autem secundum conscientiam suam hoc sentiunt: vae, qui non, dum in hac carne est, cognoverit arcana haeretica: hoc est enim apud illos resurrectio. Sed et plerique ab excessu animae resurrectionem vindicantes, de sepulcro exire, de saeculo evadere interpretantur, quia et saeculum mortuorum sit habitaculum, id est, ignorantium Deum: vel etiam de ipso corpore, quia et corpus vice sepulcri conclusam animam, in saecularis vitae morte detinet.* Quibus palam fit, eam, quam Menander aliique similes resurrectionem mortuorum mendaciter venditabant, mystice et allegorice intelligendam esse; nihilque aliud esse, praeter ignoti Dei arcanorumque haereticorum notitiam, qua quisquis fictitium illud, quod conferebant, baptisma consecutus fuerit, nefariisque eorum mysteriis initiatus, *ignorantiae morte discussa, velut de sepulcro veteris hominis erumpit.* Menandrum proinde in his ne latum quidem unguem a Simonis aliorumque Gnosticorum sententia recessisse, nisi quod aenigmatis involverit, quod illi planius efferebant.

III. DE SATURNINO.

108. Venenata quaedam bestia bilinguis et biceps, ait Eusebius [2]), e Menandro orta, duos duarum sectarum inter se discrepantium auctores et duces edidit, Saturninum, vel Saturnilum (utrumque enim promiscue scribunt auctores), genere Antiochenum, et Basilidem Alexandrinum, am-

1) Tertull. De An. c. 50. Euseb. l. III. Hist. cap. 26. - 2) Euseb. l. IV. Hist. c. 7. Iren. lib. I. cap. 24. Epiph. Haer. 33. Theod. lib. I. c. 2. et 3.

bos Menandri discipulos ac coaevos: quorum ille in Syria, hic vero in Aegypto scholas errorum Deo et pietati repugnantium instituit. Ambos Adriano imperante vixisse tradit Theodoretus; nec repugnat Eusebius, qui eorum meminit Adriani temporum historiam conscribens: quanquam tamen probabile censeat cl. Tillemontius, Saturninum iam a Traiani temporibus, paullo ante Basilidem coepisse. Sed de his postea. Ille eadem fere cum Menandro deliramenta loquebatur [1]). Unum esse summum Patrem et innascibilem virtutem, id est, Deum, in summis illis et infinitis partibus et in superioribus manentem, ac prorsus ignotum praedicabat, qui longe a se distantes virtutes, principatus, potestates et angelos creaverit. Illis omnibus a Patre desciscentibus, septem ex iis mundum condiderunt, *praeter conscientiam Dei Patris* [2]), eiusque suam quisque partem sortiti sunt. Unum ex iis mundi conditoribus angelis fuisse Iudaeorum Deum dicebat. Satanam ipsum angelum esse, repugnantem angelis mundi fabricatoribus, maxime vero Iudaeorum Deo: qui perinde atque hic atque illi prophetiarum auctor fuerit. Omnia haec simoniana et gnostica, partim ex Platonicorum lacunis, partim ex corruptis ac depravatis Scripturarum oraculis hausta, ut ex hactenus dictis constat.

109. Hominis etiam originem Saturninus adscribebat angelis. Creationis vero haec occasio fuit. Quum desuper a summa potestate lucida imago emicuisset, caelestis illius lucis amore capti, summaque cupiditate ac voluptate perfusi, hanc apud se tenere viribus omnibus contenderunt: non valentibus vero, eo quod repente sursum evolarit et ex eorum oculis evanuerit, id in animos incidit, ut evanidae imaginis iacturam resarciendi desiderio, aliquam eius similitudinem exprimerent, hominemque, qui eam referret, conderent. Quare convenientes in unum, communi consilio dixerunt: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem* [3]). Sic, inquit Epiphanius, impostor particulam *nostram,* quam in Genesi Deus usurpat, ideo decurtavit, ut errori fidem adstrueret; quasi alii sint operis artifices, imago vero ipsa ad alium referatur. Editus est igitur in lucem homo, sed prae angelorum imbecillitate admodum imperfectus. Iacebat namque in solo reptantis instar vermiculi, neque erigere se, neque aliud quidquam agere valens, donec ei miserta virtus suprema, ob imaginem suam atque effigiem, sui scintillam immisit, qua et illum erexit et vitam impertivit. Eam vero scintillam vocat animam humanam, quam, utpote decisam ab essentia divina particulam, dissoluto animali servari ait et evolare sursum ad ea quae sunt eiusdem generis; pereunte reliquo homine, resoluto in sua principia. Non tamen homines omnes in scintillae illius partem vocabat Saturninus, sed eos solos, qui sectae suae nomen dedissent. Duos quippe homines principio factos asserebat, bonum unum, scintillae participem, alterum malum, eiusdem expertem: a quibus duplex item hominum genus, natura scilicet bonum, ac natura malum in mundo proseminatum esse primus hominum finxit

110. Platonica haec omnia sunt sed varie interpolata, novisque fabulis aucta. Quod hic fingitur de imagine desuper emicante, ad cuius similitudinem conditus homo, purum putumque Platonicorum dogma est

1) Tertull. De Praesc. c. 46. 2) Aug. Haer. 3. 3) Gen. 1, 26.

de rerum omnium ideis ac formis a supremo rerum omnium parente effictis: quas quidem in angelorum, quibus creandi et administrandi mundi provinciam demandavit, mente recondidit, ut caelestia archetypa prae oculis habentes, ea in fabricandis rebus imitarentur. Communis itidem Platonicorum omnium sententia, superiorem animae partem, eiusdemque velut apicem, quam mentem vocabant, esse velut essentiae divinae particulam, *ἀπὸ τοῦ πρώτου νοητοῦ, a primo intelligibili,* ut loquitur Iamblichus, decisam, quae homini desuper inspirata rationem impertitur, eumque a communi brutorum animantium sorte eximit; fabulae de scintilla reptanti homini et in solo iacenti, a superna virtute, qua erigeretur et ageret quae sunt hominis, immissa, fundamentum praebuit. Ut scintilla, dissoluto animali, ad principium suum, ex Saturnino, revolabat: sic et mens post mortem, ex Platonicis, ad Deum eius auctorem revertebatur. Hactenus quadrant sententiae: discrepant vero in explicatione scintillae, seu particulae divinae essentiae. Per eam Platonici mentem qua rationalis fit homo; Saturniniani vero *γνῶσιν,* seu supremi Patris notitiam, qua fit spiritalis et ab animalibus hominibus in ignorantiae tenebris agentibus distinctus, intelligebant. Idque ipsum est quod deinceps semen spiritale Valentinianis vocitare placuit; quod quidem non omnibus, sed certis quibusdam hominibus concessum esse, ut Saturninus scintillam suam, iactabant. Unde quemadmodum hic duplicis generis homines, natura bonos scintillae participes et natura malos, eiusdem expertes distinguebat: sic et illi quosdam homines natura bonos, eos scilicet qui semine fecundati erant: quosdam natura malos, qui seminis exsortes, statuebant. Adeo ut idem utrobique commentum sit, sub variarum nugarum involucris propositum. Quod alter per hominem erectum et reptantem; alii per homines spiritales et animales significant. Quod denique Saturninus prophetarum oracula modo opificibus angelis, modo Satanae accepta referret, a Platonicis etiam mutuatus fuerat, qui, ut supra ex Iamblicho vidimus, vaticiniorum caussam refundebant modo in bonos, modo in malos daemones.

111. Simonis vestigia relegens Saturninus, servatorem de communi supernarum virtutum sententia missum aiebat, ut angelos rebelles et maxime Iudaeorum Deum in ordinem redigeret et iis qui vitae scintillam accepissent, salutem afferret, malos vero cum daemonibus, qui ipsis opitulabantur, profligaret. Hoc ipsum erat quod aliis verbis exprimebat Simon, venisse Christum ut homines a legis, quam tulerat Iudaeorum Deus, vinculis eximeret, solisque credentium seu spiritalium animabus salutem impertiretur. Servatorem autem modo a supremo Patre genitum, modo ingenitum dicebat Saturninus: ingenitum quidem, si generationis proprie dictae habeatur ratio, cuius terminus fuerit persona a principio suo distincta: genitum vero, si generatio pro simplici productione, qualiscunque sit, latius accipiatur. Unde patet, huic, sicut et Simoni aliisque multis Gnosticis, Servatorem fuisse meram divinitatis *ἐνέργειαν,* functionem temporariam et radium, non personam subsistentem et a Patre distinctam. Eum vero corporis (terreni videlicet et materialis) expertem et sine figura, hominis tamen simulacrum atque effigiem sensibus obiecisse, omniaque ab eo specie tenus perfecta; cuiusmodi fuit nasci, ambulare, videri, pati. Uno verbo phantasma fuisse, quod divina

ἐνεργείᾳ motum, sensibus humanis fucum faceret. Iam uxores ducere, liberosque gignere ab Satana esse, primus omnium circulator idem pronuntiavit; non quod castitatem coleret, sed ut solutus matrimonii legibus, turpissimis quibusque voluptatibus effrenatius indulgeret. Multi etiam ex eius discipulis, Pythagoreos imitati, animatis omnibus abstinebant: ut affectato illo sanctioris vitae genere nonnullos suum in errorem pellicerent.

IV. DE BASILIDE.

112. Basilides Alexandrinus [1]), Saturnini condiscipulus, a Matthia apostolo doctrinam suam accepisse se falso iactitabat, atque Glauciam quendam, quem Petri interpretem fuisse ferebant, praeceptorem habuisse gloriabatur. Inanis forte, quod ad Glauciam, obscuri nominis hominem, attinet, vesani hominis gloriatio, ut ex magistri persona auctoritatem dogmatibus suis conciliaret. Ex ea tamen (ut et ex simili Valentini gloriatione supra concludebamus), inferre licet, Basilidem, si non apostolis ipsis coaevus fuerit, ad eorum saltem aetatem proxime accessisse, ipsorumque discipulis convixisse. Certe Hieronymus disputans contra Luciferianos, Basilidem inter haereticos apostolicorum temporum numerat: *Sed quid de posterioribus*, inquit, *adhuc loquor? apostolis adhuc in saeculo superstitibus, apud Iudaeam, Christi sanguine recenti, phantasma Domini corpus asserebatur. Galatas ad observationem legis traductos apostolus iterum parturit. Corinthios resurrectionem carnis non credentes, pluribus argumentis ad verum iter trahere conatur. Tunc Simon Magus et Menander, discipulus eius, Dei se asseruere virtutes: tunc Basilides summum Deum Abraxas cum trecentis sexaginta quinque Aeonibus commentatus est.* Nec dissentit Epiphanius, qui Haer. XXXI. §. 2. scribit, *Valentinum quidem Basilide ac Saturnilo, Ebione, Cerintho ac Merintho, eorumque sociis, tempore esse posteriorem: omnes tamen uno tempore ad humani generis exitium profusos esse; quanquam*, inquit, *Cerinthus ac Merinthus et Ebion paullulum antegressi sunt.* Si non multum temporis intercessit inter Cerinthum, haereticum in Asia agnitum antequam S. Ioannes evangelium scripsisset, et Basilidem; hic igitur Ioannis aetate vixerit necesse est. Deinde Valentinus et Basilides *uno tempore ad humani generis exitium profusi sunt*, ita tamen ut hic prior, ille posterior sit. At superius de Valentini aetate disserentes ostendimus, eum ineunte circiter secundo saeculo dogmata sua spargere coepisse: ex quo sequitur, Basilidem (a fortiori Saturninum qui huic aliquantulum praecivit) saltem ad Ioannis apostoli tempora attigisse.

113. Non desunt tamen qui Basilidem iuniorem faciant, eiusque haeresin non nisi Adriani temporibus in lucem prodiisse contendant. Nituntur in primis auctoritate Clementis Alexandrini lib. VII. Strom. pag. 764. Eusebii lib. IV. Hist. cap. 7. et in Chronico, ac Theodoreti lib. I. Haer. Fab. cap. 2. qui Basilidis haeresin conferunt in Adriani tempora. At ex Clementis, Eusebii in Chronico et Theodoreti verbis id tantum inferri posse puto, Basilidem sub Adriani imperio fuisse, scholam habuisse et audacius haeresin disseminasse: non vero haeresin inchoasse,

1) Clem. Alex. Strom. lib. VII. p. 768.

aut tum primum docuisse. Nec ex eo, quod Eusebius in Historia circa Adriani tempora narrationem instituat de Saturnini et Basilidis haeresi, magis concludi potest, eos sub illius imperio coepisse, quam ex eo, quod de Ebionaeis, Cerinthianis et Nicolaitis disserat sub Traiano, inferri posset eorum originem anteriorem non esse. Neque expressiora sunt, ut ligatur Basilidiani erroris exordium, Firmiliani verba, apud Cyprian. epist. LXXV. *Sed et Valentini et Basilidis tempus manifestum est, quod et ipsi post apostolos et post longam aetatem adversus ecclesiam Dei sceleratis mendaciis suis rebellaverint.* Nam haec longa aetas, ut bene animadvertit Cotelerius [1]), dubio procul oratoria exaggeratio haberi debet: quia inter finem Ioannis apostoli et initium Adriani imperatoris non intercedunt anni viginti. Deinde loquitur Firmilianus de aperta Basilidis adversus ecclesiam rebellione, non de haereseos eius initio. Certum est, viventibus apostolis haereticos velut serpentes in antris delitescentes, sanctissimorum hominum metu repressos, non nisi clam et timidius venenum erroris evomuisse: at audaciam addente apostolorum morte, iam caput attollere, liberius dogmata sua propagare, unitateque palam violata, scholas sibi constituere coepisse. Ex quo sequitur, verissimum esse quod scribit Irenaeus lib. v. c. 20. n. 1. *omnes haereticos valde posteriores esse, quam episcopos, quibus apostoli tradiderunt ecclesias.* Haec siquidem necesse est ad tempus referamus, quo ecclesias apostoli commiserunt apostolicis viris, non ad illud quo vivere desierunt illi episcopi. Nam certum est tum ex ipso Irenaeo lib. III. c. 3. n. 4. tum ex aliis veteribus, Polycarpum, ab apostolis Smyrnae ordinatum episcopum, Basilidi, Valentino, Marcioni, aliisque haereticis coaevum exstitisse. Verius a fortiori, quod proxime citato cap. n. 3. scribit auctor noster, epistolam Clementis ad Corinthios vetustiorem esse haereticis *qui nunc falso docent et alterum Deum super Demiurgum et factorem horum omnium commentiuntur.* Verba haec, *qui nunc falso docent,* aperte demonstrant eum intelligere, non Gnosticos quoslibet, sed Valentinianos duntaxat, quos confutabat.

114. Quo anno excesserit e vivis Basilides, non satis constat. In Catalogo Hieronymi, voce *Agrippa,* legitur: *Mortuus est autem Basilides, a quo Gnostici, in Alexandria temporibus Adriani: qua tempestate et Cochebas dux Iudaicae factionis Christianos variis suppliciis enecavit.* Quae si sincera sunt, dicendum erit obiisse Basilidem anno circiter 135, quo Iudaea bello ardebat, quod excitarat Cochebae adversus Romanos rebellio. Sed utrum apud Hieronymum legendum sit *mortuus est,* an *moratus est,* necdum extra omne dubium positum existimo: sua enim utrique lectioni constant argumenta. Pro *moratus est* pugnat auctoritas vetustissimi omnium codicis nostri MS. San-Germanensis, Merovingicis characteribus exarati, saeculo circiter septimo. Quam eandem lectionem exhibent MSS. quinque, quos vidisse se testatur Vossius, et plures alii quos contulit doctissimus Martianaeus noster. Facit et pro eadem lectione perfectissima consensio Chronici Hieronymiani cum eius Catalogo. Nam in priori illo ad annum 134. habetur: *Basilides haeresiarches in Alexandria commoratur: a quo Gnostici. Cochebas dux Iudaicae factio-*

1) Coteler. Pat. Apost. To. II. p. 470. edit. Paris. 1672.

nis nolentes sibi Christianos adversum Romanum militem ferre subsidium omnimodis cruciatibus necat. Eadem paene utrobique verba sunt. Et quod in priori legitur, *commoratur,* suadere videtur in posteriori legendum esse, *moratus est.* Illinc vero repugnant huic lectioni editi omnes, cum MSS. plerisque codicibus, qui praeferunt, *mortuus est.* Sed quod maius videtur, graeca interpretatio, quae Sophronio tribuitur, quaeque si vere Sophronii est, codicibus omnibus latinis, qui nunc exstant, sine dubio antiquior est, hanc vulgatam lectionem repraesentat: *Τελευτῶντος Βασιλείδου, Γνωστικοὶ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐκλήθησαν, ἐν τοῖς χρόνοις Ἀδριανοῦ. Mortuo Basilide, Gnostici in Alexandria vocati sunt, temporibus Adriani.* Deinde neque usque adeo certum est legendum esse in Chronico, *commoratur.* Quamvis enim Pontacus in aliquibus MSS. *commoratur* legi doceat (ut in uno cantabrigiensi codice scriptum etiam reperisse se dicit Pearsonius) [1]), idem tamen in pluribus *commemoratur* haberi innuit: quae vox si obtineat, similitudo locorum perit. Sed quidquid sit de lectione, nihil repugnat Basilidem aut vitam finiisse sub Adriani finem, aut prorogasse usque ad Antonini Pii exordia. Vixerit quinquennio aut sexennio plus aut minus, parum omnino refert.

115. Primus omnium Basilidis errores subtilesque praestigias et detexisse et confutasse, occultaque illius et nefanda manifesto prodidisse mysteria videtur Agrippa Castor, qui sub Adriano eruditionis laude florebat [2]). Valentissimam fuisse illius refutationem memorat Eusebius et ad sua usque tempora pervenisse: dudum est quod tam luculentum opus edax rerum tempus misere consumsit, ne eo frueremur. Auctor fuit, Eusebio teste, Basilidem quatuor et viginti libros in evangelium scripsisse: vigesimi tertii meminit Clem. Alex. lib. IV. Strom. pag. 506. Archelaus vero decimi tertii. Sed utrum in vera Christi evangelia elucubrati essent, an in ipsius Basilidis, incertum. Nam eam fuisse hominis impudentiam, ut et ipse novum evangelium scribere ausus fuisset, docet Origenes [3]). Vetus Testamentum cum ceteris Gnosticis reiiciebat. Novum autem, Hieronymo teste in epist. ad Tit. principio, foede mutilabat, resectis non modo pluribus locis, sed integris etiam epistolis, ad Hebraeos, ad Titum et utraque ad Timotheum, quas Paulo abiudicabat; resecandi vero aut abiudicandi sola ratio fuit, quod his configerentur eius errores. At repudiatis veris prophetis, novos, ut errori fidem conciliaret, supposuerat, eisque barbara nomina Barcabam et Barcoph imposuerat, quibus terrorem simplicioribus iniiceret. Forte fictitius ille Barcoph, is est Parchor propheta, in quem expositionum libros scripserat Isidorus Basilidis filius et discipulus. Fragmentum quoddam ex primo desumtum exscripsit Clemens Alexandrinus, ex quo discimus familiarem fuisse Basilidianis librum alterum, quem Chami prophetiam appellabant [4]).

116. A Simone, Menandro et Saturnino erroris argumenta mutuatus est Basilides; quae tamen, ut nomen sibi faceret, alia ratione tractare et maiore cum pompa enarrare instituit, novis quibusdam additis

1) In addend. ad. Vind. epist. Ignat. 2) Euseb. l. IV. Hist. c. 7. 3) Origen. Hom. I. in Luc. 4) Euseb. loc. cit. et Hieronym. in Catal. Clem. Alex. lib. VI. Strom. pag. 641.

fabularum portentis. Ea duntaxat hic commemorare satis erit, quae a magistrorum doctrina dissidebant. Ab innato Patre Nun derivabat, tum ab hoc Logon, deinde a Logo Phronesin, seu Prudentiam, vel, ut apud Tertullianum legitur, Providentiam; a Phronesi autem Sophiam et Dynamin, hoc est, Sapientiam et Potentiam. Ita Irenaeus, Epiphanius, Theodoretus et Tertullianus [1]). At Basilidis genealogiam integram non referunt. Nam ex Clemente Alex. lib. IV. Strom. p. 539. *Βασιλείδης ἀποστατήσας* (sic lego, non *ὑποστατάς*) *δικαιοσύνην δὲ καὶ τὴν θυγατέρα αὐτῆς τὴν εἰρήνην ὑπολαμβάνει ἐν ὀγδοάδι μένειν ἐνδιατεταγμένας: Basilides autem, qui defecit, Iustitiam et eius filiam, Pacem, putat in ogdoade manere dispositas.* Nec dubium quin in prima sua coniugatione *Ἔννοιαν* seu *Σιγὴν* habuerit, masculosque cum feminis in ogdoade copulaverit, quum id disertis verbis asserant Gregorius Naz. Nicetas et Elias Cretensis alibi citati, et magistrorum sententiam non conciderit, sed potius *in immensum extenderit,* ut loquitur Irenaeus. Virtutes, principes et angelos in 365 classes, iuxta caelorum numerum, distribuebat (caelos enim 365 fingebat: sic nimirum appellare placuerat orbes, quos motu diurno sol percurrere videtur). Primam classem a Sophia et Dynami productam dicebat, quae deinde primum caelum et alios angelos condiderit; a quibus factum secundum caelum, et alios angelos: ab his tertium caelum, et alios itidem angelos; et sic gradatim alios ab aliis productos angelos et caelos usque ad 365. et ultimum, quod nobis proximum est, caelum. Ab angelis vero qui posteriori praesunt caelo (quorum princeps is qui Iudaeorum Deus dicitur), conditum inferiorem hunc mundum, cuius regimen et imperium inter se partiti fuerint. Angelis porro illis omnibus barbara quaedam nomina, quae terrerent imperitos, imposuerat: Principem autem eorum ac supremum ducem *ἀβράξας,* vel, ut scribit Epiphanius, *ἀβρασὰξ* vocabat; de quo nomine vide quid in notis nostris diximus. At nusquam, quod sciam, Angelos illos appellavit Aeones: unde mirari subit Hieronymum in supra citato Dialogo contra Luciferianos scripsisse, Basilidem 365. *Aeones commentatum esse:* angelos enim ab Aeonibus distinguebat.

117. Haec fere sunt in quibus a magistrorum semitis declinaverat Basilides. Cetera perfecte consentiebant. Eadem utrisque de Christi adventu, eiusque caussa, effectis, ac modo, sententia. Addebat tantum, non Christum ipsum, cuius phantasticum erat corpus, sed Simonem Cyrenaeum, commutata cum Christo forma ac specie, ei suppositum, in crucem sublatum esse: quapropter eos solos ab angelorum mundi conditorum potestate liberandos, qui alterum ab altero apprime distinguentes, crucifixum negaverint, illumque confessi fuerint, non qui crucifixus sit, sed qui crucifigi visus sit: eos proinde insanos esse, qui pro crucifixo martyrium subierint; utpote quibus nulla mortis, quam in hominis gratiam obierint, merces futura sit. Ad eam distinctionem, impiis istis familiarem, haud satis attendisse videtur Clemens Alex. dum scripsit lib. IV. Strom. quod Basilides *hominem peccandi potestate praeditum ausus esset dicere Dominum:* quod falsum videtur, si ad verum Christum refe-

1) Iren. lib. I. c. 24. n. 3. et seqq. Epiph. Haer. XXIV. Theodoret lib. I. c. 3 Tertullian. Praesc. c. 46. August. de Haer. et alii.

ratur, quem ne hominem quidem esse fatebatur: utcunque ferri potest, si de ementito Christo, nempe Simone Cyrenaeo intelligatur, qui sub Christi specie ac figura cruci affixus fuit. Eadem etiam utrisque effrenata quidvis agendi licentia, morum corruptio, in flagitia quaelibet praeceps libido, et magicarum artium studia, immo et idololatriae scelera: nam certis quibusdam imaginibus nefarium cultum adhibebant. Sed in nectendis dolis peritior ceteris, dissimulandi artem suis sedulo commendabat, neu sectae suae arcana, nisi paucissimis, iisque fidis ac certis usquam proderent, frequenter inculcabat: non multos siquidem ad haec excipienda, comparatos esse, sed vix unum e mille, et duo e decem millibus. *Date operam,* crebro ingeminabat, *ut omnia cognoscatis, nemo vero vos cognoscat*[1]). Quare ut tacere tutius discerent, Pythagoreorum more et instituto, his qui se in ipsius disciplinam tradebant, quinquennii silentium praecipiebat. Hinc negare fidem, quotiescunque se dabat occasio, minime dubitabant. Interrogati vero, Iudaeos quidem se esse negabant, Christianos vero nondum fuisse. Si cui martyrium obire contingeret, tantum abest ut id in singulari beneficio deputaret Basilides, quin potius poenam esse contenderet, quam lueret eius anima ob peccatum in alia vita patratum: honorificentiorem quidem iis quas pendunt aliae animae, domesticis suppliciis puniendae; at poenam tamen. Nam animas ideo in hanc vitam detrudi censebat, quod in altera peccassent: immo belluarum aut avium corporibus prius interdum illigari, quam humanis[2]). Quae Platonis sententiam de animarum praeexistentia, peccato et supplicio in corporibus luendo satis clare produnt, ut et *μετεμψυχώσεως* commentum, cuius primus auctor fuit Pythagoras, si Laertio fides. *Primus* enim *sensit animam circulum necessitatis immutantem, aliis alias illigari animantibus.* At id ab Aegyptiis acceperat. Nam Herodotus in *Euterpe* Aegyptios primos hanc sententiam tradidisse ait. Consentiuntque Iamblichus lib. I. de Vita Pythagorae cap. 5. et Photius in Bibliotheca p. 1004.

118. Duas quoque in nobis animas statuisse Basilidem, sicut et Pythagoreos, testatum facit Clemens[3]); alteram belluinam, alteram rationalem. Sed quis huicce dogmati subsit sensus, aperuimus de Valentino disserentes: scilicet duas animae nostrae partes esse; sensum, quem nobiscum participant belluae, et mentem, per quam ab iis differimus. Quae Pythagoreorum sententia et explicatio erat, ut apud Laertium videre est p. 512. 513. Paullo obscurius quod ibidem scribit Clemens, Basilidis sectatoribus visum, perturbationes animi, quas *προσαρτήματα* vocabant, id est, appendices, quosdam esse spiritus secundum substantiam appensos animae rationali, habita ratione perturbationis cuiusdam principalis: alias autem adulterinas, et diversi generis, spirituum naturas iis adnasci, ut Lupi, Simiae, Leonis, Ursi, quibus anima proprietates brutorum animantium proprietatibus similes induit. His vero lucem affert trita veteribus non paucis patribus sententia, vitia totidem esse daemonia, quae animam movent, perturbant et ad malum impellunt. Audiendus Origenes Hom.

---

1) Agrippa Cast. apud Euseb. l. IV. Hist. c. 7. p. 506. Origen. in Rom. 5. Laert. in Pythag. p. 499. 2) Clem. Alex. Strom. lib. IV. 3) Clem. Alex. l. II. Strom. p. 408. 409.

xv. in Iesum Nave. *Unde mihi videtur,* inquit, *esse infinitus quidam numerus contrariarum virtutum, pro eo quod per singulos homines sunt spiritus aliqui, diversa in iis peccatorum genera molientes. Verbi caussa, est aliquis fornicationis spiritus, est irae spiritus alius, est avaritiae spiritus, alius vero superbiae. Et si invenias esse aliquem hominem, qui his omnibus malis, aut etiam pluribus agitatur; omnes hos, vel etiam plures in se habere inimicos putandus est spiritus. Unde et per singulos plures esse credendi sunt: quia non habent singula singuli homines vitia, vel peccata committunt; sed plura ab unoquoque videntur admitti. Et iterum non est putandum, quod unus fornicationis spiritus seducat eum, qui v. g. in Britanniis fornicatur, et illum qui in India, et in aliis locis: neque unum esse spiritum irae, qui diversis in locis diversos homines agitet: sed puto magis, principem quidem fornicationis unum esse; innumeros vero esse, qui in hoc ei officio pareant; et per singulos quosque homines diversi spiritus, sub eo principe militantes, ad huiuscemodi eos peccata sollicitent. Similiter et iracundiae spiritum principem unum esse arbitror; innumeros vero esse sub ipso agentes, qui per singulos quosque homines huiusmodi vitii peccata succendant. Similiter et avaritiae unum esse principem; sic et superbiae, et ceterorum malorum etc.* Eadem habet ad Ioan. VIII, 49. Plura alia eam in rem veterum patrum testimonia refert Cotelerius in notis ad Hermae Past. lib. II. cap. 2. Iam, ni fallor, haud adeo operosum erit explicare, quid sibi vellent Basilidiani, quum animae perturbationes definiebant, *spiritus quosdam secundum substantiam appensos animae rationali, habita ratione perturbationis cuiusdam principalis: πνεύματά τινα κατ' οὐσίαν προσηρτημένα τῇ λογικῇ ψυχῇ, κατά τινα τάραχον καὶ σύγχυσιν ἀρχικήν.* Eandem ipsis cum Origene sententiam fuisse puto: nempe spiritus malos seu daemonia, quibus anima velut obsidetur, propositis inescantibus ac fallacibus obiectis varias in ea perturbationes ciere; unum tamen esse in unoquoque homine ut principem daemonem, cui ceteri famulentur, sic et affectum dominantem, a quo reliqui pendeant, et ad quem referantur. Hancque fuisse Basilidianorum mentem confirmat ipsummet Valentini testimonium, quod e quadam eius epistola decerptum ibidem refert Clemens. Ille enim Basilidianorum appendices explicans, ait, cor nostrum esse diversorio simile, in quo multi habitantes spiritus, id mundum esse non sinant: unumquemque autem eorum propria efficere opera, indecoris saepe insultantem cupiditatibus. Quia vero duplicis generis affectus distingui possunt, alii magis spiritales, et, ut ita dicam, defaecatiores, quorum obiecta a materia haud ita pendeant; alii crassiores, qui caeco ac prope belluino impetu ferantur in ea quae materiae altius immersa, belluis magis quam hominibus congruant: iccirco Basilidiani sentiebant, affectibus humanis alias spirituum adnasci naturas; quibus anima sui ipsius velut oblita, brutorum animantium proprietates induit.

V. DE CARPOCRATE.

119. Carpocrates, seu Carpocras, genere Alexandrinus, uxorem duxit nomine *Alexandriam,* gente Cephaleniam, ex qua filium suscepit Epiphanem, mali corvi malum ovum, novae sectae conditorem, de quo iam

disseruimus[1]). Tradit Eusebius, quasi ex Irenaeo, Carpocratem iisdem cum Basilide vixisse temporibus. Quamvis apud Irenaeum ne verbum quidem de Carpocratis aetate occurrat, non ideo tamen male ab Eusebio constitutam existimem. Cum hoc enim apprime consentit Epiphanius, nec repugnat Theodoretus, sub Adriano vixisse scribens. Ille vero affirmat Basilidis, Saturnini, Valentini, Colorbasi, Ptolemaei, Secundi et Carpocratis sectas eodem tempore prodiisse; tantum, Valentinianam aliis paullo recentiorem esse. Atqui Basilidem Ioanni saltem apostolo supparem, nec Valentinum multo iuniorem fuisse probavimus. Si igitur iisdem cum utroque temporibus scholam instituerit Carpocrates, Adriani initiis fecerit necesse est. Longe citius proinde in Orientis, quam in Occidentis partibus innotuit eius haeresis: eam quippe huc detulit Marcellina quaedam, quae Romam, Irenaeo teste[2]), venit sub Aniceto pontifice, anno circiter 160.

120. Platonicae disciplinae scientissimum fuisse Carpocratem, vel ex eo liquet, quod filii Epiphanis ab illo instituti magnum nomen inter Platonicos fuerit. Sed si forte plures haeresiarchas scientiae laude, omnes certe morum pravitate superavit[3]). Supremum quidem unum principium, atque etiam Parentem omnium et incognitum, nec ullo nomine significatum, perinde ut ceteri, affirmabat: mundum vero, et quae mundo continentur, ab angelis esse facta, qui incognito illo Parente longe inferiorem dignitatis gradum teneant, et ab eo defecerint. Iesum porro Dominum nostrum e Ioseph et Mariae consortio genitum, similem quidem natura reliquis hominibus exstitisse; vitae autem instituto, temperantia, virtute ac iustitia praestitisse. Nempe quum firmiorem vegetioremque quam alii homines animam sortitus esset, tenacius ei adhaerente pristina cum ingenito Deo *περιφορᾷ, circumlatione,* immissa in eam fuit ab eodem supremo Parente Virtus, quae memoriam ante visorum refricaret: ut sic supernorum recordatione corroborata, conditores orbis angelos effugeret, immissaeque virtutis beneficio actionibus omnibus quae ab hominibus suscipi possunt, turpissimis etiam quibuscunque (horrendum!) ac scelestissimis defuncta, iam libera, solutis omnibus humanae naturae debitis, ad supremum Patrem evolaret. Neque vero animam Iesu duntaxat, sed et aliam quamcunque, quae tantum valeat ut mundi fabricatores angelos contemnere possit, vires desuper accipere, ut per easdem actiones progressione facta, functionibusque omnibus obitis quas Iesus obierit, et ipsa super opifices angelos efferri possit, et ab universis expedita, sursum ad incognitum Patrem pervenire. Immo ea erat impudentissimorum hominum arrogantia, ut gloriarentur quidam non modo apostolis Petro et Paulo, et reliquis, sed et ipsi Iesu praecellere se, tum excellentia cognitionis, tum quod progressiones varias ac decursus cumulatius obiissent. Animas quippe omnes ex eadem *περιφορᾷ* esse; et ideo eundem, quem Iesus, contemtum angelorum suscipientes, eadem vi ac virtute instrui, qua per actionum omnium genera traducantur.

---

1) Clem. Alex. Strom. l. III. p. 428. Theod. lib. I. c. 5. Euseb. l. IV. Hist. c. 7. Epiph. Haer. XXXI. §. 1. et 2. 2) Iren. lib. I. c. 25. n. 6. 3) Epiph. Haer. XXVII. §. 1. et 2. Iren. lib. I. c. 25. Theodoret. l. I. c. 5.

Quod si reperiri aliqua possit quae maiorem quam Iesus contemtum suscipiat, ea ipsi demum antecellet.

121. Hoc igitur hominum dicam, an ferarum, principium fuit, animas corporibus praecexsistentes perfectionis culmen attingere non posse, nisi dissolutiori vita, nefandis turpitudinibus, omnique scelerum ac facinorum genere mundi conditores angelos, audacius conculcatis omnibus eorum legibus, praeceptis et operibus, spreverint: quo excusso iugo, caelestem libertatem obtineant, et sursum adspirare et evolare possint. Nihil quippe natura bonum aut malum esse, sed sola hominum opinione, qui ea esse bona aut mala censent, quae legi vel repugnent, vel consentiant: sublata proinde lege, ab angelis inique lata, omnia suapte natura promiscua haberi: solam vero fidem et caritatem ad salutem esse necessarias, reliqua omnia nihil conferre: eaque esse quae Iesus apostolos suos et discipulos clam docuerit, mandavitque ut iis crederent, qui digni essent. Hinc conficta nova μετεμψυχώσεως species, ut anima quae vel unicum flagitii genus in hac una praesenti vita praetermiserit, in aliud corpus detrudatur; et si ne tunc quidem omnia perfecerit, vicissim in aliud, donec omni actionum genere perfuncta, nulliusque in hoc mundo debito actionis obligata, iam libera abscedat. Animas siquidem hinc migrantes, simul ac corporis vinculis exsolutae fuerint, apprehendit unus ex mundi fabricatoribus angelis, cui id muneris demandatum, et ad Iudicem deducit; ubi si nondum omnia praestitisse convictae fuerint, ab angelorum principe traduntur alteri angelo sibi ministranti, qui eas in alia corpora retrudat.

122. Quid iam mirum, si homines abominandis iis principiis imbuti, pecudum more viventes in infinita sese flagitiorum genera praecipites dederint, ac quidquid in arte magica teterrimum erat, impudenter exercuerint? Parum fuisset, nisi christianum sibi nomen assumentes, scelestissimae suae vitae infamia ecclesiam Dei respersissent. Nam ex profligata eorum vita similes esse Christianorum omnium mores iudicantes Ethnici, ab omnibus nullo discrimine habito abhorrebant, et ne quidem nomen ferre poterant. Alii tamen ab aliis non fide duntaxat et moribus, sed et signis quibusdam externis discriminari facile potuissent. Solebant enim Carpocratiani iis quos ad suam sectam fraudulenter pellexissent, candente ferro, vel novacula, vel acu notam quandam ad imam auriculam imprimere. Ne vero a Gentilium superstitionibus longius recederent, habebant imagines quasdam tum pictas, tum caelatas, quas Iesu effigies esse affirmabant a Pilato effictas, quo tempore ille inter homines agebat. His porro admiscebant celebriorum philosophorum, Pythagorae, Platonis, Aristotelis, et aliorum imagines: omnes vero simul, servatis Gentilium ritibus, adorabant.

123. Ex eo cultu confirmatur quod iam multoties diximus, summo apud Gnosticos in loco fuisse Pythagoram et Platonem, eorumque placita. Ea licet maximis impietatum monstris auxissent et interpolassent Carpocratiani, inter nebulas tamen identidem relucent. De mundi creationis hypothesi, de ignoto Deo, et abroganda lege per angelos lata, nihil dicam: ipsissima siquidem Simonis doctrina est, Pythagorae et Platonis institutis non male respondens. Quae vero de anima humana comminiscebatur Carpocrates, platonicam scholam per omnia fere sapiunt.

Quemadmodum Platonici, auctore Iamblicho [1]), duplicem unicuique homini tribuebant animam, alteram *a primo intelligibili, quae participat de potentia opificis*, *ἀπὸ τοῦ πρώτου νοητοῦ μετέχουσαν καὶ τῆς τοῦ δημιουργοῦ δυνάμεως*: alteram quae nobis advenit *ἐκ τῆς τῶν οὐρανίων περιφορᾶς, εἰς ἣν ἐπεισέρπει ἡ θεοπτικὴ ψυχή, ex circuitione caelestium mundorum, in quam anima Dei speculatrix se inserit;* sic et Carpocrates duas uniuscuiusque, iusti saltem, hominis velut animas distinguebat: alteram, quae ex *περιφορᾶς, circumlatione* incogniti Dei, i. e. nisi me fallit coniectura, ex supremo orbe seu caelo, aut pleromate, in quo summus Deus inhabitat, descenderit: alteram, quae in hanc sese insinuaverit; supernam videlicet virtutem ei immissam, ut corroboretur et incogniti Dei recordari valeat. Ex Platonicis [2]), prior anima mundorum obtemperat motibus, et fato subiacet; ex Carpocratianis, angelorum mundi opificum, si sola sit, imperium subit. Ex illis, posterior *γενεσιουργοῦ* motioni supereminet, quia habet in se principium proprium *τῆς εἰς τὸ νοητὸν περιαγωγῆς,* quo possit ad intelligibile convertere se ipsam, et a rebus factis eximere, ac ordinem mundanum supergredi. Ex his, angelorum mundi conditorum iugum excutit, rebus omnibus factis dominatur, ac demum vinculis exsoluta ad supremum Patrem evolat. Haec tam apte sibi respondent, ut gutta guttae similior non sit. Platonis in *Phaedro, Timaeo, Epinomide,* et alibi, doctrina est, animas nostras diu antequam corpora ingrederentur, convivio Deorum assedisse, divinasque dapes gustasse; videlicet veritatis contemplatione nutritas fuisse, verorumque entium conspectu recreatas: tum confractis binis alis, quibus ad supera ferebantur, fatiscente nimirum intellectus et voluntatis propensione in veritatem et bonitatem divinam; illius vero, qui in corpora generanda et animanda inclinat, instinctus pondere abreptas, in ea delabi: ubi ratiocinationis ope fractas recuperant alas, paullatim scilicet recordatae eorum quae olim viderunt Deo iunctae: et tunc haec inferiora despicientes, reflecti ad vera entia quae sunt sursum. Quae sic iugi rerum caelestium meditatione, laudabilique rationis usu supernorum olim sibi visorum memoriam redintegraverint, solutis demum corporis vinculis sursum evolare, astrum aliquod recturas, beatamque vitam acturas. Si vero corporibus altius immersae, rationem elanguescere, et pravorum affectuum nebulis obrui siverint, ad superna nusquam respicientes; has in peccatorum poenam in muliebria corpora primum, tum in belluina, si non resipiscant, detrudi: donec excitata ratione, pravisque affectibus purgatae, caelestium memores ad primum optimumque sui habitum iam redierint. Eandem porro Carpocratis sententiam esse, cuilibet alteram cum altera conferenti perspicuum evadet. Eadem apparet utrobique animarum origo caelestis; eadem praeexistentia, rerumque superarum contemplatio, corporum ingressu antiquior; eadem animarum purgatio, pristinorumque memoriae recuperatio per rerum inferiorum contemtum; eadem revolutio per diversa corpora, ac tandem in pristinum statum restitutio. Tantum Carpocrates sub nomine christiano longe deterior Platone ethnico, rerum inferiorum contemtum eo modo interpretatur, quem erubuisset Plato; caussamque iteratae revolutionis animarum refundit in turpissimi ali-

1) Iambl. Sect. VIII. c. 6. 2) Idem c. 7.

cuius facinoris omissionem, quam ille in pravos affectus et perversum rationis usum reiicit.

124. Pythagoreum etiam erat quod fingebat Carpocrates, angelo cuidam id muneris demandatum fuisse, ut animas hinc migrantes ad principem deducat, ab eo, si quidpiam praetermiserint, puniendas. Nam, Laertio teste [1]), hoc ipsum officium erat quod Mercurio tribuebat Pythagoras: adeo ut eandem omnino fabulam, mutatis duntaxat nominibus, recoxerit Carpocrates. Aiebat ille, Mercurium animarum *ταμίαν*, quaestorem esse, atque adeo ductorem dici, quod is ex corporibus animas, puras quidem ac purgatas in excelsum ducat, impuras vero Furiis tradat, infractis nexibus vinciendas. Hinc Horatius I. Od. 10.

Tu pias laetis animas reponis
Sedibus, virgaque levem coerces
Aurea turbam.

VI. DE CERINTHO.

125. Cerinthus si non natione, saltem religione Iudaeus, apostolorum temporibus, immo ab ipsis ecclesiae incunabulis, si Epiphanio fides [2]), erupit. Eum enim fuisse putat, qui fideles adversus S. Petrum, quod Cornelium centurionem baptismo dignatus fuisset, concitavit: eundem illum, qui perperam commendata veteri lege ecclesiam Antiochenam turbavit. Cerinthianos denique fuisse qui praepostero legis studio, toties apostolis, praesertim D. Paulo, invidiam conflarunt, quos in epistolis suis hic saepius perstringit. Verum repugnare videtur Irenaeus [3]) scribens, *multo prius inseminatum* fuisse Nicolaitarum quam Cerinthianorum errorem: nec sibi ipsi satis consentit Epiphanius, Cerinthum Carpocrate posteriorem fuisse significans, qui, ut paullo ante vidimus, non nisi Adriani imperii initiis prodiit. At antiquiorem esse Cerinthum et sub Domitiano suam haeresin condidisse, vel illud demonstrat, quod a Polycarpo traditum accepisse se testatur Irenaeus et post eum Eusebius, Epiphanius, Hieronymus, Theodoretus [4]) et alii, Ioannem apostolum Ephesi in balneum lavandi caussa ingressum, quum certior factus esset Cerinthum intus esse, actutum ex eo loco se proripuisse: ne balneum, inquiebat, in quo Cerinthus veritatis hostis commoratur, subito concidens, nos opprimat.

126. Eum in Aegypto primum diutius versatum, philosophiae (platonicae certe, quae ibi tum temporibus florebat) operam dedisse, deinde in Asiam venisse, ibique longe lateque impietatem suam propagasse, auctor est Theodoretus [5]), cui consentit et Epiphanius [6]). Nova ex eo secta prorupit, dicta Cerinthianorum, vel Merinthianorum: sive quod Cerinthus pariter et Merinthus vocaretur: sive quod Merinthum quendam adiutorem et socium habuerit: quod dubium et soli Deo notum esse fatetur Epiphanius [7]). Scriptum fuisse a Ioanne evangelium, partim ut Cerinthi errores refelleret, tradit Irenaeus. Hominum igitur insulsissimi, qui, Philastrio teste, evangelii huius auctorem Cerinthum ipsum fuisse

1) Laert. in Pythag. p. 514. 2) Epiph. Haer. XXVIII. §. 2. 3) Iren. l. III. c. 11. n. 1. 4) Iren. l. III. c. 3. n. 4. Euseb. l. III. c. 28. Epiph. §. 2. 4. Hieron. in Cat. c. 9. Theod. l. II. 5) Theod. l. II. c. 3. 6) Epiph. §. 6. 7) Epiph. §. 8.

autumabant. Solum enim Matthaei evangelium, idque Christi genealogia decurtatum, repudiatis tribus aliis, reiectis etiam Actis apostolorum, omnibusque Pauli epistolis, probabant, si Philastrio et Epiphanio [1]) fides est. Nonnihil tamen vereor, ut uterque Cerinthianos cum Ebionitis confuderit. Soli siquidem ex veteribus id illis adscribunt, quod his constanter tribuunt alii: nec videtur id ab Irenaeo Cerinthi errores referente omissum iri, quod Ebionitarum dogmata recensens adnotare non neglexit. Accedit quod Epiphanius secum ipse pugnare videatur. Nam Haer. xxx. §. 14. conceptis verbis asserit, Carpocratem et Cerinthum Matthaei evangelio fretos, ex eius initio, Christique genealogia probare niti, Christum ex Iosephi et Mariae semine procreatum fuisse: Ebionaeos e contrario omni illa genealogia amputata, ab aliis verbis evangelii initium deduxisse. Igitur Matthaei evangelium genealogia non decurtabant Cerinthiani, e qua argumenta contra virginitatem Mariae petere se posse sibi persuadebant. Ac proinde aut hic aut illic memoria defecerit Epiphanium necesse est. Illic potius quam hic defecisse crediderim. Testatum facit Dionysius Alexandrinus apud Eusebium [2]); quosdam fuisse qui Cerinthum auctorem esse existimarent Apocalypsis, quam Ioannis esse certissime credit ecclesia. Haud dubie quia et ipse apostolum sese venditans, spuriam Apocalypsin scribere ausus fuerat: id quippe disertis verbis asserit Theodoretus [3]); huncque sensum facile admittunt Caii Presbyteri verba apud eundem Eusebium [4]). Ediderat etiam, Theodoreto teste, *ἀπειλῶν τινων διδασκαλίας, quarundam minarum doctrinas:* qui liber an ab Apocalypsi diversus esset, non satis constat. Illud certius, Cerinthum in sua Apocalypsi prima chiliastarum seu millenariorum erroris fundamenta iecisse: quo fingebat post humanae carnis resurrectionem, futurum terrenum Christi regnum et Hierosolymis homines carnis cupiditatibus et voluptatum illecebris servituros, milleque annos in nuptiarum festis et celebritate consumturos. Cui quidem errori occasionem praebuisse videntur (ut nihil de Ioannis Apocalypsi dicam) prophetarum de Messiae regno vaticinia; quae quum ad litteram intelligenda, cum Iudaeorum vulgo mundanum regnum exspectante, sibi fingeret homo pinguiori minerva et ita nondum impleta, in eam successit opinionem, implenda illa esse post resurrectionem. Forte etiam materiam subministravit Platonis commentum de magno anno. Vult enim, post 36 annorum millia innovandum esse mundum, tuncque fore saeculum aureum. In eundem errorem, sed corporearum voluptatum faecibus expurgatum, quum imprudens incidisset Papias Ioannis auditor, aliis postmodum e ss. patribus non paucis lapsus occasionem ministravit. Sed de his alias.

127. Eadem fere Cerinthi, quae Simonis, Menandri et aliorum Gnosticorum somnia fuere. Deum summum a Creatore mundi ita distinguit et natura et sede, ut hic virtus sit infinite ab illo distans, eiusque prorsus ignara. Unde sequitur, Deum nullam huius mundi curam egisse, nec legem dedisse; sed angelum ut mundi conditorem, sic et legis auctorem et Iudaeorum Dominum fuisse: quae Simonis, Menandri

1) Philast. lib. de Haer. Epiph. §. 5. 2) Euseb. l. VII. c. 25. 3) Theod. lib. II. c. 3. 4) Euseb. l. III. c. 28.

et Carpocratis deliria fuerunt, quae Tertullianus [1]), vel alius quivis, et Epiphanius diserte Cerintho tribuunt. Et tamen vult Epiphanius [2]), Cerinthum tam incenso veteris legis promovendae studio flagrasse, ut apostolis passim et ubique restiterit, insusurrataque Christianorum auribus circumcisionis, adeoque et Iudaicorum rituum necessitate, Gentilium ecclesias conturbarit. Haec certe secum aperte pugnant; ipseque agnoscit Epiphanius. Quare et hic vereor ut memoria lapsus, aut inconsiderantia offenderit, et Augustino ipsi offendiculum praebuerit; res dissociabiles, Ebionitarum videlicet et Cerinthianorum haereses miscendo. Irenaeus siquidem, Tertullianus et Theodoretus, accuratissimi scriptores, Cerinthi errorum catalogum texentes, intempestivi illius in veterem legem studii ne verbo quidem meminere; cuius tamen Ebionaeos arguere non omiserunt. Fateor equidem, nihil mirum esse si haeretici imprudentes a se ipsis dissideant. Veritas quum una et eadem sit, sola sibi constat: sed quod tam aperte secum pugnent, ut scientes et volentes una manu dissipent, quod altera struxerint, illiusque legis necessitatem urgeant, cuius iugum ab iniquis angelis et in Deum rebellibus contra fas impositum, excutiendum esse palam et ubique docent, vix fidem apud sobrios obtinet. Eam autem esse debuisse patet Cerinthi hypothesin, ut ex consequenti veterem legem spreverit, illiusque observantiam omnem procul a veris Gnosticis amandandam esse censuerit, ex quo Simonis et Carpocratis vestigia relegens cum ipsis asserit, hanc ab inferioribus angelis supremi patris ignaris positam esse et ad unam ignoti Dei cognitionem salutem retulit. Nec omittendum, apud Tertullianum hoc ipsum Ebionaeis adscribi, quod Epiphanius Cerinthianis tribuit, scilicet quod his Christi verbis apud Matthaeum: *Nemo discipulus super magistrum, nec servus super Dominum: sufficit discipulo, si sit sicut magister eius* [3]); illi abuterentur, ut circumcisionis ac veteris legis necessitatem ex Iesu Christi exemplo commendarent; quippe qui utrique se ipsum subdiderit. Adeo ut hinc suspicio firmetur, Epiphanium inter Cerinthianos et Ebionaeos non satis accurate distinxisse.

128. Suum fuisse Cerintho, sicut et Nicolaitis, aliisque Gnosticis pleroma, supremi Patris ac Siges, aliarumque Virtutum *invisibilium et innominabilium* sedem, asseverant Irenaeus et Gregorius Nazianzenus [4]). Ab illo Patre Monogenem, ab hoc Logon derivabat: adeo ut dubitare fas non sit, quin primam ogdoada cum ceteris Gnosticis admiserit. Iesum vero mundi conditoris Filium, eumque purum hominem, ex Iosephi et Mariae satu natum, more ceterorum hominum, dicebat; cum hoc tantum discrimine, quod iustitia, sapientia et prudentia aliis hominibus praecelluerit. In hunc vero, quum baptismum suscepit, delapsum a summo Deo esse Christum, sub columbae specie; qui ei incognitum patrem et per eum reliquis hominibus patefecerit, ac miraculorum, quae patravit, auctor fuerit, Tempore autem passionis recessisse Christum et eo revolasse unde venerat: Iesum vero solum et obiisse mortem et a mortuis excitatum fuisse; Christo, utpote spiritali, poenae omnis experte.

---

1) Tertull. de Praescr. c. 48. 2) Epiph. §. 1. 3) Matth. X. 24, 4) Iren. lib. III. c. 11. n. 1. Greg. Naz. Orat. 23. Iren. lib. I. c. 26. n. 1. Epiph. §. 1. Theod. lib. II. c. 3. etc.

Carpocratiana haec omnia: a Simonianis vero in eo recedunt, quod Iesu verum corpus humanum attribuatur: sed purus homo quum statuatur, quem transiens duntaxat divinitatis radius illustravit; utrobique meritum omne Christi passionis et mortis evanescit. Sed ex modo dictis facile deprehendes, quo sensu Epiphanius [1]) ex Cerinthi mente scripserit, passum ac crucifixum esse Christum. Nisi mendum in textum irrepserit, ac pro *Χριστὸν* legendum sit *Ἰησοῦν*, palam est hic *Christi* vocem non Cerinthianorum sensu usurpari, qui Christum a Iesu distinguebant, sed Catholicorum qui promiscue utramque vocem accipiunt, quod unus et idem sit, unaque et eadem persona Christus et Iesus. Sed quod addit Epiphanius [2]) (cui consentiunt Philastrius et Augustinus), nondum a mortuis excitatum esse Iesum, sed tum demum, quum mortui resurgent omnes, excitandum; vix stare potest cum iis quae modo ex Irenaeo, immo ex ipso Epiphanio retulimus, mortuum esse Iesum et a mortuis suscitatum. Nisi forte dicamus, hanc, non Cerinthi ipsius, sed quorundam e discipulis sententiam fuisse; qui millenariorum errore a magistro imbuti, nulla prae ceteris singulari praerogativa Iesum donatum vellent; sed tum tantum a mortuis excitandum, quum alii omnes suscitandi essent. Idque innuere videtur Epiphanius, ut et Cerinthianos aliquos mortuorum resurrectionem funditus negasse: quos proinde de terreno Christi regno secus ac magistrum sensisse consequens videtur. Quod Iudam proditorem honoraverit Cerinthus, solus memorat Philastrius, e veteribus nemo alius.

VII. DE EBIONAEIS.

129. Sentire videntur Origenes et Eusebius [3]), Ebionaeorum nomen, non ab Ebione quodam sectae principe derivatum esse, ut plurimi asserunt, sed merum cognomen esse iis haereticis inditum, qui merum hominem esse Christum arbitrati, humiliter admodum atque abiecte de eo sentiebant. *Cuius rei caussa*, inquit Eusebius, *Ebionaeorum nomen sortiti sunt, quo intelligentiae illorum inopia satis indicatur. Sic enim mendici apud Hebraeos vocantur.* Eadem fere Origenis verba sunt. Alii tamen vulgo, sed his recentiores, quorum dux Epiphanius, repugnant, affirmantque tenebricosum quendam Ebionem exstitisse qui cognominis sectae auctor fuerit. Mirum tamen, Irenaeum nostrum, qui veterum omnium sectarum gnosticarum principes, ubi certi fuerunt et noti, nominare nusquam neglexit; Ebionis illius, ubi Ebionaeorum errores refert, ne meminisse quidem. Quidquid sit, veteri fama ad se perlatum scribit Epiphanius [4]), Ebionem post excidium Hierosolymitanum, quum Christiani trans Iordanem in urbem Pellam vicinasque regiones sese recepissent, in vico Cocabe male concepta dogmata propagare coepisse; indeque in Asia, Romae etiam et in insula Cypro disseminasse. Vulgata apud veteres sententia est, Ioannem scripsisse evangelium, ut hydram nascentem suffocaret: quod quum anno circiter 97. scriptum fuerit, necesse est antea erupisse e latebris Ebionem [5]).

130. Si Cerinthi auditor fuerit, a magistri sententia longius dis-

1) Epiph. §. 6. 2) Id. §. 1. 3) Origen. l. IV. de Princ. Euseb. lib. III. c. 27. 4) Epiph. Haer. XXX. §. 2. 5) Id. §. 18. Hieron. de Vir. ill.

cessit. Error praecipuus fuit[1]), quod veteris legis studiosus observator, hanc, sed pluribus superstitionibus, Samaritanorumque ritibus intermixtam, cum christiana fide consociandam esse pertinaciter assereret. Mundum a Deo conditum non negabat De Iesu Christo autem non una erat Ebionitarum opinio. Purum hominem fuisse, non Deum, consentiebant omnes. Alii quippe fatebantur eum e virgine natum esse; sed negabant ante hanc nativitatem exstitisse Deum, ac Dei Verbum et Sapientiam. Alii cum Ebione dicebant, eum ex Iosephi et Mariae consortio, more ceterorum hominum, esse genitum, sanctitatemque bonis operibus acquisivisse sibi. Et haec communior erat Ebionaeorum sententia, quam ipsis tribuunt Irenaeus et Tertullianus, Eusebius et Theodoretus[2]). Indeque eruendam esse puto explicationem istorum Irenaei verborum: *Ea autem quae sunt erga Dominum, non similiter ut Cerinthus et Carpocrates opinantur:* si tamen genuina sit lectio, nec expungenda sit particula negativa. Ut enim hic omittam quod in notis ad hunc locum observavi; quamvis Cerinthus et Carpocrates Iesum ex Iosepho et Maria more aliorum hominum genitum esse vellent, non tamen opinabantur cum bonis operibus sanctitatem sanctitudinisque conferendae vim acquisivisse sibi; sed delapsam in eum supernam virtutem a Deo, sanctitatem ipsi ac per ipsum aliis impertiisse, vimque patrandi miracula. Ebionaei vero nihil simile commenti, nec fictitium illum Christum desuper accersentes, simplicius statuerunt Iesum merum hominem fuisse, cuius una fuerit prae ceteris haec praerogativa, quod bonis operibus studiosius incumbens, maiorem sibi sanctitatem comparaverit. Sic inter utrosque non leve stat discrimen, ut merito scribere potuerit Irenaeus, *non similiter opinari.*

131. Ex novi foederis libris nullum, praeter evangelium Matthaei, illud videlicet quod hebraice scriptum, secundum Hebraeos dicebatur, idque primis duobus capitibus mutilatum, ac pluribus in locis depravatum, recipiebant. Cetera evangelia non magni faciebant, *τῶν λοιπῶν σμικρὸν ἐποιοῦντο λόγον,* ait Eusebius[3]). Si tamen Mario Mercatori fides, Marci et Lucae auctoritate interdum usi sunt; quum videlicet id e re sua esse existimabant, ut Catholicos, si possent, propriis armis debellarent. Non tantum Pauli epistolas respuebant, sed varia in ipsum convicia iaciebant. E veteri Testamento *quaecunque prophetica erant,* ceteris *curiosius exponere nitebantur,* inquit Irenaeus; id est, si bene coniiciam, in varias vanasque allegorias, pro haereticorum more, trahebant. Plura apostolis supponere veriti non fuerant adulterina scripta[4]). Alia apostolorum Acta circumferebant et Petri Circuitus, seu libros Recognitionum, quibus falso inscriptum Clementis Romani nomen, foede corruperant. Circumcisionis legaliumque necessitatem sic urgebant, ut sine illis cum sola fide christiana salutem obtineri non posse contenderent: sed legalia, ut dixi, variis iisque ridiculis superstitionibus miscebant. Ii sunt potissimum quorum fervidius, immo saepe et furens stu-

1) Philastr. Iren. l. I. cap. 26. n. 2. Euseb. l. III. cap. 27. Origen. in Cels. l. V. Euseb. loc. cit. Epiph. §. 3. 2) Iren. l. III. c. 21. n. 1. Euseb. l. VI. c. 17. Tertull. lib. de Car. Chr. c. 14. Theod. l. II. c. 1. 3) Iren. l. I. c. 26. n. 2. Euseb. l. III. c. 27. Theod. loc. cit. Epiph. §. 3. 4) Epiphan. §. 15. 16.

dium passim perstringunt ac coercent apostoli, Paulus praesertim in epistolis. Baptismo suos initiabant, quem, Hieronymi saltem aevo [1]), catholica non improbabat ecclesia. Mysteria vero quotannis celebrabant, in quibus panes azymos, et ad alteram mysterii partem aquam adhibebant. Significare tamen videtur Eusebius [2]), ea mysteria non quotannis, sed singulis dominicis diebus ab iis fuisse celebrata. Nam, inquit, Sabbatum et reliquam iudaicam institutionem similiter cum Iudaeis observant: dies vero dominicos pari nobiscum ratione in resurrectionis Salvatoris nostri memoriam recolunt. Plura alia de Ebionitarum erroribus pravisque consuetudinibus ac moribus videre est apud Epiphanium; quae quum nihil aut parum ad scopum nostrum conferant, nullaque expositione indigeant, consulto praetermitto. Observet tantum studiosus lector, Epiphanium non satis accurate distinxisse inter priorum et posteriorum Ebionitarum errores, eosque permixtim omnibus tribuisse, qui tamen in priores non conveniant, sed in posteriores duntaxat: ab his siquidem illorum hypothesin novorum dogmatum et superstitionum accessione interpolatam fuisse puto: et in eo fere solo priores peccasse, quod iudaicis caeremoniis, ritibus ac superstitionibus ultra modum addicti essent et de Christi persona humilius sentirent. Et ea ratione eos Gnosticorum catalogo inserit Irenaeus; non quod Aeonum chimaeris mentem pasti fuerint sed quod in Christo Iesu nihil nisi humanum, nihil substantia divinum agnoscentes, Verbi Incarnationem e medio tollerent, Christique passionis meritum omne funditus everterent.

VIII. DE NICOLAITIS.

132. Nicolaitas a Nicolao, uno e septem prioribus diaconis, quorum mentio fit in Actis apostolorum [3]), nomen traxisse, communis omnium sententia est; si unus excipiatur Cassianus [4]), qui nulla veterum auctoritate fretus existimat, eos ab alio quodam Nicolao et nomen et originem accepisse. An vero Nicolaus ille diaconus propudiosae Nicolaitarum sectae fundamenta iecerit, iam in diversa scinduntur opiniones. Alii eum culpa teneri, alii vacare sentiunt. Et quidem Nicolaum primum erroris auctorem et magistrum exstitisse, diserte asserunt Irenaeus, vetus auctor Additamenti quod ad calcem Tertulliani libri de Praescript. legitur [5]), Hippolytus apud Photium, Hilarius, Greg. Nyss., Philastrius, Hieronymus et Gregorius Magnus [6]). Lapsus occasio fuit, si Epiphanium audiamus, hominis intemperantia, continentiae propositi, quod susceperat, minime tenax. Quum enim uxorem haberet, eleganti specie mulierem, a qua aliquamdiu sibi temperasset; continentiae longioris impatiens, ad pristinos amplexus rediit. Ut autem probrosum facinus quaesitis coloribus obduceret, libidinem procacitate cumulans, docuit: *Nisi quis singulis diebus luxuriae vacet, sempiternam salutem consequi non posse.* Tum zelotypia incensus et inde in nova scelera prolapsus, Nicolaitarum ac Gnosticorum sectae initium dedit, e quibus plures aliae, quarum ob-

1) Hieron. in Lucif. c. 9. 2) Euseb. lib. III. c. 27. 3) Act. VI. 3. 5. 4) Cassian. Coll. 18. c. 16. 5) Iren. l. I. c. 26. n. 3. Tertull. de Praescr. c. 47. 6) Phot. cod. 232. Hieron. in Epist. ad Heliod. ad Sabinian. Diac. et alibi. Hilar. in Matth. c. 25. Greg. Nyss. l. XI. ep. 1. Eunom. Greg. Mag. Hom. 38. in Evang. Epiph. Haer. XXV. §. 1.

scura vel prorsus ignota nomina, novis additis errorum ac spurcitiarum monstris, scaturiere. Qui vero Nicolaum a culpa liberant, nec ipsi pauci sunt, nec infimi in ecclesia nominis. Agmen ducit Clemens Alexandrinus, quem sequuntur Eusebius, Theodoretus, Augustinus, Victorinus Petavionensis [1]) et alii: inter quos recenseri posset Ignatius in epistolis ad Trallianos et Philadelphienses, si ea quae in Nicolai gratiam adducuntur testimonia, ex genuinis, non vero ex interpolatis epistolis depromerentur. Illi omnes censent, haereticos Simonianos, ut auctoritatem sibi ex magno nomine conciliarent, Nicolao calumniatos, eo auctore gloriatos fuisse; arrepta perperam occasione ex facto quod Clemens Alexand. [2]) longe aliter atque Epiphanius narrat. Ait nempe, audiisse se, Nicolaum, ut ab obiecta sibi ab apostolis zelotypia purgaret sese, uxore, quae formosa erat, in medium adducta, permisisse cui vellet ei nubere. Inde vero, quasi uxorem publice prostituisset, eiusque promiscuum usum quibuscunque permisisset, occasionem captasse haereticos laxandi frena libidini. Nicolai vero hunc unum fuisse scopum, ut a se amoliretur suspicionem zelotypiae, palamque faceret se ita affectum esse, ut, si fas esset, abdicata uxore, cuivis eam ducendi potestatem largiri paratus esset. Quod quidem vel ex eo demonstratur, quod a coniugali fide nunquam resiluerit et ex eius liberis filiae consenuerint virgines, filius autem caelebs vitam egerit. Alio Nicolai apophthegmate abutebantur haeretici, scilicet, *carne abutendum esse:* quo tamen id unum significare animus fuerat, carni haudquaquam indulgendum esse, sed eam perdomandam et assidua virtutis exercitatione frangendam. Sua stat utrique parti auctoritas, graviaque utrinque militant rationum momenta. Nicolaum damnat Irenaeus vir apostolicus, absolvit Clemens huic coaevus; uterque ex iis quae ab apostolorum discipulis auditu percipere potuerat; adeo ut hic alterutrius fides elevari non debeat. Tutius igitur, ne temere definiamus, rem in medio relinquere. Illud vero certissimum est, Dei ipsius ore damnatos fuisse Nicolaitas. Sic enim in Apocalypsi [3]) Christus episcopum ephesinum alloquitur: *Sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quae et ego odi.* Ac proinde tum temporis ecclesiam devastabat ea secta. Cito exstinctam putat Eusebius [4]). Probabilius, non ipsam sectam exstinctam, sed sectae nomen duntaxat exstinctum esse. Quum enim scelestissimum quid, adeoque et exsecrandum, catholicis auribus sonaret; eo deposito novus excogitatus Gnosticorum titulus, qui ementita scientiae laude fucum faceret imperitis.

133. Dogmata Nicolaitarum theoretica recensere supervacaneum duxit Irenaeus: eadem quippe fuisse quae ceterorum Gnosticorum perspicue innuit lib. III. cap. 11. ut iam de Cerintho agentes observavimus. Ea fusiori stilo prosecutus est Epiphanius, compendio vero retulerunt Augustinus et Pseudo-Tertullianus [5]). Sed quae ii Nicolaitis adscribunt, ipsa sunt quae paullo post tribuit Irenaeus Gnosticis in genere. Quum autem eo nomine prae ceteris gloriarentur Nicolaitae, illudque forte

1) Clem. Alex. l. III. Strom. p. 436, Euseb. l. III. c. 29. Theod. l. III. c. 1. Aug. Haer. 5. Vict. Pet. in Apoc. in Bibliot. PP. 2) Clem. Alex. l. II. Strom. p. 411. 3) Apoc. I. II. 6. 4) Euseb. l. III. c. 29. 5) Epiph. Haer. XXV. Aug. Haer. 5. Tertull. de Praescr. c. 47.

primi omnium sibi vindicassent, non dubitem quin in eos potissimum conveniant, quae in Gnosticos illic refert auctor noster. Sed de his suo loco. Practica vero dogmata paucissimis verbis, sed efficacissimis perstrinxit idem Irenaeus: *indiscrete vivunt*, inquit; id est, promiscua eis sunt omnia: quod ad Carpocratis principium redit: Nihil suapte natura bonum esse aut malum, sed indifferentia omnia. Nihil mirum itaque, si idolothytis vesci et fornicari [quibus characteribus designat eam sectam Christus [1])] nulla eis religio esset. Uno verbo tam effrenis fuit in omni intemperantiae genere eorum libido, ut Pseudo-Tertulliano pudor fuerit dicere.

IX. DE CERDONE.

134. Cerdon [2]) Marcionis praeceptor e Syria oriundus fuisse videtur. Nam e Syria Romam venisse, Hygino romanam ecclesiam regente, eodem paene tempore quo Valentinum, id est, circa annum Christi 141. constanter affirmant omnes antiqui. Ibi dolos erroribus miscens, modo catholicam fidem professus, modo abiiciens, modo poenitens, modo apostata, sic Protei instar mutata saepius forma, nullius tenax, ecclesiam diu fatigavit; donec tandem iteratorum lapsuum pertaesa impostorem sacris fidelium coetibus in perpetuum arcuit. Hic, Irenaeo teste, erroris materiam ab iis qui sunt erga Simonem, id est, a Simone, Menandro, Saturnino, aliisque Gnosticorum coryphaeis accepit, cui tamen, ut novum quid proferre videretur, paullo diversam formam induxit. Duo rerum principia, duosque Deos statuit; bonum alterum et ignotum omnibus, quem et Patrem Iesu nominavit: alterum mundi Conditorem, iustum, immitem et cognitum, mosaicae legis auctorem, qui et prophetis apparuit, ac se videndum saepenumero praebuit. Haec si quid a Simonis dogmatibus discrepant, in verbis tantum haeret pugna. Nam quamvis ille ab angelis conditum mundum, veteremque legem sancitam asseruerit; tamen eius successores peculiarem Creatorem et legis auctorem introduxerunt, quem alii Demiurgum, alii Ialdabaoth vocabant; omnes Deum esse, suo modo, dicebant, tum quod saepius eo nomine veniat in veteri Testamento, tum quod supremum sibi in res inferiores vendicasset imperium. At verum Deum, nisi in apertam insaniam prolapsi insitam mortalibus omnibus divinitatis ideam exstinxissent, fateri non poterant, ex quo creatum, a summo Deo debellatum et imperio, quod sibi male usurpaverat, exturbatum esse aiebant. Idem igitur re fuit Simoni et Cerdoni mundi fabricator, angelus videlicet, isque iniquus ac tyrannidem exercens; idem summus Deus et Pater, qui usque ad Christi Domini tempora ignotus manserit. Eadem proinde eiusdem hypothesis consectaria, scilicet reiectaneam esse veterem legem, ut a vero Deo alienam; mortuorum resurrectionem nullam esse; Christum Mariae filium non esse, sed ementita carnis specie vestitum e caelo descendisse, ut mundi opificis imperium ac tyrannidem everteret. Quae dogmata utrique ex aequo tribuunt auctores.

---

1) Apoc. II. 14. 2) Epiph. Haer XLI. §. 1. Philastr. c. 44. Iren. l. I. c. 17. n. 1. Id. lib. III. c. 4. n. 3, Iren. l. I. c. 27. n. 1. Epiph. §. 1. Tertull. de Praesc. c. 51. Tleodoret. l. I. c. 24. Aug. Haer. 21.

X. DE MARCIONE.

135. Quotquot ex antiquis Marcionis meminere, cum et Cerdonis discipulum ac successorem et Ponticum genere fuisse tradunt. Addit Epiphanius [1]), frequentem de eo famam percrebuisse, ex ea Ponti parte quae Hellespontus dicitur, urbe Sinope oriundum fuisse, ac parente natum catholicae communionis episcopo. Nautam vocat Rhodon apud Eusebium [2]), nauclerum Tertullianus [3]): an quod artem nauticam primitus exercuerit? an quod uterque ludens in voce *Pontus*, Marcionis patriae nomine, quae et Asiae regionem et mare significat, illum nautam aut nauclerum vocet, quasi marinum hominem, in mari natum? Forte hanc fuisse Tertulliani, eiusmodi argutiarum amantissimi, mentem deprehendet quisquis libri primi contra Marcionem initia attente legerit. In virginitate primum, hominum contubernium fugiens, *μονάζων* [4]) (non monachorum instituta, quae nondum nota, professus, ut minus attentus vertit Petavius) laudabiliter vixit. Sed quum postea ob stuprum virgini illatum, ecclesia ab ipso patre, episcopo cum primis religioso, ac veritatis et sanctitatis amore flagrantissimo pulsus, veniam et pacem eblandiri nullis precibus posset (procul dubio quia sincerus ex delicto dolor non erat) Romam se post Hygini Papae obitum contulit. Quumque nihilo magis illic quod cupiebat obtineret a presbyteris, vacante tum, uti coniicio, sede, quod inscio patre facere istud ecclesiae leges non sinerent; superbia et invidia fractus, quod nec principem illic locum, nec ecclesiae quidem aditum impetrasset, ad Cerdonem se adiunxit. Quem principem locum, *προεδρίαν*, in ecclesia romana ambiret Marcion, incertum omnino. Nisi forte iam inter clericos adscriptus, reumque se stupri praefracte negans, ad primum inter aequales gradum adspiraret. Neque enim probabile est, hominem externum, vixque notum, sacris omnibus interdictum, ac proinde gravi saltem perpetrati criminis suspicione laborantem, adeo desipuisse, ut ad episcopatum ipsum animum adiiceret. Vult quidem Optatus [5]) Milevitanus, Marcionem ex episcopo apostatam factum: sed qui episcopus is esse potuit, qui solitariam vitam usque ad lapsum egit?

136. Certum est, Marcionem, quum Romam venit, catholica fide nondum excidisse. Id ex iis quae modo ex Epiphanio diximus liquido patet; clarius adhuc ex Tertulliano [6]), qui diserte asserit, *in catholicam primo doctrinam credidisse apud ecclesiam romanensem. Non negabunt,* ait alibi, *discipuli eius, primam illi fidem nobiscum fuisse, ipsius litteris testibus: ut hinc iam destinari possit haereticus, qui deserto quod prius fuerat, id postea sibi elegerit, quod retro non erat.* Desertionem autem hanc accidisse constat, tum quum a presbyteris Romanis repulsam passus, ad Cerdonem, tunc Romae commorantem, confugit. Neque enim ulla ratione defendi posse puto quod doctissimus coniicit Petavius [7]); duo distinguenda esse Marcionis tempora: ita ut sub Adriano primum in Ponto et Asia duntaxat nefarium dogma praedicaverit: postea vero sub Antonino maiores trahens spiritus, vehementius in eosdem illos er-

1) Epiph. Haer. XLII. §. 1. 2) Euseb. l. V. c. 13. 3) Tertull. de Praescr. c. 30. 4) Epiph. §. 1. 5) Optat. l. III. p. 79. edit. Paris. 1631. 6) Tertull. de Praesc. c. 30. Id. l. I. cont. Marc. c. I. 7) Petav. in Animadv. ad Haer. 46. T. II. Epiphan.

rores coeperit incumbere. Qui enim in Ponto et Asia nefarium dogma praedicare potuerit sub Adriano, quem e Ponto Catholicum profectum Antonino imperante, Romae Catholicum aliquamdiu vixisse asserunt Tertullianus [1]) et Epiphanius, non video: minus adhuc qua ratione Tertullianus Marcionem plus semel Antonianum haereticum appellare et sub Antonini principatu emersisse tam confidenter affirmare potuerit, qui dudum antea sub Adriano prodiisset. Deinde quicunque fere e veteribus Marcionis mentionem iniecerunt, hunc Cerdonis et discipulum et successorem exstitisse constanter asseverant; quod profecto stare non potest cum Petavii hypothesi; nam ex superius dictis certum est, Cerdonem e latebris prius caput non extulisse, quam Romam advenisset Hygino ecclesiam, Antonino Pio imperium regente. Vel ergo veterum omnium, nulla adigente necessitate, elevanda fides; vel dicendum, Marcionem a catholica fide prius non defecisse, quam communionis spe deiectus Cerdonem Romae et videre et audire potuerit. Nec quempiam morari debet una Philastrii [2]) auctoritas, qui Marcionem a Ioanne in Asia devictum, Epheso pulsum esse scribit: tam immaniter lapsus est, ut huius sententiae calculum adiicere voluisse Petavium non putem. Non morabor etiam Clementem Alexandrinum [3]), cuius verba Marcionem non modo Basilidi, sed etiam Simoni mago aetate praeivisse prae se ferunt. In haec quidem explicanda desudant eruditi, sed frustra: MSS. codicum ope sananda sunt, non explicanda. Unus Iustinus Martyr eruditissimum Petavium in eas ambages coniecit: alios Petavio minus peritos coniicere potest. Ille enim in Apologia priori nedum Marcionis meminit, sed et eius haeresin iam longe lateque propagatam esse supponit. At non adeo premit, immo penitus evanescit ea difficultas, si dicamus, quod de Valentino disserentes probare conati sumus, scriptam hanc Apologiam fuisse circiter annum reparatae salutis 145. Antonini vero Pii 8. Quinquennio tardius scriptam volunt ipse Petavius et cl. Tillemontius. Si iam, ut certum est, Romam venerit Marcion mortuo Hygino, sedeque tum vacante, hoc est, ex nostris rationibus, anno 142. brevique postea animum despondens Cerdonis haeresin amplexus fuerit; exinde usque ad annum 145. quo scribebat Iustinus, satis superque spatii fuerit, ut *per omne hominum genus, daemonum fretus auxilio, plurimis auctor* esse potuerit, *ut blasphema diceret,* quemadmodum loquitur Iustinus. Idque eo similius vero videtur, quo Romae non diu commoratus, Cerdonis doctrina iam plus satis imbutus, inde discessisse videtur eodem anno 142. vel sequenti, ut provincias peragraret. Nam scribit Hieronymus [4]), Marcionem, quum iter Romam suscepturus esset, illuc *praemisisse mulierem, quae decipiendos sibi animos praepararet;* quod quum certe de prima eiusdem peregrinatione intelligi non possit, ad secundam aliquam referendum est, qua Romam reversus sit, ut ibi latius errorem disseminaret, quem in prima satis pro votis praedicare non potuerat. Et in secundum illum Marcionis in urbem adventum, quo iam apertius ibidem prodire coepit eius error, utcunque quadrare potest quod ait Tertullianus [5]):

---

1) Tertull. de Praescr. c. 30. et l. I. cont. Marc. c. 19. 2) Philastr. Haer. 45. 3) Clem. Alex. l. VI. Strom. p. 764. 4) Hieron. Ep. 43. ad T. IV. no. edit. 5) Tertull. l. I. cont. Marc. c. 19

A Tiberio usque ad Antoninum anni fere CXV *et dimidium anni cum dimidio mensis: tantundem temporis ponunt inter Christum et Marcionem,..... qui sub Antonino primum processit.* Qui a Tiberio usque ad Antoninum annos tantum 115 numeraverit Septimius, haud facile divinabit quisquam, nisi forte Tiberii imperium pluribus annis decurtaverit. Si tamen ab anno decimo quinto imperii eius, quo Christus palam docere coepit, numerare velimus, non multum decedet de summa 115 tuncque Marcionem Romam esse reversum et bellum aperte cum ecclesia romana gerere coepisse, nihil repugnat.

137. Ut ut sit, ex hactenus dictis perspicuum est, falli auctorem carminis contra Marcionem[1]), dum asserit hunc sub Aniceto pontifice Romam primum venisse et innotuisse. Dudum certe iam innotuerat, qui, Irenaeo teste, sub eo pontifice *invaluit*, id est, summum nequitiae verticem adeptus est. Idque liquido probat id quod idem Irenaeus[2]) refert, sanctissimum martyrem Polycarpum, Romae tum degentem, *Marcioni occurrenti sibi et dicenti, Cognoscis nos? respondisse: Cognosco te primogenitum Satanae; multosque* Marcionitas *convertisse in ecclesiam Dei.* Ex ipso autem Irenaeo certum est. Polycarpum in urbem non advenisse nisi sub Aniceto. Fallitur proinde et Tertullianus[3]) scribens, Valentinum et Marcionem, *neque adeo olim fuisse, Antonini fere principatu, et in catholicam primo doctrinam credidisse apud ecclesiam romanensem: donec sub episcopatu Eleutherii benedicti, ob inquietam semper eorum curiositatem, qua fratres quoque vitiabant, semel et iterum eiecti, Marcion quidem cum ducentis sestertiis suis quae ecclesiae intulerat; novissime in perpetuum discidium relegati, venena doctrinarum suarum disseminaverunt. Postmodum Marcion poenitentiam confessus, quum conditioni sibi datae occurrit, ita pacem recepturus, si ceteros quoque quos perditioni erudisset, ecclesiae restitueret, morte praeventus est.* Haec apprime consentiunt cum iis quae de Cerdone refert Irenaeus[4]), *qui saepe in ecclesiam veniens et exhomologesin faciens, sic consummavit, modo quidem latenter docens, modo vero exhomologesin faciens, modo vero ab aliquibus traductus in his quae docebat male et abstentus est a religiosorum hominum conventu:* at in Valentinum et Marcionem nequaquam conveniunt. Quae iam ea de re ad Valentini haeresin diximus, hic repetere nihil iuvat: sed Marcionem usque ad Eleutherii tempora vitam prorogasse non crediderim; id enim non siluisset Irenaeus qui tunc librum suum tertium scribebat. Quum igitur illum *invaluisse sub Aniceto* ibidem asserat, nec ipsius quasi tum viventis meminerit, significare videtur iam sub Aniceto vivendi finem fecisse. Deinde non obscure innuit Tertullianus, Marcionem tamdiu *in catholicam doctrinam credidisse apud ecclesiam romanensem, donec sub episcopatu Eleutherii benedicti novissime in perpetuum discidium relegatus, venena doctrinae suae disseminaverit:* Et tamen hunc saepe vocat haereticum Antoniniani temporis, cuius haeresis Antonino imperante prodierit; quae secum aperte pugnant: nam Antonini Pii mors annis saltem quatuordecim praevertit Eleutherii episcopatui. Et qui is Catholicus usque ad Eleutherium

1) Carm. cont. Marc. l. III. in fi. ad calcem Tertull. 2) Iren. l. III. c. 4. n. 3. Id. c. 3. n. 4. 3) Tertull. de Praescr. c. 30. 4) Iren. l. III. c. 4. n. 3.

vixisse potuit, qui iam post Hygini mortem a fide defecerat, invalescebat vero sub Aniceto? Denique tota haec Tertulliani narratio de iteratis lapsibus, repetitaque Marcionis poenitentia, conciliari nulla ratione potest cum iis quae alii omnes scripserunt, illum spe communionis delectum statim in Cerdonis castra convolasse, ac deinceps mundum erroribus inficere non destitisse. Et absurda prorsus videtur ea oblatae Marcioni pacis conditio, *si ceteros quoque quos perditioni erudisset, ecclesiae restitueret.* Neque enim Marcioni integrum adhuc erat, toto orbe iam erroribus imbuto, tantam hominum multitudinem ex omnibus mundi partibus colligere et ecclesiae restituere. Itaque Tertullianus memoria lapsus Marcionem pro Cerdone, discipulum pro magistro scripserit necesse est.

138. Marcionem stoicae philosophiae potissimum studuisse et tum ab ea, tum etiam ab epicurea errorum argumenta petiisse tradit Tertullianus [1]). Clemens autem Alexandrinus [2]) censet, *Marcionem externorum alienorumque dogmatum occasiones inqrate et indocte accepisse a Platone.* Sed praecipuus illius error, caput ceterorum, de duplici Deo, altero bono et Christi Patre, altero veteris legis auctore et malorum effectore, fluxit tum a doctrina Platonis, qui mundi conditorem a supremo Deo distinguit, ut alibi ostendimus; duasque mundi animas comminiscitur lib. x. *de Legib.* beneficam scilicet et eam quae potest efficere contraria; tum maxime a vetustiorum illorum philosophorum opinione, a nobis Plutarchi verbis explicata, duplicem Deum fingentium, alterum bonum et bonorum, alterum malum et malorum effectorem. Hunc quidem errorem a Cerdone traditum acceperat Marcion; ille vero, ut superius observavimus, ab aliis Gnosticis, a quibus verbis tantum, non rebus discrepabat. Et hinc Gregorius Nazianzenus et post eum Elias Cretensis [3]) Marcioni tribuit Simonis magi ceterorumque Gnosticorum deliria, Bythum videlicet, Sigen, uno verbo triginta Valentini Aeones. Nec immerito: Irenaeus [4]) siquidem eum recenset inter illos, qui Dei *Logo tertiam prolationem a Patre donabant, unde et ignorat magnitudinem eius:* quique *porro et longe Logon a Deo separabant et ex cogitatione et sensu, id est,* Ennoea et Nu emitti dicebant: [5]) qui garriebant, summum Deum *extra se habere subiacens aliquid, quod vacuum et umbram vocant, in quo fabricatum est hoc quod est universum, infra spiritale pleroma: secundum quos erat et aliud quid, quod quidem extra pleroma esse dicunt, in quod et superiorem erraticam virtutem descendisse opinantur:* qui denique *nituntur docere super fabricatorem caeli et terrae esse aliquod pleroma aut Deum.* Quae omnia quum sint ipsissima Valentini commenta, manifeste demonstrant Marcionem, qui Valentino coaevus, paullo posterior tamen fuit, totam valentiniani systematis fabulam ingeminasse. Quod etiam ex iis patet quae alii auctores Marcioni adscribunt. Sua erat, Tertulliano teste [6]), summo seu bono Marcionis Deo *conditio et suus mundus et suum caelum;* mundus nostro *superior et super Creatorem. Creatorem in loco fecit, utique eadem conditione cen-*

1) Tertull. d. Praescr. c. 7. et 30. et l. V. cont. Marc. c. 19. 2) Clem. Al. l. III. Strom. p. 434. 3) Greg. Naz. Orat. 23. et 44. El. Cret. in Orat. 23. 4) Iren. l. II. c. 28. o. 5. 6. 5) Id. c. 1. n. 3. 4. 6) Tertull. l. I. cont. Marc. c. 15.

sendo et materiam ei subiecit. Clarius Valentini pleroma, eiusdemque Demiurgus designari non poterat. Dionysius Alexandrinus apud Athanasium et post eum Cyrillus Hierosolymitanus [1]) et Epiphanius asseverant, Marcionem tria principia constituisse; quorum unum sit supremum, quod neque nomine comprehendi, neque visu percipi possit, quem et bonum Deum appellat, a quo nihil sit eorum quae in mundo sunt, conditum: alterum vero Deum dicit esse adspectabilem ac creatorem: tertium denique diabolum inter ambos illos, adspectabilem scilicet et eum qui aspici nequit, interiectum: ex iis, qui creator est et opifex, viderique potest, Iudaeorum esse Deum, eundemque iudicem: bonum Deum (addit auctor Dialogi contra Marcionitas, Origeni falso adscripti) imperare Christianis; diabolum Gentilibus. His addit Theodoretus materiam quae mala sit et alii malo subsit, quaeque, Tertulliano teste, aeterna sit et infecta. Quamvis Iustinus, Irenaeus et Rhodon apud Eusebium, duorum tantum Marcionis Deorum seu principiorum, tertii ne verbo quidem, meminerint; immo ab errore triplicis divinitatis Augustinus [2]) Marcionem absolvat; Rhodon [3]) primum huius auctorem fuisse Syneron Marcionis discipulum scribat; nihil repugnat Marcionem Valentini vestigiis insistentem, praeter summum Deum invisibilem et Demiurgum universi conditorem, diabolum statuisse Cosmocratorem, id est, inferioris mundi principem: et materiam, *erraticae virtutis,* seu Sophiae, vel Enthymeseos emanationem aeternam dixisse: quanquam tamen non constet, an Valentinus materiam aeternam esse crediderit; immo longe probabilius videatur eum in tempore conditam illam affirmasse. Et ea ratione facile consentient, qui inter se pugnare videntur auctores. Nihil ergo Marcion a Valentino differebat: uterque docebat duos esse Deos, nempe Bythum caput pleromatis spiritalis et Demiurgum extra pleroma illud exsistentem. Hoc tantum Marcioni proprium erat, quod ipse primus Demiurgum, sivi mundi conditorem, aperta petere blasphemia ausus fuerit, dicendo ipsum esse malum, malique auctorem. Cerdon quidem quum Deum legis et prophetarum bonum esse negavit, iustum tamen confessus est: at Marcion, ut cum Irenaeo [4]) loquar, magistri *doctrinam adamplia-vit, malorum factorem et bellorum concupiscentem et inconstantem quoque sententia et contrarium sibi ipsum dicens.* Valentiniani quidem nominibus honestius utebantur, ut observat idem Irenaeus: Deum enim malorum effectorem aperte profiteri religio erat [5]). At certe eiusdem sceleris erat Deum ignorantem, atque Deum malum et malorum effectorem statuere: immo illud eo gravius, quo ignorantia ipsa refunditur in ipsum supremum Deum, Demiurgi caussam saltem remotam, ut ad Valentini haeresin probavimus. Et Deum ignorantem, caeco impetu agentem et animalem, id est, omnibus animi perturbationibus, quas ciet appetitus sentiens, obnoxium inducere; quid aliud est, quam malorum omnium, quibus labefactatur orbis, culpam in ipsum conferre? Unde etsi prima fronte impudentius blasphemare videatur Marcion, sua emollire verba haudquaquam satagens: non minus exsecranda Valentini bla-

1) Athan. de Decret. Nic. Epiph. Haer, XLII. §. 3. Cyril. Hier. Catech. 16. 2) Aug. Haer. 22. 3) Rhodon apud Eus. l. V. c. 13. 4) Iren. l. I. c. 27. n. 2. 5) Id. l. III. c. 12. n. 13.

sphemia erat, licet *nominibus honestius uti* videretur. Quid sit autem utrique Deus ille, seu ignorans, seu malorum effector, iam non semel diximus et paullo ante ad Cerdonis haeresin iteravimus; merus scilicet angelus, quem Dei titulo ac nomine cohonestare placuit; sed qui revera a vero Deo immensum distaret et eadem conditione cum ceteris rebus creatis censeretur, ut ait mox citatus Tertullianus.

139. Porro Tertullianus [1]) auctor est, hanc Marcioni fuisse occasionem duplicis rerum principii comminiscendi. *Passus est,* inquit, *infelix huius praesuntionis instinctum, de simplici capitulo dominicae pronuntiationis, in homines, non in Deos disponentis exempla illa bonae et malae arboris, quod neque bona malos, neque mala bonos proferat fructus* [2]*): id est, neque mens vel fides bona malas edat operas, neque mala bonas. Languens enim (quod et nunc multi et maxime haeretici) circa mali quaestionem: Unde malum? et obtusis sensibus ipsa enormitate curiositatis inveniens Creatorem pronuntiantem:* Ego sum qui condo mala [3])*: quanto ipsum praesumserat mali auctorem et ex aliis argumentis, quae ita persuadent perverso cuique; tanto in Creatorem interpretatus, malam arborem malos fructus condentem, scilicet mala, alium Deum praesumsit esse debere in partem bonae arboris bonos fructus* (supple *condentem.*) *Et ita in Christo quasi aliam inveniens dispositionem solius et purae benignitatis, ut diversae a Creatore, facile novam et hospitam argumentatus est divinitatem in Christo suo revelatam; modicoque exinde fermento totam fidei massam haeretico acore decepit.* Ex eo venenato fonte fluunt omnia paene errorum portenta, quibus miser ille deludi se passus est. Totum vetus Testamentum repudiabat, utpote quod originem ducere existimaret a malo Deo, quem ideo *inconstantem sententia et contrarium sibi ipsi* blasphemabat [4]), quod plura esse veteris legis testimonia contenderet, quae secum aperte pugnarent: quae quidem studiose colligens librum *Antitheseon,* seu *contradictionum* edidit [5]); in quo sententias sententiis opponebat. Quamvis autem bonum Deum novi Testamenti auctorem esse crederet, non omnia tamen amplectebatur eiusdem Testamenti scripta, quae catholica recipit ecclesia. Nam ex quatuor evangeliis, repudiatis tribus, solum Lucae, immo eius partem duntaxat probabat [6]); suppresso tamen auctoris nomine, nullum enim huic inscribi voluit. Discipuli vero eius sic ipsi Christo adscribebant, ut tamen pluribus auctum, ut historia passionis, a D. Paulo fuisse garrirent. Quin et tanta erat eorum audacia, ut id quotidie interpolare, pluribus additis, vel resectis, prout a Catholicis urgebantur, non verentur [7]). Abscissis quaecunque ex veteri Testamento citantur testimoniis, iisque omnibus locis, in quibus Christus mundi conditorem Patrem suum esse confitetur; amputato toto initio, quod ibi Salvatoris in utero generatio et eiusdem adventus cum corpore perspicue commemoretur; et nec ex initio modo, sed et e medio sublatis pluribus sententiis, aliisque pro illis substitutis, non iam evangelium, sed adulterinam evangelii speciem suis obtrudebat Marcion. Quousque processerit sacrilegum hominis

---

1) Tertull. l. I. cont. Marc. c. 2. 2) Luc, VI. 43. 44. 3) Esai. XLV. 7. 4) Iren. l. I. c. 28. n. 2. 5) Tertull. l. IV. cont. Marc. c. 1. 6) Iren. loc. cit. Tertull. c. 2. Auctor Dial. cont. Marc. 7) Tertull. c. 5.

facinus, sigillatim explicat Epiphanius Haer. XLII. Decem duntaxat Pauli epistolas admittebat, easque non integras, sed alia ex illis capita detrahebat, alia commutabat: respuebat vero utramque epistolam ad Timotheum, eam quae est ad Titum et ab Hebraeos, cum Apocalypsi, ceterisque canonicis epistolis [1]).

140. Eadem erant Marcionis, quae ceterorum Gnosticorum, de Christo deliria [2]); missum scilicet a Patre fuisse ementita carnis specie indutum, ut mundi opificis opera et leges dissolveret, animabusque solis salutem impertiret; corporibus proinde aeterno interitui obnoxiis manentibus. Duos tamen, si Tertulliano credimus, Christos finxisse videtur, *alium qui Tiberianis temporibus a Deo quodam ignoto revelatus sit, in salutem omnium gentium: alium, qui a Deo creatore in restitutionem Iudaici status sit destinatus, quandoque venturus.* Quae Cerinthi fabulas de terreno Christi regno sapere videntur, ansamque Gennadio dedisse Marcionitas inter millenarios recensendi. Animas ab aliis in alia corpora migraturas ac transituras statuebat: quod ad eos quidem homines attinet, qui in ignoratione versantur. De quibus hanc fabulam commentus erat: Redire videlicet animam, ac se in unumquodque animantium induere, donec purgationem adepta sit, atque ita purgata dissolutaque in caelestia loca commigret. Marcionitarum vero animas, seu eorum *qui Marcionis doctrinam didicissent* [3]), adeo purgari et a corporea faece liberari, ut post mortem immediate aeterna salute fruantur. Quae omnia Platonica et Carpocratiana sunt. Et in id Marcionis dogma procul dubio digitum intendebat Origenes [4]), quum scribebat animas omnes, ex Marcionis sententia, non esse unius et eiusdem generis, sed alias ab aliis natura differre. Ex quo etiam fluxit altera impostoris blasphemia, *Cain et eos qui similes sunt ei et Sodomitas et omnes omnino gentes, quae in omni permixtione malignitatis ambulaverunt, salvatas esse a Domino, quum descendisset ad inferos et accucurrissent ei* [5]). Quamdiu enim damnatorum animae cognitionis istius Marcioniticae exsortes fuerunt, poenas luere debuerunt: ex quo vero ea illustratae fuerunt, Christo viso in inferis, mundatae ab ipso fuerunt et assumtae in regnum eius. Iisdem principiis innixus addebat, Abelem, Enoch, Noe et reliquos iustos, Abrahamum cum omnibus prophetis et his qui placuerunt Deo, non participasse salutem: quoniam suspicati se tentari a mundi conditore, ut solebat, Iesum audire ac verbis eius credere renuerunt.

141. Odium, quod in Creatorem conceperat Marcion, eo usque eruperat, ut nuptias damnaret, neminemque ad Baptismi gratiam admittendum censeret, nisi virginem, vel coniuge orbum, aut continentem. Nam carnem, quae generatione nascitur, mali opificis opus esse contendebat [6]). Hunc errorem, si Clementi Alexandrino [7]) fides, hauserat e Platonicorum Pythagoreorumque lacunis, qui malam esse generationem existimabant, quanquam non eadem ratione atque Marcionitae. Hi ge-

1) Iren. loc. cit. Epiph. Haer. XLII. §. 9. Tertull. c. 5. 2) Iren. loc. cit. Tertull. l. I. c. 6. Epiph. §. 4. Theod. l. I. c. 24. Tertull. l. IV. c. 6. 3) Iren. loc. cit. 4) Orig. Hom. 2. in Ep. ad Rom. 5) Iren. n. 3. 6) Iren. c. 28. 7) Clem. Al. l. III. Strom. p. 431. 432.

nerationi calumniabantur, quod *malam esse naturam, ex mala materia et a iusto opifice ac creatore factam effutirent: qua quidem ratione nolentes implere mundum qui factus est a Creatore, abstinebant a nuptiis, resistentes suo creatori. Philosophi autem, quorum mentionem fecimus, a quibus quum malam esse generationem impie didicissent Marcionitae, tanquam suo dogmate gloriantur, non eam volunt esse naturam malam*[1]): sed quod ea, anima quae divina est, detrudatur in corpus, tanquam in locum supplicii. In eiusdem Creatoris odium mortem sibi interdum consciscebant Marcionitae, oblatam non detrectabant: et hinc sectam suam martyribus non paucis decorari gloriabantur. Sabbato ieiunabant, quod ea die mundi fabricator requievisset[2]). Animatis vesci prohibebant, ac reos esse iudicio, ait Epiphanius[3]), putabant illos qui carnes degustarent, tanquam animas comederent. Fidem tamen facit Tertullianus[4]), piscibus usos fuisse, *immo sanctiorem cibum deputasse.* Addit Epiphanius[5]), Baptismum apud illos usque tertio repeti, baptizandique potestatem mulierculis concedi: mysteria catechumenis cernentibus celebrari: ad haec vero aquam adhiberi, solam quidem, ut videtur; qui Aquariorum error fuit.

XI. DE TATIANO.

142. Tatianus se ipse natione Assyrium fuisse testatur[6]). Syrum exstitisse scribunt Theodoretus et Epiphanius: quanquam hic alibi in Mesopotamia natum asserat. Quae tamen facile conciliari possunt: nam interdum Assyriae, Syriae et Mesopotamiae nomina promiscue usurpantur. Sic Gen. XXVIII. 5. qui Iacob *profectus venit in Mesopotamiam Syriae*; v. 7. *ivisse in Syriam* dicitur. Sic etiam Arrianus scribit, Euphrate et Tigri mediam Assyriam contineri: *unde,* inquit, *et ab indigenis Mesopotamia vocatur.* Graecorum artibus ac studiis non mediocriter excultus Romam venit: ubi quum in sacras Scripturas incidisset, iis quos prae se ferunt, divinitatis characteribus permotus, Christi fidem amplexus est. Iustini martyris primum auditor; quamdiu cum eo vitam egit, illibatam fidem servavit; at illo pro fide caeso circa annum 167. quum iam solus scholae a Iustino institutae praeesset, magisterio elatus, in exitium ruit. Prius tamen quam a catholica fide desciscceret, post Iustini mortem, suam adversus Graecos Orationem, opus certe catholicum, edidisse certum est. Sed non multo post Roma profectus in Orientem, in absurdas Gnosticorum opiniones incidit, novamque sectam condidit circa annum XII. M. Aurelii (non Antonini Pii, ut perperam apud Epiphanium legitur) Christi vero 172. quae Tatianorum, Encratitarum seu Continentium et Hydroparastarum seu Aquariorum dicta est.

143. Dogmata eadem fuere quae Saturnini, Valentini et Marcionis. Ubique recantata ridicula Aeonum fabula, duplicisque principii, ac ementitae Christi carnis commenta. Unum adiecit Tatianus, scilicet Adamum

1) Tertull. in Marc. l. I. c, 29. Epiph. §. 3. 2) Clem. Al. l. IV. Strom. p. 481. Euseb. l. V. c. 16. 3) Epiph. §. 3. 12. 4) Tertull. l. I. in Marc. c. 14, 5) Epiph. §. 3. 6) Tatian. Orat. cont. Gr. in fi. Theod. l. I. c. 20. Epiph. Haer. XLVI. 5. 1. Arrian. l. VII. exped. Alexand. Iren. l. I. c. 28. n. 1. Epiph. §. 1. 2. Euseb. Chron. Clem. Alex. Strom. l. III. p. 365. et Excerpt. p. 806. Tert. de Praes. c. 52. Hieron. in Gal. V. Theod. loc. cit. Iren. l. I. c. 28. n. 2.

salutem consecutum non fuisse, sed ob lapsum aeterna damnatione punitum. Ceterum nuptias cum Marcione damnabat: animatis et vino abstinendum censebat, aquamque solam in mysteriis offerebat. Ut vero legi veteri invidiam conflaret, *Problematum*, seu *Quaestionum* librum edidit, ut obscurissimam esse ac imperviam probaret, ac proinde a malo Deo profectam. Plures alios scripsit, de quibus quum nihil speciale dicendum habeamus, consule eruditissimum Tillemontium To. II. Comment. in Hist. eccles. in Encratitis.

XII. DE ALIIS QUIBUSDAM HAERETICIS.

144. Tatiano subiungit alios haereticos Irenaeus, quos a Basilide et Carpocrate occasiones accepisse dicit. Nomen suppressit, sed scire parum refert: nihil quippe a magistris differebant, nisi quod eorum spurcitias atque flagitia minus erubescerent, promiscuos videlicet et plus quam ferinos concubitus, polygamiam, indifferentem idolothytorum esum et alia eiusmodi. His enim Deum minime tangi blasphemabant, utpote quem otio torpentem inferiorumque rerum haudquaquam sollicitum fingerent.

XIII. DE VARIIS GNOSTICORUM SECTIS.

145. Postquam de Simonianis variisque Simonianorum classibus sigillatim disseruit Irenaeus, tum de diversis haereticis agit, quos nullo speciali, sed generali duntaxat Gnosticorum nomine designat. Omnes quidem tum Simonis, tum Valentini asseclae, Gnosticorum titulo se insolentius efferebant, scientiae excellentiam iactantes. *Γνῶσις* enim *scientiam* et *γνωστικὸς scientem* vel *scientia praeditum* significat. Eo nomine eximiam et singularem, qua prae ceteris pollere se sibi videbantur, rerum divinarum notitiam imperitis venditabant. Quum enim alii Christiani suae sortis probe conscii divina mysteria a saeculo abscondita, de trinitate, de Christo, de creatione etc. curiosius perscrutari sibi non licere, sed ea simplici et humili fide venerari sibi satis esse merito persuaderent: haeretici e contrario temeraria curiositate ultra evangelicae simplicitatis metas longius abrepti, illa ex Platonica philosophia eruere et demonstrare et cum ea conciliare tentarunt. Quod quidem licet infelicissimo conatu et cum ipsius fidei naufragio factum sit, miseris tamen variae gloriationis ansam praebuit; quasi sibi solis, si superis placet, christianae religionis penetralia, intimaque viscera reserare datum esset. Et hinc eo insaniae prolapsi, ut nedum alios Christianos despicerent, sed etiam apostolos ipsos scientia superare se audacter affirmarent.

146. Quis primus superbum Gnostici nomen sibi suaeve sectae indiderit, non constat. Si quidem de ipsius haeresecos origine quaestio esset, facile dirimeretur: nam a Simonianis *falsi nominis scientiam accepisse initia* diserte tradit Irenaeus. Alibi tamen *vocari Gnosticos a Menandro Simonis discipulo,* et Carpocratianos *Gnosticos se vocare* pronuntiat [1]). Hieronymus [2]) vero Gnosticos derivat a Basilide: Epiphanius, Philastrius et Augustinus [3]) a Nicolaitis deducunt. Quae omnia vera

1) Iren. l. I. c. 23. n. 4. Id. l. III. c. 4. n. 3. Id. l. I. c. 25. n. 5. 2) Hier. in Cat. et Ep. ad Ctesiph. 3) Epiph. Haer. XXV. XXVI. Philast. et August de Haer.

sunt: nam isti omnes haeretici Gnosticorum nomen sibi vindicabant. Sed qui ex iis illud primum sibi tribuerint, non adeo certum. Id fecisse priores Simonis aut Menandri discipulos facile crediderim, ut invidiam, quam sibi fecerat probrosum magistrorum nomen, a se amolirentur: quam enim illud exhorrescerent Christiani omnes, non eos latebat. Quare deposita Simonianorum aut Menandrianorum, indita sibi speciosa Gnosticorum appellatione, sub ea larva et tutius latere et latius serpere se posse crediderunt. Quique deinceps in resarcienda, amplianda, aut propaganda Simonis haeresi operam posuerunt, quanquam suis peculiaribus nominibus noti essent, Gnostici tamen dici maluerunt. Certe Gnosticos notare videtur Paulus [1]), ubi Timotheum hortatur devitare *ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, oppositiones falsi nominis scientiae.* Sic saltem apostolum intelligunt Clemens Alexandrinus et Chrysostomus: quorum sententia eo probabilior, quo Irenaeus iis omnino verbis, *τῆς ψευδωνύμου γνώσεως,* Gnosticorum haeresin passim designat; immo et libris suis titulum inscripsit, *ἔλεγχος καὶ ἀνατροπὴ τῆς ψευδωνύμου γνώσεως.*

147. Gnosticorum itaque nomen, non peculiaris alicuius sectae aut haereseos, sed communis omnium, quotquot Simonis ac Menandri deliriis illudi sibi siverant, appellatio fuit. Quamobrem nec Theodoretus, nec Pseudo-Tertullianus gnosticae haereseos tanquam specialis atque a ceteris distinctae meminerunt. Cur vero Irenaeus e contrario, Epiphanius, Augustinus et alii, certam quandam ac specialem, atque a Simonianis, Menandrianis, Basilidianis, Valentinianis etc, distinctam sectam constituant, in promtu haec ratio est. Duplicis generis Gnostici erant. Alii non modo ex peculiaribus sibi dogmatis, sed etiam ex famosis quibusdam sectae suae coryphaeis ac ducibus noti erant: alii vero licet erroribus sibi propriis insignes, vel obscuri nominis duces habebant, vel nullos certos et singulares agnoscebant. Priores non tantum communi Gnosticorum titulo noti, sed magistrorum sectaeque conditorum singulari nomine notiores fuere, dictique Simoniani, Basilidiani, Valentiniani etc. seu Gnostici Simoniani, Gnostici Valentiniani etc. ut sic variae sub eodem generali nomine scholarum species a se invicem distingui et discerni possent. Posterioribus autem, quod nulla peculiaris esset appellatio, quae ex auctoribus derivata tribui posset, indita communis Gnosticorum. Et ita Gnosticorum nomen vel commune est, quod omnibus Simonis discipulis convenit; vel speciale, quod certis quibusdam duntaxat Simonianorum classibus usus proprium fecit. Et ii sunt quorum ineptias, descriptis iam celebriorum Simonis asseclarum erroribus, sigillatim refert Irenaeus l. I. c. 29. et seqq. et post eum Epiphanius Haer. XXVI. *Super hos autem*, inquit ille, *ex his qui praedicti sunt Simoniani, multitudo Gnosticorum, Barbelo exsurrexit et velut a terra fungi manifestati sunt.* Recte quidem. Quum enim, ut capite praecedenti monuit, *multi ex iis* qui Gnosticorum titulo superbiebant, *immo omnes vellent doctores esse et abscedere quidem ab haeresi in qua fuerant, aliud autem dogma ab alia sententia et deinceps alteram ab altera componentes nove docere insisterent, semet ipsos adinventores sententiae,*

1) I Tim. VI. 20.

quamcunque compegissent, enarrantes; innumerae propemodum, quas vix ac ne vix quidem nominare esset, *propagines multarum haeresium factae fuerant.* Omnes quidem Ennoeam venerabantur: sed quae aliis Helena, aliis Sige aut Charis, aliis, quos nova dicendi mala prurigo exedebat, Barbelo dicta fuit. Inde dicti a quibusdam Barbeliotae, a barbaro nomine quod ipsi confinxerant; ab aliis Borboriani, vel Coddiani. Borboriani quidem, hoc est, coenosi, a sordidissima atque flagitiis omnibus lutulenta vivendi ratione: Coddiani vero a voce *Codda,* quae, ait Epiphanius [1]), idem est Syriace quod paropsis, aut catinus: quod tanta esset eorum spurcitia, ut nemo communi cum illis uti cibo vellet, sed separatim contaminatis illis apponi soleret. Iidem in Aegypto Stratiotici seu Militares, aliis in locis Floriani, Phibionitae et Zacchaei vocati sunt. Quanquam tamen, si Epiphanium audiamus, Stratiotici et Phibionitae, quibus adiungit Levitas, tres tantum essent in una et eadem secta hominum classes, quarum prima esset incipientium, secunda proficientium, tertia denique consummatorum in omni nequitiae et abominandae foeditatis genere. Illos haereticos a Nicolaitis prognatos vult idem Epiphanius; a Valentinianis Theodoretus [2]). Utrumque forte verum: nam ab his Aeonum deliria, ab illis plus quam porcinum vivendi morem mutuari potuerunt.

148. Dogmata speculativa eadem fere erant, quae Valentinianorum [3]): sed Aeonum appellationes, series atque coniugationes paullo diversae. *Patrem innominabilem* primo loco statuebant, eumque ab omni coniugatione solutum; quae et aliorum plurimorum sententia fuit. Huic vero subiiciebant *Aeonem quendam nunquam senescentem in virginali spiritu,* quem Barbelon, Ennoeam, omnium Matrem, et magnum Aeona *κατ' ἐξοχήν* nominabant. Isti Logon copulabant. Hanc coniugationem excipiebant tres aliae, Aphtharsiae i. e. incorruptelae, et Christi; Zoës et Thelematis, h. e. vitae et voluntatis; Prognoseos et Nu, h. e. providentiae et mentis. Christum autem lumen esse dicebant, quod Pater unxerat sua benignitate, ut perfectum fieret: male scilicet alludentes tum ad nominis etymologiam, quod graece *unctum* significat, tum ad ea evangelii loca, in quibus Christus se ipsum appellat *lucem mundi,* tum ad illa Patris Filium compellantis verba: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Haec prima istorum ogdoas, quam fusius explicare nihil iuvat: facile intelligitur ex iis quae de Valentiniana diximus. Ab Ennoia et Logo Autogenem seu Monogenem, i. e. per se genitum, seu unigenitum, derivabant. Autogenem et Monogenem appellabant, quia eum singulari praerogativa genitum asserebant; utpote magni luminis, Ennoiae scilicet, effigiem et imaginem, summis proinde honoribus omniumque rerum praefectura decoratum. Huius coniux Alethia sive veritas. A lumine, quod est Christus, et incorruptela, quatuor emissa luminaria, h. e. quatuor angelos fingebant, qui Autogenem quasi satellites stiparent, quorum nomina erant Harmogenes, seu Soter vel Servator, Raguel, David et Eleleth: quibus itidem quatuor coniuges assignabant, Charin, Thelesin, Synesin et Phronesin, h. e. Gratiam, Voluntatem, Intelligentiam et Prudentiam. Autogenes autem produxit alterum Aeonum par, videlicet Ho-

1) Epiph. §. 3. 2) Epiph. §. 1. Theod. l. I. c. 13. 3) Iren. lib. c. 29.

minem perfectum et verum, quem Adamantem, ob invictam virtutem, appellabant et Gnosin seu agnitionem perfectam: unde illi datum, ut supremum Patrem cognosceret. Sic manifestatum summum Patrem, Matrem et Filium dicebant nugatores isti. Ex Anthropo autem et Gnosi natum lignum dicebant, quod et ipsum Gnosin appellabant, alludentes ad lignum scientiae boni et mali, de quo Genes. II. 9. Deinde ex primo angelo Autogenis satellite, genitum Spiritum sanctum, quem et Sophiam et Prunicum appellabant: qui quidem quum videret ceteros Aeones coniugibus suis copulatos, se autem coniuge destitutum, anxie quaesivit cui coniungi posset; temerarioque impetu, inconsulto Patre, latus primum versus superiores partes, tum versus inferiores, nullamque quae sibi conveniret, inveniens; taedio affectus, ab incepto revocatus, destitit. Sed ex taedio eius natum opus, in quo erat ignorantia et audacia. Hoc autem opus, Proarchontem, mundi huius principem, conditorem et fabricatorem appellabant: qui virtutem magnam a matre furatus, ad inferiora digressus, condiderit firmamentum caeli, in quo inhabitaret, potestates, angelos, caelos et terrena omnia; omniumque malorum, rixarum, contentionum etc. auctor fuerit. His contristata mater Sophia ab eo secessit, sedemque sibi supra firmamentum seu septimum caelum delegit: ut sic inferioris ogdoadis caput evaderet. In his totam Valentinianorum fabulam, paullulum duntaxat immutatis nominibus, recoctam quisque videt. Cetera de Christo Iesu, resurrectione, bonis operibus etc. dogmata eadem erant quae Valentinianorum. Gnosticos saepe in suis epistolis perstringunt Ioannes apostolus, Iudas, Iacobus, Ignatius et Polycarpus, maxime quod incarnationis mysterii veritatem negarent.

149. E Gnosticis quidam veteri pariter et novo Testamento utebantur, sed mutilis [1]). Quae enim sibi favere putabant, haec amplectebantur, eaque ab Spiritu veritatis pronuntiata dictitabant: quae vero sibi adversa, reiiciebant, et a mundi huius principe profecta pronuntiabant. Pauli epistolas ad Timotheum repudiabant, quod in iis nominatim damnarentur [2]). Sed alii omnes Gnostici legem et prophetas spernebant: immo nec multos dicere pudebat, Servatorem nostrum primum spurcitiarum suarum atque impietatum auctorem fuisse. Quamplurimi penes illos apocryphi, anilibusque fabulis, obscenitatibus et blasphemiis referti libri erant, quorum catalogum reperies apud Epiphanium Haer. XXVI.[3]) De perditissimis eorum moribus nihil dicam: porcos et canes putares, non homines; adeo abhorrent ab humana natura quae de iis refert mox laudatus Epiphanius. Haec vix fidem obtinere possent, nisi aliunde constaret necessaria principiorum ab iis statutorum consectaria esse; ipseque Epiphanius [4]) ea tum ex libris eorum, tum ex proprio ore duarum mulierum huius sectae *κορυφαίων*, quae iuvenem adhuc tentaverant retibus suis illaqueare, didicisse se contestaretur. Castiganda proinde recentiorum quorundam audacia et temeritas, qui ut Gnosticos futilibus ducti coniecturis, ab immanibus, quibus accusantur, sceleribus vindicent, Epiphanii antiquorumque omnium fidem elevare non verentur, quasi haec ab hominibus male religiosis in odium ipsius sectae conficta essent.

1) Epiph. §. 6. 2) Clem. Alex. Strom. l. II. p. 383. 3) Epiph. §. 8. 4) Epiph. §. 17.

Quasi potior habenda fides esset vanis neotericorum illorum obscuri nominis ratiunculis, quam Epiphanii, testis non tantum auriti, sed etiam oculati, aliorumque veterum Gnosticis coaevorum testimoniis, qui haereticos ipsos viderunt, audierunt, eorumque libros evolverunt. At, inquiunt, nemo apologistarum, dum ecclesiam christianam a calumniis oedipodeorum concubituum, et thyestearum epularum, quibus eam adspergebant Gentiles, purgat, tanta scelera meminit a Pseudo-Christianis perpetrata: quod tamen e re eorum fuisset non omittere, maxime quum ementitorum illorum flagitia calumniis, quibus veri Christi fideles onerabantur immeriti, ansam praebuissent. Immo Iustinus martyr in Apologia sua priori et ecclesiae lugdunensis et viennensis in epistola sua, apud Eusebium lib. v. cap. 2, disertis verbis asserunt, aut nescire se, aut non credere, flagitia haec ab haereticis aut a quoquam mortalium usquam esse patrata. Sed facilis responsio. Ipsae istae calumniae quae Christianis struebantur, ostendunt Gentiles aliquid saltem de turpissima Gnosticorum vita inaudisse; quod calumniarum occasio fuit. Quum enim eos a ceteris Christianis non distinguerent, omnibus indiscriminatim tribuerunt, quod larvatorum duntaxat scelus fuit. Hinc de Carpocratianis agens Irenaeus [1]), conqueritur *ipsos ad detractionem divini ecclesiae nominis a Satana praemissos: uti secundum alium et alium modum, quae sunt illorum audientes homines, et putantes omnes nos tales esse, avertant aures suas a praeconio veritatis; aut et videntes quae sunt illorum, omnes nos blasphement.* Et Eusebius lib. iv. Hist. cap. 7. similiter scribit, miserorum illorum flagitia Gentilibus ansam praebuisse sacrosancto Dei verbo petulanter impieque obtrectandi: eo plane consilio, ut fama de scelesta ipsorum vitae ratione passim dissipata, turpem ignominiae notam universae Christianorum multitudini inureret. Unde certe accidit, inquit, ut nefaria quaedam opinio de nobis excitata, eaque ab omni ratione alienissima, per infidelium animos longe lateque pervaderet: quod videlicet tum nefando concubitu matres et sorores violare, tum etiam scelerato quodam alimenti genere uti non vereremur. Unde vero tam immania scelerum portenta in Christianorum omnium caput intorquendi ansam captare potuissent Ethnici, nisi saltem eorum aliquid vel ex verorum Christi fidelium querelis, vel ex ementitorum confessione, vel ex fama percepissent? Tam insolens criminatio fidem nunquam apud infensissimos Christianorum hostes obtinuisset, nisi huic aliquam veri speciem obduxisset flagitiosa quorundam vita. Nec quenquam movere debet laudatorum apologistarum silentium, aut Iustini et ecclesiarum lugdunensis et viennensis ignoratio. Id eos latere potuit, quod occulte et clam, non certe palam et publice perpetrabatur: nec mirum, si credere refugerint, quod immane quantum abhorret ab humana natura, vixque porcinae congruit. Deinde id agebant apologistae, ut Christianos, quorum caussam tuebantur, purgarent a criminibus quibus perperam infamabantur; quod et praestiterunt in apologiis suis. Nihil autem attinebat hac occasione Gnosticorum obscenitates, aeterno silentio sepeliendas, commemorare: quum veris Christianis nihil cum larvatis istis, nisi solum nomen, commune esset, ut Iustinus observat; illique his, ut citatus Ire-

1) Iren. l. I. c. 25. n. 3.

naeus ait, *in nullo communicarent, neque in doctrina, neque in moribus, neque in quotidiana conversatione.* Satis erat, si eorum, quorum vindicias susceperant, innocentia demonstraretur: alios accusare non decebat et in capitis periculum adducere.

XIV. DE OPHITIS ET SETHIANIS.

150 .Aliud Gnosticorum genus memorat Irenaeus, quos alii, ut Theodoretus [1]), Ophitas et Sethianos promiscue vocant: quamvis alii, ut Epiphanius [2]), inter utrosque distinguant, diversasque ex eis haereticorum sectas constituant; sed praeter Irenaei mentem, qui alios ab aliis haudquaquam distinguit, unique et eidem sectae eadem, quae alii partiuntur, dogmata attribuit. Ophitae seu Anguinei dicebantur ab angue seu serpente, quem numinis instar venerabantur, quod hominibus scientiae omnis auctorem exstitisse crederent: Sethiani vero, quod Seth Adami filium virtutem quandam divinam fuisse arbitrarentur. Eorum haeresis ex male compacta placitorum Nicolaitarum et Valentinianorum farragine condita est: et eapropter a Pseudo-Tertulliano [3]) cum illa Nicolaitarum confunditur; ab Irenaeo vero, Epiphanio et Theodoreto a valentiniana schola derivatur, quod valentinianum quidpiam admixtum habeat. Natam proinde post Valentinum necesse est. Primo loco statuebant *quoddam primum lumen in virtute Bythi, beatum et incorruptibile et interminatum,* quod *Patrem omnium et primum hominem* vocabant [4]). Progressam ab hoc Ennoeam, filium emittentis, filium hominis et secundum hominem dicebant. Infra utrumque positum volebant Spiritum sanctum, quem primam feminam et matrem viventium vocabant; qui quidem super segregata elementa, aquam, tenebras abyssum, chaos ferretur. Ex coniunctione primi et secundi hominis Spiritus sanctus, radiis supremi luminis impraegnatus, novum lumen incorruptibile profudit, tertium masculum, Christum, filium primi et secundi hominis et Spiritus sancti, primae feminae. Verum quum universa luminis Spiritui sancto infusi plenitudo capi ab eo non posset, magna eius copia superebulliens secundum sinistras partes deorsum decidit; Christo interim secundum dextras sursum cum matre sua conscendente et in incorruptibilem Aeonem recepto. Haec prima Aeonum tetras, adunatio videlicet Patris omnium primi hominis, Filii secundi hominis, Spiritus sancti primae feminae et Christi filii eorum, vera et sancta ecclesia ab insanis illis, Scripturam pro more depravantibus, appellabatur.

151. Virtus vero illa exsuperans quae in inferiora delapsa est, quamque Sinistram, Prunicum, Sophiam et masculo-feminam appellant, quum in aquas hactenus immobiles descendisset, movere coepit eas ab imo ad summum, assumsitque ex eis corpus. Quum autem ad huius lumen accurrissent omnia, eique adhaesissent, tanta mole gravata et tantum non absorpta, frustra nitebatur aquarum complexus excutere et ad matris sinum remeare. Interim superni luminis reliquias abscondere pro viribus conabatur: miseram enim angebat timor, ne ab elementis laederetur. At novi luminis accessu roborata, emersit tandem, sursum-

1) Iren. l. I. c. 30. Theodoret. l. l. c. 14. 2) Epiph. Haer. XXXVII. 3) Tertull. de Praescr. c. 47. 4) Iren. n. 1. Epiph. §. 3. Theodor. loc. cit.

que se extulit: ubi dilatato ac expanso corpore suo, produxit caelum hoc quod apparet, sub quo remansit; servans adhuc aquatilis corporis formam. Sed superni luminis desiderio semper stimulata, viribus omnibus contendens, superstitibus corporis reliquiis demum expedivit sese. Corpus autem quod exuit, feminam a femina nominant. Habuit et filium nomine Ialdabaoth, quem in ignorantia peperit, cui tamen infudit adspirationem quandam incorruptelae: qua vegetatus, inconsulta matre, angelos, archangelos et virtutes, insuper et filium ex aquis produxit: a quo genitus et alter filius, ab hoc tertius, et sic consequenter usque ad septimum, unoquoque caelum sibi proprium condente ac regente: ut sic fieret hebdomas, octavum Matre tenente locum,

152. Haec fabulae prima pars, in qua platonismus non obscure se prodit. Ibi primum apparet materia prima sub nominibus elementorum, aquae, tenebrarum, abyssi, chaos, quibus designari solet a Platonicis, ut alibi diximus: eaque aeterna, ut videtur, Deoque ipsi coaeva; quae si non Platonis ipsius, saltem discipulorum eius non paucorum opinio fuit. Duo itaque principia coaeterna statuunt haeretici; alterum activum, Deum scilicet, sive lumen primum et incorruptibile; alterum passivum, hoc est, materiam informem. Ab illo lumine seu Patre progressa Ennoia, mens est Patris rerum omnium ideas efformans et in se continens, aeternaque rerum exemplaria, ad quorum normam omnia conduntur. Spiritus sanctus est spiritus universi, seu anima mundi. Primam feminam et matrem viventium vocant haeretici, quia prima generationum omnium ac motuum caussa est. Huius spiritus pars sursum effertur, pars ad ima descendit, aquasque movet: quia materiae subtilioris, quae spiritus universi est, partes aliae aliis subtiliores; aliae aliis, pro variis subtilitatis gradibus, superiores. Quae pars in aquas descendit, ea est quae materiae primae motum impressit, ac in ea ceu fermentum abdita, paeneque primum eius mole obruta, paullatim demum vires exseruit, fractisque, quibus detinebatur, repagulis, sese extricans, ei varias formas, figuras ac motus indidit. Sic vulgata tria platonicae philosophiae principia, Deum, mentem et animam mundi, primamque rerum genesin sub mysticis Patris, Filii et Spiritus sancti nominibus, non sine sacrilego religionis abusu, tradebant male feriati homines. Cetera de Aeonibus deliria non moror: facile intelliguntur ex iis quae de Valentinianis diximus.

153. Longiora sunt quae de hominis origine, eius casu, malique ortu (qui scopulus fuit ad quem allisi sunt omnes fere priorum saeculorum haeretici) texunt commenta. Summa huc redit: Ialdabaoth, spreta matre, principatum ambibat; reluctabantur ab eo geniti liberi: unde stomachi plenus ad materiae faecem demisit oculos, et virtutem quandam, serpentis specie, quem eius Filium et Nun vocant, dehinc et spiritum et animam et omnia quae in mundo sunt, genuit: indeque nata omnis oblivio, malitia, zelus, invidia et mors. Hinc insulsae gloriationis ansam captans, Patrem se vocavit et Deum et supremum rerum omnium principium. Ut vero insaniam eius castigaret mater, ipsi sexque reliquis virtutibus, ut hominem conderent, mentem iniecit; ut sic ablata a Ialdabaoth vi illa, quam eidem impertierat, in hominem transfunderet. Formatus igitur ab illis homo, longitudine et latitudine immensus et

humi repens, id est, informis. Huic Ialdabaoth afflat spiritum vitae; et cum eo lumen, seu ut vocabant, *humectationem luminis*, Nun videlicet et Enthymesin, quam a matre acceperat: sed dum sibi demit, quod alteri tribuit, tantum proprias vires labefactat; quod callidae matris intentum erat. Homo autem Nu et Enthymesi, h. e. mente et caelestium desiderio locupletatus, quae sola, secundum Gnosticos, salutem percipiunt, statim primo homini, seu supremo Patri, relictis fabricatoribus, gratias egit. At Ialdabaoth aegre ferens ea, quae supra se erant, ad alicuius notitiam pervenisse, feminam condidit, vocatam Evam, cuius formam mirati ceteri genuerunt ex ea angelos. Sed ab ea caelestis mater virtutem a Ialdabaoth inspiratam clam abstulit: nec his contenta, tantum artibus effecit, ut serpens ei primum, tum per eam Adamo re bellionis auctor fieret, vetitum fructum manducare suadens; per quem uterque supremae virtutis divinorumque mysteriorum scientiam adeptus, a mundi opificibus abscessit. Iratus Ialdabaoth, rebelles divina substantia vacuos et maledictos, e caelo et paradiso in hunc mundum deiecit: ubi corpora illorum levia, pellucida et spiritualia, in tardius, obscurius et crassius mutata sunt, debilitata etiam et languore fracta anima. Simili ratione serpens Nus, seductionis instrumentum, in hunc mundum detrusus, angelos illius sibi subiecit, sexque filios, daemones mundanos, genuit, ad imitationem supernae hebdomadis: hominibus semper infestos, quoniam paterno lapsui et infortunio occasionem praebuerant. Ubi vero Prunicus hominum calamitate Ialdabaothi arrogantiam iam satis pro votis ulta est, ad miserationem versa, amissi luminis sensum quendam eis concessit, per quem pristini status memores, praesentisque conscii, animum receperunt, intellexeruntque mortalis corporis mole se tandem aliquando liberandos: unde cibis iam refecti, generationi operam dederunt, ex qua natus primum Cain, tum deinde Abel, quos serpens cum filiis suis statim evertit et in omnem nequitiam praecipites egit. Nec mirum: iis clam adversabatur Mater, ad id unum attenta, ut quod sibi proprium erat, supernum videlicet lumen, salvum fieret. Hinc irato hominibus Ialdabaoth, quod se non colerent, diluvioque humanum genus perdere volente; luminis quod infuderat sollicita, Noë servavit in Arca, a quo nata nova hominum progenies mundum supplevit. Ex iis Abrahamum sibi delegit Ialdabaoth, cum quo foedus iniit; per Moysen Israëlitas eduxit ex Aegypto, legemque sanxit: ac tum ipse, tum filii eius e Iudaeorum gente suos sibi quisque prophetas adsciverunt, per quos vaticinia sua funderent.

154. In his omnibus dogmata platonica ad christianae religionis genium et communem Gnosticorum hypothesin, non sine insigni Scripturarum corruptione, utcunque accommodata deprehendere est. Ibi superna animarum origo, ceu scintillarum ab igne divino emicantium, sive portionum quarundam a divina substantia deciduarum, cum Platone fingitur. Eae, propter inditi luminis abusum, corporum carceri squallido et tenebricoso includuntur, liberandae suo tempore et pristina luce recreandae: quod platonicum commentum est de animabus, ob amissas, quibus sursum ferebantur, contemplationis pennas, in corpora praecipi tes; ubi refricata paullatim supernorum memoria pristinam felicitatem gradatim recuperant. Ibi etiam mundi fabricatio angelis, non ipsi Deo

summo adscribitur; quod itidem platonicum est. Illis quidem fabulis multiplicem ornatum suppeditat religio christiana; sed fundamentum praebet platonica philosophia, ut sigillatim ostendere proclive foret, nisi attendentibus et quae iam multoties diximus recolentibus res facile pateret. Cetera quae de rebellione Ialdabaoth, de duplici anima, altera quae spiritus vitae sit, seu animalis, insufflata per Ialdabaoth; altera quae spiritalis sit, seu *humectatio* luminis, quae clam eo, eius tamen interpositu, per matrem afflatur, quam solam quum emiserit mater, solam servat in hominibus, solam salute donandam, corpore proinde aeternum perituro: de lege mosaica sancita per Ialdabaoth etc. garriunt haeretici, gnostica sunt et valentiniana.

155. Eiusdem generis sunt quae de Iesu Christi ortu, morte ac beneficiis per eum praestitis comminiscebantur; nisi quod Iesum e Virgine natum esse faterentur, et Christum non solum, sed simul cum Sophia sorore sua in eum descendisse vellent [1]). Iesu quidem corpus a mortuis excitatum dicebant; non illud terrenum, quod caro et sanguis est (haec enim, inquiebant, regnum Dei possidere non possunt: unde quidquid mundanum acceperat, mundo dimisit); sed illud corpus quod animale et spiritale vocabant, partem videlicet corporis subtiliorem et aëream; seu potius ipsam animam tum animalem, tum spiritualem, quam utramque corpoream esse finxerint, quarum tamen altera purior et subtilior dicta fuerit spiritalis, comparatione alterius crassioris. Quidquid sit, ludicrum est illud resurrectionis genus, quod hic admittebant, et ab eo quod catholica fides docet, procul diversum. Addebant, per Iesu resurrectionem spoliatum fuisse Ialdabaoth dominio quod sibi vindicarat in animas sanctas; iamque deinceps penes ipsum non fore, ut spiritales rursus demittat in saeculum purgandas, sed eas tantum quas insufflaverat, id est animales. Quae platonicam metempsychoseos fabulam olent.

156. Ex Ophitis quidam, Irenaeo teste [2]), ipsam Sophiam serpentem factam esse dicebant, ut Adae conditorem debellaret, hominibusque scientiam importaret; et eapropter dictum serpentem omnium sapientissimum. Sed sive Sophiam, sive Nun serpentem induisse vellent Ophitae, huic summos honores deferebant, ob eam quam ab illo accepisse se scientiam existimabant. Testatum faciunt Epiphanius, Theodoretus et Augustinus [3]), impuros illos homines verum serpentem in cista, vel spelunca nutrivisse, quem mysteriorum tempore evocabant. Is aperto foramine e latebris erumpens, mensam conscendebat et circum panes implicabatur. Id eucharistiam et absolutissimum esse sacrificium censebant. Panes vero, quibus circumvolutus fuerat serpens, non modo frangebant et distribuebant; sed etiam quilibet admoto ore serpentem ipsum exosculabatur: sive cantionibus quibusdam ad mansuetudinem bestia molliretur, sive alio daemonis artificio innocua redderetur. Ac demum supremum Parentem per illum, ut aiebant, celebrantes, mysteria sua perficiebant.

---

1) Iren. n. 11. 12. 13. 2) Iren. n. 14. 3) Epiph. §. 5. Theod. loc. cit. Aug. Haer. 17.

XV. DE CAIANIS SEU CAINISTIS.

157. A Caianis seu Cainistis Gnosticorum catalogum, ac librum suum primum claudit Irenaeus [1]). Eos e valentiniana schola, ceu novum lerneae hydrae caput, pullulasse scribit: Epiphanius vero et Theodoretus [2]) ex impuro Gnosticorum Nicolaitarum, Valentinianorum et Carpocratianorum fonte impietatem suam actionesque nefandas hausisse volunt. Utrumque simul verum esse potest; nec repugnabit Irenaeus, qui paullo post subiicit Caianos foedam Carpocratianorum vivendi rationem imitatos fuisse. Sic dicti fuerunt, quod Cainum praedicare, parentemque suum appellare eos non puduerit. Duplicem quippe virtutem fingebant, aliam superiorem, quam Sophiam, aliam inferiorem et posteriorem, quam ὑστέραν, hysteram vocabant. Huic caeli et terrae fabricationem adscribebant [3]). Adamum vero atque Evam ab iis virtutibus, sive angelis, originem traxisse; quos autem genuere liberos, non item. Nam ambas virtutes cum Eva congressas Cainum et Abelem genuisse sic affirmabant, ut superioris et fortioris fuerit Cainus, Abelus inferioris: propterea secum invicem rixatos, qui fortiori ab virtute propagatus fuerat, inferioris imbecilliorisque sobolem occidisse. Ad eandem cum Caino prosapiam pertinere volebant Esau, Core, Sodomitas et omnes qui in veteri Testamento scelerum infamia laborant, quos opinione sua laudandos, ac secum generis cognatione coniunctos, utpote perfecta ceterisque sublimiori scientia decoratos, asserebant nequissimi illi [4]). Ideo mundi opifici invisos, continuisque insidiis appetitos, nihil tamen ab eo detrimenti accipere potuisse: quod semine suo impraegnatos tutata fuerit mater Sophia et in supernum Aeonem commutatos ad sese tandem rapuerit. Iudam, quem etiam affinem suum esse iactitabant, cuique soli prae ceteris mortalibus veritatis notitiam attribuebant, accurate omnia haec perspecta habuisse: quamobrem virtute potentiore divina instigatus Christum Iesum prodidit, sive quod, ut alii blasphemabant, malus esset, veritatique bellum indiceret [5]): sive ut, quemadmodum alii volebant, saluti nostrae consuleret et Iesu Christi cruce ac morte caelestium rerum cognitionem nobis procuraret. Noverant enim mundi principes, si is in crucem tolleretur, ipsorum exhaustum iri potentiam omnem: quare veritus Iudas ne mortem eius impedirent, maturavit, omnemque lapidem movit, ut cum Iudaeis traderet. Hanc enim fuisse caussam volunt, cur e caelo delapsus sit: ut fortis in ipso solidiorque virtus perficeretur ostendereturque, ac de infirmiore triumphum referre doceret. Exsecrandum certe triumphum, in eo situm, ut unusquisque per nefanda omnia flagitiorum genera volitaret: neminem quippe perfectam cognitionem, ipsamque proinde salutem adipisci posse, nisi turpissima quaeque expertus fuerit. Quae Carpocratis blasphemia fuit. Hoc unum addebant, unicuique flagitiosae actioni praeesse angelum aliquem, quem huic operam dantes invocabant. Plures apocryphos libros confinxerant, ut Evangelium Iudae, Anabaticum Pauli, seu de assumtione Pauli in tertium caelum, et alios quosdam, naeniis et impietatum monstris refertos [6]).

---

1) Iren. lib. I. c. 31. 2) Epiph. Haer. 38. Theod. lib. I. c. 15. 3) Epiph. §. 2. 4) Iren. n. 1. Epiph. §. 1. Tertull. de Praescr. c. 47. Theod. loc. cit. 5) Epiph. §. 3. Tertull. loc. cit. 6) Iren. n. 1. 2. Epiph. §. 2.

Porro si quid a ceteris Gnosticis discreparint belluae istae, discrimen in eo tantum fuit, quod superni seminis copiam reprobis quibusdam ac scelestis hominibus facerent, quam iisdem alii negabant. Sed idem omnibus fundamentum erroris exstitit, salutem videlicet uni divino semini, seu rerum caelestium scientiae acceptam referendam esse; mundique conditorem a supremo Deo diversum esse; alterum bonum esse, alterum malum: huius conculcanda opera, violandasque leges; illius comparandam notitiam.

158. Haec sunt quae de haeresibus ab Irenaeo recensitis dicenda erant. Eas pro modulo nostro explicare, densamque iis offusam caliginem dispellere conati sumus, ipsas ad genuinos fontes, platonica nimirum philosophemata revocando. Plerasque Gnosticorum fabulas, quae hactenus inextricabiles visae sunt, purum putumque platonismum esse, laceris ac foede mutilatis Scripturarum tegumentis, christianaeque religionis dogmatibus pessime vestitum nobis constat; forte et aliis, si ad hactenus dicta attendere dignati fuerint, remque penitius adhuc investigare, constabit. Neque enim latius in eo campo exspatiemur sinunt praescripti nobis limites: voluissemus, si licuisset, paullo minus exspatiari.

DISSERTATIO SECUNDA.

DE SANCTI IRENAEI VITA, GESTIS ET SCRIPTIS.

ARTICULUS PRIMUS.

IRENAEI VITA ET GESTA.

1. Quae fuerit Irenaei patria, quod genus, quove anno in lucem editus, nullibi apud veteres, quorum exstant opera, scriptum legitur. Id tamen certum videtur, Graecum exstitisse; quod ipsum nomen plane graecum et eius institutio suadet. Narrat enim vir sanctus in epistola ad Florinum, cuius fragmentum recitat Eusebius [1]), se *puerum adhuc, παῖς ὢν ἔτι*, vel, ut loquitur in opere adversus haereses [2]), *in prima sua aetate, ἐν τῇ πρώτῃ ἡμῶν ἡλικίᾳ*, Polycarpum iam valde senem, *πάνυ γηραλέον*, audiisse et ab eo primis christianae religionis praeceptis imbutum fuisse. Quin Polycarpus tunc Smyrnae, cuius episcopus erat, ageret, dubitari non potest, innuereque videtur Irenaeus loco proxime citato. Ex quo inferre licet, hunc non procul ab ea urbe, ac proinde *ἐν τῇ κάτω Ἀσίᾳ, in inferiore Asia*, ut habet in epistola laudata, ortum accepisse. Fidem quippe superat, tenerae aetatis puerum e longinquis regionibus illuc missum fuisse. Non tamen adeo tenerae aetatis puer fuit Irenaeus, quin Polycarpum studiose, ut ipse scribit [3]), audierit, et ea quae ab illo docebantur alte in corde suo consignaverit semperque studiosa mente revolverit. Annos itaque plus minus duodecim natus tunc fuerit necesse est: vix enim in duodenni aut decenni minorem mox dicta caderent. Sed absit, ut cum cl. Dodwello [4]) credam.

---

1) Euseb. l. V. c. 20. 2) Iren. l. III. c. 3. n. 4. 3) In epist. ad Flor. 4) Dodw. Diss. 3. in Iren. §. 6. et seqq.

vigesimum annum tunc eum excessisse, ac tricesimo proximum fuisse, quum Polycarpum audiret. Monstro prorsus simile, *puerum et in prima aetate* eum dici, qui vigesimum quintum annum attigerit. Nec Dodwellum iuvat, quod Irenaeus [1]) hominum aetates enumerans, infantium, parvulorum, puerorum, iuvenum et seniorum meminerit, puerosque proximos iuvenibus faciat, medios inter hos et parvulos: iuventutis vero senectutisque limites ita definiat, ut a tricenario iuventutem inchoet, extendatque ad quadragenarium; a quadragesimo autem et quinquagesimo anno declinare dicat hominem in seniorem aetatem. Palam est enim, ibi iuventutem pro virili aetate accipi, utpote quam proxime senectus excipiat. Quod vero pueros iuvenibus, omissis adolescentibus, immediate praeponat, nihil est. Irenaeo animus non fuit ibi omnes hominum aetates sigillatim recensere et exacte definire; probare satis pro instituto fuit, Christum sanctitatem omnibus aetatibus, singulas decurrendo, contulisse, ut inde conficeret (qui scopus fuit) et ad senilem aetatem pervenisse, ac proinde quadragesimum annum excessisse. Hinc memoratis infantibus, parvulis, pueris, iuvenibus et senioribus, subdit: *Ideo per omnem venit aetatem, et infantibus infans factus, sanctificans infantes: in parvulis parvulus, sanctificans hanc ipsam habentes aetatem.... in iuvenibus iuvenis, exemplum iuvenibus fiens et sanctificans Domino. Sic et senior in senioribus etc.* Ubi pueros ante memoratos omittit, quod a parvulis haudquaquam distinguantur. At quamvis pueros hic pro adolescentibus accepisset Irenaeus, quod paradoxi genus nulli sobrio persuadebit unquam Dodwellus, certe hinc concludi non posset, eum vicesimo maiorem fuisse, quum Polycarpum audiret. Neque enim puerum tantum se tunc exstitisse dicit, sed *in prima aetate, ἐν τῇ πρώτῃ ἡμῶν ἡλικίᾳ.* Quis vero ferat, primam aetatem usque ad annum vigesimum quintum extendi? Si tantum aetate processisset Irenaeus, non est quod commentitia Dodwello videantur omnia quae de Irenaei presbyteratu, diaconatu, aliisque ecclesiae officiis a Polycarpo acceptis, tradidit Halloixius. Puerumne, inquit ille, Polycarpus, et in prima aetate constitutum, ad presbyteratum usque fuerat evecturus? Non certe. Sed si *puer* ille annum xxv. aetatis attigisset, ad diaconatum saltem evehi potuisset.

2. Constat itaque, Irenaeum tum quum Polycarpum audiret, duodenni maiorem esse non potuisse. Quum vero Polycarpus iam tunc *πάνυ γηραλέος,* valde senex esset, ac proinde martyrio propior, diutius sub tanti magistri disciplina versari non potuit: is quippe gloriosa morte vitam finiisse creditur anno Christi 166. Non procul igitur a vero aberraverimus, si natum Irenaeum dicamus anno circiter 140. sub Antonini Pii imperii initia. Toto vicennio citius natum volunt alii, ac in primis doctissimus Tillemontius [2]): sed vereor, ut Polycarpus anno circiter 132. quo Irenaeum docere debuisset, valde senex dici potuerit; quem non nisi post quatuor et triginta abhinc annos obiisse fatetur ipse vir clarissimus. Quod a fortiori contra Dodwellum [3]) militat, qui ortum Irenaei sub Traiano collocandum censet, et quidem illum a Traiani initio fortasse repetendum. Quod si verum sit, Polycarpum audierit Ire-

1) Iren. l. II. c. 22, n. 4. 2) Tillem. T. II. Hist. Eccles. p. 79. 3) Dodw. Diss. III. in Iren. §. 3. 10. seqq.

naeus anno plus minus 125. quod ultro fatetur vir cl. Sed futili, inter alias plurimas, nititur coniectura: quod nempe Irenaeus ad Florinum scribens, vidisse se eum asseveret in inferiore Asia apud Polycarpum, quum in imperatoria aula splendide ageret, *λαμπρῶς πράττοντα ἐν τῇ βασιλικῇ αὐλῇ*. Ex quo consequens Dodwello videtur, adfuisse eodem tempore, quo Polycarpum audivit Irenaeus puer, in Asia proconsulari imperatorem, in cuius aula versatus fuerit Florinus: non alium certe quam Adrianum, qui circa annum 122. in Asiam profectus est. Sed qui ex Irenaei verbis erui possit, imperatorem tunc in Asia commoratum fuisse, solus viderit Dodwellus: alter quivis hinc tantum intulerit, Florinum aulicum quempiam fuisse, qui summa apud imperatorem gratia valuerit; nec quidquam amplius. Sunt qui Irenaeum Ioannis apostoli discipulum faciant, ut Paradinus [1]) et Severtius, una diplomatis cuiusdam auctoritate freti, cui subscripsisse dicuntur Gregorius papa V. Henricus rex Burgundiae et Hugo lugdunensis archiepiscopus [2]). Sed quidquid sit de diplomate, repugnant veteres omnes, qui Irenaeum Polycarpi, non Ioannis discipulum fuisse asserunt: repugnat Irenaeus ipse, qui quidem non semel a senioribus, qui apostolos eorumque discipulos viderunt et audierunt, plura didicisse se gloriatur; at nusquam ab apostolis ipsis: quod nunquam, si factum fuisset, omisisset, non leve argumentis contra haereticos allatis pondus hinc additurus. Et de Ioannis Apocalypsi agens, scribit, *non ante multum temporis visam esse, sed paene sub suo saeculo, σχεδὸν ἐπὶ τῆς ἡμετέρας γενεᾶς, ad finem Domitiani imperii* [3]). Quibus verbis non longe quidem a Ioannis temporibus vixisse se agnoscit, ei vero coaevum exstitisse se negat.

3. Sed etsi Ioannem ipsum non audierit vir sanctus, Ioannis tamen lectiones excepisse dicendus est, qui a discipulis eius institutus, tantum in eorum schola profecit, ut inter apostolicos viros, apostolicae doctrinae testes, primosque canales, a veteribus omnibus merito recenseatur. Quum enim per Polycarpi mortem sanctissimi senis scholam diu frequentare non licuisset, Papiam alterum Ioannis discipulum adiit, eiusque disciplinae se tradidit, ut auctor est Hieronymus [4]). Seniores alios, apostolorum apostolicorumque virorum discipulos et inter eos eximium quendam, audiisse se non semel affirmat in libris adversus haereses. Quis sit autem ille senior tam frequenter ab eo laudatus, an ipse Papias, an alter, hactenus incompertum. A talibus tantisque viris sanctioris doctrinae purissimos latices profundioremque sacrarum litterarum intelligentiam, simul et vitae sanctimoniam, ac incensum tuendae fidei, quam una cum nutricis lacte suxisse verosimile est, studium hausit medullitus, atque deinceps in scriptis suis ubertim effudit. Nec enim segnis et otiosus auscultator, quae acceperat, e memoria elabi sinebat: quin potius ab ipsa pueritia, quum vix aliis per teneram aetatem seriis attendere licet, Irenaeus quaecunque sanctissimorum illorum primorumque christianae religionis magistrorum ore promebantur, ceu pretiosas evangelii margaritas studiose colligens, sibique, spretis omnibus aliis, comparans, in intimo cordis sinu recondebat, suo tempore proferenda.

---

1) Parad. l. II. Hist. Lugd. c. 30. 2) Severt. de Lugd. Archiep. I. part. c. 2. 3) Iren. l. V. c. 30. n. 4. 4) Hier. in Catal et Ep. 53. al. 29. ad Theod.

Ita se affectum fuisse, quum sub Polycarpi disciplina degeret, pro iure suo gloriatur, Florinoque, suo quondam sub tanto praeceptore condiscipulo, sed deinde misere in haeresin prolapso, ob oculos ponit: ut colendi utrique magistri memoria devium ad pristinam fidem revocaret. Verba tum graece, tum latine ad calcem operis retulimus inter fragmenta. Et ut Polycarpi praesertim memoria cordi altius infixa haereret, sibi ipse exscripsisse creditur ecclesiae smyrnensis epistolam, in qua martyrii eius historia refertur; ut inferre licet ex annotatione, quam ad calcem illius epistolae reperit in MSS. codicibus Usserius.

4. Non adeo tamen ad sacras litteras animum intendit, ut humaniores negligendas sibi putaret. Probe noverat vir perspicacissimus, eiusmodi studia non tantum ad ingenium excolendum, firmandumque iudicium haud parum conducere; sed et iis apprime necessaria esse, qui Ethnicos haereticosque confutaturi, vanae theologiae profanaeque superstitionis intelligentiam ex ipsis fontibus, poëtarum praesertim ac philosophorum libris, haurire debent: *Ut aemuli persecutoresque christianae veritatis de suo proprio instrumento et erroris in se et iniquitatis in nos revincantur* [1]). Hinc in evolvendos profanorum auctorum libros indefessus incubuit; quod ex iis quae passim citat poëtarum ac philosophorum veterum testimoniis luculenter patet: ut non immerito eum Tertullianus *omnium doctrinarum curiosissimum exploratorem* vocaverit [2]). Nec vero intempestive et, ut a plurimis fit, ut multiplicis litteraturae laudem aucupetur, e veteribus decerptos flores operibus inspergit: sed quotiescunque facit, opportune et apposite ad argumentum facit; vel ut ridicula haereticorum deliria festivis salibus perfricet; vel ut impuras, e quibus acceperant, lacunas aperiat; vel ut ecclesiae hostes propriis mucronibus configat. Et eapropter Hieronymus [3]) studii philosophici vindicias agens, utilitatemque demonstrans, argumentum ab Irenaei et aliorum quorundam exemplo petit, *qui origines haereseon singularum, et ex quibus philosophorum fontibus emanarint, multis voluminibus explicarunt.* Minus ergo sibi aequus humillimus modestissimusque pater, dum amico persuadere conatur, se *nec verborum artificium didicisse, nec in comparanda vi conscriptoris elaborasse; ac dictionum ornamenti, persuadendique facultatis expertem se ac ignarum esse* [4]). Minus etiam Irenaeo aequi, qui paullo humiliorem eius stilum conqueruntur. Secus sensere aequissimi rerum aestimatores Tertullianus paullo ante laudatus et Hieronymus, qui ipsos *libros adversus omnes haereses doctissimo eloquentissimo sermone compositos* asserere non dubitat: quod facile animadvertit quisquis eos attentus legit, probantque, quae inter ipsas male sani textus graeci, barbaraeque versionis latinae salebras identidem emicat sublimis perspicacisque ingenii acies, acerrimi iudicii firmitas, mira in excogitandis argumentis ubertas, in deligendis sollertia, in proponendis facilitas, in refellendis adversariis vis ac dexteritas; quaeque demum hirsutas molestissimi argumenti spinas emolliunt et obscurioribus locis lucem afferunt elegantes et e re nata petitae similitudines, lectorisque animum iucunde recreat condita interdum sale et facetiis oratio.

---

1) Tert. de Test. an. c. 1. 2) Id. in Val. c. 5. 3) Hieron. Ep. 83. al. 84. ad Mag. 4) Iren. Praef. lib. I.

5. Quantum temporis in Oriente versatus fuerit, postquam ex ephebis excessit Irenaeus, quidve ibidem gesserit, an sacras functiones obierit, vel docendi munus susceperit, tacentibus veteribus dici non potest. Halloixius [1]) quidem cum inter sacros ministros adlectum et diaconi, immo et presbyteri munere decoratum a Polycarpo fuisse asserit; sed nullo antiquitatis testimonio fretus. Qui puer Polycarpum iam valde senem audiit, diu satis cum eo commorari non potuisse videtur, ut in sacris ecclesiae gradibus collocari ab illo potuerit. Si quis tamen contenderet, Irenaeum prius ab episcopo quopiam orientali diaconum fuisse ordinatum, quam in Gallias mitteretur, haud adeo repugnarem: vix enim crediderim laicum eo destinatum fuisse, qui illas regiones evangelii luce collustraret. At intra coniecturae metas sisto, nihil sine historicorum monumentorum fide temere affirmandum ratus. Illud certum, Irenaeum in Gallias profectum, Lugdunum venisse: quando vero, a quo et qua occasione missus fuerit, incertum prorsus. A s. Polycarpo missum fuisse scribit Gregorius Turonensis [2]): quod factum putat Halloixius circa annum 157. tum quum Romae degeret Polycarpus, quo venerat Aniceti temporibus. Sed iunior tunc fuisse videtur Irenaeus, ut mitti potuerit. Tardius igitur missum puto, quamvis quo anno et a quo, definire nec ausim, nec possim [3]).

6. A s. Pothino lugdunensi episcopo ordinatum fuisse presbyterum, ex Hieronymi [4]) verbis inferre licet: eum enim *Pothini episcopi, qui lugdunensem in Gallia regebat ecclesiam, presbyterum* vocat. Quae significare videntur, Pothinum, pro more qui dudum in ecclesia viguit, per impositionem manuum sibi et ecclesiae suae vindicasse ac mancipasse Irenaeum: quem eam ob rem Eusebius [5]) appellat *presbyterum ecclesiae lugdunensis*. Quae vanam esse ostendunt recentiorum quorundam coniecturam, Irenaeum angelum illum esse, sive episcopum ecclesiae Thyatirensis, in Apocalypsi Ioannis designatum: ne repetam, quod superius probavi, eum non nisi post multos a scripta Apocalypsi et ipsa morte Ioannis annos natum esse. Quam praeclare sese in presbyteratus munere gesserit, satis probant ea quibus pietatem eius ardentissimumque christianae legis tuendae atque amplificandae studium commendant martyrum lugdunensium verba, brevia quidem, sed efficacissima, in iis quas ad Eleutherum papam scribunt epistolis, quas perferendas Irenaeo tradiderant. *Te per omnia ac perpetuo optamus in Domino valere, pater Eleuthere. Has litteras ut ad te perferret, fratrem et collegam nostrum Irenaeum hortati sumus. Quem quidem ut commendatum habeas, rogamus, utpote aemulatorem Testamenti Christi. Quod si nobis compertum esset, locum cuiquam conferre iustitiam, eum tanquam presbyterum ecclesiae (hunc enim gradum obtinet) tibi in primis commendassemus* [6]). Sic illi. Has quidem epistolas a martyribus ipsis scriptas fuisse negat Blondellus [7]), sed potius a clero lugdunensi: quia, inquit, anno 7. imperii Marci, Christi 167. quo martyrium Pothini ac Lugdunensium contigit, Soter romanam ecclesiam regebat, non Eleutherus. Sed ut id

1) Halloix. Vit. Iren. c. 3. 2) Greg. Tur. Hist. Franc. l. I. c. 29. 3) Hall. loc. cit. 4) Hieron. in Catal. 5) Euseb. l. V. Hist. c. 4. 6) Euseb. ibid. 7) Blondell. Apol. pro sent. Hieron. c. 8.

assequatur, prius Eusebii fidem elevet necesse est, qui eas epistolas a martyribus adhuc in carcere positis scriptas, eosque sub Eleuthero, anno 17. Marci Aurelii passos esse affirmat. Hinc ergo potius concludere debebat Blondellus, eos saltem anno 170. quo pontificatum iniisse vult Eleutherum (tardius ego iniisse putem) martyrium subiisse, quam id vanis coniecturis nixus ad an. 167. referre. Certe post annum 167. immo et 170. exaratas fuisse illas epistolas, demonstrat scribendi occasio.

7. Praeter externas quibus ecclesia, M. Aurelio in Christianos saeviente, iactabatur procellas, motibus intestinis quassata Christi sponsa gemebat, civilibusque discordiis, quas pepererat animorum dissensio, flagrabat. Exorti circa annum 170. Cataphryges, Montano, Alcibiade ac Theodoto ducibus, afflante et instigante daemone, novis quibusdam praestigiis, falsisque vaticiniis incautos decipiebant plurimos [1]). Eo proclivior erat in errorem lapsus, quo, Irenaeo [2]) teste, verorum miraculorum gloria coruscabat adhuc ecclesia, caelestiumque gratiarum dona multis in locis frequenter emicabant. Hinc animorum dissensio; aliis, quibus fucum faciebat pseudo-prophetarum simulata sanctitatis species et austerum vivendi genus ab omni lautitia et deliciis temperans, Montanum et asseclas prophetiae spiritu praefulgere opinantibus, eosque ut prophetas suscipientibus atque mirantibus: aliis, ut erat, a cacodaemone afflatos credentibus et ut praestigiatores ac diaboli organa damnantibus et profligantibus. Interea persecutionis aestus Lugduni et Viennae in Galliis effervescebat, plurimique e fidelibus tum laicis, tum clericis, cum Pothino Lugdunensi comprehensi et in tetros carceres coniecti, egregium multiplexque christianae constantiae in perferendis tormentis specimen ediderant. Consulti in hoc temporum miserrimo statu Lugdunenses et Viennenses ab ecclesiis Asiae et Phrygiae, quid de novis prophetis sentirent, peculiari epistola significarunt. Ipsi martyres in carcere constituti, quos ecclesiarum orientalium perturbatio magis, quam propria calamitas angebat, sententiam rogati privatis epistolis dixerunt, quas suis adiecit clerus, ut martyrum auctoritate iudicium suum firmaret. *Religiosum in primis et cum recta fide consentiens* fuisse, ac proinde pseudoprophetis, ut par erat, adversum, asserit is qui omnium epistolas legerat Eusebius [3]). Certe a Montanistarum, qui peccatoribus ecclesiae fores occludebant, immanitate probanda procul aberant ii, qui *neque fastu et arrogantia intumescentes adversus lapsos, neque dolorem matri, aut fratribus discidium ac bellum, sed gaudium et pacem et concordiam caritatemque omnibus relinquentes, gratificati sunt iis qui fidem negaverant, mortuaque iam ecclesiae membra ad vitam revocaverant:* quique uni e sociis, s. Alcibiadi, persuaserant, ut a duro illo et squallido vivendi genere, quod affectabant novi prophetae, temperaret; quia Attalo Deus revelaverat, *non recte, neque ordine facere Alcibiadem, qui et creaturis Dei minime uteretur et aliis exemplum scandali fieret.* Quia vero in omnibus ecclesiasticis negotiis primae sunt episcopi romani partes, nihil in re tanti momenti, ipso inconsulto, definiendum esse merito censuerunt clerus et martyres. Quare *pro pace ecclesiarum quasi legatione*

1) Eus. l. V. c. 3. 2) Iren. l. II. c. 31. n. 2. etc. 32. n. 4. 5. l. V. c. 5, n. 1. 3) Euseb. l. V. c. 2. et 3.

fungentes, litteras ad Eleutherum scripserunt; rogantes, ut pro summa, qua valebat, in ecclesia auctoritate, in sedandos ortos in Asia motus pacemque restituendam pro virili parte incumberet.

8. Alia scribendi ad Eleutherum caussa esse potuit. Forte inclinabat ad novos prophetas deceptus eorum artibus pontificis animus, immo et praeproperas eis litteras pacis iam dederat. Si enim verum sit quod scribit Tertullianus initio libri adversus Praxean, *idem* Praxeas, quum Romam venisset, *tunc episcopum romanum agnoscentem iam prophetias Montani, Priscae, Maximillae et ex ea agnitione pacem ecclesiis Asiae et Phrygiae inferentem, falsa de ipsis et ecclesiis eorum asseverando,* (sic ille Montanistarum laqueis iam irretitus) *et praecessorum eius auctoritates defendendo, coëgit et litteras pacis revocare iam emissas et a proposito recipiendorum charismatum concessare.* Eum quidem episcopum romanum proprio nomine designare Tertulliano non placuit: unde alii Anicetum, alii Victorem, alii alium intelligunt. At in Eleutherum magis quadrare videntur omnia; et quae hic narrantur apprime consentiunt cum epistolarum Lugdunensium et Viennensium circumstantiis. Haec contigisse certum est ipsismet Montanistarum initiis, quum necdum in apertum schisma eruperant et ecclesiae catholicae episcopos, romanum in primis circumvenire nitebantur, ut huius auctoritate pseudoprophetias munirent et tutius effunderent. Audierant Lugdunenses et Viennenses, ab Asianis forte moniti, deceptum Eleutherum intempestivam pacem fanaticis dedisse; inde turbari fideles, ac ecclesiarum dissensiones augeri. E re sua arbitrati ex animo pontificis conceptam opinionem evellere, ad eum scribunt, martyrumque epistolas mittunt, hortati ut ad invictorum Christi athletarum sententiam, cuius tantum in ecclesia pondus, suam componeret; ad id quod praepropere gesserat revocando, dissensiones ortas sedaret, pacemque in ecclesia iudicii sui auctoritate restitueret. Interea commodum accidit, ut Praxeas ab Oriente Romam veniens, Montanistarum fraudes sibi probe notas Eleuthero aperuerit, ipsumque monuerit iam a decessoribus suis, Sotere videlicet, repudiatam esse prophetiam. Ita cum Lugdunensium epistolis accedente rerum notitia, Eleutherus mutata sententia *litteras pacis revocat iam emissas,* ortamque discordiam compescit.

9. Omnia haec apte simul cohaerent, mutuamque sibi lucem inde afferunt Tertullianus et Eusebius. Haec coniectura omnium certe probabilior. Eam dudum proposuerat Henricus Valesius [1]), in illamque satis propendebat bonae memoriae Tillemontius [2]); ne tamen tueretur vir doctissimus unum obstitit. Nimirum, inquit, Tertullianus quam narrat historiam mutatae a summo pontifice, monente Praxea, sententiae, tam arcte cum eiusdem Praxeae haeresi colligat, ut utrumque eodem tempore contigisse videatur. At certum est, Praxean non emersisse, nisi post utrumque Theodotum, quorum antiquior sub Victore primum visus est. Alium igitur quam Victorem episcopum romanum monere non potuit Praxeas. Ita vir clarissimus. Verum quidem est, illa consequenter a Tertulliano referri: non tamen hinc inferri posse putem eodem prorsus

1) Vales. in Annot. in l. V. Euseb. c. 3. 2) Tillem. T. II. Hist. Eccl. not. IV. in Montan.

tempore contigisse; immo contrarium suadet tota narrationis Tertullianicae [1]) series. Constat siquidem Praxean, quum ex Asia Romam advenit, romanoque episcopo auctor fuit ut litteras pacis datas Montanistis revocaret, catholicam fidem, si non animo tenuisse, saltem adhuc simulasse, nec nisi post aliquot annos deprehensum fuisse haereticum. Neque enim fidem tam facile apud pontificem obtinuisset perfidus haeresiarcha, quem turbis in ecclesia ciendis studere compertum fuisset. Sed ne quidpiam hic coniecturis indulgere videar, Tertullianum ipsum audiamus. *Fruticaverant*, inquit, *avenae Praxeanae, hic quoque superseminatae, dormientibus multis in simplicitate doctrinae: traductae dehinc per quem Deus voluit, etiam evulsae videbantur. Denique caverat pristinum doctor de emendatione sua; et manet chirographum apud psychicos, apud quos gesta res est; exinde silentium. Et nos quidem post ea agnitio Paracleti, atque defensio, disiunxit a psychicis.* Itaque primum steriles avenas, ut cum Virgilio loquitur Tertullianus, seu falsam doctrinam seminavit Praxeas, non palam quidem, sed clam, *dormientibus multis in simplicitate doctrinae,* nec infelix lolium advertentibns. Tam parum sibi ab eo cavebant fideles, ut iam fruticarent avenae; id est, prava dogmata multorum animos occuparent inficerentque: donec tandem patefactum sit malum semen, *per quem Deus voluit,* nempe, ut videtur, per Tertullianum ipsum, qui nondum a Catholicis defecerat, ut ipse ait; et Praxeas palinodiam recantaverit. Haec omnia simul et eodem tempore contigisse nemo sibi persuaserit: plures annos inter avenarum seminationem, fruticationem, patefactionem et Praxeae palinodiam intercessisse necesse est. Iam ergo si dicamus Praxean Eleuthero malas artes Montanistarum aperuisse anno 177. quo passi sunt martyres lugdunenses; tum per viginti circiter annos catholicam fidem simulantem, haeresin clanculum disseminasse, eamque iam maturescentem latiusque serpentem sub huius saeculi finem agnitam fuisse, ac tandem evulsam, auctore recantante, quum Victor ecclesiam regeret et uterque Theodotus emersisset: nihil, puto, affirmaverimus quod repugnet vel Tertulliano, vel certis historiae ecclesiasticae monumentis, vel temporum rationibus. Viderint tamen eruditi, quorum iudicio coniecturas nostras libenter permittimus. Sed ad Lugdunensium et Viennensium epistolas redeamus.

10. Quum clerus et martyres varias partim in Asiam et Phrygiam ad fratres, partim Romam ad Eleutherum papam litteras scripsissent; Irenaeum rogaverunt, ut eas quae ad Eleutherum dirigebantur, perferre non dedignaretur et pacem inter ecclesias pro virili sollicitaret [2]). Provinciam quum lubens suscepisset sanctissimus presbyter, profecturum martyres commendarunt pontifici, ut superius vidimus. Quae vero caussa fuerit ut Irenaeum prae ceteris delegerint cum clerus, tum martyres, qui litteras eorum Romam perferret, obscurum in primis. Prima siquidem fronte intempestiva prorsus ea legatio videtur. Esto, permagni fuisset momenti de pace ecclesiarum apud summum pontificem agere: at alteri demandari negotium poterat; saltem non adeo urgere videbatur, quin in aliud tempus commodius differri potuisset. Neque enim in tam adversa temporum conditione, saeviente in Christi gregem persecutione, cle-

1) Tertull. adv. Prax. cap. 1. 2) Euseb. lib. V. c. 3.

ricis omnibus vel in vincula coniectis, vel latebras quaerere coactis, opportunum erat ut Irenaeus ecclesiae decus ac columen, cuius praesentia suis tantopere necessaria erat, tam procul mitteretur. His rationibus permotus cl. Henricus Valesius [1]) fatetur quidem tum a Pothino lugdunensi episcopo, tum a clero, tum a martyribus designatum fuisse Irenaeum qui legatione apud summum pontificem perfungeretur et a martyribus commendatum fuisse: expletam vero legationem negat, sed superveniente Pothini morte alteri fuisse demandatam, ne in tanta rerum difficultate suo praecipuo lumine privaretur viduata mox suo pastore ecclesia. Franciscus Feuardentius et Halloixius putant [2]), Irenaeum, nedum ad Eleutherum, sed et ad ecclesias Asiae et Phrygiae legationem obiisse: cum hoc tamen discrimine, quod prior velit eum Pothino adhuc in vivis agente, alter post eius ac ceterorum martyrum necem profectum fuisse. Baronius denique censet Irenaeum missum esse ad Eleutherum papam et eam re ipsa legationem obiisse: de Asiana autem profectione silet prorsus. Istius sententiam amplectitur is qui novam editionem operum s. Leonis papae procuravit vir doctissimus, Irenaeumque ante Pothini martyrumque mortem profectum esse probabilius existimat [3]). Quid ipsi ea de re sentiamus, proferre liceat.

11. Et quidem Irenaeum in Asiam et Phrygiam a Lugdunensibus et Viennensibus missum fuisse, vel in eas regiones usquam migrasse, gratis omnino, nullaque monumentorum historicorum fide asseritur. Affirmat quidem Eusebius [4]), varias a martyribus, quum adhuc tenerentur in vinculis, de pace ecclesiarum scriptas fuisse epistolas, tum ad fratres qui erant in Asia et Phrygia, tum ad Eleutherum papam: mortuis vero martyribus, qui superstites erant fideles, eas longiori illi ac insigni epistolae, quam ab ipso Irenaeo graeco idiomate scriptam fuisse arbitrantur multi (haud certe indignus est fetus qui tanto viro tribuatur), in qua martyrum certamina describebantur, et ad cuius calcem iudicium de novis prophetis ferebant, adiecisse: sed illas Irenaeo traditas fuisse, vel rogatum eum usquam fuisse, ut in Orientem perferret, nec Eusebius, nec alius quisquam e veteribus memorat. Longe aliud sentiendum de iis, quae ad Eleutherum papam scribebantur, epistolis. Has, ut Romam ferret, Irenaeum rogasse se disertis verbis testantur martyres in scriptis ad eundem Eleutherum in Irenaei gratiam commendatitiis litteris. Morem vero gessisse Irenaeum, litterasque Romam pertulisse expresse asserit Hieronymus [5]): cui eo maior hac in parte fides tribuenda, quo Romae diutissime commoratus, ut probe notat doctissimus Leonis editor, scriniorumque apostolicorum particeps factus, hoc partim ex traditione urbis, partim ex monumentis adhuc superstitibus potuit ediscere. Nec dissentit Eusebius: immo demandatam legationem expletam fuisse satis silentio suo significat; si effectum sortita non fuisset, id procul dubio non omissurus. Non committendum autem putem, ut a tantae auctoritatis scriptorum sententia discedamus, nisi gravissimis momentis, ac rationibus, quae hic certe desunt, abducti. At, inquit Valesius, credibile non est,

1) Vales. in Not. ad lib. V. Hist. Eus. c. 4. 2) Feuard. in Vit. S. Iren. operib. eius praefixa. Halloix. in Vit. c. 7. 3) Tom. II. no. edit. s. Leon. Paris. an. 1675. Diss. V. c. 13. 4) Euseb. lib. V. c. 3. 5) Hieron. in Catal.

Irenaeum ecclesiam lugdunensem persecutionis acerbitate fatiscentem, suoque viduatam pastore, deserere aut voluisse aut potuisse. Sed si credibile sit in iis temporum circumstantiis tum a clero, tum a martyribus iam in vincula coniectis, quibus propediem denuntianda esset capitalis adversus eos lata sententia, Pothino vel comprehenso vel mortuo, ceterisque clericis aut captis, aut fugatis, Irenaeum, metu perculsae et afflictae ecclesiae tam necessarium, delectum fuisse, qui Romam litteras perferret: cur revera pertulisse fidem superabit? Quod impedimento fuisse supponitur quominus legatio expleretur; idem et esse debuit quominus decerneretur. Quum igitur hanc in ipso persecutionis aestu decreverint clerus et martyres: quin ea perfunctus fuerit Irenaeus, pro summo quo invictos Christi athletas colebat obsequio, saeviente licet persecutione, dubitari non potest.

12. Si quidem de sollicitanda apud summum pontificem ecclesiarum orientalium pace, eaque quam de Montani vaticiniis lugdunenses atque viennenses tulerant sententia Romam perferenda, quaestio duntaxat fuisset, ut supponit Valesius, nonnihil ponderis forsitan haberet eius ratio. Non enim tanti momenti fuisse videtur, aut adeo urgebat negotium, quin in aliud tempus commodius differri, aut saltem alteri quam Irenaeo facile committi potuisset. Unde quod in tam difficilibus ecclesiarum lugdunensis et viennensis temporibus rogatus fuerit talis et tantus vir, ut Eleutherum papam adiret, illud procul dubio demonstrat, longe aliam atque maioris momenti fuisse caussam adeundi; praesensque aliquod ab istis ecclesiis propulsandum discrimen maturasse profectionem. Quidnam vero rei fuerit, haud obscure, ni fallor, tum ex historia martyrum, tum ex Eusebio [1]) ipso et Hieronymo colligitur. Ipsis persecutionis initiis comprehensus Pothinus episcopus lugdunensis, atque a militibus immaniter raptatus, innumerisque plagis affectus, paene exanimis coniectus in carcerem, biduo post ex vulneribus acceptis nonagenario maior animam exhalaverat. Si diutius antistite orba in iis temporum angustiis relicta fuisset ecclesia, periculum fuisset, ne christianae res in Galliis, iam persecutorum furore non parum labefactatae, funditus ruerent. Quare communibus tum cleri, tum martyrum votis delectus Irenaeus Pothino sufficitur. Quia vero aut rarissimi aut nullidum erant in Galliis episcopi (nullum saltem iis temporibus memorat Eusebius [2]), ne quidem apud Viennenses), qui electo manus possent imponere; necesse fuit romani pontificis opem implorare, tum propter vicinitatem, tum pro pter potiorem, ut loquitur Irenaeus, principalitatem: ut viduatae suo pastore ecclesiae per eiusdem Irenaei consecrationem suppetias ferret. Hic ergo Romam mittendus fuit, et, ut ferebant ecclesiae leges, eius fides, pietas, merita denique Eleuthero probanda. Hucque spectant epistolae commendatitiae quas ad pontificem scripsere martyres, quibus Irenaei *singulare pro Christi Testamento studium* praedicant, hortanturque *ut ipsum ceteris anteponat,* ἔχειν σε αὐτὸν ἐν παραθέσει [3]): ne minus notum presbyterum ad dignitatem episcopalem evehere dubitaret. Sic Eusebium cum cl. Leonis editore interpretor: a quo tamen in eo dissentio, quod probabilius putet ante Pothini martyrumque mortem ad

1) Euseb. lib. V. c. 1. 2) Euseb. lib. V. c. 6. 3) Euseb. lib. V. c. 4.

Eleutherum profectum esse Irenaeum. Neque enim obtinere a me possum, ut credam, martyres suo adhuc in vivis agente episcopo Romam misisse, qui necdum vacuam sedem capesseret. Nam praeterquam quod id ecclesiae legibus repugnabat; ipsa martyrum acta, quae refert Eusebius [1]), ad ecclesias Asiae et Phrygiae missa, testantur Pothinum ineunte fere persecutione comprehensum, martyrio vitam finiisse; idque tota Eusebianae narrationis series satis insinuat: adeo ut de mittendo Romam Irenaeo consilium cepisse martyres referantur, post memoratam iam episcopi sui mortem, ut haec illi praeivisse demonstretur. Si vero Eusebius post commemoratam cap. 4. Irenaei legationem, iterum de Pothini morte, Irenaeique in eius locum substitutione agat; argumento non est eam morte priorem fuisse: sed quum Eusebius cleri et martyrum epistolas, in quibus omnia haec eodem, quo dixi, ordine referuntur, exscribendas sibi proposuisset, quod primis quatuor libri quinti capitibus exsequitur; quae de Irenaeo iam suis verbis dicturus erat, debuit, ne narrationis filum abrumperet, in caput sextum reiicere. Ab Eusebio non discedit Hieronymus, qui in libro de scriptoribus ecclesiasticis, de Irenaeo ita loquitur: *Irenaeus Pothini episcopi, qui lugdunensem in Gallia regebat ecclesiam, presbyter, a martyribus eiusdem loci ob quasdam ecclesiae quaestiones legatus Romam missus, honorificas super nomine suo* (id est, nomini eius, quod pacificum sonat, respondentes) *ad Eleutherum episcopum perfert litteras. Postea iam Pothino prope nonagenario ob Christum martyrio coronato, in locum eius substituitur.* Quibus verbis non obscure significat, duplicem fuisse legationis Irenaei finem: alterum, eumque minus praecipuum, quem iam memoravimus, ut de quibusdam ecclesiae quaestionibus, iis nimirum quae ad novas prophetias spectabant, apud pontificem ageret: alterum longe potiorem, ut in Pothini defuncti locum substitueretur; et eam ob rem honorificas super nomine suo pertulisse litteras. Priori legationis officio perfunctus Irenaeus, *postea* secundum obiit, in Pothini ob Christum martyrio coronati locum substitutus. A quo? nisi ab Eleuthero, ad quem honorificas super nomine suo pertulerat litteras. Illud igitur, *postea,* non longiorem aliquam temporis moram, quasi Irenaeus litteris Romam perlatis, in Gallias redux in Pothini locum substitutus fuisset; sed rerum seriem significat, quarum aliae alias paucis diebus praecesserint: nimirum Irenaeum primum ecclesiarum pacem apud Eleutherum sollicitasse, tum demum consecratum ab eo fuisse episcopum, in locum Pothini defuncti.

13. Unum superest quod forte scrupulum cuipiam iniicere queat: id videlicet quod dixi, rarissimos tunc temporis, aut forte nullosdum in Galliis fuisse episcopos, a quibus manuum impositionem accipere potuisset Irenaeus. Non quidem hic celeberrimam de primis Galliarum apostolis quaestionem ad novum examen revocare mihi in animo est: illud tantum asserere liceat, quod ex certis indubitatisque monumentis exploratum videtur; M. Aurelii temporibus christianam religionem nondum altas firmasque radices in Galliis egisse, paucissimasque ibi Pothini et Irenaei aetate constitutas fuisse episcopales sedes. Certum est, nec negant acerrimi *missionum* apostolicarum in Galliis patroni, ecclesiae

1) Euseb. lib. V. c. 1.

lugdunensis exordia deberi Pothino episcopo, qui primus in ea urbe evangelii fundamenta iecit. Si autem religio christiana longe lateque diffusa tunc fuisset in Galliis, pluresque iam a Petri et Pauli temporibus constitutae in iis regionibus episcopales sedes; qui fieri potuit, ut Lugdunum, unam e primariis Galliae civitatibus metropolitica dignitate conspicuam, mercatura, populi frequentia, primorum magistratuum romanorum habitatione ac domicilio celeberrimam, Italiaeque vicinam, nullus adierit evangelii minister, nullus ibi fundarit ecclesiam, episcopumque instituerit, qui amplissimae urbis conversioni operam navaret? Non procul adeo distant a Lugduno Vienna, Narbona, Arelate, Tolosa etc. Si igitur eae urbes iam ante Pothinum evangelica luce, suisque praesulibus gavisae fuissent; prima istorum cura esse debuisset, si quod amplificandae religionis studium pectora incessisset, Lugdunum coloniam christianam deducere, e qua tanta utilitas in ecclesiam manasset: nec necesse fuisset Pothinum, Irenaeum, aliosque evangelii ministros ex Oriente mittere, qui eam urbem vicinasque regiones ad Christum converterent. Certe si qua urbs Pothini aetate proprium episcopum habere debuisset, maxime Vienna, in qua constitutam fuisse ecclesiam ex citata martyrum epistola liquido patet. Mirum autem in tota ea epistola, Viennensium perinde atque Lugdunensium nomine scripta, lugdunensis episcopi honorificam, viennensis vero ne levissimam quidem fieri mentionem. Et tamen non omittitur unus e martyrum numero Sanctus, viennensis diaconus. De episcopo autem viennensi altissimum ubique silentium. Scribunt Lugdunenses et Viennenses, *quod ex utraque ecclesia praestantissimi quique, et quorum maxime labore et industria res hic constitutae fuerant, simul omnes tenerentur.* Si praestantissimi quique ex utraque ecclesia simul omnes tenerentur, comprehendi debuit cum Pothino et viennensis episcopus, nec nomen eius praetermitti. Dum tamen praestantissimorum illorum nomina recensent, lugdunensem episcopum non silent, viennensis ne verbo quidem meminerunt. Hunc implicite saltem contineri vult doctissimus Tillemontius inter praestantissimos illos, quos ex utraque ecclesia comprehensos narrat epistola. At id miror etiam atque etiam, tam accuratam Lugdunensium et Viennensium diligentiam fuisse erga lugdunensem episcopum, ut implicita mentione haudquaquam contenti, eum proprio nomine appellandum censuerint; sic vero eos defecisse diligentiam, ut diaconi viennensis explicita mentione facta, episcopi implicite meminisse satis fuerit, tacito prorsus eius nomine et gradu, quasi vel obscuri nominis homo fuisset, vel res nullius momenti. Gregorius Turonensis[1]) pariter et Ado Viennensis, qui epistolam integram legerant, praecipuorum quorumque martyrum nomina haud impigre recensent, numerumque definiunt: de viennensi episcopo ne verbum quidem. Quod autem addit vir cl. post Valesium, Viennae tunc temporis constitutam fuisse ecclesiam, eamque iam perfectam et formatam, non urget. Si enim perfectae et formatae ecclesiae nomine eam intelligat, quae proprium habet episcopum, talem fuisse viennensem negabimus, aut saltem dubitabimus. Si vero quemlibet fidelium coetum intelligat, nihil obtinebit: quum in pluribus locis fuerint ecclesiae eo sensu, quae

1) Greg. Tur. de Gl. Mart. c. 49. Ado 2. Iun.

tamen episcopales non erant. Certum quippe est ex Athanasio in Apologet. II. in Maraeotide regione plures fuisse ecclesias: et tamen *nec ullus unquam in ea fuit episcopus, ac ne chorepiscopus quidem: sed universae eius regionis ecclesiae*, inquit, *subiectae sunt episcopo alexandrino. Singuli autem presbyteri proprios habent pagos, eosque maximos, aut plures.* Quid si ergo tam modicus apud Viennam tum fuerit fidelium numerus, ut pusillo gregi regendo satis superque fuerit unus lugdunensis episcopus, illi urbi vicinus: quum maxime tanta esset adhuc virorum episcopalium penuria, ut singuli singulis urbibus praefici non possent? Eamque forte ob caussam qui Viennae comprehensi sunt fideles, Lugdunum abducti, coram praeside lugdunensi iudicio sistuntur, ab eo interrogantur, extremisque suppliciis addicuntur. Certe Lugdunum et Vienna ad diversas provincias pertinebant, haec ad narbonensem, illa ad celticam, cuius caput erat. Suus erat unicuique provinciae praefectus, et quidem alter ab altero genere diversus. Celticam, quae iuris imperatoris erat, regebat propraetor; narbonensem, quae iuris senatus, proconsul. Quum itaque lugdunensis propraetor nihil in Viennam iurisdictionis exercere posset, fidelium Viennensium caussae cognitionem pro iure sibi vindicare non poterat. Quid ergo eos coram proprio tribunali Lugduni sisti iubet, eorumque caussam disceptari? Hoc unum mihi in mentem venit, propraetorem in mandatis habuisse, lugdunensem ecclesiam stirpitus delere. Et quia audierat Viennenses ad lugdunensem ecclesiam pertinere, et a lugdunensi episcopo regi; iccirco eos pro mandatis comprehendi iubet, et coram se sisti. Hunc nodum hactenus aliter secari posse non puto. Nec enim audiendus videtur doctissimus Valesius, qui Lugdunum et Viennam uni et eidem romano praesidi tunc paruisse censet: gratis quippe asserit, nec probat.

14. Si vero contendat quis viennensem episcopum persequentium furori sese subduxisse, nec inter ecclesiae suae praestantissimos comprehensum fuisse, (mirum si subducere se potuerit; tanta erat eorum in perquirendis Christianorum ducibus diligentia!) saltem exhiberetur vel ab Eusebio, vel a martyribus pro Christi grege sollicitus, afflictaeque ecclesiae curam gerens: et in eorum capite qui utriusque ecclesiae nomine, tum ad Eleutherum papam, tum ad Orientales scribunt, pro merito dignitatis appareret. Nullibi tamen hunc videas; ubique desideratur. Quae epistola ad fratres in Asia et Phrygia degentes mittitur, hanc prae se fert inscriptionem: *Servi Christi, qui apud Viennam et Lugdunum Galliae degunt, fratribus per Asiam et Phrygiam constitutis etc.* nulla viennensis episcopi mentione facta. An vero Viennenses inconsulto proprio episcopo de martyrum suorum certaminibus scribere, iudiciumque suum de novis Montanistarum prophetiis interponere voluissent? De Lugdunensibus nihil mirum, si fecerint: vacabat tum lugdunensis sedes. At quod adhuc in vivis superstite viennensi episcopo, eius ne verbo quidem meminerint sui, in rebus tanti momenti, vix credat qui ad totius ecclesiae consuetudinem et leges attenderit.

15. Deinde notissimum est quod scribit Sulpitius Severus [1]), quod sub Aurelio Antonini filio persecutio quinta agitata: ac tum primum in-

1) Sulpit. Sever. lib. II.

tra Gallias martyria visa, serius trans Alpes Dei religione suscepta. Notissimum item quod legitur in sinceris optimaeque notae Actis sancti Saturnini martyris, primi Tolosatium apostoli, quae vidit citavitque Gregorius Turonensis, publici iuris factis et emendatis a doctissimo Ruinartio nostro: Decio et Grato Consulibus, id est, anno Christi 250. *raras in aliquibus civitatibus* (Galliae) *ecclesias paucorum Christianorum devotione consurgere, et crebra miserabili errore Gentilium nidoribus foetidis in omnibus locis templa fumare*[1]). Si serius trans Alpes Dei religio suscepta fuerit; si anno Christi 250. rarae adhuc et in quibusdam duntaxat Galliae civitatibus ecclesiae consurgerent, eaeque paucorum Christianorum; si crebra in omnibus locis Gentilium templa nidoribus foetidis fumarent; tardius in Galliis fundatas fuisse episcopales sedes, rarissimasque anno 250. esse debuisse iudicabit prudens quivis rerum aestimator. Si autem is esset tum temporis trans Alpes christianae rei status, si paucissimi in Galliis episcopi: is multo deterior, et simul etiam multo minor episcoporum numerus ibi esse debuit anno 177. quo passus est Pothinus lugdunensis episcopus. Si enim tunc et antea floruisset pluribus in Galliae locis religio, si iam multis in urbibus constitutae ecclesiae, quae a propriis regerentur episcopis; *sub Aurelio Antonini filio tum primum intra Gallias martyria videri* non debuissent, sed dudum antea; nec Lugduni modo, sed et Viennae, Arelatae, Narbonae, Lutetiae Parisiorum, et si quae aliae civitates ecclesias et proprios episcopos habuissent, videri debuissent. Cur enim ecclesiis nostris plus pepercissent Traianus et Adrianus, quam orientalibus et italis; et cur in lugdunensem duntaxat saevierit M. Aurelius, non in alias, non video; nec, puto, videbit quisquis spretis spuriis dubiisque monumentis, nihil nisi certum exploratumque proferre voluerit. Huic nulla tutior, qua ab his sese difficultatum laqueis expediat, apparebit via, quam ut affirmet cum Sulpitio Severo, et antiquo auctore actorum s. Saturnini martyris, viris omni exceptione maioribus, serius trans Alpes, et in Galliis, vix ante Pothini adventum, Dei religionem susceptam esse: et ideo sub M. Aurelio tum primum intra Gallias, nec alibi prius quam Lugduni, martyria visa esse: *quia sensim et gradatim in omnem terram sono evangeliorum exeunte, parique* (vel ut alii legunt, *tardoque*) *processu in regionibus nostris apostolorum praedicatione coruscante*[2]), religio christiana nondum longe lateque diffusa erat, Lugduno et Vienna conclusa. Ex quibus aperte sequitur, paucissimos M. Aurelii anno 17. episcopos in Galliis, vixque alibi quam Lugduni esse potuisse.

16. Nec multo plures illic episcopos exstitisse, Irenaeo ipso post Pothini mortem ecclesiam lugdunensem regente, ex Eusebio colligi posse videtur. Nam quotiescunque de rebus in Gallia gestis, sive quum de ecclesiarum fundatione, sive quum de vexatione Gentilium, sive quum de controversiis in ecclesia exortis, et in Gallia disceptatis sermonem habet, unius episcopi lugdunensis, alterius nusquam meminit. Immo disputationem enarrans, quae de paschate celebrando inter Victorem papam et Asiaticos efferbuit, Irenaeum bis exhibet quasi solum, qui Galliarum ecclesias episcopali iure tunc regeret. Inter eos qui Victorem obiurgant,

1) Hist. sacr. Greg. Tur. lib. I. Hist. §. 28. no. edit. Act. Mart. sinc. et sel. p. 110.
2) Act s. Saturn. M.

quod asiaticas ecclesias a sua communione abscidisset, *Εἰρηναῖος ἐκ προσώπου ὧν ἡγεῖτο κατὰ τὴν Γαλλίαν ἀδελφῶν ἐπιστείλας* etc. *Irenaeus ex persona fratrum in Gallia commorantium, quibus praeerat, ad eundem scripsit etc.* [1]) Alio iure fratribus in Gallia degentibus praesse non poterat Irenaeus, quam episcopali, non certe metropolitico, longe minus exarchico aut patriarchico. Neque enim, ut erudite arguit cl. auctor novae editionis operum s. Leonis papae, dissertatione laudata [2]), secundo ecclesiae saeculo, quo christianae fidei fundamenta trans Alpes vix erant posita, quo nascenti ecclesiae ne mutire quidem licebat in iis regionibus, quo denique ea Galliae civitas quae prima fidem suscepisse videtur, vix alterum antistitem a Pothino habebat, eam hierarchiae formam iam in paucis quae illic exsurgebant ecclesiis introductam esse, quae et episcopos metropolitanis, et metropolitanos exarchis subiiceret, a quoquam demonstrari posse putem. Sane si ipso medio tertio saeculo, quo Tolosam advenit Saturninus, tam rarae adhuc essent in nostris regionibus ecclesiae, eaeque paucorum Christianorum; quis credat, secundo desinente saeculo tam frequentes fuisse, ut pluribus episcopis metropolitico aut exarchico iure praeesset Irenaeus? His adde quod *fratrum* nomine episcopos designare non soleant veteres, sed christianam plebem. Sed si cui anceps appareat iste Eusebii locus, clariora forte videbuntur quae antea praemisit. Nempe recensens *varias synodos, episcoporumque conventus, συνόδους δὴ καὶ συγκροτήσεις ἐπισκόπων* qui adversus Asiaticos coacti sunt, Romanam, Palaestinam, Ponticam, Osroënam et Corinthiam memorat. Has omnes, una excepta Osroëna, diserte appellat synodos episcoporum, et quae in iis definita sunt, decreta episcoporum; nec omittit episcopos qui iis synodis praefuerint. Ubi vero decretum ab ecclesiis Galliae de eadem controversia editum refert, iam non synodos episcoporum commemorat, sed decretum *τῶν κατὰ Γαλλίαν παροικιῶν, ἃς Εἰρηναῖος ἐπεσκόπει, parochiarum Galliae, quarum Irenaeus episcopus erat,* seu *quas ut episcopus administrabat.* Quibus Irenaeum unicum Galliae episcopum designat. Si enim illud decretum in concilio plurium Galliae episcoporum editum fuisse censuisset Eusebius, id non minus observandum sibi putasset, quam observandum putavit, decretum Palaestinorum ab iis episcopis emissum fuisse quibus praecerant Theophilus Caesariensis et Narcissus Hierosolymitanus; Italorum, ab iis quibus praefuit Victor; Ponticorum, ab iis quibus praefuit Palmas; Achaicorum denique, ab iis quibus praefuit Bacchylus. Quum igitur non eodem modo de Galliae ecclesiis loquatur, atque de aliis, sed procul diverso; haud obscure innuit, longe aliam fuisse tunc ecclesiarum nostrarum conditionem, easque adhuc in cunabulis, nec latius diffusas, vix alium episcopum habuisse quam Irenaeum. Nullum saltem alium proferri posse, aut ex indubitatis ecclesiasticae historiae monumentis erui, fatetur ipse qui nobis hic adversatur peritissimus ecclesiasticae antiquitatis indagator Tillemontius [3]). Nec enim Synodicon [4]) moror, in quo duplex concilium sub Irenaeo celebratum exhibetur; alterum duodecim,

1) Eusch. l. V. c. 24. 2) Dissert. V. pro s. Hil. Arel. c. 13. To. II. no. edit. s. Leon. 3) Tillem. To. III. Hist. Eccl. not. 3. in Iren. 4) Synodic. To. I. Concil. Lab. p. 599. 601.

alterum tredecim episcoporum: illius quippe sublesta admodum fides in rebus tantae antiquitatis. Sed de his iam plus satis pro instituto nostro.

17. Roma reversus Irenaeus in resarciendam ingentem illam, quam Gentilium furor ecclesiae lugdunensi mox intulerat, vastitatem totus incubuit. Quam feliciter autem id praestiterit, docet Gregorius Turonensis. *Beatissimus Irenaeus*, inquit, *huius successor martyris* (Pothini), *qui a beato Polycarpo ad hanc urbem* (Lugdunum) *directus est, admirabili virtute enituit: qui in modici temporis spatio, praedicatione sua maxime in integro civitatem reddidit christianam.* Unde in altera persecutione quae sub Severo contigit, quaeque Irenaeum caelo transmisit, asserit idem Gregorius *tantam* cum Irenaeo *multitudinem Christianorum ob confessionem dominici nominis esse iugulatam, ut per plateas flumina currerent de sanguine christiano, quorum,* ait, *nec numerum, nec nomina colligere potuimus.* Quod et confirmant Usuardus aliique Martyrologiorum scriptores, dum narrant Irenaeum *cum omni fere civitatis suae populo coronatum esse glorioso martyrio* Eximia haec sunt argumenta illius, quo ardebat sanctissimus episcopus, christianae religionis apud suos promovendae studii. Sed et maius fuit, quam ut angustioribus lugdunensis urbis limitibus concludi potuerit: in totam Galliam, immo et totam ecclesiam sese diffudit. Id enim ipsi curae fuit, ut discipulos christianae vitae atque doctrinae praeceptis excoleret, qui deinceps de tota ecclesia verbis, scriptis et exemplis bene mererentur Talis fuit, Photio [1]) teste, S. Hippolytus episcopus et martyr, qui inter tertii saeculi patres sanctitatis et eruditionis laude floruit. Talis etiam Caius presbyter, eiusdem saeculi scriptor haud ignobilis, saltem si quae fides iis, quae in MSS. codd. scripta leguntur ad calcem actorum s. Polycarpi martyris, quae a Caio, *qui cum Irenaeo conversatus est, συνεπολιτεύσατο*, descripta dicuntur ex ipsius Irenaei, Polycarpi discipuli, apographo.

18. Sed quum in Galliis apostoli munere fungeretur, eamque vineae Domini partem sibi colendam suscepisset, ibi maiora zeli sui specimina edere par erat. Quare nihil antiquius habuit, quam ut in eas partes quae novis cultoribus indigerent, operas mitteret necessarias. Ex Actis ss. martyrum Ferreoli presbyteri, et Ferutionis diaconi, Felicis presbyteri, ac Fortunati et Achillei diaconorum, S. Irenaei discipulorum, discimus priores duos Vesuntionem, posteriores tres Valentiam ab eo missos fuisse, ut per ea loca divini cultus fundamenta iacerent. Quamvis autem non usque adeo sincera videantur haec Acta, ut iis plenam et indubitatam fidem in omnibus tribuere possimus; nihil tamen est quod de missione sanctorum illorum dubitationem movere queat, quum maxime consentientem habeamus earum ecclesiarum traditionem. Et eapropter a veteribus, Galliarum apostolus, *lumen Gallorum occidentalium*, iure merito dictus fuit Irenaeus; utpote qui *celticas gentes excoluit et illuminavit* [2]). Et hinc non parum confirmatur quod paullo ante diximus, raras tum fuisse in Galliis ecclesias christianas, rariores episcopos: quum Valentia et Vesuntio, civitates haud obscuri nominis et infimi gradus, nec a Lugduno procul adeo dissitae, Christi fidem nondum audiissent, quarum etiam priores apostolos episcopali dignitate insignes fuisse non legimus. Ea

1) Phot. cod. 121. 2) Theodoret Dial. I. Immut. Id. Compend. Haer. Fab.

vero omnia quum nullis chronologicis notis signata legamus apud auctores, quo anno contigerint definire non possumus. At illud certum, Eleuthero adhuc pontifice, scriptos saltem tres priores libros, ex quinque, adversus Gnosticorum fabulas. Neque enim Irenaeo satis erat Christi imperii fines quam longe lateque posset proferre, nisi pacem in eo tueri, hostiumque domesticorum malas artes et impetus frangere pro virili parte conaretur. Dudum emerserant in Oriente Valentiniani, quos brevi post exceperant Marcosii, Simonis magi aliorumque Gnosticorum mala progenies; qui sub nomine christiano animum plus quam ethnicum gerentes, incredibilibus errorum monstris horrendisque flagitiis christianae religionis sanctitati summam infamiae labem adspergebant. Eo periculosius serpebat venenum, quo occultius: iamque lugdunensem regionem pervaserat, pluresque, mulieres praesertim infecerat, quorum animos non a fide modo, sed et ab omni rationis sensu prope abduxerat [1]). Irenaeus excubias agens pro Christi grege, ubi malum sensit, satisque totam eius gravitatem ex haereticorum tum libris, tum sermonibus exploratam habuit, ad scribendum se contulit, ut sceleratas eorum nugas, dolos et mores in propatulo poneret et funditus everteret. Sed de s. episcopi libris et scriptis postea fusius et accuratius disserenus. Valentinianos, Marcionitas, aliosque veteres haereticos damnatos ab Irenaeo fuisse in synodo quam Lugduni habuit, cuique duodecim adfuerint episcopi, tradit iam citatus libellus synodicus: sed in huiusmodi rebus nulla fide esse posse hunc libellum, nono saeculo editum, iam monuimus.

19. Quam tuendae ac fovendae in ecclesia pacis studiosus fuerit Irenaeus, nusquam manifestius patuit, quam in ea quae inter Victorem papam et Asiaticos efferbuit controversia. Hactenus non una et eadem fuerat ecclesiarum omnium in celebrando paschate disciplina. Asiae minoris ecclesiae agendum paschatis et resurrectionis dominicae diem festum, ieiuniisque finem imponendum esse contendebant, ipsa decima quarta luna post aequinoctium vernum, in quamcunque hebdomadae feriam incideret. Romana vero, ne Iudaicos ritus imitari videretur, celebrandum esse censebat die dominica, quae decimam quartam lunam proxime sequeretur, et eo usque protrahenda esse ieiunia. Romanae consentiebant praeter occidentales omnes, alexandrina, Phoeniciae, Ponti, Achaiae et Osroënae ecclesiae. An etiam Syriae, Ciliciae et Mesopotamiae? Dubitandi locus est. Hinc siquidem constat ex Athanasio in libro de synodis, quod ante nicaenum concilium, *οἱ μὲν ἀπὸ τῆς Συρίας καὶ Κιλικίας καὶ Μεσοποταμίας ἐχώλευον περὶ τὴν ἑορτήν, καὶ μετὰ τῶν Ἰουδαίων ἐποιοῦντο πάσχα, Syri, Cilices et Mesopotamiani circa festum claudicabant, et cum Iudaeis pascha celebrabant.* Tradit etiam epistola synodica ipsius concilii, *πάντας τοὺς τῆς ἑῴας ἀδελφούς, omnes Orientis fratres* [2]), qui prius a Romanis, Alexandrinis et aliis nationibus in festo paschatis dissentiebant, iam cum illis consensisse. Porro Orientis ac Syriae caput Antiochia. Quin saltem in ea urbe asianarum ecclesiarum de paschate disciplina olim obtineret, donec concilium nicaenum ecclesias omnes ad concordiam revocasset, dubitare

1) Iren. lib. I. c. 13. n. 7. 2) Apud Theodoret. lib. I. Hist. c. 9.

nos non sinit s. Ioannis Chrysostomi [1]), Antiocheni civis ac presbyteri, expressa auctoritas, in Oratione quam adversus quosdam e suis habuit, qui veteris ritus memores, pascha etiam post nicaenam synodum luna 14. celebrare non destiterant. Fatetur hunc quidem fuisse ante synodum Antiochenorum morem, deinceps autem observationi temporum concordiam fuisse praelatam. Illinc vero Eusebii moratur auctoritas. Nam disertis verbis asserit, praeter asianas aliasque finitimas ecclesias, *ταῖς ἀνὰ τὴν λοιπὴν ἅπασαν οἰκουμένην ἐκκλησίαις, ceteris per reliquum orbem terrarum dispersis ecclesiis* [2]) pascha cum romana convenisse. Quibus complecti videtur ecclesias Syriae, Ciliciae et Mesopotamiae, perinde atque alias plures, quarum disertam mentionem non facit. Nodum hunc scidit, non solvit eruditissimus Tillemontius [3]), scribens eas quidem Victoris aetate pascha, more romano, die dominica celebrasse, postea vero a pristino ritu sic defecisse, ut nicaeni concilii temporibus pascha cum Iudaeis agerent luna ipsa 14. Quod quidem ecclesiae quaedam quae Victori papae acrius restiterant, saniori postea suscepto consilio a pristinis ritibus desciscentes, ad communes aliarum fere omnium ecclesiarum redierint, nihil adeo mirum videbitur. Et ita fecisse plures Asiae ecclesias satis probabile: nam Constantinus imperator [4]) inter eas quae nicaeni concilii temporibus pascha cum romana agebant, dioecesin Asiae recenset: et Anatolius qui circiter an. 276. scribebat, ait, quod *ad hanc usque diem* episcopi Asiae pascha celebrabant 14. luna post aequinoctium; quibus innuere videtur, tunc celebrare destitisse. Sed qui et cur ecclesiae, quae per ducentos ferme annos pascha die dominica non tantum observassent, sed et sub saeculi secundi finem, dum acrior erat ea de re disputatio, ita observandum esse vehementer contendebant; mutata disciplina pro qua decertaverant, centum circiter abhinc annis alterius, quam impugnaverant, quamque paene totius orbis moribus repugnare non nesciebant, tenaces reperirentur, nemo facile dixerit, nec caussam tam inopinatae mutationis assignaverit. At, inquit vir clarissimus, haud dubium, quin Mesopotamia quarto ineunte saeculo veterem ritum deseruisset. Nam secundo desinente osroëna cum romana ecclesia consentiebat. Osroëna autem in sermone quotidiano pro Mesopotamia accipitur. Sed quod velut certum assumit vir doctissimus, Mesopotamiam et Osroënam promiscue usurpari solere ab auctoribus, aliis dubium saltem videbitur. Certe alteram ab altera distinguit Ammianus Marcellinus [5]). *Et quia,* inquit, *Mesopotamiae tractus omnes crebro inquietari sueti, praetenturis et stationibus servabantur agrariis, laevorsum flexo itinere Osroënae subsederat extimas partes etc.* Distinguit et Procopius [6]): *Oppida,* inquit in Alamundari oratione, *Μεσοποταμίας καὶ τῆς Ὀσροηνῆς καλουμένης χώρας, Mesopotamiae et regionis quae Osroëne vocatur.* In notitiis etiam imperii et ecclesiae distinguuntur ab invicem Osroëne et Mesopotamia proprie dicta, et huius caput Amida, illius Edessa statuitur. Denique Anthemusia, quae fere Osroëna est, Strabone

1) Chrysost. To. V. Hom. 55. p. 608. seqq. 2) Euseb. lib. V. c. 23. 3) Tillemont. Hist. Eccl. To. III. Not. I. in Vict. Pap. 4) Euseb. lib. III. de Vit. Const. c. 19. Apud Buchet. de Cycl. Vict. p. 444. ed. Antverp. 1633. 5) Am. Marcell. l. XXV. c. 3. 6) Procop. lib. I. Bel. Pers. c. 17.

auctore, est *τῆς Μεσοποταμίας, Mesopotamiae ipsius* portio, scilicet Mesopotamiae latius acceptae. Quae probant Osroënam apud auctores passim a Mesopotamia distingui, vel ut partem a toto, vel ut partem ab altera parte. Sed etsi quidam utramque promiscue usurparint, nullo tamen, ni fallor, argumento demonstrari potest Eusebium ita accepisse. Sive ergo Mesopotamiam accipiamus pro ingenti terrarum tractu, qui plures provincias complectitur, sive pro certa eiusdem tractus provincia, longe probabilius videtur alios fuisse semper Osroënae, alios ceterarum Mesopotamiae ecclesiarum mores. Itaque quum Eusebius asianis ecclesiis finitimas quasdam in disciplina paschatis consensisse dicat, verbis eius vim illaturum eum esse non crediderim, qui illis Ciliciae, Seleucidis (cuius caput Antiochia) et Mesopotamiae saltem provinciae ecclesias adiunxerit. De Cilicia vix ulla difficultas, quum inter Asiae minoris provincias tum numeraretur: nec maior de Seleucide huic contermina. Ciliciam tamen numerat Constantinus [1]) inter eas ecclesias quae, nicaeni concilii aetate, pascha cum romana celebrabant. Sed ne cum Athanasio supra laudato aperte pugnet, necessario explicandus est de Ciliciae parte aliqua. Ut ut est.

20. Eo gravior inter litigantes exstitit contentio, quo graviora quique pro se momenta proferebant. Utrique enim traditione apostolica nitebantur: non quod, inquit Socrates [2]) apostolorum quisquam legem ea de re tulisset; sed quod exemplum eorum, tanquam legem sibi positam venerarentur discipuli. Asiani afferebant instituti sui auctores Ioannem apostolum, Philippum unum e septem primis diaconis, Polycarpum martyrem, Melitonem [3]), aliosque praestantissimos viros, qui quum apud eos degerent, pascha eorum more celebrabant die 14. lunae. Romani e contrario asserebant Petrum et Paulum, Romae quum essent, pascha nunquam nisi die dominica egisse. Et quidem ante Victorem papam pax inter ecclesias, quamvis sibi invicem ea in re dissimiles, semper constiterat: unaquaeque suo more vivens, aliam suo more vivere sinebat. Id tantum curaverant alii pontifices, ne sanam et sinceram ecclesiae suae consuetudinem peregrinis Asianorum moribus depravarent inquieta ingenia. Quumque id agere praesumsisset Blastus quidam romanae ecclesiae presbyter, temeritatem eius coërcuit Irenaeus, cui haud minor erat tuendae pacis, quam antiquitatis ac traditionis ecclesiarum cura, scripta adversus eum epistola, quam inscripsit *de Schismate* [4]). Illi vero pontifices, Anicetus videlicet, Pius, Hyginus, Telesphorus atque Sixtus, eodem Irenaeo [5]) teste, quamvis pascha eadem cum Asianis die neque celebrarent, neque celebrari a suis permitterent, cum iis tamen pacem et communionem studiose colebant, et sacram eucharistiam pro more illorum temporum iisdem mittebant. Immo quum Polycarpus Romam Aniceti temporibus venisset, levis aliis de rebus, levior de paschate inter utrumque disputatio fuit. Anicetus quidem Polycarpo persuadere conatus est ut romanos ritus, Polycarpus Aniceto ut asianos amplecteretur: sed neutro alteri cedente, pax cito coaluit, adeo ut pontifex romanus eucharistiae celebrandae munus smyrnensi, reverentiae caussa, concesserit.

---

1) Euseb. lib. III. de Vit. Const. c. 19. 2) Socrat. l. V. c. 21. 3) Euseb. l. V. c. 24. 25. 4) Euseb. l. V. c. 20. Tertull. de Praescr. c. 53. 5) Iren. Epist. ad Vict. Pap.

21. Eo loco res erant, quum Victor ecclesiae regimen suscepit. Hic decessoribus suis paullo fervidior, eam rituum diversitatem impatienter ferens, ut omnem ecclesiam ad unum et eundem revocaret, ardentiori studio elaboravit. Id sub Severo imperatore contigisse scribit Hieronymus in Catalogo [1]), in Chronico vero assignat annum 4. eius imperii, Christi 196. Scripsit itaque Victor ad praecipuos totius ecclesiae episcopos, ut provinciae suae synodos cogerent, et in iis quaestionem disceptarent, ac pro ecclesiae romanae votis atque disciplina definirent; Asiaticis, nisi consentirent, excommunicationem denuntians [2]). Habita Romae, in Palaestina, in Ponto, in Osroëna, in Achaia, pluribusque aliis in locis concilia, uno consensu atque iudicio ecclesiasticam regulam universis fidelibus per epistolas synodicas tradiderunt; ne videlicet alia die quam dominica mysterium resurrectionis Domini a mortuis unquam celebraretur. Eadem fuit etiam sententia ecclesiarum Galliae, quas Irenaeus regebat episcopus. At Polycrates ephesinus episcopus, coacto asianorum episcoporum concilio, minacibus Victoris litteris minime commotus, ab antiqua ecclesiae suae consuetudine discedendum sibi non putavit. Rescripsit igitur concilii sui nomine ad pontificem; traditionem ecclesiarum Asiae exposuit; ostendit a Ioannis evangelistae temporibus ad suam usque aetatem pascha non alia die quam 14. luna celebratum fuisse ab omnibus, quotquot in Asia sanctitate et doctrina floruerant; a quorum proinde moribus recedere nefas: his quae sibi ad terrorem obiiciebantur, minime conturbari, quum a maioribus didicisset, Deo magis quam hominibus obtemperandum esse. Accepta hac epistola Victor *ἄμετρα θερμανθείς*, ait Socrates [3]), *supra modum iracundia inflammatus*, omnes Asiae ecclesias, quae pascha decima quarta die mensis celebrabant, a communione rescidit, *ἀκοινωνησίαν ἐν τῇ Ἀσίᾳ τεσσαρεσκαιδεκατήταις ἀπέστειλε*. Consentit Eusebius [4]), additque Victorem non totius Asiae modo, sed et alias finitimas ecclesias, Ciliciae videlicet, Syriae, Seleucidis et Mesopotamiae proprie dictae, velut a catholica sententia dissentientes, simul omnes a communi unitate ecclesiae amputare conatum fuisse, iisque per litteras notatis, fratres omnes, qui eas regiones incolebant, excommunicatos edixisse; *ἀθρόως τῆς Ἀσίας πάσης, ἅμα ταῖς ὁμόροις ἐκκλησίαις, τὰς παροικίας ἀποτέμνειν, ὡς ἑτεροδοξούσας, τῆς κοινῆς ἑνώσεως πειρᾶται, καὶ στηλιτεύει γε διὰ γραμμάτων, ἀκοινωνήτους ἄρδην πάντας τοὺς ἐκεῖσε ἀνακηρύττων ἀδελφούς*. Hinc Epiphanius [5]) dissensionem ecclesiarum exaggerans, tantam fuisse scribit, ut Orientales ab Occidentalibus divisi nullas a se invicem pacificas acciperent litteras.

22. Laudata quidem Eusebii verba sic interpretatur Valesius, ut iactatas excommunicationis minas, non autem vibratam excommunicationem ipsam ex iis erui posse putet. Sed verentur alii ut satis adverterit vir clarissimus, minas quidem ante concilium ephesinum intentasse pontificem, sed telum continuisse: accepto autem concilii decreto exasperatum, illud emisisse. Nec obstat, inquiunt, quod ait idem Eusebius, Victorem conatum fuisse Asiae ecclesias a communi unitate amputare. Aliud enim erat eas ecclesias a propria pontificis communione, aliud a communi

1) Hieron. in Cat. c. 43. 45. 2) Euseb. l. V. c. 23. 24. 3) Socrat. l. V. Hist. c. 22. 4) Euseb. l. V. c. 24. 5) Epiph. Haer. LXX. §. 9.

totius ecclesiae unitate rescindi. Prius quidem fecit Victor, idque apertissime ab Eusebio significatum contendunt: posterius autem ut obtineret, scriptis litteris notavit Asianos, sacrisque interdictos edixit, ut ab eorum communione abstinerent ceteri. Sed in ea sententia, scribit Hieronymus [1]), *hi qui discrepabant ab illis, Victori non dederunt manus;* eiusque severitas, Eusebio teste [2]), *οὐ πᾶσί γε τοῖς ἐπισκόποις ἠρέσκετο, non omnibus placuit episcopis,* immo pluribus displicuit. Quamvis enim Asiaticorum sententiam et disciplinam minime comprobarent, molestius tamen ferebant tot ecclesias, ob quaestionem quae nihil ad fidem attineret, ab ecclesiae corpore discindi; ex ardentiori papae zelo erupturum ipsa consuetudinum diversitate peius schismatis malum praevidentes. Quare plures epistolis eum *acerbius perstrinxerunt,* serioque monuerunt, ut fovendae pacis, caritatis et concordiae studiosus, temperaret ab immodica severitate, ex qua emolumenti parum, detrimenti plurimum in totam ecclesiam redundaret. Sed prae ceteris Irenaeus nominis sui appellationi pulchre respondens (*εἰρηναῖος* enim graece, latine studiosum pacis significat), nihil potius habuit, quam ut sua agendi ratione se pacis auctorem probaret. Scripto itaque Victorem convenit, ac nomine fratrum, quibus praeerat in Gallia, fervidiorem eius aestum fortiter et graviter increpavit [3]). Plures alias de eodem argumento scripsit epistolas ad varios episcopos, quibus eos ad instaurandam turbatam ecclesiae pacem hortaretur, quae iniuria temporum interiere: sed epistolae ad Victorem haud poenitendum fragmentum conservavit Eusebius [4]), quod ad calcem huius operis excudi curavimus. Hortatur in eo pontificem, ut more decessorum, quos enumerat, pacem cum Asiaticis tueatur, nec gravate ferat eos antiquis consuetudinibus firmiter adhaerere, quas a Ioanne evangelista, virisque apostolicis, ac sanctissimis hominibus acceperant, quasque tanti momenti esse non duxerant Anicetus, Pius, Hyginus, Telesphorus et Sixtus, ut propter eas miscendus ecclesiae status videretur.

23. Docet praeterea, eam esse quaestionem, quae plures alias inducat, nec cito, nec facile dirimendas, sicque altius immergendam totam ecclesiam infinitarum propemodum rixarum barathro, e quibus vix emersura sit. Nam si ii sollicitandi sunt, qui de festo paschali ab ecclesia romana dissentiunt, litem etiam consequenter iis movendam qui ieiunium, quod festo praemittitur, secus atque Romani observant. Sed praestat ipsum audire, ac difficultates nec paucas, nec leves, hic, quum occasio opportune se offerat, elucidare. *Οὐ γὰρ μόνον περὶ τῆς ἡμέρας ἐστὶν ἡ ἀμφισβήτησις, ἀλλὰ καὶ περὶ τοῦ εἴδους τῆς νηστείας. οἱ μὲν γὰρ οἴονται μίαν ἡμέραν δεῖν αὐτοὺς νηστεύειν. οἱ δὲ δύο, οἱ δὲ καὶ πλείονας, οἱ δὲ τεσσαράκοντα. ὥρας ἡμερινάς τε καὶ νυκτερινὰς συμμετροῦσι τὴν ἡμέραν αὐτῶν. Neque enim de die solum controversia est, sed etiam de forma ipsa ieiunii. Quidam enim unico die sibi ieiunandum esse existimant, alii duobus, alii insuper pluribus, alii vero quadraginta. Diurnis pariter ac nocturnis horis computatis diem suum commetiuntur.* Verba haec doctissimos homines secum invicem commiserunt, nec de lectione, nec de sensu consentientes. H. Valesius [5]), cum

1) Hieron. in Catal. Euseb. c. 24. 2) Euseb. ibid. 3) Socr. l. V. c. 19. 4) Euseb. ibid. 5) Vales. Not. in lib. V. Hist. Euseb. c. 24.

Grabio et pluribus aliis, deleta distinctionis nota post vocem *τεσσαράκοντα*, uno et eodem tenore legendum censet: *οἱ δὲ τεσσαράκοντα ὥρας ἡμερινάς τε καὶ νυκτερινὰς συμμετροῦσι τὴν ἡμέραν αὐτῶν. Nonnulli vero quadraginta horis, diurnis ac nocturnis computatis, diem suum commetiuntur.* Sed quum animadverteret Valesius, *diem quadraginta horarum* absurdi quidpiam prae se ferre; id ut averteret, Irenaei verba commutare aggressus est, ac pro *ἡμέραν* substituere *νηστείαν*, licet refragentur codices omnes tum editi, tum MSS. ut sit sensus, quosdam quadragesimale ieiunium sic commetiri, ut per quadraginta horas continuas ieiunent. Nempe, inquit, antiquarii, vocabulo ex superiore linea huc translato, locum corruperunt. Alii vero quibus nullam distinctionis notam inter *τεσσαράκοντα* et *ὥρας* reponere placet, et *ἡμέραν* retinent, diem illum 40. horarum interpretantur de tempore, quod effluxit a morte Christi usque ad eius resurrectionem (id est. ab hora tertia post meridiem *παρασκευῆς*, usque ad horam circiter sextam dominicae sequentis), quod *ἄσιτοι* ducebant plures, nihil quidquam cibi aut potus degustantes. Sed alii tum lectioni, tum explicationi merito repugnant. Dies enim 40 horarum quoquo modo explicetur, portentum est in tota antiquitate ecclesiastica inauditum, cuius nec vola, nec vestigium apud omnes retro auctores occurrit, eos etiam quibus familiarior fuit vel Eusebius, vel Irenaeus: nullique homini, si sanus fuerit, in mentem usquam venire potuit diem suum ex 40 horis conficere. Sed fac Irenaei aetate aliqui exstiterint, qui privatam sibi, et a communi omnium hominum et gentium usu alienam temporum rationem sibi constituentes, diem suum ita commensi fuerint, ut quid addidit Irenaeus eos diurnas pariter ac nocturnas horas computasse? Puerile istud et insulsum prorsus. Quasi vero dies aliqua 40 horis constare posset, quin nocturnae pariter ac diurnae computarentur? Deinde si, ut quidam volunt, Christiani aliqui fuerint, qui novissimas duntaxat 40 horas, quae Christi resurrectionem immediate praecesserunt, *ἄσιτοι* duxerint; necesse est dici *παρασκευῆς*, qua crucifixus est Dominus, ieiunium non ante ipsum crucifixionis tempus inchoaverint. Id vero Tertulliano repugnat, qui in fine libri de Oratione, quem adhuc Catholicus scripsit, diserte asserit, *die paschae*, quo nomine crucifixionis diem, fatentibus omnibus, intelligit, *quasi publicam ieiunii religionem esse.* An vero ea die publica ieiunii religio fuisset, si hora tantum tertia post meridiem ieiunium aliqui inchoassent, reliqua autem diei parte epulis indulgere liberum sibi putassent? Nullos certe reperias ex iis qui a Quartodecimanorum disciplina discedebant, qui ieiunium ea die solvere ante solis occasum fas sibi esse crederent. Immo Dionysius Alexandrinus, Constitutiones apostolicae, Epiphanius et alii testatum faciunt, non modo *παρασκευῆς*, sed et quinque aliorum maioris hebdomadae dierum ieiunium tanta religione a Christianis observatum fuisse, ut nonnulli biduum, vel triduum, vel quatriduum, alii etiam totam hebdomadam ad usque sequentis dominicae gallicinium, pro suis quisque viribus ac pietate, sine cibo transmitterent: omnes vero, sex illis diebus, aliis cibis quam xerophagiis, hoc est, pane duntaxat, cum sale et aqua vesci, idque prius quam sub vesperam, nefas ducerent.

24. Absurda haec ut declinaret cl. Grabius, aliam a Valesio viam iniit, sed non feliciori successu. Irenaei quidem verbis pepercit, sed

sensui vim intulit. Nempe vocem *ἡμέραν, diem,* in fine secundae periodi retinet: sed non hic modo, verum etiam in primo fragmenti versu, *οὐ γὰρ μόνον περὶ τῆς ἡμέρας* etc. per *ἡμέραν tempus,* et quidem ieiunii interpretatur: *cuius significationis usum,* addit, *pluribus exemplis probatum lege, si placet, in Psochenii diatriba de stilo novi Testamenti, n.* 51. *et Vorstii Dissert.* III. *illi opposita.* Psochenii diatribam et Vorstii dissertationem hactenus non legi: sed pro comperto habeo, ea omnia quae proferunt exempla, etsi sexcenta essent, ad rem praesentem nihil quidquam facere, nec iis stabiliri posse Grabii expositionem. Si enim valeat, turpissimo laboret aequivoco necesse est Irenaei oratio. Voce *ἡμέρα* quinquies utitur duabus in periodis, iisque brevissimis, ter videlicet expressa, et bis subintellecta. Certissimum est autem in his verbis: *οἱ μὲν γὰρ οἴονται μίαν ἡμέραν δεῖν αὐτοὺς νηστεύειν· οἱ δὲ δύο* (supple *ἡμέρας*), *οἱ δὲ πλείονας* (supp. *ἡμέρας*); vocem *ἡμέρα* non de alio, quam de 24 horarum spatio, intelligi. Debuit igitur Irenaeus, nisi fucum lectoribus facere voluerit, eandem vocem, quae proxime praecedit, subsequiturque, eodem prorsus sensu accipere. Nae! scriptor insulsus sit, qui in una et eadem voce ludens, hanc primum a communi significatione, lectore haud praemonito, detorqueat; mox ad communem significationem redeat, ab hac statim transiturus ad alienam. Eam fuisse Irenaei scribendi rationem si cuipiam persuaserit Grabius, nulli certe sobrio. Quod addit vir eruditus, ut 40 horarum nocturnarum una cum diurnis computatarum absurdum devitet, mirum quomodo in mentem venire potuerit. *Qui vero,* inquit, *quadraginta horarum nocturnarum una cum diurnis mentionem hic incommode factam obiiciunt; idem quoque contra Matth.* IV. 2. *obiiciant necesse est, ubi Servator quadraginta non modo dies, sed et noctes ieiunasse dicitur.* Christus quum 40 dies totidemque noctes ieiunus egerit; factum referens sacer scriptor noctes omittere non debuit, ex quibus tantopere commendatur Christi ieiunii asperitas. Aliud quippe est 40 dies duntaxat ieiunare, aliud noctes diebus addere: alterum altero longe durius ac molestius, nec qui unum egisse dicitur, intelligitur egisse et aliud, nisi expressa fiat eiusdem mentio. Tantum abest igitur, ut nocturnarum horarum mentio sit hic incommode facta; quin potius necessario fieri debuerit. At quid hoc exemplum affine habeat cum ieiunio 40 horarum, non certe video, nec alius quivis forte videbit. Quum quis quadraginta horas cibi expers traduxisse dicitur; satis intelligitur alteram istius temporis partem horas esse diurnas, alteram nocturnas. Horarum ergo nocturnarum una cum diurnis non tantum incommode, sed et ridicule omnino ac pueriliter hic iniiceretur mentio.

25. Mirum in quantas ambages sese coniiciant eruditi viri, quas devitare nullo negotio potuissent. Irenaei verba legendo ac distinguendo eo modo quo superius exscripsimus, iam nihil offensionis habet eius oratio. Nempe interposita una distinctionis notula inter *τεσσαράκοντα, quadraginta,* et *ὥρας, horas,* amovet offendiculum, quod ex duabus vocibus male iunctis exsurgit. Sic legerunt, distinxeruntque Christophorsonus et Savilius At, inquit Valesius, refragantur MSS. codices, in quibus nulla inter ambas voces interseritur distinctionis nota. Sed manuscriptos codices diutius et accuratius versaverat vir doctissimus, ut nesciret, nullam aut parvam omnino fiduciam esse posse in iis quas

plerumque vel exhibent, vel omittunt, distinctionum notis: utpote quas librarii, vel pro suo quisque arbitrio, vel ex imperitia, aut incogitantia saepe addidere aut omisere, repugnante tum auctore, tum sensu. Si ad codd. MSS. provocare fas sit, ut eos omittam quibus usi sunt Christophorsonus et Savilius; vetustiores iis omnibus, qui modo exstant, fuere illi quos prae oculis habebat Ruffinus, dum latinam Eusebii versionem adornabat. In iis autem occurrisse, quam diximus, distinctionis notam palam colligitur ex eiusdem interpretatione, quae sic habet: *Quidam enim putant uno tantum die observari debere ieiunium, alii duobus, alii vero pluribus; nonnulli etiam quadraginta: ita ut horas diurnas nocturnasque computantes diem statuant.* Equidem scio boni interpretis officio saepe defuisse Ruffinum: sed accuratum hic fuisse probat perfecta graecarum vocum cum latinis consensio.

26. Textu vero ita distincto, sibi pariter et eorum temporum historiae aptissime cohaerent omnia. Eam fuisse quaestionem inter Asianos et Romanos diximus, an decima quarta luna primi mensis celebrandum esset pascha, seu ieiuniis solemnibus imponendus finis; an vero ea proroganda essent in dominicam proxime sequentem. Qui posterius asserebat Victor papa, in Asianos negantes excommunicationis fulmen vibraverat, aut vibrare paratus erat. Indignatus Irenaeus sacris excludi tot et tantas ecclesias, ob quaestionem quae nihil ad fidei dogmata pertineret, a praecipiti sententia revocare pontificem nititur. Monet in primis satius esse quaestionem prudenti silentio premere, quam tanto cum tumultu agitare, ne forte una controversia pluribus aliis fomitem subministret. *Neque enim,* inquit, *de die solum,* quo ieiuniis imponendus est finis, *controversia est, sed etiam de forma ipsa ieiunii.* Observa, quaeso, non de ipso ieiunio, neque etiam de ipso ieiuniorum numero controversiam fuisse. Constabat siquidem eo tempore inter Orientales et Occidentales, adeoque inter omnes istius saeculi ecclesias, plures saltem ieiunii dies paschali festo praemittendos esse: alioquin tanta de eorum fine contentio inter ecclesias esse non potuisset, si unus vel alter ieiunii dies suffecisset; nec adeo *indecorum* visum fuisset, *ut iisdem diebus alii ieiuniis vacarent, alii agitarent convivia; ac post dies paschatis alii in festis et animorum remissione versarentur, alii praescriptis ieiuniis se dederent*[1]): ut omittam, quod ex Dionysio Alexandrino, qui non plus sexaginta annis post Irenaeum florebat, et Constitutionibus apostolicis supra laudatis liquet, totos sex maioris hebdomadae dies non modo ieiunio, sed rigidiori ceteris abstinentiae dicatos fuisse: ne dicam etiam Origenis[2]) Irenaeo fere aequalis aetate, *habitos* iam *quadragesimae dies ieiuniis* consecratos. Et quamvis de numero ieiuniorum antepaschalium nondum sub saeculi secundi finem apud omnes constaret, nec adeo etiam Socratis[3]) et Sozomeni[4]) aevo constiterit, quin apud quosdam minor, apud alios maior exstiterit; nullam tamen iis temporibus motam ea de re controversiam legimus. Certum est itaque eam, de qua hic loquitur Irenaeus, controversiam, ne minimum quidem spectasse vel ad ipsum

1) Ep. Const. Mag. apud Euseb. l. III. de Vit. Const. c. 18. 2) Origen. l. VIII. cont. Cels. et homil. X. in Levit. 3) Socrat. l. V. Hist. c. 22. 4) Sozom. lib. VII. cap. 19.

ieiunium, quasi servandum aliqui negassent; vel ad ieiuniorum numerum (quae tamen plurimorum falsissima sententia est), quasi aliqui unico die sibi simpliciter ieiunandum esse existimassent, alii duobus duntaxat, alii pluribus, alii quadraginta. Haec in quaestionem nunquam eo tempore vocata. Longe minus disceptari potuit de ieiunio quod vocant ὑπερθέσεως, seu *superpositionis* (ad quod Irenaei verba perperam detorquent Valesius et Grabius), quod qui servarent, ne vespera quidem cibum caperent, sed penitus abstinerent, sive una, sive pluribus diebus, usque ad terminum ieiunii, paschale scilicet mane, quod a galli cantu incipit. Ea enim ieiunii species, ut a veteribus commendata, et a piis pluribus servata; nulla tamen ecclesiastica lege, aut consuetudine, quae vim legis haberet, sancita fuit; sed uniuscuiusque arbitrio ac pietati, ut par erat, permissa: adeo ut absurdum sit, pace virorum doctissimorum dixerim, controversiam ea de re inter ecclesias fingere.

27. Sed quid nodus in scirpo quaeritur, quum asseveret Irenaeus controversiam fuisse *περὶ τοῦ εἴδους αὐτοῦ τῆς νηστείας, de ipsa forma ieiunii*, id est, de specie, modo atque ratione ieiunii; quo pacto, quove ritu servandum esset ieiunium? Quis, inquis, huiusce controversiae status? Paullo post aperit Irenaeus ipse. Nempe, quamvis fideles omnes plurimis diebus ante pascha ieiunium observarent, non una tamen apud omnes observandi ratio fuit. *Καὶ τοιαύτη μὲν ποικιλία τῶν ἐπιτηρούντων, οὐ νῦν ἐφ' ἡμῶν γεγοννῖα, ἀλλὰ καὶ πολὺ πρότερον ἐπὶ τῶν πρὸ ἡμῶν, τῶν παρὰ τὸ ἀκριβές, ὡς εἰκός, κρατούντων, τὴν καθ' ἁπλότητα καὶ ἰδιωτισμὸν συνήθειαν εἰς τὸ μετέπειτα πεποιηκότων.* Quae quidem verba paullulum intricata, sic latine reddenda puto. *Atque haec quidem inter eos, qui ieiunia observant, varietas non nostra primum aetate nata est, sed longe antea apud maiores nostros ortum cepit: qui non accurate, ut verisimile est, retinentes (ieiunii formam), eam, quae ex simplicitate et imperitia ortum habuit, consuetudinem in posterum induxerunt.* Vocem *κρατούντων* Musculus et H. Valesius male omnino reddiderunt per *rerum habenis potitos*, vel *praesidentes*. Nam, ut optime advertit cl. Beveregius [1]), verbum *κρατέω* simpliciter positum, nunquam *praesidere* significat, vel *dominari*, nisi saltem res illa adiiciatur, cui quis dominari dicitur, ut *κρατεῖν τῆς θαλάσσης, κρατεῖν τῶν θηρίων*: Irenaeus vero hoc in loco non de praesidentibus, vel praesulibus ecclesiae (qui nunquam *κρατοῦντες* vocantur), sed *περὶ τοῦ εἴδους τῆς νηστείας*, de forma ieiunii loquitur, quam dicit nonnullos *ex simplicitate et ignorantia*, rudiores proinde ac privatos homines, *ἰδιώτας*, non certe *ἄρχοντας, παρὰ τὸ ἀκριβὲς κρατῆσαι, non accurate observasse*, vel *retinuisse*. Inde ergo controversia, seu multorum querela, quod multi remissiorem ieiunandi formam tenentes, quam nonnullorum imperitia invexerat, ab accurata recessissent. Quaenam vero accurata esset ieiunandi forma, non quidem ab Irenaeo ipso discere possumus, sed ex iam citatis veteribus eruere licet. Dionysius Alexandrinus in sua ad Basilidem epistola scribit, sex postremos ieiuniorum antepaschalium dies, quamvis non eodem modo ab omnibus transigerentur, a pluribus tamen sua aetate sic transmissos fuisse, ut alii totos sex impasti duce-

1) Bevereg. Cod. Can. Eccl. prim. l. III. c. 7. §. 4.

rent, alii quatuor, alii tres, alii duos. Quae quidem piorum hominum ieiunandi forma, licet in legem omnibus communem trahi non possit, ex ea tamen perspicue colligitur, eam iam obtinuisse in ecclesia consuetudinem, ut sex illorum dierum ieiunium rigidius ceteris servaretur. Epiphanius eandem ecclesiae consuetudinem paulo enucleatius aperit, simulque innuit sua aetate non recens invectam, sed pervetustam habitam fuisse, utpote quae altas in tota ecclesia radices egisset. *Τὴν δὲ τεσσαρακοστὴν τὴν πρὸ τῶν ἑπτὰ ἡμερῶν τοῦ ἁγίου πάσχα ὡσαύτως φυλάττειν εἴωθεν ἐκκλησία, ἐν νηστείαις διατελοῦσα· τὰς δὲ κυριακὰς οὐδ' ὅλως, οὔτε ἐν αὐτῇ τῇ τεσσαρακοστῇ. Τὰς δὲ ἐξ ἡμέρας τοῦ πάσχα ἐν ξηροφαγίᾳ διατελοῦσι πάντες οἱ λαοί· φημὶ δὲ ἄρτῳ καὶ ἁλὶ καὶ ὕδατι τότε χρώμενοι πρὸς ἑσπέραν. ἀλλὰ καὶ σπουδαῖοι διπλᾶς, καὶ τριπλᾶς, καὶ τετραπλᾶς ὑπερτίθενται, καὶ ὅλην τὴν ἑβδομάδα τινὲς ἄχρις ἀλεκτρυόνων κλαγγῆς ἐπιφωσκούσης. Eam vero quadragesimae partem, quae praecedit septem dies paschatis, similiter observare, in ieiuniis perseverando, eadem consuevit ecclesia. Dominicis autem nullis, ne quidem in ipsa quadragesima, ieiunare solet. Praeterea sex paschatis dies in xerophagiis transmittunt populi omnes: hoc est, pane duntaxat, cum sale et aqua tunc sub vesperam vescentes. Sed et pietatem studiose colentes, ad biduum, vel triduum, vel quatriduum usque ieiunia prorogant: quidam etiam totam hebdomadam ad usque sequentis dominicae gallicinium sine cibo transigunt* [1]). Triplicem hic ieiunii formam clare distinguit Epiphanius: alteram illius quadragesimae partis, quae septem dies paschatis, seu maiorem hebdomadam praecedit: haec mitior erat, utpote a xerophagiorum lege libera: alteram maioris hebdomadae, prima strictiorem et xerophagiis adstrictam: alteram denique ambabus severiorem, qua huius hebdomadae pars, immo et tota sine cibo transmittebatur. Prima et secunda toti ecclesiae, populis omnibus in more posita fuit: ac proinde vim legis habuit: postrema iis duntaxat, qui prae ceteris pietatem studiose colebant; merumque consilium, non praeceptum fuit. Hinc idem Epiphanius [2]) maiorem hebdomadam, *τῆς ξηροφαγίας ἑβδομάδα*, xerophagiae hebdomadam vocat. Et eapropter Aërianos merito perstringit, quod *diebus paschatis*, quo tempore, inquit, Catholici humi cubando, castimoniam servando, precibus, vigiliis, ieiuniis, aridorum ciborum usu, aliisque id genus afflictationibus corpus et animam vexare solebant; ipsi carnibus vesci, agitare convivia et effuse laetari non erubescerent. Epiphanio consentiunt Constitutiones apostolorum [3]), falso quidem ita nuncupatae, Epiphanio tamen antiquiores: *Ἐν ταῖς ἡμέραις οὖν τοῦ πάσχα νηστεύετε, ἀρχόμενοι ἀπὸ δευτέρας μέχρι τῆς παρασκευῆς καὶ σαββάτου, ἐξ ἡμέρας μόνῳ χρώμενοι ἄρτῳ καὶ ἁλὶ καὶ λαχάνοις καὶ ποτῷ ὕδατι. οἴνου δὲ καὶ κρεῶν ἀπέχεσθε ἐν ταύταις· ἡμέραι γάρ εἰσι πένθους, ἀλλ' οὐχ ἑορτῆς. In diebus igitur paschae ieiunate, incipientes a feria secunda usque ad parasceuen et sabbatum, per sex dies solo utentes pane et sale et oleribus et aquae potu. Abstinete autem vino et carne istis diebus. Dies enim sunt luctus, et non festi.*

1) Epiph. Exp. fid. §. 22. 2) Epiph. Haer. LXX. §. 12. et Haer. LXV. §. 3.
3) Const. Ap. l. V. c. 18.

28. Haec igitur accurata fuit prioribus saeculis apud maximam ecclesiarum partem ieiunii forma, ut prima quadragesimae pars ieiunio quidem, sed paullo remissiori, posterior longe asperiori consecraretur. Si quae proinde Irenaei aetate de ieiunii forma controversia fuit, si quae inter ecclesias discrepantia, in eo fuisse videtur, quod quaedam postremos sex quadragesimae dies mollius, quam par esset ac ferret communior ecclesiarum consuetudo, ieiunarent, nec xerophagiis vescerentur. Et id ipsum est quod hic repraesentat Irenaeus. *Quidam enim,* inquit, *unico die sibi ieiunandum esse,* videlicet secundum accuratam ieiunii formam, *existimant: alii duobus, alii insuper pluribus: alii vero,* quorum pietas maior, longius progressi totos *quadraginta* dies in xerophagiis agunt. Omnibus autem hoc commune fuit, ut *horis diurnis pariter ac nocturnis computatis, diem suum metirentur:* id est, dies illi quos ieiunio deputabant, non artificiales erant; sed naturales, sive civiles, quibus nocturnae pariter ac diurnae continentur horae. Quod quidem non frustra, sed prudenter omnino addidit Irenaeus, ne quis sibi fingeret ieiunantes illos, dum quidem sol luceret, tenui cibo usos fuisse, noctu vero lautioribus epulis, more Iudaeorum, indulsisse. Porro verissima haec omnia et cum veteribus monumentis apprime consentanea. Nam concilium laodicenum Can. 50. statuit, *Δεῖν πᾶσαν τὴν τεσσαρακοστὴν νηστεύειν ξηροφαγοῦντας, Oportere totam quadragesimam ieiunare aridis cibis vescentes.* Ex quo palam fit, quarundam ecclesiarum consuetudinem fuisse non modo per sex postremos, sed et per totos quadraginta dies aridis cibis vesci. Aliunde vero testatum facit Socrates [1]), fideles antepaschalia ieiunia servantes, *non in numero dierum duntaxat, verum etiam in ciborum abstinentia inter se discrepasse. Nam alii quidem,* inquit, *ab animatis penitus abstinent; alii ex animantibus pisces solos comedunt. Nonnulli cum piscibus etiam avibus vescuntur; ex aquis, ut est apud Moysen, eas quoque conditas esse affirmantes. Quidam ab omni arborum fructu et ab ovis abstinent. Quidam solo vescuntur pane; alii ne hoc quidem utuntur. Nonnulli usque ad horam nonam ieiunantes, quovis posthac ciborum genere utuntur absque discrimine. Alii alia ratione ieiunant etc.* [2]) Quibus maxime illustrantur Irenaei verba et confirmantur quae iam diximus, quosdam videlicet ab accurata ieiunii forma sic recessisse, ut alii unico die, alii duobus duntaxat etc. eo quo par erat modo, aridis cibis vescentes ieiunarent,

29. Monet autem Victorem papam Irenaeus, istos omnes pacem semper inter se coluisse: *Et nos,* inquit, *eam retinemus; sicque discrepans ieiunii ratio concordiam fidei commendat.* Unde concludere in promtu erat, quod si iis qui praescriptam ab ecclesia romana ieiunandi formam non tenebant, lis nulla movebatur; neque etiam moveri debebat iis, qui cum ea de paschatis die dissentiebant: quia utrumque ad disciplinam, quae pro locis et temporibus varia esse potest; neutrum ad fidem, quae eadem et inconcussa manebat in omnibus ecclesiis, spectabat. Maximi ponderis esse argumenta haec omnia, Irenaeique pietate, prudentia et eruditione dignissima, nemo negaverit. Tantum apud Victorem valuisse, ut his victus nimium praecipitem gradum revocaverit, ecclesiis-

1) Socrat. l. V. Hist. c. 22. 2) Gen. I. 20. 21.

que orientalibus pacem restituerit, ex eo colligitur, quod Firmilianus sexaginta circiter post haec annis scripserit, inter diversas romanae ecclesiae aliarumque regionum consuetudines, illaesam semper constitisse catholicae ecclesiae pacem et unitatem [1]). Sed disertis verbis asserit Anatolius [2]), qui annis plus minus 20 post Firmilianum scribebat, Irenaeo sequestro pacis et conciliatore, sic compositas adversantium controversias, ut unicuique avitos mores retinere tutum fuerit et liberum. Et revera, quamvis ab ea, quam a maioribus acceperant, celebrandi paschatis ratione non discesserint Orientales, vexatos tamen deinceps a Victoris successoribus non legimus: donec concilii nicaeni decreto sancita romanae ecclesiae consuetudo, communi omnium aliarum gentium consensu recepta et probata fuerit. Haec proinde Irenaei laus fuit, quod dissidentes ecclesias, moxque fractis foederibus sacris discindendas, reconciliaverit: inde apud utrasque nunquam satis pro merito commendandus, quod schismatis malum utrisque funestum averterit.

30. Praeclaro huic facinori diu superstes non fuit Irenaeus. Vixdum intestina, quibus agitabantur ecclesiae, bella restinxerat, quum externis acerbius vastatas ingemuit. Saevum illud ac truculentum dico bellum, quod rei christianae intulit Severus anno decimo imperii, Christi vero 202. nulli ecclesiae infestius quam lugdunensi. Quam immani fidelium strage eam vastaverit, pastorisque cum grege pro Christo fortiter dimicantis sanguine resperserit, docet Gregorius Turonensis. *Veniente,* ait, *persecutione talia ibidem diabolus bella per tyrannum exercuit et tanta ibi multitudo Christianorum ob confessionem dominici nominis est iugulata, ut per plateas flumina currerent de sanguine christiano: quorum nec numerum, nec nomina colligere potuimus. Dominus enim eos in libro vitae conscripsit. Beatum Irenaeum, diversis in sua carnifex praesentia poenis affectum, Christo Domino per martyrium dedicavit* [3]). Gregorio consentiunt Ado et Notkerus, dum narrant Irenaeum *cum omni fere civitatis suae populo coronatum esse glorioso martyrio.* Alias tam pretiosae mortis circumstantias non novimus. Quas enim ex vetustis quibusdam ecclesiae lugdunensis codicibus MSS. eruisse se dicunt Severtius [4]), Halloixius [5]) et Theophilus Raynaldus [6]), parum tutas esse existimo. In eo duntaxat antiquis hisce monumentis habenda fides, quod Irenaeum inter Christi martyres recenseant. Nam in hoc sibi consentientes habent Hieronymum [7]) et auctorem Quaestionum ad orthodoxos [8]), inter opera Iustini martyris, qui Irenaeum disertis verbis *martyrem* appellant, ac vetustissimos quosque Martyrologiorum codices cum editos, tum MSS. Hieronymianum vulgo dictum, a Florentinio editum [9]), Bedae, Usuardi etc. et ipsorum Menaeorum graecorum [10]). Exstat in bibliotheca nostra San-Germanensi membranaceus codex in 4°. N. 264. plures continens tractatus Isidori, Ioannis Chrysostomi, Gregorii Mag. etc. quem antiquissimum essse et annorum plus quam mille probat ipsa scripturae

1) Apud Cyprian. Ep. 75. edit. Oxon. 2) Anatol. apud Bucher. p. 445. 3) Greg. Tur. lib. I. Hist. Franc. §. 27. 4) Severt. de Lugd. Arch. p. I. n. 3. §. 3. 5) Halloix. not. in cap. 12. Vitae Iren. 6) Theoph. Rayn. To. VIII. p. 22. 23. 7) Hieron. in cap. 64. Esa. To. III. no. edit. 8) Respons. ad Quaest. 115. ad Orthod. 9) Florent. pag. 629. 632. 10) Men. Graec. 22. Aug. Lambech. To. VIII. Bibliot. Caes. p. 208.

forma. In medio siquidem duos quaterniones videre est, eadem si non manu, saltem aetate descriptos, quorum pars vulgaribus, pars Merovingicis characteribus exarata est, ita ut in uno et eodem opusculo, immo et folio utrosque characteres legere sit: quod summam codicis antiquitatem demonstrat. Porro initio praemittitur brevissimum calendarium, eadem manu atque reliquum opus descriptum, in quo ita legitur, III. KAL. IUL. LUGDUNO GALLEA PAS. S. HERENEI EP. Dolendum quod passionis eius acta sincera et sana exciderint. Dudum est quod interiere: nam Gregorius Mag. [1]) conqueritur quod beati Irenaci *gesta et scripta* a se diu conquisita reperire non potuerit. Eorum fragmentum a se repertum fuisse affirmat Baronius in notis ad Martyrologium romanum et in Annal. eccles. ad annum 205. n. 28. idem forte quod e veteri codice lugdunensi erutum descripsit Severtius laudatus: quam enim Irenaei mortis historiam narrat Baronius, ad Severtianam satis accedit. Sed acta ipsa, quae sublata una pagina mutila nactus fuerat Em. cardinalis, integra invenit doctissimus noster D. Theodericus Ruinart, in cod. MS. archi-coenobii Cisterciensis: verum quum ad Irenaci aetatem accedere non videantur, ea proferre operae pretium non duxit [2]). Utut est de actis, quae ex veteribus monumentis testimonia depromsimus, palam faciunt iam saltem a quinto saeculo eam in omnes gentes manasse sententiam, Irenaeum martyrio vitam finiisse.

31. Sed ecce, nuperus scriptor Dodwellus [3]) adversus receptam hactenus et traditam a tot veteribus sententiam insurgit et ex Irenaei capite martyrii lauream avellere nititur. Mirum si martyrum multitudini a teneris unguiculis infensissimus, Galliarum sideri pepercisset. At, quibus argumentis lugdunensem episcopum ex albo martyrum expungit? Iis videlicet, quibus plus aequo delectatur, vanis infinitisque coniecturis ac negantibus argumentis: quae si quid hic valeant, nihil in tota antiquitate ecclesiastica adeo certum erit, quin audaculorum manibus facile concutiatur. Ac primo quidem eos confutat, qui putant eo anno trucidatum Irenaeum, quo Albinum praelio ad urbem lugdunensem commisso superavit Severus; capta nimirum eodem impetu urbe et in cives eius, praesertim Christianos, caede edita immanissima. Annus is erat Christi 197. Severi 5. Sed si excipias auctorem actorum s. Irenaei, quorum dubia omnino fides, paucissimi sunt qui ita sentiant. Eo siquidem anno, teste Hieronymo in Chronico, tum primum emergebat, aut saltem invalescebat paschalis inter Victorem papam et Asianos controversia, quae deinceps Irenaeo conciliatore composita est. Ultro igitur concedunt eruditi, episcopum lugdunensem tamdiu vitam prorogasse, donec *veniens persecutio,* ut loquitur Gregorius Turonensis, ea nimirum quam quin quennio post suscitavit Severus, pastorem cum maxima gregis parte demessuerit. Quo anno martyrii coronam adepti fuerint, non liquet: non nisi post annum 202. adipisci potuisse constat: nec improbabilis Raynaldi [4]) coniectura, differendam esse usque ad annum 208. quo Severus Galliis peragratis in maiorem Britanniam profectus est. Haec ne leviter

1) Greg. Mag. l. XI. Ep. 56. ad Aether. lugd. epise. To. 2. no. edit. 2) Act. Mart. sinc. et sel. p. 708. 3) Dodwell. Dissert. III. in Iren. §. 31. et seqq. 4) Theoph. Rayn. To. VIII. p. 87.

quidem attingit Dodwellus; immo nec auctores primae sententiae valde premunt ea quae profert in eos argumenta.

32. „At," inquit, „tanta quum fuerit martyrum apud veteres auctoritas, ut martyrum nunquam sine martyrii encomio mentionem faciendam existimarent; quid est quod Irenaeum nemo e veteribus, etiam ubi testis adducitur, etiam ubi cum aliis testibus martyribus iunctus legitur, martyrem tamen appellavit?" Id confidentius asserit Dodwellus. An e veterum catalogo expunget Hieronymum, auctorem Quaestionum et Responsionum ad orthodoxos, et Gregorium Turonensem? Atqui illi disertis verbis Irenaeum martyrem appellant, ac priores quidem duo ubi testem adducunt. Eorum quidem vel fidem elevare, vel testimonium infirmare nititur, sed vanis cavillationibus, quas postea discutiemus. His adiungendi vetustissimi martyrologiorum et calendariorum scriptores, qui Irenaeum in martyrum fastos constantissime retulerunt; idque non propria auctoritate, non futilibus coniecturis, aut temere divinando, sed ex veteribus ecclesiarum monumentis quae consulebant et prae oculis habebant. Hos si fabulatores iterum appellet Dodwellus, meminerit, iis verbis eiusmodi criminationes dudum excepisse doctissimum nostrum ac piae memoriae D. Theodericum Ruinart [1]), ut ad incitas redactus desperatam caussam tueri hactenus non potuerit. „Etsi enim," inquit ille, „eiusmodi libros ab omni penitus mendo immunes esse affirmare nemo possit (haec quippe est singularis sacrorum codicum praerogativa), non tamen hinc inferre licet, eos mala fide, aut temere, aut leviter conscriptos fuisse; immo vero certum est martyrologia a viris gravibus, ex antiquioribus monumentis et peculiarium ecclesiarum calendariis collecta fuisse: quae quum ab episcopis approbata fuissent, publice in ecclesiasticis conventibus lecta fuerunt; ut si omnium sanctorum festivitates celebrari non possent, eorum saltem aliqua commemoratio fieret, tum in tesseram communionis, quae inter ecclesias catholicas haberi debet: tum ut ea ratione aliquis saltem cultus exteris martyribus exhiberetur. Ceterum falso confictas martyrum historias igni tradi iubent Trullani concilii patres can. 63. vetantque ne in ecclesia legantur: eos autem qui eas admitterent, anathemati subiiciunt." Quod ostendit quanta cautione ac religione nomen alicuius a maioribus nostris in album martyrum referretur, nec cuivis ita referre pro libito licuisse. Editus est ea de re canon secundus concilii I. carthaginensis sub Grato, tempore Iulii papae. Nec latet quempiam, Lucillam factiosam illam feminam, quae schismati Donatistarum initium praebuit, quod homini cuidam mortuo, *etsi martyri, sed necdum vindicato*, aliquos honores exhibuisset, ab ecclesiae ministris *correptam* fuisse [2]). Adeo certum est, ut alia multa, quae proferri possent, argumenta praetermittam, sollicitos semper fuisse ecclesiarum rectores, ne quis temere martyrum numero adscriberetur.

33. Verum ut ad Tertullianum, Eusebium, Epiphanium, Theodoretum, et alios quos in caussae suae defensionem citat Dodwellus, pedem referamus; illi quidem Irenaeum nusquam appellant martyrem: sed nihil aliud ad summum ex eorum silentio colligi potest, nisi quod ad eorum notitiam acta martyrii non pervenerint, aut martyrem fuisse nescierint.

1) Act. Mart. sinc. et sel. Praef. §. 3. fi. 2) Optat. l. I.

Ex eo vero quod ad Tertulliani, Eusebii, Epiphanii et aliorum quorundam orientalium scriptorum notitiam martyris alicuius occidentalis acta non pervenerint, martyrem fuisse confidenter negare a ratione prorsus alienum videtur. Ut enim sic inferri iure possit, supponatur necesse est, martyres omnes occidentales iis apprime cognitos fuisse, nec ullam eos latere potuisse martyrii historiam: quod quam absurdum sit, nemo non videt. Et si quidem iis in regionibus, vel non procul ab iis passus fuisset Irenaeus, in quibus vitam egere scriptores laudati, quidpiam ponderis habere posset argumentum ab eorum silentio repetitum. Sed quod martyrem fuisse nescierunt episcopum, qui in remotissimis Occidentis partibus, et in ecclesia nascente, necdum magni nominis, aut longe lateque diffusa, sanguinem fuderit, non est quod adeo miremur. Certe martyres fuisse Saturninum Tolosanum, Dionysium Parisinum episcopum, cum sociis Rustico et Eleutherio, Patroclum Trecensem, Fructuosum Tarraconensem, et alios complures, qui varias Occidentis partes sanguine suo purpurarunt, adeo constat, ut ne ii quidem inficias ierint quos acrius exagitat martyrum numerum contrahendi prurigo. Illorum autem mentionem frustra requiras apud Eusebium, Epiphanium, Theodoretum et alios rerum orientalium scriptores. Sed ut caussae iugulum propius adhuc petam, Eusebius [1]), cuius silentium adeo urget Dodwellus, Hippolyti non semel meminit, catalogum eius operum texit, episcopum fuisse dicit; martyrem nuspiam. Martyrio tamen vitam finiisse certissimum esse debet vel ipsi Dodwello: nam in iis ipsis, quae profert Theodoreti [2]) adversus Irenaei martyrium locis, martyr appellatur. Appellatur et ab Hieronymo [3]) non semel. Quid iam respondere posset Dodwellus, si quis martyrem fuisse Hippolytum negans, verba eius in ipsum retorqueus diceret: non id procul dubio taciturum Eusebium, si vere nosset; nec ignoraturum, si qua reperisset illius martyrii monumenta, in sua martyrum collectione inserenda? Nihil aliud, si saperet, respondendum occurreret, nisi istud: Eusebium quidem non nosse Hippolytum martyrem fuisse, nec reperisse illius martyrii monumenta; ipsius tamen silentium praeponderare nec posse, nec debere disertis aliorum veterum testimoniis, qui martyrem fuisse asseverant. Boni ergo consulat, si eadem reponentes contendamus, diserta Hieronymi, Eusebio supparis, Epiphanio coaevi, Theodoreto et Cyrillo Alexandrino antiquioris; auctoris Quaestionum et Responsionum ad orthodoxos, qui ad posteriorum aetatem accessit; Gregorii Turonensis aliorumque rerum occidentalium scriptorum testimonia, longe maioris esse ponderis, Eusebii ceterorumque Orientalium silentio. Certe si regula est omnium gentium consensione firmata, in rebus historicis patrios testes prae exteris audiendos esse: tum potissimum, aut nuspiam valere debet, quum illi loquuntur, isti tacent. Ecquis enim sobrius sibi persuadeat, historica regionis alicuius monumenta exteris notiora esse posse, quam incolis ipsis? An ferret vir clariss. Italum quia [sic! fortasse *qui*] tantam sibi rerum britannicarum scientiam arrogaret, quantam Angli ipsi; vel contenderet hos aliis non instructos esse monumentis, in iis quae ad rerum anglicarum historiam attinent, quam Italos?

1) Euseb. l. VI. c. 20 22. 2) Theodoret. Dial. I. 2. 3. 3) Hier. Prol. in Matth. et Ep. II. al. 125. To. II. no. edit.

34. Argumenti vim sensit Dodwellus; ne tamen victus succumberet. auctoris Quaestionum ad orthodoxos, Hieronymi et Gregorii Turonensis testimoniorum fidem infirmare nititur. *Certum est,* ait, *auctorem Quaestionum ad orthodoxos, quicunque tandem is fuerit, recepti in imperio christianismi temporibus esse iuniorem: ut proinde in caussis historicis, etiam quarti quintive saeculi, non sit, nisi interposito genuinorum auctorum testimonio, tuto audiendus.* Egregiam certe responsionem! quae id habet commodi, ut molestam veterum quorumlibet, si de trium priorum saeculorum rebus testimonium ferant, auctoritatem ab imis fundamentis facile succutiat. Ergone ii duntaxat tuto audiendi, qui recepti in imperio christianismi temporibus aut antiquiores, aut saltem aequales exsti tere; et alii omnes quarti desinentis, vel quinti saeculi auctores reiiciendi? Si ita sit, cur in caussae suae patrocinium adducit Dodwellus Epiphanium, Theodoretum, Augustinum et Cyrillum Alexandrinum? Omnes quippe recepti in imperio christianismi temporibus iuniores fuerunt. Quas aliis imponere vult leges, adeo sensui communi adversantur, ut ne ipse quidem iugum ferre possit. Si quidem auctor saeculi quinti, scriptoribus quarti negantibus, quidpiam affirmaret; ille, fateor, tuto audiendus non esset: sed si ille tuto audiendus non sit, dum his tacentibus aliquid affirmat, quod alii ante et post eum affirmarunt, et ii quidem quibus perspecta et explorata magis esse debuerunt rei monumenta, antiquandae sunt communes historiae leges.

35. Nec felicius Dodwello cedunt ii, quibus Hieronymum concutere molitur, conatus. *Vereor,* ait, *ne* quod apud eum de martyrio Irenaei legitur, *e margine (quod saepe evenire solebat) a studioso aliquo recentiore notatum, in textum irrepserit.* Sic sagacissimi viri in salebra nunquam haerent. Si quid apud auctores molestum occurrat, quod facile detorqueri non possit; in ceteris fidentiori, hic timidiori animo, verentur ne e margine in textum irrepserit. Sed quis hic pertimescendi locus? Ecce enim, in omnibus cum editis, tum MSS. codd. Hieronymus in cap. 64. Esaiae, Irenaeum diserte appellat episcopum et martyrem: haec ne minimum quidem repugnant antecedentibus et consequentibus, sensum non perturbant, nec orationis seriem abrumpunt; certissima textus sinceri nec interpolati argumenta. Veretur tamen Dodwellus ne verba haec, *et martyr,* e margine in textum irrepserint: immo parum abest quin excusso metu fidenter pronuntiet: *adeo haec non scripsisse Hieronymum, ut ne quidem scribere potuerit.* Cur ita? Quia *si martyrem Irenaeum nosset Hieronymus, cur, quaeso, nullam habemus in Catalogo, ubi exspectanda erat, martyrii vel levissimam mentionem? Cur aliis, quoties testem adducit, ornat encomiis, praetermisso illo martyrii omnium dignissimo?* Hoc Dodwelli argumentum, quod in ipsum auctoris caput facile retorserit alius quispiam Dodwelliano more pavidus. Vereor, inquiet ille, ut Irenaei martyrium e Catalogi textu librariorum negligentia, quod saepe evenire solebat, exciderit: sunt enim alia quae merito faciant, ut suspicemur verba illa, *et martyr,* adeo non omisisse Hieronymum, ut ne quidem omittere potuerit. Ecquis sibi persuadeat, eum, cui martyrem fuisse Irenaeum certissime constitisse patet ex Commentariis in Esaiam, nullam in Catalogo, ubi exspectanda erat, martyrii vel levissimam fecisse mentionem? etc. Pares utrinque timendi rationes quum sint, vel metum

suum inanem, vel alterius gravem esse fateatur Dodwellus necesse est. Certe Hippolytum martyrem fuisse, et ab Hieronymo martyrem agnitum et appellatum fuisse, negare nec potest, nec audet. Hieronymus tamen, qui in sua ad Damasum epistola scripta ante annum 384. ut probat eruditus Martianaeus noster in suis in Tomum II. Hieronymianae editionis Prolegomenis, dudum antequam Catalogus ederetur, Hippolytum martyrem appellaverat, appellavit et postea quum in Matthaeum praefaretur; nullam in Catalogo, ubi exspectanda erat, martyrii vel levissimam iniicit mentionem. An ergo hinc inferre liceat, id quod de Hippolyti martyrio legitur tum in citata ad Damasum epistola, tum in prologo in Matthaeum, e margine in textum irrepsisse, haecque adeo non scripsisse Hieronymum, ut ne quidem scribere potuerit? Inferat Dodwellus, si lubet, sed alius nemo. Scripta quae ab illustribus viris in lucem emissa fuissent, accurate recensere Hieronymo animus erat, sed non eorum gesta. Nihil proinde ex silentio Catalogi contra Irenaei martyrium colligi potest, quod non et contra Hippolyti martyrium meliori iure colligatur. Sed etsi martyrium Irenaei, dum Catalogum scriberet Hieronymus, prudens omiserit, vel tunc nescierit; dispendium resarcivit iam forte doctior factus, quum lectis martyrii monumentis, Esaiae prophetiam exposuit. Quos enim in eam edidit commentarios, viginti circiter annis post scriptum Catalogum editi sunt. Hic quippe scriptus est, si Hieronymo ipsi credimus, *anno Theodosii principis decimo quarto*, Christi 392. illi vero *annis triginta* postquam *Constantinopoli apud virum eloquentissimum Gregorium Nazianzenum, tunc eiusdem urbis episcopum, sanctarum Scripturarum studiis eruditus fuisset:* ac proinde circiter annum Christi 410. Nam Gregorius Nazianzenus Constantinopolitanam regebat ecclesiam anno 380. et 381.

36. Postremus e tribus Irenaei martyrii testibus a Dodwello exagitatis superest Gregorius Turonensis: cui, quia ceteris eo molestior videtur, quo trita de verbis e margine in textum temere coniectis fabula decantari hic non potest, ut auctoritatem omnem ac fidem deroget, suam omnem coniecturalem industriam confert. Contendit Gregorium Turonensem ita Irenaeum martyrem credidisse, ut non alia quam Lugdunensium Viennensiumque persecutione, qua coronatus est Pothinus, et illum quoque coronatum crediderit. Unde vero tam immanem errorem hauserit Gregorius, a Dodwello si quaeras; respondebit, ex eodem fonte hausisse, ex quo imperite e latinis Eusebii Ruffiniani verbis numerum XLVIII martyrum, quos persecutio lugdunensis caelo transmiserit, collegerunt recentiores martyrologi, coniectis temere in censum quaecunque occurrebant in Viennensium Lugdunensiumque epistolis, nominibus. Qua quidem temeritate factum est, ait, ut Zacharias presbyter in martyrum numerum relatus sit. Πρεσβύτην nempe *Ζαχαρίαν, presbyterum Zachariam* verterat Ruffinus, non animadvertens de Zacharia Ioannis baptistae patre, non de alio nescio quo, qui martyr fuerit, Zacharia presbytero locutos Viennenses atque Lugdunenses. Simili errore, addit Dodwellus, Irenaeum martyribus accensuit Gregorius, quod in eadem persecutionis historia Irenaei mentionem reperisset in epistola martyrum ad Eleutherum. Erant enim praeterea in eadem epistola, quae a lectoribus, quales illi erant impostores, parum attentis possent in eam sen-

tentiam intelligi. Irenaeum martyres *ἀδελφὸν καὶ κοινωνὸν* appellant. Proclive erat, ut eam *κοινωνίαν* de tolerandis, Christi caussa, passionibus intelligerent, qui novos eruendi martyres quaslibet occasiones avide captarent. Et quamvis sanguinem pro Christo non fuderit Irenaeus, ea tamen *παθημάτων κοινωνία, passionum communio* sufficere potuit ad titulum martyrii, quo sensu vocem illam intelligebant illius aevi veteres. Sic omnino Dodwellus, semper sibi similis, ingentemque, quo catholica gloriatur ecclesia, martyrum numerum arietare frivolis coniecturis studens: licet eam ob rem sic a Ruinartio nostro dudum exceptus fuerit, ut primo congressu fractus victusque cesserit.

37. Ille vero plura hic supponit, quae cum recta ratione e diametro pugnant. Ac primo quidem inane commentum est, quod asserit, numerum XLVIII martyrum e latinis Eusebii Ruffiniani collectum a recentioribus, ut vocat, martyrologis fuisse. Qui enim ii ex Ruffiniana Eusebii interpretatione eum numerum colligere potuerunt, cuius nec vola, nec vestigium ibidem apparet? Paullo liberior sit Ruffiniana interpretatio; alia tamen lugdunensium martyrum nomina, aliumve numerum non exhibet, quam Christophorsoniana, Valesiana et aliae. Ex illa proinde, quascunque rationes ducat Dodwellus, aut alius quivis, geminato etiam numero, aut temere coniectis in censum quaecunque occurrerint nominibus, XLVIII nunquam eruet. Hallucinatus quidem Ruffinus Zachariam, Ioannis baptistae patrem, presbyterum christianum perperam arbitratus est; sed hunc martyrem fuisse ne verbo quidem dixit. Qui ergo designato Zachariae presbyteri supplicio securi percussum asserunt, et XLVII lugdunensibus martyribus adiungunt, Gregorius Turonensis, Ado, Notkerus et alii; necesse est et Zachariae illius, quem presbyterum nuncupant, martyrium, et XLVII sociorum nomina ac numerum aliunde collegerint, quam ex Ruffiniana Lugdunensium et Viennensium epistolarum interpretatione. Unde vero, nisi ex ipsis epistolis, quarum non Eusebiana modo fragmenta, sed et integra exemplaria legerant? In iis quippe accurate recensita fuisse et martyrum nomina, et varia quibus interiere suppliciorum genera, certum est ex Eusebio. *Quid opus est,* inquit, *expressum in supradicta epistola catalogum martyrum hic recensere, quorum alii securi percussi, alii feris obiecti, alii in carcere exanimati sunt?* Atqui laudati auctores non tantum martyrum catalogum recensent, sed etiam qui securi percussi, qui feris obiecti, qui in carcere exanimati sunt, accurate distinguunt, et eodem prorsus modo et ordine, atque epistolas fecisse narrat Eusebius. Ut vel caecis ipsis hinc appareat, ex eo solo fonte, non ex Ruffino, apud quem ea frustra requiras, manare potuisse, quae de martyrum nominibus et suppliciis referunt illi.

38. Graviter quidem in iis omnibus offendit Dodwellus; sed longe gravius in eo, quod confidenter asseverat, Gregorium Turonensem *non alia quam Lugdunensium illa Viennensiumque persecutione, qua coronatus est Pothinus, et nostrum quoque coronatum credidisse Irenaeum.* Si Gregorium usquam legerit, caligantibus oculis legerit. Is enim eam persecutionem quae Pothinum absumsit, ab ea qua coronatus est Irenaeus, clarius secernere non poterat. *In Galliis,* ait, *multi pro Christi nomine sunt per martyrium gemmis caelestibus coronati, quorum passionum historiae apud nos fideliter usque hodie retinentur. Ex quibus et ille*

primus lugdunensis ecclesiae Photinus (sic scribit) *episcopus fuit, qui plenus dierum, diversis affectus suppliciis, pro Christi nomine passus est. Beatissimus vero Irenaeus huius successor martyris, qui a beato Polycarpo ad hanc urbem directus est, admirabili virtute enituit: qui in modici temporis spatio, praedicatione sua maxime in integro civitatem reddidit christianam. Sed veniente persecutione, talia ibidem diabolus bella per tyrannum exercuit, et tanta ibi multitudo Christianorum ob confessionem dominici nominis est iugulata, ut per plateas flumina currerent de sanguine christiano: quorum nec numerum, nec nomina colligere potuimus. Dominus enim eos in libro vitae conscripsit. Beatum Irenaeum diversis in sua carnifex praesentia poenis affectum, Christo Domino per martyrium dedicavit*[1]). Nec eo loci duntaxat ita loquitur Gregorius, sed et alibi, semper sibi constans, post recensita XLVIII martyrum nomina et supplicia, postremumque omnium memoratum Pothinum, paucis interiectis de eorum reliquiis et sepultura, subiungit: *Igitur martyrio consummatus gloriosus Photinus, qui lugdunensi praefuit urbi sacerdos, per certaminis nobilis meritum invectus est caelo. Cui et merito et sanctitate condignus Irenaeus successit episcopus, per martyrium et ipse finitus*[2]). Clarissima haec, nec Dodwelli coniecturarum nebulis usquam obscuranda. In ea persecutione, qua *multi in Galliis pro Christi nomine sunt per martyrium coronati, lugdunensis episcopus Photinus passus est. Beatissimum vero Irenaeum huius successorem martyris* factum fuisse tradit Gregorius. Qui igitur credere potuit eadem persecutione, quae si Lugduni multos dies, non certe menses efferbuit, coronatum utrumque fuisse? Nisi forte fingat Dodwellus, eam fuisse Gregorii sententiam, Irenaeum paucis admodum diebus lugdunensem ecclesiam rexisse. At ita sentire non potuit Gregorius, qui Irenaeum asserit tam naviter pastorali functum officio, ut *in modici temporis spatio, praedicatione sua maxime in integro civitatem reddiderit christianam.* Tantum igitur temporis spatium Pothino superstitem fuisse Irenaeum existimavit, quantum saltem necessarium erat ut illata per primam persecutionem ecclesiae lugdunensi dispendia resarciret. Dum vero haec ageret Irenaeus, *veniens persecutio,* addit Gregorius, quae tot et tantorum martyrum sanguine Lugduni plateas inundavit, ut nec nomina, nec numerus colligi potuerit, sanctissimum occupat episcopum, ac *Christo Domino per martyrium dedicat.* An clarius exprimi et designari potuisset nova persecutio, a priori et tempore et circumstantiis procul diversa? In priori *tantam multitudinem Christianorum ob confessionem dominici nominis Lugduni iugulatam esse, ut per plateas flumina currerent de sanguine christiano,* nullibi legimus: sed nec scribere unquam potuit Gregorius, se *nec numerum, nec nomina martyrum,* qui in priori passi sunt Lugduni, *colligere* potuisse; qui alibi et numerum et nomina tam accurate collegit, ut recenseat, et quo quisque supplicii genere affectus sit referre non omittat. Haec Dodwello legenda erant, aut si quae fides, dissimulanda non fuerant. Id si fecisset, nunquam certe commisisset, ut scripsisset, proclive Gregorio Turonensi fuisse Irenaeum inter martyres lugdunenses recensere, quod in

1) Greg. Tur. lib. I. Hist. Fr. c. 26. 27. 2) Greg. Tur. lib. I. De Glor. Mart. c. 49. 50. p. 779. 780.

eadem persecutionis historia Irenaei mentionem reperisset in epistola martyrum ad Eleutherum: et quidem eo magis, quo Irenaeum martyres *ἀδελφὸν* et *κοινωνὸν* appellant. Itane, quaeso, plumbeus et hebes exstiterit Gregorius, ut in lugdunensium martyrum historiis, quas apud suam ceterasque gallicanas ecclesias *fideliter usque hodie retineri* dicit; et in iis tum cleri, tum lugdunensium et viennensium martyrum epistolis, quas legisse eum fatetur Dodwellus, ea distinguere non potuerit, quae vel londinensium baiulorum aut nautarum stupidissimus quisque nunquam permisceret? Ecce, martyres in sua ad Eleutherum epistola scribunt Irenaeum Romam se mittere, qui litteras eorum perferat; hunc profecturum pontifici commendant, debitisque ornant encomiis; hunc fratrem laborumque consortem vocant, quem Christianum et presbyterum esse, martyresque in carcere detentos consilio, monitis, eleemosynis, pro virili sua, non certe citra capitis discrimen, sublevasse constabat; et Gregorius imprudens hinc arrepta turpissimae hallucinationis occasione, eum ipsum quem itineri sese committentem, aut mox commissurum legebat, inter illos recensuerit, qui in ea persecutione, quae delegationi ansam praebuit, vitam pro Christo profuderint? Quis credat?

39. Sed, inquit Dodwellus, descripto Irenaei martyrio statim addit Gregorius: *Post hunc et quadraginta octo martyres passi sunt, ex quibus primum fuisse legimus Vettium Epagatum.* Constat autem, illos XLVIII martyres, quorum primus fuerit Vettius Epagatus, non in alia persecutione passos fuisse, quam illa Lugdunensium Viennensiumque, qua coronatus est Pothinus. Si ergo post Irenaeum passos fuisse crediderit Gregorius; illum in eadem persecutione coronatum fuisse existimaverit necesse est. Ita quidem scriptum legi in hodierno Gregorii textu non diffiteor. Sed fidentior hic evasit Dodwellus. Quin hic contigisse vereatur, quod supra Hieronymiano textui accidisse inanis suadebat timor; ne videlicet mox citata verba e margine (quod saepe evenire solet) a studioso aliquo recentiore e libro I. de Gloria martyrum collecta, in textum, sed incommodo loco irrepserint, vel ab imperito aliquo aut festinante scriba loco perperam mota, in capitis finem male translata fuerint? Quin addat, esse alioqui alia quae merito faciant, ut suspicemur, verba illa adeo non scripsisse Gregorium, ut ne quidem scribere potuerit? Fortasse non abs re veritus suspicatusve fuisset. Quomodo enim fieri potuit, ut is qui lugdunensium ac viennensium martyrum *passionum historias* in ipsis fontibus legerat, et apud Gallos fideliter ad suam usque aetatem retineri dicit; qui Irenaeum Pothino, quem XLVIII martyribus alibi annumerat, successisse scribit, diuque post eum, et in alia longe diversa persecutione martyrium subiisse diserte asserit; sui ipsius eo usque oblitum fuisse, ut ipsos XLVIII martyres, e quorum numero Pothinus Irenaei decessor erat, post hunc coronatos esse velit? Hoc rectae rationi tam immaniter adversatur, ut gravissimo, qualis erat Gregorius, scriptori tribui nullo modo possit. Certe male interpolatum fuisse textum legitima, si quae unquam, suspicio est, dum ea apud auctorem aliquem leguntur, quae ab eius sententia aliunde nota abhorrent, clarissimisque ac perspicuis eiusdem verbis aperte repugnant; quod hic occurrit. Quisquis enim aequus rerum aestimator, sepositis tantisper omnibus praeiudiciis, posteriora haec capitis XXVII. (no. edit.) verba: *Post hunc*

et quadraginta octo martyres etc. cum prioribus, et iis quae lib. I. de Gloria mart. cap. 49. et 50. leguntur, conferre voluerit, nulla ratione conciliare poterit. Haud spernanda proinde eorum coniectura, qui ea quae de posterioribus istis martyribus apud Gregorium leguntur, perperam translocata esse censentes, iungenda esse opinantur cum iis quae initio capitis scribuntur de Pothino, in hunc modum: *Ex quibus et ille primus lugdunensis ecclesiae Pothinus episcopus fuit, qui plenus dierum, diversis affectus suppliciis, pro Christi nomine passus est. Post hunc et quadraginta octo martyres passi sunt, ex quibus primum fuisse legimus Vettium Epagatum. Beatissimus vero Irenaeus huius successor martyris etc.* Sic coniicit is qui novam Leonis Magni operum editionem adornavit vir clarissimus: at quod idem resecandum vellet totum capitis finem, ab his verbis: *Beatissimus vero Irenaeus etc.* eo quod totum ipsum caput in MSS. quibusdam codicibus desit, in eius sententiam concedere non possum. Ne tamen actum agam, legat is, quem ea de re scrupulus incesserit, praefationem novae Gregorii Turonensis editioni praefixam, art. 3. in qua huiusmodi scrupulos facile, pro ea qua praestabat eruditione, exemit noster piae memoriae Theodericus Ruinart. Sed utut sit de proposita modo coniectura, esto Gregorius ea scripserit quae de XLVIII martyribus post Irenaei martyrium leguntur; memoriae lapsus erit, et hic gravis quidem. An vero quia memoria lapsus est in aliquo scriptor aliquis, huic affingenda statim aliena sententia quam ipse diserte respuit? An quia in capitis fine paucula quaedam et intricata verba subtexuit Gregorius, alia quae perspicua sunt et aperta, ex obscuris illis explicanda, et ad ea, invito ac reluctante auctore, violenter detorquenda? Si ita sit, novas critices regulas, veteribus antiquatis statuat Dodwellus.

40. Hactenus dicta demonstrant, eam iam a saeculo quinto toto orbe invaluisse sententiam, Irenaeum pro christiana fide dimicantem necatum fuisse, eamque haud parum tutis niti fundamentis, quae non nisi futilibus argumentis, frivolisque coniecturis peti possit. Martyrii huius memoriae diem 28. Iunii solemnem consecrant Latini omnes, Graeci vero 23. Augusti. Corpus eius Gregorii Turonensis [1]) aetate miraculis celeberrimum *in crypta basilicae beati Ioannis sub altari sepultum* quiescebat; *ab uno quidem latere Epipodium, ab alio vero Alexandrum martyrem tumulatum habens.* Sed Calvinistae anno 1562. capto Lugduno, amenti furore perciti s. martyris sepulcrum foede violaverunt; ossibusque dissipatis, capitis cranium, postquam diutius ludibrio fuit, in media platea turpiter proiectum tamdiu iacuit, donec hinc ereptum hodie Lugduni religiose asservatur.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE IRENAEI LIBRIS QUINQUE ADVERSUS HAERESES.

41. Iis, quo potuimus studio, collectis et explicatis quae ad Irenaei nostri vitam et gesta pertinent, operae pretium est de scriptis, quam accurate fieri poterit, disserere. Plura reliquit vir apostolicus ingenii, pietatis ac zeli, quo pro tuenda catholica fide fervebat, monimenta.

1) Greg. Tur. lib. I. de Glor. Mart. c. 50.

Sed nullum antiquis omnibus maiori in pretio, saepiusque ab iis citatum fuit, quam eximium illud opus in quinque libros divisum, quod adversus Gnosticorum haereses elucubravit, quodque solum a temporum edacitate tutum hactenus mansit. Primum hunc Irenaei fetum esse vulgata opinio est; nam ipse in praefatione libri primi testatur, se scribendi usu exercitatum non esse, nec dicendi artem coluisse; quod hominem arguit qui nihil aut pauca in lucem adhuc emiserit. Colligi tamen cum cl. Grabio in prolegomenis posse videtur ex lib. III. cap. 7. n. 1. quidpiam aliud antea scripsisse Irenaeum. Ait enim, se *ex multis et alibi ostendisse* Pauli consuetudinem esse hyperbatis uti. De eo autem frequenti Paulinorum hyperbatorum usu ne verbo quidem tractat in duobus praecedentibus libris, immo nec in sequentibus. Quempiam igitur alium tractatum prius edidisse videtur, in quo de his ex professo egerit.

42. Scribendi vero dicti operis contra haereses duplex caussa fuit [1]). Altera ut morem gereret amico cuidam, qui precibus cum eo egerat, ut abstrusa Valentini discipulorum mysteria, necdum a quoquam satis explicata, manifesta sibi faceret, ac simul arma ministraret, quibus haec errorum portenta confoderentur. Quis fuerit amicus ille, tacente Irenaeo, dici non potest. Graecum tamen hominem fuisse ex eo coniicio, quod graece scripserit Irenaeus, ut inferius probabo; alias latine scripturus, si in Latini gratiam scripsisset. Adde quod graecis regionibus longe infestior, quam latinis semper fuerit Valentini ceterorumque Gnosticorum lues. Episcopum etiam fuisse suspicor, aut aliquem in clero conspicuum, qui plebem curae suae concreditam haberet. Huc saltem trahi posse videtur quod ait Irenaeus, ideo se morem amico gessisse, ut et ipse quoque *portentuosissima et altissima mysteria cognoscens, ea omnibus his qui cum eo erant, πᾶσι τοῖς μετὰ σοῦ, manifesta faceret, et praeciperet eis observare se a profundo insensationis et eius quae est in Deum blasphemationis.* Hinc postea eundem monet, ut pro ea qua valet eruditione, *quae invalide relata sunt, potenter asserat iis qui secum sunt; subministrationemque sibi datam efficaciter reliquis ministret, secundum gratiam quae ipsi a Domino data est: ut iam non abstrahantur homines a Valentinianorum suadela* [2]). Et in praefatione libri IV. spondet se amico *undique* ministraturum *occasiones ad confutandos omnes haereticos, ut eos omnimodo retusos non longius sinat in erroris procidere profundum, neque ignorantiae praefocari pelago; sed convertens eos in veritatis portum, faciat suam percipere salutem.* Quae vix in alium quam in episcopum conveniunt, qui scribendi procurationem, ut lib. II. cap. 17. n. 1. loquitur auctor noster, amico suo Irenaeo crediderit. Sunt qui amicum illum putent fuisse Turibium Toletanum episcopum, Patruini cuiusdam successorem; auctoritate freti Pseudo-Dextri, ad ann. Christi 185. istud asseverantis: sed nulla huic fabulatori fides. Altera scribendi caussa fuit, ut Marcosiorum haeresi, valentinianae germini, quae in Celticam seu *Rhodanenses regiones* clam irruperat [3]), occurreret, malumque in ipso ortu suffocaret. Eo periculosius erat, quo maiores mulierum praesertim cupiditati et curiositati illecebras obiiciebat, difficiliusque imperitis erat oves a lupis discernere; quum illarum vocem et

1) Iren. Praef. lib. I. 2) Ibid. 3) Iren. lib. I. c. 13. n. 3.

pellem passim aemularentur. *Maxime enim circa mulieres vacabant* veteratores illi, circa *ditissimas* potissimum, quarum non paucas iam seduxerant, vana prophetiae sublimiorisque scientiae spe delusas [1]). Veritus ergo sanctissimus vir, *ne forte et cum suo delicto abriperetur* sexus suapte natura imbecillior, ac innata sibi indole curiosior, et cum eo et per eum *simpliciores quidam quasi oves a lupis; ignorantes eos, propter exterius ovilis pellis superindumentum, a quibus cavere denuntiavit nobis Dominus, similia quidem nobis loquentes, dissimilia vero sentientes; necessarium duxit* larvam personatis ovibus detrahere, ut retecta lupina facies horrorem veris incuteret [2]).

43. Arduum quidem opus ab Irenaeo susceptum, quod tentaverant hactenus plures, sed parum feliciter [3]). Vel enim indiligentius ei incumbentes, vel labore fracti, vel ingenii acie destituti, *portentosissima et altissima* iniquitatis *mysteria* pervadere non potuerant; haeserant fere in ipso limine. *Eum*, inquit ille, *qui velit* haereticos *convertere, oportet diligenter scire regulas, sive argumenta ipsorum. Nec enim possibile est alicui curare quosdam male habentes, qui ignorat passionem eorum qui male valent. Quapropter hi qui ante nos fuerunt, et quidem multo nobis meliores, non tamen satis potuerunt contradicere his qui sunt a Valentino, quia ignorabant regulam ipsorum* [4]). Nec mirum: obscurissima erat, iisque solis pervia, quibus ea ingenii acies, ut ancipiti verborum cortice tectum errorem deprehendere possent. Irenaeus vero ad id operis accessit ea diligentia, sagacitate, dogmatum haereticorum notitia ceterisque dotibus instructus, quibus illud ad exitum feliciter perduceret. Nam perquisitis Valentini discipulorum commentariis ac libris, eos accurate evolvit, et cum nonnullis eorum pedem contulit [5]), tantumque improbo labore et indefesso studio effecit, ut dissipatis tenebris, quas artificio simulationis eruditi homines, pestiferae sententiae offuderant, ut incautos deciperet, eam perceperit, perceptamque demum in lucem protulerit. Satis erat ad illam funditus evertendam. Nam, ut ipse ait, amicum alloquens, *adversus eos victoria est sententiae eorum manifestatio. Quapropter conati sumus nos universum male compositae vulpeculae huius corpusculum in medium producere, et per te facere manifestum. Iam enim non multis opus erit sermonibus ad evertendam doctrinam eorum, manifestam omnibus factam* [6]). Quod egregia similitudine illustrat. *Quemadmodum bestiae alicuius in silva absconditae, et inde impetum facientis, et multos vastantis, qui segregat et denudat silvam, et ad visionem adduxit ipsam feram, iam non elaboravit ad capiendam, videntes quoniam ea fera fera est: ipsis enim adest videre et cavere impetus eius, et iaculari undique, et vulnerare et interficere vastatricem illam bestiam. Sic et nobis, quum in manifestum redegerimus eorum abscondita et apud se tacita mysteria, iam non erit necessarium multis destruere eorum sententiam.* His tamen non contentus s. doctor eam fusiori stilo exagitavit, penitusque subvertit. Oppressit vero argumentis undequaque conquisitis, ac petitis sive a ratione ipsa, sive a divina auctoritate: eo successu cui satis pro merito plaudere se non posse putarunt veteres, putant et re-

1) Ibid. n. 3. 2) Praef. lib. I. 3) Ibid. 4) Praf. lib. IV. 5) Praef. lib. I. 6) Lib. I. cap. ult. n. 4.

centiores, quicunque Irenaeum ea qua par est animi attentione atque aequitate legunt. Ubique enim suspiciunt hominem ingenio praestanti atque eruditione perfecta, Scripturarum sacrarum scientia ac venerandae traditionis notitia nulli secundum, *virum*, ut ait Epiphanius [1]), *omnino Spiritus sancti donis instructissimum, ac caelestibus ornamentis, ut ita dixerim, ad certamen perunctum, qui sincerae fidei ac scientiae praesidiis omnia haereticorum prostravit, evertitque mendacia:* uno verbo, virum apostolicum, apostolorum spiritu, fide et caritate plenum, qui quos ex ipsis paene fontibus hauserat puros sacrae doctrinae latices, puros in scriptis effudit: et quidem ea copia, ut mirum sit tot et tanta, tamque multiplici eruditione conspersa, non adeo magno volumine comprehendi potuisse.

44. Accidit tamen, fateor, ut dum sententias premit Irenaeus, obscurus interdum evadat. Sed sic a natura comparata sunt ingenia fecunda: quum parere festinant quod ubertim animo concepere, verba conceptibus saepe non respondent. Accedit altera obscuritatis caussa, eaque fere praecipua, rerum videlicet, de quibus disserebat, difficultas et sublimitas. Totus est in rimandis Gnosticorum arcanis, reconditioribusque eorum sensibus eruendis; totus est in dissipandis vanissimis quibusque luxuriantium et captiosissimorum ingeniorum argutiis, rebusque divinis explicandis; quo nihil abstrusius et sublimius cogitari potest. Vix autem fieri poterat, ut qui versabatur in eiusmodi salebrosis argumentis, a nullo hactenus nisi parum feliciter tentatis, ea sic pertractaret, quin lectoribus insuetis laborem crearet ipsa argumenti novitas, reique innata difficultas. Ut nihil hic dicam de barbara latina interpretatione, quae perspicuis ex se sententiis densissimas saepe saepius offundit tenebras, imperiti interpretis, non auctoris ipsius, vitio. Si quis tamen libri primi spinis haudquaquam deterritus, eum accurate legerit, ibique exposita Gnosticorum dogmata attente meditatus fuerit (difficultatem forte levabunt tum nostrae in hunc librum notae, tum ea quam in lucem emittimus de Gnosticorum hypothesi dissertatio), is huic constabit laboris fructus, ut fere nullum, aut longe minorem in evolvendis et intelligendis ceteris experiatur: immo ex sententiarum gravitate, argumentorum vi et efficacia, totque tamque praeclare dictorum sublimitate et pietate voluptatem non modicam, operae pretium habeat. Id enim plures fallit, quod libri primi lectione, quod taedium pariat tot absurdissimorum dogmatum expositio, facile abstinere posse putantes, alios hoc omisso legere praefestinent: sicubi vero, quod saepe evenit, haereant, culpam in auctorem conferunt; quum tota penes ipsos sit. Ecqui libri polemici sensus planus ac facilis evadere possit ei, quem eorum, quos confutandos sibi suscepit auctor, sententiam et hypothesin delibare piguerit? Quum enim ad eam perpetuo alludat, iamque notam supponat; non mirum, si ipsa luce clariora verba totidem aenigmata lectoribus in hoc argumento peregrinis videantur. Quisquis Irenaeum assequi cupit, Irenaei vestigia premat, eiusque libros eo ordine, quo conscripti sunt, legat necesse est.

45. Ut enim in debellandis haereticis, adversus quos arma capessebat s. doctor, ordine procederet, necessarium sibi putavit, et merito

1) Epiph. Haer. XXXI. §. 33.

quidem, sententiam eorum accuratius quam antea fuerat, exponere. A Valentinianis autem exordium sumsit, et in id potissimum incubuit, ut eorum hypothesin maiori ceteris cura explicatam daret, tum quia ea erant amici sui vota, tum quia in eam haeresin, velut in sentinam, confluxerant aliarum omnium sordes: et ideo in hanc omnes fere vires convertit, ratus ea semel probe nota et prostrata, ceteras stare non posse. Quum vero inter Valentinianos omnes primas facile tenerent et asseclarum numero, et indigesta dogmatum omnigenum male sibi cohaerentium farragine, et proiecta propugnantium audacia et temeritate Ptolemaitae et Marcosii, hique lugdunensem tractum, cui praeerat Irenaeus, infestare coepissent; in eorum explicanda hypothesi diutius immoratus est, utpote in quam tota belli moles incumbere debebat. Sed quia Valentiniani omnes callide dissimulatis probrosis avorum nominibus, illud Gnosticorum sibi superbius arrogabant; ut eorum impudentiam castigaret Irenaeus, ac simul haeresin ab radicibus imis convelleret, ostendit communem omnium parentem esse Simonem magum, illud impietatis monstrum potius quam hominem, a cuius vel nomine abhorrebant Christiani omnes; idque invicte demonstrat ex continua magi illius discipulorum ad Valentinianos usque successione, omniumque in iisdem dogmatibus corruptissimisque moribus consensione: cum hoc tantum discrimine, quod ad explicanda veterum commenta secum pugnantes posteriores, alia aliis absurdiora finxissent. *Quum sit igitur,* inquit [1]), *adversus omnes haereticos detectio atque convictio varia et multifaria, et nobis propositum est omnibus iis secundum ipsorum charactera contradicere; necessarium arbitrati sumus prius referre fontem et radicem eorum, uti sublimissimum ipsorum Bythum cognoscens, intelligas arborem, de qua defluxerunt tales fructus.* Tum explicata Simonis haeresi concludit, *a Simonianis falsi nominis scientiam accepisse initia, sicut ex ipsis assertionibus eorum adest discere* [2]). Et in fine libri primi, post recensita veterum Gnosticorum dogmata, addit: *A talibus matribus et patribus et proavis eos qui a Valentino sint, sicut ipsae sententiae et regulae ostendunt eos, necessarium fuit manifeste arguere, et in medium afferre dogmata ipsorum* [3]).

46. Eapropter quum per Valentinianorum latus Gnosticos omnes transfigere vellet, operi titulum inscripsit, *Ἔλεγχος καὶ ἀνατροπὴ τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, detectio et eversio falso cognominatae agnitionis.* Id ipse conceptis verbis testatur in praefatione libri secundi: *In primo quidem libro, qui ante hunc est, arguentes falsi nominis agnitionem, ostendimus tibi, dilectissime, omne ab his qui sunt a Valentino, per multos et contrarios modos adinventum esse falsiloquium; etiam sententias exposuimus eorum qui priores exstiterunt etc.* In hoc autem *libro instruemus quae nobis apta sunt, et quae permittit tempus, et evertemus per magna capitula omnem regulam ipsorum. Quapropter quod sit detectio et eversio sententiae ipsorum, operis huius conscriptionem ita titulavimus.* Et in praefatione libri IV. *Hunc quartum librum, dilectissime, transmittens tibi operis quod est de detectione et eversione falsae cognitionis etc.* Et in eiusdem libri fine: *Reliquos igitur sermones Do-*

1) Iren. lib. I. c. 22. n. 2. 2) Cap. 23. 3) Cap. 31. n. 3.

mini quos quidem non per parabolas, sed simpliciter ipsis dictionibus docuit de Patre, et expositionem epistolarum beati apostoli in altero libro disponentes, integrum tibi opus exprobrationis et eversionis falso cognominatae agnitionis, praestante Deo, praebebimus. Denique in praefatione libri quinti, librum *hunc vocat librum quintum operis universi, quod est de traductione et eversione falso cognominatae agnitionis.* Hic *traductionem* dixit interpres, quod paullo ante *exprobrationem,* alibi vero *detectionem* vertit, quia vox *ἔλεγχος,* qua usus est Irenaeus, iis omnibus significatis gaudet: sed auctoris scopo magis congruit *detectio,* ut ex iis patet quae iam diximus. Quin igitur is sit genuinus librorum Irenaei titulus, quem modo dicebamus, quemque initio operis restituimus, dubitari non potest. Sub hoc titulo libros Irenaei citat Eusebius lib. v. Historiae cap. 7. *ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως;* citant et Andreas Caesariensis in Apocalypsin Serm. vi. cap. 18. Damascenus in Parallelis MSS. passim, Photius in Bibliotheca cod. 120. Oecumenius in ii. epist. Petri 3. et in epistolam Iudae. Quin et vetustiores MSS. codd. ut Claromont. vetus ille Fenard. Vossii et Arundel. licet in fronte praefixam ferant recentiorem inscriptionem, *contra haereticos* vel *haereses;* veterem tamen retinent, dum exhibent argumenta capitum secundi et quarti libri. Sic enim habent: *Haec insunt in secundo libro redargutionis et eversionis falso cognominatae agnitionis. Haec sunt in* iv. *libro exprobrationis et eversionis falsae agnitionis.* Ex quibus evidenter demonstratur, eam esse inscriptionem quae legebatur in ipsis autographis, vel in prioribus codicibus, ex quibus descripti sunt posteriores; sed a recentioribus scribis brevitati studentibus male omissam. Omissioni vero occasionem dedisse videtur Eusebius ipse, qui Irenaei libros compendii caussa interdum vocat, *libros adversus haereses;* quem sic imitati sunt Cyrillus Hierosolymitanus, Hieronymus et alii plures cum veteres, tum recentiores, ut omisso prorsus genuino titulo (qui certe neutiquam omittendus fuerat), compendiosum istum solum retinuerint, et aliis retinendi ansam praebuerint. Photius vero, quem imitari satius esse duximus, quod utramque inscriptionem passim usitatam animadverteret, utramque proposuit retinuitque. Posteriori occasionem etiam dedisse videntur ea Irenaei verba, quae mox retulimus: *Quum sit igitur adversus omnes haereticos detectio atque convictio varia et multifaria, et nobis propositum est iis omnibus secundum ipsorum charactera contradicere etc.* Et ea quibus librum iv. claudit: *Et nos ipsos, et te ad contradictionem omnium haereticorum in quinque exercentes libris.* Et hinc in MSS. quibusdam codd., ut Vossii et Feuardentii, praefixus Irenaei libris legitur hic titulus: *contra omnes haereticos* vel *haereses.* Sed hunc titulum, qui apud recentiores obtinuit, libris suis nunquam praefixit Irenaeus: illum duntaxat, *ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως,* scripsit; isque ad auctoris scopum longe melius quadrat. Duo enim, ut ipse monet in librorum suorum praefationibus, praestanda sibi proponebat: alterum Valentinianorum Gnosticorumque omnium sententias hactenus abditas *ἐλέγχειν, detegere,* alterum eas *ἀνατρέπειν, evertere.* Prius quidem libro primo praestitit, in quo Valentinianorum Gnosticorumque omnium dogmata accurate recenset; posterius libris sequentibus. Et quidem libro secundo ea rationibus subvertit;

tertio Scripturas et traditionem adhibuit; quarto ex veteri Testamento praecipue disputavit; quinto ex reliquis doctrinis Domini nostri, et ex apostolicis epistolis, ut ipse in praefationibus facturum se spondet.

47. Quamvis quo tempore scripti sint dicti quinque libri, accurate definire difficillimum sit; a vero tamen haud procul discesserit, qui sub finem Eleutheri pontificatus, vel partim sub Eleuthero, partim sub Victore editos asseruerit. Et quidem librum primum ante annum 172. scribi non potuisse, manifestum est: nam in eo Tatiani et Encratitarum fit mentio [1]); qui, si Eusebii Chronico fides, anno 12. M. Aurelii, Christi vero 172. emerserunt: quamvis paullo citius erupisse probabile sit. Librum tertium Eleuthero iam ecclesiam regente prodiisse constat: in eo siquidem Irenaeus romanorum pontificum catalogum texens, hunc ad Eleutherum usque perducit, quem tum Romae sedisse perspicue dicit, *Νῦν δωδεκάτῳ τόπῳ τὸν τῆς ἐπισκοπῆς ἀπὸ τῶν ἀποστόλων κατέχει κλῆρον Ἐλεύθερος, Nunc duodecimo loco episcopatum ab apostolis habet Eleutherus.* Eiusdem libri cap. 11. n. 8. satis aperte, tacito licet nomine. Montanistas perstringit; qui Irenaeo vix ante annum 177. noti esse potuerunt. Sed quod eum librum non nisi sub Eleutheri pontificatus finem scriptum esse demonstrare videtur, illud est, quod in eo meminerit Irenaeus Theodotionis interpretationis [2]). Hic enim, testibus Epiphanio [3]) et auctore Chronici Alexandrini, sacra Biblia vertit Commodo iam imperatore, Marullo (sic enim legendum puto, non Marcello) et Aeliano Coss. id est, anno Christi 184. Igitur post aliquot annos a publicata Theodotionis interpretatione scripserit Irenaeus necesse est, nec proinde procul ab anno 192. quo vita cessit Eleutherus, qui anno circiter 177. Ecclesiae regimen susceperat.

48. Nec hic moror Dodwelli coniecturas, qui ut citius quam dixi, scilicet circa annum Christi 177. scriptos Irenaei libros probet, contendit in dissertatione singulari de pontificum romanorum successione cap. 14. §. 17. ea quae apud Irenaeum de Theodotione leguntur, a priori eius exemplari *forte* abfuisse, ac postea ab ipso inserta fuisse. Sic coniectando, molestissimos quoscunque nodos facile secat vir subtilissimus. Sed pueris *forte* placeant eiusmodi nugae; quas certe adulti rideant. Aliam in suis in Irenaeum dissertationibus viam iniit. Ut id quocunque tandem modo assequatur, Theodotionis interpretationem Commodo imperatore antiquiorem esse, ac sub Marco Aurelio concinnatam fuisse; Chronici Alexandrini auctoritatem elevare conatur. Nempe, ait [4]), Chronici illius auctor tempus Theodotionis collegit ex Epiphanio *de ponderibus et mensuris*, cuius ratiocinia chronologica de Scripturarum interpretibus et sibi aegre constant, et sunt tamen, ubi constant, admodum vitiosa. Breve quidem effatum, quod Dodwelli solius auctoritate nititur, quae tamen nondum satis apud eruditos obtinuit, ut in talis magistri verba iuremus. Mirum certe, auctorem Chronici Alexandrini certam temporum epocham ex Epiphanio collegisse, quae nulla apud eum apparet. Neque enim, ipso fatente Dodwello, Consules designat Epiphanius, uti designat Chronici auctor. Hic ergo aliunde collegerit necesse est.

1) Iren. lib. I. c. 28. 2) Iren. lib. III. c. 21. n. 1. 3) Epiph. de Pond. et Mens. §. 17. 4) Dodwell. Diss. IV. in Iren. §. 40.

At, inquit Dodwellus, ratiociniis collegit falsissimis. Falsissima quidem sunt ratiocinia quae auctori Chronici affingere placuit: sed ea fuisse huius ratiocinia, aliis argumentis quam frigidis coniecturis ab ipso limine probandum erat. Donec id praestiterit Dodwellus, nobis, quibus non licet esse tam perspicacibus, per eius humanitatem licebit cum auctore Chronici sentire.

49. Alio argumento, quo fere persuasum se dicit, probare nititur cl. Grabius in suis in Irenaeum prolegomenis, eum adhuc presbyterum, ante annum 177. quo Romam a martyribus lugdunensibus missus est, haereticorum refutationem integram edidisse. Id deducitur ex ortu sectae Cataphrygum, quae Phrygiae Asiaeque ecclesias vexavit: quem Eusebius in Chronico anno 17. Marci, Christi 171. adscripsit. Duos sane, inquit, priores Irenaei libros praecessisse, inde colligitur, quod in his nullam huius sectae, sed haereseos Tatiani tanquam novissimae fecerit mentionem: illam non omissurus, si Asiam, in quam hos mittebat libros, iam tum turbare coepisset. Contra libro III. et IV. pseudo-prophetas istos leviter perstringit [1]); unde illos post excitatas ab iis turbas scripserit necesse est: neque enim longum inter priores et posteriores libros intercessit intervallum. Sed tantum abest haec Grabii caussam iuvent, quin potius omnino evertant. Nam si Cataphrygas lib. III. et IV. perstringat Irenaeus, et si inter priores et posteriores Irenaei libros non longum intercesserit intervallum; scribi posteriores quum non potuerint ante annum 177. vix et priores potuisse, fateatur necesse est Grabius. Quamvis enim iam ab anno 171. emersissent Cataphryges; non tamen ante annum 177. quo martyres iam in carcerem coniecti erant, eorum sectae fama ad Lugdunensium aures pervenit. Certe si prius pervenisset, citius quid de novis prophetis sentiebant, martyres scripsissent; commodiori, quam omnium difficillimo, tempore id acturi. Quod vero Irenaeus libro primo Cataphrygum mentionem nullam fecerit, nihil mirum. Huic animus erat Valentini discipulorum sententiam exponere, et ut rem a capite repeteret, *referre fontem et radicem eorum; arguere* videlicet a Simone veteribusque Gnosticis, ceu *patribus et proavis,* ortum accepisse Valentinianos, *et in medium afferre dogmata ipsorum,* ut superius vidimus. Quid autem ad hoc Irenaei consilium conducebat Cataphrygum mentio? Nihil quidquam a Gnosticis et Valentinianis acceperant, nullum tunc temporis catholicum dogma oppugnabant, solam ecclesiae unitatem scindebant. Immerito proinde Irenaeus inter Gnosticos et Valentinianos recensuisset homines, qui nihil affine habebant cum ea *falsi nominis scientia,* quam detegendam et evertendam sibi proposuerat. Nec opportuniora Grabii caussae ea, quibus Irenaeus prooemium libri III. incipit, verba: *Tu quidem, dilectissime, praeceperas nobis etc.* nec non quae in prooemio lib. V. exstant: *Quoniam postulasti a nobis, obedientibus tuo praecepto; quoniam in administratione sermonis positi sumus:* ex quibus eruere se posse putat, Irenaeum tunc presbyterum, necdum episcopum fuisse: neminem quippe episcopo praecepturum, ut calamum in haereticos acueret; vix etiam Irenaeum se praecepto obedientem professurum etc. Ut enim omittam, quod inter amicos ipsa consilia et preces prae-

1) Iren. lib. III. c. 11. n. 8. Lib. IV. cap. 33. n. 6.

cepta habentur; plus aequo urget vir doctissimus verbum *praecipio*, quo usus est Irenaei interpres. Irenaeum quippe graeco verbo παραινέω usum fuisse ex eo colligo, quod in prooemio libri primi amicum monens, ut, quum Valentinianorum mysteria ex se didicerit, omnibus iis, qui secum versantur, patefaciat; addit, καὶ παραινέσῃς αὐτοῖς φυλάξασθαι τὸν βυθὸν τῆς ἀνοίας, quae vertit interpres: *et praecipias eis observare se a profundo insensationis.* Ubi παραινέσῃς vertit *praecipias:* quum tamen παραινέω latine, non proprie *praecipio*, sed *hortor, suadeo, consilium do etc.* significet. Ex quo coniicere licet, idem verbum locis citatis usurpatum ab Irenaeo, eodem modo ab imperito interprete redditum fuisse. Sed quocunque verbo, aut quacunque voce usus fuerit Irenaeus; quo sensu praecepisset amicus, et quo sensu obediret ipse, perspicue declarat in eodem prooemio, quum ait, *dilectione se adhortante* conaturum et amico et omnibus, qui cum eo sunt, Valentinianorum doctrinam exponere. Et postea: *Quae tibi cum dilectione scripta sunt, cum dilectione percipies.* Qui ideo se morem amico gerere dicit, quia dilectio adhortatur et impellit, sola caritatis lege constrictum se aperte significat. Et certe si superiorem agnovisset Irenaeus eum, in cuius gratiam scribebat, nunquam commissurus fuisset, ut illum *dilectissimi* nomine compellaret, uti compellat semper, ac tam familiariter eo uteretur, atque usum fuisse librorum praefationes demonstrant. Eo modo simplices presbyteros cum episcopis egisse, nullis exemplis probabitur. Eccui, quaeso, potiori ac meliori iure, quam episcopo, conveniunt ea verba praefationis libri v. quibus abutitur Grabius: *quoniam in administratione sermonis positi sumus*? At, inquit vir doctissimus, in προστασίᾳ ecclesiae potius, quam *in administratione sermonis,* se positum dixisset Irenaeus, si iam tum summus ecclesiae lugdunensis sacerdos fuisset. Immo in προστασίᾳ ecclesiae positum se manifeste dicebat iis temporibus, qui in administratione sermonis constitutum se significabat. Nullis enim aliis quam episcopis, quatuor prioribus saeculis, creditam fuisse administrationem sermonis in Occidente, invicte demonstratur ex Cypriani epistola 56. ex Optato sub finem operis contra Donatistas, ex vita D. Hilarii Arelatensis a Cypriano eius discipulo conscripta, ex Possidio in vita S. Augustini; multisque aliis eorum temporum monumentis facile probari posset, si quod operae pretium foret.

50. Certum igitur ac probatum manere debet, quidquid dicant Dodwellus et Grabius, ab Irenaeo iam episcopo conscriptos fuisse quinque libros *detectionis et eversionis falso cognominatae agnitionis.* An vero simul et eodem tempore omnes, an per intervalla prodierint? Alia difficultas est, quam paucis sic explico. Primo quidem breve quoddam opus scribere, quo retectis Valentinianorum dogmatibus, argumenta quaedam ad ea evertenda opportuna subiungeret, animo sibi constituerat, rei difficultate laborisque magnitudine nondum satis explorata, Irenaeus. *Quantum nobis virtutis adest,* inquit in praefatione libri primi, *sententiam ipsorum, qui nunc aliud docent, dico autem eorum, qui sunt circa Ptolemaeum, compendiose et manifeste ostendemus, et aliis occasiones dabimus, secundum nostram mediocritatem, ad evertendum eam.* Hinc postea amicum hortatur, ut *quae simpliciter et vere et idiotice ad se scripta sunt, ipse augeat penes se, ut magis idoneus, quasi semen et*

initia accipiens et in latitudine sensus sui in multum fructificet ea, quae in paucis dicta sunt. At vixdum labori incubuerat, quum latiori, quam existimaverat, sese aperiente disputandi campo, mutato proposito, ad maioris moliminis opus se contulit. Id in fine libri primi significat, quum ait: *Quum igitur haec sic se habeant, quatenus promisi, secundum nostram virtutem inferemus eversionem ipsorum, omnibus eis contradicentes in sequenti libro: enarratio enim in longum pergit, ut vides.* Spes enim prima fuisse videtur eversionem detectioni in eodem libro subiungere. Eapropter in prooemio libri III. amico praeter exspectationem id eventurum esse dicit, ut crescente operis mole, maiora et ampliora quam speraverat postulaveratque ad evertendos haereticos argumenta sit accepturus. *In hoc autem tertio* (libro), ait, *ex Scripturis inferemus ostensiones, ut nihil tibi ex his quae praeceperas desit a nobis; sed et, praeterquam opinabaris, ad arguendum et evertendum eos, qui quolibet modo male docent, occasiones a nobis accipias. Quae enim est in Deo caritas, dives et sine invidia existens, plura donat, quam postulet quis ab ea.* Itaque suscepto maioris operis consilio, quo quinque libris plenius et uberius confutarentur vanae omnes haereticorum argutiae, priores duos absolvere festinavit; utpote quibus satis pro tempore et pro amici votis falsi nominis scientiam retegeret everteretque. Absolutos confestim ad amicum misit, dum interea tres alios, quos iam in animo habebat, ad umbilicum perduceret; qui singuli, statim atque unicuique summa manus imposita, haud exspectato sequenti, missi sunt. Omnia haec constant tum ex praefationibus, tribus posterioribus libris praefixis, tum ex uniuscuiusque libri fine, tum ex lib. II. cap. 2. n. 6. cap. 8. n. 3. cap. 11. n. 2. et cap. 28. n. 4. in quibus sequentes libros expresse pollicetur. Iis omnibus maxime probabile fit, quod iam dixi, totum opus partim sub Eleuthero pontifice, partim sub Victore scriptum fuisse.

51. Graeco idiomate exaratum fuisse adeo certa demonstrant argumenta, ut mirum sit aliquam ea de re dubitationem Erasmi et aliorum quorundam eruditorum mentem subire potuisse. Eusebius plura Irenaei fragmenta historiae suae inserta graece refert: nusquam tamen monet, uti Tertullianum et alios quosdam auctores latinos citans se fecisse dicit, ea e latino in graecum sermonem a se conversa fuisse. Et quotquot e scriptoribus graecis Irenaeum citant (frequenter vero citant), graece certe legerunt; nec alio sermone conscriptos eius libros legisse se satis aperte significat Photius, qui vix alios quam graecos auctores in Bibliotheca sua recenset. Hieronymus etiam, licet Latinus, qui Irenaei libros accurate legerat, et quo proinde sermone scripti fuissent probe noverat, eum tamen e Latinorum numero perspicue excludit, ut inter Graecos annumeret. Nam auctores commemorans qui chiliastarum errori faverant: *Latinorum,* inquit [1]), *Tertulliani, Victorini, Lactantii; Graecorum, ut ceteros praetermittam, Irenaei tantum lugdunensis episcopi faciam mentionem.* Et alibi eiusdem erroris fautores recensens, nominatis Tertulliano, Lactantio, Victorino Petavionensi et Severo: *Et ut Graecos nominem,* addit, *et primum extremumque coniungam, Irenaeus et Apollinarius.*

1) Hieron. in Prologo lib. XVIII. in Esa. To. III. no. edit.

At, inquit Erasmus, in sua epistola nuncupatoria, quam Irenaei a se adornatae editioni praemisit, *dubitare licet, utrumne natione Graecum dixerit* Hieronymus, *an scriptorem Graecum.* Immo dubitandi locus nullus est, quin Hieronymus eodem sensu atque eadem prorsus ratione Graecum dixerit Irenaeum, atque Graecum dixit Apollinarium et Latinos Tertullianum, Victorinum, Lactantium, ad quorum certe nationem haud-quaquam, sed ad scripta duntaxat attendebat. Ecquid hic nationes ad Hieronymi scopum faciebant? Animus non erat nationes a nationibus secernere, sed scriptores a scriptoribus, et eos recensere ac distinguere qui tum ex iis qui latine scripserant, tum ex iis qui graece, in chiliastarum sententiam abierant. Deinde, vel ipse titulus Irenaei libris praefixus, graece scriptos fuisse probat. Genuinum hunc esse, *de detectione et eversione falso cognominatae agnitionis,* supra ostendimus. Qui quidem ut graece, qualem repraesentant Eusebius et Photius, non inelegans; sic latine quidpiam adeo barbarum et obscurum sonat, ut hunc nusquam. sed alium quemvis et commodiorem et clariorem et magis latinum operi suo facile praefixisset quisquis latine scribens prima latinae linguae rudimenta delibasset. Sed et e graeco in latinum conversum esse demonstrat ipsa scribendi diversitas: interdum enim scribitur *de detectione,* interdum *de redargutione, de exprobratione* vel *traductione falso cognominatae agnitionis,* aut *falsae agnitionis, falso dictae scientiae etc.* quae scribendi varietas procul dubio orta est ex diversa interpretatione vocum *ἐλέγχου* et *ψευδωνύμου γνώσεως.* Nullam autem eiusmodi varietatem apud Graecos reperies. Titulum prorsus eodem modo scribunt Eusebius, Photius et Damascenus, *περὶ ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως.* Certo argumento graece scriptum fuisse, non latine. 3°. Hieronymus, optimus stili aestimator, testatur in sua ad Theodoram viduam epistola, Irenaei libros adversus haereses *doctissimo et eloquentissimo sermone compositos esse.* At nisi in lingua latina rudis omnino fuerit Hieronymus, id de latinis Irenaei libris nec cogitare, nec asserere potuit. Stilus siquidem barbarus est, incomtus, asper et salebrosus, soloecismis scatens, auctorisque mentem multis in locis, aut non satis, aut male omnino exprimens. E contrario vero graecus textus, qui superest, elegans est, nitidus et gravis, verbisque constat propriis, significantibus, ac tum ad res ipsas, tum ad Irenaei mentem et scopum accommodatissimis. Quis autem credat, hinc Irenaeum graece doctissimum, acerrimique iudicii virum, patrio neglecto idiomate, eo scripturum, quod male adeo calluisset, ut hoc animi sensa eloqui non valeret; illinc vero graecum interpretem lectis barbare omnino et obscurissime scriptis latinis libris, auctoris sensum facilius ac felicius assecuturum, quam auctor verbis explicare potuerit? Sed, inquies, Irenaeus ipse in praefatione libri primi stilum simplicem ac vulgarem, omni verborum artificio ac dictionum ornamento destitutum, hac excusatione deprecatur, quod *apud Celtas commoratus, in barbarum sermonem plerumque vacaret.* Ita est: sed tantum abest hinc infirmentur argumenta nostra, quin potius iis novum robur accedat. Si enim latine scripsisset Irenaeus, haud magis ferenda videretur celtici sermonis excusatio, quam si Gallus quivis apud Batavos vel Anglos latine scribens, inelegantem et impolitam orationem hac excusatione deprecaretur; quod *apud Batavos vel Anglos commo-*

ratus, in peregrinum sermonem plerumque vacaret. Valeret quidem Galli huius excusatio, si patria lingua scribens desuetudinem caussaretur: at inepta prorsus, si de latina sermo sit, quae Batavis et Anglis aeque familiaris est, ac Gallis. Sic licet Irenaeus apud Celtas degeret, et celtica lingua interdum loqueretur; haud tamen excusandus foret, quod latine scribens, inculte et indiserte id faceret: quia lingua latina tunc temporis Lugdunensibus familiaris erat, et multo familiarior quam nobis. 4°. Quisquis vel mediocriter graece peritus in textum Irenaei latinum oculos iniecerit, facile deprehendet, revera graecum sermonem esse, in quo identidem aliqua latini species animadvertitur. Nam orationis modus, dictio, verborum constructio, phrasis, syntaxis etc. hominem arguunt qui graeca prae oculis habens, in latinum converterit; sed ita imperite et serviliter, ut verbum pro verbo reddiderit, servato graecorum ordine, genere et regimine. Graecus fuerit Irenaeus, latini sermonis rudis; an tamen adeo hebes, latinarumque vocum inops, ut ignoratis iis quae passim obviae sunt, faciles, omnibus notae et vel pueris ipsis tritae, iis hellenismos longe petitos, obscuros et difficiles, latinis auribus asperrimos, mentibusque fere impervios substitueret? An difficilioris erat operae scribere, *Nus* vel *a Nu geniti, Valentinus, Ptolemaeus*, vel *Valentini*, aut *Ptolemaei discipuli;* quam *qui sunt circa* vel *erga Nun, Ptolemaeum, Valentinum; ostendere posse,* quam *habere ostendere; creatio* vel *creatura,* quam *conditio; principium,* quam *initium;* ablativos absolutos, quam genitivos, et sexcenta eiusmodi, quae propriis locis notare non omisimus? Graecus erat Ammianus Marcellinus, graece longe magis quam latine doctus, et ideo in iis quae latine scripsit interdum obscurus: durioribus tamen eiusmodi hellenismis abstinuit. Quid, quod latinis vocibus ea significata tribuuntur, quae quidem graecae iis respondentes facile admittunt, ipsae vero latinae prorsus respuunt? *Pertransiens* alicubi scribitur pro *legendo percurrens, perexivimus* pro *enarravimus, incipio hoc facere* passim pro *hoc facturus sum, principalis* pro *antiquus, aliquid,* pro *partim* etc. Quis in his et aliis eiusmodi vocibus non paucis latinum auctorem deprehendat? Quis potius hic non agnoscat latinum interpretem, sed imperitum et nullius iudicii, qui prae oculis habens textum graecum, et in eo voces *διερχόμενος, διεξήλθομεν, μέλλω τοῦτο ποιεῖν, ἀρχαῖος, τὶ* etc. lexicaque puerili modo consulens, e variis cuicunque voci subiunctis significationibus eam, quae prius obvia fuerit, imprudenter acceperit? Quid demum, quod latini textus auctor Irenaei sensum haud assecutus, alienos saepe affingit? An de propria mente ipsi Irenaeo non constabat? Certe erroris alia caussa esse non potuit, quam quod interpres aut vitioso codice graeco usus, aut similitudine vocum deceptus male legerit, vel a graecorum sensu aberrans alienum supposuerit. Sexcenta eiusmodi exempla observavimus in notis nostris. Sic interdum pro *φυτὰ* legit *φύλλα, γένεσιν* pro *φύσιν, ἔτι* pro *ὅτι, ἑκάστου* pro *ἐσχάτου, τρόπῳ* pro *τόπῳ, ᾗ* pro *ἤ, ἐξ ἧς* pro *ἐξῆς,* 888. pro *ἰησοῦς,* quasi singulae huius vocis litterae totidem notae arithmeticae essent, et alia eiusmodi multa. Sed latini illius hallucinatio in nomine *Ἐπιφανὴς* hic omitti non debet. Arbitratus appellativum esse, vertit *clarus;* quum certum sit haeretici nomen proprium esse, cuius sententiam refert Irenaeus lib. I. cap. 11. n. 3. Tam immanis error in

Irenaeum ipsum conferri non potest, cui certe de nomine illius quem perstringebat, probe constabat, quum maxime graece et latine idem sit. In imperitum igitur interpretem refundatur necesse est. 5°. Si latine et in gratiam Latinorum scripsisset Irenaeus, latinos potius quam graecos auctores citasset: nullos tamen sive sacros, sive profanos ab eo laudatos reperias, nisi graecos. Sic, ut multa sileam, lib. I. cap. 9. centonem ex Homeri versibus contexit. Certe quisquis latine scripsisset, Virgilium potius, aut aliquem alium poetam Latinis familiarem elegisset, ut ex eo centonem conficeret. Denique lib. v. cap. 30. de Antichristi nominibus disputans, quibus continebitur numerus 666. ea duntaxat exempli caussa profert quae adeo graeca sunt, ut nisi graece scribantur, summa non occurrat. Talia sunt *EYANΘAΣ, ΛΑΤΕΙΝΟΣ, TEITAN,* quae si latine scribas, iam numerus ad nomen non quadrabit. Quis putet latine scribentem, graeca nomina longe quaesiturum, quum latina plura tam facile fingi potuissent, ex quibus idem numerus colligi potuisset?

52. Duas Erasmi obiectiunculas non moror, quod nimirum versus aliquot graecos admixtos videamus Irenaei libris, et quod nullus indicaverit interpretis nomen. Liberum siquidem est interpretibus, si quos offendant poetarum versus graecos, eos vel latine duntaxat, vel maioris ἐνεργείας caussa graece et latine referre, praesertim si pauci sint et elegantes. Exempla obvia sunt. Eodem modo se gessit Irenaei interpres. Si plures occurrerint versus, latine tantum; si unus aut alter, graece et latine, idque duobus in locis duntaxat, scripsit. Quod attinet ad interpretis nomen, haud advertit Erasmus, obiectionem eos ex aequo petere, qui censent graecum textum meram interpretationem esse: neque enim iis facilius est indicare graeci interpretis nomen, quam aliis latini. Sed cum paullo maioris difficultatis specie ab eruditissimis quibusdam viris obiectum audivi, vix credibile esse Irenaeum qui Lugduni degebat, ubi nullus linguae graecae usus erat, quique in gratiam Lugdunensium suorum scribebat, quorum fines iam subierat Marcosia lues, eo sermone scripturum quem nullus intellexisset. At illi supponunt quod ab ipso limine probandum incumbit, videlicet potissimum hoc Irenaeo consilium fuisse, ut in gratiam Lugdunensium scriberet. Scripsisse ut amici cuiusdam precibus obsequeretur, singulae cuique libro praefixae praefationes demonstrant. Porro amicum illum Graecum exstitisse, non Lugdunensem, longe probabilius videtur. Neque enim hic ab Irenaeo quaerebat, quaenam esset Marcosiorum, qui soli Gallias infestabant, sed Ptolemaitarum sententia, ut ex libri primi praefatione constat. Certum est autem Ptolemaitarum, Valentinianorum, immo et ipsorum Marcosiorum, ceterorumque Gnosticorum haeresi, quam explanandam et confutandam sibi susceperat Irenaeus, longe acerbius vexatas fuisse orientales, quam occidentales provincias: adeo ut his scripti remedio consulere voluerit Irenaeus, potius quam illis, quibus ipse coram et viva voce facile mederi poterat. Sed esto, amicus ille apud Latinos egerit, non id tamen adversariorum caussae profuturum puto. Quid enim si ille, licet apud Latinos degens, Graecus aliquis exstiterit ex eorum numero, qui cum Pothino vel Irenaeo in Occidentem venerant? Iam ruit omnis, quae fingitur, necessitas scribendi latine. Quippe id unum sibi primo proposuerat Irenaeus, ut ipse

declarat in praefatione libri primi, ut breves ad eum commentarios et veluti memorialem quendam libellum mitteret, in quo paucis explicata Valentinianorum sententia, argumenta quaedam ad hanc evertendam opportuna suggereret: *ut et ille cognoscens portentuosissima et altissima* haereticorum *mysteria, ea omnibus, qui cum eo erant, manifesta faceret, et praeciperet eis observare se a profundo insensationis, et eius, quae est in Deum, blasphemationis.* Hinc postea hortatur eum, ut pro ea, qua praestabat, eruditione accepta semina et initia amplificaret, et quae paucis et invalide dicta erant, uberius explicaret, et patentius assereret iis *qui cum eo erant.* Et in fine libri primi, de eadem haeresi agens: *Conati sumus nos,* inquit, *universum male compositae vulpeculae huius corpusculum in medium producere, et per te facere manifestum. Iam non multis opus erit sermonibus ad evertendum doctrinam eorum manifestam omnibus factam .... Adest enim et tibi, et omnibus qui tecum sunt, ad haec quae praedicta sunt exerceri, et evertere nequam ipsorum doctrinas inconditas, et apta veritati ostendere dogmata.* Ex quibus colligere licet quod dixi, hoc primum Irenaeo consilium fuisse, non tam scriptis publicis valentinianam haeresin confutare, quam commentariis privatim ad amicum missis *ἐφόδια δοῦναι,* ut ipse ait, *πρὸς τὸ ἐπιδεικνύειν αὐτὴν ψευδῆ, subministrationem,* vel, ut alibi loquitur, *occasiones* seu argumenta *suppeditare ad falsitatem ipsius commonstrandam: ut et ille efficaciter reliquis ministraret, secundum gratiam quae ei a Domino data erat.* Quo supposito, iam nihil necesse fuerit Irenaeum, licet in Galliis scribentem, et in gratiam amici apud Latinos degentis, latine scripsisse. Satis erat hunc ea quae sibi instar memorialis cuiusdam libri destinabantur, intelligere; eadem deinceps uberiori sermone, pro data occasione, aliis explicaturum. Propositum quidem, ut superius dictum est, postea mutavit Irenaeus, et pro brevibus commentariis, ad maioris opus molis animum appulit: sed quod graece scribere coeperat, non propterea graece scribere destitit; continuavit potius, ratus amicum latine explicaturum, aut etiam conversurum quae sibi graeca mittebantur. Erit forte qui me diutius in his, quam par sit, immoratum esse conqueratur, quum iam communior sit inter eruditos sententia, Irenaeum graece scripsisse. Sed quum plures offenderim viros graece et latine doctissimos, qui id adhuc in dubium vocent; operae pretium visum est quaestionem paullo accuratius pertractare: ut vel eximerentur, qui superesse videbantur, scrupuli; vel saltem lector pensitatis aequa lance utriusque partis rationibus, iis calculum adiicere tutus possit, quas ponderosiores esse perspexerit.

53. Dolendum sane, quod textus Irenaei graecus, qui antiquis patribus tanto in pretio fuit, nullaque vetustate consumendus videbatur, integer tamen sic exciderit, ut ea duntaxat temporum edacitati subduci potuerint fragmenta, quae scriptis suis inseruere auctores graeci. Sed eadem fuit aliorum plurimorum eximiorum operum pessima sors. Constat Hermae *pastorem,* ut alios similes libros taceam, graece scriptum fuisse, tantumque apud Graecos auctoritate valuisse, ut apud quosdam, immo et apud Irenaeum, vix canonicis libris concederet. Huius tamen, ut et Irenaei, graeca sic interierunt, ut sola supersint fragmenta quae proferunt antiqui, cum integra interpretatione latina. Irenaei quidem

interpretationis auctor quis fuerit, hactenus incompertum. Sunt qui putant Irenaeum ipsum graece primum scripsisse, tum eadem latine convertisse. Sed parum s. doctoris honori consulunt illi. Irenaeus enim Irenaei sensum saltem assecutus fuisset, nec perperam accepisset expressissetque, uti saepissime accepit expressitque interpres. Graeculus quispiam potius exstiterit, latini sermonis plane rudis, nec admodum acri iudicio, qui e graecis bonis latina mala fecerit, alienosque sensus auctori suo non semel affinxerit. At quisquis ille fuerit; antiquissimam esse versionem latinam, et Irenaeo ipso vel adhuc in vivis superstite, vel nuper erepto, editam constat. Quin enim Tertullianus, qui paullo post scripsit, eam prae oculis habuerit, dum suum adversus Valentinianos librum elucubravit, negari non potest, nisi a solo Dodwello [1]). Quisquis alius Irenaeum latinum cum Tertulliano contulerit, e vestigio deprehendet adeo hunc vestigia illius premere, adeo verbis ipsis, verborumque figuris et ordini adhaerere, ut id unum sibi proposuisse videatur, paucioribus contrahere, iisdem saepe servatis verbis, immixtis tamen pro more dicteriis, quae ille fusioribus exsecutus est. Sic Irenaeus lib. I. cap. 11. n. 3. Epiphanis sententiam referens, scribit: *Est quidem ante omnes Proarche, proanennoëtos et inenarrabilis et innominabilis, quam ego monotetem voco. Cum hac monotete est virtus, quam et ipsam voco henotetem. Haec henotes et monotes, quum sint unum, emiserunt, quum nihil emiserint, principium omnium noëton et agenneton et aoraton, quam archem sermo monada vocat. Cum hac monade est virtus eiusdem substantiae ei, quam et eam voco hen. Hae autem virtutes, id est, monotes et henotes et monas et hen, emiserunt reliquas emissiones Aeonum.* Tertullianus vero cap. 37. *Est,* inquit, *ante omnia Proarche, inexcogitabile et inenarrabile, quod ego nomino monoteta. Cum hac erat alia virtus, quam et ipsam appello henoteta. Monotes et henotes, id est, solitas et unitas, quum unum essent, protulerunt, non proferentes, initium omnium intellectuale, innascibile, invisibile, quod sermo monada vocavit. Huic adest consubstantiva virtus, quam appellat unio. Hae igitur virtutes, solitas, singularitas, unitas, unio, ceteras prolationes Aeonum propagarunt.* Ubi eadem verba (nisi quod graeca quaedam latine vertuntur), eadem stili barbaries, atque apud Irenaei interpretem occurrunt. Hic n. 5. *Alii rursus ipsorum primam et archegonon octonationem his nominibus nominaverunt: primum Proarchen, deinde Anennoëton, tertiam autem Arrheton, et quartam Aoraton. Et de prima quidem Proarche emissum esse primo et quinto loco Archen, ex Anennoëto secundo et sexto loco Acatalepton, et de Arrheto tertio et septimo loco Anonomaston, de Aorato autem quarto et octavo loco Agenneton.* Tertullianus cap. 25. totidem verbis. *Primo enim constituunt Proarchen, secundo Anennoëton, tertio Arrheton, quarto Aoraton. Ex Proarche itaque processisse primo et quinto loco Archen: ex Anennoëto, secundo et sexto loco Acatalepton: ex Arrheto, tertio et septimo loco Anonomaston: ex invisibili, quarto et octavo loco Agenneton.* Certe si e graeco immediate exscripsisset omnia haec Tertullianus, tot nomina graeca latine vertisset; nec fortuito et casu fieri potuit, ut hoc illi cum Irenaei inter-

1) Dodwell. Diss. V. in Iren. §. 6.

prete convenerit. Hic cap. 12. n. 3. Colorbaseorum hypothesin sic exponit. *Quando cogitavit aliquid emittere Propator, hoc Pater vocatu est; at ubi quae emisit, vera fuerunt, hoc Alethia vocatum est. Quum ergo voluit semetipsum ostendere, hoc Anthropos dictus est. Quos autem praecogitaverat posteaquam emisit, hoc Ecclesia vocata est. Locutus est Anthropos Logon, hic est primogenitus Filius. Subsequitur autem Logon Zoë, et sic prima octonatio completa est.* Ille cap. 36. *Quum, inquiunt, cogitavit proferre, hoc Pater dictus est. Quum protulit, quia vera protulit, hic Veritas appellata est. Quum semetipsum voluit probari, hoc Homo pronuntiatus est. Quos autem praecogitavit, quum protulit, tunc Ecclesia nuncupata est. Sonuit Homo sermonem, et hic est primogenitus Filius: et sermoni accessit Vita: et ogdoas prima conclusa est.* Plura alia similia passim occurrunt apud Tertullianum. Sed quod demum ostendit hunc non e Graeco, sed ex interprete Irenaei sumsisse quae refert, illud est, quod ubi lapsus est interpres graeca perperam reddens, lapsus est et Tertullianus. Ille, ut iam dixi, nomen Ἐπιφανὴς appellativum esse putans, male omnino vertit *clarus*. Tertullianus similiter errantem secutus scripsit *insignior*. Irenaeus cap. 2. n. 3. Sophiae perturbationem enarrans, scribit eam, fetum informem quum peperisset, *primo quidem contristatam propter inconsummationem generationis, post deinde φοβηθῆναι μὴ καὶ αὐτὸ τέλος ἔχῃ.* Sic saltem legit interpres; vertit enim, *timuisse ne hoc ipsum finem habeat;* ubi *τέλος perfectionem,* non *finem* vertendum erat, ut in notis ad hunc locum diximus. Nec melius Tertullianus cap. 10. *primo quidem contristari propter inconsummationem generationis, et metuere postremo, ne finis quoque insisteret.* Ubi similiter *τὸ ἀτελὲς τῆς γεννήσεως* vertit *inconsummationem generationis;* et relicto Irenaeo graeco, latinum interpretem secutus, scripsit, *ne quoque finis insisteret.* Eodem cap. n. 4. refert Irenaeus, quod Pater per Monogenem emiserit Horon in imagine sua, *ἀσύζυγον, ἀθήλυντον*: ubi interpres perperam legens *ἀσυζύγῳ, ἀθηλύντῳ,* vel, ut alii volunt, *ἀῤῥενοθήλει,* perperam et vertit, *sine coniuge masculo-femina.* Eadem culpa tenetur et Tertullianus cap. cit. *Pater per Monogenem Nun, quem supra diximus Horon in haec promit in imagine sua femina-mare.* Nempe uterque id ad imaginem refert, quod Horo soli convenire posse recta ratio demonstrat. Culpam hanc non sustineret Tertullianus, si textum graecum hic potius quam interpretem consuluisset. Paullo post, Sophian ab Horo mundatam et confirmatam, ac suae restitutam coniugationi quum dixisset Irenaeus, addit: *Χωρισθείσης γὰρ τῆς ἐνθυμήσεως ἀπ' αὐτῆς σὺν τῷ ἐπιγινομένῳ πάθει, αὐτὴν μὲν ἐντὸς πληρώματος μεῖναι· τὴν δὲ ἐνθύμησιν αὐτῆς σὺν τῷ πάθει ὑπὸ τοῦ Ὅρου ἀφορισθῆναι καὶ ἀποσταυρωθῆναι.* Quae sic reddidit interpres: *Separata enim intentione ab ea, cum appendice passione, ipsam quidem infra pleroma perseverasse: concupiscentiam vero eius cum passione ab Horo separatam et crucifixam et extra eum factam esse etc.* ubi duo peccat, primum quod *σὺν τῷ ἐπιγινομένῳ πάθει* vertit *cum appendice passione;* vertendum erat *cum passione quae supervenerat.* Secundum, quod *ἀποσταυρωθῆναι* vertit *crucifixam;* hic significat, quasi *vallo cinctam et disiunctam* a pleromate. Eadem omnino peccat et Tertullianus, scribens: *Enthymesin eius et illam*

appendicem passionem ab Horo relegatam et crucifixam. Haec et plura alia, quae identidem in notis observavi, invicte, ni fallor, probant, Tertullianum, ut graecum Irenaeum legerit (quod non nego), ab eo tamen saepe defecisse, ut latini interpretis, et quidem interdum errantis vestigia sectaretur.

54. Eandem latinam interpretationem, sed iam vitiosam, prae oculis habuisse videtur Cyprianus, dum epist. 74. (edit. Oxon.) ad Pompeium de Cerdone et Marcione scribit: *Cuius* (Marcionis) *magister Cerdon sub Hygino tunc episcopo, qui in urbe nonus fuit, Romam venit: quem Marcion secutus, additis ad crimen augmentis, impudentius ceteris et abruptius in Deum Patrem creatorem blasphemare instituit.* Quae iisdem paene verbis habentur lib. I. c. 27. n. 1. et 2. nisi quod mendoso codice usus Cyprianus *nonus* legerit pro *octavus*. Cyprianum autem graece doctum fuisse, nullo argumento constat: adeo ut probabilius sit latinum interpretem legisse, uti et legerat magister eius Tertullianus Legit et Augustinus: ex eo quippe testimonia duo depromsit, citavitque contra Iulianum Pelagianum, lib. I. c. 3. et 7. quae etiamnum totidem fere verbis exstant apud Irenaeum latinum lib. IV. cap. 2. n. 7. et lib. V. c. 19. n. 1. Paucos deinceps e Latinis reperias, ex iis etiam qui veterum patrum testimoniis studiose collectis veluti centones ac Catenas, ut vocant, contexuerunt, qui Irenaeum allegaverint. Faciebat exemplarium latinorum penuria, tanta iam ab ipso septimo, aut sexto desinente saeculo, ut quum Aetherius lugdunensis episcopus nulla apud Lugdunenses ipsos nancisci posset, litteris Gregorium Magnum [1]) adierit, ut *gesta vel scripta B. Irenaei* ab eo acciperet. Cui respondet Gregorius: *Gesta vel scripta B. Irenaei iam diu est quod sollicite quaesivimus: sed hactenus ex eis inveniri aliquid non valuit.* Ea vero tantae penuriae fuisse videtur caussa, quod exstinctis iam haeresibus ab Irenaeo confutatis, aliisque in dies emergentibus, quae nihil cum veteribus illis affine haberent; ac tum stili barbarie, tum argumenti difficultate deterritis et lectoribus et librariis, his ne exscriberent, illis ne legerent, eximii operis usus paene exoleverit. Huius tamen superfuere semper exemplaria aliqua: sed quae Gregorii M. aetate in forulis bibliothecarum delitescebant, inde demum novissimis hisce saeculis, Dei beneficio, extracta novam lucem adspexerunt. Sed fecit ea, quam dixi, stili barbaries et argumenti difficultas, ut librariis scribendorum sensum saepe minus assequentibus, non admodum sana ad nos pervenerint. Ea etiam fuit audaculorum quorundam temeritas, ut resectis postremis libri quinti capitibus, quibus millenariorum error asseritur, mutilum ediderint: adeo ut pauciss'mos codices MSS. reperire sit, in quibus integer appareat, ut in praefatione dixi. Immo existimat clariss. Grabius in suis in Irenaeum prolegomenis Sect. II. §. 6. librum V. adhuc in fine magna parte mutilum esse. Id autem ex eo probare se posse putat, quod Irenaeus tum in fine libri IV. tum in praefatione libri V. pollicetur se *ex reliquis doctrinae Domini et ex apostolicis epistolis conaturum ostensiones facere*, videlicet *unum et eundem esse Patrem, factorem mundi huius, eum qui locutus sit ad Abraham, qui legisdationem fecerit, qui prophetas praemiserit, qui Fi-*

1) Greg. Mag. lib. XI. ep. 56. ad Aether. lugdun. episc. To. II. no. edit.

lium suum miserit, salutem suo plasmati donans, quod est carnis substantia. Atqui, inquit, ut carnis resurrectionem multis argumentis probaverit Irenaeus, ut etiam promissam ex verbis Christi, citra parabolarum involucrum prolatis, demonstrationem de uno Deo mundi creatore, eodemque Patre Servatoris nostri cap. 21. demum aggressus fuerit; eo tamen confestim longius inde digresso, reliquae ex verbis Christi et apostoli Pauli scriptis petitae demonstrationes unius et eiusdem in veteri et N. Testamento Dei perierunt; quod librarii exosam sequiori aetate millenarii regni doctrinam ulterius describere nollent, ideoque filum abruperint. Sic ille. Sed mirari subit, quod post descriptam exosam illam millenarii regni doctrinam, prolixamque ea de re Irenaei argumentationem, quae iam absoluta videbatur, praeposterus librarios omnes incessere coeperit scrupulus, idque ulterius describere noluerint quod ad eam doctrinam nihil aut parum spectare videbatur. Haud certe attendit vir doctissimus, Irenaei scopum in hoc libro v. nec fuisse, nec esse potuisse, ex verbis Christi et apostoli Pauli scriptis generatim demonstrare, unum esse Deum mundi creatorem, eundemque Patrem Servatoris nostri, ne actum superioribus libris ageret. Id ipse declarat in fine libri IV. *Quoniam,* inquit, *multi quidem Domini sermones, unum autem et eundem annuntiant Patrem, factorem mundi huius; oportebat et nos propter eos, qui in multis erroribus continentur, per multa confutare, si quo modo possent per multa confutati ad veritatem converti et salvari.* Quae igitur agenda supererant? Duo haec. 1°. *post Domini sermones subiungere quoque Pauli doctrinam, et examinare sententiam eius, et apostolum exponere, et quaecunque ab haereticis in totum non intelligentibus quae a Paulo dicta sunt, alias acceperunt interpretationes, explanare, et dementiam insensationis eorum ostendere: et ab eodem Paulo, ex quo nobis quaestiones inferunt, manifestare illos quidem mendaces, apostolum vero praedicatorem esse veritatis, et omnia consonantia veritatis praeconio docuisse, unum Deum Patrem, eum qui locutus sit ad Abraham, qui legisdationem fecerit, qui prophetas praemiserit, qui novissimis temporibus Filium suum misit, et salutem suo plasmati donat, quod est carnis substantia.* Id ergo primum sibi proponebat Irenaeus, pravas, quas apostoli verbis haeretici subiiciebant, explicationes confutare; nec hoc tantum, sed et ostendere apostolum docuisse, non quidem, ut perperam existimavit Grabius, unum esse Deum Patrem qui locutus sit ad Abraham etc. id enim abunde praestiterat libro tertio, ubi, ut ipse ait in praefatione libri v. *apostolorum doctrina explanata* fuerat: sed unum et eundem Deum Patrem, eum quem ad Abraham locutum fuisse, et legisdationem fecisse iam demonstratum fuerat, *novissimis temporibus Filium suum misisse, ut salutem suo plasmati donet, quod est carnis substantia.* Hoc enim argumentum quum nondum satis hactenus edisseruisset, uberius libro v. pertractandum reservaverat. Fuse vero pertractavit ab initio usque ad caput 17. Alterum erat quod Irenaeo agendum restabat, scilicet *reliquos sermones Domini, quos quidem non per parabolas, sed simpliciter ipsis dictionibus docuit de Patre, disponere.* Quod praestitit a cap. 17. usque ad 25. a quo de Antichristo, tum de millenario Christi regno usque ad libri finem disserere incipit. Scopum igitur quum

attigerit Irenaeus, fidemque liberaverit, frustra librum quintum magna parte mutilum esse contendit Grabius.

55. De latinis, qui supersunt, Irenaei codicibus MSS. in praefatione disserui. De graecis nihil est quod dicam: nulli enim, qui saltem noti sint, hodie supersunt. *Testantur*, ait Feuardentius in Commonitione ad lectores suae editioni praefixa, *nonnulli pii et docti viri, se graecum exemplar in venetiana bibliotheca legisse; alii quoque in vaticana visum ferunt: quae tamen*, addit, *ibi postea frustra quaesita sunt.* In bibliotheca quidem vaticana nullum exstare MS. Irenaei codicem graecum, immo nec iam latinum, constat. In veneta vero si quis forsitan esset, quod non puto, suo pulvere sepultus aeternum iaceret. Neque enim istius bibliothecae codicibus lucem adspicere permittitur. Sic factum est, ut archetypus ille graecus textus, longe elegantior et maiori in pretio apud veteres quam latinus, longe saepius, diutius, et a pluribus Graecis transscriptus, tritus et citatus, quam usquam fuerit a Latinis interpretatio latina, quae Gregorii M. aetate adeo rara erat, ut nulli eiusdem codices reperiri potuerint, hac tamen salva et superstite perierit. Illius enim non tantum Gregorii aevo, sed diu post, frequentes exstitere codices, ut patet ex Germano Constantinopolitano, Photio, Ioanne Damasceno et aliis pluribus, qui hunc allegarunt: quanquam tamen non existimem ea omnia graeca Irenaei fragmenta quae in Ioannis Damasceni MS. cod. Claromontano inserta leguntur, ab ipso Ioanne Damasceno exscripta fuisse. A Graeco recentiori collecta fuisse videntur. Sed de hoc fusius disserit is qui novam editionem operum S. Ioannis Damasceni adornavit, vir eruditione singulari, nec minori humanitate conspicuus R. P. Michael Lequien, Ordinis Praedicatorum, To. II. eiusdem editionis. Sunt qui putant, nec improbabiliter, praeter latinam quinque Irenaei librorum interpretationem, alteram syriacam exstitisse. Nam Ephrem diaconus Edessenus, qui graece nesciebat, integrum ex lib. I. c. 8. n. 1. locum exscripsit, inseruitque capitulo 8. Tractatus de Virtute; qui quidem tractatus ei vulgo adscribitur, nec, quin adscribatur, quidquam repugnat.

56. Id vero utrique textui, tum graeco, tum latino commune fuit, ut divisus quidem in libros quinque, nullis vero capitibus, aut capitum argumentis distinctus prodierit. Divisionem in libros quinque indicat ipse Irenaeus in fine et initio cuiusque libri, ubi insuper summatim repetitis iis quae praecedenti libro pertractaverat, sequentis argumentum dilucide ac breviter aperit. Sed deinceps continuum procedit orationis filum, sicque contextum, ut nulla partitionis cuiuscunque se prodant vestigia, nullae transitiones, aut aliud quidpiam quod capitis unius finem et initium, aut stilum interruptum probet. Hinc qui e veteribus Irenaeum allegarunt, Eusebius, Epiphanius, Theodoretus, Augustinus et alii, librum saepe designant, caput vero aut quodvis alius divisionis genus, nusquam. Hinc etiam in omnibus MSS. codicibus latinis liber quintus continuo nec interrupto stilo ab initio ad finem usque procedit, nullaque apparent capita, capitumque argumenta. Primi omnium hunc in capita secuerunt Gallasius et Feuardentius, quanquam nec eodem modo; praefixo unicuique capiti suo argumento. Nam antea Erasmus et Grynaeus librum hunc ediderant, qualem MSS. codices exhibebant. Hinc denique nec in aliis libris, in secundo praesertim, secum invicem con-

sentiunt MSS. codices, in quibus alia atque alia divisio occurrit: in his longiora capita, in illis breviora: in istis maior capitum numerus, in illis minor. Quam etiam in suos codices invexere divisionem recentiores Graeci, a latina procul discedebat: minutiora quippe illius quam huius capita, ut sollerter colligit doctissimus Grabius ex Procopii Gazaei Comment. in cap. 3. Geneseos, ubi ea quae Irenaeus lib. III. cap. 23. (alias 38.) n. 5. de pelliceo Adami vestimento docet, tanquam ex cap. 59. et 65. allegat. Quibus omnibus id conficitur, Irenaeum de textu in certa capita dividendo ne cogitasse quidem, immo nec veterem interpretem. Divisionis huius auctores, recentiores quipiam, seu librarii, seu alii quivis; sed adeo imperiti, iudicioque destituti, ut omnia susque deque miscentes, orationisque filum temere ac perperam abrumpentes, ea plerumque secuerint, quae continua esse debebant, et saepissime ab iis verbis novum caput inceperint, quae vix colo distinguenda erant a praecedentibus. Uno verbo textum misere lacerarunt potius quam diviserunt. Huius rei experimentum fieri potest in omnibus quae hactenus prodierunt Irenaei editionibus. Eadem iudicii maturitate atque sollertia concinnata, quae singulis quatuor priorum librorum capitibus praefixa leguntur argumenta. Ex veteris quidem interpretis verbis plerumque condita sunt, novis tamen non raro fabricatis, quasi de barbarie sermonis contentio fuisset: sed adeo insulse atque inepte disposita, ut saepissime vel nihil minus quam subiecti capitis scopum atque consilium, vel id perperam, vel levissimam duntaxat eiusdem particulam, eamque minus praecipuam, lectoribus exhibeant. Antiquissima quidem ea esse non negaverim, utpote quae in vetustioribus quibusque MSS. codicibus, quanquam alia atque alia ratione collocata, occurrant. Sed quantumvis antiqua sint; ex quo certum est Irenaeum ipsum auctorem non habere, lectoribusque incommodo potius quam levamento esse, haud aliter spectanda quam ut imperiti cuiuspiam opus, illi Irenaei perperam additum.

57. Utrique malo, ineptae videlicet Irenaei textus divisioni, et ineptioribus adhuc argumentis consulendum esse dudum censent eruditi. Posteriori iam consuluerat Ioannes Iacobus Grynaeus in sua Irenaei editione: nam veteribus maxima ex parte sublatis, novas, easque aptiores capitum *περιοχὰς* adiecit. Displicuit consilium Feuardentio, nam veteres summulas restituit; eo nomine, ut puto, quod antiquae essent: quasi rebus absurdis auctoritatem et pretium adderet antiquitas. Displicuit et Grabio, qui male a Grynaeo factum palam pronuntiat. An vero melius a Grabio ipso? Iudicium penes lectores esto. Sic enim vetera argumenta restituit, ut spreta codicum auctoritate, qua tamen sola fretus retinenda ea esse censuit, proprio arbitratu disposuerit, transposueritque, interdum uno et eodem in plura dissecto, interdum pluribus in unum congestis. Ex quo factum, ut pluribus capitibus aliquando idem, aliquando etiam nullum omnino, aliquando quod nihil aut parum conveniat, argumentum praefigatur. Tutius forte ab omnibus iis incommodis sese expediret, qui rem ad Irenaei institutum revocans, textum eius nullis capitibus et argumentis distinctum ederet. Haecque fuit doctorum aliquot hominum, quos consuluimus, sed paucorum sententia. Alii vero, iique multo plures, secus sensere; eorumque iudicium praevaluit, hac potissimum ratione nixum, quod lector divisioni et argumentis iam assue-

tus non modicam ex iis, si modo recte fiant, utilitatem colligere possit. Quare nova et commodiori capitum instituta divisione, nova singulis argumenta praefiximus, quibus uniuscuiusque scopus et consilium lectoris oculis summatim exhibetur, ut iam in praefatione diximus.

ARTICULUS TERTIUS.

DE ALIIS IRENAEI SCRIPTIS.

58. Pluribus aliis, iisque egregiis operibus christianam et catholicam fidem illustravit Irenaeus; sed quae temporum iniuria sic excidere, ut ea duntaxat supersint fragmenta, quae suis in scriptis servaverunt antiqui patres. Scripsit adversus Florinum epistolam, cuius insigne fragmentum transscripsit Eusebius [1]), et nos ex ipso ad calcem huius operis edidimus. Florinus vero, Irenaeo teste, *in imperatoris aula splendide agens,* munus aliquod gesserat *in inferiore Asia,* quum ibi sanctitatis et doctrinae laude floreret Polycarpus. Tanti viri fama permotus, se in eius disciplinam tradidit, nihilque non egit ut sese ipsi probaret. Factus postea romanae ecclesiae presbyter, tum in errorem lapsus, aliorumque fidem sollicitans, ut eiusdem erroris reos faceret, gradu deiectus est [2]). Condiscipuli, quem apud Polycarpum viderat noveratque, casum dolens Irenaeus, eumque ab errore revocare cupiens, scripsit adversus eum epistolam *περὶ τῆς μοναρχίας, ἢ περὶ τοῦ μὴ εἶναι τὸν θεὸν ποιητὴν κακῶν, de monarchia, sive quod Deus non sit conditor malorum. ταύτης γάρ τοι τῆς γνώμης,* addit Eusebius, *οὗτος ἐδόκει προασπίζειν, eam enim opinionem hic defendere videbatur* [3]). Quae quidem sic explicat H. Valesius, quasi Florinus Marcionis et Cerdonis dogmatibus adhaerens, duo principia invexisset, alterum bonorum, alterum malorum auctorem. Sed repugnat Irenaeus scribens, Florini *dogmata ne quidem haereticos extra ecclesiam positos proferre unquam ausos fuisse.* Gravior igitur quam Cerdonis ac Marcionis erat Florini error: ac proinde in eo positus fuisse videtur, quod non, ut illi, duplicem Deum, alterum boni, alterum mali auctorem fingeret; sed in unum et eundem Deum, tanquam in caussam, mala omnia ac peccata refunderet: quod revera nullus hactenus haereticus proferre ausus fuerat. Unde licet pro *μοναρχίᾳ,* seu principii unitate contra Marcionitas cum Catholicis decertaret; hanc tamen peius illis violabat, dum malis omnibus contaminabat. Irenaeus vero retinendam esse *μοναρχίαν,* nec tamen malorum labe adspergendam esse, tam vere, quam pie contendebat. Quam vero a pestifera Florini doctrina alienus exstitisset, quamque nefarium dogma exhorruisset Polycarpus, quem dudum praeceptorem audierat, ei ob oculos ponit: ut tanti praeceptoris memoria devium in catholicae veritatis viam efficacius reduceret. Philastrius [4]) Florianorum quorundam haereticorum meminit; sed quos Carpocratianorum surculum esse dicit. Gennadius [5]) vero Florianum, seu Florinum culpat, quod carnem mali caussam esse crediderit. Quae quidem, si uterque Florinum nostrum intellexerit, non omnino cum Eusebio et Irenaeo, quibus potior fides, consentiunt. Quid-

1) Euseb. lib. V. c. 20. 2) Ibid. c. 15. 3) Ibid. c. 20. 4) Philast. c. 57. 5) Gennad. Dogm. c. 76.

quid sit, Florinus Irenaei rationibus et argumentis victus, non tamen convictus ne hinc Deum ipsum auctorem mali faceret, illinc vero a *μοναρχίᾳ*, quam hactenus propugnaverat, deficiens, cum Cerdone et Marcione duplicem Deum induceret; mediam, ut sibi videbatur, inter utrumque extremum Valentini sententiam amplexus, cum eo insanire maluit, quam cum Catholicis sapere. Quare Irenaeus illius salutis semper sollicitus, eumque e novo illo, in quod praeceps sese dederat, barathro extrahere studens, scripsit librum *περὶ Ὀγδοάδος, de Ogdoade,* vel, ut habet Hieronymus in Catalogo, *de Octava,* cuius clausulam duntaxat refert Eusebius[1]). Utinam saltem opusculi, seu, ut vocat, *σπουδάσματος* illius argumentum exhibuisset. Id fuisse videtur, ut famosam Valentinianorum ogdoada, seu primigenum illum Aeonum octonarium, ceterorum omnium radicem, brevi scripto, selectisque rationibus convelleret; quem fusiori stilo vel iam exagitaverat, vel tum exagitabat in longiori illo *de detectione et eversione falso cognominatae agnitionis.* Nec enim mihi constat, an iam ad umbilicum perductum esset hoc opus. Scribit quidem Theodoretus[2]), non affirmat tamen (*ferunt,* inquit), Irenaeum Florini morbum deplorantem, scripsisse adversus Valentinum. Sed incertum, an quinque *detectionis et eversionis* libros, an breve illud *περὶ ὀγδοάδος* opusculum intellexerit. Utrumque enim adversus Valentinum scriptum fuisse videtur.

59. Scripsit Irenaeus alteram epistolam adversus Blastum, quam inscripsit *περὶ σχίσματος, de schismate*[3]). Hic quoque presbyter romanae ecclesiae *σὺν τούτῳ (Φλωρίνῳ) παραπλησίῳ πτώματι κατεσχημένος,* non simili errore cum Florino implicatus fuerat, ut perperam vertit Valesius, sed similem cum illo depositionis sententiam exceperat. Utrique quidem hoc commune fuit, quod multos ab ecclesiae gremio abstrahentes, in suam sententiam perducerent, et *τὸν ὑγιῆ τῆς ἐκκλησίας θεσμόν,* sinceram ecclesiae legem adulterarent: sed praeterea *θάτερος, alter,* Florinus videlicet, non *uterque,* ut hic etiam male reddidit Valesius, seorsim novam doctrinam adversus fidei veritatem invehere laborabat. Utrumque in Valentini haeresin incidisse significat Theodoretus citatus, postea vero Blastum inter Marcionis discipulos annumerat; sed praeter Eusebii et Irenaei mentem: una schismatis culpa tenebatur Blastus; unde et inscripta adversus eum epistola, *de schismate.* Quae vero schismatis huius caussa fuerit, docet antiquus auctor Additamenti quod ad calcem libri de Praescriptionibus exstat apud Tertullianum[4]): quod nimirum *Blastus latenter Iudaismum vellet introducere: pascha enim dicebat non aliter custodiendum esse, nisi secundum legem Moysi,* XIV. *mensis.* Quae etiam Florini culpa fuit; idque significat Eusebius, dum ait sinceram ecclesiae (non dicit *fidem,* sed) *legem* adulteratam ab utroque fuisse. Quum enim alter Polycarpi discipulus fuisset, alter, Paciano[5]) teste, Graecus esset, Asianum paschatis celebrandi morem Romam inducere satagebant: sicque pascha praeter huius ecclesiae consuetudinem celebrantes, eam scindebant turbabantque. Merito proinde Pacianus Blastum Montanistis adhaesisse scribit; non quod novis prophetis fidem adhibe-

1) Euseb. c. 20. 2) Theod. lib. I. c. 23. 3) Euseb. c. 15. et 20. 4) Tertull. de Praescr. c. 53. 5) Pacian. Ep. I.

ret: sed quod et ipsi Montanistae pascha luna XIV. primi mensis celebrandum esse vellent. Porro utraque Irenaei tum adversus Florinum, tum adversus Blastum epistola eodem tempore scripta videtur. Quo vero anno? incertum. Quum tamen Eusebius utramque ad Commodi imperium et Eleutheri pontificatum referat, sub utriusque finem scriptam fuisse probabilius videtur.

60. De aliis, quas tum ad Victorem papam, tum ad alios scripsit Irenaeus, epistolis de festo paschatis, disseruimus in eius vita. Ex aliqua istarum epistolarum depromtum videtur, quod ex Irenaeo citat auctor Quaestionum et Resp. ad Orthod. inter opera Iustini, Quaest. 115. non flectendum esse genu, neque dominico die, neque 50. illis quae sequuntur pascha. Editum ab eodem Irenaeo *πρὸς Ἕλληνας λόγον συντομώτατον καὶ τὰ μάλιστα ἀναγκαιότατον, περὶ ἐπιστήμης ἐπιγεγραμμένον,* brevissimum et in primis necessarium librum, seu potius Sermonem, vel Orationem adversus Graecos, vel, ut vertunt alii, adversus Gentes, qui *de Scientia* inscribebatur, memorat Eusebius [1]): cuius mentem perperam accepit, aliisque perperam accipiendi ansam dedit Hieronymus, dum ait in Catalogo, scriptum ab Irenaeo *contra gentes volumen breve, et de disciplina aliud:* quasi opusculum contra Gentes ab illo de disciplina seu scientia diversum fuisset. Meminit uterque alterius Irenaei Sermonis Marciano fratri nuncupati, qui demonstrationem continebat apostolicae praedicationis, et libelli *διαλέξεων διαφόρων, variarum disputationum,* vel, ut vertit Hieronymus, *variorum tractatuum,* in quo epistolae ad Hebraeos, et Sapientiae Salomonis mentionem faciebat, et quasdam sententias ex istis libris adducebat. Quis vero esset auctoris in his omnibus opusculis seu libris scopus, quodve consilium, tacentibus veteribus, dici non potest: soli sagacissimo Dodwello dicere licet, qui plura de iis pro more disputat, nec verbis et coniecturis parcit: sed Dodwellianae coniecturae sunt, quas qui legerit, miratur et dissertatorem multa dixisse ut nihil diceret, lectorem vero multa legisse ut nihil disceret. Pollicitus est Irenaeus [2]), nec semel, Marcionem speciatim se confutaturum, huiusque promissi meminit Eusebius [3]). At liberatam ab Irenaeo fidem satis significat idem Eusebius, quum eum recenset inter illos qui Marcionem egregiis operibus confutarunt. Citat Maximus [4]) abbas et confessor quosdam Irenaei episcopi Iugdunensis Sermones de Fide, ad Demetrium viennensem diaconum, quorum etiam initium et sententias aliquas graece refert. Aliud fragmentum ex Sermone ad Demetrium edidit Feuardentius, sed latine duntaxat: quod quidem a N. Fabro accepisse se dicit; sed unde hic acceperit, dicere omisit. Si graeca adessent, emendatius forte prodire posset. At quum eiusmodi Sermones Eusebio et Hieronymo ignoti fuerint, dubium est an genuini sint Irenaei fetus. Paullo aliter sentiendum puto de iis quae Irenaeo tribuit verbis Oecumenius in Comment. ad I. Petri epist. cap. 3. Haud dubitem, quin depromta sint ex celebri Lugdunensium et Viennensium de martyribus suis epistola, quam ab Irenaeo ipso scriptam fuisse valde probabile esse diximus, confirmatque is Oecumenii locus. Hic enim ea desumsisse se

1) Euseb. lib. V. c. 26. 2) Iren. lib. I. cap. 27. n. 4. et lib. III. c. 12. n. 13. 3) Euseb. lib. V. c. 8. Id. lib. IV. cap. 25. 4) Maxim. To. II. p. 152.

dicit ex iis quae scripsit Irenaeus *περὶ Σάγκτου καὶ Βλανδίνης, de Sancto et Blandina;* non quidem verbo ad verbum, sed compendium verborum faciens: *ὡς δὲ διὰ βραχέων παραθέσθαι ἔστι ταῦτα.* Et revera quae ibi de Sancto et Blandina recitat Oecumenius, ad ea quae in citata Lugdunensium epistola referuntur, satis quadrant: adeo ut aliunde accipi potuisse non videantur.

61. Explicatam ab Irenaeo Ioannis Apocalypsin tradit Hieronymus in Catalogo [1]): *Quam,* inquit, *interpretantur Iustinus martyr et Irenaeus.* Hinc tamen colligi posse non puto integros ab Irenaeo editos fuisse commentarios in Apocalypsin; nec ea Hieronymi mens fuisse videtur. Respiciebat Hieronymus ad varia Apocalypseos loca, quae in suis quinque libris explicat Irenaeus, et praesertim in quinto, sub cuius finem de millenario Christi regno et de Antichristo disserens, plura sacri huiusce libri testimonia interpretatur, et ad institutum accommodat. Quidam, Photio teste, Irenaeo adscribebant librum cui titulus *de Universo* seu *de Substantia mundi* [2]). Sed Caii presbyteri romani et Irenaei discipuli opus esse verisimilius est. De aliis quae ad calcem edidimus Irenaei fragmentis proprio loco diximus. Haec sunt quae de tanti viri scriptis dicenda nobis erant. Iam de variis doctrinae eius capitibus sermo instituendus est.

DISSERTATIO TERTIA.

DE IRENAEI DOCTRINA.

1. Solius supremi numinis est nec falli, nec fallere posse: mortalium omnium, nisi singulari Dei beneficio, solis scriptoribus sacris concesso, eximantur, ea est sors et conditio, ut eos a vero devios error interdum decipiat. Nullum igitur opus adeo castigatum, numerisque omnibus absolutum, quin naevis quibusdam inspergatur, pluribus aut paucioribus, maioribusque vel minoribus, pro maiori aut minori scriptoris diligentia et eruditione. Neutra quidem Irenaeo defuit: ita tamen sibi semper non cavit, ut aliquando non offenderit, sed plerumque levius: sicubi vero paullo gravius, eo magis error condonandus, quo nondum satis ad liquidum exploratis certis quibusdam doctrinae christianae capitibus, vix fieri poterat, ut attentioribus etiam animis nebulas non offunderent praeconceptae quaedam ac communes priorum saeculorum opiniones. Ut vero excusandus non est Irenaeus, ubi lapsus est; sic nec temere culpandus, ubi culpa vacat, nec aliena ei affingenda dogmata quae respuit. Sunt enim homines, quibus omnia auctorum dicta excusanda videntur: sunt et alii qui infesto dente carpunt quidquid minus intelligunt: sunt alii denique qui apud veteres ecclesiae patres videre se putant, quod videre cupiunt, ut erroris consortes habeant. Ne ad eosdem scopulos appellamus, visum est praecipua quaeque doctrinae Irenaei capita, quam breviter fieri poterit, percurrere; et si quid lapsus est, id adnotare; si quid vero alienum adfingitur, id ab eo depellere.

---

1) Hieron. in Catal. c. 19. 2) Phot. cod. 48.

2. Observat Photius, *in aliquibus* Irenaei *scriptis ecclesiasticorum dogmatum certam veritatem spuriis rationibus fucari.* Sic saltem graeca haec interpretor: *εἰ καὶ ἔν τισιν αὐτῶν (συγγραμμάτων καὶ ἐπιστολῶν) ἡ τῆς κατὰ τὰ ἐκκλησιαστικὰ δόγματα ἀληθείας ἀκρίβεια νόθοις λογισμοῖς κιβδηλεύεται.* In quae Irenaei scripta, scriptorumque loca digitum intenderit Photius, incertum. Sed si is sit Photii verborum sensus, infirma interdum argumenta, ad probandas certas fidei veritates, ab Irenaeo adhiberi; levissimum vitii genus est, omnibus fere scriptoribus commune, quodque eo difficilius cavere quis potest, quo adversarios studiosius insectatur, ac omnigenis argumentis obruere nititur. Quis enim auctor tantum valeat, ut ea omnia, quibus adversarios refellit, argumenta, totidem demonstrationes sint? Vix fieri potest, quin, si praesertim de una et eadem re multa sint, alia aliis efficaciora vel infirmiora sint. Deinde ut de rationum quarumcunque pondere et efficacia iudicium feramus, aequitatis ratio postulat, ut ad id attendamus in quod potissimum intendebat auctor. Si quidem plures Irenaei ratiocinationes in se ipsis et a scopo auctoris praecisae spectentur, infirmae videbuntur; secus vero, si consilii eius habeatur ratio. Quia in apertis Scripturarum verbis nulla erant vanissimis haereticorum dogmatibus praesidia, alia sibi in parabolis et allegoriis, quas pro libito interpretabantur, comparare sibi studebant. Cassa et futilia esse merito contendit Irenaeus [1]). *Nam*, inquit, *parabolae debent non ambiguis adaptari.* Absurdissimum quippe est ea *quae non aperte dicta sunt, neque ante oculos posita, copulare absolutionibus parabolarum, quas unusquisque prout vult, adinvenit.* Ne tamen hoc, infirmo licet, praesidio gloriarentur haeretici, fucumque facerent imperitis; id sibi libro quarto praesertim probandum suscipit, desperatam eorum caussam parabolis nihil iuvari, et si quid valeat id argumenti genus, totum in pravorum dogmatum ruinam cedere. Quisquis ergo queritur, ea interdum a parabolis et allegoriis ad probandas fidei veritates argumenta ab Irenaeo duci, quae parum roboris habere videntur; meminerit et s. doctorem non nescium fuisse, quid quantumque valerent eiusmodi argumenta secundum se spectata: ab eo tamen pro iure suo usurpari, quia usurpandi exemplum primi dederant ii quos refellebat. Unde argumenta erant velut ad hominem, et ex adversariorum principiis et confesso petita, quae efficaciam ab iis ipsis sortiebantur. Ex quo enim parabolis et allegoriis utebantur adversus Catholicos, eo minus argumentorum inde petitorum pondus declinare poterant, quo iis ad dirimendam litem sibi utendum esse primi censuerant. Id si advertisset Gallasius, ab insulsa et inepta censura temperasset, qua Irenaeum vexat, quod hac Christi parabola [2]): *Propterea omnis scriba doctus in regno caelorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera;* utatur, ut probet, unum et eundem Deum utriusque Testamenti auctorem esse [3]) Nam praeterquam quod Irenaei expositionem secuti sunt Chrysostomus, Theophylactus, Hilarius, Hieronymus et alii plures, ut recte adnotat Feuardentius; ut forte adversus alios haereticos non valuisset eiusmodi argumentum, maxime valebat adversus Valentinianos, qui e parabolis efficacia peti posse censebant: ad quos proinde retundendos suf-

1) Iren. lib. II. c. 27. n. 1. 2) Matth. XIII. 52. 3) Iren. lib. IV. c. 9. n. 1.

ficiebat parabolam eo sensu explicari, qui cum Christi verbis et instituto non pugnaret. Alia esse clariora Christi dicta, e quibus argumenta duci poterant, probe sciebat Irenaeus: sed haec libro quinto reservabat, ut ipse profitetur initio huius libri, et in fine quarti. Idem dici velim de variis numerorum copulationibus, quibus interdum plus aequo delectari videtur auctor noster. Eiusmodi quidem argutias fastidivit posterior aetas: non ita vero ea, qua scripsit Irenaeus; et huius mores nostris metiri sana ratio non sinit. Allegoricum hoc philosophandi genus a Pythagoricis et Platonicis acceptum, maximo apud Ethnicos, immo et Iudaeos ipsos, in pretio erat: ad quod conformare sese antiquos patres necesse fuit, tum ut superbos animos sibi facilius conciliarent, semel persuasos christianam religionem a recta philosophandi ratione non abhorrere; tum ut eos propriis mucronibus, ubi sese occasio daret, configerent. Et id quidem ab Irenaeo, eo potiori iure usurpatum, quo Gnostici, ut alibi ostendi, Pythagoreorum Platonicorumque principiis imbuti, plurimum numeris tribuerent, et in variis eorum copulationibus haud exiguum caussae suae praesidium constituerent. Ad quorum proinde philosophemata eo se consilio componit, ut ea in auctorum ipsorum caput retorqueat. Quare quid et quantum valeant eiusmodi rationes, ut aequa lance pensitetur, proponentis aetas, scopus, adversarii, ac litigantium hypothesis prae oculis semper haberi debet: ad quae qui-quis aequus attenderit, fateri non dubitabit id egisse ss. patres, quod in iis temporum disputationumque circumstantiis recta ratio ab iis exigebat. Sed quam parum tribueret Irenaeus eiusmodi numerorum rationibus et copulationibus, luculenter patet ex iis quae lib. II. cap. 25. et 26. disserit. Ibi enim ex professo probat, Dei opera res divinas, rationem ac veritatis argumenta ad numeros exigi non debere; sed potius numeros ad res divinas, rationem et veritatis argumenta exigendos esse: curiosamque illam numerorum inquisitionem, et ex iis ducta argumenta infirma esse, ac plerumque vana et periculosa. Non tamen hactenus dictis negaverim, quin apud Irenaeum spuriae quaedam occurrant rationes, quibus revera ecclesiasticorum dogmatum veritas fucetur potius quam illustretur; quales sunt eae quas a Christi aetate et millenario regno petit: sed iis et aliis quibusdam paucis exceptis, ceteris omnibus, si aequitatis ponderibus examinentur, et ad auctoris scopum atque consilium exigantur, pretium constabit et robur. Sed quid et quantum ex eius doctrina iuvari possit catholica fides, iam videamus.

ARTICULUS PRIMUS.

DE SCRIPTURARUM SACRARUM DIVINITATE, CANONE ET VERSIONIBUS.

3. Scripturas sacras Deum ipsum auctorem habere, eiusque Spiritu afflante exaratas esse, tam aperte tamque frequenter profitetur Irenaeus, ut id observare operam fere ludere sit. *Scripturae,* inquit [1]), *perfectae sunt, quippe a Verbo Dei et Spiritu eius dictae.* Et ne diutius quam par sit immorer in re tam manifesta, totus est Irenaeus libro tertio et quarto, ut probet unum et eundem Deum et Patrem, utriusque Testa-

1) Iren. lib. II. c. 18. n. 2.

menti, novi videlicet et veteris, auctorem esse; ipsoque, nec alio, per Verbum et Spiritum suum scriptoribus sacris, tum prophetis, tum apostolis et evangelistis afflante, ea omnia quae in Canonem retulit ecclesia, exarata fuisse.

4. Sed quam late Irenaeo pateret sacer hic Canon, quosve libros complecteretur, haud ita facile dictu est. Certum quidem est sequentes veteris Testamenti libros velut sacros et canonicos a s. doctore haberi, et plura ex iis, tanquam ex libris divinae auctoritatis, allegari: Pentateuchum Moysis, Iosuam, Iudices; libros quatuor Regum; Psalmos, Proverbia Salomonis; Prophetias Esaiae, Ieremiae, Ezechielis, Danielis, Oseae, Ioelis, Amos, Ionae, Michaeae, Habacuc, Zachariae et Malachiae. Quae ex iis libris testimonia proferat, demonstrat index locorum Scripturae sacrae a nobis concinnatus, ad calcem huius operis. Hoc semel tanquam ex Esaiae, multoties vero tanquam ex Ieremiae prophetia depromtum allegat: *Et commemoratus est Dominus sanctus Israel mortuorum suorum, qui dormierant in terra sepultionis: et descendit ad eos evangelizare salutem, quae est ab eo, ut salvaret eos.* Idem allegavit et Iustinus martyr in Dialogo cum Tryphone, velut ex Ieremia, conquestus insuper, Iudaeos, odio Christianorum, sententiam hanc et plures alias e sacris Bibliis erasisse. Ex quibus colligitur eam tunc in quibusdam Bibliorum christianorum codicibus exstitisse, sed paucissimis: vix enim alios praeter Iustinum et Irenaeum reperias, a quibus citetur. Iam nullibi librorum sacrorum occurrit. Quin Ieremiae Threnos seu Lamentationes inter canonicas scripturas recensuerit Irenaeus, dubitari non potest. Ut enim ex iisdem Scripturis probet, Christum Filium Dei, *et salutem et Salvatorem et salutare vere et dici et esse*, verba haec Thren. IV. 20. *Spiritus faciei nostrae Christus Dominus*, inter alia e libris sacris petita profert; non nominato tamen libro e quo petuntur, sed generatim duntaxat indicata, ut saepe solet, Scriptura, hoc verbo, *inquit. Spiritus enim, inquit, faciei nostrae Christus Dominus.* Idem dicendum de Baruchi libro, quem ut propheticum et sacrum laudat, non tamen sub Baruchi, sed vel sub generali prophetae, vel sub Ieremiae nomine. Libro quarto, cap. 20. n. 4. probans, unum esse Deum, qui Verbo et Sapientia fecit et aptavit omnia, qui secundum magnitudinem quidem ignotus est omnibus qui ab eo facti sunt, secundum dilectionem autem cognoscitur semper per eum, per quem constituit omnia; scilicet per Verbum eius, Dominum nostrum Iesum Christum, qui novissimis temporibus homo in hominibus factus est, ut finem coniungeret principio, id est, hominem Deo; ait: *Et propterea prophetae, ab eodem Verbo propheticum accipientes charisma, praedicaverunt eius secundum carnem adventum, per quem commixtio et communio Dei et hominis secundum placitum Patris facta est, ab initio praenuntiante Verbo Dei, quoniam videbitur Deus ab hominibus, et conversabitur cum eis super terram* etc. Quibus postremis verbis manifeste alludit ad ea Baruch. III. 38. *Post haec in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Sed libro quinto cap. 35. n. 1. finem capitis quarti, et totum caput quintum eiusdem Baruch clare et ipsis verbis refert, velut ex Ieremia propheta. *Significavit,* inquit, *Ieremias propheta, Circumspice, dicens, ad Orientem Hierusalem, et vide laetitiam* etc. Ex qua Irenaei aliorumque patrum

citatione libri Baruch, canonicam eius auctoritatem recte omnino colligit Feuardentius in notis ad hunc Irenaei locum. Ecce tamen, in Feuardentium insurgit cl. Grabius in notis suis, eumque hallucinari graviter pronuntiat. *Quis enim nescit,* inquit, *apocrypha scripta subinde a patribus allegari?* Hocque apophthegmate contentus, adversarium prostratum iri confidit. Ergone quia apocrypha scripta subinde a patribus allegantur, statim pronuntiandum, eum hallucinari, qui ex eorum citatione colliget librum aliquem canonicum esse? Si ita sit, iam adversus Grabium prodeat impius aliquis, qui aliquod e quatuor evangeliis, vel aliquas ex epistolis Pauli aliorumve apostolorum ex albo Scripturarum expungat; quo argumento hunc confutabit vir clarissimus? An ex continua patrum et conciliorum citatione probare se posse putabit, sacra haec scripta ab omnibus ecclesiis, aut maxima saltem ecclesiarum, earumque insigniorum parte, tanquam canonica habita semper fuisse? Invictum quidem ceteris est argumentum, sed Grabio prorsus infirmum et inutile. Nam statim occurret impius, hacque unica Grabiana responsione, *apocrypha scripta subinde a patribus allegari,* totam vim argumenti facile infringet, Grabiumque ipsum ad incitas rediget. Non igitur ex eo quod quidam patres apocrypha interdum scripta allegaverint, eorum illico elevanda fides est, quum librum aliquem velut canonicum citant. Si quidem tot et tanti tam diu tamque continuata serie apocryphum quoddam scriptum citarent, quanti, quamque diu librum canonicum allegant, premeret forte Grabiana difficultas. At multum abest, ut paria sint utrinque momenta. Qui librum apocryphum velut sacrum citarunt, pauci sunt, nec obtinuit eorum sententia; immo potius maiori ecclesiarum parte praevalente, successu temporis prorsus obsolevit. E contrario vero dum liber aliquis, quem sacrum deinceps agnovit ecclesia, a patribus allegatus est, quamvis initio dubitarent multi, quia paullo obscurior erat ea de re traditio apostolica; ea tamen, successu temporis, accuratiori rei examine, consultisque iis ecclesiis, in quibus notissima erat et continuata episcoporum successio ab apostolis, patefacta, demum ad liquidum explorata veritate, calculum veteribus adiecit universa ecclesia. Tam immensum tamque apertum discrimen facile animadvertere potuisset Grabius, nisi anticipatae Calvinianorum Lutheranorumque opiniones facum fecissent. Sed de vana eius obiectiuncula, toties a Catholicis contrita, iam satis. Id tantum, ut ad Irenaeum revertar, addiderim: si Baruchi Prophetiam sub Ieremiae nomine laudaverit, non solum ita laudavisse. Eodem quippe modo allegavere Clemens Alexandrinus lib. I. Paedag. c. 2. et lib. II. c. 3. Cyprianus lib. II. Testimon. ad Quirin. et in lib. de Oratione Domin. Eusebius in libris de Demonst. evang. Basilius lib. IV. cont. Eunom. et alii tum Graeci, tum Latini. Ratio omnibus nota est, quia nimirum Baruch Ieremiae discipulus fuit, illiusque prophetia magistri libro iuncta erat.

5. Librorum Tobiae, Iudith, Esther, Paralipomenon, Ecclesiastae, Cantici Conticorum, Ecclesiastici, Iob, Abdiae, Nahum, Sophoniae, Aggaei et Machabaeorum, nuspiam, nisi me fallit memoria, in iis qui exstant Irenaei libris occurrit mentio. Tobiam tamen iam tum in pluribus ecclesiis inter prophetas eodem iure locum habuisse, quo Moysen, Iesum Nave, Amos, Habacuc, Ioel, Zachariam, Esaiam, Ezechielem, Ieremiam, Danielem, Aggaeum, Michaeam, Nahum, Esdram et Sophoniam, ex eo

colligi posse videtur, quod Irenaeus libro primo cap. 30. Sethianorum et Ophitarum deliria describens, ait n. 10. sic eos inter septem angelos mundi rectores, prophetas partitos fuisse, qui illorum nomine et afflatu vaticinia funderent, ut suo *Eloei Tobiam et Aggaeum* adscriberent. Susannae et Belis historias, quales Danielis cap. 13. et 14. referuntur, non tantum in suis Bibliorum codicibus descriptas legit Irenaeus, sed et ut certas et indubitatas, sacras et canonicas ac a Daniele propheta scriptas agnoscit et citat lib. IV. c. 5. n. 2 et c. 26. n. 3. Observat Eusebius [1]), Irenaeum in eo quem scripserat libello *διαλέξεων διαφόρων*, epistolae ad Hebraeos et Sapientiae Salomonis mentionem fecisse. Et antea de libris contra haereses agens, ait [2]): *καὶ ῥητοῖς δέ τισιν ἐκ τῆς Σολομῶντος σοφίας κέχρηται, μονονουχὶ φάσκων· ὅρασις δὲ Θεοῦ περιποιητικὴ ἀφθαρσίας· ἀφθαρσία δὲ ἐγγὺς εἶναι ποιεῖ Θεοῦ. Utitur etiam sententiis ex Salomonis sapientia depromtis, ita fere dicens: Visio Dei parit incorruptionem; incorruptio autem proximos Deo facit.* Qua quidem Sapientiae sententia, prout hic allegatur ab Eusebio, utitur Irenaeus libro quarto cap. 38. n. 3. ita tamen, ut neque librum nominatim citet, nec verbo tenus indicet e Scriptura petitam esse: immo Sapientiae verba sic propria sibi faciat, ut partim sensum, partim ipsa verba referat. Nam Sap. VI. 18. 19. quem locum prae oculis habebat Irenaeus, non legitur: *ὅρασις δὲ Θεοῦ περιποιητικὴ ἀφθαρσίας* etc. sed, *προσοχὴ δὲ νόμων, βεβαίωσις ἀφθαρσίας· ἀφθαρσία δὲ ἐγγὺς εἶναι ποιεῖ Θεοῦ. Custoditio autem legum, consummatio incorruptionis est: incorruptio autem facit esse proximum Deo.* Quatuor Esdrae libros agnovisse videtur s. doctor: nec enim alio ex fonte, quam ex libri quarti cap. 14. hausta videntur quae de corruptis tempore captivitatis Babylonicae sacris Codicibus, et postea ab Esdra, Deo adspirante, instauratis scribit lib. III. c. 21. n. 2. Haec de veteris Testamenti libris ab Irenaeo memoratis et citatis.

6. Quod attinet ad sacros N. Testamenti codices, quid de quatuor evangeliis sentiat, ab initio libri tertii statim aperit. Postquam ostendit evangelistas iam *indutos supervenientis Spiritus sancti virtutem ex alto, ac de omnibus adimpletos, et habentes perfectam agnitionem,* ad scribendum evangelium mentem appulisse, addit [3]): *Ita Matthaeus in Hebraeis ipsorum lingua scripturam edidit evangelii, quum Petrus et Paulus Romae evangelizarent, et fundarent ecclesiam. Post vero horum excessum, Marcus discipulus et interpres Petri et ipse quae a Petro annuntiata erant, per scripta nobis tradidit. Et Lucas autem sectator Pauli, quod ab illo praedicabatur evangelium, in libro condidit. Postea et Ioannes discipulus Domini, qui et supra pectus eius recumbebat, et ipse edidit evangelium, Ephesi Asiae commorans.* Plures in his verbis occurrunt difficultates, quas quum expenderimus in notis ad hunc locum, illuc lectorem remittere satius est, quam hic diutius detinere. Adeo vero de numero quatuor evangeliorum constabat Irenaeo, ut, secundum ipsum, *neque plura numero quam haec sunt, neque rursus pauciora capiat esse evangelia* [4]). Quae tamen verba non ita urgenda sunt, quasi sic

1) Euseb. lib. V. c. 2. 6. 2) Id. c. 8. 3) Iren. lib. III. c. 1. n. 1. 4) Ibid. c. 11. n. 7.

necesse fuerit quatuor esse evangelia, ut huic numero Deus nihil addere aut detrahere potuerit. Non is est s. doctoris sensus: id tantum vult, sapientissima Dei providentia constitutum, ut quatuor essent evangelia, nec plura, nec pauciora. Cuius quidem providentiae multas affert rationes petitas a quatuor mundi regionibus et cardinibus, quatuor ventis principalibus, quatuor praecipuis, quibus aedificium quodque fulcitur columnis, quatuor Ezechielis animalibus etc. mysticas certe rationes, non demonstrationes, quibus probare contendat rem ita fieri debuisse, nec aliter potuisse (tam absurda cogitatio mentem Irenaei subire nusquam potuit): sed quibus rem iam factam explicet, ostendatque sapientissimo Dei consilio ordinatam fuisse. Eo autem vergebat tota Irenaei oratio, ut insanam Gnosticorum audaciam castigaret, qui evangeliorum numerum, nulla habita ratione Dei consiliorum, quorum sapientiam tam multa probant, arbitrio suo augebant vel minuebant. *His igitur sic se habentibus,* inquit [1]), *vani omnes et indocti et insuper audaces, qui frustrantur speciem evangelii, et vel plures quam dictae sunt, vel rursus pauciores inferunt personas evangelii: quidam, ut plus videantur, quam est veritatis adinvenisse: quidam vero, ut reprobent dispositiones Dei.* Vanos etiam et indoctos dicere liceat eos, qui ut Gallasius et Scultetus, Irenaei mentem ne minimum quidem assecuti, quas de numero evangeliorum mysticas profert rationes, ceu futiles et infirmas aspernantur. Nae! fastidii delicatissimi homines, quos eius rei satietas cepit, quae Anastasio Sinaitae, Germano Constantinopolitano, Hieronymo, aliisque pluribus adeo probata fuit, ut primi totum hunc Irenaei locum exscripserint, ceteri rationes amplexi fuerint [2]). Praestat, ut Irenaei verbis utar, cum huiusmodi *idiotis religiosis* desipere, quam cum *blasphemis et impudentibus Sophistis* sapere.

7. De aliis novi Testamenti partibus haec tantum observanda veniunt, in omnibus, quae exstant, Irenaei scriptis nullam epistolae D. Pauli ad Philemonem mentionem occurrere; quod non adeo mirum, quia totum huius epistolae argumentum nihil ad Irenaei scopum faciebat. Ad epistolam vero ad Hebraeos interdum alludit, nec ipsa tamen, nec auctore eius nominatim citatis. Sic lib. II. cap. 30. n. 9. ait, solum Deum Patrem omnia fecisse *Verbo virtutis suae;* quibus alludit ad illud Hebr. I. 3. *portans omnia Verbo virtutis suae.* Et lib. IV. c. 11. n. 4. dicit *munditias exteriores* Legis *in figuram futurorum traditas fuisse, velut umbrae cuiusdam descriptionem faciente Lege:* quae desumta videntur ex illo Hebr. X. 1. *Umbram habens Lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.* Nec aliter citat epistolas catholicas Iacobi et Iudae, et secundam Petri, nisi verba quaedam suis inserendo, tacendo locum et auctorem unde depromta sunt, ut ei constabit qui loca in indice designata consulere dignabitur. Secus dicendum de epistola secunda Ioannis, quam ut epistolam *Ioannis discipuli Domini* agnoscit et allegat lib. I. c. 16. n. 3. et lib. III. c. 16. n. 8. Apocalypsin etiam Ioanni discipulo Domini nominatim adscribit, et sub eius nomine citat lib. IV. c. 20. n. 11. lib. V. c. 35. n. 2. et alibi. Illud etiam non omittendum,

1) Ibid. n. 8. 2) Anast. Sin. Q. 144. Germ. CP. Theor. rerum eccles. Tom. II. Auctar. Biblioth. P. P. Hieron. Prol. in Matth.

quod Hermae Pastorem velut canonicam scripturam laudet Irenaeus lib. IV. c. 20. n. 2. *Bene ergo*, inquit, *pronuntiavit Scriptura, quae dicit: Primo omnium crede, quoniam unus est Deus etc.* quae verba desumuntur ex lib. II. Pastoris, Mand. I. Sed eodem modo citavere plures alii patres graeci, quorum testimonia collegit doctissimus Cotelerius, librisque Pastoris a se editis praemisit. Latinis vero tanti non fuit iste Hermae Pastor: unde postea ob omnibus ecclesiis e numero librorum sacrorum expunctus est.

8. Inter omnes, quibus usa est ecclesia, sacrae Scripturae versiones nulla Irenaeo venerabilior visa est ea quae dicitur septuaginta interpretum. Hanc ipsi fonti Hebraeo auctoritate paene parem existimavit, utpote quam *per adspirationem Dei* factam credidit. In eam vero sententiam abiit, quod septuaginta, qui dicuntur, interpretes, quasi prophetas habuerit, qui afflante atque dirigente Spiritu sancto versionem suam concinnaverint. Censet igitur Irenaeus, *Ptolemaeum Lagi filium*, quum eam, quam Alexandriae construxerat, bibliothecam omnigenis codicibus ornare in votis haberet, misisse legatos qui a Hierosolymitis tum *scripturas eorum*, tum hebraici et graeci sermonis peritos exposcerent, qui easdem ex hebraeo in graecum converterent. Hierosolymitae, qui tum Macedonibus parebant, regi morem gerentes, delectos septuaginta seniores, Scripturarum et utriusque linguae peritiores, mittunt. Veritus Ptolemaeus, ne interpretes ex compacto Scripturarum arcana prodere nolentes, fucum spuria et adulterina interpretatione facerent, *separans eos ab invicem, iussit omnes eandem interpretari Scripturam; et hoc in omnibus libris fecit:* id est, iussit ut omnes simul eundem Scripturae librum interpretarentur. *Convenientibus autem ipsis in unum apud Ptolemaeum, et comparantibus suas interpretationes, Deus glorificatus est, et Scripturae vere divinae creditae sunt, omnibus eadem, et eisdem verbis, et eisdem nominibus, recitantibus ab initio usque ad finem: uti et praesentes Gentes cognoscerent, quoniam per adspirationem Dei interpretatae sunt Scripturae.* Ut autem res habeat fidem, addit Irenaeus nihil mirum esse, si idem Deus qui olim Esdrae Scripturas sacras instauranti adspiravit, adspiraverit et LXX interpretibus easdem in graecum sermonem convertentibus. Corruptis siquidem Babylonicae captivitatis tempore scripturis, Deum, ea demum soluta, Iudaeisque in patriam reducibus, *temporis Artaxerxis Persarum regis, inspirasse Esdrae sacerdoti tribus Levi* veterum prophetarum *sermones omnes* instaurare, *et restituere populo eam legem, quae data est per Moysen.* Ex quibus omnibus concludit (qui scopus erat), *vere impudoratos et audaces* esse haereticos, qui ut haeresin suam Scripturarum auctoritate muniant, alias, praeter antiquissimam illam, quae miris adeo modis facta est, Scripturae interpretationes proferre audent: apostolos enim, haereticis omnibus vetustiores, *consonare praedictae interpretationi, et interpretationem consonare apostolorum traditioni;* quum hi *prophetica omnia ita annuntiaverint, quemadmodum seniorum interpretatio continet.* Sic argumentabatur Irenaeus, ut probaret haec Esaiae verba: *Ecce virgo concipiet et pariet filium,* a Theodotione et Aquila corrupta esse, dum vocem עלמה, *Virgo,* verterunt *νεᾶνις, adolescentula:* ne scilicet ex eo Esaiae loco inferretur Christum ex Virgine natum esse.

9. Vulgatam versionis LXX interpretum historiam hic examinare nostri non est instituti: quum maxime id actum sit a pluribus, iisque doctissimis hominibus. Pauca duntaxat circa Irenaei nostri narrationem observare sufficiat. Primo non Irenaeum solum tanti fecisse versionem LXX interpretum: eodem in honore fuit apud omnes quatuor priorum saeculorum patres, apud quos obtinuerat ea sententia, interpretes prophetarum vices et officia peregisse. Fons autem ex quo profluxit communis ea veterum existimatio, fuit Aristaeae historia, sive vera, sive falsa; testis, ut ipse credi amat, oculati, quam Iosephus lib. XII. Antiquitatum cap. 2. et Philo lib. 2. de vita Mosis compendio retulerunt, quamque omnes tum veteres Iudaei, tum priores Christiani unanimi consensu receperunt: tum pervagata opinio, septuaginta interpretes in totidem cellulis a Ptolemaeo inclusos, sic a Deo inspiratos fuisse, ut collatis inter se versionibus singulis, omnes in iisdem sententiis, verbis et nominibus convenisse reperti fuerint Huius quidem circumstantiae non meminit Aristaeas: primus ante Irenaeum meminit Iustinus martyr in Exhortatione ad Gentes; uterque vero traditam accepit partim a Philone, partim a ceteris Iudaeis, quibus Aristaeae historiam novis miraculis ornare placuit. 2°. Ptolemaeum illum, quo regnante atque iubente ex hebraeo in graecum sermonem conversae sunt Scripturae, fuisse, ex Irenaei sententia, non Philadelphum, ut sentiunt Aristaeas, Iosephus, Philo, Tertullianus in Apologetico et alii plerique e patribus, sed Lagi filium; quae et eadem sententia fuit Clementis Alexandrini lib. I. Strom. pag. 341. et seqq. Gravibus quidem haec premitur difficultatibus, vixque ac ne vix quidem cum historia Aristaeae, ubi huic semel sua constiterit auctoritas, conciliari poterit. Conciliare tamen utcunque student, qui Anatolio episcopo Iaodicaeno duce, cuius fragmentum recitat Eusebius lib. VII. Hist. c. 32. putant, versionem LXX interpretum, si non factam, saltem decretam fuisse, legationemque ad Iudaeos, comparandorum sacrorum codicum caussa, missam eo tempore, quo Ptolemaeus filius Lagi Philadelphum filium in regni societatem adsciverat: adeo ut utrique adscribi potuerit. Sed vereor, ut hanc conciliandi rationem admittat Aristaeas. Nodum meo quidem iudicio secant, qui excussa auctoritate Aristaeae illius, censent, ut certum sit Scripturas Ptolemaeo sive Lagi, sive Philadelpho, forte etiam utroque regnante atque iubente, in graecum conversas fuisse a selectis quibusdam peritisque Iudaeis, caetera omnia ab Aristaea, Iudaeo Hellenista, aliisque recentioribus Iudaeis, pro gentis genio, ut res admirationem haberet, conficta fuisse. Sed haec ad criticos remittimus: satis est nobis, si vanae credulitatis argui non possit Irenaeus; utpote qui sententiam amplexus fuerit, quam suo tempore, re nondum ad criticae leges exacta, Christiani omnes eo fidentius tuebantur, quo Iudaeis tunc temporis versioni LXX interpretum, quae ecclesiae christianae arma contra eos ministrabat, maligne detrahentibus, sanctis patribus in suspicionem venire non poterat Aristaeae librum a Iudaeo fuisse confictum. 3°. Non modicam apud Christianos auctoritatem versioni τῶν ὁ conciliavit ea persuasio, Christum Dominum in citandis veteris Instrumenti testimoniis, neglecto hebraico textu, solius dictae versionis rationem habuisse. Sic quidem sensere plures e patribus: non tamen Irenaeus. Saltem id e verbis eius erui posse non putem, ut in notis ad hunc locum ostendi.

Ex eo tantum auctoritatem huic versioni conciliare videtur (quod genuinum auctoritatis eius fundamentum est), quod in omnibus, quae protulerunt apostoli, veteris Instrumenti testimoniis, nihil occurrat quod versioni *τῶν ὁ* repugnet: immo *consonent* apostolica omnia *praedictae interpretationi, et interpretatio consonet apostolicae praedicationi; prophetica*que *omnia ita annuntiaverint apostoli, quemadmodum seniorum interpretatio continet.* Quod quidem argumentum ut valeat, necesse non est ea omnia, quae ab apostolis prolata sunt, testimonia Graecis *τῶν ὁ* respondere: sed horum satis probata manet sinceritas et fides, si cum apostolicis quoad sensum conveniant. 4°. Sentire videtur Irenaeus, non Pentateuchum duntaxat, sed et canonicas omnes Iudaeorum Scripturas in graecum sermonem, Ptolemaei regis iussu, conversas fuisse. Utitur enim semper voce indefinita, *Scripturas,* nec quidquam addit quod eam ad Pentateuchum coërceat. Immo quod scribit, tum Ptolemaeum *petiisse a Hierosolymitis interpretatas habere Scripturas eorum;* tum eundem *separatis ab invicem* interpretibus *iussisse, ut omnes eandem interpretarentur Scripturam; hocque in omnibus libris fecisse:* satis indicat libros omnes, qui Iudaeis sacri essent, conversos fuisse. Quum enim existimaret Irenaeus, Ptolemaeum bibliothecam suam *omnium hominum dignis conscriptionibus ornare cupiisse;* credere consequenter debuit, neglecta ab eo non fuisse prophetarum oracula; *dignas* certe *conscriptiones,* quae et ipsae bibliothecam regiam ornarent. Denique si, Irenaeo teste, *prophetica omnia ita annuntiaverunt apostoli quemadmodum seniorum interpretatio continet:* ergo *prophetica omnia,* non solum Pentateuchum, interpretati sunt seniores, ex auctoris nostri sententia; quae et eadem fuit Iustini martyris, Clementis Alexandrini, Tertulliani, Origenis et aliorum. 5°. Demum, quod cum pluribus ex mox laudatis patribus censet Irenaeus, corruptas fuisse, tempore captivitatis Babylonicae, Scripturas sacras, et ab Esdra postmodum adspirante Spiritu sancto instauratas, haustum videtur, ut iam dixi, ex apocrypho libro quarto Esdrae, cap. 14. ubi narrat auctor, quinque viros, Esdra, quae sibi revelata erant, dictante, plures scripsisse libros. Ut ut sit, ex verbis Irenaei inferri posse non putem, Scripturas tempore captivitatis prorsus interiisse. Non enim ait deperditas fuisse Scripturas, sed *corruptas;* nec easdem, Deo Esdrae afflante, de integro suscitatas in lucem iterum prodiisse: sed Deum inspirasse Esdrae sacerdoti, *τῶν προγεγονότων προφητῶν πάντας ἀνατάξασθαι λόγους, καὶ ἀποκαταστῆσαι τῷ λαῷ τὴν διὰ Μωϋσέως νομοθεσίαν, veterum prophetarum sermones omnes in ordinem digerere, et restituere populo eam legem quae data est per Moysen.* Id igitur vult duntaxat Irenaeus, corruptas tum ignorantia, tum negligentia Iudaeorum scripturas; ab Esdra, Deo inspirante, recensitas atque recognitas, a mendis quae irrepserant, purgatas fuisse; confusosque et perturbato ordine iacentes prophetarum libros; in pristinum ordinem digestos fuisse, ac denique legem longa oblivione veluti sepultam, de novo promulgatam et propositam populo fuisse. Sic Irenaeus a communi ceterorum patrum atque interpretum sententia non recedit.

10. Duarum aliarum veteris Testamenti versionum meminit eodem loco Irenaeus, Theodotionis videlicet Ephesii et Aquilae Pontici, utriusque Iudaei proselyti; sed obiter tantum, et occasione illius Esaiae testi-

monii, *Ecce virgo concipiet,* quem ab illis corruptum prava interpretatione merito conqueritur. Et hinc accepta occasione, versionis LXX interpretum fidem et auctoritatem commendat, eo modo quo diximus, eamque ceteris omnibus longe praefert. Hanc in citandis veteris Testamenti locis plerumque sequitur. Si vero interdum ab ea discedere videatur, triplex huius rei caussa afferri potest. 1ª. Quod aliquando non ex codice, sed ex memoria citet: idque ex eo patet, quod eadem testimonia diversis in locis saepe proferens, non tamen eodem modo semper scribat, sed hic verbis quibusdam aucta, illic decurtata, prout memoria suggerebat, et occasio ferebat. 2ª. Quod non omnes *τῶν ὁ* codices secum invicem in omnibus consentirent Quanta inter eos codices, Origenis aetate, diversitas interesset, quamque desudandum Origeni fuerit, ut eos secum invicem conciliaret, vel iis resectis quae negligentia vel audacia librariorum perperam addita fuerant, vel iis additis quae male omissa fuerant, docet ipse To. XV. commentariorum in Matthaeum. Quum igitur non iidem essent ubique versionis *τῶν ὁ* codices, non mirum, si ea, quae ex ea profert Irenaeus, non semper cum nostris exacte conveniant. Qui enim supersunt nobis, pauciores numero sunt; longe plures Irenaei aetate circumferebantur, qui si adhuc exstarent, certius de iis, quibus usus est, iudicare possemus. 3ª. Quod latinus Irenaei interpres ea, quae s. doctor Scripturae testimonia allegat, interdum vel minus accurate verterit, vel non ex ipso graeco verterit; sed labori parcens, prout ea in vulgatis Latinorum versionibus legebantur, Irenaei textui inseruerit. Eaedemque rationes valent, non pro veteris duntaxat, sed et pro novi Testamenti locis quae citavit Irenaeus. Nec enim ea semper ex codice protulit, sed interdum ex memoria: nec minor fuit inter novi, quam inter veteris Testamenti codices diversitas, ut saepe conquestus est Hieronymus, et satis patet ex iis omnibus graecis, qui etiamnum supersunt: nec minor fuit in iis vertendis Irenaei interpretis incuria. Haec ex eo potissimum deprehenditur, quod veterem vulgatam Italicam versionem ad verbum non raro sequatur, ut pluribus in locis observavi. Nihil vero necesse est moneam, tantam nusquam exstitisse varietatem inter omnes sive veteris, sive novi Testamenti codices, quibus usa est ecclesia, quosque legit Irenaeus, ut quidpiam dispendii pertulerit sensus: res ipsa per se loquitur, et ei qui loca omnia sive ab auctore nostro, sive a veteribus patribus allegata cum hodiernis nostris sacrae Scripturae exemplaribus conferre voluerit, palam illico fiet totum discrimen in verbis quibusdam, illaeso semper manente sensu, haerere. Id tantum ex hactenus dictis colligi velim, vix quidquam certi statui posse de iis, quibus usus est Irenaeus, novi praesertim Testamenti codicibus: adeo ut ex iis quae allegat Scripturae locis, ut quid certum et indubitatum concludi non possit, sic vel sic omnino habuisse Irenaei codices; sed eiusmodi argumenta sobrie proponenda sint, et intra coniecturarum limites manere debeant. Ad haec si attendisset cl. Grabius, non ita fidenter pronuntiasset, haec vel illa exstitisse in veteribus ecclesiae codicibus, vel ab iis abfuisse. Quisquis prudens est, et in lectione patrum tantillum versatus, abstinet ab eiusmodi iudiciis, ne temeritatis notam incurrat.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE SCRIPTURARUM PERSPICUITATE ET OBSCURITATE.

11. Claras et perspicuas esse Scripturas sacras, earumque sensum cuilibet attento et studioso lectori facilem et obvium esse, vulgatus Protestantium error est, quem. mirum si Irenaeo tantae auctoritatis patri non affinxissent. Hunc quamvis in notis suis paullo parcius insinuet cl. Grabius, in indice generali ad vocem *Scriptura* sollicitius inculcat. *Scriptura sacra,* inquit, *omnia quae scire debemus, aperte et citra parabolarum involucrum proponit. Iudaeis quum legitur obscura, et fabulae similis; Christianis vero perspicua.* Sed si ea quae ibi indicantur loca conferas, miraberis nihil minus, quam quod spondet index, occurrere. Nec accuratior, ne dicam sincerior fuit vir cl. in notula, quam lib. II. cap. 46. suae editionis pag. 172. (nostrae vero cap. 27. n. 2. p. 155.) subtexuit. Nimirum occasione istorum Irenaei verborum: *Quum itaque universae Scripturae et prophetiae et evangelia, in aperto, et sine ambiguitate, et similiter ab omnibus audiri possint etc.* tam scite, quam vere sic monuerat Feuardentius: *Non vult,* ait, *omnes Scripturas adeo apertas, et cuivis obvias esse, ut nulla sit in eis obscuritas; quum hoc alibi frequenter affirmet etc. Sed eas adeo perspicue et constanter unum et solum Deum mundi creatorem et rectorem praedicare, ut nemo qui his attenderit, ignorare possit.* Recte omnino. Subiungit vero Grabius: *Attamen praecedenti pagina* aperte et sine ambiguo, ipsis dictionibus in Scripturis posita *dicit universe,* quae quidem dedit in hominum potestatem Deus, et subdidit nostrae scientiae, *prout ibidem loquitur: id est, quae Deus a nobis sciri vel credi voluit.* Verum quidem est Irenaeum initio capitis asserere, quaedam *esse aperte et sine ambiguo, ipsis dictionibus posita in Scripturis:* sed hanc Irenaei propositionem universalem esse, hacque s. doctorem complecti voluisse ea omnia *quae Deus a nobis sciri, vel credi voluit,* Grabii commentaria sunt cum ipso textu e diametro pugnantia. Nimirum postquam Irenaeus capite praecedenti insanam Gnosticorum curiositatem redarguit, qui Scripturas temere scrutati, insulsisque de Deo rebusque divinis quaestionibus atque commentationibus delectati, vano scientiae nomine superbius efferebantur: tum initio capitis sequentis (in quo demonstrandum sibi proponit, ex parabolis, quibus multiplex subesse potest sensus, obscura explicanda non esse, sed ex iis quae clare et aperte posita sunt in Scripturis) subiungit, *sensum sanum, et qui sine periculo est et religiosam et amantem verum, quae quidem dedit in hominum potestatem Deus, et subdidit nostrae scientiae, haec promte meditari, et in ipsis proficere, diuturno studio facilem scientiam eorum efficientem.* Quaenam vero ea sint, *quae dedit in hominum potestatem Deus, et subdidit nostrae scientiae,* statim indicat: *Sunt autem haec,* addit, *quae ante oculos nostros occurrunt, et quaecunque aperte, et sine ambiguo, ipsis dictionibus posita sunt in Scripturis.* An vero, quisquis ita loquitur, aperte et sine ambiguo, ipsis dictionibus in Scripturis posita dicit universe, quae dedit in hominum potestatem Deus, et subdidit, nostrae scientiae; id est, quae Deus a nobis sciri vel credi voluit? Lippis oculis Irenaeum legerit, qui sic concludat. Id vult s. doctor, quaedam esse, quorum investigationem per-

misit nobis Deus, quaeque subdidit nostrae scientiae: ea vero esse 1°. *Quae ante oculos nostros occurrunt*, res naturales videlicet; non certe ea omnia, quae in Scripturis habentur, utpote quae ante oculos nostros occurrere, nemo sanae mentis dixerit: 2°. Quaecunque aperte et sine ambiguo, ipsis dictionibus posita sunt in Scripturis. Ut ergo quaecunque aperte et sine ambiguo posita sunt in Scripturis, scientiae nostrae atque investigationi permiserit Deus; non hinc tamen, nisi puerili sophismate, concludi potest, ea omnia, quae Deus a nobis sciri vel credi voluit, aperte et sine ambiguo posita esse in Scripturis. Alias eodem iure concludi posset, ea omnia quae Deus a nobis sciri vel credi voluit, *ante oculos nostros occurrere*, id est, sub conspectum nostrum cadere: alterum enim ab altero non separat Irenaeus; quae tamen conclusio absurdissima foret. Longe quippe diversae sunt hae propositiones: *Quaecunque ante oculos nostros occurrunt, et aperte et sine ambiguo in Scripturis posita sunt, ea omnia dedit in hominum potestatem Deus et subdidit nostrae scientiae;* et: *Ea omnia quae Deus a nobis sciri vel credi voluit, aperte et sine ambiguo, ipsis dictionibus posita sunt in Scripturis.* Prima propositio Irenaei est; secunda Grabii solius, non certe s. doctoris.

12. Tantum abest hic dicat, ea omnia, quae in Scripturis habentur, aperte et sine ambiguo, ipsis dictionibus posita esse; quin potius, postquam ostendit ex parabolis obscuris clara et perspicua Scripturae verba explicanda non esse, subiungit, stultum esse et absurdum, *quae non aperte dicta sunt* in Scripturis, *neque ante oculos posita, copulare absolutionibus parabolarum, quas unusquisque, prout vult, adinvenit.* Igitur praeter parabolas, quibus multiplex subesse potest sensus, alia in Scripturis occurrunt, *quae non aperte dicta sunt;* obscura proinde, nec unicuique facile pervia, sed quae explicatione et interprete indigeant. Ea vero licet obscura, si non a nobis sciri, certe credi Deus voluit. Si autem ab Irenaeo quaeras, quaenam ea sint quae aperte et sine ambiguo posita sint in Scripturis; respondebit, non *universe*, ut perperam fingit Grabius, sed singulariter, et quantum ad argumentum praesens pertinebat, unum esse et solum Deum, mundi conditorem et rectorem. Quum itaque, inquit, *universae Scripturae et prophetiae et evangelia in aperto, et sine ambiguitate, et similiter ab omnibus audiri possint, et si non omnes credunt, unum et solum Deum, ad excludendos alios, praedicent omnia fecisse per Verbum suum, sive visibilia, sive invisibilia etc., et ipsa autem creatura, in qua sumus, per ea quae in adspectum veniunt, hoc ipsum testante, unum esse, qui eam fecerit et regat: valde hebetes apparebunt, qui ad tam lucidam adapertionem caecutiunt oculos etc.* Quam multa autem sint in Scripturis obscurissima, quae explicari a nobis non possunt, fusius docet cap. sequenti, ubi probat plures in iis occurrere difficultates, quae solvi a nobis non possint, sed quarum solutio Deo soli humili fide committi debeat: Scripturas quidem perfectas esse, utpote a Verbo Dei et Spiritu eius inspiratas; sed tantis mysteriis abundare, ut ad ea intelligenda revelatione opus sit: adeo siquidem angustos esse mentis nostrae limites, ut in ipsis rebus naturalibus, quarum assiduus nobis est usus, quasque quotidie videmus et contrectamus, caecutiat. Legi verba apud auctorem possunt n. 2. et 3. longiora siquidem loca sunt, quam ut hic exscribantur. Et lib. IV. cap. 26. n. 1. (quo etiam loco abutitur

Grabius) docet, Christum esse thesaurum in Scripturis absconditum, eiusdem Christi adventu et cruce revelatum. Prophetias omnes, *priusquam habeant efficaciam, aenigmata et ambiguitates esse hominibus: quum autem venerit tempus, et evenerit quod prophetatum est, tunc prophetias habere liquidam et certam expositionem. Et propter hoc quidem Iudaeis, quum legitur lex in hoc nunc tempore, fabulae similem esse: non enim habent expositionem omnium rerum pertinentem ad adventum Filii Dei, qui est secundum hominem: a Christianis vero quum legitur, thesaurum esse absconsum in agro, cruce vero Christi revelatum esse et explanatum.* Ratio est, quia Christiani habent expositionem omnium rerum pertinentem ad adventum Filii. A quo vero habent? Ab *eis qui in ecclesia sunt presbyteris*, quibus proinde *obaudire oportet, his nimirum qui successionem habent ab apostolis; qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris acceperunt. Nam ubi charismata Domini sunt, ibi discere oportet veritatem, apud quos est ea, quae est ab apostolis ecclesiae successio, et id quod est sanum et irreprobabile conversationis, et inadulteratum et incorruptibile sermonis constat. Hi enim et eam, quae est in unum Deum, qui omnia fecit, fidem nostram custodiunt, et eam, quae est in Filium Dei, dilectionem adaugent .... et Scripturae sine periculo nobis exponunt. Reliqui vero qui absistunt a principali successione, et quocunque loco colligunt, suspecti habendi, vel quasi haeretici et malae sententiae; vel quasi scindentes et elati et sibi placentes; aut rursus ut hypocritae, quaestus gratia et vanae gloriae hoc operantes. Omnes autem hi deciderunt a veritate* [1]).

13. Videat iam cl. Grabius, utrum haec Irenaei verba, ad quae ipse remittit, caussae suae faveant. Videat, utrum ex s. doctoris sententia, Scripturae adeo perspicuae sint et apertae, ut interprete non indigeant. Videat, utrum earum interpretatio cuiusvis privati hominis iudicio permittatur. Videat demum, et serio perpendat, utrum ea societas, vel in qua natus est, vel cui se adiunxit, *tales presbyteros nutriat*, quales hic describit Irenaeus, *qui successionem habent ab apostolis; qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris acceperunt; qui et apostolorum doctrinam custodiunt, et cum presbyterii ordine sermonem sanum et conversationem sine offensa praestant, ad confirmationem et correptionem reliquorum etc. Edat*, ut cum Tertulliano loquar [2]), *origines ecclesiarum suarum; evolvat ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis, vel apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. Confingat* quidquid libuerit; si candide et sincere agere voluerit, quum devenerit ad Matthaeum Parkerum in Anglia, Lutherum in Germania, Calvinum in Gallia, aliosque eiusmodi recentiores sectarum duces et conditores; deprehendet, eos successionem apostolicam vel ludicra et sacrilega ordinatione invertisse, vel spreta omni ordinatione funditus evertisse. Sed de his postea.

---

1) Ibid. n. 2. Ibid. n 5. 2) Tertull. de Praescr.

ARTICULUS TERTIUS.

DE TRADITIONIS AUCTORITATE ET FUNDAMENTO.

14. Scripturas quidem sacras, Dei sermones esse, et regulam veritatis certam et immutabilem, cui nihil addere vel detrahere liceat, rectissime docet Irenaeus [1]). Iis tamen omnia Dei verba expresse non contineri, sed apostolos, ut Christi legatos atque praecones, plura docuisse, quae scriptis haudquaquam consignarunt, non minus aperte praedicat. Traditionis siquidem auctoritate impugnaturus haereticos, iam ab initio libri tertii ostendit, eam esse impiorum hominum proterviam, ut *quum ex Scripturis arguuntur, in accusationem convertantur ipsarum Scripturarum, quasi non recte habeant, neque sint ex auctoritate, et quia varie sint dictae, et quia non possit ex his inveniri veritas ab his qui nesciant traditionem: non enim per litteras traditam illam, sed per vivam vocem.... Quum autem ad eam iterum traditionem, quae est ab apostolis, quae per successiones presbyterorum in ecclesia custoditur, provocamus eos; adversantur traditioni, dicentes se non solum presbyteris, sed etiam apostolis existentes sapientiores, sinceram invenisse veritatem .... Evenit itaque neque Scripturis iam, neque traditioni consentire eos.* Ex quibus haec liquido sequuntur, 1°. ipsos omnium haereticorum pessimos agnovisse et confessos fuisse, *Scripturas varie dictas esse,* id est, interdum obscuras esse, variosque iis subesse sensus. 2°. Obscurorum locorum sensum a traditione petendum esse, non ea, quae *per litteras tradita sit, sed per vivam vocem.* Haec non reprehendit Irenaeus, immo in sequentibus probat, ut mox videbitur. 3°. Traditionem latius patere Scripturis, et ab iis distingui, utpote quae earum sit interpres; quod et haec Irenaei conclusio demonstrat: *Evenit itaque, neque Scripturis iam neque traditioni consentire eos.* Et postquam de traditione apostolica fusius disseruit, iam argumento finem imponens, et ad illud, quod e Scripturis petitum coeperat, reversurus, sic caput 5. orditur: *Traditione igitur, quae est ab apostolis, sic se habente in ecclesia, et permanente apud nos, revertamur ad eam, quae est ex Scripturis ostensionem, eorum qui evangelium conscripserunt apostolorum etc.* Ubi traditionem apostolorum ab eorum scriptis perspicue distinguit. Sed non possum quin hic obiter malam Gallasii fidem castigem, qui quum clara haec Irenaei verba adulterare in textu non potuisset, ea in summulis suis corrumpere ausus est. *Traditio,* inquit, *apostolorum convenit cum eorum scriptis, ad quae semper est nobis redeundum.* An is sit Irenaei verborum sensus, iudicet quisquis oculos habet, nec deinceps eiusmodi novarum editionum auctoribus fidat. Illud igitur Irenaei aevo certum erat, non satis esse ad catholicam fidem, ut quis Scripturis consentiret, nisi insuper consentiret et traditioni, ei *quae per vivam vocem, non per litteras tradita* fuit ab apostolis, quaeque *per successiones presbyterorum,* id est, episcoporum *in ecclesia custoditur.* Et hinc etiam in confesso erat apud omnes, non Scripturas tantum, sed traditionem etiam regulam esse fidei nostrae: neque enim ad Scripturas duntaxat *provocabantur* haeretici, uti provocari vellent recentiores heterodoxi, sed et ad traditionem, tanquam

1) Iren. lib. IV. c. 35. n. 4. Lib. V. c. 30. n. 2. Lib. III. c. 2.

ad certissimam christianae et catholicae veritatis regulam: hacque *confundebantur*, ut ait auctor noster capite sequenti, *omnes ii, qui quoquo modo vel per sibi placentia, vel vanam gloriam, vel per caecitatem, et malam sententiam, praeterquam oportet colligebant.* Si qui autem traditioni non consentirent, *adversus eos certamen erat*, et *undique resistendum esse illis* censebant ecclesiae patres.

15. Cur vero tanta esse in traditione, ad catholicam fidem tuendam, momenta vellent ss. doctores, ratio ex Irenaeo in promtu est: quia *traditio est ab apostolis*. Nimirum, non omnia quae docuerunt apostoli, haec scriptis mandarunt, sed plura vivae vocis oraculo tradiderunt, iis maxime quibus ecclesias committebant; quae per successiones episcoporum pervenerunt usque ad nos. *Traditionem itaque apostolorum*, inquit cap. 3. n. 1. *in toto mundo manifestatam, in omni ecclesia adest respicere omnibus qui vera velint videre: et habemus annumerare eos, qui ab apostolis instituti sunt episcopi in ecclesiis, et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his deliratur. Etenim si recondita mysteria scissent apostoli, quae seorsim et latenter ab reliquis perfectos docebant, his vel maxime traderent ea, quibus etiam ipsas ecclesias committebant. Valde enim perfectos et irreprehensibiles in omnibus eos volebant esse, quos et successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterii tradentes: quibus emendate agentibus fieret magna utilitas, lapsis autem summa calamitas.* Firmissimum itaque et ineluctabile illud argumentum est. Quum dogma quidpiam in ecclesia proponitur, quod Scripturis aut fulciri aut impugnari satis non potest, illud ad ecclesiarum traditionem exigendum est: si cum ea consentiat, id apostolis ipsis acceptum referendum est; si dissentiat, illico reiiciendum et damnandum. Quum enim ecclesiae omnes vel ab apostolis ipsis, vel ab eorum discipulis aut successoribus fundatae sint; qui primi ad eas ecclesias regendas ordinati sunt episcopi, eorum omnium quae a Christo tradita et accepta docuerant, vel explicuerant apostoli, notitia probe instructi accesserunt: *valde enim perfectos et irreprehensibiles in omnibus eos volebant esse* apostoli, *quos et successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterii tradentes.* Ii vero apostolorum successores quae ab apostolis acceperunt, suis vicissim successoribus tradiderunt et crediderunt, hi aliis, donec *per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos traditionem* et doctrinam apostolicam ipsi acceperimus. Ex quibus evidenter patet, eam quam Irenaeus aliique ss. patres traditionem apostolorum dicunt, ipsissimam esse apostolorum doctrinam, quam viva voce tum ecclesiis a se fundatis, tum iis quos instituerunt episcopis, tradiderunt et crediderunt: hanc enim, ut iam dixi, Irenaeus a Scripturis aperte distinguit. Non minoris proinde auctoritatis est, quam ipsa apostolica scripta; quum utraque Dei et Christi ipsius sermones sint. Nam sive viva voce, sive scripto docuerint apostoli quidpiam, quod ad fidem aut mores necessario pertineat; Christi doctrina est, et a Christo revelata et accepta, quam afflante atque dirigente Spiritu sancto tradiderunt: Dei proinde verbum est, Deo ipsi acceptum referendum. Eapropter traditionem primis libri tertii capitibus, et alibi saepe, tam sollicite opponit haereticis auctor noster, meritoque tantum illius pondus esse vult, ut hoc obruantur quicunque male sentiunt. Ea-

propter haereticis traditionem aut contemnentibus aut violantibus undique resistendum, eosque ut *fures et latrones* devitandos esse monet. *Oportet,* inquit, *devitare quidem illos: quae autem sunt ecclesiae cum summa diligentia diligere, et apprehendere veritatis traditionem.* Eapropter denique tantum traditioni tribuit, ut *si neque apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, oporteret* tamen *ordinem sequi traditionis,* quam *tradiderunt iis, quibus committebant ecclesias.* Quod adeo verum est, addit, ut *huic ordinationi assentiant multae gentes barbarorum, eorum qui in Christum credunt, sine charta et atramento* (id est, sine Scripturis) *scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, et veterem traditionem diligenter custodientes, in unum Deum credentes, fabricatorem caeli et terrae etc. Hanc fidem qui sine litteris crediderunt, quantum ad sermonem nostrum, barbari sunt: quantum autem ad sententiam et consuetudinem et conversationem, propter fidem perquam sapientissimi sunt, et placent Deo, conversantes in omni iustitia et castitate et sapientia.* Ad hanc unam traditionis normam barbari illi exigentes quaecunque nova ab haereticis proponerentur, *statim concludentes aures suas, longe longius fugerent, nec audire quidem sustinentes blasphemum colloquium. Sic per illam veterem apostolorum traditionem, ne in conceptionem quidem mentis admittunt quodcunque haereticorum portentiloquium est.* En quae et quanta priscis ecclesiae patribus, apostolicisque viris, traditionis auctoritas erat [1]).

16. Medium autem, ac veluti canalis, quo traditio apostolica ad nos usque fluxit intemerata, successio episcoporum est legitime in ecclesia catholica ordinatorum. Neque enim quemquam ecclesiis praefecerunt praeficique permiserunt apostoli, nisi prius ea omnia, quae ad fidem et mores necessario pertinent, apprime calleret, eorumque omnium quae credenda et agenda ecclesiae proposuerant, notitia sollerter imbutus fuisset: ut nimirum eandem notitiam posteris transmitteret. Et hinc eam episcoporum successionem tam acriter, tamque frequenter urget adversus haereticos Irenaeus; ratus videlicet, nihil efficacius esse ad retundendam omnem haereticam pervicaciam. *Non enim,* inquit, *oportet quaerere apud alios veritatem, quam facile est ab ecclesia sumere: quum apostoli, quasi in depositorium dives, plenissime in eam contulerint omnia, quae sunt veritatis: ut omnis, quicunque velit, sumat ex ea potum vitae.* Porro *depositorii* illius *divitis, in quod plenissime contulerunt* apostoli *omnia quae sunt veritatis,* custodes sunt ii, quos Deus ipse in ecclesia sua constituit *ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei;* episcopi videlicet, qui per legitimam impositionem manuum ab apostolis eorumque successoribus in ecclesia catholica ordinati et consecrati sunt. Propterea, ait auctor noster, *si de aliqua modica quaestione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere ecclesias, in quibus apostoli conversati sunt, et ab eis de praesenti quaestione sumere quod certum, et re liquidum est* [2])? Ratio est quia non tantum in antiquissimis illis ecclesiis conversati sunt apostoli, et *plenissime in eas contulerunt omnia quae sunt veritatis* [3]); sed et iisdem praefecerunt episcopos, qui sibi in

1) Iren. l. III. c. 3. n. 2. Cap. 2. n. 3. Cap. 4. n. 1. Ibid. N. 2. 2) Ibid. n. 1. 3) Cap. 4. n. 1.

earum regimine succederent; quos quum valde perfectos et irreprehensibiles in omnibus vellent esse; si recondita mysteria scissent, his vel maxime traderent ea, quibus etiam ipsas ecclesias committebant.

17. Merito igitur ad episcoporum successionem provocat haereticos Irenaeus, quia illa successio certissimum est; indubitatum, omnibusque manifestum apostolicae traditionis atque doctrinae argumentum; haec per illam dignoscitur, vera a falsa secernitur, sinceraque et intemerata ad nos usque transmittitur. *Traditionem itaque apostolorum,* inquit, *in toto mundo manifestatam, in omni ecclesia adest respicere omnibus, qui vera velint videre.* Cur ita? Quia, addit, *habemus annumerare eos, qui ab apostolis instituti sunt episcopi in ecclesiis,* traditionis illius custodes atque dispensatores, *et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab haereticis deliratur.* Quia vero *longum esset,* ut ipse ait, *omnium ecclesiarum enumerare successiones;* satis esse, idque iure merito, putat, si praecipuarum ac celebriorum, ac inprimis *maximae et antiquissimae et omnibus cognitae et a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae ecclesiae, ea, quam habet ab apostolis, traditio, et annuntiata hominibus fides, per successiones episcoporum perveniens usque ad nos, indicetur,* ut confundantur *omnes, qui quoquo modo praeterquam oportet colligunt,* id est, praeter ius fasque conventus agunt. In ea quippe ecclesia *semper conservata est ea, quae est ab apostolis, traditio.* Quod subinde probat ex continua romanorum episcoporum a Petro ad Eleutherum usque, qui suo tempore romanam ecclesiam regebat, successione; qua enumerata concludit. *Hac ordinatione et successione ea, quae est ab apostolis, in ecclesia traditio et veritatis praeconatio pervenit usque ad nos. Et est plenissima haec ostensio, unam et eandem vivificatricem fidem esse, quae in ecclesia ab apostolis usque nunc sit conservata et tradita in veritate.*

18. Romanae ecclesiae traditioni subiungit traditionem asianarum ecclesiarum, Smyrnensis inprimis et Ephesinae, quam pariter probat ex successione episcoporum. *In ea* siquidem, *quae est Smyrnis, ecclesia Polycarpus ab apostolis edoctus, et conversatus cum multis ex eis, qui Dominum nostrum viderunt, ab apostolis in Asia constitutus episcopus, haec docuit semper quae ab apostolis didicerat, quae et ecclesiae tradidit, et sola sunt vera. Testimonium his perhibent, quae sunt in Asia, ecclesiae omnes, et qui usque adhuc successerunt Polycarpo .... Sed et quae est Ephesi ecclesia, a Paulo quidem fundata, Ioanne autem permanente apud eos usque ad Traiani tempora, testis est verus apostolorum traditionis.* Et hinc rectissime concludit, *eis, qui in ecclesia sunt, presbyteris obaudire oportere, his qui successionem habent ab apostolis; qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris, acceperunt: reliquos vero, qui absistunt a principali successione, et quocunque loco colligunt, suspectos habere, vel quasi haereticos et malae sententiae; vel quasi scindentes et elatos et sibi placentes; aut rursus ut hypocritas, quaestus gratia et vanae gloriae hoc operantes* [1]). Et, *apud eos discere oportere veritatem, apud quos est ea, quae est ab apostolis ecclesiae successio, et id quod est sanum et irreprobabile con-*

1) Lib. IV. c. 26. n. 2.

versationis et inadulteratum et incorruptibile sermonis constat. Hi enim et eam, quae est in unum Deum, qui omnia fecit, fidem nostram custodiunt: et eam, quae est in Filium Dei, dilectionem adaugent; qui tantas dispositiones propter nos fecit: et Scripturas sine periculo nobis exponunt [1]). Hinc denique merito infert, per *successiones episcoporum, quibus apostoli eam, quae in unoquoque loco est, ecclesiam tradiderunt, pervenisse usque ad nos custoditione sine fictione Scripturarum tractationem plenissimam, neque additamentum, neque ablationem recipientem; et lectionem sine falsatione; et secundum Scripturas expositionem legitimam et diligentem, et sine periculo, et sine blasphemia; et praecipuum dilectionis munus etc.* [2])

19. Ex iis omnibus sequitur, legitimam episcoporum successionem certissimum esse argumentum, quo demonstratur traditionem apostolicam puram et illibatam semper in ecclesia conservatam fuisse; eamque intemeratam, per episcopos, qui sibi invicem ab apostolorum temporibus ad nostra usque successerunt, ad nos pervenisse: si modo episcopi legitime et secundum ecclesiae leges ordinati sint, et ab unitate ecclesiae non defecerint. Nam, ut ait auctor noster [3]), vera apostolorum traditio atque doctrina, *Dei munus est ecclesiae creditum, quemadmodum inspiratio plasmationi, ad hoc ut omnia membra percipientia vivificentur.* Et ut iam ex eodem Irenaeo diximus: *Non oportet quaerere apud alios veritatem, quam facile est ab ecclesia sumere: quum apostoli, quasi in depositorium dives, plenissime in eam contulerint omnia, quae sunt veritatis.* Quicunque proinde ab unitate ecclesiae desciverunt, a divite illo depositorio Spiritus Dei et veritatis alieni, in eius partem non veniunt. Ratio est, quia ex quo episcopus aliquis, licet secundum ecclesiae catholicae ritum ordinatus, et successionis ordinem tenens, ab unitate recessit; si in errorem labatur, iam media omnia, quibus ab eodem revocetur, sibi ipse ademit [4]). Potissimum est ad aliarum ecclesiarum, Romanae inprimis, quae centrum est unitatis, traditiones privatam sententiam exigere et ab eis legitimum Scripturarum sensum petere. Si ergo eas audire renuerit, omnem sibi dubio procul ad veritatem aditum interclusit.

20. Sequitur deinde, in ea sola ecclesia *conservatam esse eam, quae est ab apostolis, traditionem,* seu ab iis solis presbyteris *discendam esse veritatem,* ab iis solis *fidem nostram custodiri, et Scripturas sine periculo nobis exponi;* per eos solos *pervenisse usque ad nos custoditione sine fictione Scripturarum tractationem plenissimam, neque additamentum, neque ablationem recipientem, et lectionem sine falsatione, et secundum Scripturas expositionem legitimam et diligentem et sine periculo et sine blasphemia, apud quos est ea, quae est ab apostolis ecclesiae successio;* utpote *qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris, acceperunt.* Reliquos vero omnes, *qui absistunt a principali successione, et quocunque loco* extra eam ecclesiam, in qua servatur principalis ea successio, *colligunt,* seu conventus agunt, *suspectos habendos esse;* quippe qui *omnes deciderint a veritate,* quae in ea sola ecclesia reperiri potest, in qua successionis apostolicae ordo

1) Iren. lib. IV. c. 26. n. 5. 2) Cap. 33. n. 8. 3) Lib. III. c. 24. n. 1. 4) Loc. laud. n. 2.

reperitur. Porro in sola ecclesia romana (quo nomine eas omnes ecclesias hic intelligo, quae cum romana, omnium, Irenaeo teste, *maxima et antiquissima et omnibus cognita,* unitatisque centro, communionis nexu colligatae sunt) occurrit legitimus ordo successionis apostolicae: in eo positus, ut primus cuiusque ecclesiae episcopus ab apostolis, eorumve discipulis aut successoribus vocatus, ordinatus et constitutus episcopus, missionem ac potestatem acceperit eam ecclesiam fundandi, regendi, verbi Dei commisso sibi gregi praedicandi, sacramenta administrandi, aliosque ministros tum superiores, tum inferiores ordinandi, qui ministerium ecclesiasticum in ecclesia perpetuent. Extra romanam ecclesiam nullam assignare est eiusmodi legitimam episcoporum successionem, qui missionem ac auctoritatem suam apostolis ipsis per successores intermedios acceptam referre possint. Frustra igitur extra romanam ecclesiam quaesieris eam quae est ab apostolis traditionem, frustra veritatem expositionemque Scripturarum legitimam, diligentem, sine periculo et sine blasphemia etc. Huius pondere obruere se posse haereticos omnes ac schismaticos sui temporis merito confidebat Irenaeus: eodem posteriores haereticos oppressere, qui secuti sunt ss. patres, Tertullianus, Cyprianus, Optatus, Epiphanius, Augustinus, aliique passim.

21. Quod autem ss. patribus efficacissimum et ineluctabile visum est ad confundendos omnes sui temporis haereticos et schismaticos, non minus efficax esse debet ad prosternendos nostri temporis haereticos, Lutheranos, Calvinianos, aliosque quotquot ab ecclesia romana secessionem fecerunt. Hi quippe quum non minus, quam veteres, *a principali successione* abstiterint, hoc ipso non minus quam illi, *decidisse a veritate* convincuntur. Quorum proinde sectae architectis, ducibus et antesignanis, Luthero, Calvino, Zuinglio, aliisque, eodem iure dicere possumus, quo Tertullianus [1]) veteribus illis: *Qui estis? Quando et unde venistis? Quid in meo agitis, non mei? Quo denique,* Zuingli, *iure silvam meam caedis? Qua licentia,* Calvine, *fontes meos transvertis? Qua potestate,* Luthere, *limites meos commoves? Mea est possessio: olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas, ab ipsis auctoribus quorum fuit res. Ego sum haeres apostolorum. Cupio igitur ostendant mihi* Lutherus, Calvinus etc. *ex qua auctoritate prodierunt.... Si* eorum haereses *audent interserere se aetati apostolicae.... possumus dicere: Edant ergo origines ecclesiarum suarum: evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis, vel apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseveraverint, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo ecclesiae apostolicae census suos deferunt: sicut Smyrnaeorum ecclesia habens Polycarpum ab Ioanne conlocatum refert: sicut Romanorum, Clementem a Petro ordinatum edit: proinde utique et ceterae exhibent, quos ab apostolis in episcopatum constitutos, apostolici seminis traduces habeant. Confingant aliquid tale haeretici* hodierni. Confingere certe non possunt, qui omni apostolicae successionis ordine susque deque verso, eversa ab imis fundamentis ecclesiastica hierarchia, violata per summum nefas legitima, antiqua et apostolica ordinandi ministros sacros lege, nullaque accepta

1) Tertull. de Praescr.

missione et auctoritate ab iis, qui suam ab apostolis ipsis per legitimam successionem derivabant, assumentes sibi ipsis honorem, nec vocati a Deo tanquam Aaron, ministerium ecclesiasticum usurparunt. Ad quos, aeque ad veteres haereticos, spectant ea eiusdem Tertulliani verba [1]): *Ordinationes eorum temerariae, leves, inconstantes; nunc neophytos conlocant, nunc saeculo obstrictos: nunc apostatas nostros, ut gloria eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur, quam in castris rebellium, ubi ipsum esse illic, promereri est. Itaque alius hodie episcopus, cras alius: hodie diaconus, qui cras lector: hodie presbyter, qui cras laicus. Nam et laicis sacerdotalia munera iniungunt.* Laici siquidem fuere, aut simplices presbyteri iique apostatae, ab ecclesia romana excommunicati, legitimaque et canonica auctoritate ac potestate destituti, qui prima novae religionis fundamenta iecerunt, docendique, sacramenta administrandi, aliosque ministros ordinandi munus sibi, foede conculcatis antiquis omnibus canonibus, arrogarunt: quique, etiamsi episcopi fuissent in ecclesia catholica canonice ordinati; ex quo tamen ab ea per apostasiam, haeresin et schisma defecissent, legitima, quam accepissent, auctoritate, excidissent; nec proinde alios, quam sibi similes, apostatas videlicet et perditionis filios, non certe veros ecclesiae ministros, gignere potuissent.

22. Molestissimum hoc Protestantibus omnibus argumentum, petitum a continua episcoporum, praesertim romanorum successione, quod fusius prosequi nostri non est instituti, infirmare non uno loco nititur cl. Grabius. *Nunc*, inquit in notis ad cap. 3. libri III. *id argumenti genus minus valet, postquam romani papae traditioni ab apostolis acceptae alios articulos, incertos partim, partim falsos assuerunt: quorum disertam professionem quamdiu ab omnibus stricte requirunt, frustra argumentum illud aliis a communione sua divisis opponunt.* Sed si id argumenti genus minus nunc valeat, concludendum ex ipsa Grabii responsione, nunquam valuisse, operamque lusisse veteres patres, dum illud tam fidenter haereticis ac schismaticis sui temporis opponunt. Nam si quo iure contendat Grabius, posteriores pontifices romanos traditioni ab apostolis acceptae alios articulos, incertos partim, partim falsos assuisse; eodem certe contendere potuerunt veteres haeretici, adulteratam similiter a prioribus pontificibus romanis fuisse traditionem ab apostolis acceptam. Age, prodeat adversus Irenaeum quispiam e Gnosticorum grege, Grabianaque responsione ad infringendam illius argumenti vim utatur: vires iam experiatur Grabius; certus sum Gnosticum vanos hominis conatus irridentem, ab omnibus eius telis tutum mansurum esse: parum esset, nisi iisdem telis adversarium ipsum facile confoderet. Sed quid et quantum contra Gnosticum valeat, si minus experiri Grabio placet, meminerit quam infeliciter hactenus adversus domesticos haereticos, Socinianos, dimicaverint sui. Vix, ubi de Scripturarum sensu quaestio est, traditionem proferunt, quum hanc solitis patrum argumentis a continua episcoporum successione petitis munire nec valentes, nec audentes, victi pedem referre statim coguntur. Pudeat igitur cl. Grabium, virum alioqui candidum et eruditum, vanorum eiusmodi effugiorum, quae toties, tamque

1) Ibid.

invicte praeclusere Catholici, quibusque christiana fides in apertum adducta discrimen, perditissimorum quorumque haereticorum insultationibus facile pateret.

23. Romani papae, ait ille, traditioni ab apostolis acceptae alios articulos, incertos partim, partim falsos assuerunt. Cito dictum: sed quam cito et facile asseritur, tam cito et facile negatur. Sed si Grabium urgeas ut dictis fidem adstruat, quos, quaeso, articulos assignabit? Vel falsas catholicae doctrinae expositiones, a ministris gratis et per calumniam confictas, a Catholicis vero damnatas; vel quasdam imperitae plebeculae superstitiones, a sobriis ac piis quibusque pastoribus improbatas et reiectas; vel privatas theologorum quorundam opiniones, quibus alii contradicunt; vel articulos qui ad disciplinam, nihil ad fidem attinent: vel si quos proferet articulos, quorum diserta professio ab omnibus stricte requiritur; eos ex continua nec interrupta saeculorum omnium fide ab apostolis ipsis traditos fuisse illico convincetur. Certe mirum esset et portento simile, romanos pontifices alios articulos tum falsos, tum incertos apostolicae traditioni admiscuisse, eorumque disertam professionem ab omnibus stricte requisivisse; alias vero ecclesias, quae et ipsae traditionem apostolicam per continuam episcoporum successionem, illibatam apud se conservaverant, et interdum romanis pontificibus in iis quae ad disciplinam spectabant, acriter restiterunt, suaque iura peregrinis moribus violari conquestae fuerunt, fidem tamen et traditionem apostolicam ab iisdem adulteratam conquestas non fuisse, novaeque et hactenus in auditae professionis iugum sibi impositum subire aperte non renuisse. Vix Liberius papa Formulae Sirmiensi subscripsit, vix Honorius pravis Sergii Constantinopoli artibus delusus, fucum sibi a veteratore illo fieri incautus permisit, quum adversus utrumque universa statim insurrexit ecclesia, utrumque improbavit et damnavit: nec mitius cum iis egere, qui secuti sunt, romani pontifices. Qui ergo fieri potuit, ut hi deinceps ab avita praedecessorum suorum fide et traditione sic defecerint, ut reclamante nullo, nullo obsistente, totam ecclesiam secum in eiusdem erroris consensionem et professionem abduxerint? An, inimico homine seminante in agro Christi zizania, sic dormiebant omnes patresfamilias, ut nullus omnino perciperet, nullus evellere zizania niteretur? Ubi igitur Christi promissiones, se nusquam ecclesiae suae defuturum, defecturam nunquam ecclesiam, nec fore ut adversus eam praevaleant inferni portae?

24. Sed esto (absit ut concedam), romana ecclesia traditionem apostolicam adulteraverit, eius doctrina ab apostolica defecerit, *si* protestantes *negant veritatem eius, debent probare illam quoque haeresin esse eadem forma revictam, qua ipsi revincuntur*, ex traditione et consensu veterum et apostolicarum ecclesiarum, *et ostendere simul, ubinam quaerenda sit veritas*, et ubi vera Christi ecclesia. Si romana deserenda fuit, ad aliquam aliam confugiendum fuit, quae cum apostolica successione traditionem intemeratam conservasset; huic adhaerendum, coram ea damnandus ac reiiciendus error hactenus propugnatus, emittendaque catholicae fidei professio: hoc enim modo resipiscentes haeretici omni aevo reconciliati sunt, nec aliter reconciliari vera usquam permisit ecclesia.

1) Ibid.

Iam vero probet Grabius, si possit, romanae ecclesiae haeresin, ut vocant sui, eadem forma esse revictam, qua ipsi revincuntur: dicat ubinam veritatem et ecclesiam quaesierint novae religionis architecti, et ad quam ecclesiam, a romana desciscentes, confugerint. Non certe ad occidentales alias, utpote quae cum romana sentirent et communicarent: non ad orientales, quibuscum nullo communionis nexu iuncti usquam fuerunt. Quid ergo? Novam sibi fidem, novam religionem, novam ecclesiam ipsi a fundamentis exstruxerunt. Immane facinus, cuius atrocitatem prodit ipsa hesternarum paene ecclesiarum novitas. At, inquit cl. Grabius, in notis ad cap. 26. lib. IV. *ab improbis, ac in conversatione christiana haud recte se gerentibus recedendum docet Irenaeus, atque iis adhaerendum, qui cum presbyterii ordine sermonem sanum, et conversationem sine offensa praestant.* Verum id quidem: sed dissimulandum non erat, improbos illos, ac in conversatione christiana haud recte se gerentes, eos esse *qui abstiterant a principali successione, et quocunque loco colligebant; haereticos* videlicet *et malae sententiae, scindentes,* seu schismaticos, *et elatos, sibi placentes, et hypocritas, quaestus gratia, et vanae gloriae hoc operantes;* qui *omnes a veritate deciderant.* De quibus omnibus postquam sigillatim disseruit Irenaeus, ac nominatim de falsis illis pastoribus, *qui crediti quidem sunt a multis esse presbyteri, serviunt autem suis voluptatibus, et non praeponunt timorem Dei in cordibus suis, sed contumeliis agunt reliquos, et principalis concessionis tumore elati sunt, et in absconsis agunt mala;* concludit, *ab omnibus talibus absistere oportere; adhaerere vero his qui et apostolorum doctrinam custodiunt, et cum presbyterii ordine sermonem sanum, et conversationem sine offensa praestant, ad confirmationem et correptionem reliquorum. Ubi vero tales inveniat aliquis,* statim ex apostolo Paulo indicat, in ecclesia videlicet: *Tales,* ait, *presbyteros nutrit ecclesia.* Quaenam ecclesia? Ea nimirum in qua *est ea quae est ab apostolis ecclesiae successio.* Frustra igitur in alia quavis societate presbyteros, quales descripsit Irenaeus, quaeras. Frustra proinde apud omnes recentiores sectarios quaesieris: apud quos quum nulli occurrant episcopi ab iis ordinati, qui ordinationem suam continua successione apostolis ipsis acceptam referunt, non est ea quae est ab apostolis ecclesiae successio. Frustra apud ipsam hodiernam anglicanam ecclesiam, cui iam se adiungere Grabio placuit, quaesieris. Haec quidem episcopali ordine et successione gloriatur: sed meram eiusdem umbram et larvam, quae imperitis fucum faciat, rem certe non tenet. Certum siquidem est, hodiernorum episcoporum anglorum ordinationem et successionem a Matthaeo Parkero, in archiepiscopalem Cantuariensem sedem intruso, tanquam a capite et fonte fluxisse. Tantum igitur valet, quantum valuit Parkeri ordinatio. At ludicram huius ordinationem fuisse, ab ementito episcopo Ioanne Scory (quem Eduardi VI. temporibus Zwingliani et Puritani episcopum, secundum novi ritualis anglicani formam, ordinaverant), violatis omnibus ecclesiae canonibus, spretisque hactenus recepta materia et forma factam, invicte adeo demonstrarunt Catholici [1]), ut eorum argumentis nihil, nisi vanas cavillatio-

1) A. Treatise of the vocation of Bishops and other ecclesiastical Ministers, by Antony Champney etc. Douay 1616. A Treatise of the nature of catholick faith and he-

nes hactenus opponere potuerint heterodoxi. Viderit igitur cl. Grabius ac serio perpendat, an apud hodiernos anglicanae ecclesiae ministros sit ea quae est ab apostolis ecclesiae successio, certissima verae ecclesiae nota, ac proinde utrum ea ecclesia apostolorum doctrinam custodire potuerit, sermonemque sanum et conversationem sine offensa exhibere, quae a principali successione tam procul abstitit. Viderit demum ipse vir doctissimus, quid quaestioni a se propositae in fine notae superius citatae respondendum sit. *Quid vero tunc agendum, quando erroribus, schismatibus, vitiis plena sunt omnia?* *Id dicere,* inquit, *nec facile, nec huius loci est.* Immo dicere facillimum erat, chimaeram esse e Protestantium cerebro natam: impossibile siquidem esse, erroribus, schismatibus et vitiis plena esse omnia, quamdiu, ex Christi promissis, futura est in orbe vera ecclesia, *depositorii* illius *divitis,* ut cum Irenaeo loquar, custos, in quod apostoli plenissime contulerunt omnia, quae sunt veritatis. Tamdiu autem futura est ea ecclesia, quamdiu futuri sunt *presbyteri, qui successionem habent ab apostolis, qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris, acceperunt. Tales* certe *presbyteros nutrit ecclesia* romana, *in qua per successiones episcoporum semper ab his qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab apostolis traditio,* et *pervenit usque ad nos* vera Christi doctrina. Tales vero exhibere non potest ulla Protestantium societas; apud quos quum non sit ea quae est ab apostolis ecclesiae successio, verumque ministerium, quale Christus instituit, deesse etiam *id quod est sanum et irreprobabile conversationis et inadulteratum et incorruptibile sermonis constat.*

25. Sequitur denique ex hactenus explicata Irenaei doctrina, descriptisque eiusdem testimoniis, apostolos in iis, quas fundaverunt, ecclesiis, singulos, qui iis praeessent, episcopos instituisse, ac successores suos; presbyteris proinde iure divino, ac ex ipsa Christi institutione superiores. *Habemus,* inquit, *annumerare eos, qui ab apostolis instituti sunt episcopi, et successores eorum usque ad nos*[1]). Harum proinde successionum episcoporum, unius post alterum, catalogus, Irenaei aetate, exstabat in archivis omnium ecclesiarum. Sed quia longius fuisset, ut ipse dicit, eas omnes successiones recensere, illarum specimen in una praebet romana ecclesia, quae ceteris antecellit; aliis summatim tantum memoratis: *Fundantes igitur,* ait, *et instruentes beati apostoli* Petrus et Paulus *ecclesiam* romanam, *Lino episcopatum administrandae ecclesiae tradiderunt. Succedit autem ei Anacletus: post eum tertio loco ab apostolis episcopatum sortitur Clemens*[2]). Ceteros deinceps enumerat usque ad Eleutherum, *qui,* ait, *nunc duodecimo loco episcopatum ab apostolis habet.* Romanae igitur ecclesiae, ex apostolica institutione, praefuerunt singuli moderatores et pastores, episcopi nomine ac titulo. Quod tam certum est apud Irenaeum, quam ipsa traditio, cuius eo loci auctoritatem adversus haereticos adstruebat. Immo manifestior ac notior esse debuit successio, quam traditio, seu potius, traditio successionis, quam

resy etc. By N. N. 1657. Nullity of the Prelatick Clergy and Church of England further discovered etc. By N. N. 1659.

1) Iren. l. III. c. 3. n. 1. 2) N. 3.

dogmatis et doctrinae: quum doctrinae traditio per alteram successionem approbetur. Quod si verum est, ac non Romae tantum, sed in reliquis etiam urbibus, auctoribus apostolis, eadem constituta forma est gubernandarum ecclesiarum; profectó falsum est Puritanorum commentum, non nisi post apostolorum obitum, ac secundo medio saeculo, suum unicuique ecclesiae propositum episcopum fuisse; quum hactenus a pluribus, hoc est, toto presbyterio, sive presbyterorum collegio, pari iure et potestate regerentur. Ut quid enim scriberet Irenaeus, vir apostolicorum temporum, singulos in singulis ecclesiis constitutos ab apostolis episcopos fuisse: quibus mortuis alii singuli sic sufficerentur, ut earum successionum series et catalogus in unaquaque ecclesia servaretur? Ut quid unius alteri succedentis memoria scriptis tam studiose mandata est; si presbyteri omnes aequales erant, ut appellatione, ita et dignitate, nullusque aliis iure divino superior fuit? Quamobrem hic potius, quam iste, quum omnes sint aequales, catalogo inscribitur? Ubi illud est, quod scribit Salmasius, apostolos nullos unquam praefecisse singulares episcopos iis ecclesiis quas fundarunt; quum Irenaeus sigillatim recensere se posse contestetur singularium illorum episcoporum, ab apostolis institutorum, successiones? Nodus est, quem nullus unquam dissolverit, secueritve Blondellus, Dallaeus aut Salmasius. Sed quum hoc argumentum solide pertractaverint doctissimi viri, tum Catholici, tum anglicani Episcopales, et a Puritanorum tricis munierint, pluribus dicendis supersedeo. Unum duntaxat hic observabo, Irenaeum dudum occupasse argumentum illud quod Puritani petunt ab iis Actorum xx. 17. verbis: *A Mileto Paulus mittens Ephesum, vocavit maiores natu ecclesiae, τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας. Qui quum venissent ad eum, et simul essent, dixit eis .... Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei.* Quasi Paulus hic vocet episcopos, quos immediate antea vocaverat maiores natu, seu presbyteros ecclesiae Ephesinae. Eos siquidem presbyteros, quos Paulus Miletum advocaverat, fuisse tum simplices presbyteros, tum episcopos, et utrosque non ab Epheso tantum, sed et a proximis Asiae civitatibus convocatos, diserte asserit Irenaeus. *In Mileto,* inquit, *convocatis episcopis et presbyteris, qui erant ab Epheso, et a reliquis proximis civitatibus, quoniam ipse festinaret Hierosolymam Pentecosten agere, multa testificans eis, et dicens quae oporteret ei Hierosolymis evenire, adiecit: Scio quoniam iam non videbitis faciem meam*[1], *etc.* Clara sunt haec, nec ullis Puritanorum nebulis obscuranda. Quos proinde apostolus episcopos dicit *a Spiritu sancto positos regere ecclesiam Dei,* non erant presbyteri Ephesini, sed eiusdem urbis episcopus, *et reliquarum proximarum civitatum* episcopi.

ARTICULUS QUARTUS.

DE ECCLESIA, EIUS NOTIS AC CHARACTERIBUS ET ROMANAE PRIMATU ATQUE AUCTORITATE.

26. Quum extra veram Christi ecclesiam salus obtineri non possit, divinae bonitati consentaneum erat, ut ea, solis instar, clarissimos undique radios diffunderet, quibus facillime cognosci posset; seu certis qui-

1) Iren. lib. III. c. 14. n. 2.

busdam ac perspicuis notis et characteribus insigniretur, quibus ab omni falsa religione, aliisque spuriis adulterinisque societatibus discerneretur. Multas autem verae ecclesiae notas enumerant, haereticisque ac schismaticis obiiciunt tum ss. patres, tum theologi catholici. Sed omnes ad quatuor istas facile revocantur, quas symbolo suo inseruit concilium Constantinopolitanum: *Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam ecclesiam.* Quaecunque igitur vera Christi ecclesia est, his notis dignoscatur necesse est, quod nimirum una sit, sancta, catholica et apostolica. Talis erat ea, cuius membrum erat Irenaeus, cuius fidem atque doctrinam tuebatur, et a qua perperam secessisse eos, quos impugnabat, haereticos, invicte demonstrabat. Hisce characteribus eam ipse non semel designavit, et a qualibet alia societate haeretica, vel schismatica distingui voluit.

27. Unitatis notam soli ecclesiae catholicae singularem esse ac propriam, qua ab haereticis omnibus ac schismaticis discernitur, adeo Irenaeo constabat, ut in hac arce tutissimum defensionis fidei praesidium constituat, indeque disputandi initium ducat. *Hanc praedicationem,* inquit, *quum acceperit, et hanc fidem, quemadmodum praediximus, ecclesia, et quidem* (graece, καίπερ, quamvis) *in universum mundum disseminata, diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans: et similiter credit iis, videlicet quasi unam animam habens et unum cor, et consonanter haec praedicat et docet et tradit, quasi unum possidens os* [1]). Quasi diceret: Haec verae ecclesiae nota, hic character. Quamvis per totum orbem longe lateque propagata sit, perinde est tamen ad fidei unitatem, ac si unam domum habitaret. Quam enim fidem atque doctrinam ab apostolis sibi creditam accepit, eodem ubique studio et eadem cura conservat; et quasi unam animam, unum cor, et unum os haberet, eodem ubique modo credit, praedicat, docet et accepta tradit. Nam, addit, etsi dispares inter se mundi linguae sunt, una tamen et eadem est ubique vis traditionis; nec eae quae in Germania, Hispaniis, Galliis, Oriente, Aegypto, aut alibi gentium constitutae sunt ecclesiae, aliter credunt, aut aliter tradunt: sed sicuti sol a Deo conditus, in universo mundo unus atque idem est: ita etiam veritatis praedicatio eadem ubique lucet, omnesque homines, qui ad veritatis agnitionem venire cupiunt, illustrat. Et quamvis non eaedem omnium ecclesiae antistitum dotes, aliique aliis peritiores et disertiores sint: eadem tamen omnium doctrina est. *Quum enim una et eadem fides sit, neque is qui multum de ea potest dicere, ampliat; neque is qui minus, deminorat. Eorum,* inquit alibi, *qui ab ecclesia sunt, semita, circumiens mundum universum, quippe firmam habens ab apostolis traditionem, et videre nobis donans omnium unam et eandem esse fidem, omnibus unum et eundem Patrem praecipientibus, et eandem dispositionem incarnationis Filii Dei credentibus, et eandem donationem Spiritus scientibus, et eadem meditantibus praecepta, et eandem figuram eius, quae est erga ecclesiam, ordinationis* (id est, eandem regiminis ecclesiastici formam) *custodientibus, et eundem expectantibus adventum Domini, et eandem salutem totius hominis, id est, animae et corporis, sustinentibus. Et ecclesiae quidem praedicatio vera et firma, apud quam una et eadem sa-*

1) Iren. lib. I. c. 10. n. 2.

lutis via in universo mundo ostenditur. Huic enim creditum est lumen Dei etc. [1])

28. Haec apostolicorum hominum fides, haec in eorum animis insita, et ab apostolis accepta et quasi consignata verae ecclesiae notio. Apage ergo spuriam illam portentosamque, quam commenti sunt recentiores Protestantium ministri, ecclesiae notionem, quae sectas omnes, tum haereticas, tum schismaticas complectatur, quae in iis fidei articulis, quos quidem fundamentales vocare, nusquam vero clare et aperte designare placuit, conveniant, licet in ceteris omnibus dissideant, et quasi civili bello pugnantes, mutuis anathematum vulneribus sese misere conscindant atque lacerent. Nihil ab ea animae, cordis et oris unitate, quam verae ecclesiae characterem esse dicit Irenaeus, alienius fingi potuit. Immo tantum abest, ut quaslibet sectas haereticas sinu suo complectatur ecclesia, qualem describebat Irenaeus, quin potius in hoc ab haereticis distinctam esse contendat, quod *eius praedicatio undique constans et aequaliter perseverans* secum ubique terrarum consentiat; illi vero nunquam constantes, semper et ubique secum pugnantes, omni vento doctrinae moveantur, ac velut alternantibus, sibique succedentibus variarum sententiarum fluctibus iactentur. *Nos,* inquit, *unum et solum verum Deum doctorem sequentes, et regulam veritatis habentes eius sermones, de iisdem semper eadem dicimus omnes.* Illi vero *non bene sentientes, interim tamen semetipsos arguunt, de iisdem verbis non consentientes* [2]). Et alibi: *Bene habere putavimus, ostendere primo, in quibus ipsi patres huius fabulae discrepant adversus se invicem, quasi qui sint ex variis spiritibus erroris. Et ex hoc enim diligenter cognoscere est, et ex ostensione* (graece, *καὶ πρὸ τῆς ἀποδείξεως, nullisdum etiam allatis argumentis,* ut melius vertit Billius), *eam firmam, quae ab ecclesia praedicatur, veritatem, et ab iis quod fingitur falsiloquium* [3]). Tum exposita mira ecclesiarum omnium in una fide atque doctrina consensione, subiicit: *Videamus nunc et horum inconstantem sententiam, quum sint duo, vel tres, quemadmodum de iisdem non eadem dicunt, sed et nominibus, et rebus contraria respondent* [4]). Descriptis vero praecipuorum Valentini discipulorum secum pugnantibus sententiis, concludit: *Quum autem discrepent ab invicem et doctrina et traditione, et qui recentiores eorum agnoscuntur, affectant per singulos dies novum aliquid adinvenire, et fructificare quod nunquam quisquam excogitavit, durum est omnium describere sententias* [5]). Si autem quaeras, quae caussa tam effusae apud haereticos sentiendi licentiae, hanc assignabit Irenaeus: *quod* nimirum *non fundati super unam petram, sed super arenam habentem in se lapides multos; multi ex ipsis, immo omnes velint doctores esse, et abscedere quidem ab haeresi, in qua fuerunt, aliud autem dogma ab alia sententia, et deinceps alteram ab altera componentes, nove docere insistunt, semetipsos adinventores sententiae, quamcunque compegerint, gloriantes* [6]). Nempe excusso semel ecclesiae auctoritatis iugo, repudiataque veritatis regula, nullo iam freno coërceri valentes, in obvias quaslibet opiniones facile concedunt. *Arguuntur* proinde *non quidem apostolorum, sed suae*

1) Lib. V. c. 20. n. 1. 2) Lib. IV. c. 35. n. 4. 3) Lib. I. c. 9. n. 5. 4) Cap. 11. n. 1. 5) Cap. 21. n. 5. 6) Cap. 28. n. 1. et lib. III. c. 24. n. 2.

malae sententiae esse discipuli. Propter hoc autem et variae sententiae sunt uniuscuiusque eorum, recipientis errorem, quemadmodum capiebat [1]). Eapropter rectissime monet, *non oportere adhuc quaerere apud alios,* videlicet apud haereticos, veritatem, *quam facile est ab ecclesia sumere; quum apostoli, quasi in depositorium dives, plenissime in eam contulerint omnia, quae sint veritatis: uti omnis, quicunque velit, sumat ex ea potum vitae. Haec est enim vitae introitus: omnes autem reliqui fures sunt et latrones. Propter quod oportet devitare quidem illos; quae autem sunt ecclesiae, cum summa diligentia diligere, et apprehendere veritatis traditionem* [2]). Igitur apud solam ecclesiam quaerenda veritas: huic soli credita est ab apostolis, huic soli creditum lumen Dei, huic soli *creditum Dei munus,* fides, *quemadmodum inspiratio plasmationi, ad hoc ut omnia membra percipientia vivificentur* [3]): ab hac sola sumendus vitae potus; haec sola vitae introitus. Et quae ecclesia? Ea nimirum quam iam descripsit Irenaeus, quae per totum orbem propagata habet unam animam, unum cor, unum os, unam et eandem regiminis ecclesiastici formam, per continuam episcoporum ab apostolis successionem, cuius una fides, doctrina atque docendi ratio. Tantum abest ad hanc ecclesiam pertinere haereticos arbitretur, ut potius diserte ab ea excludat, ut fures et latrones, apud quos nulla vita, nulla quaerenda veritas sit.

29. Sed, inquiunt, inter illius ipsius ecclesiae, quae unitate tantopere gloriatur, membra gravissimae interdum oriuntur contentiones acerrimaeque controversiae. Verum id quidem: at omissis consulto pluribus, quae responderi possent (nec enim controversiarum campo plus quam Irenaeus noster sinat, inferre me velim), id unum duntaxat observabo: eo scilicet veram Christi ecclesiam a ceteris quibuscunque societatibus discriminari, quod in his nulla sit finiendarum controversiarum regula; in illa vero certus sit quarumcunque contentionum componendarum modus, auctoritas videlicet eiusdem ecclesiae per episcopos suos, vel in conciliis generalibus loquentis, iudicantis ac definientis, vel unanimi consensione quidpiam aut probantis aut respuentis. Quum enim episcopis commiserint ecclesias apostoli, ut toties asserit Irenaeus, iisque custodiendum crediderint *depositorium illud dives,* in quod *plenissime contulerunt omnia, quae sunt veritatis,* impossibile est, quamdiu vera stabit ecclesia, Christusque promissis suis non deerit (defuturum unquam quis Christianus suspicari queat?), episcopos omnes, singulasque ab iis administratas ecclesias, in errorem conspirare. Quapropter ut quid certum et indubitatum, et a quo religata pendet ecclesiae unitas, proponit, ac frequenter inculcat Irenaeus [4]), *eis, qui in ecclesia sunt, presbyteris obaudire oportere,* ab iis *discere oportere* veritatem, germanamque Scripturarum expositionem esse quaerendam. Ratio est, quia *cum episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris, acceperunt.* Et quamvis interdum oriantur *creditі quidem a multis presbyteri,* sed *qui serviunt suis voluptatibus, et non praeponunt timorem Dei in cordibus suis;* certum est tamen, *tales* semper *presbyteros nutrire ecclesiam, qui et apostolorum doctrinam custodiunt, et cum presby-*

1) Lib. III. c. 12. n. 7. 2) Lib. III. c. 4. n. 1. 3) Lib. III. c. 24. n. 1.
4) Lib. IV. c. 24. n. 2. et seqq.

terii ordine sermonem sanum, et conversationem sine offensa praestant, ad confirmationem et correptionem reliquorum; quibus proinde *adhaerere oportet.*

30. Ut vero unitas inter tot episcopos, totque singulares ecclesias tam longe a se invicem distantes foveri, omniumque consensus facilius explorari posset, nec omnes emergentibus quibuscunque controversiis maximo cum singularum gravamine simul in unum locum convenire cogerentur; necesse erat primam aliquam inter omnes ecclesiam constitui, quae ceteris omnibus praeesset, ceteris pro iure invigilaret, ac veluti quoddam unitatis centrum esset, in quod omnes confluentes, eiusdem fidei et communionis nexu colligarentur. Cognita igitur huius primae ecclesiae sententia, ceterarum omnium satis ut plurimum cognita fuerit: una enim omnium cum ea ecclesia fides atque doctrina; haec ceterarum caput, cui arctissime adhaerere tenentur omnes. Porro hoc esse unius romanae ecclesiae privilegium, ut primum inter ceteras omnes honoris, dignitatis atque auctoritatis gradum obtineat, aliasque omnes sibi inferiores habeat, tam clare et aperte docet Irenaeus, ut lubens in meridiana luce caecutiat, quisquis negare audeat. Argumenta contra haereticos ducturus ab auctoritate traditionis apostolicae et consensus omnium ecclesiarum, id principii loco statuit, traditionem apostolicam unam et eandem, puram et illibatam in omnibus ecclesiis conservatam fuisse, eamque veritatis studiosis omnibus patere. *Traditionem itaque apostolorum in omni mundo manifestatam, in omni ecclesia adest respicere omnibus, qui vera velint videre*[1]). Hanc vero propositionem ex eo probat, quod quum in singulis ecclesiis apostolicis, a primo, qui ab apostolis institutus est, episcopo continua semper fuerit, nec usquam interrupta series episcoporum sibi succedentium, qui sibi invicem ac curae suae commissis populis veluti per manus tradiderunt, quod ab apostolis traditum fuerat; si in aliquo dogmate consentientes omnes ecclesiae inveniantur, invictum est argumentum, illud ab apostolis ipsis manasse. *Habemus annumerare eos, qui ab apostolis instituti sunt episcopi in ecclesiis, et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his deliratur. Etenim si recondita mysteria scissent apostoli, quae seorsim et latenter ab reliquis perfectos docebant, his vel maxime traderent ea, quibus etiam ipsas ecclesias committebant etc.* Tota vis huius argumenti pendet a duplici propositione: prima, in singulis ecclesiis apostolicis continuam semper perseverasse episcoporum ab apostolis successionem: secunda, omnes illas ecclesias in eandem sententiam conspirare. Utramque simul ut probaret Irenaeus, necesse sibi esse non duxit adire singulas ecclesias, ut successionis catalogos in archivis earum asservatos evolveret, et singularum sententiam exploraret: longius id fuisset, multisque difficultatibus obnoxium: expeditiori ac breviori via procedit. Unius ecclesiae romanae traditionem per continuam episcoporum successionem in ea conservatam consulere satis habuit, ut haereticos omnes confunderet; ratus iure merito, ea semel cognita, illico aliarum omnium ecclesiarum traditionem, sententiam atque doctrinam cognosci. Quum enim ecclesia romana omnium princeps, caput et prima sit, omnium maxima, antiquis-

1) Lib. III. c. 3. n. 1.

sima et maxime cognita, ab apostolorum principe Petro, eiusque socio Paulo fundata, quae ceteris omnibus pro iure suo praesit et dominetur, et cum qua omnes omnino fideles unius et eiusdem fidei, et communionis vinculis colligari necesse sit; inde liquido patet, aliam esse non posse aliarum ecclesiarum traditionem et fidem, a fide et traditione romanae ecclesiae. Praetermissis itaque totius orbis ecclesiarum episcoporum catalogis, illius unius continuam episcoporum successionem recensere, ac, quae per hunc veluti canalem manavit usque ad nos, apostolorum traditionem declarare satis est, ut ex communi omnium ecclesiarum, quae cum romana consentire debent, sententia et traditione devincantur omnes haeretici. *Sed quoniam,* inquit, *valde longum est, in hoc tali volumine omnium ecclesiarum enumerare successiones; maximae et antiquissimae, et omnibus cognitae a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae ecclesiae, eam quam habet ab apostolis, traditionem et annuntiatam hominibus fidem, per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sibi placentia vel vanam gloriam vel per caecitatem, et malam sententiam, praeterquam oportet colligunt. Ad hanc enim ecclesiam propter* POTIOREM PRINCIPALITATEM *necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique, fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab apostolis traditio* [1]).

31. In iis verbis plura observanda sunt. 1°. Romanam ecclesiam iam Irenaei saeculo omnium maximam existimatam fuisse, longe minus fidelium numero, de quo tunc temporis cum ea contendere potuissent aliae quaedam ecclesiae, quam auctoritatis amplitudine. 2°. Omnium antiquissimam: quod si ad fundationis tempus referatur, falsissimum erit; dudum enim antea Hierosolymitanam, Antiochenam et alias fundaverant apostoli. Ad dignitatem igitur necessario referendum est, ut ideo omnium antiquissima dicatur romana ecclesia, quia omnium princeps et praecipua. Quare vix dubito, quin graece scripserit Irenaeus ἀρχαιοτάτης, quod male verterit interpres *antiquissimae*, quum vertendum hic fuisset *praecipuae ac principis*. 3°. Omnibus cognitam asserit Irenaeus, utpote quam ceteris sublimiorem ac excellentiorem, aliae omnes ut caput et primam suspicerent ac venerarentur. 4°. A gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo fundatam et constitutam dicit: quo ruit absurdum illud recentiorum quorundam haereticorum commentum, qui tota reclamante antiquitate, negare ausi sunt Petrum Romam usquam venisse. 5°. Ad hanc ecclesiam necesse esse omnem ecclesiam, seu omnes omnino fideles per totum orbem dispersos convenire: non quod illuc proficisci tenerentur ii, qui erant undique fideles; id vel cogitare absurdissimum fuisset: sed quod, ut fateri coactus est ipse Salmasius [2]), necesse esset *convenire et concordare in rebus fidei cum ecclesia romana. Graece* quippe, inquit, *locutus fuerat Irenaeus,* συμβαίνειν πρὸς τὴν τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίαν: porro συμβαίνειν πρός τινα, *aeque usitatum Graecis, ac* συμβαίνειν τινί; illud vero hic non nisi ad consensum et concordiam referri, ad quamcunque peregrinationem detorqueri, non nisi insulsissime potest. Ratio autem cur cum romana ecclesia necesse sit omnem con-

1) N. 2. 2) Salmas. de Primat. Pap. cap. 5. pag. 65. edit. Lugd. Bat. 1645.

sentire ecclesiam, haec ab Irenaeo affertur, *ob potiorem* illius *principalitatem.* Sic scripsisse latinum interpretem nobiscum merito censet idem Salmasius: graece vero scriptum ab Irenaeo putat, *διὰ τὸ ἐξαίρετον αὐτῆς πρωτεῖον;* nos probabilius, *διὰ τὸ ὑπέρτερον πρωτεῖον.* Sed alterutrum scripserit auctor noster, significare voluit, ideo omnes ecclesias cum romana consentire teneri, quia licet ceterae in suis quaeque finibus principatus in sibi subditos fideles iure gaudeant, longe tamen potior est is quem obtinet romana; utpote quae principatus ac primatus iure omnibus dominetur, omnibus praesit, omnesque sibi subditas habeat. 6°. Denique, in ea ecclesia semper ab his, qui sunt undique, conservatam esse eam, quae est ab apostolis, traditionem. Quum enim huius sententiae atque doctrinae adhaerere teneantur omnes, qui sunt undique, fideles; longe tutius ac facilius conservari in ea potuit apostolica traditio, tot episcopis, presbyteris et clericis, totque fidelium myriadibus credita, imisque pectoribus recondita, quam in aliis ecclesiis divisim spectatis, quarum iurisdictionis fines non tam longe lateque patebant.

32. Locus hic Irenaei male habet eos omnes, qui *per caecitatem et malam sententiam, praeterquam oportet, collegerunt,* id est, qui catholicae fidei simul et obedientiae, quam exhibere romanae tenebantur ecclesiae, iugum excusserunt, ut *ἀκέφαλα* sibi ad arbitrium conventicula constituerent. Quare, ne turpissimam schismatis ac haereseos labem incurrant Protestantes, nullum lapidem non movent, ut importunissimi loci pondus declinent. Sed tam parum sibi in hoc explicando, quam in fidei dogmatibus consentiunt. Salmasius ad clarissimae lucis fulgorem oculos claudere non valens, fateri, ut dixi, caactus est, Irenaei verborum sensum esse, *necesse esse omnem ecclesiam convenire et concordare in rebus fidei ac doctrina cum romana ecclesia.* Id ipsum est quod ex eo Irenaei loco inferunt Catholici omnes. Fateatur igitur necesse est Salmasius, eam omnem ecclesiam, quae a romana discrepabit ac dissentiet in rebus fidei ac doctrina, eo ipso schismatis ac haereseos culpa teneri. Videant proinde Salmasii asseclae, Calviniani omnes, et quicunque a romana ecclesia in rebus fidei dissentiunt, quo pacto culpam hanc a se amoliantur. Neque enim quod secundo ecclesiae saeculo, Salmasio fatente, necesse erat, posterioribus his saeculis minus necesse est. Quod hic addit, *velle Irenaeum, ecclesiam romanam, ut principalem, id est, primam et omnium maxime puram, typum et exemplum ceteris debere esse doctrinae sinceritatis et apostolicae traditionis custodiendae;* in eo verum est, quod fatetur, Irenaeum velle, ecclesiam romanam *principalem* et *primam* omnium esse. Velit igitur, nolit, sequitur, eam principatus ac primatus iure ceteris omnibus praeesse ac dominari; ac proinde eos omnes qui imperium illius detrectant, obiectum sibi apertae rebellionis crimen dissolvere non posse. Si vero eo duntaxat sensu romanam ecclesiam primam ac principalem esse velit Salmasius, quod omnium maxime pura, typus et exemplum ceteris esse debeat doctrinae sinceritatis, et apostolicae traditionis custodiendae, nugatur et nugari secum vult Irenaeum. Ut enim taceam hic plura, quae modo Grabii sententiam expendens dicturus sum; si ea solum ratione principalis ac prima sit romana ecclesia; de primatu ac principatu iure merito cum ea contendere potuissent Smyrnensis e

Ephesina ecclesia, quas subinde memorat Irenaeus. Et ipsae enim tunc temporis nec minus purae erant, quam romana, nec minori iure ut typus et exemplum doctrinae sinceritatis et traditionis apostolicae custodiendae ceteris proponi potuissent. Frustra ergo et ridicule uni romanae ecclesiae *potiorem principalitatem* asseruisset Irenaeus, quam aliae eodem iure, ipsae et ab apostolis pariter fundatae, et a sanctissimis eorum successoribus gubernatae, vindicare sibi potuissent. Frustra contendisset, necesse esse omnem ecclesiam convenire et concordare in rebus fidei ac doctrina cum romana, ob potiorem eiusdem principalitatem. Nisi enim huius sententiae in rebus fidei ceterae ecclesiae parere teneantur, nulla potior necessitas cum illa ecclesia consentire, quam cum Antiochena, Ephesina, Smyrnensi et aliis.

33. Quam male hac sua explicatione Protestantium caussam egerit Salmasius, optime sensit cl. Grabius. Quare ea reiecta, aliter sibi sentiendum esse putavit, inclinatamque caussam aliis commentariis erigere tentavit: non novis quidem; sed quos ad obscurandum hunc Irenaei locum dudum scripserat Chamierus [1]). Ea quae Irenaeo graeca supponit, ac, prout lubet, fabricatur, non morabor: inanes luxuriantis ingenii coniecturae sunt, quae tam facile negantur, quam gratis proponuntur. Id etiam non morabor, quod apud Irenaeum latinum legendum putat, *potentiorem principalitatem,* ut hactenus ferunt omnes editi codices, et plerique MSS. non *potiorem,* ut ex MS. claromontano, omnium antiquissimo, restituimus: quamvis enim posterior haec lectio ad Irenaei mentem et verba melius quadret; bene tamen quadrat et altera: quare alterutra retineatur, perinde esse ad sensum existimo. Sed ad rem venio. Contendit itaque Grabius, *per conventum omnis ecclesiae, id est, eorum, qui sunt undique, fidelium, ad ecclesiam romanam, propter potentiorem principalitatem, intelligendum esse confluxum eorum, qui ab omni ecclesia Romam mittebantur, ut caussam Christianorum agerent apud imperatores, quorum potentior erat principalitas, id est, suprema potestas.* Ob potentiorem itaque principalitatem Romanorum, ait, contingebat, ut ad romanam urbem, et proinde ecclesiam, ab omnibus undique ecclesiis convenirent fideles, defensionem suae fidei et ecclesiae suscepturi. De hoc vero conventu ad locum urbis atque ecclesiae romanae, non de communione fidei ac caritatis cum ea, multo minus de subiectione obedientiae Irenaeum hoc loco scripsisse. Sic Grabius.

34. Sed nec ea explicatio ad Irenaei verba, nisi prorsus delirasse supponatur, quadrare ulla ratione potest. 1°. Si de confluxu eorum, qui ab omni ecclesia Romam mittebantur, ut caussam Christianorum agerent apud imperatores, intelligendus sit; sensus erit, necesse fuisse omnem ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, Romam venire, ut caussam Christianorum agerent apud imperatores. Atqui tantum abest id necesse fuerit, ut ante Irenaei aetatem factum aliquando fuisse ne uno quidem exemplo probare possit Grabius. Plures quidem Christianorum apologias oblatas imperatoribus a Quadrato, Aristide, Melitone, Apollinari, Athenagora et Iustino legimus: sed eos ab ecclesiis Romam missos fuisse, ut caussam Christianorum agerent apud imperatores, falsissimum:

1) Chamier. To. 2. Panstrat. cathol. lib. XIII. de Oecum. Pont. c. 22. n. 12. seqq.

immo plerosque, ipsum etiam Athenagoram, cuius Apologiae titulo, quod inscribatur *Legatio,* abutitur Grabius, e patria pedem extulisse, ut apologias suas offerrent, nullibi legimus: si qui vero, ut Iustinus, Romae obtulerint, dudum antea ibi degebant, nec huc eo fine venerant. Et, quaeso, quae necessitas Christianis adeundi imperatores ethnicos, a quibus nihil nisi ius omne fasque violatum sperare poterant? 2°. Irenaeus scribit necesse esse, fideles convenire ad romanam, non urbem, sed ecclesiam. Ut quid igitur verbis eius vim apertam inferendo, per *ecclesiam* Grabius intelligi vult *urbem*? *Ad romanam urbem et proinde ecclesiam,* ait, *ab omnibus undique ecclesiis conveniebant fideles.* Quasi vero romana urbs et romana ecclesia, idem prorsus sic sonent, ut quisquis urbem adibat, illico ad ecclesiam convenire dicendus esset? Ecce, romanae urbis, aulae, imperatorum, ne verbo quidem hactenus meminit Irenaeus, sed solius ecclesiae romanae; et tamen verba haec, *ob potentiorem principalitatem,* si Grabio fides, non ad ecclesiam, de qua ex professo sermonem instituit, sed ad urbem, aulam, imperatores, quorum nulla facta est mentio, referenda sunt? Ecquis stomachus absurda haec concoquere valeat? Quis non videat *potentiorem* illam *principalitatem,* ut legere amat vir clariss. ad eam ecclesiam pertinere, ad quam fideles omnes sic convenire debent; ut tota conveniendi ratio sit ipsa potentior eiusdem ecclesiae principalitas? 3°. Denique (et hic caussae cardo est), negare nec potest, nec audet Grabius, quin Irenaei toto hoc capite scopus sit probare, unam et eandem in omni ecclesia traditionem apostolicam, et fidem esse, qua confundantur omnes haeretici; eam vero puram et illibatam per continuam episcoporum successionem ad suam usque aetatem manasse. Quia vero longius et molestius fuisset omnium et singularum ecclesiarum successiones episcopales enumerare, sufficere si unius ecclesiae romanae successio, per quam apostolica traditio pervenit usque ad illud aevum, recenseatur: quia eadem est aliarum omnium ecclesiarum cum romana fides et traditio. Quamobrem recensita episcoporum romanorum successione, concludit: *Hac ordinatione et successione, ea quae est ab apostolis, in ecclesia traditio, et veritatis praeconatio pervenit usque ad nos. Et est plenissima haec ostensio unam et eandem vivificatricem fidem esse, quae in ecclesia ab apostolis usque nunc sit conservata, et tradita in veritate.* Eandem autem aliarum ecclesiarum cum romana fidem et traditionem esse ex eo probat Irenaeus, quod ad romanam ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse sit omnem ecclesiam convenire. Si ergo Grabianam explicationem admittamus, ea supposita, sic argumentatum fuisse Irenaeum dicendum erit. Illarum ecclesiarum eadem est cum romana fides et traditio, quarum fideles necesse est Romam venire, ut Christianorum caussam agant apud imperatores, quorum potentior est principalitas, seu potestas suprema. Atqui necesse est fideles ex omnibus ecclesiis Romam venire, ut caussam Christianorum agant apud imperatores, quorum potentior est principalitas. Igitur omnium ecclesiarum eadem est cum romana fides et traditio. Grabium ipsum iudicem volo, quis, nisi delirus, ita argumentetur? Supponamus e contrario, Irenaeum argumentari eo modo, quo argumentari superius demonstravi; sic procedet argumentum. Earum ecclesiarum una et eadem est cum romana fides et traditio, quas

necesse est cum capite, duce et principe romana, ceteris regendis a Deo praefecta, consentire in rebus fidei atque doctrina. Atqui necesse est omnes ecclesias, seu, quod idem est, fideles omnes, ex quocunque loco, regione aut gente sint, cum romana ecclesia omnium capite, duce ac principe, regendis omnibus a Deo praefecta consentire. Omnium igitur ecclesiarum eadem est cum romana fides et traditio; ac proinde quum ex traditione huius ecclesiae confundantur haeretici omnes et schismatici, ex consensu omnium ecclesiarum confundi necessario consequitur. Iudicet quisquis aequus rerum aestimator, et posterius hoc argumentum, quod Irenaei esse merito contendunt Catholici, cum eo conferat, quod sanctissimo martyri Grabius affingit: nisi sponte caecutire velit, fateatur necesse est, quantum hoc Irenaeo repugnat, tantum in illo secum omnia consentire, et ad Irenaei scopum, doctrinam et antecedentia mire quadrare.

35. Sed, inquit Grabius, ecclesiae romanae tantum abest, ut Irenaeus semetipsum, aliosque fideles adeo obstrictos existimaverit, ut publico facto contrarium existimaverit. Quum enim Asianas ecclesias Victor papa a communione resecuisset, quod pascha ecclesiae romanae more celebrare renuerent; non ob id Asianos praesules redarguit Irenaeus, quod morem pontifici gerere detrectarent, nec hortatur, ut ab ecclesiae romanae communione se nulla ratione divelli patiantur: sed potius Victorem ipsum increpavit, quod integras ecclesias, morem sibi a maioribus traditum custodientes, a communione abscidisset, ut ipsi superius ex Eusebio et aliis retulimus. Dolendum sane, quod Grabius futilibus eiusmodi argumentationibus deludi se patiatur. Quae comparatio institui potest inter res, quae ad fidem pertinent, et inter eas, quae ad ecclesiae disciplinam spectant? Quis nesciat totam eam de celebrando paschate quaestionem, ad disciplinam duntaxat, ad fidem nullatenus pertinuisse, et eadem semper inter disputantes, ac illaesa manente fide agitari potuisse? Suam quidem utraque pars sententiam traditione apostolica fulciebat: sed vel tirones non fugit, alias esse traditiones apostolicas, quae ad fidem aut mores pertinent, alias, quae ad disciplinam: priores, easdem semper et ubique, nulli unquam mutationi obnoxias esse; posteriores vero, pro diversitate locorum et temporum, varias esse posse. Posterioris huius generis fuit de celebrando paschate traditio apostolica. Potuit enim alia esse in Oriente, alia vero in Occidente apostolorum agendi ratio, ubique prudens, atque caritate nixa: ex utraque autem nata hic et illic varia disciplina, quam sequi tamdiu liberum fuit, quamdiu contrariam in conciliis suis non invexit universalis ecclesia. Porro quum dicimus, necesse esse omnem ecclesiam cum romana consentire, de rebus fidei loquimur: non contendimus vero, nec contendunt ipsi pontifices romani, eandem esse debere omnium ecclesiarum cum romana disciplinam. Et in hoc peccasse Victorem papam contendebant multi, quod a prudenti decessorum suorum oeconomia desciscens, Asiaticas ecclesias ad romanae morem et disciplinam obstringere voluisset: contra atque senserant fecerantque priores pontifices Romani, aliique totius Occidentis praesules, qui nullam ea de re litem Asiaticis movendam esse hactenus censuerant. Unde decenter ab Irenaeo monitus, ut loquitur Eusebius, ab incepto statim destitit, pacem Asianis restituit, nec deinceps sollicitandos esse existimavit. Sed quam infeliciter ab ea historia argumentum petiit Grabius, tam feli-

citer idem adversus ipsum retorqueri posset. Nisi enim Victori papae iurisdictio in orientales ecclesias fuisset, nunquam certe commisisset, ut iis imperaret ac ecclesiae suae morem sequi iuberet. Cur enim romanus episcopus ephesinum, et non ephesinus romanum hic sibi subditum ac obsequentem habere vult? Cur romanus episcopus ephesinum, et non ephesinus romanum a communione abscindere praesumit? Sed cur ille, si nulla huic auctoritas erat, insanam hominis arrogantiam ac superbiam non deridet? Negat quidem ephesinus episcopus, negant et Asiatici ceteri, eo usque patere romani pontificis auctoritatem, ut ceteros ad privatam ecclesiae suae disciplinam obstringere possit: sed tantum abest auctoritatem ipsam negent, quin potius iubenti ut per totum Orientem synodos habeant episcopi, hi statim morem gerunt, pontificemque eorum, quae in conciliis suis definierant, ea, qua par erat, reverentia certiorem faciunt. Immo Irenaeus ipse, licet paullo fervidiorem Victoris zelum non probaret, non redarguit tamen, quod aliquam sibi in Orientales auctoritatem arrogaret: sed monet duntaxat, idque *decenter* ac reverenter, ne ea auctoritate in praesenti occasione abusus, integras ecclesias immeritas a communione abscinderet. Adeo certum est, ne ipsos quidem, quibus cum ecclesia romana gravissimae intercedebant controversiae, primatum illius, auctoritatem et iurisdictionem negare ausos fuisse.

36. Nimirum, ut dixi, unam ecclesiam esse oportuit, dispersasque per orbem singulares ecclesias secum invicem unius et eiusdem communionis vinculis colligari; quod fieri non potuit, nisi interventu unius ecclesiae, quae instar centri unitatis ceteras omnes et sibi et secum invicem colligaret. Quisquis vere spiritalis est, huic uni ecclesiae immobiliter adhaerebit, nec ab unitatis centro divelli se ulla unquam ratione patietur: immo Irenaeo teste [1]), *iudicabit,* damnabitque *eos, qui schismata operantur, qui sunt inanes, non habentes Dei dilectionem, suamque utilitatem potius considerantes, quam unitatem ecclesiae: et propter modicas et quaslibet caussas, magnum et gloriosum corpus Christi conscindunt et dividunt, et quantum in ipsis est, interficiunt: pacem loquentes, et bellum operantes: vere liquantes culicem, et camelum transglutientes. Nulla enim ab eis tanta potest fieri correctio, quanta est schismatis pernicies.* Maxime ponderanda sunt postrema haec verba: *Nulla a* schismaticis, iisve omnibus, qui ab una cathedra secesserunt, *tanta fieri potest correctio, quanta est schismatis pernicies.* Quamcunque ergo *correctionem* fecisse se glorientur *inanes* homines, haec *schismatis perniciem* adaequare, et eam, quam fecere, caritatis iacturam compensare nunquam potest. Qui enim ab unitate desciscit, a caritate excidit, amittitque *praecipuum* illud *dilectionis munus, quod est pretiosius quam agnitio, gloriosius autem quam prophetia, omnibus autem reliquis charismatibus supereminentius.* Porro pretiosum illud munus unius *corporis Christi* [2]), illius videlicet ecclesiae, in qua est una cathedra unitatisque centrum, *character* est. *Quapropter,* addit Irenaeus [3]), *ecclesia omni in loco ob eam, quam habet erga Deum, dilectionem, multitudinem martyrum in omni tempore praemittit ad Patrem, reliquis omnibus non habentibus hanc rem ostendere apud se .... opprobrium enim eorum, qui persecutionem patiun-*

1) Iren. lib. IV. c. 33. n. 7. 2) N. 8. 3) N. 9.

tur propter iustitiam, et omnes poenas sustinent, et mortificantur propter eam, quae est erga Deum, dilectionem et confessionem Filii eius, sola ecclesia pure sustinet.

37. Ab ea verae ecclesiae nota, unitate, fluit altera, sanctitas videlicet. Sancta enim non esse non potest, quae in caritate radicata et fundata est, quae pretiosum illud Dei munus, omnibus reliquis charismatibus supereminentius, proprio iure possidet. Sancta sit necesse est, cuius ipsum Dei Verbum caput est. Nam, ut ait auctor noster [1]), *super omnia quidem Pater, et ipse est caput Christi; per omnia autem Verbum, et ipse est caput ecclesiae:* siquidem *Verbum homo universa in semetipsum recapitulans est: uti sicut in supercaelestibus et spiritalibus et invisibilibus princeps est Verbum Dei, sic et in visibilibus et corporalibus principatum habeat, in semetipsum principatum assumens, et apponens semetipsum caput ecclesiae, universa attrahat ad semetipsum apto tempore* [2]). Ecclesia igitur *est synagoga Dei, quam Deus, hoc est, Filius ipse per semetipsum collegit* [3]), quamque per Spiritum sanctum sibi univit; cui *creditum est lumen Dei;* quae *ubique praedicat veritatem;* ἐπτάμυξος *lucerna, Christi baiulans lumen* [4]). Quidquid igitur docet ecclesia, quidquid credendum proponit, quidquid faciendum iubet, sanctum est; utpote *testimonium habens a prophetis et ab apostolis, et ab omnibus discipulis* [5]): in ea siquidem manet Spiritus sanctus, luminis, vitae et sanctitatis fons, qui huic lucem, vitam et sanctitatem omnem infundit. Quare *fides, quam perceptam ab ecclesia custodimus, semper a Spiritu Dei, quasi in vase bono eximium quoddam depositum iuvenescit, et iuvenescere facit ipsum vas, in quo est. Hoc enim ecclesiae creditum est Dei munus, quemadmodum inspiratio plasmationi, ad hoc ut omnia membra percipientia vivificentur: et in eo disposita est communicatio Christi, id est, Spiritus sanctus, arrha incorruptelae, et confirmatio fidei nostrae, et scala ascensionis ad Deum.* In ecclesia enim, *inquit,* posuit Deus apostolos, prophetas, doctores [6]), *et universam reliquam operationem Spiritus: cuius non sunt participes omnes, qui non currunt ad ecclesiam, sed semetipsos fraudant a vita, per sententiam malam. et operationem pessimam. Ubi enim ecclesia, ibi et Spiritus Dei; et ubi Spiritus Dei, illic ecclesia, et omnis gratia: Spiritus autem veritas.*

38. Hinc concludit Irenaeus 1° nullam extra veram Christi ecclesiam, qualem hactenus ex ipso descripsimus, veram doctrinae morumque sanctitatem esse quaerendam: eos quippe, qui non currunt ad ecclesiam, ubi Spiritus Dei, semetipsos fraudare a vita, et omni gratia, per sententiam malam, et operationem pessimam; *nec participare Spiritum sanctum, neque a mammillis matris nutriri in vitam, neque percipere de corpore Christi procedentem nitidissimum fontem: sed effodere sibi lacus detritos de fossis terrenis, et de coeno putidam bibere aquam, effugientes fidem ecclesiae, ne traducantur; reiicientes vero Spiritum, ut non erudiantur. Alienati vero a veritate, digne in omni volutantur errore, fluctuati ab eo, aliter atque aliter per tempora de eisdem sentientes, et nunquam sententiam stabilitam habentes, sophistae verborum magis volentes esse,*

1) Lib. V. c. 18. n. 2. 2) Lib. III. c. 16. n. 6. 3) Cap. 6. n. 1. 4) Lib. III. c. 24. n. 1. 5) Ibid. 6) I. Cor. XII. 28.

quam discipuli veritatis. Non enim sunt fundati super unam petram, sed super arenam habentem in se ipsa lapides multos [1]).

39. Concludit 2°. in sola vera ecclesia, vera miracula esse posse: extra ecclesiae sinum nulla, ad eorum, quae reprobat, dogmatum confirmationem, nisi falsa et ementita miracula, merasque praestigias, et magicas operationes fieri posse. *Arguentur qui sunt a Simone et Carpocrate, et si qui alii virtutes operari dicuntur: non in virtute Dei, neque in veritate, neque ut beneficii hominibus facientes ea, quae faciunt; sed in perniciem et errorem, per magicas elusiones et universa fraude; plus laedentes, quam utilitatem praestantes his, qui credunt eis; in eo quod seducant. Nec enim caecis possunt donare visum, neque surdis auditum, neque omnes daemones effugare, praeter eos, qui ab ipsis immittuntur, si tamen et hoc faciunt etc.* [2]) Tum probat adhuc aetate sua, *in fraternitate saepissime, propter aliquid necessarium, ea, quae est in quoquo loco, ecclesia universa postulante per ieiunium, et supplicationem multam, reversum esse spiritum mortui, et donatum esse hominem orationibus sanctorum;* pluresque mortuos sic resurrexisse, ut *perseveraverint nobiscum,* inquit, *annis multis;* daemones passim ex obsessorum corporibus expelli, infirmos per manuum impositionem curari, sanosque restitui, ac multos in ecclesia videri, qui praescientia futurorum, visionibus, dictionibus propheticis et charismatibus, dono linguarum etc. conspicui essent [3]). *Et quid autem? Non est numerum dicere gratiarum, quas per universum mundum ecclesia a Deo accipiens, in nomine Christi Iesu, crucifixi sub Pontio Pilato, per singulos dies in opitulationem gentium perficit; neque seducens aliquem, nec pecuniam ei auferens .... sed munde et manifeste orationes dirigens ad Dominum, qui omnia fecit, et nomen Domini Iesu Christi invocans* [4]). Ex quibus omnibus merito infert, *ibi* duntaxat *discere oportere veritatem, ubi charismata Domini posita sunt,* nempe *apud quos est ea, quae est ab apostolis ecclesiae successio* [5]).

40. Quam certum est autem eam, quam agnovit Irenaeus, ecclesiam unam et sanctam esse, tam certum est eandem et catholicam et apostolicam esse. Id evidenter demonstrant ea omnia, quae hactenus protulimus ex ipso loca. Nihil enim efficacius, ut iam diximus, esse arbitratus est ad retundendam haereticorum, varias in sectas secumque pugnantes divisorum, pervicaciam, quam ut iis opponeret unanimem totius ecclesiae per totum mundum longe lateque propagatae consensum in reiiciendis profligandisque nefariis eorum dogmatibus. Hinc perpetuo urget, ut vidimus, *ecclesiam per universum orbem usque ad fines terrae seminatam, in universum mundum disseminatam* [6]); per Germaniam, Hispanias, Gallias, Orientem, Aegyptum, Libyam et Iudaeam dispersam; apud *multas gentes barbarorum,* et *per universum mundum* [7]) constitutam, circumeuntem mundum universum; ac denique vineam *non iam circumvallatam, sed expansam in universum mundum* [8]), cuius tamen esset una fides, doctrina et traditio, una anima, unum cor, unum os, una et eadem praedicatio ac regiminis ecclesiastici forma. Rideat proinde, vel sui compos

---

1) Lib. III. c. 24. n. 2. 2) Lib. II. cap. 31. n. 2. et 3. et cap. seq. n. 3. et 4. 3) Lib. V. c. 6. n. 1. 4) Lib. II. cap. 23. n. 4. 5) Lib. III. c. 26. n. 5. 6) Lib. I. c. 10. n. 1. 2. 7) Lib. III. c. 4. n. 2. et cap. 12. n. 8. 8) Lib. IV. c. 36. n. 2.

non sit necesse est, quisquis ecclesiam tam longe lateque propagatam, visibilem ac conspicuam esse neget, et ad fictitium quendam et invisibilem electorum coetum coerceat. Ecqui latere possit, *cuius lumen, praedicatio veritatis, ubique lucet, et illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire*? [1]) Quomodo ignota esse possit, quae *ubique praedicat veritatem, apud quam una et eadem salutis via in universo mundo ostenditur*, quae *plantata est Paradisus in hoc mundo*, quaeque *ubique praeclara est*? [2]) Qui denique invisibilis esse queat, quae *est ἑπτάμυξος lucerna, Christi baiulans lumen; cui creditum est lumen Dei; et propter hoc* sapientia *Dei, per quam salvat omnes homines, in exitu canitur, in plateis autem fiducialiter agit, in summis muris praedicatur, in portis autem civitatis constanter loquitur*? [3])

41. Nihil etiam validius ad confundendos eos omnes, qui vel male sentiunt, vel praeterquam oportet, colligunt, esse existimavit auctor noster, quam iis ecclesiam apostolicam obiicere. Hinc tam saepe, tamque constanter inculcat, ut ostendimus, eandem ecclesiam ab apostolis ipsis suam accepisse fidem, doctrinam et traditionem, ab iis fundatam esse, et ordinatam, ab iis constitutos fuisse episcopos, penes quos in unaquaque ecclesia summa rerum esset, a quibus sibi invicem succedentibus perpetuo regeretur et administraretur; hacque continua episcoporum successione, nunquam desitura, unam et eandem, apostolicam, puram et intemeratam ad nos usque manare fidem et traditionem. Hinc in ea successione certissimum corporis Christi, seu ecclesiae characterem positum esse vult, quo ab infidelium, haereticorum et schismaticorum conventiculis secernatur. *Character*, inquit, *corporis Christi secundum successiones episcoporum, quibus illi eam, quae in unoquoque loco est, ecclesiam tradiderunt.* Ubi perperam contendit, nullo certe argumento probat, clariss. Grabius, hic *characterem* non tam signum, sive notam, quam formam, sive figuram ecclesiae denotare. Quod etiamsi obtineret, male tamen adhuc caussae suae consuleret. Id enim, velit, nolit, ex Irenaeo constabit, eam *secundum successiones episcoporum* formam in corpore Christi, sive ecclesia, ab apostolis ipsis constitutam esse; ac proinde ea semper nota discriminatum iri veram Christi ecclesiam, ab apostolis fundatam, a quacunque alia societate; quod in illa forma sit secundum legitimam episcoporum successionem, quae in hac desit. Hinc *eos qui ab ecclesia sunt, eandem figuram eius, quae est erga ecclesiam, ordinationis* [4]), id est, eandem regiminis ecclesiastici formam, quam constituerunt apostoli, semper custodire asserit auctor noster. Hinc demum iure merito infert, sectis quibuscunque haereticis aut schismaticis antiquiorem esse veram ecclesiam, utpote quae originem apostolis, immo ipsi Christo capiti suo acceptam referat: *Omnes vero haereticos valde posteriores esse, quam episcopos, quibus apostoli tradiderunt ecclesias* [5]). Apud barbaros siquidem iam obtinebat ea, quam praedicabat ecclesia, fides; quibus tamen, ne quidem nomine tenus, notae erant haereticorum sectae; longe minus eorum sententiae: *nequedum enim congregatio* haereticorum *fuit apud eos, neque doctrina instituta* [6]). Deinde uniuscuius-

1) Lib. I. c. 10. n. 2. 2) Lib. V. c. 20. n. 1. 2. 3) Lib. IV. cap. 36. n. 2. Prov. I. 20. 21. 4) Lib. V. c. 20. n. 1. 5) Ibid. 6) Lib. III. c. 4. n. 2. 3.

que haereseos initia, primosque parentes et architectos facile assignari posse; recentioris quippe memoriae esse: ecclesiae vero catholicae exordia in Christum solum, eiusque apostolos refundi posse. *Ante Valentinum enim non fuerunt, qui sunt a Valentino, neque ante Marcionem erant, qui sunt a Marcione; neque omnino erant reliqui sensus maligni, quos supra enumeravimus, antequam initiatores et inventores perversitatis eorum fierent. Valentinus enim venit Romam sub Hygino; increvit vero sub Pio, et prorogavit tempus usque ad Anicetum. Cerdon autem, qui ante Marcionem, et hic sub Hygino vixit .... Marcion autem illi succedens invaluit sub Aniceto .... Reliqui vero, qui vocantur Gnostici, a Menandro Simonis discipulo, quemadmodum ostendimus, accipientes initia, unusquisque eorum, cuius principatus est sententiae, eius et pater et antistes apparuit. Omnes autem hi multo posterius, mediantibus iam ecclesiae temporibus, insurrexerunt in suam apostasiam.*

42. Certissimis hisce characteribus, hactenus explicatis, eam ecclesiam, cuius fidem et traditionem contra haereticos propugnabat Irenaeus, definit et a qualibet alia societate discriminat ac discriminari vult. Quaenam vero ea fuerit ecclesia, haud ambigat quisquis Irenaeum dicentem audierit, ad romanam ecclesiam necesse esse omnem ecclesiam, si verae ecclesiae membrum et pars esse velit, convenire: id est, ut superius demonstravimus, in una cum ea fide, traditione atque doctrina consentire, eiusque communioni adhaerere: et quisquis meminerit sanctissimum apostolicorum virorum discipulum cum ea semper ecclesia individua communionis societate vinctum ad mortem usque perseverasse. Porro si romana ecclesia ideo fuerit secundo saeculo vera Christi ecclesia, quia sola praedictis verae ecclesiae characteribus ac notis insigniebatur, necesse est eandem et solam, postremis etiam hisce saeculis, veram esse Christi ecclesiam, quum in eam solam conveniant illi characteres. Quisquis enim sepositis tantisper praeiudiciis, sectas omnes, quae iam corpus Christi misere lacerant, percurrere voluerit, e vestigio deprehendet ecclesiam romanam solam esse, quae sit unius fidei, unius doctrinae, unius oris ac labii, quaeque secum ubique consentiat in rebus fidei ac morum, communi pastorum sententia definitis; aliis omnibus sectis in tot fere sententias, quot capita divisis, alternantibusque variorum dogmatum fluctibus in haec, vel illa iactatis, pro ratione temporum, affectuum, commodi aut incommodi: solam romanam ecclesiam sanctam esse, non quod omnia eius membra a peccato immunia sint, in agro quippe dominico paleae cum frumento permixtae sunt; sed quod sola nihil nisi sanctum doceat, praecipiatque, in ea sola resideat Spiritus sanctus gratiarum omnium et charismatum fons, qui plures, etiam nostris diebus, ad eximium sanctitatis gradum perduxit, verorumque miraculorum gloria illustravit: quum aliae omnes sectae a vera sanctitatis laude procul desciverint, nullos peccantibus frenos iniicere valeant, eaque doceant absurditatis plena dogmata, quibus fidei morumque sanctitas funditus evertatur; quale est illud, peccatores sola fide veram iustitiam consequi posse, neminemque iustum a vera, quam semel consecutus est, iustitia excidere unquam posse; quae fuerunt ipsissima Gnosticorum exitiosissima principia, quibus latissimum ad scelera omnia aditum pandi alibi ostendimus: solam ecclesiam romanam apostolicam esse, ac continua episcoporum pastorum-

que suorum successione ab apostolis derivatam, fidemque et traditionem, quam ab iis accepit, illibatam custodiisse: quum aliae omnes sectae temere abrupta successione apostolica, novas sibi ecclesias condiderint, quarum novi sunt auctores ac fundatores: solam denique romanam ecclesiam catholicam esse et universalem, per totum mundum propagatam, ubique perspicuam et insignem, miraque fecunditate gaudentem novos sibi et Christo sponso suo in dies filios, per eos, quos ad remotissimas gentes mittit pastores et doctores, parere: aliis omnibus sectis in angulo orbis, et intra certarum regionum fines conclusis, longeque minus sollicitis de novis Christo gignendis filiis, quam de veteribus pervertendis.

43. Haec, ac potissimum romanae ecclesiae amplitudinem, quum post Irenaeum frequenter in notis suis tam vere, quam pie inculcaverit, aliisque patrum sententiis confirmaverit doctissimus bonaeque memoriae Feuardentius; molestissima eius argumenta eludere, propitiosque sibi, si posset, Irenaeum et Augustinum, cuius etiam auctoritatem obiiciebat Feuardentius, facere pro virili sua conatus est Grabius in notis suis ad Irenaei lib. IV. c. al. LXX. nunc XXXVI. Itaque fatetur Augustinum in certamine cum Donatistis multum in eo fuisse, ut universitatem, ipsumque nomen catholicum, tanquam proprium verae ecclesiae characterem assereret, quo a falsis haereticorum et schismaticorum coetibus, in parte mundi haerentibus, et ab ea, vel ab auctoribus suis denominationem indeptis distingueretur. Atque ita plerumque rem eius aevo et ante se habuisse. Secus vero sentiendum de sequiori ac ultima prope mundi aetate, deque tempore illo (toties a ministris Calvinianis et Lutheranis decantato) meretricis magnae, cuius mentio Apocal. capp. 17. 18. et 19. Quae, inquit, non de s. Ioannis solum, sed et ultima mundi aetate ab ipsis Pontificiis, et quidem societatis Iesu theologis plerisque, in sacram Apocalypsin commentariis, ingenue explicata sunt, nec aliam expositionem admittunt. Tunc sane, addit, qui inductus universitate et amplitudine istius corruptae ecclesiae, ex virgine in meretricem versae, eam amplexus fuerit, nae is misere semetipsum deceperit. Sic cl. Grabius. Cui ego: nae potius is miserrime semetipsum aliosque decipiat, qui frivolis eiusmodi ratiunculis inductus, apertissimis sanctorum patrum testimoniis vim inferat, efficacissimaque eorum argumenta sic infirmet, ut ea vel levissimo spiritu difflare haeretici omnes ac schismatici semper potuerint. Nihil certius, Irenaeum, Optatum, Augustinum, aliosque ss. patres ecclesiae amplitudinem et universitatem obiecisse. At nisi amplitudo haec et universitas, essentialis ac perpetuus sit ecclesiae character, nihil infirmius argumento ab ea amplitudine petito. Quo enim iure huic respondere se posse putat Grabius, valuisse quidem prioribus saeculis, tum quum virgo adhuc esset ecclesia, non valere vero postrema mundi aetate, qua virgo illa in meretricem versa est: eodem prorsus reponere potuisset Gnosticus quivis, Sabellianus, Arianus, Nestorianus, Donatista etc. ecclesiam iam a pristina sanctitate et fide sic defecisse, ut quisquis inductus universitate et amplitudine istius corruptae ecclesiae, ex virgine in meretricem versae, eam amplecteretur, is misere semetipsum deciperet: ac proinde si hac responsione a Catholicorum telis tutum se esse, ac verae Christi ecclesiae ad angustiores redactae limites membrum putet vir doctissimus; fateatur necesse est eodem se clipeo munire merito potuisse perditissimos

quosvis haereticos cum veteres, tum recentiores, ac verae ecclesiae membrorum titulo gloriari. Infelix certe Grabius, qui responsis suis arma ministret haereticis quibuscunque, quorum ictum nulla arte declinare ipse valeat.

44. Sed ne quod toties a Catholicis feliciter actum est, hic iterum agere cogar, id unum a Grabio quaeram: an postrema hac mundi aetate societas quaedam in orbe supersit, quae vera Christi ecclesia iure dici possit? Superstitem esse non negabit, puto, si prophetarum oraculis, Christique ipsius et evangelii dictis, quibus perituram nunquam ecclesiam praenuntiatur, fidem habeat. Porro si vera aliqua ecclesia nunc in orbe supersit, talem esse necesse est, iisdemque characteribus insignitam, qualem et quibus notis conspicuam esse voluit Christus. At ex Scripturis propheticis et evangelicis certissimum est, universitatem et amplitudinem proprium esse, essentialem ac proinde perpetuum illius, qualem constituit Christus, ecclesiae characterem. Id adeo perspicue, efficaciter et invicte demonstrat Augustinus in libro *de unitate ecclesiae*, ne alios proferam, quos scripsit contra Donatistas, ut prorsus obstruatur os loquentium iniqua. Allatis et expensis Scripturarum utriusque Testamenti vocibus, concludit s. Doctor §. 32. *Evangelizata est nobis ecclesia per totum orbem terrarum futura. Hoc in lege et prophetis et psalmis esse praenuntiatum ipse Dominus testificatus est, qui eam coepturam ab Ierusalem, et per omnes gentes permanaturam esse praedixit; testes sibi futuros in Ierusalem et in tota Iudaea et Samaria, et usque in totam terram, quum iam in caelum ascenderet, praenuntiavit. Haec verba facta secuta sunt. Quomodo coeptum sit ab Ierusalem, et deinde processum in Iudaeam et Samariam et inde in totam terram, ubi adhuc crescit ecclesia, donec usque in finem etiam reliquas gentes, ubi adhuc non est, obtineat, Scripturis sanctis testibus consequenter ostenditur: quisquis aliud evangelizat, anathema sit. Aliud autem evangelizat, qui periisse dicit de cetero mundo ecclesiam, et in parte Donati in sola Africa remansisse* (iam dicendum est, in parte Calvini et Lutheri in sola Anglia, Belgio et Germania remansisse) *dicit. Ergo anathema sit. Aut legat mihi hoc in Scripturis sanctis, et non sit anathema.*

45. Respondebunt forte recentiores Donatistae, quod veteres illi apud Augustinum §. 33. *Et ista, inquiunt, credimus et completa esse confitemur; sed postea orbis terrarum apostatavit, et sola remansit Donati* (Calvini et Lutheri) *communio.* Sed statim cum Augustino reponemus: *Hoc nobis legant, et nihil resistimus. Si autem non ea de Scripturis sanctis legunt, sed suis contentionibus persuadere conantur: credo illa, quae in Scripturis sanctis leguntur, non credo ista, quae ab haereticis vanis dicuntur.* Aequissima certe conditio ab Augustino proposita. Quum enim apertissima sint, et, ut Augustini verbis §. 56. utar, *nullo interprete indigeant canonicarum Scripturarum testimonia, quae commendant ecclesiam in totius orbis communione consistere;* quisquis asserit amplitudinem hanc et universitatem non fore perpetuam verae ecclesiae notam, necesse est tam clara et aperta scripturarum testimonia proferat, quibus assertionem suam probet. Nisi enim Deus fallere nos voluerit, quod absit ut vel cogitemus, commendata ubique et designata ecclesia sua, velut societate quadam, quae prae ceteris omnibus ampli-

tudine et universitate insignis foret; debuit pro bonitate sua, alicubi saltem tam disertis verbis monere amplitudinem hanc, temporalem duntaxat ecclesiae notam fore, postrema mundi aetate desituram; ac tandem aliquando futurum esse, ut ecclesia, quae prioribus saeculis orbem totum obtineret, postrema mundi aetate angustioribus septa limitibus, in minima mundi parte coërceretur. Hinc Augustinus §. 72. 75. cuius verba sibi dicta putet Grabius, et quisquis cum ipso misere deceptus tam immaniter errat, *Audistis*, inquit, *pastoris vocem manifestissimam, non solum per legem eius et prophetas et psalmos, sed etiam per os proprium commendantis ecclesiam suam futuram. Et ea quae praedixit, quemadmodum ex ordine consecuta sint, in actibus et litteris apostolorum, quae divinarum Scripturarum Canonem complent, legendo perspicitis. Non est obscura quaestio in qua vos fallant, quos ipse Dominus praedixit futuros atque dicturos,* Ecce hic est Christus, ecce illic: ecce in deserto [1]), *quasi ubi non est frequentia multitudinis:* ecce in cubiculis, *quasi in secretis traditionibus atque doctrinis. Habetis ecclesiam ubique diffundi* (nec tantum, sed) *et crescere usque ad messem,* id est, usque ad extremum iudicii diem. *Habetis civitatem de qua ipse, qui eam condidit, ait,* Non potest civitas abscondi super montem posita [2]). *Ipsa est ergo, quae non aliqua parte terrarum, sed ubique notissima est .... Vos autem innitentes tot evidentissimis testimoniis legis, prophetarum, psalmorum, ipsius Domini et apostolorum, de sancta ecclesia toto terrarum orbe diffusa, exigite ab istis, ut ostendant de Africa* (iam de Anglia etc.), *quod attinet ad partem Donati* (iam Calvini et Lutheri), *aliqua manifesta de canonicis libris testimonia. Neque enim, sicut iam dixi, ullo modo fieri posset, ut ecclesia, sicut dicunt, et quod absit, tam cito ex tot gentibus peritura, tot testimoniis tam sublimiter, et tam indubitanter praedicaretur; et de ista, quam volunt, sua, quae usque in finem, sicut contendunt, permansura fuerat, taceretur.* Proinde Grabius et asseclae *perscrutentur Scripturas* (et hic iterum Augustini verba sunt §. 42.) *et contra tam multa testimonia, quibus ostenditur ecclesia Christi toto terrarum orbe diffundi, vel unum proferant tam certum et tam manifestum, quam illa sunt, quo demonstrent ecclesiam Christi periisse de ceteris gentibus et in sola* Anglia *remansisse .... Sed quam non permittantur saltem quaerere aliquid, quo probent esse praedictum, deficientibus a fide christiana ceteris gentibus, in sola* Anglia *ecclesiam remansuram: attendant illud quod saepe commemoravi,* utraque crescere usque ad messem, et agrum esse mundum, messem finem saeculi [3]), *non nobis, sed ipso Domino interpretante parabolam suam .... Desinant ergo quaerere quod invenire non poterunt, non quia occultum est, sed quia non est. Sunt enim adhuc nonnullae gentes, in quibus nondum est evangelium praedicatum: necesse est autem impleri omnia, quae de Christo et ecclesia praedicta sunt: oportet ergo et in eis praedicari.*

46. At, inquit Grabius, legimus in Apocalypsi futuram esse meretricem magnam, cum qua fornicabuntur reges terrae, et inebriabuntur qui habitant terram, de vino prostitutionis eius etc. quae de ultima mundi aetate ab ipsis Pontificiis explicantur. Sed rursus cum Augustino §. 9.

1) Matth. XXIV. 23. 2) Matth. V. 14. 3) Matth. XIII. 30.

respondebo, *illa seponenda esse, quae obscure posita, et figurarum velaminibus involuta* (qualia sunt ea fere omnia, quae in Apocalypsi leguntur) *et secundum nos et secundum illos possunt interpretari. Est quidem acutorum hominum diiudicare atque discernere, quis ea probabilius interpretetur: sed nolumus in has ingeniorum contentiones, in ea caussa, quae populos tenet, nostram disputationem committere.... Aperta veritas clamet, luceat, in obturatas aures irrumpat, dissimulantium oculos feriat, nemo in eis latebris quaerat falsae suae sententiae locum, omnem conatum contradicendi confundat, omnem frontem impudentis elidat.* Si quae eiusmodi Scripturae loca habeat Grabius, proferat; sed Apocalypseos interpretationem Deo soli committat, memineritque, quam infeliciter quibusdam e suis cesserit. Quanquam tamen si sacrae huius prophetiae mysteria scrutari liceat, longe facilius quaecunque de meretrice illa magna praenuntiantur, possumus in Protestantes ipsos convertere, et ei, quam fidei et moribus intulerunt, corruptelae accommodare, quam possint in ecclesiam romanam transferre. Sed missis hisce *rerum figuris, in quibus,* ut rursus ait Augustinus §. 10. *quia vel interpretem quaerunt, nolo nostra ingenia comparentur,* concludamus: quum in Scripturis hac universitatis amplitudinisque nota designetur ea, quam constituit Christus, ecclesia, nec aliquando desituram eam notam ullibi appareat; si quae hodie in orbe vera supersit ecclesia, eam solam esse quae ceteris societatibus longius latiusque pateat; ac proinde solam romanam esse. *Illae quippe singulae in multis gentibus, ubi ista est, non inveniuntur: haec autem, quae ubique est, etiam ubi illae sunt, invenitur* [1]).

ARTICULUS QUINTUS.

DE MYSTERIO SANCTISSIMAE TRINITATIS.

47. Totam, quam de sacro trinitatis mysterio tenet ecclesia catholica, fidem paucissimis comprehensam verbis tradidit Augustinus lib. XI. de civit. Dei c. 24. *Credimus,* inquit, *et tenemus et fideliter praedicamus, quod Pater genuerit Verbum, hoc est, Sapientiam per quam facta sunt omnia, unigenitum Filium, unus unum, aeternus coaeternum, summe bonus aequaliter bonum: et quod Spiritus sanctus simul et Patris et Filii sit Spiritus, et ipse consubstantialis et coaeternus ambobus: atque hoc totum et trinitas sit propter trinitatem personarum, et unus Deus propter inseparabilem divinitatem, sicut unus omnipotens propter inseparabilem omnipotentiam. Ita ut etiam, quum de singulis quaeritur, unusquisque eorum et Deus omnipotens esse respondeatur; quum vero de omnibus simul, non tres Dii, vel tres omnipotentes, sed unus Deus omnipotens: tanta ibi est in tribus inseparabilis unitas, quae sic se voluit praedicari.* Haec, inquam, catholicae fidei summa, a qua late recessisse Irenaeum calumniantur Sociniani, quorum maxime interfuit tantae auctoritatis virum in partes suas vel invitum pertrahere. De ea minus recte sensisse, imprudentius, quam malignius conquesti sunt e Catholicis quidam. Hunc ab utrorumque criminationibus strenue vindicarunt cl. Georgius Bullus presbyter anglicanus in sua *Defensione fidei*

1) August. §. 6.

Nicaenae, et doctissimus noster Domnus Nicolaus le Nourry, in Apparatu ad Bibliothecam maximam veterum patrum To. II. prioris edit. an. 1697. Dissert. VI. cap. 6. §. 2. et seqq. quorum lucubrationibus si nihil addere potuerim, saltem aliquid lucis forsitan inspersurus sim.

48. Ut Irenaei mens certius exploretur, tutior omnium via est penitus inspicere quis fuerit eius scopus, quae adversariorum, quos impugnabat, hypothesis, quid demum adversus eos probandum sibi susceperit? Animo itaque recolat quisquis primam nostram dissertationem, ac potissimum art. 1. §. 5. et seqq. legere gravatus non fuerit, Gnosticos omnes et Valentinianos, quos refellebat Irenaeus, fidem omnem mysterii ss. trinitatis profanis platonicisque suis commentis funditus evertisse: adeo ut ex impurissimis hisce fontibus fluxerit, quae deinceps christianam religionem infecit, Sabelliana et Ariana haeresis. Ad trinitatem usque divinarum personarum, quarum una eademque esset natura ac substantia divina, animum erigere non valentes, statuebant Deum, quem primum ac supremum Patrem appellabant, immensis saeculorum intervallis solitarium, unumque ut natura, sic et persona fuisse, tacite secum cogitantem, unaque sua cogitatione contentum et occupatum. Quum vero exterius sese prodere, orbem condendo, animo constituisset, in actum erupit, qui rerum omnium seminarium, principium, forma et archetypus esset: huncque vocabant Nun, Mentem seu Sensum et Filium unigenitum Patris; parentique suo perfecte similem et aequalem esse dicebant, atque ita comparatum, ut solus magnitudinem Patris caperet; utpote qui a Patre haudquaquam sive re, sive persona distinctus esset; nihilque aliud esset quam Pater ipse sentiens, ac exterius velut effundere sese incipiens. A Nu productum aiebant Verbum, quod rerum spiritalium, angelorum videlicet superiorum principium, auctor et formator esset, angelus ipse a Patre, eiusque Nu, substantia et persona longe diversus: nec enim huic, ut Unigenito, datum capere magnitudinem Patris. A Verbo emissi sunt alii Aeones, seu angeli, a quibus vicissim alii geniti: ab omnibus vero simul conspirantibus productus Salvator, qui inferiorem angelum mundi huius adspectabilis conditorem dirigeret. Quum autem novissimus Aeon supremi Patris magnitudinem temere scrutatus paene periisset; ne idem casus alios subiret, emissum ab Unigenito alterum par Aeonum, seu angelorum, Christus et Spiritus sanctus, a quibus fulciretur muniretur que pleroma. Summa proinde, quod ad rem praesentem attinet, huc redit: Patrem Verbo et Spiritui sancto longis saeculorum myriadibus praeexstitisse; Unigenitum illum, quem dicebant, Filium, meram Patris *ἐνέργειαν,* efficientiam, actum, aut proprietatem *ἀνυπόστατον,* non personam ab eo distinctam fuisse: Verbum autem, Spiritum sanctum, Christum et Salvatorem, totidem spiritales naturas et personas, angelici ordinis, a se invicem distinctas, et in tempore conditas, atque divina seu paterna longe inferiores exstitisse: Demiurgum denique, seu mundi opificem, angelum et ipsum fuisse, sed praecedentibus ignobiliorem; qui nec in pleromate, aliorum sede, locum haberet, et densioribus ignorantiae tenebris obvolutus natus esset. Haec sunt haereticorum commenta, quae confutanda sibi suscepit Irenaeus, ac toto opere passim confutat.

49. Et primo quidem quia haeretici variis, quae passim in Scripturis occurrunt, Christi et Verbi nominibus abusi, male distinguebant

inter Unigenitum Filium, Verbum, Christum, Iesum, Salvatorem et Demiurgum; qua prava distinctione nitebatur valentiniani systematis maxima pars: vanam eam esse probat Irenaeus, primum auctoritate evangelii Ioannis; quo exposito concludit lib. I. cap. 9. n. 3. *Unum et eundem ostendi Logon et Monogenem et Zoën et Phos et Soterem et Christum Filium Dei, qui incarnatus est pro nobis.* Et lib. II. cap. 13. eam, quam inter Patrem, Nun et Verbum distinctionem interponebant haeretici, cum eo, quem fingebant, emissionum ordine, cum recta ratione pugnare multis demonstrat. In primis quum Nus, seu mens sit *ipsum quod est principale et summum et velut principium, et fons universi sensus,* et cogitationis, uno verbo mens ipsa essentialis et substantialis Patris, et ipse Pater; emissum dici non nisi absurdissime posse, ne Deus ipse et Pater *a semetipso separetur, et quasi ab alio aliud emittatur* [1]). Deinde si ea emissionum series, qualem comminiscebantur haeretici, in Deo admittitur, ita ut longe prius exstiterit Pater, quam Verbum suum emiserit, hocque ab illo tam procul distet; hominum compositorum natura, et ex corpore et anima subsistentium, affectiones et intentiones mentis, dum cogitant, in Deum ipsum transferri necessario consequitur. Ea est enim hominum conditio, ut verbum ab eorum mente non emittatur, nisi post aliquam actuum seriem et successionem. *In eo autem, qui sit super omnes Deus, quum simplex et non compositus et similimembrius, et totus ipse sibi similis et aequalis sit, totus Nus, et totus Logos quum sit, totus sensus et totus ennoea et totus ratio; et nec aliud antiquius, nec posterius, aut aliquid alterius habente in se, sed toto aequali et simili et uno perseverante, iam non talis huius ordinationis sequetur emissio* [2]). Et cap. 17. n. 7. *Non enim ut compositum animal quiddam est omnium Pater, praeter Nun, quemadmodum praeostendimus; sed Nus Pater et Pater Nus. Necesse est itaque, et eum, qui est ex eo Logos, immo magis autem ipsum Nun, quum sit Logos, perfectum et impassibilem esse; et eas, quae ex eo sunt emissiones, eiusdem substantiae quum sint, cuius et ipse, perfectas et impassibiles, et semper similes cum eo perseverare, qui eas emisit.*

50. Haec sunt argumenta, quibus Valentinianos impugnabat Irenaeus. 1°. Velut certissimum quid, ex catholica fide, et evangelio supponebat, Unigenitum, Verbum, Salvatorem et Christum Filium Dei, qui incarnatus est pro nobis, *unum et eundem,* seu unam et eandem esse personam, cuius diversa duntaxat essent nomina. Deinde in hoc assentiebatur haereticis (quod et catholica fides probabat), non quod Unigenitus mera esset Patris *ἐνέργεια,* ut illi volebant; sed quod Unigenitus, per quem facta esse omnia cum Ioanne asserebat, ipsi Patri consubstantialis esset, ei perfecte similis, et perfecte comprehendens magnitudinem Patris. Ex quo concludebat, et Verbum ipsum Patri consubstantiale esse, huic perfecte simile, et comprehendens eius magnitudinem. 3°. Quia haeretici Verbum procul a Patre, et natura et ordine generationis dissitum, ignorantiae et passioni obnoxium esse statuebant; eodem fundamento nixus blasphemiam hanc refellit. Nimirum, Logos est ipse Nus et Nus est Logos: eadem proinde utriusque et substantia et natura et perfectio.

1) N. 4. 2) Lib. II. c. 13. n. 3. et 8.

Praeterea necesse est eas, quae ex Nu sunt emissiones, eiusdem substantiae esse, cuius et ipse Nus, perfectas et impassibiles et semper similes cum eo perseverare, qui eas emisit. Atqui Nus Patris, ipsis fatentibus haereticis, Verbum emisit. Necesse est itaque Verbum eiusdem esse substantiae cum Nu Patris, perfectum et impassibile et semper simile cum eo. 4°. *Multum distat omnium Pater ab his, quae proveniunt hominibus, affectionibus et passionibus.* Eae vero sunt hominum affectiones et passiones, ut verbum eorum prolationis initium habeat, et mente cogitante posterius genesin habeat in tempore. Quum ergo Verbum Dei verbum humanum infinito superet intervallo; nec prolationis initium habere potuit, nec genesin in tempore. Denique quidquid in Deo est, Deus ipse est: nec enim aliud antiquius, nec posterius, aut aliud alterius, seu a se diversum habet in se, sed totus simplex est et non compositus, totus aequalis et similis et unus perseverans. Atqui Verbum et Spiritus sanctus in Deo sunt, et Dei Verbum et Spiritus sunt; nam ipse Deus Verbum, totus Spiritus, totus Logos, totus Nus etc. Igitur Verbum et Spiritus sanctus sunt eiusdem cum Deo substantiae et naturae, eiusdem cum eo antiquitatis et aeternitatis, huic coaevi et consubstantiales; uno verbo Deus ipse. Quin haec ipsissima sint Irenaei argumenta, nullus inficias ierit, qui ad mox citata testimonia totumque eiusdem scopum attenderit: eadem certe argumenta, quibus deinceps usi sunt ss. Patres contra Arianos et Macedonianos; et utuntur etiamnum theologi ad Socinianorum impietatem refellendam. Eadem proinde in utrisque de mysterio sanctissimae trinitatis fides. Nec tamen iis contentus martyr sanctissimus, vel eadem latius explicat, vel alia subinde profert, quibus, quam recte et catholice senserit, magis ac magis demonstretur.

51. Quia, ut dixi, negabant haeretici Verbi Dei aeternitatem, fingebantque nec ab ipso Patre, nec a Verbo eius immediate conditum esse adspectabilem hunc mundum, sed *a Virtute aliqua valde inferiori ab illo, et ignorante Patrem;* hoc commentum confutans Irenaeus lib. II. cap. 2. ostendit n. 4. et 5. homines quidem *inopes* quum sint, *nec possint statim aliquid ex parato fabricare, indigere multis organis ad* rei alicuius *fabricationem. Proprium* autem *esse hoc Dei supereminentiae, non indigere aliis organis ad conditionem eorum* (ad condenda ea), *quae fiunt; neque angelis indigere adiutoribus ad ea, quae fiunt, neque virtute aliqua valde inferiori ab illo et ignorante Patrem: sed idoneum esse et sufficiens ad formationem omnium proprium eius Verbum, quemadmodum et Ioannes Domini discipulus ait de eo:* Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. *In omnibus autem, est et hic, qui est secundum nos, mundus. Et hic ergo a Verbo factus est etc.* Eadem summatim repetens cap. 30. n. 9. Deum *ipsum a semetipso fecisse libere et ex sua potestate et disposuisse et perfecisse omnia, et esse substantiam omnium voluntatem eius: Solus,* addit, *unus Deus fabricator, hic qui est super omnem principalitatem et potestatem et dominationem et virtutem: hic Pater, hic Deus, hic conditor, hic factor, qui fecit ea per semetipsum, hoc est, per Verbum et Sapientiam suam, caelum et terram et maria et omnia quae in eis sunt: hic iustus, hic bonus etc. hic Deus Abraham et Deus Isaac etc. hic Pater Domini nostri Iesu Christi, per*

Verbum suum, qui est Filius eius, per eum revelatur et manifestatur omnibus etc. Haec igitur apud Irenaeum certa et demonstrata, unum Deum omnia prorsus, tam visibilia, quam invisibilia condidisse, eumque esse, qui sit super omnem principalitatem, potestatem, dominationem, uno verbo supra omnes angelos, et omnium Pater; condidisse, inquam, non per organa et instrumenta a se diversa et alterius a se naturae, sed per semetipsum, hoc est, per Verbum, Filium suum et Sapientiam suam, id est, Spiritum sanctum, ut ipse explicat lib. IV. cap. 20. n. 1. *Nec enim,* ait, *horum* (angelorum) *indigebat Deus ad faciendum quae ipse apud se praedefinierat fieri, quasi ipse suas non haberet manus. Adest enim ei semper Verbum et Sapientia, Filius et Spiritus, per quos et in quibus omnia libere et sponte fecit, ad quos et loquitur, dicens:* Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram; *ipse a semetipso substantiam creaturarum, et exemplum factorum, et figuram in mundo ornamentorum accipiens.* Eapropter Verbum et Spiritum sanctum vocat *Dei manus,* non hic modo, sed et in eiusdem libri praefatione, et lib. III. c. 21. n. 10. Eas vero manus quum opponat *aliis organis,* et *virtuti inferiori,* hinc manifeste sequitur, Verbum et Spiritum sanctum a Patre quidem distingui, utpote quibuscum consilium habeat, dum ait, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram:* non tamen inferioris, et alterius ab eo naturae esse: sicuti, proportione servata, manus hominis a corpore, cuius sunt manus, natura et substantia non differunt. Immo manifeste se ipse explicat Irenaeus, quum ait, unum Deum omnia fecisse *per semetipsum,* hoc est, addit, *per Verbum et Sapientiam suam.* Verbum igitur et Spiritus sanctus sunt unus et idem cum Patre Deus, una et eadem cum eo substantia et natura.

52. Ex iis concludit Irenaeus, Verbum seu Filium et Spiritum sanctum nedum rebus omnibus creatis praeexstitisse, sed et ipsi Patri semper coëxstitisse ac coaeternos fuisse. Deus siquidem *suas semper habuit manus: adest enim ei semper Verbum et Sapientia, Filius et Spiritus.* Et lib. II. cap. 30. n. 9. *Semper autem coëxistens Filius Patri, olim et ab initio semper revelat Patrem et angelis et archangelis et potestatibus et virtutibus et omnibus, quibus vult revelare Deus.* Et cap. 25. n. 8. rationem afferens, cur plurima sint, quae mentis humanae captum superant, quaeque proinde curiosius et sollicitius a nobis investiganda non sint; docet Dei solius, a quo facta sunt omnia, proprium esse omnia nosse: hominem vero *esse in infinitum minorem Deo;* et *in quantum minor est ab eo qui factus non est, et qui semper idem est, in tantum secundum scientiam et ad investigandum caussas omnium minorem esse eo qui fecit.* Non enim, ait, *infectus es, o homo, neque semper coëxistebas Deo, sicut proprium eius Verbum; sed propter eminentem bonitatem eius, nunc initium facturae accipiens, sensim discis a Verbo dispositiones Dei, qui te fecit.* Ideo ergo finita est, angustisque coarctata limitibus hominis scientia, quia *initium facturae accepit,* et *in infinitum minor est Deo:* ideo vero Verbi Dei scientia infinita, quia *infectum* est, Deoque semper coëxstitit. Eadem ratio est, quam affert lib. IV. c. 13. n. 4. ut probet, Verbum divinum, quod hominum saluti semper consuluerit et Abrahae amicitiam conciliare sibi veluti studuerit, non indigentia fecisse. *Sed neque Abrahae amicitiam propter indigentiam*

assumsit Dei Verbum, existens ab initio perfectus: Antequam Abraham esset, ego sum, *inquit*[1]): *sed ut ipsi Abrahae donaret aeternam vitam, existens ab initio bonus, quoniam amicitia Dei immortalitatis est condonatrix his qui aggrediuntur eam.* Nullius igitur rei indigum Dei Verbum, quia existit ab initio perfectum et bonum ac fons omnium bonorum; Deusque natura quum sit, amicis suis donat aeternam vitam et immortalitatem. Et hinc infert Irenaeus principio capitis sequentis, *initio non quasi indigentem Deum hominis, plasmavisse Adam, sed ut haberet in quem collocaret beneficia sua. Non enim solum ante Adam, sed et ante omnem conditionem glorificabat Verbum Patrem suum, manens in eo; et ipse a Patre clarificabatur, quemadmodum ipse ait:* Pater clarifica me claritate, quam habui apud te, priusquam mundus fieret[2]). Denique cap. 20. n. 3. probans quod n. 1. dixerat, *Adesse Patri semper Verbum et Sapientiam, Filium et Spiritum, per quos et in quibus omnia libere et sponte fecit;* haec habet: *Et quoniam Verbum, id est Filius, semper cum Patre erat, per multa demonstravimus. Quoniam autem et Sapientia, quae est Spiritus, erat apud eum ante omnem constitutionem, per Salomonem ait:* Deus sapientia fundavit terram, paravit autem caelum prudentia[3]) etc. *Et rursus:* Dominus creavit me principium viarum suarum in opera sua[4]) etc. *Unus igitur Deus, qui Verbo et Sapientia fecit et aptavit omnia etc.* Filius igitur et Spiritus sanctus sic apud Deum Patrem fuerunt ante omnem, non visibilium modo, sed et invisibilium, et Aeonum, quam fingebant haeretici, constitutionem, ut Patri semper adfuerint, ipsi coaeterni ac coaevi, Verbum, Sapientia et manus Patris, quibus carere nunquam potuit, quamvis angelis aut virtutibus inferioribus quibusvis facile semper carere potuerit.

53. Nec vero Irenaeo satis fuit probasse divini Verbi et Spiritus sancti aeternitatem, sed caussae iugulum petens passim asserit et demonstrat, utrumque Patri consubstantialem esse, eiusdem cum eo naturae et substantiae: quamvis id satis aperte consequatur ex hactenus dictis. Nam ex s. doctoris principiis, quodcunque infectum est, et sine initio, vere et substantialiter Deus est. Quo certissimo principio probat lib. III. cap. 8. n. 2. et 3. *nihil quidquam ex his quae constituta et in subiectione sunt*, nec proinde angelos, archangelos etc. a Deo constitutos et factos per Verbum eius, et per Spiritum oris eius, per quem caeli firmati sunt, et omnis virtus eorum, auctori suo comparari posse. Infinite enim distant *quae constituta sunt ab eo qui constituit, et quae facta sunt ab eo qui fecit. Ipse enim infectus et sine initio et sine fine, et nullius indigens, ipse sibi sufficiens, et adhuc reliquis omnibus, ut sint, praestans: quae vero ab eo sunt facta, initium sumserunt. Quaecunque autem initium sumserunt, et dissolutionem possunt percipere, et subiecta sunt et indigent eius qui se fecit: necesse est omnimodo, uti differens vocabulum habeant, apud eos etiam, qui vel modicum sensum in discernendo talia habent: ita ut is quidem qui omnia fecerit, cum Verbo suo iuste dicatur Deus et Dominus solus; quae autem facta sunt, non iam eiusdem vocabuli participabilia esse, neque iuste id vocabulum sumere debere, quod est creatoris.* Haec igitur apud Irenaeum certissima:

1) Ioann. VIII. 58. 2) Ioann. XVII. 5. 3) Prov. III. 19. 20. 4) Ib. VIII. 22.

Qui infectus est et sine initio et sine fine, nullius indigens, et ipse sibi sufficiens, vere, proprie ac iuste dicitur Deus et Dominus solus: Qui rerum omnium auctor, conditor et fabricator est, infectus est et sine initio. Atqui nec minus certum apud Irenaeum, Verbum et Spiritum initium non habuisse, Patri semper adfuisse, eique coëxstitisse; Verbum et Spiritum sanctum cum Patre, omnia condidisse; unde necessario concludendum, Verbum et Spiritum sanctum, ex Irenaeo, cum Patre iuste dici et esse unum Deum ac Dominum, unamque trium esse naturam et substantiam. Sed ad institutum redeo.

54. Haeretici, uti dixi, comminiscebantur, alium esse supremum Patrem, alium Demiurgum, seu rerum omnium inferiorum et adspectabilium conditorem: hunc veteris legis auctorem fuisse, solum in ea celebratum, et solum a Iudaeis agnitum et adoratum: illum vero incognitum mansisse semper, donec evangelio lucescente, Iesuque (afflante, qui in eum descendit, Christo) revelante, notus fieret, novam legem conderet et promulgaret. Exitiosissimum dogma, malorum omnium scaturiginem, eversurus Irenaeus toto libro III. probat, unum esse Deum factorem caeli et terrae, et utriusque legis auctorem, huncque esse ipsum summum Patrem et Verbum eius, ac Spiritum sanctum, nec alium unquam, a lege et prophetis annuntiatum fuisse, aut ab ipso Christo, eiusque apostolis et discipulis agnitum et celebratum. Quia vero respondebant Gnostici, eum, quem mundi conditorem identidem confitetur Iesus, quemque tum ipse, tum apostoli et discipuli eius Deum Patrem ac Dominum, rerum omnium fabricatorem passim appellant, ipsum Demiurgum esse; qui quidem licet Deus natura non sit, quod tamen rerum omnium inferiorum rex, dominus et conditor constitutus sit, Dei appellationem sortitur, et eam ob rem tum ab iis, tum a prophetis et veteri lege Deus vocatur; id confutaturus Irenaeus, probat cap. 6. n. 1. quod, *Neque Dominus* (veritas quum sit, nec mentiatur, ut cap. praecedenti dixit), *neque Spiritus sanctus, neque apostoli eum, qui non esset Deus, definitive et absolute Deum nominassent aliquando, nisi esset vere Deus; neque Dominum appellassent aliquem ex sua persona, nisi qui dominatur omnium: si quando vero Scriptura eos, qui non sunt Dii, nominat, non in totum ostendere illos Deos; sed cum aliquo additamento et significatione, per quam ostenduntur non esse Dii*[1]). Hoc igitur Irenaei principium, verissimum atque certissimum. Quem Dominus, Spiritus sanctus aut apostoli in Scripturis definitive et absolute Deum nominant, is est vere Deus; quem Dominum appellant ex sua persona, is est qui dominatur omnium. At, inquit idem Irenaeus, Dominus, Spiritus sanctus et apostoli definitive et absolute Deum nominant, Dominumque appellant ex sua persona *Deum Patrem, et Filium eius, qui dominium accepit a Patre suo omnis conditionis,* id est, rerum omnium conditarum; et *nemo alius* in Scripturis *Deus nominatur, aut Dominus appellatur, nisi qui est omnium Deus et Dominus, qui et Moysi dixit*[2]): Ego sum qui sum. Et sic dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos[3]) *et huius Filius Iesus Christus Dominus noster, qui filios Dei facit credentes in nomen suum;* quod subinde plurimis Scripturarum utriusque Testamenti testimoniis demonstrat. Ex quibus evidenter con-

1) Lib. III. 6. 3. 2) N. 2. 3) Exod. III. 14.

cludere est, ex Irenaei sententia, solum Patrem et Filium eius Iesum Christum Dominum nostrum vere Deum esse, et iis qui interdum in Scripturis nominantur Dii, nec sunt tamen, infinite praecellere; ac proinde veram esse, unam et eandem in utroque naturam divinam et essentiam. Hinc ex iis, quae ubertim profert, Scripturarum locis passim infert: *Unus igitur et idem Deus, qui a prophetis praedicatus est et ab evangelio annuntiatus, et huius Filius, qui ex fructu ventris David, id est, ex David Virgine, et Emmanuel* [1]). Tum istiusmodi argumentis e Scripturarum auctoritate petitis coronidem imponens cap. 15. n. 3. concludit: *Quum declaratum sit manifeste, quoniam neminem alium Deum vocaverunt, vel Dominum nominaverunt, qui veritatis fuerunt praedicatores et apostoli libertatis, nisi solum verum Deum Patrem et Verbum eius, qui in omnibus principatum habet; manifeste est ostensum, factorem caeli et terrae, qui locutus sit cum Moyse, et legis dispositionem ei dederit, qui convocaverit patres, Dominum Deum confiteri eos, et alterum neminem nosse.* Quid clarius? Pater et Verbum, Pater et huius Filius sunt unus et idem Deus a prophetis praedicatus et ab evangelio annuntiatus; solus verus Deus ac Dominus, factor caeli et terrae, qui locutus sit cum Moyse et legis dispositionem ei dederit etc.

55. Idem argumentum instaurans Irenaeus toto fere libro IV. et propius adhuc ad caussam accedens probat ex Scripturis, et ipsis praesertim Domini nostri sermonibus, unum et eundem esse Deum utriusque legis auctorem, qui res omnes condiderit, qui legem veterem dederit, cum Moyse ceterisque patribus ac prophetis locutus fuerit, quique per Verbum suum, non fictitium illud haereticorum, sed Filium suum unigenitum, unumque ac verum cum eo Deum, perfectissimum et omniscium, notum sese fecerit in utroque Testamento. Eam in rem profert cap. 5. n. 2. ea Christi verba Matth. XXII. 29. seqq. ad Sadducaeos: *Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. De resurrectione enim mortuorum non legistis quod dictum est a Deo dicente: Ego sum Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Jacob? et adiecit: Non est Deus mortuorum, sed viventium: omnes enim ei vivunt.* Tum subdit Irenaeus: *Per haec utique manifestum fecit, quoniam is, qui de rubo locutus est Moysi, et manifestavit se esse Deum Patrum, hic est viventium Deus. Quis enim est vivorum Deus, nisi qui est Deus, super quem alius non est Deus? Quem et Daniel propheta, quum dixisset ei Cyrus rex Persarum:* Quare non adoras Bel? [2]) *annuntiavit dicens:* Quoniam non colo idola manufacta, sed vivum Deum, qui constituit caelum et terram, et habet omnis carnis dominationem [3]). *Iterum dixit:* Dominum Deum meum adorabo, quoniam hic est Deus vivus [4]). *Qui igitur a prophetis adorabatur Deus vivus, hic est vivorum Deus et Verbum eius, qui et locutus est Moysi, qui et Sadducaeos redarguit, qui et resurrectionem donavit: utraque his, qui caecutiunt, ostendens, id est, resurrectionem et Deum.* Quo demonstrato concludit: *Ipse igitur Christus cum Patre vivorum est Deus, qui locutus est Moysi, qui et patribus manifestatus est.* Sic uno et eodem telo duplicem simul Gnosticorum errorem configit Irenaeus; tum quod comminiscebantur, Verbum Patre inferius esse,

1) Cap. 9. n. 2. 2) Dan. XIV. 3. 3) Ibid. 4. 4) Ibid. 24.

nec ipsi pervium esse Patrem; tum quod fingebant, eum qui prophetis loquebatur, Demiurgum ipsum esse, a supremo Patre longe alium atque diversum. Nempe is qui de rubo locutus est Moysi, et manifestavit se esse Deum patrum, quem prophetae Deum vivum appellant, et Deum vivum adorabant, hic est viventium Deus, Deus super quem alius Deus non est, uno verbo summus Deus. Atqui Pater et Verbum eius, Christus cum Patre is est, qui locutus est Moysi, qui et patribus manifestatus est, et a prophetis adoratus et appellatus Deus vivus. Igitur Christus cum Patre est Deus vivorum, Deus super quem alius non est Deus, et supremus Deus. Quid, quaeso, manifestius afferri potest ad vindicandam Irenaei fidem, stabiliendamque Verbi cum Patre consubstantialitatem? Ne quidem apud Athanasium ipsum apertius quidquam et expressius occurret. Alia consimilia testimonia et argumenta occurrent toto libro IV. et alibi passim.

56. Quia vero Valentiniani abutebantur Christi verbis Matth. XI. 27. et Luc. X. 22. eaque sic describebant: *Nemo cognovit Patrem, nisi Filius, nec Filium, nisi Pater, et cui voluerit Filius revelare:* sic vero *interpretabantur*, inquit Irenaeus c. 6. n. 1. *quasi a nullo cognitus sit verus Deus ante Domini nostri adventum: et eum Deum, qui a prophetis sit annuntiatus, dicebant non esse Patrem Christi;* demonstrat sanctus martyr toto illo capite, et adulterinam esse verborum lectionem, et falsissimam eorundem explicationem. Quum enim ait Dominus: *Nemo cognoscit Filium, nisi Pater, neque Patrem, nisi Filius, et quibuscunque Filius revelaverit* [1]); quae genuina verborum lectio est: REVELAVERIT, *non solum in futurum dictum est, quasi tunc inceperit Verbum manifestare Patrem, quum de Maria natus; sed communiter per totum tempus positum est. Ab initio enim adsistens Filius suo plasmati, revelat omnibus Patrem, quibus vult, et quando vult, et quemadmodum vult Pater.* Nam *bonum placitum Patris Filius perficit: mittit enim Pater, mittitur autem et venit Filius* [2]). Hinc omni aevo et semper, multisque modis Verbum revelavit se ipsum, ut simul revelaret et Patrem. Ratio est, quia *invisibile Filii, Pater; visibile autem Patris, Filius.* Et licet *Pater invisibilis sit et indeterminabilis, quantum ad nos est* [3]); *agnitio* tamen *Patris est Filii manifestatio: omnia enim per Verbum manifestantur. Agnitio Patris, Filius; agnitio autem Filii in Patre, et per Filium revelata.* Ex iis omnibus sic concludit Irenaeus [4]). *Non ergo alius erat qui cognoscebatur, et alius qui dicebat:* Nemo cognoscit Patrem; *sed unus et idem, omnia subiiciente ei Patre, et ab omnibus accipiens testimonium, quoniam vere homo, et quoniam vere Deus a Patre a Spiritu ab angelis etc. Et propter hoc in omnibus, et per omnia unus Deus Pater, et unum Verbum, Filius et unus Spiritus; et una salus omnibus credentibus in eum.* Pater igitur et Verbum, Irenaeo teste, non sunt alius et alius Deus: invisibile Filii, Pater; visibile autem Patris, Filius; id est, quod in Patre divinum est, quae natura divina et invisibilis Patris, eadem est et Filii; per quod autem videtur et cognoscitur Filius, per idem cognoscitur et Pater, quia Filius imago Patris est, et figura seu character substantiae eius: Verbum caro factum, ut vere homo, sic et vere Deus· denique in omnibus, et

1) N. 7. 2) N. 3. et 6. 3) N. 3. 4) N. 7.

per omnia unus Deus Pater, unum Verbum et unus Spiritus; unitas in tribus, una in tribus natura. Quid clarius? Quod autem dicit Irenaeus, agnitionem Patris Filium esse, et agnitionem Filii in Patre esse, et per Filium revelatam esse, id ipsum est quod dixerat lib. III. c. 6. n. 2. *Filium esse in Patre, et habere in se Patrem.* Id ipsum est etiam, quod dixerat lib. IV. c. 4. n. 2. Nempe respondens vanis Gnosticorum cavillationibus, qui ex eversa Hierosolyma, civitate regis magni, et abrogata veteri lege inferebant alium esse veteris, alium novi Testamenti auctorem et Deum; ostendit et Hierosolymae, et veteri legi suum tempus a Deo mensum ac definitum fuisse; utramque, adveniente nova lege, desinere debuisse: idque sapientissimo et ordinatissimo Dei consilio factum fuisse. *Omnia enim,* inquit, *mensura et ordine Deus facit, et nihil non mensum apud eum, quoniam nec incompositum.* Quod postremum, scilicet, nihil non mensum apud Deum esse, ut probet, laudat veterem aliquem aut coaevum scriptorem ecclesiasticum, cuius nomen tacet, sed verba probat: *Et bene,* ait, *qui dixit ipsum immensum Patrem in Filio mensuratum: mensura enim Patris, Filius, quoniam et capit eum.* Quibus ostendit, Deum adeo ordinis, proportionis et mensurae amantem esse, ut neque suam ipse sibi mensuram deesse voluerit: Filius enim est mensura Patris, qui totam Patris immensitatem, infinitatem et substantiam in se capit, continet ac veluti circumscribit. Ea divinarum personarum *περιχώρησις, circumincessio* est, ex qua tam frequenter, tamque feliciter argumenta depromserunt adversus Arianos sancti patres, ut Filium Patri *ὁμοούσιον* esse probarent. Nempe in se invicem sunt Pater et Filius, nec minus in Filio, quam in se ipso est Pater, nec minus in Patre est Filius, quam in se ipso: adeo ut mutuo existant in se, et, ut ita loquar, immeent invicem, atque penetrent, ac proinde et a se invicem distinguantur, et tamen in una et eadem natura et substantia sine ullo discrimine conveniant.

57. Sed ex modo dictis habes, cur et quo sensu tam saepe et sollicite inculcet Irenaeus toto libro IV. et alibi (quod et aliis ante et post eum patribus infrequens non fuit), Patrem invisibilem semper mansisse, neque a quoquam, ne specie quidem externa ac sensibili forma dissimulatum visum esse; neque videri omnino posse: sed ex divinis personis solum in veteri Testamento divinum Verbum veteribus patriarchis ac prophetis apparuisse, ut hominibus Dei ac Patris notitiam importaret, qua vitam illorum tueretur, quae sine Dei cognitione esse non potest; Filium esse qui Adamo, Noë, Abrahae, aliisque videndum se praebuerit, qui cum Moyse locutus sit, *qui* denique, ut loquitur Irenaeus [1]), *et visiones propheticas et divisiones charismatum et ministeria sua et Patris glorificationem consequenter et composite ostenderit humano generi, apto tempore ad utilitatem hominum, propter quos fecit tantas dispositiones; invisibilitatem quidem Patris custodiens, ne quando homo fieret contemtor Dei, et semper haberet ad quod proficeret: visibilem autem rursus hominibus per multas dispositiones ostendens Deum, ne in totum deficiens homo a Deo cessaret esse.* Uno verbo, *ipse est qui dicit Moysi:* Videns vidi vexationem populi mei, qui est in Aegypto, et descendi, ut eruam eos: *ab initio assuetus Verbum Dei ascendere et descendere, pro-*

1) Iren. lib. IV. c. 20. n. 7.

pter salutem eorum, qui male haberent[1]). De his fuse disserit Irenaeus fere a cap. 5. usque ad 20. sed hoc praesertim. Haec omnia eodem collimant. Nempe quum probandum sibi suscepisset s. doctor, unum et eundem esse utriusque Testamenti auctorem, ostendit, unum et eundem Deum hominum semper saluti consuluisse ac providisse; unum et eundem Deum a veteribus et nobis adoratum fuisse, eandem fuisse veterum fidem et nostram; omnes veteris Testamenti prophetias et figuras in unum et eundem Christum novi Testamenti mediatorem conspirasse, ac proinde unum et eundem esse Deum et Patrem, quem ipse annuntiavit, et notum hominibus fecit, nec alterum et diversum ab eo quem annuntiabant prophetae, qui adventum eius praecinebant: hinc quidem Patrem invisibilem semper fuisse, nec cuiquam mortalium datum unquam fuisse videre magnitudinem eius et mirabilem gloriam; *incapabilis* enim, *et incomprehensibilis et invisibilis*[2]): at male inde ab haereticis inferri, ignotum semper fuisse, donec adveniret Christus. *Quoniam qui omnia in omnibus operatur, Deus est, qualis et quantus est, invisibilis et inenarrabilis est omnibus, quae ab eo facta sunt; incognitus nequaquam.* Ratio est, quia *omnia per Verbum eius discunt, quia est unus Deus Pater, qui continet omnia, et omnibus esse praestat, quemadmodum in Evangelio scriptum est*[3]): Deum nemo vidit unquam, nisi unigenitus Filius, qui est in sinu Patris[4]): ipse enarravit. *Enarrat ergo ab initio Filius Patris, quippe qui ab initio est cum Patre*[5]). Cur autem uni Verbo provinciam hanc demandat Irenaeus, ut se et Patrem suum notum faceret? Cur unum Verbum videndum se praebuisse, Patre semper invisibili manente, tam constanter affirmat? An quod vel inferiorem Patre crediderit Filium, vel natura sua hunc adspectabilem, potius quam illum, arbitratus sit? Atqui id diserte refellit. *Et Patrem quidem invisibilem et indeterminabilem, quantum ad nos est, cognoscit suum ipsius Verbum; et quum sit inenarrabilis, ipse enarrat nobis: rursum autem Verbum suum solus cognoscit Pater.* Non minus ergo invisibile et indeterminabile et inenarrabile est, *quantum ad nos est,* ipsum Verbum quam Pater, quum a solo Patre, quantum quantum est, cognoscatur: *invisibile etenim,* ut paullo post ait, *Filii Pater:* nam quae natura Patris est, eadem et Filii; utriusque secundum se invisibilis est. Et cap. 24. n. 2. aperte docet, *esse unum Deum, qui est super omnem principatum et dominationem et potestatem, et omne nomen quod nominatur: et huius Verbum, naturaliter quidem invisibilem, palpabilem et visibilem in hominibus, et usque ad mortem descendisse, mortem autem crucis.* Si igitur videndum se praebuit divinum Verbum, non certe in ipsa natura sua divina et invisibili, sed tantum in alienis et assumtis formis et speciebus. Id fuse probat cap. 20. n. 9. et seqq. ubi expendens ea divini Verbi ad Moysen, cum quo loquebatur, verba: *Sta in loco alto petrae, et manu mea contegam super te. Quando vero transierit claritas mea, tunc videbis quae sunt posteriora mea; facies autem mea non videbitur tibi: non enim videt homo faciem meam et vivet*[6]): ait, utraque his significari, *quoniam et impossibilis est homo videre Deum, et quoniam per sapientiam Dei in novissimis temporibus videbit eum homo in altitudine petrae, hoc est, in eo qui est secundum*

1) Cap. 12. n. 4. Exod. III. 7. 8. 2) Cap. 20. n. 5. 3) N. 6. 4) Ioan. I. 18. 5) N. 7. 6) Exod. XXXIII. 20.

hominem eius adventu. Tunc ergo duntaxat divinum Verbum facie ad faciem visum esse putat, quum humanam sibi naturam assumsit, propriamque sibi fecit. Hinc concludit, *non manifeste ipsam faciem Dei vidisse prophetas, sed dispositiones et mysteria, per quae inciperet homo videre Deum,* ut iis paullatim assuesceret homo ad videndum eum carnem factum. Et postea: *Igitur si neque Moyses vidit Deum, nec Helias nec Ezechiel, qui multa de caelestibus viderunt; quae autem ab his videbantur, erant similitudines claritatis Domini, et prophetiae futurorum: manifestum est, quoniam Pater quidem invisibilis est, de quo et Dominus dixit:* Deum nemo vidit unquam [1]): *Verbum autem eius, quemadmodum volebat ipse, et ad utilitatem credentium, claritatem monstrabat Patris, et dispositiones exponebat.... non in una figura, nec in uno charactere videbatur videntibus eum, sed secundum dispensationum eius caussas et efficaciam.* Quasi diceret: si neque Moyses neque Helias neque Ezechiel neque prophetae, quibuscum familiariter agebat divinum Verbum, non tamen ipsam Dei essentiam viderunt, sed similitudines duntaxat claritatis Domini: manifestum est, quoniam nec Pater secundum naturam suam visibilis est in hac mortali vita: nec Verbum eius in essentia sua conspiciendum se praebuit, sed in varia figura, nec in uno charactere, secundum dispensationum eius caussas et efficaciam.

58. Id ergo vult Irenaeus (et hic eius, aliorumque patrum eadem cum ipso asserentium et sentientium scopus), Patrem, quum sit origo et fons totius sanctissimae trinitatis, a quo manant et mittuntur aliae personae, ipsum a nemine missum, minus decuisse frequentes illas, quae olim factae sunt, Dei ἐπιφανείας. Dei quidem bonitatem semper decuit notum se ipsum hominibus facere, ac, quantum ipsi capere queunt, conspiciendum praebere: quia *vita hominis visio Dei* [2]). At id muneris in se suscipere Filium potius quam Patrem congruebat. Ea enim hominum animis inspergenda Dei notitia, frequentesque illae Dei visiones ad *οἰκονομίαν* spectabant, et ad utilitatem hominum lapsorum fiebant, totidemque futurae incarnationis veluti praeludia erant. Porro sicuti Filium, quod a Patre necessariam et aeternam originem habeat, quod a Patre natus sit, a Patre mittatur, eiusque imago, figura substantiae eius, et, ut loquitur Irenaeus, *agnitio sit,* carnem suscipere decuit potius quam Patrem, qui quum prima persona sit, a nulla alia vel oritur vel mittitur: sic Filium magis quam Patrem decuit frequentibus illis apparitionibus futurae incarnationi suae praeludere, hominumque, quos deinceps sanguine suo redemturus erat, salutis ab initio curam gerere. Neque enim hanc tum primum suscepit, quum in carne mortali advenit, ut non semel Irenaeum dicentem audivimus, sed ab initio et ab hominis lapsu. Ideo vero ab initio de hominum salute sollicitus fuit Filius, ac toties in publicum manifestandi tum Patris, tum sui ipsius caussa, veluti prodiit, quia ea erat voluntas Patris. *Omnia autem Filius administrans Patri perficit ab initio, usque ad finem, et sine illo nemo potest cognoscere Deum;* et *bonum placitum Patris Filius perficit* [3]). Si autem ab Irenaeo quaeras, cur omnia administrans Patri, bonumque placitum Patris Filius perficiat, rationem hanc cum Catholicis omnibus afferet: *Mittit enim Pater, mittitur*

1) Ioan. I. 18. 2) Iren. c. 20. n. 7. 3) Cap. 6. n. 7. et 3.

autem et venit Filius. Filium vero mittit Pater, quia Filii principium est, eumque gignit; mittitur autem Filius, quia a Patre tanquam a principio procedit, et ab eo gignitur. Porro sicut honorificum est Patri Filium gignere et mittere: sic nec minus honorificum Filio mitti et gigni; nullamque in utroque substantiae disparitatem arguit haec missio. *Non enim genitorem* (ait Augustinus lib. III. cont. Maxim. c. 14.) *ab eo quem genuit, sed genitum a genitore mitti oportebat: verum haec non est inaequalitas substantiae, sed ordo naturae; non quod alter prior esset altero, sed quod alter esset ex altero.*

59. Ex dictis etiam facile colliges, quo sensu plus semel dixerit Irenaeus [1]), Patrem Verbo suo praecepisse ut mundum crearet, Filium et Spiritum sanctum in rebus condendis Patri ministrasse; hominem factum esse, Patre quidem bene sentiente et iubente, Filio vero ministrante et iubente; Spiritu autem nutriente et augente, et alia eiusmodi. Nempe Pater Filio et Spiritui sancto iubet ac praecipit, non tanquam superior ac Dominus inferioribus ac subditis, sed tanquam aequalis aequalibus, consubstantialis consubstantialibus, coaeternus coaeternis, sine quibus facere nihil potest; immo Filio et Spiritui sancto imperat Pater, tanquam sibi ipsi. Neque enim alias Filium et Spiritum sanctum a Patre distinguit, quam persona et subsistentia, non certe natura et substantia, quam unam et eandem in tribus agnoscit et confitetur. Id clare et absque ambagibus demonstrat lib. II. c. 30. n. 9. aliisque locis iam a nobis citatis. Illud vero ministerium quod Patri praestitere Filius et Spiritus sanctus, quam immensum ab eo distet, quod vel minimam subiectionis ac servitutis umbram adiunctam habeat, demonstrat s. doctor lib. IV. c. 7. n. 4. ubi illud vocat *copiosum et inenarrabile ministerium. Ministrat enim ei,* addit, *progenies et figuratio sua, id est, Filius et Spiritus sanctus, Verbum et Sapientia, quibus serviunt et subiecti sunt omnes angeli.* Sic ergo ministrant Patri Filius et Spiritus sanctus, ut ministerium illud inenarrabile sit, et infinito a se removeat intervallo ideas omnes, quas in humanis adiunctas secum habet. Sic ministrant, ut alter sit ipsa progenies Patris, alter figuratio et imago Filii (hanc enim vocem, *figuratio sua,* ad Filium refero, ut in notis in hunc locum explicui); non ergo tanquam servi hero, sed tanquam progenies principio a quo procedit, et eiusdem cum eo dignitatis. Sic denique ministrant, ut iis serviant et subditi sint angeli. Atqui eo nomine Filio et Spiritui sancto serviunt angeli, quod hi ab iis conditi sint, ut explicat auctor lib. III. c. 8. n 3. iis proinde infinite minores.

60. Sed his et similibus loquendi modis Gnosticorum vesaniam retundit Irenaeus. Hi enim mundum hunc adspectabilem ab inferioribus angelis, vel a virtute aliqua longe absistente a Patre universorum, ipso Patre vel inscio vel invito, conditum esse blasphemabant, ut ex toto lib. I. et initio lib. II. constat. Hinc ad profligandum illud impietatis monstrum tam saepe urget, omnia, praecipiente ac iubente Patre, per Filium et Spiritum sanctum condita esse: ut nimirum inde conficiat, nec inscio, nec invito Patre condita esse. Hinc tam frequenter inculcat, Verbum et Spiritum sanctum Patri ministrasse, ut inde concludat, nec angelis nec

1) Lib. III. c. 8. n. 3. Lib. IV. c. 7. n. 4. Ibid. cap. 37. n. 3.

virtutibus inferioribus ab eius natura et sententia alienis et remotis indiguisse: utpote qui habeat ex sese copiosum et inenarrabile ministerium, progeniem et figurationem suam; habuerit semper suas manus, Verbum et Sapientiam, Filium et Spiritum sanctum, per quos sibi coëxistentes, coaeternos et consubstantiales, et in quibus, non invitus, nulla necessitate coactus, sed sciens et volens, omnia libere et sponte fecit; non aliunde, non extra semetipsum, sed ipse a semetipso et in semetipso, in voluntate sua, in Verbo et Sapientia sua, substantiam creaturarum et exemplum factorum et figuram in mundo ornamentorum accipiens, ut loquitur lib. IV. c. 20. n. 1. Ea omnia satis patent ex hactenus allegatis Irenaei testimoniis, adeo ut eadem hic repetere nihil necesse sit.

61. Unum superest expendendum, an Irenaeus extremi iudicii ignorationem Filio Dei tribuerit. Et id enim sanctissimo martyri adscribitur: sed perperam omnino. Gnosticos quidem perstringens scribit lib. II. c. 28. n. 6. *Irrationabiliter autem inflati, audaciter Dei mysteria scire vos dicitis: quandoquidem et Dominus, ipse Filius Dei, ipsum iudicii diem et horam concessit scire solum Patrem, manifeste dicens:* De die autem illa et hora nemo scit, neque Filius, nisi Pater solus [1]). *Si igitur scientiam diei illius Filius non erubuit referre ad Patrem, sed dixit quod verum est; neque nos erubescamus, quae sunt in quaestionibus maiora secundum nos, reservare Deo. Nemo enim super magistrum est.* Ubi ipsi Dei Filio ignorantiam adscribere prima fronte videtur auctor: adeo ut vana sit Georgii Bulli [2]) solutio, qua contendit Christo homini tantum ignorantiam tribuisse Irenaeum: hic enim de Filio Dei diserte agit. Quamquam et dum Christo homini ignorationem adscribi posse cum Protestantibus multis tuetur Bullus, in eumque sensum Irenaeum explicare satagit, aliam ei labem adspergit. Sed missa hacce controversia, quae extra institutum est, illud fidenter assevero, quod quisquis praesens, quod nunc versamus, caput ea, qua par est, animi attentione legerit, totiusque Irenaei argumentationis seriem et scopum adverterit, e vestigio deprehendet, nullam prorsus ignorantiam hic affingi Christo Domino.

62. Scilicet Irenaeus, ut dixi, Gnosticorum impudentiam castigat, qui vanae scientiae laudem captantes, insanam sibi de rebus omnibus, ipsis etiam profundioribus christianae religionis mysteriis, quale est divini Verbi generatio, disserendi, novaque rerum tum divinarum, tum humanarum systemata pro arbitrio condendi licentiam sumebant. Ubi vero probavit certam esse in Scripturis divinis veritatis regulam, ad quam sic exigi debeant quaestiones, quas de rebus divinis agitare sinit religio, ut ab illa nusquam deflectere liceat; ostendit plura tamen esse in Scripturis, licet ex sese perfectis, quae angustos mentis nostrae limites longissime superant, quaeque proinde, quum sciri a nobis non possint, Deo humiliter committenda sunt, nec temere scrutanda. Nec mirum esse, si in spiritalibus et caelestibus, quae sola fide percipi possunt, caecutiamus: quum ipsae res naturales, ob oculos positae, scientiam nostram plerumque fugiant. Hinc concludit, insanos esse haereticos, qui aeternam divini Verbi generationem, aliaque eiusmodi profundissima mysteria investigare et explicare moliebantur: in eoque tam graviter labi, quod

1) Marc. XIII. 32. 2) Bull. Def. fid. Nic. sect. II. c. 5. §. 8.

superbiae typho elati, nihil Deo reservarent, sed omnia temere scrutari vellent. Tum ut haereticorum vesaniam magis ac magis confundat, ab ipsius Christi Filii Dei exemplo argumentum a maiori ad minus petit. Si, inquit, Dominus, ipse Filius Dei, iudicii diem et horam concessit scire solum Patrem, scientiamque diei illius Filius non erubuit referre ad Patrem: cur nos, Dei Filio infinite minores, erubescamus, quae sunt in quaestionibus maiora secundum nos, reservare Deo? Nemo enim super magistrum est. Qua quidem argumentandi ratione id unum conficere vult sanctus doctor, Christum, oeconomiae caussa, iudicii diem et horam concessisse scire solum Patrem: non quod ipse nesciret, sed quod eiusmodi scientiam ad Patrem, a quo ipse eam cum ipsa divinitate acceperat, referendam esse vellet, ab eoque duntaxat exspectandam esse diei illius notitiam. Quamvis enim eam ipse haberet, cum aliis tamen communicare nolebat, idve explicare, quod Pater (a quo loquebatur, et a quo mandatum acceperat, quid diceret, et quid loqueretur, ut ait Ioan. XII. 49.) taceri voluerat: ut nimirum exemplo suo doceret quaedam esse Deo humiliter reservanda, nec ea temere a nobis explicanda esse, quae Deus abdita esse voluit. Sic mentem paullo post, nempe n. 8. explicat auctor noster: *Si quis,* ait, *exquirat caussam, propter quam in omnibus Pater communicans Filio, solus scire horam et diem a Domino manifestatus est; neque aptabilem magis, neque decentiorem; nec sine periculo alteram, quam hanc, inveniat in praesenti (quoniam enim solus verax magister est Dominus): ut discamus per ipsum, super omnia esse Patrem. Etenim* Pater, *ait,* maior me est [1]). *Et secundum agnitionem itaque praepositus esse Pater annuntiatus est a Domino nostro ad hoc, ut et nos, in quantum in figura huius mundi sumus, perfectam scientiam, et tales quaestiones concedamus Deo: et ne forte quaerentes altitudinem Patris investigare, in tantum periculum incidamus, uti quaeramus, an super Deum alter sit Deus.* Observa 1°. nusquam Irenaeum simpliciter asserere, solum Patrem scire diem et horam, sed *solum scire diem et horam a Domino manifestatum esse;* Dominum iudicii diem et horam concessisse scire solum Patrem etc. 2°. S. doctorem palam profiteri, *in omnibus Patrem communicare Filio.* Qui *in omnibus* communicare dicit, nihil prorsus excipit, ne quidem scientiam diei et horae extremi iudicii. 3°. Auctori nostro propositum non fuisse quaestionem hanc ex professo pertractare, an revera solus Pater sciret diem et horam extremi iudicii, Filius vero absolute nesciret: sed de ea agere duntaxat, quantum sufficeret *in praesenti,* seu quantum ad argumentum praesens conduceret. Atqui argumentum praesens erat, exquirere caussam, propter quam in omnibus, et in ipsa rerum omnium ac diei iudicii scientia, Pater communicans Filio, solus tamen scire horam et diem a Domino manifestatus est. Quomodo enim *verax magister Dominus, verum dicens,* id referre potuit ad solum Patrem, quod tamen commune habeat cum Patre? Cui quaestioni respondet, meliorem nullam *in praesenti* rationem afferri posse, quam id oeconomiae et exempli caussa factum esse a Christo, *ut discamus per ipsum, super omnia esse Patrem, perfectamque scientiam, et tales quaestiones concedendas esse Deo, ne forte quaerentes altitudinem*

1) Ioan. XIV. 28.

Patris investigare, in periculum incidamus. Etenim Pater, ait ipse Christus, maior me est: et secundum agnitionem praepositus esse Pater a Domino annuntiatus est: non quod Pater maior natura sit, aut minor sit agnitio Filii; *Spiritus* siquidem *Salvatoris, qui in* eo est, scrutatur omnia et altitudines Dei; semperque coëxsistens Deo proprium eius Verbum, omnium experientiam et cogitationem, infinitamque scientiam habet, ut Deus ipse, ac Patrem suum perfecte cognoscit, eiusque mensura est, quoniam et capit, ut Irenaeum supra dicentem audivimus: sed quod Pater ordine et origine prior sit, primum omnium, ipsiusque Filii principium; cui omnia, ut naturam, sic et scientiam, accepta refert Filius; cui denique omnia ut auctori suo concedit, nihil quidquam sive agere, sive loqui et revelare praeter eius voluntatem volens: ad hoc ut et nos, Deo in infinitum minores, Christi exemplo discamus perfectam scientiam, abstrusasque quaestiones Deo concedere, nec ea temere scrutari quae latere nos voluit. Uno verbo totius Irenaei argumentationis summa huc redit: Si ipse Dominus, Dei Filius, Verbum Patris, cui in omnibus communicat Pater, cuius Spiritus qui in eo est, id est, divinus intellectus scrutatur omnia, ipsas etiam altitudines Dei, quem proinde latere non potest, quod de die et hora extremi iudicii statuit Pater; illius tamen diei scientiam retulit ad Patrem, eique concessit, nec id explicare et reserare voluit, quod reserare non sinebat voluntas Patris: a fortiori nos qui *super terram* degimus, quibus *divisiones* duntaxat gratiarum sunt, et divisiones *ministeriorum, et divisiones operationum,* quique *ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus; de universis quaestionibus concedere oportet ei, qui ex parte nobis praestat gratiam,* ut paullo ante dixit, nec id explicare aut investigare niti, quod in sapientiae suae thesauris delitescere voluit Deus. Quod quidem argumenti genus quam catholicum et ab Ariana impietate remotum, quisquis aequus rerum aestimator facile videt.

63. Iam, puto, nullus, nisi quis perfrictae frontis Socinianus, negabit, quin Irenaei de Verbi et Spiritus sancti divinitate et cum Patre consubstantialitate fides cum Nicaena et Constantinopolitana ad apicem consentiat. Nemo etiam deinceps sine stomacho leget apud Centuriatores Magdeburgenses [1]), *ita obscure et perplexe non raro vocabulo* Verbi, seu *τοῦ λόγου uti* Irenaeum: *ut videatur non perspicue inter Verbum substantiale, et verbum vocale, seu oris distinguere.* Profecto qui haec scribebant, Irenaei libros vel nunquam, vel lippis oculis legerant. Huic refutandae calumniae, Irenaeique fidei vindicandae plus quam sufficiunt ea omnia quae hactenus diximus. Paullo latius adhuc exspatiari potuissemus et argumenta multa ab iis petere, quae fuse disserit auctor noster lib. III. c. 16. et seqq. In iis enim totus est ut probet contra Gnosticos, unum et eundem esse Iesum Christum, unigenitum Dei Filium, verum Deum ac verum hominem, ubi cum primis ad id conficiendum utitur eo Apostoli testimonio Rom. IX. 5. *Quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem, qui est Deus super omnes benedictus in saecula.* Sed forte cum lectorum fastidio factum fuisset: quare malumus Irenaeum ipsum legi. Aliud est quod conqueruntur citati Centuriatores, *de Spiritu sancto rarius loqui* Irenaeum. Paullo quidem rarius de Spiritu

1) Centur. II. cap. 10. in fi.

sancto, quam de Verbo loquitur: ratus videlicet satis esse, ut ipse profitetur lib. I. cap. 9. si funditus eversa prava distinctione, quam inter Unigenitum, Verbum, Salvatorem, Christum etc. interponebant Valentiniani, prima eorum ogdoas, a qua veluti religata pendebat tota pleromatis valentiniani moles, diruueretur: hac enim eversa ruere totam hypothesin necessum esse. Unde in hanc concutiendam distinctionem, statuendamque Verbi cum Unigenito *ταὐτότητα*, eandemque illius cum Patre naturam et divinitatem, salva distinctione personarum, tota fere argumentorum moles incumbit. Non tamen adeo raro de Spiritu sancto loquitur, quin ex iis, quae identidem disserit, liquido pateat, verum Deum, Patri et Filio coaequalem, coaeternum et consubstantialem ab eo censeri. Id perspicue demonstrant ea, quae supra retulimus, sanctissimi martyris loca et argumenta. Hinc eum Dei manum appellat, indeque concludit Patri semper coëxstitisse, et ante res omnes conditas fuisse; quod et ex libro Proverbiorum probat. Hinc eum in opere creationis cum Patre et Filio consociat. Creationis autem opus ita divinum esse, Deique solius proprium iure merito credit, ut ex eo quod per Verbum constituta sint omnia, inferat, non tantum a Verbo infinite distare angelos, archangelos, aliasque res creatas; sed et illud infectum esse, sine initio, sine fine, solumque cum Patre iuste dici Deum ac Dominum: cetera omnia, ex eo quod creata sint, initium habuisse, dissolvi posse, subiecta esse, neque iuste Dei vocabulum sumere posse, quod est Creatoris. Quod argumentum vel nihil omnino probat, vel invicte probat Spiritum sanctum, ex Irenaei sententia, non minus verum Deum esse, infectum, sine initio, sine fine, nulli subiectum etc., quam ipsum Verbum: utpote qui non minus manus Patris fuerit, nec minus ad res creandas operam contulerit, quam ipsum Verbum. Sed cui praedicta omnia sufficere non videbuntur, legat quod Irenaeus lib. v. c. 12. n. 2. scribit. Hoc omne exceptionis genus praeclusum iri confido. Ibi distinguit Irenaeus inter *afflatum vitae, qui et animalem efficit hominem, et Spiritum vivificantem, qui et spiritalem efficit hominem. Et propter hoc,* inquit, *Esaias ait*[1]): Sic dicit Dominus, qui fecit caelum et fixit illud, qui firmavit terram, et quae in ea sunt: et dedit afflatum populo, qui super eam est, et Spiritum his qui calcant illam. *Afflatum quidem communiter omni, qui super terram est, populo dicens datum: Spiritum autem proprie his, qui inculcant* (i. e. conculcant) *terrenas concupiscentias. Propter quod rursus ipse Esaias distinguens quae praedicta sunt, ait*[2]): Spiritus enim a me exiet, et afflatum omnem ego feci. *Spiritum quidem proprie in Deo* (*ἐπὶ τοῦ Θεοῦ*, hic verti debuisset, *in Deum*) *deputans, quem in novissimis temporibus effudit per adoptionem filiorum in genus humanum: afflatum autem communiter in conditionem, et facturam ostendens illum. Aliud autem est quod factum est, ab eo qui fecit. Afflatus igitur temporalis; Spiritus autem sempiternus etc.* Hic ex Esaiae verbis probat Irenaeus, latissimum discrimen Spiritum inter et afflatum interponendum esse: *Spiritum quidem* ab Esaia *proprie in Deum deputari, τὸ πνεῦμα ἰδίως ἐπὶ τοῦ Θεοῦ τάξας, τοῦ ἐκχέοντος αὐτό;* id est, in eodem ordine, gradu, dignitate et natura constitui, cuius est is, qui effudit eum,

1) Esa. XLII. 5. 2) Esa. LVII. 16.

Deus: *afflatum autem communiter in conditionem* ab eo deputari, *et facturam ostendi:* tantumque differre afflatum a Spiritu, quantum differt quod factum est, ab eo qui fecit; ac proinde afffatum *temporalem* esse, initium habuisse, creatumque fuisse; Spiritum vero sempiternum esse, sine initio, conditorem ac verum Deum. Erit forte qui minus feliciter Esaiae loca ab Irenaeo explicata esse obtendat: sed hic de genuino Esaiae sensu non disputamus; id tantum iure merito contendimus, sic ab auctore nostro expositum esse prophetam, ut ex verbis eius intulerit, Spiritum sanctum verum esse Deum, ei consubstantialem a quo in humanum genus effusus est.

ARTICULUS SEXTUS.

DE MYSTERIO INCARNATIONIS, CHRISTI NATIVITATE, BAPTISMO, ET DESCENSU AD INFEROS, AC B. MARIAE VIRGINIS DIGNITATE ET INTERCESSIONE.

64. Operam, mea quidem sententia, luderet, qui sanam esse et orthodoxam Irenaei de mysterio incarnationis doctrinam longa dissertatione demonstrandum sibi putaret. Scripta siquidem per se loquuntur; et quisquis ea legerit, quae auctor libro praesertim tertio a cap. 16. usque ad 24. disputat, non minus accurate scripsisse fatebitur, quam si post Pauli Samosateni, Photini, Nestorii et Eutychetis tempora vixisset. Haeretici, quibuscum conflictabatur, Iesum Christum Dominum nostrum verum Deum et verum hominem esse negabant: sed Iesum a Christo impie dividentes, alii illum meram hominis larvam exstitisse, quae per Mariam, velut per canalem, transierat; alii, more ceterorum hominum, ex Iosephi et Mariae satu genitum esse: hunc vero in eum, tum quum baptismo tingendus esset, devolasse, mox revolaturum, quum crucifigendus esset, blasphemabant. Haec errorum monstra citatis capitibus ut profliget Irenaeus, totus est, ut probet unum et eundem esse Iesum Christum, Verbum Dei, Deum super omnia, unigenitum Dei Filium, verum Deum ac verum hominem; verum Deum, qui *in principio Verbum existens apud Deum, per quem omnia facta sunt, qui et semper aderat generi humano,* quique *in novissimis temporibus, secundum praefinitum tempus a Patre, unitus suo plasmati, passibilis homo factus fuerit:* adeo ut *exclusa sit omnis contradictio dicentium: Si ergo tunc natus est, non erat ergo ante Christus: non* enim *tunc coepit Filius Dei existens semper apud Patrem; sed quando incarnatus est et homo factus, longam hominum expositionem in se ipso recapitulavit, in compendio nobis salutem praestans, ut quod perdideramus in Adam, id est, secundum imaginem et similitudinem esse Dei, hoc in Christo Iesu reciperemus* [1]). Verum Deum *Christum filium Dei vivi,* eundem esse *et filium hominis. Quoniam enim nemo in totum ex filiis Adae, Deus appellatur secundum eum, aut Dominus nominatur, ex Scripturis demonstravimus. Quoniam autem ipse proprie praeter omnes, qui fuerunt tunc homines, Deus et Dominus et rex aeternus et unigenitus, et Verbum incarnatum praedicatur et a prophetis et apostolis et ab ipso Spiritu, adest videre omnibus, qui vel modicum de veritate attigerint. Haec autem non testificarentur Scriptu-*

1) Cap. 18. n. 1.

rae de eo, si, similiter ut omnes, homo tantum fuisset. Sed quoniam praeclaram praeter omnes habuit in se eam, quae est ab altissimo Patre, genituram, praeclara autem functus est et ea, quae est ex virgine, generatione, utraque Scripturae divinae de eo testificantur: et quoniam homo indecorus, et passibilis, et super pullum asinae sedens, aceto et felle potatur, et spernebatur in populo, et usque ad mortem descendit: et quoniam Dominus sanctus, et mirabilis consiliarius, et decorus specie, et Deus fortis, super nubes veniens universorum iudex, omnia de eo Scripturae prophetabant.... Hic igitur Filius Dei Dominus noster, existens Verbum Patris, et filius hominis: quoniam ex Maria, quae ex hominibus habebat genus, quae et ipsa erat homo, habuit secundum hominem generationem, factus est filius hominis [1]). Clara sunt haec, nullisque vanis haereticorum suffugiis eludenda. Christus et verus Dei filius, et verus hominis filius: verus Deus, propter aeternam *ab altissimo Patre genituram;* verus homo, propter temporalem, sed *praeclaram ex virgine genituram:* in quo proinde duplex natura fuerit, duplici *geniturae* respondens, unica vero persona utramque naturam sic afficiens et copulans, ut unus et idem sit Filius Dei et filius hominis, unum Verbum incarnatum. Hinc naturarum unionem adeo urget contra haereticos, ut interdum asserat, *Verbum, qui semper humano generi adest, unitum fuisse et consparsum suo plasmati et carnem factum; hominem vero commixtum Verbo Dei* [2]). Quae tamen catholice, et salva semper naturarum distinctione, dicta esse propriis locis ostendimus.

65. Et hinc etiam Mariae dignitatem commendat Irenaeus [3]), quod virgo permanens, verum Emmanuel, qui substantia Deus est, pepererit, et ut verum hominem, sic et verum Deum genuerit; vanosque Theodotionis, Aquilae, aliorumque impiorum conatus dissipat, qui pravis Scripturarum interpretationibus Mariae virginitatem oppugnabant. Hinc a praecipuo illo Mariae decore et illud accersit, quod Mater Dei facta, nostrae salutis prima post Filium mediatrix evaserit: ac per eius fidem et obedientiam, salutem ac redemtionem adeptos nos esse asserit, quae mediatricis conciliatricisque cum Deo partes sunt. *Quemadmodum illa* (Eva) *virum quidem habens Adam, virgo tamen adhuc existens .... inobediens facta, et sibi et universo generi humano caussa facta est mortis: sic et Maria praedestinatum habens virum, et tamen virgo, obediens, et sibi et universo generi humano caussa facta est salutis.* Et postea: *Quod alligavit virgo Eva per incredulitatem, hoc solvit virgo Maria per fidem* [4]). Et lib. v. c. 19. *Quemadmodum illa* (Eva) *per angeli sermonem seducta est, ut effugeret Deum, praevaricata verbum eius: ita et haec* (Maria) *per angelicum sermonem evangelizata est, ut portaret Deum, obediens eius verbo. Et si ea inobedierat Deo; sed haec suasa est obedire Deo, uti virginis Evae virgo Maria fieret advocata. Et quemadmodum adstrictum morti genus humanum per virginem, salvatur per virginem: aequa lance disposita, virginalis inobedientia per virginalem obedientiam. Adhuc enim protoplasti peccatum per correptionem primogeniti emendationem accipiens, et serpentis prudentia devicta in columbae simplicitate, vincu-*

1) Cap. 19. n. 2. 2) Cap. 16. n. 6. Cap. 19. n. 2. 3) Cap. 21. n. 4. et alibi passim. 4) Cap. 22. n. 4.

lis autem illis resolutis, per quae alligati eramus morti. Quae posteriora verba, *et quemadmodum adstrictum est morti etc.* descripsit Augustinus lib. I. cont. Iulian. cap. 3.

66. Haec male habent hagiomachos omnes. Incommode dicta putant Magdeburgenses [1]). His petulantior Gallasius, in suis ad postremum Irenaei locum annotationibus, in Irenaeum ipsum et ceteros patres, totamque ecclesiam catholicam furit. Moderatior cl. Grabius Irenaei quidem personae parcit, verbis duntaxat vim inferre nititur. *Licet,* inquit, advocata *hic* patronam, *quae pro altera intercedat, significaret, nihil tamen de B. Maria iam defuncta eam accipere cogeret.* Quidni? Si Maria in terris degens, pro ea qua in humanum genus caritate flagrabat, mediatricis ac patronae munere functa est, ac pro hominibus intercessit: an mortuam, sed Deo viventem, cum Deo regnantem, Deo ipsi caritatis fonti altius velut immersam, caritas, quae, apostolo teste, nunquam excidit, sic defecit, ut eorum, quorum antea miserebatur, prorsus oblita, nullas pro ipsis preces fundere dignetur? Certe secus longe sensisse veteres omnes patres et ecclesias, probat, ut alia taceam, Liturgiarum omnium antiquissimarum, graecarum latinarumque, quas ipse Grabius veneratione dignas existimat, consensus: in quibus B. Mariae auxilium exposcit, eiusque meritis ac precibus veniam peccatorum et beneficia cetera impetrare studet ecclesia. Quare huiusce ratiunculae vanitatem sentiens vir clariss. addit: *etsi concedatur, illam nunc pro fidelibus vivis universe consideratis intercedere, id quod moderatiores Protestantium doctores merito admittunt, ne inde quidem eius invocatio a singulis facta probari posset; quod incertum, ne dicam, falsum sit, audiat, vel possitne audire simul tot mille hominum compellationes.* Sed si moderatiores Protestantium doctores, teste Grabio, merito admittunt, Mariam, ceterosque Sanctos nunc pro fidelibus vivis universe consideratis intercedere; admittant proinde necesse est, nulla uni Dei et hominum mediatori facta iniuria, alios praeter Christum secundarios, ipsique subiectos mediatores esse posse, quorum proinde de salute nostra sollicitorum praesidium implorare liceat, ut per eos ad principalem mediatorem pateat accessus.

67. Sed, ait, Grabius, beata virgo audire non potest simul tot mille hominum compellationes. Sagacem virum, cuius ea sit mentis acies, ut beatorum intimos animi sensus altissime pervadens, certos limites eorum audiendi ac cognoscendi facultati praefinire valeat! Tanta non fuit ecclesiae per totum orbem, perque omnia tempora diffusae sagacitas, quae sanctos et orare pro nobis, et a nobis invocari posse duxit; rata videlicet preces nostras ab iis audiri et percipi. Tantum ingenii acumine non valuerunt veteres patres, qui plurima quae hic geruntur, beatis explorata esse confidenter asseruerunt. Certe recens non est Grabii, immo Calvini et Petri Molinaei obiectio. Hanc dudum sibi proposuit, solvitque Severianus Gabalitanus, in Serm. VI. de Mundi opificio To. VI. Operum Chrysost. p. 639. Nempe quum dixisset, verissime id de se affirmasse s. Mariam, *Beatam me dicent omnes generationes,* subinde hoc opponit sibi: *Et quid illam iuvat istud, inquies, quum non audiat?* Cui sic re-

1) Cent. II. cap. 4.

spondet: *Immo vero maxime audit, eo quod in loco est splendido mater salutis, fons sensibilis lucis.* Basilius lib. de vera Virginit. virginem Deo consecratam admonet, ut non tantum angelos vereatur, sed etiam hominum sanctorum ac patrum spiritus. *Et quid singula commemoro,* inquit, *angelorum innumerabiles multitudines, cumque iis sanctos patrum spiritus? Nullus enim eorum est, qui non ubique prospiciat: quum ipse quidem corporis oculis non conspectus, incorporeo tamen visu ad notitiam cuncta complectatur.* Augustinus Serm. 316. al. 94. de diversis, loquens de Paulo et Stephano: *Ambo,* ait, *ibi vos videtis, ambo modo sermonem nostrum auditis, ambo pro nobis orate.* Theodoretus lib. VIII. de curandis Graecorum affectionibus, ubi de martyribus agit, eorum refellit errorem, qui martyres credebant, *nullum sensum eorum habere, quae in terris geruntur;* quod ex eo refutat, *quod divina quadam et beatissima in sorte constituti sint.* Denique, ut citandis patribus finem faciam, eundem errorem refellens Gregorius mag. lib. XII. Moral. cap. 19. eodem argumento probat, animas divinae lucis ac felicitatis compotes, rerum humanarum, quas scire ipsarum interest, scientiam non fugere; *quia quae intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est, quia foris sit aliquid, quod ignorent.* Sic sentiebant boni illi idiotae, christiana simplicitate et humilitate rudes, sic credebant, sic aliis persuadere nitebantur. Si vero imperitiam eorum arguat Grabius, meminerit ab Irenaeo dictum[1]): *Qui relinquunt praeconium ecclesiae, imperitiam sanctorum presbyterorum arguunt; non contemplantes, quanto pluris sit idiota religiosus a blasphemo et impudente sophista. Tales sunt autem omnes haeretici, et qui se plus aliquid praeter veritatem invenire putant .... semper quaerentes, et nunquam verum invenientes.* Tutius igitur cum religiosis illis idiotis imperitum esse, nec curiosius inquirere, quemadmodum fiat, uti preces nostras audiant Sancti; quam cum vanis sophistis semper quaerentibus, et nunquam verum invenientibus sapere. Sufficiat rem certam esse, et in ecclesia semper constitisse: explicandi modus Deo committendus: quamquam tamen consuli ea de re possit Augustinus lib. de Cura pro mortuis gerenda cap. 15. et 16. cuius modestiam in solvendis eiusmodi quaestionibus laudabit et imitabitur probus et prudens quisque.

68. Quam parum tuta sint ea, quae mox praeclusimus effugia probe sentiens cl. Grabius, aliud sibi parare studuit, ceteris tamen nec melius, nec tutius. *Advocata,* ait, ex Graeco *παράκλητος, consolandi,* non *intercedendi* significationem hoc loco manifeste habet; quod ex quibusdam, non Irenaei ipsius, sed Tertulliani testimoniis probare nititur. Unde concludit, *advocatam,* id est, consolatricem Evae et totius humani generis ab Irenaeo dici B. virginem, quia haec Deo obediens, secundum Adam, Salvatorem mundo peperit; sicut illa diabolo aures praebens, primum Adamum seduxit, indeque posteris exitii caussa fuit. Sed quid tam fidenter supponit Grabius, Irenaeum graece scripsisse, *παράκλητος*? *Παράκλητος,* inquit, *consolandi,* non *intercedendi* significationem hoc loco manifeste habet. Diceres, hominem graeca Irenaei prae oculis habuisse. Quid si contendam, aliud quidvis scripsisse Irenaeum, quod *deprecatricem, mediatricem ac sequestrem* significet? Quo argumento coniecturam

1) Iren. lib. V. c. 20. n. 2.

hanc confutabit Grabius? At scripserit Irenaeus *παράκλητος*, haud repugnabo. Sed cur vocis huius significationem a Tertulliano, et non potius ab Irenaeo ipso petit? Si quidem semel duntaxat ea voce usus esset martyr sanctissimus, ferri utcunque posset. At quum eandem aliis in locis usurpaverit, cur ea non conferebat eius editor, ut genuinum vocis sensum ab Irenaeo ipso peteret, Irenaeumque ex Irenaeo explicaret? Lib. III. c. 18. n. 7. scribit Gnosticos existimantes Christum specie tenus hominem exstitisse, adhuc esse sub veteri damnatione, *advocationem praebentes peccato*, id est, *tutelam, patrocinium, defensionem.* Eodem sensu ait lib. IV. c. 34. n. 4. *Si aliquis Iudaeis advocationem praestans, erectionem templi, quae posteaquam in Babylonem transmigraverint, facta est sub Zorobabel, et discessionem populi, quae facta est post septuaginta annos, dicat hoc esse novum Testamentum, cognoscat etc.* Sic et lib. III. c. 23. n. 8. *Qui contradicunt saluti Adae .... advocatos se serpentis et mortis ostendunt.* Igitur *advocationem* alicui *praestare*, seu, quod idem est, alicuius *advocatum esse*, Irenaeo est alicuius non tantum consolatorem esse, ut perperam interpretatur Grabius, sed eius patrocinium ac defensionem suscipere, hunc in clientelam accipere, huic praesidio esse atque opitulari. Quae proinde B. virgo Evae ac totius humani generis advocata apud Deum ab eodem dicitur; non alias eo munere fungitur, quam Deum fide et obedientia placando, humanum genus in gratiam cum Deo reducendo, hunc precibus sollicitando, pro susceptis in tutelam clientibus interpellando, deprecando, preces fundendo, ut Dei accersat opem, ac beneficentiam eliciat. Hae illius, qui apud Deum pro aliis advocatum agit, partes, hoc munus; quod pluribus confirmari posset, si necesse videretur: sed dicta sufficiunt ad Grabianae annotationis vanitatem demonstrandam.

69. Antequam tamen a B. virgine discedam, operae pretium est et hic iniquam Grabii criminationem confutem, qua et Mariae sanctitati, et Irenaei doctrinae labem adspergere molitur. Iste lib. III. c. 16. n. 7. ostendens, Christum omnia suo tempore, ut a Patre praefinita erant, peregisse, subdit: *Propter hoc properante Maria ad admirabile vini signum* (in nuptiis Cana Galilaeae), *et ante tempus volente participare compendii poculo, Dominus repellens eius intempestivam festinationem dixit:* Quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea: *exspectans eam horam, quae a Patre erat praecognita.* Hinc avidissime captata occasione concludit Grabius, imperfectionem humanae naturae, peccatorum venialium matrem, in B. virgine Maria agnovisse Irenaeum. Iniqua ex omni parte observatio. Quisquis aequus rerum aestimator est, id unum ex Irenaei verbis exsculpserit, B. virginem horae a Patre praecognitae et praedestinatae, qua Christus miracula palam et publice patraturus erat, ignaram, unum a Filio *ante tempus* obtinere voluisse. Sciebat quidem Filium tandem aliquando palam prodeuntem, vitae sanctitate, doctrina et miraculis orbem illustraturum: iam publico munere fungi, discipulosque colligere coepisse viderat; quare et publicorum miraculorum tempus et horam advenisse putans, de vini penuria monet, ut laborantibus divinitus consulat. Et hoc est quod Irenaeus *intempestivam festinationem* vocat; non quod Mariae animus praeceps, aut inani gloria stimulatus fuerit: sed quod ipsam horam a Patre praefinitam nesciens, advenisse

tamen existimans, pauperum egestate commota, miraculum eo loco et tempore fieri cupierit, quibus publica et omnibus manifesta omnipotentiae suae signa edere Christum sinebat Patris voluntas. Quare miraculum absolute non detrectat Christus, sed veluti clam et occulte patrat. Divinorum igitur decretorum ignara si fuerit Maria, non certe ullius imperfectionis moralis rea.

70. Sed si hactenus probandus sit Irenaeus, haud certe excusandus videtur in eo quod scribit lib. II. c. 22. Christum iam seniorem, id est, ut ipse explicat, quadragenario maiorem, immo prope quinquagenarium passum ac mortuum fuisse. Idque eo magis mireris, quod e veteribus plerique Salvatorem longe iuniorem, quam revera fuerit, et exhibeat Evangelium, exstitisse velint, quum passus est. Plurimi enim ad baptismum venisse statuunt anno aetatis circiter 29. tum anno sequenti mortem obiisse: adeo ut inter baptismum et mortem vix plus quam anni unius spatium interponant: quum tamen ex evangelio tria saltem a baptismo paschata celebrasse Christum, eaque gessisse compertum sit, quae trium saltem annorum intervallum probent. Sed multos hac in occasione minus, quam par esset, attentos evangeliis fecerant ea Esaiae verba: *Annum acceptum Domino praedicare misit me*[1]) *etc.* de Christo recte quidem intellecta, sed minus feliciter explicata, quasi inde consequeretur fore ut Christus uno duntaxat anno praedicaret. Unus Chrysostomus Homil. 54. in cap. 9. s. Ioannis propius ad Irenaei sententiam accessisse videtur. Nempe in iis Iudaeorum ad Christum verbis, quae etiam ad confirmandam opinionem suam trahere nititur Irenaeus: *Quinquaginta annos nondum habes etc. quadraginta* pro *quinquaginta* legendum esse putans, concludit, *prope iam Christum quadraginta annorum fuisse.*

71. Quod vero veteres non paucos in transversum egit perperam explicatum Esaiae testimonium, idem et Gnosticis errandi, seu potius praeconceptum errorem confirmandi ansam praebuit. Ut enim Aeonum suorum commenta quoquo modo fulcirent, fingebant, *ab hoc Salvatorem triginta annorum existentem venisse ad baptismum, ut ostenderet tacitos Aeones eorum triginta .... Duodecimo autem mense dicebant eum passum, ut fuerit anno uno post baptismum praedicans: et ex propheta tentabant hoc ipsum confirmare; scriptum est enim: Vocare annum Domini acceptum, et diem retributionis*[2]). Hunc errorem confutaturus auctor noster recte quidem probat, eum non esse verborum Esaiae sensum. Tum statuit, Christum *triginta annorum existentem venisse ad baptismum*[3]): ac demum ter *secundum tempus paschae Dominum post baptisma ascendisse in Hierusalem, et illic diem festum paschae celebrasse*[4]). Quilibet ex iis conficeret Christum anno aetatis 33. aut 34. passum esse. Nihil tamen minus infert Irenaeus; sed pluribus argumentis, quae apud ipsum legi possunt, probare nititur, Salvatorem iam in senium declinantem mortuum fuisse, et ultra quadragesimum annum, ac quinquagesimo proximum docuisse. Quae quidem argumenta infirma esse, legenti statim patebit. Nec illud ceteris validius, quod ab auctoritate seniorum, qui apostolos viderant, repetit. Nam praeterquam quod de nomine et auctoritate seniorum illorum non constat, et ab uno forte Papia, homine, ut ait Eusebius, pertenuis inge-

1) Esa. LXI. 2. 2) Iren. l. II. c. 22. n. 1. 3) N. 4. 4) N. 3.

nii, nec eorum, quae ab apostolis audierat, sensum semper assecuti, cuius tamen fidei plus aequo tribuebat Irenaeus, id accipere potuit, quod narrat: illud tantum a senioribus illis, quicunque tandem sint, audierat, non Christum anno aetatis fere quinquagesimo passum esse, sed declinantem iam in seniorem aetatem mortuum esse: quam senilem aetatem ex arbitrio et disputationis aestu paullo longius, quam par fuisset, ab haereticorum sententia discedens, postmodum interpretatus est.

72. Id ergo verissimum, quod observat Augustinus lib. II. de doct. Christ. cap. 28. forte in Irenaeum nostrum digitum intendens, *ignorantiam consulatus, quo natus est Dominus, et quo passus est, nonnullos coëgisse errare, ut putarent quadraginta sex annorum aetate passum esse Dominum.* Mirari tamen subit, qui Irenaeus, cui constitit Christum anno aetatis 30. baptismum suscepisse, et ex evangeliis compertum fuit tria duntaxat a baptismo paschata celebrata ab eodem fuisse, id sibi in animum inducere potuit, eum tum passum fuisse, quum iam annum quadragesimum excessisset, et quinquagesimum prope attingeret. Illud enim si verum, necesse est existimaverit Christum non ter tantum, sed plus quam duodecies a baptismo pascha peregisse. Id unum responderi posse videtur, Irenaeum credidisse, Christum non statim a baptismo docendi munus suscepisse, sed tamdiu delitescere, privatamque vitam degere perseverasse, donec magistri aetatem perfectam assecutus esset: tum vero palam prodire ac magistrum agere coepisse, quum annum aetatis quadragesimum tertium aut quartum attigisset. Is esse videtur verborum istorum sensus: *Triginta quidem annorum existens, quum veniret ad baptismum, deinde magistri aetatem perfectam habens venit Hierusalem, ita ut ab omnibus iuste audiret magister.* Ibi quippe inter baptismi et docendi tempus distinguere videtur, alterumque ab altero non paucorum annorum spatio dirimere. Venit quidem Iesus ad baptismum triginta annorum existens, id est, Irenaei sensu, adhuc iuvenis: nam *triginta annorum aetas,* ut ipse ait, *prima indolis est iuvenis:* prius autem non venit Hierusalem, ibi pascha primum, non ex quo baptismum susceperat, sed ex quo palam docere coeperat, celebraturus, quam magistri aetatem perfectam haberet, et in senium iam declinaret, id est, ut postea explicat, annum aetatis quadragesimum excederet. Tria proinde, quae Christum baptizatum paschata peregisse probat ex evangeliis, non ab ipso baptismo numerat Irenaeus, sed ab eo duntaxat tempore, quo magistri munere fungi coepit. Quid vero Irenaeum in tam insolitam, et cum evangeliis e diametro pugnantem opinionem adduxerit, ut Christi praedicationis tempus a baptismo tanto annorum spatio dirimeret, non video, nec quidquam occurrit, quo sententia tam procul aberrans a vero emolliri possit. Nodum hunc scindere, non solvere tentavit doctissimus Antonius Pagius, To. I. Criticae historico-chronologicae in Annales Baronii, pag. 24. Edit. Antuerp. 1705. sed infeliciter. Existimat enim, ea omnia, quae apud Irenaeum de seniori Christi aetate leguntur, *corrupta* esse *et insititia.* Sed id aliis argumentis, quam meris coniecturis, iisque admodum infirmis, probandum esset. Nam praeterquam quod tota oratio adeo sibi cohaeret, ut nulla pars avelli possit, quin tota dissolvatur; et stilus, qui certe Irenaei est, et verba quae ex eo refert Eusebius lib. III. Hist. cap. 23. (ea nimirum, quibus sententiam suam a Ioannis discipu-

lis accepisse se profitetur Irenaeus) omnem interpolationis suspicionem eximunt.

73. Laudem vero meretur quod scribit auctor noster, lib. v. c. 31. n. 1. Christum post mortem suam tribus diebus conversatum esse *ubi erant mortui, quemadmodum,* inquit, *propheta ait de eo: Commemoratus est Dominus sanctorum mortuorum suorum, eorum qui ante dormierunt in terra sepelitionis, et descendit ad eos, extrahere eos, et salvare eos.* Nec minus clare l. iv. c. 27. n. 2. *Dominum in ea, quae sunt sub terra, descendisse, evangelizantem et illis* (veteribus, qui iam e vivis excesserant) *adventum suum; remissione peccatorum existente his qui credunt in eum, id est, qui adventum eius praenuntiaverunt, et dispositionibus eius servierunt, iusti et prophetae et patriarchae: quibus similiter ut nobis remisit peccata, quae non oportet nos imputare his, si quominus contemnimus gratiam Dei.* Denique eiusdem libri c. 22. n. 1. *passionem* Christi *expergefactionem esse dormientium discipulorum, propter quos et descendit in inferiora terrae, id quod erat inoperatum conditionis visurus oculis, de quibus et dicebat discipulis: Multi prophetae et iusti cupierunt videre et audire, quae vos videtis et auditis.* Ubi diserte docet Christum ad inferna descendisse, ut sanctorum ac iustorum animabus agentibus in subterraneis locis, donec per Salvatoris mortem reseraretur caelum, annuntiaret adventum suum, et solutum a se redemtionis nostrae pretium, easque illinc extraheret, ac sempiterna felicitate donaret.

ARTICULUS SEPTIMUS.

DE POENITENTIAE ET EUCHARISTIAE SACRAMENTIS.

74. Antiquissimum esse in ecclesia confessionis illius usum, qua quis omnia et singula post baptismum admissa peccata letalia distincte et sigillatim coram eis, qui ecclesiae praesunt, enuntiat, fateri coguntur ipsi Protestantes, fatetur et cl. Grabius in suis cap. 13. al. 9. lib. i. Irenaei observationibus. Et si quis negaret, errorem illico revinceret Irenaeus, suisque verbis demonstraret, et confessionem sacramentalem et piaculares poenas, pro delictorum gravitate maiores aut minores, publicas aut privatas, a delinquentibus repetitas, iam ab ipso aevo apostolico, ex Christi proinde lege atque instituto, tanquam necessaria ad eluenda peccata remedia usitari coepisse. Lib. i. c. 6. n. 3. refert, quosdam e Valentinianis *clam eas mulieres, quae discunt ab eis doctrinam hanc, corrumpere: quemadmodum,* ait, *multae saepe ab eis suasae, post conversae mulieres ad ecclesiam Dei, cum reliquo errore et hoc confessae sunt.* Ecce mulieres ab haereticis, non palam, sed *clam,* nullisque mortalibus, nisi reis solis, testibus et consciis, corruptas, quarum proinde crimen, si quod aliud, occultum erat: hoc tamen ad ecclesiam conversae, cum reliquo errore confitentur. Cur ita? Nisi quia ex ecclesiae fide atque doctrina intelligebant, eiusmodi confessionem sibi necessariam esse ad eluendam peccatorum maculam? Id quidem ex Irenaei verbis colligi posse negat Grabius, sed perperam et gratis omnino negat. Quid enim aliud mulieres, quas prae ceteris afficit verecundia, ad retegenda occulta crimina, tanto cum famae et honoris dispendio, impulisset? An sola confessionis utilitas? At certe levius incitamentum est, quam ut eo

rumpi possint illi, quos opponit insitus a natura pudor, obices; si maxime aliqua alia minusque molesta ratione elui crimina tuto possint. Testem ipsum appello Grabium, iis in regionibus degentem, in quibus excusso gravi, ut vocant, confessionis iugo, illius duntaxat utilitas commendatur, necessitas vero negatur: an unquam audivit, aliquas suae sectae mulieres clanculum corruptas, adiisse ministros, ut coram eis occultum illud scelus, nullique notum, retegerent ac confiterentur? Ne unum quidem, si quod res est candide fateri velit, exemplum proferre poterit. Breviorem forte et expeditiorem viam hanc dicant ministri ad obtinendam noxarum veniam: ex quo semel aliam aperiunt, qua quis famae simul et saluti tuto consulat, hac, ut sunt homines, incedent quique, priori nulli.

75. Quod autem forsitan ne semel quidem apud Protestantes factum est, Irenaei temporibus passim in ecclesia fiebat. Invictum certe argumentum, aliam fuisse caussam, quae homines ad occultorum criminum confessionem impelleret, quam solam illius utilitatem. Narrat siquidem eodem lib. c. 13. n. 5. s. doctor, Marcum praestigiatorem philtris, aliisque veteratoriis artibus, mulieribus insidias struxisse, pluriumque demum *corporibus contumeliam irrogasse. Hae vero saepissime conversae ad ecclesiam Dei, confessae sunt, et secundum corpus exterminatas se ab eo, velut cupidine, et inflammatas valde illum se dilexisse; ut et diaconus quidam eorum, qui sunt in Asia nostri, suscipiens eum in domum suam, inciderit in huiusmodi calamitatem. Nam quum uxor eius esset speciosa, et sententia et corpore corrupta esset a mago isto, et secuta eum esset multo tempore, post deinde quum magno labore fratres eam convertissent, omne tempus in exhomologesi comsummavit, plangens et lamentans ob hanc, quam passa est ab hoc mago, corruptelam.* Mulieres illae non tantum abditum crimen confitentur, sed et occultissimas eiusdem criminis circumstantias aperiunt, scilicet quod Marcum deperiissent, illudque poenitentia publica sibi a sacerdotibus imposita eluere satagunt. Hoc ipsum confirmatur ex iis, quae addit Irenaeus n. 7. Marci discipulos *multas* in regione lugdunensi *seduxisse mulieres, quae cauterizatas conscientias habentes, quaedam quidem in manifesto exhomologesin faciunt; quaedam vero reverentes hoc ipsum, in silentio sensim semetipsas retrahunt, desperantes a vita Dei; quaedam quidem in totum abscesserunt; quaedam autem inter utrumque dubitant, et quod est proverbii passae sunt, neque intus, neque foris existentes, hunc fructum habentes seminis filiorum agnitionis.* Ex hoc loco poenitentiam publicam in prisca ecclesia usitatam fuisse, merito colligunt doctissimi ac bonae memoriae viri Billius et Feuardentius. Ego vero, ait cl. Grabius, et confessionem publicam quandoque factam exinde demonstrari puto. Putaverant et alii, et recte quidem; haec enim ad illam referebatur, ut norunt omnes: sed utrique praeibat confessio privata, qua quis coram legitimo pastore, vel sacerdote huic muneri praefecto, peccatorum tum occultorum, tum publicorum, si quae erant, enumeratione facta, ea postmodum publice confitebatur, quae palam evulgari posse ac debere, nullo cum confitentis discrimine, servatisque prudentiae ac caritatis legibus, censuerat sacerdos. Utraque vero confessio seu privata seu publica, sacramentalis erat: utramque excipiebat imposita delinquentibus canonica poenitentia, hanc absolutio a peccatis, et corporis Christi suscipiendi facultas. Haec leviter perstringo,

quia trita et omnibus perspecta. Sed adeo liberum non erat peccatoribus seu privatim, seu publice confiteri, ut, Irenaeo teste, e mulieribus illis *cauterizatas habentibus conscientias* quaedam, quum puderet latens ulcus retegere, terreretque poenitentiae seu exhomologeseos remedium, animum misere despondentes ab ecclesia deficerent, vel inter spem et metum animo pendentes, neque intus, neque foris existerent. Certe si quo alio sibi ipsae opitulari posse remedio existimassent eae mulieres; si uni Deo facta confessio, privataque sponte suscepta poenitentia sceleribus expiandis satis fuisset, quid ambigebant? quid ab ecclesia deficiebant, vel animo dubiae inter defectionem et reconciliationem haerebant? Quin potius tam facili remedio sibi ipsae consulebant? Nodum hunc solvat, si possit, Grabius, videatque, num apud suos eiusmodi pudor, aut anxietas, peccatorum mentes usquam torserit. Ne eiusmodi ambagibus unquam implicarentur, abscissa penitusque resecta tot molestiarum caussa, sollicite caverunt. Sed tam expeditum salutis iter necdum Irenaei aetate notum erat.

76. De eucharistiae sacramento quid senserit Irenaeus, pluribus in locis mox memorandis dilucide aperit. Ac primo quidem illud recolendum, quod in Dissert. I. de Marci praestigiis agentes ostendimus, tam alte eorum omnium qui christiano nomine utcunque gloriarentur, pectoribus infixum fuisse, eucharistiam verum esse corpus et sanguinem Christi, et panem ac vinum per invocationem Spiritus sancti, et sacra verba vere converti, eo conversionis genere, quod *transsubstantiatio* dicitur, in ipsum Christi corpus et sanguinem, ut profligatissimi omnium haereticorum Marcosii hanc oculis ipsis exhibere praestigiis suis conarentur. Quum enim probe conscius esset Marcus, nullam sibi offerendi sacrificii eucharistici potestatem esse, hancque ad eos duntaxat pertinere, qui per legitimam manuum impositionem consecrati sunt sacerdotes; ut tamen ea se divinitus ab Achamoth, seminum electionis matre, donatum esse suis persuaderet, id efficere se magicis artibus, ac visibili ratione tam impie, quam ridicule simulabat, quod re et vere, invisibili tamen modo peragebant veri Christi sacerdotes. Nam pocula albo vino mixta fusis precibus consecrare se fingens, in *purpureum et rubicundum colorem* sic transmutabat, ut sanguinem oculis exhiberet, quem supremae virtutis sanguinem esse iactabat; quemque ideo degustare adstantes a veteratore delusi gestiebant. Marcus ab apostolica eucharistiam conficiendi formula longe abierit, et propria protulerit deliria, ut vult Grabius, quid inde colligi possit praesentiens; non abnuo: id tamen certissimum esse fatebitur, quisquis sepositis tantisper praeiudiciis omnia circumspexerit, nullum hominem id sibi in animum inducere unquam potuisse, ut tam insolenti portento aliis fucum faceret, nisi ex praeconcepta praesentiae realis et transsubstantiationis doctrina, ut loco citato probavimus.

77. Nec Marcosiorum duntaxat, sed et Gnosticorum omnium eam fuisse sententiam, omnesque cum Catholicis hac in parte consensisse, eucharistiam verum esse corpus et sanguinem Christi, nisi quod ea quae haeretici ore adstruebant, exitiosis aliis, quae statuebant, principiis imprudentes everterent, perspicue ex Irenaeo liquet. Hic enim quum lib. IV. c. 9. et seqq. latissime probasset unum et eundem Deum utriusque legis, Mosaicae et evangelicae, auctorem fuisse, nec veterem ideo abro-

gatam fuisse, quod mala esset, sed quod ad tempus duntaxat data fuisset, ut viam sterneret novae legi, veraeque sanctitati, quam per se ipsa praestare non potuerat; tum demum cap. 17. et 18. ostendit, Deum vetera sacrificia offerri sibi a Iudaeis praecepisse, non quod iis indigeret, sed quod eorum infirmitati haec indulgenda esse censuisset, ne in idololatriam declinarent: non quod per ea veram iustitiam offerentibus impertiri, sed quod novum Testamentum, verumque ac purum eiusdem Testamenti sacrificium et oblationem significari vellet. Sic igitur abroganda fuisse vetera sacrificia, ut genus integrum servaretur, species duntaxat immutaretur. Sua siquidem utrique Testamento sacrificia esse debuerunt, sed alia umbrae et figurae, alia ipsa veritas; alia servorum, alia liberorum propria; alia crassa, et vera sanctitate vacua, alia munda et pura, quibus in spiritu et veritate colitur Deus, veramque iustitiam consequitur homo. Quum itaque iam Deus per Malachiae prophetiam, cap. I. 10. 11. *manifestissime significasset, quoniam prior quidem populus cessabit offerre Deo, omni autem loco sacrificium offeretur ei, et hoc purum;* implens hanc prophetiam Christus, *novi Testamenti novam docuit oblationem, quam ecclesia ab apostolis accipiens, in universo mundo offert Deo.* Nimirum *suis discipulis dans consilium, primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint, eum qui ex creatura panis est, accepit, et gratias egit, dicens:* Hoc est corpus meum. *Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quae est secundum nos, suum sanguinem confessus est* [1]). Et haec *ecclesiae oblatio* est *quam Dominus docuit offerri in universo mundo:* hoc *purum sacrificium,* quod *cum simplicitate ecclesia offert. Oportet enim nos oblationem Deo facere, et in omnibus gratos inveniri fabricatori Deo, in sententia pura, et fide sine hypocrisi, in spe firma, in dilectione ferventi, primitias earum, quae sunt eius, creaturarum offerentes* [2]). Ipsum ergo quod pridie quam pateretur Christus Deo Patri sacrificium obtulit, panem et vinum consecrando, alterum suum corpus, alterum suum esse sanguinem confitendo; illud idem ecclesia in universo mundo, Christi magistri sui exemplo, fabricatori Deo offert. Hoc eius sacrificium, haec oblatio, sacrificium purum, oblatio munda et illibata. Sic Irenaei aetate sentiebat ecclesia, sic agebat, sic credebat: panem et vinum, veluti primitias earum, quae sunt Dei, creaturarum offerebat, benedicebat et consecrabat: consecratione vero facta, iam non communem esse panem et commune vinum existimabat, ut mox explicabit Irenaeus, sed ipsum Christi corpus et sanguinem esse confitebatur. Haec, inquam, ecclesiae catholicae secundi saeculi toto orbe fides.

78. Quae vero hostium eius tunc temporis sententia? An eius de sacrificio eucharistiae fidem impugnabant, vel eo contineri et offerri verum Christi corpus et sanguinem negabant? Iudaei quidem, ait Irenaeus [3]), eucharistiae sacrificium spernunt, nec puram oblationem offerunt: *Manus enim eorum* divini Verbi carne induti, quod crucifixerunt, *sanguine plenae sunt.* Quum ergo *non receperint Verbum* incarnatum, *quod offertur Deo* Patri in sacrificio eucharistiae; quid ea repudiata vera novae legis hostia miseris iam superesse potest, praeter vanam et impuram

1) Iren. lib. IV. c. 17. n. 5. 2) Cap. 18. n. 1. et 4. 3) N. 4.

sacrificii umbram? Haeretici vero offerebant quidem eucharistiam; sed quia non *in sententia pura, et fide sine hypocrisi*, eorum oblatio pura esse non poterat: *Nec enim* ipsi *receperunt Verbum quod offertur Deo.* Et quamvis eucharistiam *corpus esse Domini sui, et calicem sanguinis eius*, ore praedicarent, id tamen eis constare non poterat. *Quomodo*, ait Irenaeus, *constabit eis, eum panem in quo gratiae actae sunt, corpus esse Domini sui, et calicem sanguinis eius? ... Ergo aut sententiam mutent, aut abstineant offerendo quae praedicta sunt.* Offerebant igitur haeretici panem et vinum, utrumque consecrabant, et corpus esse Domini sui, et calicem sanguinis eius fatebantur. Nec in hoc male sentiebant. Sed in hoc duntaxat peccabant, quod secum ipsi pugnantes, id de Verbo Dei sentirent, quod eucharistiae fidem funditus evertebat. Ex quo fiebat, ut quamvis *eum panem in quo gratiae actae sunt, corpus esse Domini sui* palam assererent, id tamen eis *constare* nulla ratione poterat.

79. Id ut facilius percipiat lector, advertat, quaeso, Marcionitas et Valentinianos hic, et postea fusius lib. v. cap. 2. argumentis ab eucharistiae mysterio petitis ab Irenaeo confutari. Porro utrorumque is error erat, ut explicuimus Dissert. I. de eorum haeresi agentes, mundum hunc adspectabilem a supremo Deo et Patre conditum non esse; sed vel ab altera quadam potestate, ut blasphemabat Marcion; vel labis et ignorantiae passi Aeonis fructum esse, ut delirabant Valentiniani. Hinc duplex alter manabat error, 1°. carnem, vel mali principii opus, vel ignorantiae fructum, interitui sic obnoxiam esse, ut semel dissoluta nunquam resurgat. 2°. Christum Iesum veram carnem a Maria non accepisse: ea enim duntaxat sibi sumsit, quae servaturus erat: carni autem salutem impertire non poterat. Ut ergo materiale quoddam corpus gestaverit, non humanum certe ac carneum, sed ita ab omni crassiori materia defaecatum et purum, ac tam sollerti arte concinnatum, ut nihil cum illa commune haberet, sed spiritale quodammodo prae ea esset. Et hinc etiam fluxit altera eorum blasphemia, Verbum divinum nec mundi opificis filium fuisse, nec vere hominem factum fuisse, sed Christo Iesu ad tempus duntaxat unitum fuisse, idque efficientia tenus, et eo unitionis genere, quod ab hypostatico et substantivo procul abesset. Haec sunt vesanorum hominum deliria, quae tum hic, tum lib. v. cit. exagitat Irenaeus, et cum eucharistiae fide, quam profitebantur, pugnare ostendit.

80. Ac primo quidem id principii loco statuit, in *sola ecclesia* catholica eucharisticam *oblationem puram offerri fabricatori:* quia sola *in sententia pura, et fide sine hypocrisi offert ei cum gratiarum actione ex creatura eius;* id est, sola Deum Patrem mundi huius opificem esse credens, munera quae vere sunt eius, et ad eum iure creationis pertinent, panem videlicet et vinum, ex rebus creatis desumta, ei cum gratiarum actione et acceptorum ab eo beneficiorum memor offert et consecrat. Tum infert, nullam a Iudaeis puram oblationem offerri; tum quod *manus eorum sanguine plenae sint;* tum quod *non receperint Verbum* incarnatum, *quod offertur Deo* in Christianorum sacrificiis, quodque abrogatis veteris legis sacrificiis, sola iam et unica novae legis hostia est. Addit, *neque omnes haereticorum Synagogas* puram oblationem offerre. Quamvis enim eucharistiam ex pane et vino conficiant, impura tamen eorum oblatio est, Deumque probro magis, quam honore afficit.

Quod duplici probat argumento, pro duplici haereticorum errore, quem confutat. Primum ex eo desumitur, quod haeretici Deum Patrem mundi huius opificem esse negantes, *ea quae secundum nos creata sunt, offerentes ei,* vel *cupidum alieni ostendunt eum, et aliena concupiscentem;* vel *ignorantiae, passionis, et defectionis fructus offerentes, peccant in eum;* ac proinde contumeliam ei inferunt. Quisquis enim fingit, Deum Patrem, ea quae ipse non condidit, nec ad eum creationis iure pertinent, offerri sibi velle, is Patrem alieni cupidum esse ostendit: et quisquis Deo Patri labis et ignorantiae fructus offerre audet, is pollutis et impuris hisce muneribus *contumeliam facit ei magis, quam gratias agit.* Alterum argumentum ex eo repetitur, quod haereticis negantibus Dominum nostrum Iesum Christum esse ipsius *mundi fabricatoris filium, id est, Verbum eius* unigenitum, constare non poterat, *eum panem in quo gratiae actae sunt, corpus esse Domini sui, et calicem esse calicem sanguinis eius.* Qui enim haeretici negabant Dominum nostrum esse mundi fabricatoris filium, et Verbum Patris unigenitum, ii consequenter negabant Verbum incarnatum ac verum hominem factum fuisse, et Dominum nostrum veram carnem et verum corpus assumsisse. At ei qui negat Verbum assumsisse verum corpus, iam constare non potest eucharistiam esse corpus Domini nostri. Quia qui negat Dominum nostrum habuisse verum corpus humanum, nostro consubstantiale, et ex materia a mundi opifice condita conflatum; is proinde neget necesse est, Dominum nostrum in eucharistia verum habere et conficere sibi corpus. Is siquidem panem et vinum, res a mundi opifice conditas, in veram ac propriam corporis sui substantiam convertere non potest, qui nullum ex materiali substantia, a mundi fabricatore creata, corpus assumere sibi potuit, ne materiam vel natura sua malam, vel a malo opifice creatam sibi adsciscret. *Quomodo* enim, ait inferius auctor noster, c. 33. n. 2. *iuste Dominus, si alterius Patris existit, huius conditionis, quae est secundum nos, accipiens panem, suum corpus esse confitebatur, et temperamentum calicis suum sanguinem confirmavit?* Iis igitur, qui negant Dominum nostrum esse mundi fabricatoris filium, et Verbum Patris unigenitum, constare non potest, eucharistiam esse corpus et sanguinem Domini nostri. Ecqui id eis constaret, qui Domino nostro verum corpus et sanguinem adimunt?

81. Sic adversus haereticos, velint nolint recentiores haeretici, argumentatur Irenaeus, vel certe nihil prorsus efficit. Itaque tum haereticis impugnatis, tum Irenaeo impugnanti, utrimque certum erat, in eucharistia contineri verum ac substantiale corpus et sanguinem Domini nostri, et panem ac vinum in ea vere converti et transmutari. Nisi enim id certum et exploratum utrique parti fuisset, frustra et ridicule argumentum ab eucharistia petiisset Irenaeus, eoque argumentandi genere insulsius nihil fuisset. Nam si tum Irenaeus, tum Marcionitae et Valentiniani nihil aliud in eucharistia agnoverint, praeter meram corporis et sanguinis Christi figuram, aut efficacem illam, quam commenti sunt recentiores ministri, virtutem e corpore et sanguine Christi manantem; sic procedat necesse est Irenaei argumentum. Negantibus haereticis Dominum nostrum esse mundi fabricatoris filium, id est, Verbum eius unigenitum, constare non potest eucharistiam esse figuram, aut virtutem cor-

eius et sanguinis. Si enim Dei filius veram carnem, verumque humanum corpus ex materia a mundi opifice condita conflatum non suscepit, nec hylicum quidquam sibi adscivit, sed *a dispositione circumdedit* sibi *corpus* quoddam *paratum inenarrabili arte,* ut asserebant Valentiniani [1]); nullam sui corporis figuram aut virtutem in eucharistia exhibere potest. Haereticis igitur Christo materiale corpus adimentibus constare non potest, eucharistiam esse figuram aut virtutem corporis eius. Sic argumentatum fuisse Irenaeum fingant necesse est Protestantes. Atqui eiusmodi argumentum delirantis hominis esse, nec proinde Irenaeo, sine gravi iniuria, tribui posse, sobrius quisque fatebitur. Quasi vero, quod Christus hylicum nihil susceperit, et materiale corpus non assumserit, inde consequatur nullam spiritalioris illius corporis, *parati inenarrabili arte,* quod sibi circumdedit, figuram aut virtutem in eucharistiae mysterio exhibere posse? Immo potius haereticis hinc maxime constitisset, eucharistiam esse figuram aut virtutem corporis Domini sui. Ex quo enim ambo haec haereticis constitissent, ut constare sibi contendebant, 1°. Christum, nullum ex inferiori materia conflatum corpus assumsisse; 2°. Christum tamen panem et vinum, corpus et sanguinem suum esse dixisse; iisdem illico veluti quiddam ex ambobus necessario consequens constitisset, panem et vinum non alia ratione Christi corpus et sanguinem esse posse, quam quia Christi corporis et sanguinis aut figura sunt aut virtutem continent. Frustraque id negasset Irenaeus: nam statim reposuissent adversarii, nihil repugnare, eum qui nullum sibi ex rebus inferioribus creatis corpus adscivit, in iisdem spiritalioris illius, quod gestavit, corporis figuram et virtutem repraesentare. Unde tantum abest hoc argumento ab eucharistia petito catholicam caussam iuvasset s. doctor, quin potius arma haereticis ministrasset, quibus Catholicos ipsos confodissent. Argumentum enim invicte retorquentes dixissent: Si quod corpus humanum et materiale ex rebus inferioribus creatis assumere sibi potuisset Dei filius, ex iis maxime sibi confecisset, quae ipse corpus et sanguinem suum esse dixit: Atqui tamen, ipsis fatentibus Catholicis, ea ipsa quae consecrando corpus et sanguinem suum esse dixit, panis videlicet et vinum, non fiunt verum eiusdem corpus verusque sanguis, sed meram corporis et sanguinis figuram et virtutem exhibent et continent. Ergo Christus verum corpus humanum non assumsit, sed meram corporis humani figuram et virtutem, qua in hominum sensus ageret, idque efficeret, quod verum corpus humanum efficere potuisset. E contrario vero si supponamus, quod verissimum est, et Irenaeo et adversariis eius certum et indubitatum fuisse, panem et vinum in eucharistia converti in verum Domini nostri corpus et sanguinem; argumento ab eucharistia petito nihil ad opprimendos haereticos validius erit. Qui enim, dixerit Irenaeus, panem et vinum, res materiales creatas, in veram proprii corporis et sanguinis substantiam convertit, et verum corpus et sanguinem suum esse palam asseruit; is, si verax est, et vera loquitur, verum corpus humanum, ex inferiori materia, perinde atque nostrum, compositum habuerit necesse est; *sanguis enim,* ut recte advertit lib. v. c. 2. n. 2. *non est nisi a venis et carnibus, et a reliqua, quae est secundum homi-*

1) Iren. lib. I. c. 6. n. 1.

nem, substantia. Atqui, ut ipsimet fatentur adversarii, Dominus noster, ipsa veritas, panem et vinum, res materiales creatas, in veram proprii corporis et sanguinis substantiam convertit, ac convertisse se dixit. Ergo verum corpus humanum ex inferiori materia compositum, nostroque consubstantiale habuit. Ergo mundi creatoris filius est, et Verbum eius.

82. Erit forte e Calvinianis quispiam, qui respondeat, Irenaeo satis fuisse probare eucharistiam esse corporis et sanguinis Christi figuram, ut inde conficeret Dominum nostrum verum corpus et sanguinem assumsisse: nam, ut ait Tertullianus lib. IV. cont. Marcion. c. 4. *vacua res, quod est phantasma, figuram capere non posset.* Sed vanissimam responsionem iam occupavimus. Nec enim Irenaeo probandum duntaxat erat, Christum verum habuisse corpus; id quippe non absolute negabant ii, quos hic refellit, haeretici: sed id praesertim demonstrandum erat, Dominum nostrum corpus sibi ex inferiori materia a mundi fabricatore condita sumsisse, nostro consubstantiale. Atqui id certe hoc argumento non demonstrasset. Statim enim regessisset Valentinianus, ideo Christum assumsisse panem et vinum, ut iis corporis et sanguinis, quae mortalium sensibus obiecerat, figuram constitueret; ac proinde sicuti eo corpore, quod, in terris agens, hominum sensus affecerat, meram corporis humani speciem, non verum corpus humanum obiecerat; sic pane et vino non verum corpus, sed corporis materialis phantasma significare voluisse: immo eo demonstrare voluisse, nullam sibi veram corporis humani materiam et substantiam, sed speciem duntaxat inesse. Quod autem addidisset Irenaeus, omni figurae veritatem aliquam respondere debere, illico dissolvisset Valentinianus, reponens, utrique figurae, naturali scilicet et eucharisticae, respondere verum illud corpus paratum inenarrabili arte, quod a dispositione sibi circumdedit Christus, sed quod ex inferiori materia concretum non sit. Sicque cito ruisset tota Irenaei argumentatio.

83. Idem argumentum ab eucharistia petitum confirmat et instaurat Irenaeus, ut alterum haereticorum, carnis resurrectionem negantium, errorem configat. Verba latine recitabo, iis duntaxat ex graeco additis, quae in interpretatione latina omissa sunt. *Quomodo autem rursus dicunt carnem in corruptionem devenire, et non percipere vitam, quae corpore Domini et sanguine alitur? Ergo aut sententiam mutent, aut abstineant offerendo quae praedicta sunt. Nostra autem consonans est sententia eucharistiae, et eucharistia rursus confirmat sententiam nostram. Offerimus enim ei quae sunt eius, congruenter communicationem et unitatem* (graece *κοινωνίαν καὶ ἕνωσιν, communionem et unionem*), *praedicantes* (suppl. Verbi divini cum corpore et sanguine Domini; tum adde, iuxta graecum, *καὶ ὁμολογοῦντες σαρκὸς καὶ πνεύματος ἔγερσιν, et confitentes resurrectionem*), *carnis et spiritus. Quemadmodum enim qui est a terra panis, percipiens invocationem Dei, iam non communis panis est, sed eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena et caelesti: sic et corpora nostra percipientia eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia*[1]). Hic carnis nostrae resurrectionem ex duplici positione infert Irenaeus, nimirum: Ea caro in corruptionem devenire non potest, quae percipit vitam: Ea caro percipit vitam, quae corpore et sanguine

1) Iren. lib. IV. c. 18. n. 5.

Domini alitur. Nam addita altera propositione: Atqui caro nostra corpore et sanguine Domini alitur; fluit hinc ex se conclusio: Ergo caro nostra in corruptionem devenire non potest. Priores propositiones probare supervacaneum fuisset; patent quippe ex ipsis Christi verbis Ioan. vi. 54. 55. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Assumtionem vero, quamvis et ipsa satis aperte ex iis Domini verbis, *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus,* demonstraretur, explicat, probat et confirmat Irenaeus. Ac primo quidem observat, haereticorum sententiam cum ipsa sacrificii eucharistici fide, quam tamen eandem cum Catholicis profitebantur, sic repugnare, ut ab offerendo sacrificio abstinendum eis esset, aut mutanda sententia: Catholicorum vero sententiam cum Eucharistia mire adeo consentire, ut hinc novum ei robur accederet. Offerimus enim, inquit, Deo quae sunt eius, propria ipsius bona, ab eo condita et creata, panem videlicet et vinum, quae consecratione ac benedictione ministrorum ecclesiae fiunt Christi Domini, filii Dei unigeniti ac Verbi corpus et sanguis, *ἐμμελῶς κοινωνίαν καὶ ἕνωσιν ἀπαγγέλλοντες,* concinne praedicantes communionem et unionem: quarum rerum, nisi earum, de quibus paullo ante sermonem fecit, Verbi scilicet divini cum humano Christi corpore et sanguine, tum naturali, tum sacramentali? *καὶ ὁμολογοῦντες σαρκὸς καὶ πνεύματος ἔγερσιν,* et confitentes resurrectionem carnis et spiritus. Tum demum ad caussam propius accedens, addit: *Quemadmodum enim qui est a terra panis, percipiens invocationem Dei etc.,* quibus manifeste alludit (nec diffitetur Grabius) ad solemnem illam verborum formulam, quae in antiquis omnibus liturgiis orientalibus occurrit, quamque Graeci cum Irenaeo *κατ' ἐξοχὴν* vocant *ἐπίκλησιν, invocationem.* Ea est qua Deus oratur ut mittat Spiritum sanctum, qui suo in dona proposita illapsu efficacissimaque operatione faciat ea corpus et sanguinem Christi; simulque fidelibus ea suscipientibus ita per gratiam suam superveniat, et illabatur eorum cordibus, ut eadem mysteria prosint illis ad remissionem peccatorum, gratiae augmentum et vitam aeternam. Ad eandem *ἐπίκλησιν, invocationem,* ipso fatente Grabio [1]), pariter respiciebat Cyrillus Hierosolymitanus, ut plures alios omittam graecos patres, scribens Catech. i. *ἐπικλήσεως γενομένης, invocatione facta panem fieri corpus Christi.* Et Catech. v. *Rogamus,* inquit, *Deum misericordem, ut sanctum Spiritum mittat super proposita, et faciat panem quidem corpus Christi, vinum autem sanguinem Christi.* Sic autem ad eam allusisse Cyrillum, ut proposita dona Spiritus sancti illapsu, et efficacissima operatione transmutari vellet, non moraliter tantum, sed vere, realiter et substantialiter in ipsum Christi corpus et sanguinem, aperte confitetur Grabius, ut postea dicemus; confitebitur et alius quisquis ex aequo et bono agere voluerit. Eodem proinde spectare Irenaei allusionem fateatur necesse est. Et certe ea *invocatio* liturgica, quam tum Irenaeus, tum Cyrillus, tum alii patres tam saepe memorant, cuiuscunque alterius sacrorum donorum transmutationis, quam realis et substantialis

1) Grab. not. in lib. V. cap 2.

in ipsum Christi corpus et sanguinem, sensum procul excludit. Rogatur quippe Spiritus sanctus, ut descendat, non tantum in fidelium corda, ea sanctificaturus; sed et in ipsa sacra dona, divina sua et efficacissima operatione in ea immediate acturus, et insigne aliquod miraculum editurus. Quid vero aliud miraculi plenum in ipsa sacra dona agere potest Spiritus sanctus, nisi vera transmutatione efficere ea aliquid esse, quod prius non erant, corpus videlicet et sanguinem Christi, ut in omnibus liturgiis legitur, *μεταβαλὼν τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ*, ut habent Basilii et Chrysostomi liturgiae? Tropos, figuras et virtutem, nescio quam, hic comminiscantur Protestantes: perspicuam verborum sententiam falsis interpretationibus circumvenire nunquam poterunt. Duplex enim aperte distinguitur Spiritus sancti illapsus, duplexque utriusque finis, alter ab altero diversus: alter in ipsam materiam, id est, in sacra dona, ut fiant aliquid, quod prius non erant, nimirum corpus et sanguis Christi: alter in corda fidelium, ut omnes qui sacramentum percepturi sunt, fructum remissionis peccatorum, gratiaeque augmentum consequantur. Quum igitur negant Protestantes aliam transmutationem invocatione postulari, quam moralem: hoc est, ut in ipsa sacramenti perceptione fidelibus sacra dona cum fide percipientibus fiant corpus et sanguis Christi; negent consequenter alium longe ante communionem postulari Spiritus sancti illapsum in ipsa sacra dona, ut ea efficiat corpus et sanguinem Christi; sicque duplicem eum illapsum confundant, perspicuis verbis vim apertam inferentes, necesse est. Et, quaeso, si is sit invocationis sensus; cur ecclesia Spiritum sanctum precata quidem, ut suo in aquam baptismalem, vel chrisma illapsu, virtutem suam, vimque sanctificandi iis impertiat, Christi sanguinis virtute ea repleat ac fecundet etc. nunquam tamen eum rogavit, ut efficacissima sua operatione ea efficeret ipsum Christi sanguinem, aut Spiritum sanctum? Nodum hunc solvere, quidquid rhetoricentur Protestantes, nunquam poterunt. Ex ea ergo invocatione quae sit super terrenum panem, recte concludit Irenaeus carnem nostram corpore Domini et sanguine ali: quia qui est a terra panis, ex quo semel percepit invocationem Dei, desinit esse panis communis, sed fit eucharistia, id est, ipsius Verbi incarnati verum corpus, verusque sanguis. Hoc ipsum est quod paullo enucleatius explicare vult, quum statim addit, *eucharistiam ex duabus rebus constare, terrena et caelesti.* Perspicua quidem verba, nisi tricis suis caliginem iis offundere studuissent Calviniani.

84. Hanc tamen facile discutiet qui tum ad haereticorum, qui hic refelluntur, hypothesin, tum ad totius argumentationis Irenaei seriem attendere voluerit. Paullo ante dixit s. doctor, alium esse, ex haereticorum sententia, a supremo Patre fabricatorem mundi; Dominum vero nostrum non esse huius filium, nec Verbum eius: quia verum corpus humanum ex terrena substantia a mundi opifice creata conflatum non assumsit, nec sibi univit Verbum divinum. Eundem vero errorem hic summatim perstringens, ac simul resurrectionem carnis probans, ostendit terrenum panem ideo, post invocationem Dei, communem panem esse desinere, quia fit *eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena et caelesti.* Quae autem res illa terrena, ex qua constat eucharistia, nisi corpus et sanguis Domini, quibus ali carnem nostram mox dixerat Irenaeus? Ea vero rem terrenam vocat, ut hinc haereticos confutet, negantes Chri-

stum quidquam sibi terreni corporis adscivisse: terrenam, inquam, quia ex terreno pane et vino, in Christi corporis et sanguinis substantiam vere conversis et transmutatis fit verum Domini corpus, verusque sanguis. Ex quo sequitur, Christum sibi corpus ex terrena materia concretum et factum, veramque carnem ac verum sanguinem assumsisse; quod inficiabantur haeretici. Quae vero res illa caelestis, ex qua etiam constare eucharistia dicitur, nisi ea, cuius paullo ante facta mentio est, Verbum scilicet divinum, filius Patris unigenitus, quem creatae Iesu Domini nostri naturae vere ac substantialiter unitum fuisse nolebant haeretici? Recte igitur asserit Irenaeus, eucharistiam ex duabus rebus constare, terrena et caelesti: his enim catholicam sententiam adversus haereticorum blasphemias egregie munit; probatque ex eucharistia, quam corpus et sanguinem esse Domini fatebantur illi, Christum Dominum ut verum hominem, sic et verum Deum, Filium Dei et Verbum Patris unigenitum exstitisse; Verbumque humanam Christi naturam, corpus et sanguinem vere ac substantialiter univisse sibi. Perinde est ac si dixisset. Quod corpus, qui sanguis carni nostrae vitam impertiuntur, eamque a corruptione vindicant; ut sint terrenum corpus, terrenusque sanguis, ex terrenis rebus concreta et facta, esse tamen non possunt merum terrenum corpus, merus terrenus sanguis, seu meri hominis corpus et sanguis: nam merum corpus humanum suapte natura mortale, et corruptioni obnoxium, vitam aliis praestare non potest. Atqui Domini nostri corpus et sanguis in eucharistia, ex terrenis rebus, pane et vino, per veram eorundem conversionem facta, carni nostrae vitam impertiuntur. Igitur non sunt mera res terrena, merique hominis corpus et sanguis; sed his unita sit necesse est res caelestis, sempiterna et immortalis, ipsa vita, uno verbo Filius Dei unigenitus et Verbum Patris. Simili prorsus argumento Nestorianos non semel impugnavere tum Cyrillus Alexandrinus, tum alii patres qui adversus eos scripserunt: probaveruntque Christi corpus, quo pascimur in eucharistia, non puri hominis corpus esse, sed ipsius Verbi incarnati; quod puri hominis caro vitam impertire non possit. Hoc vero eo felicius adversus Gnosticos utitur Irenaeus, quo simul et unionem hypostaticam Verbi divini cum vera Christi humana natura, et carnis nostrae resurrectionem adstruit. Pascimur, inquit, in eucharistia, corpore et sanguine Domini; et hinc vitam percipit caro nostra. Neque enim is, qui nobis in eucharistia porrigitur, sacer cibus, spectandus est ut panis communis: erat quidem ante invocationem Dei; sed semel prolatis super eum consecrationis verbis, desinit esse panis communis, et fit eucharistia. Porro eucharistia constat ex duabus rebus, terrena et caelesti, corpore videlicet et sanguine Domini, e terrena materia concretis; nec iis solis, sed et ex ipso Verbo divino huic corpori et sanguini hypostatice unito. Ex quo sequitur *corpora nostra percipientia eucharistiam,* eaque pasta et nutrita, non nuda meri hominis carne terrena, sed ipsius Verbi divini incarnati, ipsius proinde vitae, corpore et sanguine, *iam non esse corruptibilia, spem resurrectionis habentia;* nec aeternum perire posse, quae tam caelesti cibo recreantur. Sic fit, ait Irenaeus, ut sententia nostra mire consonet eucharistiae et eucharistia vicissim confirmet sententiam nostram. Offerimus siquidem Deo Patri, non aliena, non res ab alio creatas, sed quae sunt eius, quaeque ipse

condidit, panem videlicet et vinum, quae percipientia invocationem Dei fiunt verum ac proprium ipsius Filii Dei corpus et sanguis; congruenter communionem et unionem Verbi divini cum carne praedicantes et confitentes nostrae carnis resurrectionem.

85. Hic Irenaeo nihil alienum affingimus, sed Irenaeum ex Irenaeo, et ipsius Irenaei verbis, scopo, consilio et argumento explicamus. Frustra vero hic solitam Christi corporis figuram ac virtutem opponent Protestantes: nisi prius Irenaeum penitus insaniisse probent, nulli sobrio persuadebunt, eum mera corporis Christi figura, vel virtute, Gnosticorum errores hic confutare aut potuisse, aut voluisse. Nae, praeclarum argumentum, quod a figura aut virtute duxisset! Ea caro, dixisset, percipit vitam, nec proinde in corruptionem devenire potest, quae Domini nostri corporis et sanguinis figura aut virtute alitur. Eccui, nisi deliranti, in mentem venire unquam potuit, carnem nostram ali et nutriri, vel, ut alibi loquitur Irenaeus, membra nostra augeri figura, similitudine, imagine aut virtute? Quid, quaeso, Christi corporis figura, nisi mera *relatio,* ut loquuntur in scholis, panis ad Christi corpus? Quid ea virtus, nisi, ut explicat cl. Grabius, Spiritus sancti gratia? Ergone alitur et nutritur caro nostra, augenturque membra nostra *relationibus,* aut Spiritus sancti gratia? Quin similiter tum Irenaeus, tum alii patres, qui carnis resurrectionem probantes, argumenta petierunt ab eucharistia; ea ducentes a manna, a petra deserti, ab agno paschali etc., quae et ipsa Christi corporis figurae erant, hinc confecerint, tam efficacia fuisse veteri populo remedia corruptionis, quam novo? Nullos tamen reperias qui sic argumentati fuerint. Quin potius, et forte etiam consultius, dixissent carnem nostram aeternum perire non posse, quae salutari baptismatis lavacro abluta et regenerata, ac sacro chrismate uncta et roborata fuerit? Haec enim (nec minus pane et vino in eucharistia, si vera sit Calvinianorum sententia), Spiritus sancti gratia et virtute, immo Christi ipsius sanguine fecundata et repleta esse saepe asseruerunt. Nullus tamen occurrit, qui eiusmodi argumento carnis resurrectionem adstruxerit. Quod quidem vel solum demonstrat, patres aliud quidpiam in eucharistiae mysterio agnovisse, praeter nudam Christi corporis et sanguinis figuram, aut virtutem. Sed ceteras argumenti Irenaei propositiones expendamus. Igitur, si Calvinianos audiamus, ex eo contenderit Irenaeus carnem nostram percipere vitam, nec proinde in corruptionem abire posse, quod Christi corporis et sanguinis figura aut virtute alatur. Hanc vero propositionem ex eo probaverit, quod is, qui est a terra, panis percipiens invocationem Dei, iam non communis panis sit. Quid ergo, si quidem in Christi corpus non convertitur, nec substantiam mutat? Eucharistia est ex duabus rebus constans, terrena et caelesti. Si vero quaeras a Calvinianis, quae sint res illae, terrena et caelestis; consentiunt quidem omnes, terrenae rei nomine panem intelligi: de re vero caelesti dissentiunt. Alii quippe intelligunt virtutem, nescio quam, a corpore Christi manantem, ab eo tamen separatam et pani inditam. Alii fictitiam eiusmodi virtutem merito deridentes, rem per panem significatam intelligunt, nimirum Christi corpus, absens utique. Sed utraque explicatio tot absurdis scatet, ut mirum sit ab aliquo proponi potuisse. Non omnia hic prosequi animus est: id abunde praestitere eruditissimi

auctores libri *de perpetuitate fidei ecclesiae catholicae circa eucharistiam*, Tom. III. lib. I. c. 2. et Tom. II. lib. V. c. 10. 11. et seqq. Pauca duntaxat observare pro instituto sufficiat. Ac ut a posteriori exordiar, pari iure dici poterit agnum paschalem duabus rebus constare, animali quodam et transitu, seu, si mavis, Christi corpore; petram deserti, lapide constare et Christo; marmoream Caesaris imaginem constare marmore et Caesare etc. Nempe insulsus sit quisquis asseruerit totum illud, quod *connotativum* vocant, rem videlicet in se unam, quae tamen ad aliam refertur, eamque significat, duabus constare partibus, quarum una sit res significans, altera res significata. Nulla res, quae totum *collectivum* non sit, quod certe eucharistia non est, altera re tanquam parte constare dicitur, quae absens, et extra ipsam sit.

86. Nec minus absurda altera explicatio, quam adsciscere sibi cl. Grabio placuit. Praeterquam quod enim commentitia illa virtus, a recentioribus excogitata ministris, toti retro antiquitati ignota semper fuit, ac ne vel levissimum quidem habet fundamentum in Scriptura et patribus; praeterquam quod absurdum est asserere corpora nostra ali, nutriri et augeri virtute quadam a Christi corpore separata; ea stare nulla ratione potest cum Irenaei scopo et argumento, superius expositis; nec hinc inferre unquam potuit s. doctor tum unionem hypostaticam Verbi divini cum humana Christi natura, tum corporum nostrorum resurrectionem. *Nostra,* inquit, *sententia consonans est eucharistiae et eucharistia rursus confirmat sententiam nostram. Offerimus enim Deo quae sunt eius,* res videlicet ab eo conditas, *congruenter communionem et unionem praedicantes;* quarum rerum, quaeso? An spiritus, seu animae humanae cum carne? Sed harum rerum unionem et communionem non negabant Gnostici. An virtutis Christi corporis cum pane? Sed quid haec ad Irenaei scopum, ex eucharistiae fide confirmantis, quod antea probaverat, Christum esse ipsius mundi fabricatoris filium, id est, Verbum eius? Ergone quia virtus Christi corporis unitur cum pane, hinc confici potest Verbum cum corporea Christi natura substantialiter unitum fuisse? Immo potius contrarium intulerit Gnosticus et dixerit: quemadmodum Christi corpus in eucharistia cum pane unitur efficacia tenus, non re; sic Verbum divinum cum Domino nostro unitum fuisse efficientia tenus et virtute, non substantia; quae ipsa erat impiorum hominum sententia, quam bene cum eucharistiae fide consentire merito contendissent. Igitur nisi haec fuisset Irenaei et Catholicorum omnium fides, Verbum divinum in eucharistia substantialiter uniri cum iis quae a Deo condita sunt, pane scilicet et vino, non quidem in propria substantia panis et vini remanentibus, sed vere transmutatis in Christi corpus et sanguinem, pessime Catholicorum caussam egisset Irenaeus. Sic, addit vir sanctus, offerimus Deo quae sunt eius, ut etiam resurrectionem carnis et spiritus confiteamur, haecque nostra sententia ex eucharistia confirmetur. Cur ita? An quod Christus corporis sui virtutem pani, qui nobis in eucharistia porrigitur, impertiat? Sed tantum abest, ut hinc probetur carnis nostrae resurrectio, ut potius eam acrius impugnare potuerit haereticus. Quemadmodum enim, dixerit, Christus in eucharistia sui corporis virtutem communicans pani, hunc tamen propria sibi panis substantia non exuit; et quemadmodum licet suum esse corpus confiteatur, in proprium tamen

corpus transmutare non potest, quod nihil sibi ex vitiata et corruptioni obnoxia materia adsciscere possit: sic corpora nostra, quamvis corporis Christi virtutem per communicatum sibi sacrum panem accipiant, ea tamen ab insita sibi corruptela eximi non possunt, nec minus proinde peritura. Sic vanis effugiis suis arma ministrant Calviniani haereticis omnium profligatissimis, et ecclesiae patres insanorum hominum more cum iis dimicantes campo inferunt.

87. Quam vero efficax illud argumenti genus, et merito quidem, existimaret Irenaeus, demonstrat quod eo saepius adversus Gnosticos utatur, illosque ad eucharistiam non semel provocet, eorum errores hoc telo confixurus. Eodem lib. IV. c. 33. n. 2. iam cit. Marcionitas refellens, qui duos Deos fingebant, alterum bonum, Patrem Domini nostri, alterum malum, mundi opificem, probat quod nisi Dominus ipsius mundi conditoris filius sit, *iniuste huius conditionis, quae est secundum nos, accipiens panem, suum corpus esse confitebatur, et temperamentum calicis suum sanguinem confirmavit.* Quo quidem argumento vel nihil prorsus efficit, vel illud certissime demonstrat, Christum ita panem suum esse corpus, et vinum suum esse sanguinem confessum esse et confirmasse, ut ex altero sibi verum corpus, ex altero verum sanguinem, vera utriusque conversione et transmutatione fecerit; et inde iniustum fore, quod res ab alio conditas, et sub alterius ditione positas, suas esse dicat et efficiat. Si enim eo duntaxat sensu Christus panem corpus suum esse dixerit, quod ei corporis sui virtutem impertire voluerit; non magis panem ab alio creatum sibi tribuit, suumque facit, quam princeps alterius principis typo signatae monetae, in gratiam subditorum ea utentium, pretium statuens, immo maius esse iubens, quam sit in ea regione in qua cusa sit, illam sibi vendicat usurpatque. Quasi vero, quod quis signum quoddam pro arbitrio instituat, quo excitatus quidpiam conferat utentibus, hinc inferri possit eum rem illam, quam in signum instituit, sibi vendicare? Sed illud praeterea observatu dignissimum est, Irenaeum, quotiescunque eucharistiae meminit, non simpliciter affirmare Christum, panem suum corpus, vinum suum sanguinem esse dixisse: sed iis vocibus studio et semper uti, *panem suum corpus esse, vinum suum sanguinem esse confessus est, confirmavit,* et ut graece loquitur lib. V. cap. 11. *τὸ ἀπὸ τῆς κτίσεως ποτήριον αἷμα ἴδιον ὡμολόγησε, καὶ τὸν ἀπὸ τῆς κτίσεως ἄρτον ἴδιον σῶμα διεβεβαιώσατο, eum calicem, qui est a creatura* (non *suum* duntaxat, ut vertit interpres, sed *ἴδιον*) *proprium sanguinem confessus est, et eum panem, qui est a creatura, proprium corpus confirmavit,* asseveravit, certiores nos fecit. Qua quidem loquendi ratione perspicue indicat Irenaeus rem creditu difficillimam, quaeque fidem non obtineret, nisi Christus, ipsa veritas, omnem dubitationis ansam clare et aperte loquendo praecideret: ipse vero s. doctor dubitationem illam, quae ex ipsa rei, mentium humanarum captum tam longe superantis, difficultate nascitur, iterum atque iterum inculcando Christi verba tollere nititur. Quasi dixisset, quod postea dixit Cyrillus Hierosolymitanus Catech. IV. Mystag. *Quum igitur Christus ipse sic affirmet, atque dicat de pane,* Hoc est corpus meum; *quis deinceps audeat dubitare? Ac eodem quoque confirmante, βεβαιωσαμένου.* Hic est sanguis meus; *quis, inquam, dubitet, et dicat non esse illius sanguinem?*

Et Chrysostomus Hom. 83. in Matth. *Credamus itaque ubique Deo, nec repugnemus ei, etiamsi sensui et cogitationi nostrae absurdum esse videatur quod dicit .... Nam verbis eius defraudari non possumus, sensus vero noster deceptu facillimus est: illa falsa esse non possunt, hic saepius atque saepius fallitur. Quoniam ergo ille dixit,* Hoc est corpus meum, *nulla teneamur ambiguitate, sed credamus, et oculis intellectus id perspiciamus.* Porro nisi Christi verba ad litteram intelligenda esse censuisset Irenaeus, et ita intellexissent fideles omnes, ridicule omnino dubiis omnibus opposuisset ea verba ex quibus orta fuissent: insulsius adhuc dixisset, Christum asseverasse, confessum esse, confirmasse, certiores nos fecisse, panem esse proprium corpus, et vinum proprium sanguinem. Explicanda fuissent Christi verba, si figurate et metaphorice accipi debuissent, non iterum atque iterum inculcanda. Quis enim ferat eum qui dicat, Spiritum sanctum confessum esse, et confirmasse, petram deserti esse Christum, nec proinde dubitandum esse quin petra sit ipse Christus, vere ac proprie Christus? Quis unquam asseruit bibere nos in baptismate ipsummet ac proprium Christi sanguinem; baptisma esse proprium Christi corpus, ipsummet eius sanguinem, baptisma quum recipimus, ali nos proprio Christi corpore, et ipso eius sanguine potari, quod illius virtus applicetur catechumenis, quum baptizantur?

88. Cavillatur quidem hic pro more Grabius, eaque urget patrum loca, quae alii dudum obiecerant Calviniani, quibus nimirum asserunt sancti doctores, ecclesiam esse proprium Christi corpus, nosque membra proprii corporis. Plura alia similia accumulare facile potuisset; sed omnia a proposito esse aliena quum invicte probaverint eruditissimi auctores *perpetuitatis fidei,* To. II. lib. IV. c. 8. ad hos et Grabium et lectores remitto. Grabio, si aequum bonumque dicere velit, quaerenda sunt exempla, non propositionum metaphoricarum, qualis est ista, *ecclesia est verum ac proprium Christi corpus,* in quibus tropus afficit propositionis attributum: sed propositionum figuratarum, qualem esse eam propositionem, *Hoc est corpus meum,* volunt ministri; in quibus tropus afficiat verbum *est.* Probet igitur exemplis, si possit, recte dici posse, imaginem Caesaris esse vere Caesarem, ipsum Caesarem, proprium Caesaris corpus etc. Petram deserti esse ipsum Christum, proprium Christi corpus etc. Quod quamdiu non praestiterit, quaestionis statum ne leviter quidem attigerit.

89. Sed ut ad Irenaei argumentationem nostra redeat oratio, vir sanctus lib. v. c. 2. Gnosticorum erroribus eucharistiam iterum opponens, duo haec sibi simul demonstranda suscipit. 1. Deum incarnatum in propria venisse, vereque hominem factum esse; alias *non iustum* fore *adventum eius, qui, secundum eos, venit in aliena, neque vere redemisse nos sanguine suo, si non vere homo factus est* [1]). 2. Carnem *capacem esse incorruptibilitatis* [2]), nec proinde aeternum perituram esse. Utrumque vero hoc argumento conficit. *Si,* inquit, *non salvetur* caro, *nec Dominus sanguine suo redemit nos,* quia verum sanguinem non habuerit, non vere homo factus; sequitur *neque calicem eucharistiae communicationem sanguinis eius esse, neque panem, quem frangimus, communica-*

1) N. 1. 2) N. 2.

tionem corporis eius esse. At, mox subsumit, calix eucharistiae communicatio sanguinis Christi est, et panis, quem frangimus, communicatio corporis eius est. Unde merito concludit, carnem servari, et Dominum sanguine suo redemisse nos. Hoc Irenaei argumentum duplici propositione nititur, 1ª. eaque bipertita, quod si nec servetur caro, nec Dominus sanguine suo redemit nos; sequitur neque calicem eucharistiae communicationem sanguinis eius esse, neque panem, quem frangimus, communicationem corporis eius esse. Altera, calicem eucharistiae communicationem sanguinis Domini esse, et panem, quem frangimus, communicationem corporis eius esse. Prioris propositionis secundam partem sic demonstrat s. doctor, alteram mox probaturus. Qui sanguine suo non redemit nos, quod verum sanguinem non habuerit, non vere factus homo; is certe verum sanguinem, verumque corpus sistere praesentia in eucharistia non potuit. Verus enim *sanguis non est, nisi a venis et carnibus et a reliqua, quae est secundum hominem, substantia.* Qui igitur sanguinem nobis in calice eucharistiae communicat, is sanguinem praebere debet, qui sit *a venis et carnibus, et a reliqua, quae est secundum hominem, substantia;* is enim solus verus sanguis est. Ergo si verum sanguinem nobis praestet in eucharistia Christus, habuit venas et carnes et reliquam, quae est secundum hominem, substantiam. Vera igitur humana substantia *vere factum est Verbum Dei;* ac proinde *sanguine suo redemit nos; quemadmodum et apostolus eius ait: In quo habemus redemtionem, per sanguinem eius, remissionem peccatorum.* Hactenus argumentum, quod certissime Irenaei est, male habet Calvinia nos omnes. Hoc enim fundamento positum nititur, quod Christus in eucharistia verum sanguinem nobis praebeat, qui proinde sit a venis et carnibus, et a reliqua humana substantia: unde infertur, venas et carnes et reliquam humanam substantiam habuisse, vereque hominem factum fuisse Verbum Dei ac sanguine suo redemisse nos. Si enim meram sanguinis figuram, efficacem licet, praestitisset nobis in calice eucharistico Christus, idque sensisset Irenaeus, aranearum telis citius dissolvendum proposuisset adversariis argumentum. Nam statim excepisset Marcionita quivis, Christum ideo voluisse vinum sanguinis sui figuram esse, quod quum verum sanguinem non haberet, quem porrigeret, imaginarium duntaxat, et eius similem quem hominum oculis obiiciebat, praestiterit. Sicque vel levissimo flatu concussum illico ruisset totum aedificium.

90. Alteram partem prioris propositionis, nimirum quod si non servetur caro, neque calix eucharistiae communicatio Christi sanguinis est, neque panis, quem frangimus, communicatio corporis eius est; his rationibus persuadet Irenaeus. Si eucharistia sit verum ac proprium Christi corpus, verus et proprius eius sanguis, impossibile est carnem quae iis nutritur et augetur, hacque ratione arctius cum Christo cohaeret *et membrum eius est,* sic dissolvi, ut nunquam reviviscat. Qui enim fieri posset ut caro, ipsius vitae corpore et sanguine pasta et nutrita, *capax non sit donationis Dei, quae est vita aeterna?* Quod vero *carnis nostrae substantia* ipso ac proprio Christi sanguine nutriatur et augeatur, quae secunda totius argumenti propositio est, sic planum facit s. doctor. Capitis est ea membris suis alimenta praebere, quae tum ad eorum naturam, tum ad finem, ad quem destinantur, accommodata sint.

Quoniam igitur *membra Christi sumus, et quemadmodum beatus apostolus ait, in ea, quae est ad Ephesios, epistola: Quoniam membra sumus corporis eius, de carne eius, et de ossibus eius;* et ita a natura comparati sumus, ut rebus creatis vescamur, necesse fuit ut *creaturam ipse nobis praestaret, solem suum oriri faciens et pluens, quemadmodum vult.* Quia vero res creata corporea ex se corruptioni obnoxia est, nec proinde Christi membra ad aeternam vitam destinata a corruptela eximere potuisset; decebat eam rem creatam ab insito sibi corruptionis statu in alium transferri, quo ipsa vita et vivificans facta, vitam vescentibus impertiretur. Itaque Christus, pro divina bonitate, *eum calicem, qui est a creatura, proprium sanguinem confessus est* (sic enim graeca sonant), *ex quo auget nostrum sanguinem; et eum panem, qui est a creatura, proprium corpus confirmavit, ex quo nostra auget corpora.* Tum demum concludit s. doctor: *Quando ergo et mixtus calix et factus panis percipit verbum Dei,* id est, per verbum Dei consecratur, *et fit eucharistia sanguis et corpus Christi* (sic fert textus graecus), *ex quibus augetur et consistit carnis nostrae substantia; quomodo carnem negant capacem esse donationis Dei, quae est vita aeterna, quae sanguine et corpore Christi nutritur, et membrum eius est?*

91. Ad totius argumenti confirmationem aliud addit Irenaeus, et quidem maxime ponderosum. *Quemadmodum,* ait, *lignum vitis depositum in terram, suo fructificat tempore; et granum tritici decidens in terram, et dissolutum, multiplexque surgit per Spiritum Dei, qui continet omnia, quae deinde per sapientiam Dei* (sic in graeco) *in usum hominis veniunt, et percipientia verbum Dei eucharistia fiunt, quod est corpus et sanguis Christi: sic et nostra corpora ex ea nutrita, et reposita in terram, et resoluta in ea, resurgent in suo tempore, Verbo Dei resurrectionem eis donante, in gloriam Dei Patris etc.* Hic comparatio instituitur inter eas quae tritico (idem dic, proportione servata, de vite), ut eucharistia fiat, et eas, quae carni, ut resurgat, mutationes accidunt. Mandatur tritici granum terrae, ibi *dissolvitur,* deinde per Spiritum Dei, quo fecundatur natura, *multiplex surgit;* postea, ut in usum hominis veniat, mutatur in panem; tum denique panis per verbum Dei mutatur in corpus Christi. Sic etiam caro in terram defossa, in terram resolvitur, ac postea vivificante Verbo Dei, terrena forma deposita, pristinam accipit. Quemadmodum igitur ea mutatio, quae resurgenti carni accidit, substantialis est; sic et ea, quae pani, ut fiat corpus Christi, contingit, substantialis est, veraque transsubstantiatio, non minus quam ea, quae fit in tritico, ut in panem convertatur. Haec enim secum confert Irenaeus, immo sic confert, ut ex substantiali conversione, quae fit tum in tritico, ut panis evadat, tum in pane, ut in corpus Christi transeat; alteram substantialem transmutationem, qua terra, in quam resoluta fuit caro, in carnem iterum transitura est, aliquando futuram esse probet. Si, inquit, dissolutum iam triticum, fecundante Dei Spiritu, qui continet omnia, multiplex surgere possit; si divina dirigente sapientia homines triticum, ut in eorum usum veniret, in panem convertere potuerunt; si denique panis, id efficiente verbo Dei, deposita panis natura, potuerit in Christi corpus transmutari: an fidem superabit, corpora nostra, Christi corpore nutrita, tum in terram resoluta, Verbo Dei resurre-

ctionem eis donante, eam, quam corrupta induerunt, terrae naturam exuere, ut in pristinam carnis naturam transmutentur, iterumque redeant? Qui enim potest corruptum iam triticum excitare et multiplicare, triticum in panem convertere, et, quod maius est, panem in Christi corpus transmutare; is certe potest corruptum iam corpus sic excitare, ut terram, in cuius naturam transierat, iterum in carnis naturam convertat: alterum siquidem altero Dei omnipotentiae difficilius non est. Ex quibus perspicuum est, Irenaeum ex certissimis transmutationibus et transsubstantiationibus, quas tum ratio, tum fides, omnes tunc temporis Christianos docebant, gradatim procedere, ut alteram inferat, quae a Gnosticis in controversiam vocabatur. Naturalis quippe conversio tritici dissoluti in triticum multiplex, et eiusdem praesertim in panem; ad alteram, quam sola fides docet, panis videlicet in Christi corpus, ascensum parat: utraque vero fit gradus ad terrae, in quam corpora nostra resoluta sunt, conversionem in pristinam carnis naturam: ut nimirum hisce gradibus viam haereticis sternat Irenaeus ad resurrectionis fidem, faterique cogat non magis Deo impossibile esse corpus in terram iam conversum, in carnem iterum convertere, quam panem in Christi corpus transmutare; et quidem illud eo magis possibile esse, quo caro Christi corpore nutrita immortalitatis semen in se ipsa gerat: *ut sciamus,* concludit vir sanctus, *et quid Deus potest, et quid homo beneficii accipit.* Ubi certe, si Irenaeus nullum in pane eucharistico conversionis substantialis genus agnovisset, sed Christi corporis figuram effici, aut eiusdem corporis virtute imbui, manente semper eadem panis substantia, voluisset, absurdius nihil eius argumento fingi posset. Hoc enim esset: Qui potuit panem Christi corporis figuram efficere, aut pani Christi corporis virtutem impertiri, manente semper eadem panis substantia, is potest corpora iam in terram conversa iterum in carnem convertere. Prius potuit Deus: potest igitur et posterius. Absurdissimum, si quod sit, argumentandi genus. Immo vero, statim excepisset haereticus, qui panem sui corporis figuram efficiens, huicve corporis sui virtutem impertiens, suumque corpus esse palam asserens, eum tamen non potuit in proprium et substantiale corpus convertere; nec certe poterit corpora nostra iam in terram conversa iterum in carnem convertere, quamlibet iis viventibus corporis sui virtutem per consecratum panem impertierit; nec enim Christi corporis virtus efficacior esse potest ad transmutanda corrupta iam corpora, quam ad convertendum panem fuerit. At, fatentibus Catholicis, tantum non potuit Verbum Dei, ut prius efficeret, quamvis id efficere prima fronte Christus significare videatur: nec igitur posterius efficere potest. Sic facili negotio totum Irenaei molimen infringeret haereticus.

92. Longissimis non pepercit annotationibus cl. Grabius, ut omnia haec Irenaei tum loca, tum argumenta detorqueret infirmaretque. Sed verba perdit. Eo quippe redeunt omnia, panem et vinum haud alia ratione, ex Irenaei sententia, fieri Christi corpus et sanguinem, quam quia Christi corporis et sanguinis virtute imbuuntur. Quod quidem effugium quum hactenus praecluserimus, demonstraverimusque absurdius nihil fingi potuisse, et quod cum Irenaei scopo, consilio, verbis et argumento magis pugnaret; nihil necesse est Grabium in communia controversiarum loca excurrentem, eaque veterum patrum loca, dissimulatis Catholicorum

responsionibus, aeque fidenter obiicientem, ac si tum primum obiicerentur, ceterasque ministrorum argutiolas, a Catholicis millies, et non ita pridem a doctissimis auctoribus perpetuitatis fidei penitus dissolutas, replicantem, cum lectorum taedio insequi. Satius Grabio fuisset in id unum probandum incumbere, Albertinum aliquem exstitisse Irenaeo vetustiorem, e cuius cerebro nata iam prodiisset commentitia illa Christi corporis virtus, in cuius arce, licet, lacera omnia tum caussae, tum salutis suae praesidia constituere se posse misere deceptus putat. Quod quamdiu non praestiterit, imperitis quidem fucum, intricatis ac longis verborum ambagibus, facere poterit; ei vero, cuius mentem non prorsus infuscaverint praeiudicia, portento simile videbitur, Irenaeum, qui tam saepe, et tam clare ac perspicue dixit, panem et vinum per invocationem ac verbum Dei fieri et esse proprium corpus et sanguinem Christi, ipsum Salvatorem asseverasse, confessum esse, confirmasse, rem ita esse; iisque argumentis utitur, quae ex sese eo inclinare fatebitur cordatus quisque, ut suadeant Christi verba ad litteram intelligenda esse; nullibi tamen vel levissimam figurae aut virtutis Christi corporis mentionem iniecisse, qua duriora ex sese verba emolliret, omnemque errandi ansam rudioribus adimeret. An adeo imperitus aut improvidus erat Irenaeus, ut quum plures aliae sese ultro offerrent voces, quibus catholicam fidem clarius, simplicius, melius et facilius exponeret; iis tamen uteretur, quae omnium ineptiores, obscuriores et intricatiores essent, rudioribusque errorem ex sese obiicerent? An quemlibet e ministris eodem prorsus modo disputantem atque loquentem ferrent Calviniani? Periculum faciat quisquis e pulpito turpiter deiectum se velit, et ab irata multitudine cito discerptum.

93. Unum tamen aut alterum est, quod a Grabio confidentius longe quam par sit propositum, paucis a nobis expendendum est, ut vel hinc pateat, quam irritis ictibus catholicam fidem petant eius adversarii. Contendit igitur vir cl. posita semel transsubstantiatione, omnia Irenaei argumenta in nihilum abire, immo in argumentantis caput recidere. Marcionitae etenim et Valentiniani, inquit, quos ex eucharistiae mysterio refellit Irenaeus, respondere potuissent; illi quidem, ideo sacramentalia panis et vini symbola transsubstantiari, quod Deus novi Testamenti ista, tanquam ab alterius legis Deo creata, acceptare nolit. Illi vero, panem et vinum esse quidem ignorantiae, et passionis, et defectionis fructus, nec tamen se in iis offerendis in Patrem suum peccare, eique contumeliam facere, uti Irenaeus obiectat: quod eorum substantia illico, mediante consecratione, intereat, ut alia melior substituatur, quo sacrificium purum ac Deo acceptum fiat. Sed praeterquam quod exceptiones istae praecipuum Irenaei argumentum, ex eo ductum quod haereticis negantibus Dominum nostrum esse mundi conditoris filium constare non possit eucharistiam esse corpus et sanguinem Domini nostri, ne quidem leviter attingunt; has iisdem haereticis affingere non potest Grabius, nisi prorsus insaniisse supponat. Quam belle philosopharetur Marcionita respondens, *ideo sacramentalia panis et vini symbola transsubstantiari, quod Deus novi Testamenti ista acceptare nolit!* Ubi enim vera transsubstantiatio est, ibi fit transitus ab una substantia in aliam, eiusdem prorsus generis et materiae, atque ea est, quae desiit. Sic lignum transmutatur in ignem, cibi in carnem et sanguinem, terrae succi in plantas, arbores,

fructus, etc. omnia eiusdem omnino generis et materiae, atque ea corpora, ex quibus facta sunt. Itaque si dicat Marcionita, panem et vinum in Christi corpus transmutari; fateatur necesse est, corpus Christi ex pane et vino per veram utriusque conversionem factum, eiusdem generis esse et materiae, atque ipsum panem et vinum; ac proinde ex ea materia concretum esse, quam condidit mundi opifex. Et hinc Deus novi Testamenti alieni cupidus prodetur, qui sibi panem et vinum ab alio creata offerri velit, ut ex iis in Christi corpus transmutatis fiat novae legis sacrificium. Aliam ergo responsionem Marcionitae suggerat Grabius, qua inclinatae suae et illius caussae tutius consulat. Nec melius Valentinianum ab Irenaei telis tuetur. Ille, ait, regerere potuit, panis et vini substantiam illico, mediante consecratione, interire, ut alia melior substituatur. Ita quidem, si deliramenta loqui voluerit; sin minus, haec nunquam regesserit. Ecquod novum et hactenus inauditum philosophandi genus huc invehit vir doctissimus? Una substantia interit, alia melior, alterius proinde generis, nec ignorantiae aut labis fructus substituitur; et hoc transsubstantiationem vocat? Ea fuit hactenus omnium seu philosophorum, seu theologorum animis insita transsubstantiationis notio, esse conversionem seu transitum unius substantiae in aliam; desinente quidem priori, quae transmutatur, substantia, quatenus talis substantia est, lignum v. g. panis etc. sed non in nihilum abeunte; nova vero, quae huic succedit, non de novo creata, sed ex mutatione prioris exsurgente. Si quid ergo sanae philosophiae, immo et rationis reliqui fuerit Valentinianis, hanc sibi transsubstantiationis ideam cogitatione informare debuerunt, ac proinde fateri sic panem et vinum in corpus et sanguinem Christi transmutari, ut haec ex illis fiant. Quo semel admisso, uti non admittere non poterant de transsubstantiatione cum Catholicis consentientes, iam Irenaei argumentorum vim declinare nullatenus possunt. Sequitur enim, Christi corpus ex materia, ignorantiae et defectionis fructu, concretum Deo offerri in eucharistia; impuram proinde oblationem, quae ei contumeliam faciat, non honorem afferat.

94. Ea vero quae pro resurrectione carnis argumenta Irenaeo gratis affingere Grabio placet, non morabor. Quam vana sint, s. doctore indigna, eiusque scopo, consilio et verbis repugnantia, satis patet ex antedictis, et me etiam tacente facile deprehendet quisquis rem aequis ponderibus examinare voluerit. Sed mirari satis non possum quod tam fidenter proponit vir cl. ut probet, Irenaeum a transsubstantiationis doctrina penitus alienum exstitisse. Nam, inquit, *iterum iterumque repetit, carnem nostram corpore et sanguine Domini ali, sive nutriri, immo ex iis augeri ac consistere carnis nostrae substantiam. Atqui hoc nudis accidentibus panis tribuere, absurdum est; caelesti autem et glorioso Christi corpori, impium.* Bona verba, quaeso. Ac primo quidem quod hic et alibi supponit Grabius, accidentia, quae vocant absoluta, id est, a subiecto re separata, a Catholicis omnibus ut quid fide certum et indubitatum admitti: gratis omnino supponit, et paullo fidentius quam virum candidum decebat. Quaestio est in scholis duntaxat ultro citroque agitata, nusquam vero ab ecclesia definita. Id tantum catholica fides docet, consecratione peracta remanere panis et vini species: quid sint vero eae species, litigant inter se tum philosophi, tum theologi; iudi-

cium vero suum nondum interposuit ecclesia. Sed si quae sit absurditas aut impietas asserere carnem nostram corpore et sanguine Domini ali, sive nutriri etc. quanta quanta est in Irenaeum igitur conferenda. Nec enim simpliciter asseruit carnem nostram ali et augeri corpore et sanguine Domini, sed proprio corpore et sanguine Domini: quae non nisi ridicule et inepte ad Christi corporis et sanguinis figuram aut virtutem separatam detorqueri posse ostendimus. Sed viderit ipse, qui haec obiectat, ne maioris se absurditatis reum prodat, figuram aut virtutem Christi corporis hic obtrudens. An enim rationi valde consentaneum putat, carnis nostrae substantiam ali, nutriri et augeri figura, et virtute spiritali? Quis haec ferat? Nondum, puto, plane et aperte fateri statuerat Grabius, Cyrillum Hierosolymitanum, Gregorium Nyssenum, Ioannem Damascenum, *aliosque fortasse plures,* ut mox referemus, persuasos fuisse, ipsam panis substantiam in veram ac propriam Christi carnem transformari. Nec enim hi Irenaeo minus asseruere, nos sumto Christi corpore et sanguine fieri unum cum Christo corpus et sanguinem, ac, ut ita dicam, Christo concorporeos et consanguineos, *Χριστοῦ συσσώμους καὶ συναίμους,* ut loquitur Cyrillus Hieros. Catech. IV. Myst. Christi corpus et sanguinem per esum et potionem admitti intra viscera hominis, et per illa distribui in universum corpus, commisceri et contemperari corporibus credentium etc. ut unione cum eo quod est immortale, fiat homo particeps incorruptionis, quemadmodum ait Gregorius Nyss. orat. catech. c. 37. corpus ac sanguinem Christi, ad animae et corporis nostri incolumitatem, ad nostram substantiam et conservationem tendere, ac per ea nos corpori Domini, ipsiusque spiritui uniri, et Christi corpus ac Christo concorporeos effici, ut asserit Ioannes Damascenus lib. IV. De fide orthod. c. 14. Quae quid ab Irenaei verbis differant, ne quidem Grabius ipse dixerit. Et tamen sanctissimis patribus, acerrimis, ipso fatente viro cl., transsubstantiationis propugnatoribus haec neque absurda, neque impia videbantur.

95. Si, quae sit catholica de transsubstantiatione fides, satis exploratum Grabio fuisset, a puerilibus eiusmodi obiectationibus temperasset. Corpus Christi ore manducari, hoc carnem nostram ali, nutriri, augeri etc. tam vere, quam pie affirmare potuerunt sancti patres, potuerunt et negare, pro diversis, quas praedictis vocibus subiiciebant, notionibus. Quum Christi corpus vere quidem et substantialiter praesens in eucharistia nobis exhibeatur, non tamen sub ea sensibili carnis humanae forma, quam gestavit in terris degens, sed alienis speciebus contectum; hoc a nobis manducari, hoc caro nostra ali et nutriri recte dicitur, quatenus sub speciebus istis latens ore corporis excipitur, in stomachum traiicitur, atque in ipsa symbola et species, quibus Christi corpus tegitur, corporeae actiones, quae manducationis intellectu continentur, hancque consequuntur, vim suam exserunt. Ex quo enim id tanquam fide certum, uti revera est, supponitur, panem sic in Christi corpus converti, ut tamen maneant semper eaedem panis species, eodemque prorsus modo sensus afficiantur ac si panis re ipsa adesset; necesse est, ut quemadmodum oculis exhibetur idem color, qui prius erat panis, sic et os, dentes, linguam, palatum et stomachum eadem ratione affici, ac affecisset panis, si mansisset; ac proinde eas omnes actiones, quae manducationem comi-

tantur aut consequuntur, in species ipsas exerceri, perinde ac in panem ipsum exercerentur, si superesset. Hoc siquidem stupendi illius divinae potentiae simul atque bonitatis miraculi pars magna est. Quia vero Christi corpus speciebus illius coniunctum est; quod non fit nisi in species et sacra symbola, in ipsum tamen Christi corpus sub iis latens fieri dicitur: quamvis in hoc alia ratione non exerceatur, quam quia in symbola exercetur, quibus tegitur. Sic qui hominis vestimenta tetigit, hominem tetigisse dicitur, quamvis ipsam hominis carnem vestibus contectam immediate non tetigerit. Eo sensu Ioannes Chrysost. quem cum bona Grabii venia nostris etiam adiungemus, scribit Homil. 83. in Matth. Christum ipsum in eucharistia tangi, videri et manducari. *Quot modo dicunt*, inquit: *vellem formam et speciem eius, vellem vestimenta ipsa, vellem calceamenta videre? Ipsum vides, ipsum tangis, ipsum comedis. Vestimenta eius desideras videre? ipse vero se ipsum tibi tradit, ut non videas solum, verum etiam ut tangas et in te habeas.* Et postea: *Multae matres post partum aliis nutricibus infantes dederunt; quod ipse facere noluit, sed proprio corpore nos alit, et sibi coniungit, atque conglutinat.* Alii vero patres, attendentes ad eum carnalem manducandi modum, quem sibi Capharnaitae fingebant, quo caro dentibus secatur, gustatur et in stomachum traiecta digeritur, interdum negarunt Christi corpus a nobis ore manducari; et merito quidem, ut abiectas vilesque Capharnaitarum ideas e fidelium animis evellerent. Immo iidem patres modo asserunt, modo negant, Christi corpus comedi; nec tamen vel secum, vel cum aliis pugnant, nisi apud Protestantes, qui monstra sibi confingere gestiunt, quibus terreant imperitos.

96. Duo sunt tamen quae cl. Grabio gratulari debeamus. Alterum est, quod ingenue confessus sit in notis ad lib. IV. Irenaei cap. 17. et 18. al. 32. et 34. certum est, Irenaeum, ac omnes, quorum scripta habemus, patres, apostolis sive coaevos, sive proxime succedentes, sacram eucharistiam pro vero ac proprie dicto novae legis sacrificio habuisse; nec eorum verba, Irenaei praesertim, ad sacrificia spiritualia cordis contriti, orationis, laudis, gratiarum actionis et beneficentiae, quae omni aetati et legi communia fuerunt, detorqueri posse: sed de nova novi Testamenti, eaque externa oblatione, quam legalibus externis opponit Irenaeus, intelligenda esse; quod verissimum. Et hinc Lutheri et Calvini errorem insectatur, qui adversus publicam, ut recte probat, universalis ecclesiae doctrinam atque praxin, quam illa ab apostolis, apostoli ab ipso Christo edocti acceperunt, insurgentes, perspicuasque ac nullis sophistarum artibus eludendas patrum et Irenaei in primis sententias, aut insolentius contemnentes, aut misere obscurantes, verum ac unicum novae legis sacrificium concutere nituntur. Integras cl. viri notas ad calcem operis reperies. Sed utinam et hoc veritati testimonium ingenue dare voluisset, eosdem patres, qui tam diserte affirmant eucharistiam esse verum ac proprie dictum novae legis sacrificium, non minus expresse asserere eandem victimam, quae in ara crucis mactata est, *pro nobis iterum in hoc mysterio sacrae oblationis immolari. Eius quippe ibi corpus sumitur, eius caro in populi salutem partitur, eius sanguis, non iam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hoc esse illud corpus clavis confixum, et flagris caesum, hoc corpus in crucem actum, hoc esse illud*

corpus, quod fuit cruentatum, quod lancea percussum, et salutares emisit fontes universo orbi terrarum, unum quidem sanguinis, alterum vero aquae: id quod est in calice, esse id quod fluxit e latere [1]). Et sexcenta alia eiusmodi, quibus sibi facile persuadeat quotus quisque veritati sincere studeat, quam certum est antiquis omnibus patribus eucharistiam esse verum sacrificium, tam iisdem liquidum et exploratum esse, idem illud corpus quod cruci affixum est, vere ac substantialiter sub speciebus panis et vini praesens, in eo sacrificio offerri ac incruenta ratione immolari.

97. Alterum, quod Grabio gratulari debeamus, est quod Albertino, Claudio, aliisque Calvinianis candidior, plane et aperte fateatur, catholicam de praesentia reali et transsubstantiatione doctrinam longe antiquiorem esse, ac maioris et vetustioris auctoritatis patrociniis gloriari, quam fingerent illi. Cl. viri verba observatione singulari dignissima quum sint, integra referam, prout edita leguntur in Annotationibus in Irenaei lib. v. cap. 2. edit. Oxon. pag. 399. *Quaenam igitur Irenaei, nec non haereticorum eius aevi sententia fuerit, ex iis, quae hic et praecedentibus annotationibus edisserui, satis clare patet, ac certissime constat, illum haud minus, quam dictum est, de tremendo eucharistiae mysterio credidisse,* scilicet panem consecratum virtute carnis Christi praeditum esse, sicque reapse carnem Christi esse. *Ulterius vero progressum Irenaeum, ac eidem, quam* Cyrillus Hierosolymitanus, Gregorius Nyssenus, Ioannes Damascenus, aliique fortasse plures tenuere, *sententiae addictum fuisse, non puto.* Hi quippe persuasi erant, *Spiritum sanctum caelitus descendentem,* pani non modo virtutem corporis Christi communicare, *sicque eundem ratione qualitatum mutare; sed et divina potentia* ipsam eius substantiam in carnem transmutare, quae Christi caro *sit, et cum illa, quae ex B. virginis utero prodiit, ac cruci suffixa, indeque in caelum sublata sit, eadem fiat per ἐπαύξησιν, quodque eundem spiritum vitae in se habeat; sicuti panis, quem Servator in terris comedit, vi naturalis caloris in carnem eius vertebatur, et noster panis quotidianus in substantiam corporis nostri transit: quod corpus a nobis hodie gestatum idem dicitur cum illo, in quo ante plures annos versati sumus, quoniam eadem anima vegetatur, licet particulae eius prorsus sint diversae, et nulla forte ex prioribus superstes exsistat. Lege post Cyrilli Catechesin* iv. *Mystagogicam, Gregorii Nysseni Orationem catecheticam magnam, cap.* 37. *et Damasceni lib.* iv. *de orthodoxa fide cap.* 14. *eiusque epistolam ad Zachariam Doarorum episcopum. Ioannis Damasceni verba, eaque latine versa solum, brevitatis caussa, dabo:* Quemadmodum naturaliter panis per cibum, et vinum et aqua per potum in comedentis ac bibentis corpus et sanguinem immutantur, nec corpus alterum fiunt, atque a priore ipsius corpore diversum: sic propositionis panis, ac vinum et aqua per sancti Spiritus invocationem et adventum, mirabili modo in Christi corpus et sanguinem vertuntur, nec sunt duo, sed unum et idem. *Rursus in Epist. ad Zachariam episcopum:* Hoc dilectioni tuae significamus, duo Christi corpora nos dicere non posse: sed unum est ipsius corpus. Et sicut infans ex muliere natus, perfectus est; edens autem et bibens augescit naturali facultate; et licet augescat, non tamen duo

1) Greg. Mag. l. IV. Dial. cap. 58. Chrysost. Hom. 24. in I. Cor.

efficiuntur corpora, sed unum est: multo magis superventu Spiritus sancti panis et vinum in superaugmentationem, *εἰς ἐπαύξησιν*, corporis Christi unum fit corpus, et non duo. *Atque ita et in capitulo dictae epistolae suffixo hac de re loquitur. Istam igitur sententiam Irenaei fuisse haud existimo, quod quaedam transsubstantiationi panis in totum personale et glorificatum Christi corpus, caelitus in altare descendens, qualem romana ecclesia credit, supra pag.* 327. *seq. opposita, et alteram substantialem mutationem, licet a priori multum diversam, excludere videantur, quodque in nullius Irenaeo coaevi, aut Nicaeno concilio antiquioris patris monumentis aperte tradita legatur: sicuti nec postea universaliter in ecclesia fuit recepta; sed ab aliis patribus, praesertim Africanis contrarium assertum patet, prout theologi Protestantium abunde probarunt.* Hactenus Grabius, ex cuius verbis certissime constat, praesentiae realis et transsubstantiationis doctrinam posterioris aevi fetum non esse, sed iam saltem concilii Nicaeni temporibus natam et agnitam, non ab uno deinceps aut altero, sed a Cyrillo Hierosolymitano, Gregorio Nysseno, Ioanne Damasceno, *aliisque fortasse pluribus* patribus propugnatam fuisse. An tam aperta cl. Grabii testificatio ceteris Protestantibus probetur, haud scio. Id unum scio, hac semel admissa suppositione, ab imis fundamentis succussam funditus ruere eam hypothesin, quam tot machinationibus, artibus et laboribus exstructam erigere conati fuerant Albertinus, Claudius, aliique recentiores ministri: dogma de corporali Christi praesentia in eucharistiae sacramento, et transsubstantiatione, apud Latinos primum et a Paschasio Radberto excogitatum nono saeculo, sub eiusdem saeculi finem animos fidelium pervadere coepisse, ac tandem decimo saeculo ubique in ecclesia latina obtinuisse; graeca interim in veteri et avita calvinistica fide perseverante. Si enim Grabium audiamus, vel ipsis concilii Nicaeni temporibus, vel paullo post, lucem adspexit doctrina praesentiae realis et transsubstantiationis; priusque Graecis nota, quam Latinis, ab illis ad hos manasse videtur. Iam igitur cismarini Calvinistae novam esse eam, quam tuemur, sententiam obiectent, totam ecclesiam per priora octo saecula in calviniana fide concordem iactitent, societates omnes orientales nulla etiamnum hac in parte novitatis labe contaminatas audacter affirment; vanissimum commentum pro nobis et nobiscum Cyrilli Hierosolymitani, Gregorii Nysseni, Damasceni (qualium, quantorumque virorum), aliorumque fortasse plurium certa et inconcussa auctoritate dissipabit recentior calviniani dogmatis assecla Grabius.

98. Sed vereor, ne vir cl. pedem paullo longius forte quam voluisset protulisse se dolens, tandem aliquando referre velit. Haec enim unica salutis aeternae spes, hoc solum Grabii fidei columen, *quod in nullius Irenaeo coaevi, aut Nicaeno concilio antiquioris patris monumentis aperte tradita legatur romana de praesentia reali et transsubstantiatione doctrina, sicut nec postea universaliter in ecclesia fuit recepta, sed ab aliis patribus, praesertim Africanis, contrarium assertum pateat.* Sed quid si falsa sit ea suppositio? Nec enim adeo fidenter proponere videtur Grabius, ut extxa omnem dubitationis aleam positam esse putet; quod satis indicant ea, quibus utitur, verba: *ulterius progressum Irenaeum non puto: istam sententiam Irenaei fuisse haud existimo;* quae hominem privatas opiniones, sed paullo timidius proferentem nonnihil olere videntur.

Quid si Irenaeus, quid si Iustinus martyr, aliique concilio Nicaeno antiquiores, idem cum Cyrillo Hierosolymitano, Gregorio Nysseno, et aliis senserint? De Irenaeo rem certissimam esse cordato cuivis persuadebunt ea, quae superius adduximus, argumenta. Et quidquid cavilletur Grabius, tanta saltem, ut puto, non erit illius fiducia, ut asserere audeat ea, quae ipse in contrarium profert, illum certitudinis gradum attigisse, qui omnem prorsus dubitationem eximat. Ut igitur demus (absit ut concedamus), suam Grabianis argumentis constare probabilitatem; an una probabilitate niti potest homo salutis suae amans, ut in re maximi ad salutem aeternam momenti, a communi totius orbis doctrina desciscat, quam ipse antiquissimorum, non unius, aut alterius, sed plurium, eorumque non infimi nominis patrum auctoritate fultam agnoscit; aliis saltem patribus, aut non aperte contradicentibus, aut ea affirmantibus, quae non ita difficili negotio ab iis, qui uni student veritati, explicari queant? Certum est enim nulla patrum testimonia adeo aperta, clara et perspicua afferri posse a Protestantibus, atque nos afferimus. Auctoritate quidem Africanorum patrum, id est, Tertulliani, Augustini et Facundi Hermianensis gloriatur Grabius: sed si legere non pigeat tomum III. Perpetuitatis fidei, gallice scriptum (gallice quippe scit vir doctus); si quis animi candor sit, vanam esse gloriationem cito animadvertet.

99. Interim vero Cyrillum Hierosolymitanum et Gregorium Nyssenum cum Iustino et Irenaeo conferat, et quo alii ab aliis differant, dicat ipse, si possit. Quemadmodum enim asserunt illi, [1] *panem et vinum eucharistiae, ante sacram invocationem adorandae trinitatis, panem esse et vinum merum; peracta vero invocatione, panem quidem fieri corpus Christi, vinum autem sanguinem Christi:* [2] *Dei verbo sanctificatum panem in Dei Verbi corpus transmutari:* sic hi affirmant, [3] *eam, in qua per orationem verbi a Christo profecti gratiae sunt actae, alimoniam, incarnati illius Iesu et carnem et sanguinem esse:* [4] *mixtum calicem, et factum panem percipientia verbum Dei, fieri eucharistiam, sanguinem et corpus Christi.* Quemadmodum illi pronuntiant, panem et vinum, consecratione peracta, [5] *spectanda non esse tanquam panem nudum et vinum nudum; corpus enim esse et sanguinem Christi, secundum ipsius Domini verba:* [6] *panem sanctificatum per verbum Dei et orationem, statim Verbi in corpus transmutari, sicut dictum est a verbo, Hoc est corpus meum:* sic et hi palam enuntiant, [7] *eum, in quo gratiae actae sunt, panem, vinum et aquam, non ut communem panem, neque communem potum sumi, sed ut incarnati Iesu carnem et sanguinem:* eum, [8] *qui a terra est panis, percipientem invocationem Dei, iam non communem panem esse, sed eucharistiam, ex duabus rebus constantem, terrena et caelesti,* corpore videlicet Christi e terrena materia concreto, et Verbo Dei huic hypostatice unito. Sicut illi docent, [9] *Christo ipso sic affirmante, atque dicente de pane: Hoc est corpus meum, neminem deinceps audere dubitare; eodem quoque confirmante et dicente, Hic est sanguis meus, nullum fore qui dubitet, et dicat non esse illius sanguinem: qui*

1) Cyrill. Hierosol. Catech. I. Mystag. 2) Greg. N. Orat. Cat. cap. 37. 3) Iustin. M. Apol. I. 4) Iren. lib. V. c. 2. n. 3. 5) Cyrill. Hierosol. Catech. IV. Myst. 6) Greg. N. cit. 7) Iustin. cit. loc. 8) Iren. l. IV. c. 18. n. 5. 9) Cyrill. Cat. IV.

aquam aliquando mutavit in vinum, in Cana Galilaeae, dignum esse cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutavit: qui ad nuptias corporeas invitatus stupendum miraculum operatus est, multo magis corpus et sanguinem suum filiis sponsidedisse confitendum esse: quare cum omni certitudine corpus et sanguinem Christi sumendum esse; nam sub specie, ἐν τύπῳ, panis datur corpus, et sub specie vini datur sanguis: quamvis sensus contrarium suggerat, fidem tamen confirmare debere; ex gustu rem iudicandam non esse, quin potius certissima fide, et citra dubitationem credendum esse, Christi corpus et sanguinem nobis dari: quemadmodum [1]) *corpus Christi, Dei Verbi inhabitatione ad divinam transmutatum est dignitatem; recte nunc quoque Dei verbo sanctificatum panem credere nos in Dei Verbi corpus transmutari, et in illud transelementari eorum, quae apparent, naturam.* Sic et hi praedicant, [2]) *quemadmodum per verbum Dei caro factus Iesus Christus Servator noster, et carnem et sanguinem salutis nostrae caussa habuit; ita quoque eam, in qua per orationem verbi ab ipso profecti gratiae sunt actae, alimoniam, incarnati illius Iesu et carnem et sanguinem esse edoctos nos esse:* [3]) Christum, *calicem, qui est ex ea creatura, quae est secundum nos, suum sanguinem confessum esse:* [4]) *constare eum panem, in quo gratiae actae sint, corpus esse Domini nostri, et calicem sanguinis eius* esse calicem: [5]) *Dominum, qui se Filium hominis confitebatur, panem suum corpus esse confessum esse, et temperamentum calicis suum sanguinem confirmasse:* [6]) *eum calicem, qui est a creatura, proprium sanguinem confessum esse, et eum panem, qui est a creatura, proprium corpus asseverasse: quemadmodum granum tritici decidens in terram, et dissolutum, multiplex surgit per spiritum Dei; deinde per sapientiam Dei* convertitur in panem, ut *in usum hominis veniat,* ac demum *percipiens verbum Dei eucharistia fit, quod est corpus et sanguis Christi: sic et corpora nostra ex ea nutrita, et reposita in terram, et resoluta in ea,* iterum transmutata in carnem *resurrectura in suo tempore, Verbo Dei resurrectionem eis donante: ut sciamus et quid Deus potest, et quid homo beneficii accipit.* Denique Cyrillus et Gregorius aiunt, [7]) *Christi corpus et sanguinem in membra nostra distribui, τοῦ σώματος αὐτοῦ καὶ τοῦ αἵματος εἰς τὰ ἡμέτερα ἀναδιδομένου μέλη,* nosque ea ratione *fieri unum cum Christo corpus et sanguinem,* ac *Christophoros:* Christi [8]) *corpus immortale per esum et potionem misceri visceribus nostris, per carnem inseri omnibus credentibus, commistum et contemperatum corporibus credentium.* Iustinus et Irenaeus dicunt, [9]) *ex ea in qua gratiae sunt actae, alimonia, incarnati Iesu carne et sanguine, sanguinem et carnes nostras per mutationem ali:* [10]) *carnem* nostram *corpore Domini et sanguine ali: eo calice, quem proprium sanguinem confessus est, augeri nostrum sanguinem, et eo pane, quem proprium corpus confirmavit, nostra augeri corpora, consistere carnis nostrae substantiam, nutriri etc.* Omnia haec adeo similia sunt, adeo eadem, eaedem omnino sententiae, et tantum non eadem verba, ut quisquis unaquaeque ex aequitatis norma aestimare,

---

1) Greg. N. loc. cit. 2) Iustin. loc. cit. 3) Iren. l. IV. c. 17. n. 5. 4) Ibid. cap. 18. n. 4. 5) Ibid. cap. 33. n. 2. 6) Ibid. lib. V. cap. 2. n. 2. et 3. 7) Cyrill. loc. cit. 8) Greg. loc. cit. 9) Iustin. loc. cit. 10) Iren. locis citt.

nec iniquis momentis ponderare voluerit, oppido fateatur ovum ovo similius esse non posse. Si igitur Cyrilli et Gregorii dictis fictitia illa solutio figurae efficacis, et virtutis Christi corporis aptari, ipsomet ultro concedente Grabio, non potest; qui Iustini et Irenaei verbis, illaesis rectae rationis legibus, poterit? Potuisset et eadem comparatio institui inter Cyrillum Hierosolymitanum, Gregorium Nyssenum, et alios omnes patres, invicteque demonstrari, hos, ipsos etiam Africanos, nihil minus illis dixisse ac sensisse: posset et Grabius ea molestissima quaestione urgeri; cur Cyrillus Hierosolymitanus et Gregorius Nyssenus, quos primos omnium fuisse supponere videtur, qui insolens illud de corporali Christi in eucharistia praesentia et transsubstantiatione, prioribus tribus saeculis inauditum dogma, in orbem christianum invexerint, id tam paucis verbis, stiloque simplici ac sedato, exposuerint; nullosque eo in saeculo, quo tum sanctitatis et eruditionis laude florebat ecclesia, ea in re experti fuerint adversarios, ne quidem Arianos ipsos, infensissimos eorum hostes; nullos demum qui portentosum errorem, quo trium priorum saeculorum fides, plurimis quarti saeculi patribus probe nota, tam foede labefactabatur, data opera confutarint, avitaeque fidei desertores simul et eversores in conciliis tum temporis frequentissimis damnari curaverint? Sed vereor, ne extra praescriptos limites excurreret dissertatio.

100. Si quid autem cl. Grabio gratulati sumus, quod suis aequior ingenue confessus fuerit eucharistiam esse verum novae legis sacrificium, ac Cyrillum Hierosolymitanum, Gregorium Nyssenum, pluresque patres credidisse Christi corpus et sanguinem in eadem eucharistia per veram et realem panis et vini transmutationem sisti corporaliter et substantialiter praesentia; unum est quod iustissimam apud omnes reprehensionem mereatur, quod nimirum praeter ius et fas Irenaeo intolerandum errorem affingat. Occasione siquidem eorum s. doctoris verborum, quae leguntur lib. IV. c. 8. n. 3. al. cap. 20. *Omnes iusti sacerdotalem habent ordinem;* scribit in notis, *Irenaeum in eadem fere cum Tertulliano sententia fuisse videri, quod omnes fideles sint sacerdotali ordine ac potestate praediti, eiusque exercitium, ubi necessitas requirit, obire queant; licet ordinaria functio nonnisi ordinatis ad sacra munia ministris competat.* Tum decantatum illum Tertulliani locum ex lib. de Exhortat. Castit. c. 7. allegat, pluraque addit nec admodum consulta, nec ad rem facientia. Sic forte scripsisset Puritanus quispiam, obvia quaeque patrum loca temere corradens, ut desperatam caussam fulciat: sed quod is, qui Anglorum episcopalium doctrinam profitetur, ecclesiasticamque hierarchiam sartam tectam esse vult, Irenaeum eiusdem hostibus gratis omnino, et obtorto collo tradat; id mirum, et Anglis ipsis iniquum forsitan videbitur. Irenaeus eo loco probat, veterem legem a Christo abrogatam fuisse, non quod mala esset, et a malo Deo lata, sed quod iam impleta ab illo fuisset. Si vero idem Christus sabbatis curaverit, *nihil extra legem fecisse: non enim prohibuisse legem curari homines sabbatis, quae et circumcidebat eos in hac die, et pro populo iubebat ministeria sacerdotibus perficere*[1]). Ideo vero sacerdotalia ministeria lege licita erant, quia spiritalia opera erant et bona: legem autem a servilibus quidem operibus

1) Ien. lib. IV. c. 8. n. 2.

abstinere iussisse, non autem a spiritalibus et bonis, quae ut sacerdotibus, sic et ceteris omnibus licita erant. Et hinc concludit Irenaeus, Christum aegrotis opem ferentem, *non solvisse, sed adimplevisse legem*: quia *summi sacerdotis operam perficiebat, propitians pro hominibus Deum, emundans leprosos,* et *infirmos curans.* Hanc autem summi sacerdotis operam, non utique servilem, sed spiritalem et bonam, si ceteris hominibus, laicis etiam, perficere fas fuit; a fortiori Christo Domino. Tum occurrens alteri obiectioni, ex eo petitae quod Salvatoris discipuli, ipso probante, spicas vellerent die sabbati; respondet [1]), *metere* quidem *et colligere in horreum* legem *vetuisse; non* autem *esurientes accipere sabbatis escam ex his quae adiacebant. Et ideo,* inquit, *Dominus his, qui incusabant discipulos eius, quoniam vellentes spicas manducabant, dixit.* Nec hoc legistis, quod fecit David quum esurisset, quemadmodum introivit in domum Dei, et panes propositionis manducavit, et dedit eis qui cum eo erant, quos non licebat manducare, nisi solis sacerdotibus? [2]) *per legis verba discipulos suos excusans, et significans licere sacerdotibus libere agere. Sacerdos autem scitus fuerat David apud Deum, quamvis Saul persecutionem faceret ei. Omnes enim iusti sacerdotalem habent ordinem. Sacerdotes autem sunt omnes Domini apostoli, qui neque agros, neque domos haereditant hic, sed semper altari et Deo deserviunt.* Quibus probat Irenaeus, Christum verbis suis significasse sacerdotes lege interdum solutos fuisse, libereque agere potuisse: quia, ut postea addit, dominica ministeria perficiebant; ac proinde *ex his qui adiacebant* panibus propositionis, esurientes escam accipere potuisse. Atqui, ait, sacerdos fuerat David, non stirpe, non munere, non apud homines, sed *scitus apud Deum,* qui spiritum legis ab eiusdem littera probe secernens, ea sibi licere, urgente necessitate, iure existimabat, quae lex sacerdotibus permittebat; quia et ipse fuga sibi salutem petens, dominica ministeria perficiebat. *Omnes enim iusti sacerdotalem habent ordinem*: dominica quippe ministeria perficiunt, ac proinde libere agere possunt, et ea, premente saltem necessitate, operari, quae spiritui legis consentanea sunt. Quod si vero sacerdos fuerit scitus apud Deum David, si omnes iusti eadem ratione sacerdotalem habent ordinem; quis negabit *sacerdotes esse omnes Domini apostolos,* qui perinde ac Aaronici *neque agros, neque domos hereditant hic, sed semper altari et Deo serviunt;* et proinde *discipulis* leviticam substantiam habentibus licuisse esurientibus, quod veteribus Levitis et sacerdotibus licebat, videlicet *a seminibus accipere escam: dignus est enim operarius esca sua*? Si *sacerdotes,* addit Irenaeus, *in templo sabbatum profanabant, et rei non erant; qui quum essent in templo, non saecularia, sed dominica perficiebant ministeria, legem adimplentes, non autem praetereuntes legem:* nec discipuli Domini, et ipsi eiusdem conditionis cum sacerdotibus, vellentes spicas die sabbati, violatae legis argui possunt: dominica quippe, non saecularia, perficiebant ministeria.

101. Hoc Irenaei argumentum est, quod totum eo principio nititur, quod cuilibet homini die sabbati et in aliis quibusdam occasionibus certa quadam ratione licuerit, quod sacerdotibus ipsis, permittente lege, lice-

1) N. 3. 2) Luc VI. 3. 4.

non potuisse quod homini collatus esset a Deo terrenarum omnium rerum dominatus, quem ipse ambiebat.

104. Quamvis autem Irenaeus angelos, quod et idem de animabus humanis dicendum, ut postea explicabitur, corpore praeditos constituerit; utramque tamen substantiam natura sua immortalem esse perspicue docuit. Lib. II. c. 33. assertam a Gnosticis metempsychosin refellens, scribit n. 5. *adimpleto numero, quem Deus apud se antedefiniit, omnes, quicunque sunt scripti in vitam, resurrecturos, sua corpora et suas animas habentes, et suos spiritus, in quibus placuerunt Deo. Qui autem poena sunt digni, abituros in eam et ipsos suas habentes animas et sua corpora, in quibus abstiterunt a Dei bonitate.* Et cap. seq. allata divitis epulonis et Lazari parabola, concludit: *per haec manifestissime declaratum esse et perseverare animas et non de corpore in corpus transire.* Sed clarius lib. v. c. 4. eosdem Gnosticos confutans, qui corporum resurrectionem negabant, sic argumentatur n. 1. *Quum dicant ea quae omnibus sunt manifesta, quoniam perseverant immortalia, ut puta spiritus et anima et quae sunt talia, quoniam vivificantur a Patre, aliud autem, quod non alias vivificatur, nisi illi Deus praestet, vita derelinqui; aut impotentem et infirmum ostendit Patrem ipsorum, aut invidum et lividum. Demiurgo enim et hic vivificante mortalia corpora nostra et resurrectionem eis per prophetas promittente, quemadmodum ostendimus; quis potentior et fortior et vere bonus ostenditur? Utrum Demiurgus, qui totum vivificat hominem, an falso cognominatus ipsorum Pater? Qui ea quidem quae sunt natura immortalia, quibus a sua natura adest vivere, fingit se vivificare, quibus autem opus est ab eo adiutorium, ut vivant, non vivificans illa benigne, sed relinquens illa negligenter in mortem.* Hic Irenaeus diserte affirmat, *omnibus esse manifestum, spiritum et animam et quae sunt talia*, id est, spiritales omnes substantias, quales sunt angeli et animae humanae, *perseverare immortales, esse natura sua immortales, iisque a natura sua adesse vivere,* indeque Gnosticorum patrem aut impotentiae, aut invidentiae arguit: quod ea, quae natura sua sunt immortalia, vivificare se fingat; quibus autem adiutorio opus est ut vivant, vitam neget. Et cap. VII. n. 1. eandem corporum resurrectionem his apostoli verbis Rom. VIII. 11. adstruens: *Si autem spiritus eius, qui suscitavit Iesum a mortuis, habitat in vobis; qui suscitavit Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra:* ostendit, mortalia illa corpora esse *plasma, id est, carnem*; non certe animas, quae quod flatus vitae sint insufflatus a Deo in faciem hominis, *incorporales sunt, quantum ad comparationem corporum, nec* proinde *mortales possunt dici.* Et propter hoc, inquit, *David ait:* Et anima *mea illi vivet; tanquam immortali substantia eius exsistente.* Denique c. 13. n. 3. scribit carnem, *quum sit mortalis et corruptibilis, immortalem fieri et incorruptibilem; non secundum propriam substantiam, sed secundum Domini operationem: animam* vero *mortalem non esse,* nempe secundum propriam substantiam et in hoc differre a carne, Omnia haec Irenaei aevo et Irenaeo ipsi et omnibus aliis manifesta erant: at Dodwello [1]) obscura visa sunt. Eo enim ipso

1) Dodwell. An Epistolary discourse, etc. in 8. 1706. Id. A preliminary defence of

loco, quem modo adduximus ex lib. v. c. 4. n. 1. abutitur, ut recens illud ac impium commentum confirmet; animas scilicet humanas spiritales non esse, nec proinde natura sua aliter immortales, nisi quatenus a corporibus separatae aliquamdiu superstites manent, quamdiu nimirum Deus superstites manere voluerit: easque solas perpetua immortalitate donari, Dei gratia et beneficio, quae Spiritum sanctum in baptismo acceperint; ceteras omnes, quae evangelicae legis sacramento caruerint, aliquando dissolvendas et in nihilum abituras. Quod tamen ex Irenaeo extundere non potest, nisi verba eius et adulterina versione et contorta explicatione foede corrumpendo. Irenaeus latine loquens perspicuis verbis asserit, *ea omnibus esse manifesta, quoniam perseverant immortalia, ut puta spiritus et anima et quae sunt talia, quoniam vivificantur a Patre: ea,* spiritum videlicet, animam et similia, *esse natura immortalia, iis a sua natura adesse vivere etc.* Irenaeus vero anglice a Dodwello redditus simpliciter scribit, [1]*ea vivificari a Patre, quae fatentur omnes perseverare in sua exsistentia post mortem, qualia sunt spiritus, anima et similia: ea,* nempe spiritum, animam et similia, *natura sua superesse suae a corporibus dissolutioni et a natura sua comparata esse, ut separatim vivant;* non utique semper et in perpetuum, ut explicat Dodwellus, sed quamdiu Creatori secundum consuetas et ordinarias providentiae suae leges agenti placuerit. Quasi animam esse natura sua immortalem, ei a natura sua adesse vivere, nihil aliud significet, quam eam post corporis mortem aliquamdiu superstitem manere et separatim ab eo vivere posse. Et tamen fidi interpretis officio functum se esse gloriatur Dodwellus [2]), depravatique Irenaei inique postulatum se conqueritur; qua de re lectores appellat iudices. Exspectabimus quale futurum sit anglicanae, ut vocant, ecclesiae, cuius res agitur, de abnormi illa theologia iudicium. Eam qui solidis rationibus impugnaret, vereor ne statim illi Terentianum illud impingeretur: *Nihilo plus agas, quam si des operam, ut cum ratione insanias.* Unum observasse sufficiat, scilicet duplex immortalitatis genus, quod Dodwellus nusquam distinxit, sed potius ita confudit, ut alterum pro altero habuerit, fontem errorum omnium illius esse. Immortalitas quippe animarum, alia naturalis, alia supernaturalis. Prior substantiis natura sua simplicibus et ab omni materia segregatis propria est: qua nullius omnino creatae rei vi et efficientia dissolvi et exstingui possunt. Posterior animabus beatis peculiaris est; qua Deo et cum Deo aeternum viventes felicitate nunquam desitura fruuntur in caelis. Utramque quidem Dei gratiam esse dici potest, sed diversa prorsus ratione: posteriorem, Dei ut auctoris gratiae ac bonorum supernaturalium, promissisque suis, quia summe verax est, inviolate stantis: priorem, Dei ut auctoris naturae, qui ut res creatas libere condidit, sic sapientissimis legibus a se constitutis immutabiliter

---

the Epistolary discourse etc. 1707. Id. The Scripture's account of the eternal rewards or punishments, etc. in 8. 1708.

1) For when they say, that those things are quickened by the Father, which all agree to continue in their existence after death, such as the spirit, and the soul, and the like things etc. who (the Maker of the World) pretends to enliven those things, which by their own nature survive their dissolution from their bodies, and are capable, by their own nature, of living separately, etc. *The Scripture's account. p.* 186. 2) Ibid. p. 184. et seqq.

bat: hos vero si ideo lege non tenerentur, quia dominica ministeria perficiebant, quae bona erant opera, pia, honesta et spiritalia, non saecularia et servilia; nec alios homines eadem lege constrictos fuisse, quum bona opera perficiebant, pia et spiritalia: quia dominica ministeria sunt, nec lege vetita, respectu quorum quilibet homo sacerdos est. Et hinc Christum Dominum sabbatis curantem non violasse legem, quia summi sacerdotis operam perficiebat. Hinc Davidem panibus propositionis urgente fame pastum, contra legem non commisisse: quia sacerdos scitus fuerat apud Deum, cui libere agere licebat. Hinc denique discipulos vellentes spicas die sabbati, legem non perfregisse: quia sacerdotes erant, in hoc Leviticis similiores, quod leviticam duntaxat substantiam haberent. Omnes enim iusti iusta et bona opera perficientes, sacerdotalem habent ordinem; quia ad sacerdotalem ordinem pertinet dominica ministeria libere perficere: at opera in se bona, honesta et licita, dominica ministeria sunt. Quatenus valeat istud Irenaei argumentum, nunc non inquirimus; sed quid s. doctor senserit. Viderit iam cl. Grabius quid haec Puritanorum, quibus patrocinatur, caussam iuvent: viderit et ipse iudicet, qua aequitate insanum illud dogma Irenaeo affingere potuerit, *fideles omnes sacerdotali ordine et potestate praeditos esse, eiusque exercitium, ubi necessitas requirit, obire posse.* Si enim id ex Irenaei verbis inferri posse putat; eodem certe et tam aequo iure alius quivis intulerit, Christum Dominum fuisse summum veteris legis sacerdotem; Davidem, apostolos, discipulos Domini, omnesque antiqui Testamenti iustos, fuisse veros eiusdem Testamenti sacerdotes, ac proinde, necessitate urgente, potuisse victimas et sacrificia in templo offerre, aliaque obire ministeria, quae solis Aaronicis sacerdotibus licebant: nam de veteri lege hic agitur omnino; de novae autem legis sacerdotio ne *κατ' ὄναρ* quidem cogitavit Irenaeus. Quod etiam apertissime liquet ex lib. v. c. 34. n. 3. ubi ea respiciens, quae libro iv. citato scripsit, ait: *Ostendimus in superiori libro, quoniam Levitae et sacerdotes sunt discipuli omnes Domini: qui et sabbatum in templo profanabant et sine culpa sunt.* Tam facile possent a Grabii criminationibus vindicari Tertullianus et Ambrosiaster in Comment. ad Ephes. iv. 11. quos in Puritanae caussae defensionem allegat, nisi diutius in rebus eucharisticis immorari taederet. Legi possunt liber singularis eruditissimi Albaspinaei de eucharistiae sacrificio, gallice scriptus, in quo Tertullianum a Puritanorum calumniis egregie tuetur et doctissimi Petavii diatriba de eodem argumento, cum eiusdem lib. iii. de Eccles. Hierarch. Ad eas ab Ambrosiastro depellendas sufficiat ipsum locum citatum legere.

ARTICULUS OCTAVUS.

DE ANGELORUM NATURA, ORDINIBUS, PECCATO ET POENIS.

102. Pauca de angelorum natura habet Irenaeus. Quaedam duntaxat aliquibus in locis inseruit, ex quibus quid senserit utcunque colligi potest. Scribit lib. iii. c. 20. n. 4. *sine carne angelos esse:* quo quidem angelos eximit a carnis crassiorisque corporis mole; non autem ab aethereo ac subtiliori, quod nihil, quominus spiritus appellentur, pro-

hibere posset. Hoc enim posterius corporis genus angelis tribuerunt ex antiquis patribus non pauci. In eandem vero sententiam concessisse Irenaeum ex eo erui posse videtur, quod scribit tum lib. IV. c. 16. n. 2. et c. 36. n. 4. tum lib. V. c. 29. n. 2. *angelos transgressos decidisse in terram in iudicium*, id est, in peccati poenam praecipites e caelo in terram actos, ibique hominibus commixtos, hoc est, mulierum captos specie cum iis stupri consuetudinem habuisse, e quorum satu natum pessimum hominum genus, quos ultricibus diluvii aquis delevit Deus: propterea Enochum ad stupratores illos angelos, et ad homines ab iis in idololatriam, foedamque vitiorum colluviem demersos, tanquam Dei legatum atque prophetam accessisse, divinum iudicium denuntiaturum. Eadem fere sententia fuit Iustini martyris, Athenagorae, Clementis Alexandrini, Tertulliani, Lactantii, aliorumque non paucorum: quibus omnibus, ut in notis ad citata Irenaei loca exposuimus, erroris occasio fuit, tum quod Gen. VI. de *filiorum* Dei congressu cum *filiabus hominum* legitur, tum apocryphus Enochi liber. In eo tamen ab horum opinione discessisse videtur Irenaeus, quod ex istis plerique velint, mulierum speciem ac consuetudinem angelis, iis saltem qui diabolo inferiores sunt, ruinae caussam fuisse: quum e contrario supponere videatur Irenaeus, eos non nisi iam caelo in peccati poenam pulsos mulieres stuprasse. Falsissima quidem haec et Irenaei et aliorum opinio est; ostendit tamen corporeos ab illo constitutos esse angelos: absurdum quippe est naturam corporis expertem, aut corporum illecebris tentari, aut cum corporibus misceri.

103. Dixi non eam fuisse Irenaei sententiam, angelis diabolo inferioribus mulieres ruinae occasionem fuisse. Quamvis enim quidam e veteribus diaboli, rebellium angelorum principis, caussam ab reliquis seiungant, illumque invidia, hos libidine exstimulante excidisse velint; nuspiam tamen ita distinxisse reperitur Irenaeus: immo diabolum sic apostasiae principem vocat, ut rebelles [1]) *angelos apostatas factos esse cum eo;* [2]) *diabolum sibi et reliquis factum esse abscessionis caussam;* denique [3]) *unum esse ex angelis his, qui super spiritum aëris praepositi,* a Deo defecerunt, diserte asserit. Quibus significare videtur, unum omnium peccatum fuisse. Porro primum diaboli peccatum invidiam, qua flagrabat in humanum genus, fuisse docet. [4]) *Ex tunc,* inquit, *apostata factus est angelus et inimicus, ex quo zelavit plasma Dei.* Et alibi: [5]) *Diabolus, quum sit unus ex angelis his, qui super spiritum aëris praepositi sunt.... invidens homini, apostata a divina factus est lege: invidia enim aliena est a Deo.* Quae vero fuerit istius invidiae caussa, non explicat auctor noster: si quid tamen coniecturis indulgere liceat, crediderim vel eum cum [6]) Gregorio Nysseno et [7]) Cypriano sensisse, diabolum *super spiritum aëris* et terrenarum rerum administrationi *praepositum*, aegre tulisse quod homo, tam prae se contemtum opificium, suoque praesertim imperio subiectum, ad imaginem Dei factus et expressus esset: vel cum [8]) Anastasio Sinaita existimasse, diabolum ferre

1) Iren. lib. III. c. 23. n. 3. 2) Lib. IV. c. 41. n. 2. 3) Lib. V. c. 24. n. 4. 4) Lib. IV. c. 40. n. 3. 5) Lib. V. c. 24. n. 4. 6) Greg. Ny. Orat. Catech. c. 6. 7) Cyprian. lib. de Zel. et lib. 8) Anast. Sin. in Ὁδηγῷ c. 4.

affixus, libere tamen, conservat, eo modo quo conservari postulat ea, quam singulis indidit, natura. Posterior nulli magis debita est, quam ipsa gratia supernaturalis per quam acquiritur: prior etsi absolute loquendo non magis debita sit, quam ipsa creatio; hac tamen semel supposita, sic animabus vi legum a Deo constitutarum debita est, ut iisdem legibus immortalitate donentur, quibus conduntur: adeo ut ea frustrari nunquam possint, nisi Deus legibus suis naturalibus deesse, et imperitus artifex, sibique parum constans esse supponatur. Eo sensu ratio animabus indita et naturalis est et Dei gratia: gratia quidem, quia Deus animas facultate cognoscendi praeditas sponte ac libere, nullaque necessitate adactus creare voluit: naturalis vero, quia ea est animarum natura, ut nulla esse possit, quae ratione praedita non sit. Sic facile explicantur varia sanctorum patrum testimonia, quorum alia animas gratia, alia natura immortales esse statuunt. Ut enim omittam, plura non de alia, quam de beata immortalitate intelligi posse; utrumque verum est, sensu mox explicato: perinde atque verum est animas natura simul et gratia facultate cognoscendi praeditas esse. Quemadmodum autem ex eo quod Deus ut auctor naturae cognoscendi facultatem libere et beneficii loco animabus indiderit, inferri non potest, eam animabus humanis naturalem non esse; quia animam aliquam esse repugnat, quae cogitare non possit: sic pariter licet Deus ut auctor naturae animas nostras immortalitate libere donet, ex eo concludi non potest, eam non esse animarum naturam ut immortales sint: quia prorsus repugnat animam aliquam facultate cognoscendi praeditam esse, quae spiritalis non sit, simplex atque immortalis.

105. Quod igitur Irenaeus lib. II. c. 34. n. 2. 3. et 4. statuit, animas et spiritus *perseverare et extendi in longitudinem saeculorum secundum voluntatem factoris Dei, perseverare quoadusque ea Deus et esse et perseverare voluerit,* iisque vitam dari, *non ex natura, sed secundum Dei gratiam,* supra dictis non repugnat. Etenim occupans objectionem, quae sibi a Gnosticis proponi potuisset, *non posse animas eas, quae paullo ante esse coeperint, in multum temporis perseverare, sed oportere eas aut innascibiles esse, ut sint immortales; vel si generationis initium acceperint, cum ipso corpore mori;* respondet id discriminis inter Dei et animarum ac spirituum immortalitatem interesse, quod Deus solus immortalitatem habeat a se ipso, nec eam cuiquam alteri debeat, qui hanc ei, si velit, auferre possit; solus immortalitatem habeat immutabilem, nullique vicissitudini obnoxiam: cetera vero quaecunque creata sunt, si immortalia sint, immortalitatem Dei beneficio sortita esse, eaque, licet perseverent in aeternum, non tamen ita perseverare, nisi quia Deus perseverare vult: uno verbo rerum creatarum immortalitatem precariam esse, a Deo acceptam, et uni Dei voluntati acceptam referendam, in nihilum rediturarum, unde initio ortum acceperunt, nisi Dei ope eo, quo supra explicuimus, modo conservarentur: quamquam eaedem ipsae natura immortales incorruptaeque sint, si legum ab auctore naturae constitutarum ratio habeatur et cum efficiente re comparentur, quae nulla est, a qua possint exstingui. *Discant,* ait, *quoniam sine initio et sine fine, vere et semper idem et eodem modo se habens, solus est Deus, qui est omnium Dominus. Quae autem sunt ab illo omnia, quaecunque facta sunt et fiunt, initium quidem suum*

accipiunt generationis et per hoc inferiora sunt ab eo, qui ea fecit, quoniam non sunt ingenita; perseverant autem et extenduntur in longitudinem saeculorum, secundum voluntatem factoris Dei: ita ut sic initio fierent et postea, ut sint, eis donat. Deo itaque vitam et perpetuam perseverantiam donante, capit et animas (idem de spiritibus paullo ante dixit) *primum non exsistentes dehinc perseverare, quum eas Deus et esse et subsistere voluerit. Principari enim debet in omnibus et dominari voluntas Dei; reliqua autem omnia huic cedere et subdita esse et in servitium dedita.* Eadem omnino repetit lib. IV. c. 38. n. 3.

106. Nec negotium cuiquam facessere debet, quod lib. II. cit. cap. 34. n. 3. innuere videtur, a Patre omnium donari *in saeculum saeculi perseverantiam his qui salvi fiunt*, quasi in nihilum abituri essent spiritus et animae peccatorum. *Non enim ex nobis*, ait, *neque ex nostra natura vita est; sed secundum gratiam Dei datur. Et ideo qui servaverit datum vitae et gratias egerit ei, qui praestitit, accipiet et in saeculum saeculi longitudinem dierum. Qui autem abiecerit eam et ingratus exstiterit factori, ob hoc quod factus est et non cognoverit eum qui praestat, ipse se privat in saeculum saeculi perseverantia.* His enim significat Irenaeus, ut ex toto contextu sermonis liquet, impios, *qui in modica temporali vita ingrati exstiterunt Deo, qui eam praestitit, iuste non recepturos ab eo in saeculum saeculi longitudinem dierum, quae secundum gratiam Dei datur*, quaeque sola vera immortalitas est; sed aeternam sibi mortem, sempiternam videlicet a Deo, beataque vita separationem accersituros. Ubi enim disseruit Irenaeus de naturali angelorum et animarum immortalitate, ad alteram immortalitatis speciem, quae per supernaturalem Dei gratiam acquiritur, iisque duntaxat a Patre omnium donatur, qui salvi fiunt, transit, ad priorem iterum num. sequenti mox rediturus. Id autem esse utrique commune merito statuit, quod utraque Dei voluntati accepta referenda sit; prior quidem, Dei ut auctoris naturae, posterior Dei ut auctoris gratiae: cum hoc tamen discrimine, quod prior immortalitas, si sempiternae felicitatis sit exsors, mors potius quam vita sit censenda. Nam, ut optime ait lib. IV. c. 20. n. 5. *Quoniam vivere sine vita impossibile est: subsistentia autem vitae de Dei participatione evenit: participatio autem Dei est videre Deum et frui benignitate eius. Homines igitur videbunt Deum, et vivent, per visionem immortales facti.* Nec tamen sentire propterea potuit, penitus interituros seu angelos, seu homines malos, qui lib. II. cap. 33. n. 5. tam diserte scripsit, *adimpleto numero, quem Deus apud se ante definiit, omnes, quicunque sunt scripti in vitam, resurrecturos, sua corpora et suas habentes animas, et suos spiritus, in quibus placuerunt Deo. Qui autem*, addit, *poena sunt digni, abibunt in eam, et ipsi suas habentes animas et sua corpora in quibus abstiterunt a Dei bonitate.* Non igitur in nihilum abituri sunt angeli mali et animi impiorum, qui in die iudicii cedent in poenam sempiternam. Sempiterna quippe esse damnatorum supplicia tam clare, quam frequenter pronuntiat. *Quoniam*, ait eodem lib. c. 28. n. 7. *transgressoribus ignis aeternus praeparatus est, et Dominus manifeste dixit et reliquae demonstrant Scripturae.* Et lib. III. c. 23. *Dominus in evangelio his, qui a sinistris inveniuntur, ait*: Abite maledicti in ignem aeternum, quem praeparavit Pater meus

diabolo et angelis eius; *significans quoniam non homini principaliter praeparatus est aeternus ignis, sed ei, qui seduxit et offendere fecit hominem et, inquam, qui princeps apostasiae est, et his angelis qui apostatae facti sunt cum eo: quem quidem iuste percipient etiam hi, qui similiter ut illi sine poenitentia et sine regressu in malitiae perseverant operibus.* Sed nihil clarius iis quae habet lib. IV. c. 28. n. 2. ubi probans maiorem novi Testamenti gratiam, maiorem etiam a nobis perfectionem exigere: *Poena,* inquit, *eorum qui non credunt Verbo Dei et contemnunt eius adventum et convertuntur retrorsum, adampliata est; non solum temporalis, sed et aeterna facta. Quibuscunque enim dixerit Dominus:* Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum; *isti erunt semper damnati: et quibuscunque dixerit:* Venite benedicti Patris mei, percipite hereditatem regni, quod praeparatum est vobis in sempiternum; *hi semper percipiunt regnum et proficient.* Hic damnatorum poenam opponit Irenaeus beatorum felicitati; et quemadmodum haec sempiterna est, sic et alteram sempiternam esse statuit. Ubi qui has voces, *aeternus ignis, aeterna poena, semper damnati,* detorserit ad longissima duntaxat supplicia, sed damnatorum interitu tandem aliquando desitura; advertat, nec Irenaeum, ceterosque Patres, immo nec ipsam Scripturam aliis vocibus designare sempiternam beatorum felicitatem; quas proinde impii, arrepta hinc occasione, similiter detorquere possent ad longam duntaxat felicitatem, aliquando tamen finiendam. Sed uti posteriorem hanc sententiam nullus, si sanus sit, Irenaeo adscripserit; sic nec posteriorem (*sic! f. priorem*) unquam tribuerit, nisi is qui aut Irenaeum nunquam legerit, aut apertissima quaeque patrum dicta, invitis licet ac reluctantibus auctoribus, obscurare gestit, ut iis invidiam faciat. Legesis quae eo de argumento scripsit eruditissimus D. Matthaeus Petitdidier, T. II. Annotationum in bibliothecam auctorum ecclesiasticorum, pag. 403. et seqq. edit. Paris. 1692.

107. Quod autem Irenaeus loco proxime citato dixit, *beatos semper percipere regnum Dei et proficere,* in memoriam revocat, quod lib II. c. 28. n. 3. scribit, obscura quaedam exstare in Scripturis, quae Deo commendanda sint, *non solum in hoc saeculo, sed et in futuro: ut semper quidem Deus doceat, homo autem semper discat quae sunt a Deo. Sicut et apostolus dixit, reliquis partibus destructis, haec tunc perseverare, quae sunt fides, spes et caritas.* Quam sententiam reprehendit Scultetus, cui consentit et Gallasius, quasi inde sequatur, *in vita aeterna nos aliquid edocendos: in qua sola vigebit caritas, non fides, non spes, non in doctrina quotidiana accessio.* Sed iniqua est censura. Quod enim s. doctor beatorum scientiam novis augeri posse velit incrementis, a communi theologorum doctrina, cui etiam suffragatur ratio, non recedit; quibus ut constat sanctos, aeternae felicitatis compotes, divinam essentiam et ea omnia, quae cum ea necessario coniuncta sunt, clare contueri: sic pariter certum est, non perfecto aliquo notitiae genere videre, quo quidquid in Deo, eiusque vi ac potentia continetur, eave omnia, quae ex sola et libera Dei voluntate pendent, omnino percipiant. Quum igitur cum infinita omnipotentiae illius amplitudine intelligentiam ac scientiam non adaequent suam; quid vetat ex iis quae Deus extra se libere aut facit, aut facere potest, novam subinde beato-

rum scientiae accessionem, quum Deus aperire voluerit, fieri posse? Sic Daniel. x. futuri perinde, ac divinae voluntatis incerti altercantur invicem angeli; quibus etiam extremi iudicii diem ignotum esse Christus affirmat; quem proinde quum aliquando Deo revelante noverint, scientia eorum novum capiet incrementum. Quod autem addit Irenaeus, fidem et spem in altera vita mansuras, non moror: palam enim est cordato cuique, fidem et spem hic accipi, non quatenus altera obscuritatem, altera absentiam obiecti habet adiunctam; sed quatenus duntaxat altera firmus est rebus cognitis assensus, altera certa in Deum fiducia. Sed haec obiter dicta sint, ad depellendas malevolorum hominum criminationes.

108. Ad malorum angelorum poenas ut redeam, sentit Irenaeus eos sic ad aeternum ignem damnatos iusta Dei sententia fuisse, ut eo tamen ante extremum iudicii diem excruciandi non sint. Eapropter lib. I. cap. 10. n. 3. Deum commendat, quod magnanimus exstiterit in transgressorum angelorum apostasia. Quod tamen sic explicat Feuardentius, quasi ex s. antistitis mente malis angelis post peccatum concessa fuerit ad resipiscendum, si voluissent, aliquanta temporis mora. Hanc quidem sententiam veterum aliquot fuisse scribit Nemesius philosophus christianus, lib. I de Hominis opific. c. 1. In eandem abire videntur Damascenus lib. II. c. 4. et Rupertus Tuitiensis lib. I. de Victoria Verbi Dei, cap. 21. et lib. III, de Glorific. Trinit. cap. 9. et 10. Nec alia Cassiani fuit opinio, qui Collat. VIII. c. 10. duplex in daemonibus peccatum exstitisse vult, superbiam scilicet et invidiam, ac non nisi post secundum esse deiectos. Sed tam improbabilem sensum, quem ceteri patres reiiciunt, nec admittit ratio, solus in Irenaei mox allegatis verbis animadvertit Feuardentius: nullus alius, nisi vim iisdem inferat, perspiciet. Longe certius, Irenaeum existimasse, in hoc eluxisse Dei patientiam, quod daemonas ante novissimum iudicii diem vindice illo igne cremari noluerit. Quin enim haec sit auctoris nostri sententia, negari non potest. Eam siquidem conceptis verbis in Iustino probat lib. v. cap. 26. n. 2. immo cum eodem asserit Satanam, ante Christi adventum, de sempiterna damnatione sua non adeo certum fuisse, quin adhuc spes aliqua obtinendae per illum salutis affulgeret, atque idcirco nondum immanitati suae et in Deum proterviae frena laxasse, *Bene;* inquit, *Iustinus dixit, quoniam ante Domini adventum nunquam ausus est Satanas blasphemare Deum, quippe nondum sciens damnationem suam: quoniam et in parabolis et allegoriis a prophetis de eo sic dictum est. Post autem adventum Domini, ex sermonibus Christi et apostolorum eius discens manifeste, quoniam ignis aeternus ei praeparatus est, ex sua voluntate abscedenti a Deo, et omnibus qui sine poenitentia perseverant in apostasia; per huiusmodi homines* (Gnosticos) *blasphemat eum Deum, qui iudicium importat, quasi iam condemnatus, et peccatum suae apostasiae conditori suo imputat, et non suae voluntati et sententiae* etc. Citata quidem ab Irenaeo Iustini verba, in iis quae supersunt huius operibus, non exstant: at daemonas ignis poenas nondum experiri tradit in utraque Apologia. Nec ea sententia Irenaei duntaxat et Iustini propria fuit, sed inter ss. patres, quorum testimonia refert Petavius lib. III. de angelis cap. 4. maxime communis exstitit. Nimirum his verbis, a Christo iudice in novissimo die proferendis, innixi: *Discedite a me, maledicti, in*

ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius; sentiunt aeterna quidem iam parata esse daemonibus incendia, iis tamen illos nondum excruciari, sed in exspectatione adhuc esse, dum iudicii dies adveniat.

109. Haec autem *veterum opinio,* ait doctissimus Petavius eodem libro et capite, §. 19. 20. et 21. *etsi hoc tempore recepta non est; quia daemones damnationis suae poenas omnes expendere, quae quidem essentiales vocantur, theologi fere sentiunt; non est tamen erroris, nedum haeresis accusandus, qui asserat diabolum et eius angelos nondum extremo ac summo supplicio cruciari, sive ignis efficientiam experiri, in qua damnationis illorum, quod ad sensum et perpessionem attinet, summa consistit.* Hinc s. Thomas I. p. q. 64. art. 4. ad 4. quum eam commemorasset opinionem, non probat quidem, sed ei nullam imponit erroris notam. Probat vero Caietanus et amplectitur, in Commentariis ad cap. 2. secundae epistolae s. Petri. *Quam Caietani sententiam,* addit Petavius, *catholicae fidei contrariam non esse, certum est. Nam neque Scriptura, neque concilium ullum hactenus docuit, daemones extrema illa supplicia perpeti, quae parata iis esse iudex ipse dicit.* Viderit ergo cl. Grabius, an vel eruditum, vel sinceri candoris hominem deceret, in suis ad lib. I. Irenaei cap. 10. al. 4. annotationibus, romanam ecclesiam reprehendere, quod, inquit, *ut in aliis, ita et in hoc, a ss. patrum, ipsorumque sui fundatorum, Petri et Pauli sententia discesserit.* Crederet quivis haec legens, mox expositae veterum sententiae aperte suffragatos esse Petrum et Paulum, eamque a romana ecclesia aperte damnatam fuisse, vel solemnibus conciliorum eius decretis comprobatam hodiernam plerorumque theologorum sententiam: quod quam abhorreat a vero, evidenter demonstrant quae modo diximus; vidit et ipse Grabius, qui parum sibi constans, ad cap. 26. lib. v. annotationem Feuardentii asserentis, eam veterum sententiam a nullo concilio hactenus proscriptam fuisse, refert et silentio suo probat.

110. Eiusdem iniqui animi aliud in eo ipso, quod nunc pertractamus, argumento de angelis, specimen edit Grabius. Scribit Irenaeus lib. II. c. 32. n. 5. ecclesiam *nec invocationibus angelicis facere aliquid, nec incantationibus, nec reliqua prava curiositate; sed munde et pure et manifeste orationes dirigentem ad Dominum, qui omnia fecit, et nomen Domini nostri Iesu Christi invocantem, virtutes ad utilitates hominum, sed non ad seductionem perficere.* Quisquis totum hoc caput ac praecedens attente legerit, advertet hic ecclesiae miracula haereticorum praestigiis opponi: aliaque puris et mundis orationibus et invocationi nominis Domini nostri Iesu Christi tribui; alia vero daemonum invocationibus, incantationibus et magicis artibus. Hoc ipsum est quod cap. praecedenti fusius exposuerat, a Simonianis et Carpocratianis, *et si qui alii virtutes operari dicuntur, non in virtute Dei, neque in veritate, sed in perniciem et errorem, per magicas elusiones et universa fraude apud eos errorem et seductionem et magicam phantasiam in speculatu hominum impie fieri: eos fraude universa et adinspiratione apostatica et operatione daemoniaca et phantasmate idololatriae per omnia repletos esse:* quae omnia satis superque confirmantur ex iis quae tum ipse scripsit libro primo de Marcosiis, Simonianis, Carpocratianis, aliis-

que eiusmodi pestibus, tum Epiphanius, aliique de iisdem edisseruerunt: *in ecclesia autem miserationem et misericordiam et firmitatem et veritatem ad opitulationem hominum perfici etc.* Ecce tamen, Grabius his voculis, *invocationibus angelicis*, in transversum actus, observat, *bonos angelos ab ecclesia ad virtutem miraculorum edendam in auxilium vocatos nuspiam legi: immo,* inquit, *id non factum esse ex hoc ipso Irenaei loco haud inepte colligitur.* Immo inepte colligitur; et inepte scribitur in Indice generali, hunc ipsum Irenaei locum indigitando, *angelorum invocationes in ecclesia inusitatas fuisse.* Malignos spiritus hic intelligi certo certius est, eos nimirum quos mundi huius regimini praepositos arbitrabantur Gnostici, quos, ne nocerent, impense colebant et quos ad suas praestigias exercendas in opem frequenter evocabant. Quod igitur, Irenaeo teste, eiusmodi spirituum invocationibus nihil faciat ecclesia, hinc intulerit Grabius bonorum angelorum invocationes in ecclesia inusitatas fuisse? Praeclarum argumentandi genus: magicis artibus non studet ecclesia, daemones ad exercendas praestigias non evocat. Ergo bonos angelos non invocat. At ii sunt Protestantes plerique, ut arma eis ministrent obvia quaeque ss. patrum dicta. Angelicis invocationibus ecclesiam nihil facere scribit Irenaeus; satis est: bonos an malos angelos intelligat, nihil interest: illico, velut opportunam occasionem nactus, monebit editor, angelorum invocationes in veteri ecclesia inusitatas fuisse.

ARTICULUS NONUS.

DE HOMINIS PERFECTIONE AC LIBERO ARBITRIO, EIUSQUE AD IMAGINEM ET SIMILITUDINEM DEI CREATIONE. DE PECCATO ORIGINALI ET GRATIAE DIVINAE NECESSITATE.

111. Inter varios, quibus Irenaei doctrinam infuscari putant, naevos Centuriatores Magdeburgenses [1]), et Scultetus, hunc notant, quod non sine errore dixerit, hominem non esse conditum a Deo perfectum et artificem Deum in veteri plasmate quidpiam praetermisisse, quod postea Verbum impleverit. Sed insontem vexat malevolorum hominum censura, quibus, ut et Gallasio, displicuit, ut aperte profitentur, quod Irenaeus hominem liberi arbitrii facultate praeditum esse tam diserte pronuntiet et tam invicte probet, ut nullus effugiis locus sit. Haec enim calumniae caussa; quod explicandum.

112. Gnosticorum hoc erat effatum, ut alibi diximus, homines quosdam natura bonos, quosdam natura malos a Deo conditos fuisse: quo flagitioso principio ab imo ruebat omnis prorsus eligendi potestas, fatalique necessitate sic constringebatur humana voluntas, ut uno duntaxat, sive bono, sive malo, circumscripta ac definita, oppositum velle non posset. Exitiosam doctrinam identidem toto opere refellit Irenaeus. Sed eam demum libri quarti c. 37. et 39. ab ipsis radicibus convellere aggreditur, ubi principio probandum sibi suscipit, quod *liberum hominem Deus fecit ab initio, habentem suam potestatem, sicut et suam animam, ad utendum sententia Dei voluntarie et non coactum a Deo. Vis enim,* inquit, *a Deo non fit, sed bona sententia adest illi semper.* Neque pu-

1) Magdeburg. Cent. II. c. 4.

tes hic tantum elidi vim externam, quae extrinsecus adhibetur: omnem prorsus a voluntate necessitatem procul excludit, qua ita ad unum determinaretur, ut alterius volendi potestas adimeretur; ac proinde necessitatem etiam quae simplex dicitur. Eam enim in homine libertatem esse merito contendit Irenaeus, quae potestatem electionis includat, ita ut quum in unum sponte propendet voluntas, possit, si velit, eo repudiato, in oppositum ferri. *Posuit*, inquit, *Deus in homine potestatem electionis, quemadmodum et in angelis: (etenim angeli rationabiles) uti hi quidem qui obedissent, iuste bonum sint possidentes, datum quidem a Deo, servatum vero ab ipsis. Qui autem non obedierunt, iuste non invenientur cum bono et meritam poenam percipient: quoniam Deus quidem dedit benigne bonum, ipsi vero non custodierunt diligenter illud, neque pretiosum arbitrati sunt, sed supereminentiam bonitatis contemserunt. Abiicientes igitur bonum et quasi respuentes, merito omnes iustum iudicium incident Dei, etc.* Tum postea clarius adhuc explicans potestatem illam electionis, quam homini tribuit, et in indifferentia ad utrumlibet sitam esse demonstrans, addit: *Dedit ergo Deus bonum, quemadmodum et apostolus testificatur; et qui operantur quidem illud, gloriam et honorem percipient, quoniam operati sunt bonum, quum possint non operari illud; hi autem qui illud non operantur, iudicium iustum excipient Dei, quoniam non sunt operati bonum, quum possint operari illud.* Hanc vero voluntatis indifferentiam, etiamnum in homine perseverantem, subinde probat omnibus argumentis, quibus uti solent, ad haereticos refellendos, catholici doctores, puta quod si ineluctabili necessitate ferrentur homines in bonum aut malum, nec laudi nec vitio tribui posset, quod alii boni, alii mali essent: quod frustra mandata, consilia, monita hominibus daret Deus: quod nulla essent bonorum operum merita, eo quod nullum amplius certamen et corona certaminis superesset: quod incassum bonum a malo discernendi facultatem accepisset a Deo homo, nisi facta utriusque comparatione alterum alteri sua voluntate et electione praeferre posset; et alia eiusmodi, quae malim apud auctorem nostrum legi.

113. Sed interim vulgatae huic impiorum querelae satisfacit; quid angelos aut homines condiderit omnipotens Deus tales, qui statim ab eo deficerent; quum satius longe fuisset, ut peccare nullo modo possent? *Sed oportebat eum neque angelos tales fecisse, ut possent transgredi, neque homines, qui statim ingrati exsisterent in eum.* Respondet Irenaeus, quod si homines, belluarum more, *inflexibiles et sine iudicio, cum necessitate et vi traherentur ad bonum, sic nec suave esset eis quod est bonum, neque pretiosa communicatio Dei, neque magnopere appetendum bonum, quod sine suo proprio motu et cura et studio provenisset, sed ultro et otiose insitum: ita ut essent nullius momenti boni, eo quod natura magis, quam voluntate tales exsisterent, et ultroneum haberent bonum, sed non secundum electionem; et propter hoc nec hoc ipsum intelligentes, quoniam pulchrum sit quod bonum, neque fruentes eo* [1]). Satius ergo fuisse, Deique providentiam magis decuisse, ut tales crearentur homines, qui bonum libera electione prosequerentur

1) Lib. IV. cap. 37. n. 6.

et ad illud cum labore et exercitatione contenderent, ne *esset videlicet nostrum insensatum bonum, quod esset inexercitatum, ut et pretiosam arbitremur coronam, quae per agonem nobis acquiritur, sed non ultro coalitam: et quanto per agonem nobis advenit, tanto sit pretiosior; quanto autem pretiosior, tanto eam semper diligamus.* Inde quidem evenire, ut nobis ipsis nostraeque electioni permissi interdum labamur et a Deo deficiamus: at malum illud ex eo compensari, quod propriis lapsibus erudiamur, factaque *comparatione lucis et tenebrarum, vitae et mortis, per omnia erudiamur: ut in omnibus in futurum simus cauti et perseveremus in omni Dei dilectione, rationabiliter edocti diligere Deum: Deo quidem magnanimitatem praestante in apostasia hominis; homine autem erudito per eam, etc.*

114. Ex ea autem responsione oritur altera quaestio, quam statim sibi proponit Irenaeus, quaeque Centuriatorum et Sculteti criminationi ansam dedit: *Si,* ait,[1]) *hoc dicat aliquis: Quid enim? Non poterat ab initio Deus perfectum fecisse hominem?* Quisquis ad ea quae praecesserunt, quaeque modo compendio retulimus, attenderit, e vestigio deprehendet, non de ea perfectione sermonem hic esse, quae naturalis sit, et in ordine naturae haereat; sed de ea duntaxat quae superioris ordinis et a Deo, quatenus auctor gratiae est, exspectanda sit. Uno verbo totius orationis contextus demonstrat, eo spectare quaestionem: Ecquid ab initio Deus talem condiderit hominem, qui coronam sibi tanto cum labore et ancipiti ac operoso agone comparatam adipisceretur; et non potius qui *ad videndum et capiendum Deum* statim *maturus*, huic eo perfectius adhaereret, quo iustitiae immutabiliter affixus, ab omni versatilis indifferentiae perverso usu, peccandique periculo tutus esset? Id etiam ex subiecta responsione manifeste colligitur. Regerit enim Irenaeus, *Deo quidem, quum semper sit idem et innatus, quantum ad ipsum est, omnia possibilia* esse. *Quae autem facta sunt ab eo, secundum quod postea facturae initium habuerunt, secundum hoc et minora esse oportuisse eo, qui se fecerit; nec enim poterant infecta esse, quae nuper facta sunt. Propter quod autem non sunt infecta, propter hoc et deficiunt a perfecto.* Unde concludit, Deum ipsum quidem *potentem fuisse homini praestare perfectionem ab initio, hominem autem,* habita ratione sapientissimarum a divina providentia statutarum legum, *impotentem fuisse percipere illam: infans enim fuit.* Debuit igitur homo certis quibusdam gradibus, certa quadam *ordinatione et convenientia* pervenire ad visionem Dei, qua fiat immortalis et ea ratione perfectus ac Deo proximus. *Oportuerat hominem primo fieri et factum augeri et auctum corroborari et corroboratum multiplicari et multiplicatum convalescere, convalescentem vero glorificari et glorificatum videre suum Dominum. Deus enim est, qui habet videri: visio autem Dei efficax est incorruptelae: incorruptela vero proximum facit esse Deo.*[2]) Quae omnia persuadent, quod dixi, de ea tantum perfectione hic agi, quam consequitur homo in altera vita, Deum *intuitive* videndo; quamque legitimo versatilis ad utrumlibet indifferentiae usu eum sibi mereri decebat: adeo ut ea non esset naturae suae praerogativa, sed laboris et

1) C. 38. n. 1. 2) N. 3.

exercitationis praemium ac virtutis merces. Quod etiam magis ac magis confirmatur ex iis quae addit cap. sequenti, ubi n. 2. ait: *Quemadmodum igitur erit Deus, qui nondum factus est homo? quomodo autem perfectus, nuper effectus; qui in natura mortali non obedivit factori?* Tum addit hunc a Deo constitutum ordinem esse, ut prius *praebeamus ei cor nostrum molle et tractabile, ac tradamus ei quod est nostrum, id est, fidem in eum et subiectionem*; tum vero *ascensuros nos ad perfectum et fore perfectum opus Dei. Si autem*, ait, *non credideris ei et fugeris manus eius, erit caussa imperfectionis in te, qui non obedisti, sed non in illo, qui vocavit.* At illud meriti genus et ea, quae huic necessario praesupponitur, indifferentia libertatis, Magdeburgensibus quum displicerent, struendae Irenaeo calumniae occasio fuerunt.

115. Nec tamen merita bonorum operum ita libero arbitrio vindicat s. doctor, ut gratiae divinae necessitatem excludat. Immo tantam esse naturae humanae peccato originali vitiatae corruptionem iure merito contendit, ut nullum boni operis fructum usquam editura sit, nisi Christi gratia sanetur et ad agendum roboretur. Lib. III. c. 22. n. 4. scribit, *Evam inobedientem factam et sibi et universo generi humano caussam factam esse mortis*, non temporalis modo, sed et aeternae, ut ex altero comparationis membro perspicue patet; *Mariam* autem *obedientem et sibi et universo generi humano caussam factam esse salutis.* Addit postea, quod *primogenitus mortuorum natus Dominus et in sinum suum recipiens pristinos patres, regeneravit eos in vitam Dei, ipse initium viventium factus, quoniam Adam initium morientium factus est.* Tum lib. v. cap. 1. n. 3. docet, *Patrem omnium operatum esse incarnationem Filii sui et novam ostendisse generationem: uti quemadmodum per priorem generationem mortem hereditavimus, sic per generationem hanc hereditaremus vitam.* Quod et in fine capitis repetit. Et c. 14. n. 1. 2. et 3. Christum Dominum *salvasse in semetipso in fine illud quod perierat in principio in Adam. Iustam carnem reconciliavisse eam carnem, quae in peccato detinebatur, et in amicitiam adduxisse Deo.* Per Christum *reconciliatum fuisse Deo, quod per transgressionem factum fuerat inimicum.* Quibus omnibus gemina sunt quae scribit, tum lib. IV. c. 11. n. 7. *Non aliter salvari homines ab antiqua serpentis plaga, nisi credant in eum, qui secundum similitudinem carnis peccati in ligno martyrii exaltatur a terra et omnia trahit ad se et vivificat mortuos.* Tum quae lib. v. c. 16. n. 2. ait, *Deum in primo quidem Adam nos offendisse, non facientes eius praeceptum; in secundo autem Adam reconciliatos nos fuisse, obedientes usque ad mortem factos. Neque enim alteri cuidam eramus debitores, sed illi cuius et praeceptum transgressi fueramus ab initio.* Tum cap. 34. n. 2. *percussum esse hominem initio in Adam inobedientem.* Tum denique, ne longior sim, c. 19. n. 1. *Quemadmodum adstrictum est morti genus humanum per virginem, salvatur per virginem: aequa lance disposita, virginalis inobedientia per virginalem obedientiam. Adhuc enim protoplasti peccatum per correptionem primogeniti emendationem accipiens et serpentis prudentia devicta in columbae simplicitate, vinculis autem illis resolutis, per quae alligati eramus morti.* Quem posteriorem locum, ut et eum quem ex lib. IV. c. 11. modo adduximus, allegavit Augustinus lib. I. cont. Iulian.

c. 3. ut ex constanti patrum traditione probaret contra Pelagianos, nasci omnes Adae posteros peccati originalis labe maculatos. Viderint ergo qui tam disertis Irenaei testimoniis vim apertam inferentes, ea sic eludere studeant, ut Irenaeum aliosque trium priorum saeculorum patres meminisse quidem peccati originalis poenarum, sed non eiusdem reatus et culpae temere contendant; viderint, an clarius vel ab ipso Augustino asseri potuisset peccati originalis reatus et macula. Quid quod idem Irenaeus hinc cum Augustino concludat, baptismum omnibus hominibus, et ipsis parvulis et infantibus necessarium esse, ut per eum regeniti pristinae generationis sordes abluant? *Omnes,* ait lib. II. c. 22. *venit per semetipsum salvare* Christus: *omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes et parvulos et pueros et iuvenes et seniores.* Et lib. V. c. 15. n. 3. *Et quoniam in illa plasmatione, quae secundum Adam fuit, in transgressione factus homo, indigebat lavacro regenerationis; postquam linivit* (Christus) *lutum super oculos eius* (caeci nati) *dixit ei:* Vade in Siloam, et lavare; *simul et plasmationem, et eam, quae est per lavacrum, regenerationem restituens ei. Et propter hoc lotus venit videns, ut et suum cognosceret plasmatorem, et disceret homo eum, qui donavit ei vitam.* Diserta est ea ratio: Indiget lavacro regenerationis homo, quia in transgressione factus seu genitus est. Ad id ergo necessarium esse baptismum existimavit Irenaeus, ut per eum liberetur homo a transgressionis reatu, quem in Adam contraxit.

116. Consequens erat, ut qui hominem in Adamo mortuum, miserae addictum servituti, vinculis constrictum, ac letali vulnere sauciatum agnoverat, gratiae divinae, quam per Christi redemtoris ac liberatoris nostri merita nobis impertitur Deus, qua instauremur, sanemur et ad obtinendam per bona opera vitam aeternam vires capiamus, necessitatem sentiret praedicaretque. Eapropter toties asserit necessariam fuisse Verbi divini incarnationem, *ut hominis antiquam plasmationem in se recapitularet; occideret peccatum, evacuaret mortem, et vivificaret hominem*[1]). Id siquidem lex, licet bona et spiritualis, praestare non potuerat; utpote quae *manifestaverit tantummodo peccatum, non interemerit.* Hinc monet[2]) hominem, ut *cognoscat semetipsum quoniam mortalis et infirmus est;* et quod *gloria hominis, Deus: operationis* (sic lego) *vero Dei, et omnis sapientiae eius, et virtutis receptaculum, homo. Quemadmodum,* addit, *medicus in his, qui aegrotant, probatur; sic et Deus in hominibus manifestatur. Quapropter et Paulus ait:* Conclusit autem Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur[3]); *non de spiritalibus Aeonibus dicens hoc, sed de homine, qui fuit inobediens Deo, et proiectus de immortalitate, dehinc misericordiam consecutus est, per Filium Dei eam, quae est ad ipsum, percipiens adoptionem.* Hinc infirmitatis humanae conscius docet[4]), Dominum esse *qui salvat nos. Et propter hoc,* inquit, *Paulus infirmitatem hominis annuntians, ait:* Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius[5])? *Deinde infert liberatorem:* Gratia Iesu Christi Domini nostri .... *Hoc, quoniam non a nobis, sed a Dei adiumento habuimus salvari.* Hinc denique docet[6]) missum a Christo

1) Lib. III. c. 18. n. 7. 2) Cap. 20. n. 2. 3) Rom. XI. 32. 4) Ibid. n. 3.
5) Rom. VII. 24. et 25. 6) Cap. 17. n. 2.

Spiritum sanctum, *qui nos aptaret Deo. Sicut enim de aridó tritico massa una fieri non potest sine humore, neque unus panis: ita nec nos multi unum fieri in Christo Iesu poteramus, sine aqua, quae de caelo est. Et sicut arida terra, si non percipiat humorem, non fructificat: sic et nos, lignum aridum existentes primum, nunquam fructificaremus vitam, sine superna voluntaria pluvia. Corpora enim nostra per lavacrum illam, quae est ad incorruptionem, unitatem acceperunt: animae autem per Spiritum. Unde et utraque necessaria, quum utraque proficiunt in vitam Dei, miserante Domino nostro etc.* Et postea: *Quapropter necessarius nobis est ros Dei, ut non comburamur, neque infructuosi efficiamur, et ubi accusatorem habemus, illic habeamus et paracletum: commendante Domino Spiritui sancto suum hominem, qui inciderat in latrones, cui ipse misertus est, et ligavit vulnera eius, dans duo denaria regalia, ut per Spiritum imaginem et inscriptionem Patris et Filii accipientes, fructificemus creditum nobis denarium, multiplicatum Domino annumerantes* [1]).

117. Quod hic dicit Irenaeus, per Spiritum imaginem et inscriptionem Patris et Filii accepisse nos, ex iis lucem accipit, quae habet initio capitis sequentis, *Filium Dei hominem factum, longam hominum expositionem in se ipso recapitulasse: ut quod perdideramus in Adam, id est, secundum imaginem et similitudinem esse Dei, hoc in Christo Iesu reciperemus.* Id nimirum constituit Irenaeus, quod ab aliis patribus deinceps affirmatum non semel legimus, imaginem et similitudinem Dei, homini primum insculptam, deinde vero peccati labe deformatam et corruptam, a Filio Dei instauratam et refectam fuisse: et ideo eum, qui est imago Patris, et character substantiae illius, carnem suscepisse, ut ad instaurandam Dei effigiem ipsum adhiberetur archetypum et exemplar, cuius imitatione pristinum in statum per eadem lineamenta reduceretur. Hoc planissime explicat auctor noster lib. v. c. 16. n. 1. et 2. ubi dicit, eandem Dei manum, Verbum scilicet divinum, per quam ad imaginem et similitudinem Dei conditi sumus, *ab initio usque in finem formare nos, et coaptare in vitam, et adesse plasmati suo, et perficere illud secundum imaginem et similitudinem Dei. Tunc autem hoc Verbum ostensum est,* id est, visibiliter apparuit, *quando homo Verbum Dei factum est, semetipsum homini, et hominem sibimetipsi assimilans: ut per eam, quae est ad Filium similitudinem, pretiosus homo fiat Patri. In praeteritis enim temporibus dicebatur quidem secundum imaginem Dei factum esse hominem, non autem ostendebatur:* quia videlicet oculis non exhibebatur ipsum archetypum et exemplar, nempe Verbum divinum imago Patris et character substantiae eius, ad cuius, ac proinde ad ipsius Patris, imitationem conditus fuerat homo, ut mox exponit Irenaeus. *Adhuc enim,* subdit, *invisibile erat Verbum, cuius secundum imaginem factus fuerat. Propter hoc autem et similitudinem facile amisit. Quando autem caro Verbum Dei factum est, utraque confirmavit: et imaginem enim ostendit veram, ipse hoc fiens quod erat imago eius, et similitudinem formans restituit, consimilem faciens hominem invisibili Patri per visibile Verbum.* Cuius loci sensum haudquaquam assecuti Magdeburgenses [2]), misere im-

1) N. 3. 2) Cent. II. cap. 4.

plicant. Ut enim Irenaei calumniandi ansam habeant, fingunt ipsum dixisse, 1°. *Hominem non esse conditum ad imaginem Dei; sed oportuisse fieri secundum imaginem Dei, accepta cognitione boni et mali.* Cuius quidem criminationis absurditas simul et falsitas vel ex eo ipso, quem ad marginem citant loco, cap. videlicet 38. alias 76. n. 4. perspicue demonstratur, ubi diserte asseritur, Deum *similes sibi suae potestatis homines fecisse*; et, *oportuisse fieri hominem secundum imaginem et similitudinem Dei, agnitione accepta boni et mali:* id est, ut ipse eadem periodo, et toto eo capite explicat, priusquam intima Dei visione, immortalis et impeccabilis fieret homo, oportuisse ut in eo ad imaginem et similitudinem Dei conderetur, quod agnitione accepta boni et mali, liber ac suae potestatis esset. *Deinde* fingunt *et de imagine admodum periculose Irenaeum loqui, quum affirmat illud dictum,* Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, *pertinuisse ad Christum, qui certo tempore homo fieri, illamque imaginem repraesentare debuerit. Ante lapsum igitur, hominem quidem dictum esse imaginem Dei, sed non ostensum: quia Filius Dei nondum homo factus fuerit.* Tum locum proferunt, quem paullo ante adduximus. Atqui nec eo loci, nec uspiam alibi scribit Irenaeus, illud dictum, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram,* pertinuisse ad Christum: nec eo loci, nec uspiam alibi dixit, ante lapsum, hominem quidem dictum esse imaginem Dei, sed non ostensum.

118. Verum quidem est, Irenaeum, cum veterum non paucis, inter imaginem Dei in homine, ac similitudinem distinxisse; quasi alia sit imaginis, alia similitudinis ratio. Imaginem autem collocat in carne, seu, ut loqui amat, in plasmate. *Caro,* inquit lib. v. c. 6. n. 1. *est plasmata secundum imaginem Dei.* Et postea: *Si defuerit animae Spiritus, animalis est vere, qui est talis; et carnalis derelictus imperfectus erit: imaginem quidem habens in plasmate, similitudinem vero non assumens per Spiritum etc.* Quod vero hic carnem, seu carnalem et animalem hominem secundum imaginem Dei conditum dicit, id cap. 16. paullo ante citato clarius explicans, hominem factum vocat secundum imaginem Verbi, non quatenus carnem assumsit, et Christus est, sed quatenus Verbum est et Filius Dei, ut ex supra relatis verbis liquet. Quod posterius haudquaquam repugnat prioribus. Quum enim Verbum sit substantialis imago Patris, hominem ad imaginem Verbi conditum esse, est hominem secundum imaginem Dei factum esse, ut iam diximus. Porro in iis omnibus locis imaginem Dei sic carne definit Irenaeus, ut tamen animam non excludat, ut ex ipsa lectione patet: sed nimirum id vult, quamvis homini propter animam potissimum conveniat esse imaginem Dei, esse tamen et in corpore proprium quiddam, cuius gratia dicatur ad imaginem Dei esse fictum. Quid autem illud sit, fuse explicat toto libro v. ubi demonstrat, corpus a Verbo instauratum, seu, ut passim loquitur, in Verbum recapitulatum, a morte et corruptione, cui, primi hominis peccato, obnoxium erat, sic vindicatum iri, ut perenni vita, incorruptela et gloria in resurrectione donatum. Dei immortalitatem quodammodo referat. *Si,* ait cap. 7. n. 1. *nunc pignus habentes clamamus, Abba, Pater; quid fiet, quando resurgentes facie ad faciem videbimus eum; quando omnia membra affluenter exsultationis hymnum protulerint, glorificantia eum, qui susci-*

taverit ea ex mortuis, et aeternam vitam donaverit? Si enim pignus complectens hominem in semetipsum, iam facit dicere, Abba, Pater; quid faciet universa Spiritus gratia, quae hominibus dabitur a Deo? Similes nos ei efficiet, et perficiet voluntate Patris: efficiet enim hominem secundum imaginem et similitudinem Dei. Similia alia loca passim occurrent. Et his illustrantur ea quae scribit cap. 16. n. 2. ante Verbi divini incarnationem, hominem quidem secundum imaginem Dei conditum dici, non tamen ostendi, donec *Verbum caro factum, fiens quod erat imago eius, imaginem ostenderet veram.* Quamvis enim homo ab initio secundum imaginem Dei factus fuerit, ea tamen imaginis ratio post incarnationem longe clarius effulsit, quam ante: Verbo quippe carnem assumente, quae aliquando resurrectura erat, nec in corruptionem cessura, eo veritas imaginis manifestius comprobata est, quo certissima iam spes fuit nostram carnem, illius carni qui primogenitus fuit in multis fratribus, et primitiae dormientium atque resurgentium factus est, consubstantialem, et ipsam aliquando per eum a corruptione vindicandam esse, ac immortalitatem consecuturum: *ut quum apparuerit, similes ei simus*, ut loquitur Ioannes apostolus [1]).

119. Quod attinet ad similitudinem Dei in homine, quam ab imagine distinguit Irenaeus, illam utique in anima reponit, vel, ut verius accuratiusque loquar, in homine ipso, quatenus tali forma illius natura constituitur; sed non eadem ubique ratione. Quum enim duplex hominis status spectari possit, naturalis videlicet et supernaturalis; pro diversa utriusque ratione, diversam etiam similitudinis rationem assignavit auctor noster. Donec hominis statum naturalem respexit, eius cum Deo similitudinem in cognoscendi vi, et libere quidvis eligendi facultate sitam esse docuit, ut lib. IV. c. 4. n. 2. et c. 37. n. 4. Quum vero hominem in statu supernaturali consideravit, huius cum Deo similitudinem posuit in ea perfectione, quam accipit a Spiritu sancto in se inhabitante, per quam fit spiritalis homo, mundus, Deo vivens, et a cupiditate carnis, terrenarumque rerum affectu, quantum humana fragilitas sinit, liber et purus. De ea hominis perfectione fuse disserit lib. V. cap. 6. et seqq. ubi ostendit, tria ad supernaturalem hominis perfectionem ita requiri, ut si unum desit, perfectus homo esse non possit: carnem videlicet, animam et Spiritum sanctum. *Per manus Patris,* inquit n. 1. id est, *per Filium et Spiritum fit homo secundum similitudinem Dei, sed non pars hominis. Anima autem et Spiritus pars hominis esse possunt, homo autem nequaquam: perfectus autem homo, commixtio et adunatio est animae assumentis Spiritum Patris, et admixta ei carni, quae est plasmata secundum imaginem Dei. Propter quod et apostolus ait:* Sapientiam loquimur inter perfectos [2]); *perfectos dicens eos, qui perceperunt Spiritum Dei, et omnibus linguis loquuntur per Spiritum Dei, quemadmodum et ipse loquebatur.* Et postea: *Si substantiam tollat aliquis carnis, id est plasmatis, et nude ipsum solum spiritum intelligat, iam non spiritualis homo est, quod est tale, sed spiritus hominis, aut Spiritus Dei. Quum autem spiritus hic commixtus animae unitur plasmati, propter effusionem Spiritus, spiritualis et perfectus homo factus est: et hic est, qui secundum*

1) I. Ioan. III. 2. 2) 1 Cor. II. 6.

imaginem et similitudinem factus est Dei. Si autem defuerit animae Spiritus, animalis est vere, qui est talis, et carnalis derelictus imperfectus erit: imaginem quidem habens in plasmate, similitudinem vero non assumens per Spiritum etc. Ubi quod Spiritum sanctum partem hominis vocat, difficultatem habere non potest. Neque enim, ut orationis contextus aperte demonstrat, de homine in statu naturali, seu de iis quibus essentia hominis, quatenus homo est, constituitur, hic disserit auctor noster; sed de iis duntaxat, quae necessaria sunt ut spiritalis ac perfectus in genere supernaturali fiat. Neque in id absurditatis genus delapsus est, ut existimaret hominem istum ex ipsa Spiritus sancti substantia tanquam ex parte proprie dicta componi, perinde atque ex corpore et anima componitur; qui Spiritus sancti gratiam et dona intelligere se manifeste significat: quae quidem si partem hominis spiritalis appellet, non alia ratione partem esse vult, quam qua caritas, iustitia etc. iusti hominis partes esse dicuntur; partes scilicet improprie dictae, quia his qualitatibus completur homo ac perficitur. Hinc Irenaeus quod initio capitis proposuerat, paullo enucleatius deinde explicans, carnem quidem et animam partes hominis vocat; non autem Spiritum sanctum. *Si quis,* ait, *tollat imaginem, et spernat plasma, iam non hominem intelligere potest, sed aut partem aliquam hominis, vel aliud aliquid praeter hominem. Neque enim plasmatio carnis ipsa secundum se homo perfectus est; sed corpus hominis, et pars hominis. Neque enim et anima ipsa secundum se homo; sed anima hominis, et pars hominis. Neque Spiritus homo: Spiritus enim et non homo vocatur.* Ubi Spiritum iam non hominis partem appellat, sed aliud aliquid praeter hominem, Spiritum scilicet. Tum quid per Spiritum intelligat, clarius adhuc exponens, addit: *Perfecti igitur, qui et Spiritum in se perseverantem habuerint Dei, et animas et corpora sine querela servaverint; Dei, id est, illam quae est ad Deum fidem servantes, et eam quae est ad proximum iustitiam custodientes.* Et adhuc clarius cap. 9. n. 1. *Sunt tria,* inquit, *ex quibus, quemadmodum ostendimus, perfectus homo constat, carne, anima et Spiritu: et altero quidem salvante et figurante, qui est Spiritus; altero quod unitur et formatur, quod est caro: id vero quod inter haec est duo, quod est anima: quae aliquando quidem subsequens Spiritum, elevatur ab eo: aliquando autem consentiens carni, decidit in terrenas concupiscentias. Quotquot ergo id quod salvat et format, et unitatem non habent, hi consequenter erunt et vocabuntur caro et sanguis; quippe qui non habent Spiritum Dei in se .... Quotquot autem timent Deum, et credunt in adventum Filii eius, et per fidem constituunt in cordibus suis Spiritum Dei; hi tales iuste homines dicentur et mundi et spirales: quia habent Spiritum Patris, qui emundat hominem, et sublevat in vitam Dei.* Quae nisi de Spiritus sancti gratia et donis intelligi non possunt.

ARTICULUS DECIMUS.

DE ANIMARUM NATURA ET STATU POST MORTEM.

120. Quum angeli et animae humanae eadem fere sit ratio, de utriusque natura idem sensit Irenaeus. Quemadmodum enim angelos ex

materia subtilissima concretos esse existimavit; sic et animas humanas ex eadem materia compositas esse voluit. Has quidem *spiritus* et *incorporales* non semel vocat, lib. praesertim v. c. 6. et 7. sed quo sensu, statim ipse explicat. *Incorporales animae,* ait c. 7. n. 1. *quantum ad comparationem mortalium corporum:* quibus manifeste significat, animas, si quidem cum corporibus conferantur, incorporales esse, quia illorum materia crassior, harum subtilior est: re tamen et absolute incorporeas non esse. Quod et sequentia confirmant, quibus probat ex iis omnibus quibus aut constituitur, aut perficitur homo, carnem solam mortalem esse: non animam, *flatus est enim vitae,* ac proinde *immortalis*: neque etiam Spiritum sanctum, quo completur homo, ut spiritalis fiat; *incompositus est enim et simplex spiritus, qui resolvi non potest, et ipse vita est eorum, qui percipiunt illum.* Ubi latissimum discrimen inter spiritum et animam ponit: illum immortalem esse probat, quod incompositus sit et simplex, nec resolvi possit: huius vero immortalitatem non ea ratione fulcit, quae tamen genuina spirituum, in genere spectatorum, incorruptibilitatis ratio est, sed aliunde petit; ex eo nimirum, quod flatus vitae sit. Et hinc forte est quod lib. II. c. 19. n. 7. et c. 34. n. 1. scribat, animas corpori, in quo sunt, sic aptari, ut eiusdem habeant figuram; immo et post mortem *characterem corporis, in quo etiam adaptantur, custodiant eundem, habeantque hominis figuram, ut etiam cognoscantur.* Quamquam tamen, ut in notis ad posteriorem hunc locum diximus, nihil absolute cogat haec de certa quadam figura, corporeisque notis animabus impressis interpretari. Tenues quidem materiales substantias, quales animas esse credidit Irenaeus, ad eorum, quibus insunt, corporum figuram sese componere, quemadmodum aqua vasis, in quod infunditur, figuram induit (quae s. doctoris comparatio est), facile intelligitur: at easdem substantias, nullius ex sese figurae tenaces, certam tamen figuram, certumque corporeum characterem, post suam a corpore separationem, constanter retinere posse; qui sibi in animum inducere potuerit Irenaeus, vir acris iudicii, haud facile percipiet quisquam. Mallem ergo eum animarum characterem et figuram explicare de certo quodam ordine et habitu ad corpus, quem post mortem servant, et quo a substantiis angelicis, ad informandum corpus haudquaquam destinatis, distinguantur. Consule notas in hunc locum.

121. Quin Irenaeus in iis quae tum de angelorum, tum de animarum humanarum natura sensit, a sanae et philosophiae et theologiae legibus aberraverit, negari non potest. Sed error est, ut pluribus antiquis patribus communis, sic omnibus eo facilius condonandus, quo quaestione non adeo accurate priori atque posteriori aevo discussa, iudicium suum nondum interposuerat ecclesia. Idem fere dicendum de altero, quo cum veteribus non paucis deceptus est, errore de statu animarum sanctarum, corporis vinculis solutarum, quas statim divino conspectu fruituras in caelum recipi negavit. Eum quidem ab hoc errore purgare nixus est Bellarminus lib. I. de Sanct. beatitud. c. 4. sed prorsus infeliciter. Tam aperta siquidem Irenaei opinio est, posterioribus sex libri quinti capitibus, ut eam ad receptam hodie in tota ecclesia catholica sententiam revocare velle, laterem crudum lavare sit. Eapropter Hieronymus, qui Irenaei scripta sedula manu versaverat, cuique perspecta erat s. doctoris

mens, eum inter Chiliastas tum in Prologo in lib. XVIII. in Esaiam, tum alibi recensere non dubitat. Et revera ingenue fateri debemus, Irenaeum, dum acrius insectatur Gnosticos, fingentes spiritalium suorum animas, ut statim a corpore discesserint ire ad Matrem, vel ad eum, quem commiscebantur Patrem, carne interim aeternum dissolvenda, in alteram ipsum extremam sententiam abire. Negat quippe iustorum animas statim post suum ab corpore discessum divino conspectu frui; sed *abire vult in invisibilem locum definitum eis a Deo, et ibi usque ad resurrectionem commorari, sustinentes resurrectionem: post, recipientes corpora et perfecte resurgentes, hoc est, corporaliter, quemadmodum et Dominus resurrexit, sic venturas in conspectum Dei.* Immo, quod paullo magis stupendum, eos etiam e Catholicis, qui secus sentiebant, erroris arguere non dubitat, quasi qui *supergrederentur ordinem promotionis iustorum, et motus meditationis* (id est, exercitationis) *ad incorruptelam ignorarent, haereticos sensus in se habentes.* Quos ex eo refellit, quod minime deceat Christi discipulos prius in caelum conscendere quam magister ipse ascenderit. *Quomodo ergo magister noster non statim evolans abiit, sed sustinens definitum a Patre resurrectionis suae tempus, post triduum resurgens assumtus est: sic et nos sustinere debemus definitum a Deo resurrectionis nostrae tempus, et sic resurgentes assumi, quotquot Dominus ad hoc dignos habuerit.* Tres proinde animarum sanctarum veluti stationes distinguit Irenaeus: primam in loco quodam invisibili, in quo detineri eas contendit ad resurrectionis usque tempus: alteram in terrena Hierusalem instaurata et renovata, vel in Paradiso terrestri; in quibus sub imperio et gubernatione Christi, in summa quiete ac secundarum rerum affluentia degentes, *crescentesque ex visione Domini, per ipsum assuescent capere gloriam Dei Patris:* tertiam demum in regno caelorum, in quo ipsius Patris conspectu aeternum fruentur. Ea vero omnia Irenaeus congestis undique Scripturae sacrae testimoniis, pro virili sua probare nititur.

122. Quatuor tamen hic observari velim. Primum est, Irenaeum sic ad millenariorum sententiam accessisse, ut a Cerinthi impietate procul recesserit. Hic quippe millenariorum coryphaeus effutiebat, Eusebio teste, lib. III. Hist. c. 28. post humanae carnis resurrectionem futurum terrenum Christi regnum et Hierosolymis homines carnis cupiditatibus ac voluptatum illecebris servientes, mille annos in nuptiarum festis et celebritate consumturos. Quam impietatem exhorruere semper ecclesiae patres: non ita vero dogma alterius millenariorum antesignani Papiae, Ioannis, ut scribit Irenaeus, *auditoris, Polycarpi autem contubernalis:* qui Cerinthi deliria sic recoxit, recuditque, ut tempus illud mille annorum transigendum esset in deliciis spiritalibus, qualibus affici iustos ac puros homines decet. Quamvis hic Papias vir esset, ut ait Eusebius lib. III. Hist. c. 39. *σφόδρα σμικρὸς ὢν τὸν νοῦν, mediocri admodum ingenio, ut ex scriptis illius conïicere licet,* qui male intellectis apostolorum narrationibus, nec iis, quae arcano quodam sensu et exempli caussa ab illis dicebantur, satis animadversis, plura fabulis propiora libris suis inseruit, terrenumque illud Christi regnum commentus est; quod tamen a Ioanne apostolo institutus esset, pluribus post ipsum ecclesiasticis scriptoribus, hominis auctoritatem plus aequo reveritis, ac Irenaeo inprimis,

eiusdem erroris occasionem praebuit. Alios quosdam presbyteros, Ioannis discipulos, eiusdem opinionis propugnatores, sed eiusdem ponderis homines, memorat Irenaeus. 2°. Horum sententiae calculum sic adiecit s. doctor, ut terreni illius Christi regni tempus nuspiam definierit, nec mille, aut certo aliquo annorum numero circumscripserit; immo ne semel quidem protulerit vulgatum illum Apocalypseos locum, *Erunt sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum illo mille annis;* quo tamen, ceu fundamento, potissimum nitebatur millenariorum sententia. 3°. Id discriminis constituere videtur inter martyrum aliorumque iustorum animas, ut illae singulari praerogativa statim ascendant ad Patrem, ac proinde in caelum recipiantur; aliae vero omnes ad invisibilia loca abeant, corporum resurrectionem exspectantes. *Ecclesia,* inquit lib. IV. c. 33. n. 9. *omni in loco, ob eam quam habet erga Deum dilectionem, multitudinem martyrum in omni tempore praemittit ad Patrem.* Si martyres praemittuntur ad patrem, ceteris ergo iustis praeeunt, qui prius illuc non perveniunt, quam in terreno Christi regno *ex visione Domini, per ipsum* paullatim *assueverint capere gloriam Patris.* 4°. Demum ceteris omnibus gravius est, quod significare videtur Irenaeus, non omnes beatos in caelo futuros, sed aliquos in caelo, aliquos in paradiso, alios in civitate nova Hierusalem; omnes tamen, ubicunque fuerint, Dei conspectu fruituros. *Praetereunte,* ait, *figura hac, et renovato homine, et vigente ad incorruptelam, ut non possit iam veterascere, erit caelum novum, et terra nova, in quibus novus perseverabit homo, semper nova confabulans Deo. Et quoniam haec semper perseverabunt sine fine, Esaias ait sic etc. Et quemadmodum presbyteri dicunt, tunc qui digni fuerint caelorum conversatione, illuc transibunt, id est, in caelos; alii tute paradisi deliciis utentur; alii autem speciositatem civitatis possidebunt: ubique autem Deus videbitur, et quemadmodum digni erunt videntes eum. Esse autem distantiam hanc habitationis eorum qui centum fructificaverunt, et eorum qui sexaginta, et eorum qui trigginta: quorum quidam in caelum assumentur, alii in paradiso conversabuntur, alii in civitate inhabitabunt: et propter hoc dixisse Dominum, multas esse apud Patrem mansiones.* Mira haec et insolita parabolae seminantis, et variarum in altera vita mansionum explicatio: haec enim referri ad alteram vitam, seu ad resurrectionem secundam, postquam innovatis iam caelo et terra Deus manifeste videbitur a beatis, orationis contextus perspicue demonstrat. Sed ista, ut et alia quae retuli, naevi sunt, quos contraxit Irenaeus ex nimia in seniores illos, quos identidem citat, veneratione et acriori haereticos impugnandi studio.

123. Dudum exsolevit ea terreni Christi fabula, ut vocat Hieronymus. Hanc tamen suis e ruderibus excitatam instaurare nititur cl. Grabius; non directe quidem, nulla siquidem argumenta eam in rem profert: ecqui proferre posset, nisi straminea, ut ipse loquitur. Sed pias et eruditas doctissimi Feuardentii notas exscribens, eas ubique maligno dente corrodit, insinuatque passim a nullo solide confutatam hactenus fuisse eam millenariorum sententiam, facileque diffiari ea omnia, quibus impugnatur, argumenta: immo parum abest, quin eam ipsi Christo et apostolis eius acceptam referat. Forte necessaria Grabio videtur ea fabula, qua fulciatur novum illud Calvini et asseclarum eius dogma, Sanctos invocari

nec posse, nec debere, utpote qui in caelo nondum degentes preces nostras audire nequeant. Dignum certe fabulae fulcrum altera fabula est. An cl. viro animus erat veros Irenaei errores probando, eam, quam s. martyri intulit iniuriam, tot fictitios in annotationibus suis impingendo, compensare? Quam aequa compensatio! dignissima, quae Grabianis notis coronidem imponeret. Operam lusisse me putarem, si has serio refellendas susciperem. Chiliastarum ratiunculae sunt, quas alii tum veteres, tum recentiores iam penitus contriverunt: et si id ab eis praestitum neget Grabius, ideo negat, quia vel legere piguit, vel animo iam invisibili illo chiliastarum loco oberrante legit. Id tamen a cl. viro dissimulandum non erat, sic in eam abiisse sententiam saeculi secundi patres, qui de statu animarum post mortem quidquam scriptis adhuc superstitibus reliquerunt, ut candide monuerint Iustinus in Dialogo cum Tryphone pag. 306. edit. Morellianae Paris. 1636. et Irenaeus cap. 31. et 32. huic repugnasse *πολλοὺς καὶ τῶν τῆς καθαρᾶς καὶ εὐσεβοῦς ὄντων Χριστιανῶν γνώμης, multos etiam e Christianis, qui purae piaeque sunt sententiae;* vel, ut loquitur Irenaeus, *quosdam ex his qui putantur recte credidisse.* A pluribus deinceps aperte impugnata quum fuerit, licet a quibusdam, nec ignobilibus ecclesiae patribus propugnata, praevaluit, semper id quod iam in ecclesia catholica obtinet dogma.

124. Sed tandem huic dissertationi finis imponendus. Breviorem esse voluissem, si licuisset. At longiorem fecerunt tum intricatae locorum multorum difficultates, quae paucioribus verbis elucidari commode non poterant; tum importunae Protestantium, ac inprimis nuperi Irenaei editoris cavillationes, quas, ne nostris auribus obstrepere pergerent, dissolvere operae pretium fuit. Quum enim eiusmodi hominibus antiquius nihil fuerit, quam ut tantae auctoritatis antiquitatisque scriptorem misere discerptum ad partes suas traherent, ut tanta s. doctori fieret iniuria, sinendum non fuit. Si quid aliud in Irenaei doctrina observandum occurrat, vel id in notis textui subiectis annotavimus, et ubi opus fuit illustravimus, vel ex iis quae hactenus diximus facile explicabitur.

QUOMODO

IOAN. SALOMO SEMLERUS

AUTHENTIAM IRENAEI OPERIS ADV. HAER. IN DUBIUM VOCAVERIT

EX IPSIS SEMLERI SCRIPTIS OSTENDITUR

AB

ADOLPHO STIEREN.

Quamvis Christ. Guil. Franc. Walchius, cuius eruditissima de authentia librorum Irenaei commentatio huic Apparatui inserenda videtur, ad conscribendam orationem Philippicam eo potissimum consilio se accinxisse dixerit, ut refutaret Semlerum libros adversus haer. in dubium vocantem: viri tamen κριτικωτάτου miras nec non singulares opiniones de Irenaei opere accuratius exponere omisit. Qua de caussa nobis quidem liceat, ea de re, uti huius Apparatus ratione iubemur, Semleri sententiam magis ipsis viri doctissimi verbis, quam nostris explicare. Primum enim notissimus ille Irenaei locus (III, 3), quo de antiquissimae in Occidente romanae ecclesiae praestantia loquitur, Semlero de authentia operis adv. haer. suspicionem commovit. Etenim in historica introductione ad Baumgartenii polemic. T. II. p. 97 ita disputat: *Ich gestehe, dass dieser Verfasser mir durch diese und andere Stellen sehr verdächtig worden, indem er ausdrücklich die abendländische Kirche über alle anderen erhebt, welcherlei Behauptung für die Kirchen in Frankreich so unnöthig als in dieser Zeit nicht eben schicklich heissen muss, und nebst einigen andern solchen Stücken und Briefen des Clemens, Ignatius in vorsetzlicher Absicht eingerichtet worden, die kirchliche Dependenz und Hoheit der Bischöfe nach und nach einzuführen. — — Der Verfasser mag sein wer er will, der lyonische Bischof Irenaeus, den man sonst ohnehin nicht sehr beschreiben kann, hat wohl den Namen zu einem ziemlich später geschriebenen Buche hergeben müssen, das vornämlich die morgenländischen Kirchen an die römische weisen wollte. Wenigstens kann man sehr viel Vermuthung haben, dass diese Stelle spät erst eingeschoben worden; daher sie auch in alten Zeiten zur Behauptung des kirchlichen Vorzugs gar niemalen angeführt worden.* Alio loco libri laudati p. 131 ita scribit Semlerus: *Wenn man bedenkt, dass Irenaeus in einem besondern Briefe des Bischof Victor zu Rom eigensinnige Härte in erforderter Gleichförmigkeit der Osterfeier sehr gründlich gemissbilligt hat: so schickt sich diese grosse Erhebung, so er in oben angemerkter Stelle* (III, 3) *dem römischen Bischof beilegen soll, noch weniger.* — Tum mirum videbatur Semlero, Irenaeum saepissime Seniorum dicta et *σύνταγμα πρὸς Μαρκίωνα* allegasse. Idcirco ita dixit (l. c. pag. 106): *Welcherlei Anführungen ein Verfasser, der zu*

Lyon schreibt, wohl schwerlich zu machen im Stande gewesen: indem er wirklich sich aus dem Orient solche Schriften hätte müssen von Zeit zu Zeit zuschicken lassen; wie er auch, wenn er gleich ehedem in Asien gewesen, desshalb nicht so gleich alle diese Schriften hätte mitnehmen können. — Pag. 131 eiusdem libri Semlerus ea comprehendens, quae effecerunt, ut authentia Irenaei ei in dubium veniret, haec scripsit: *Ehe ich von Irenaeus wegkomme, will ich endlich noch kürzlich die Gründe zusammenfassen, warum ich einigermassen zweifle, dass Irenaeus, der bekannte Bischof von Lyon, wie man dies dafür hält, ganz oder völlig Verfasser dieser Bücher sei, und vermuthe, dass entweder diese Bücher nach und nach Zusätze bekommen haben, oder dass ein Anderer unter Irenaei Namen geschrieben und besonders die Rechte des römischen Bischofs zu erheben gesucht habe. Der Verfasser hat alle biblischen Bücher gebraucht; im alten Testamente sogar die Uebersetzung des Theodotion; er citirt mehrmalen eine gewisse Stelle aus dem Jesaias oder Jeremias.* (Et commemoratus est Dominus sanctus Israelis mortuorum suorum, qui dormierunt in terra sepultionis et descendit ad eos evangelizare salutem, quae est ab eo, ut salvaret eos), *welche Justinus, und sonst niemand, auch anführt und davon vorgibt, dass die Juden solche nachher ausgekratzt hätten; er schreibt viel aus dem Papias ab und hat eine leichte Neigung zu allerlei jüdischen Fabeln, als von den 70 Dolmetschern; von Loths Weibe, das in der Säule noch weibliche monatliche Veränderungen leide; dass Henoch an die Engel, so auf Erden mit den Weibern sich vermischten, eine Gesandtschaft und Predigt abgelegt habe, welches aus dem Buche Henochs genommen ist. Neben diesen Umständen, die sich für einen abendländischen Verfasser in dieser Zeit nicht wohl reimen, hat sogar Clemens von Alex. B. 7. Stromat. ein grosses Stück aus der Allegorie des Irenaeus (von den Thieren mit gespaltenen Klauen) abgeschrieben, ohne ihn zu nennen; oder man müsste annehmen, dass beide es aus einem dritten Verfasser entlehnt hätten; und so ist es gleichwohl sichtbar, dass der Verfasser im Orient, nicht aber im Occident diese Sachen geschrieben haben muss. Man findet auch deutliche Spuren, dass der Verfasser mit hebräischen Worten etwas bekannt gewesen, wozu im Occident keine Gelegenheit war. Er citirt ein Stück aus dem Hermas, wovon doch Hieronymus zu seiner Zeit noch schreibt:* apud latinos *paene ignotus* est; *an den Homerus, Menander, Plato und viele andere griechische Verfasser nicht zu denken, die hier angeführt werden. Er redet oft von den Aeltesten und führt ihre Aussprüche an, wie in den* eclogis prophetarum, *so dem Clemens von Alex. angehängt sind, dies auch einigemal geschieht. Endlich muss es uns sehr befremden, dass gegen das Ende des 6ten Jahrhunderts der Bischof von Lyon Aetherius nach Rom schreibt, ob er nicht könnte* gesta vel scripta Irenaei *bekommen; und sogar Gregorius antwortet von Rom,* gesta vel scripta b. Irenaei iam diu est, quod sollicite quaesivimus, sed hactenus ex iis aliquid inveniri non valuit; *es ist folglich gar keine Abschrift in den vornehmsten abendländischen Kirchen weder lateinisch noch griechisch zu finden gewesen. Die fünf Bücher sind übrigens der Zeit nach wohl nicht eben auf einander gefolgt; Tertullianus kann also einige der ersten gesehen haben; und nun ist Eusebius*

der einzige, der vom Irenaeus redet; also im 3ten Jahrhundert sonst niemand. Dass man noch im 3ten und 4ten Jahrhundert häufig unter andern Namen Schriften untergeschoben, ist bekannt genug.

Quum ederet Semlerus Tertulliani libros eiusque opus adversus Valentinianos cum Irenaei libris accuratius compararet, ex mirabili utriusque operis consensu nova praeconceptae opinionis argumenta petere non dubitavit. Dissertationis in Tertullianum §. XII (Tom. V, p. 300) ita disputat: Iam novae rei alius superest observatio, quae non parum facit ad illustrandam huius suspicionis rationem. Ista enim Irenaei, quae sunt nostris in manibus, scripta si comparantur cum his Tertulliani nostri, mirifice conveniunt. Scimus autem Tertullianum istum esse illorum primum, qui Irenaei nomen recitant inter scriptores; nempe *omnium doctrinarum curiosissimum exploratorem* dicebat Irenaeum noster Tertullianus. Si vero ille Irenaeus Lugduni scripsit istos libros adversus haereses: quomodo Tertullianus isto iam tempore hos libros oculis et manibus usurpavit suis? Quo autem iure sic fecit Tertullianus, ut ex graeco illo textu Irenaei sublegeret sua et latine repeteret, quae ille creditur scripsisse graece? Atque sic quidem, ut ne nominaverit quidem Irenaeum, quem tamen latine exscribebat? Viderint lectores, quid statuendum putent de ista caussa; nobis certe non videtur monstro carere.

Postquam Semlerus Irenaei graecum cum Tertulliani latino textu diligentissime contulit, nova, quibus singularem suam sententiam fulciret, documenta ex consensu Irenaei cum Clemente Alexandrino hausta proponit. Vir doctus l. l. p. 353 ita pergit: Neque vero omittendum hic est illud problema, satis novum atque minus certe exspectatum, quod longam orationis partem, quae in Clementis Alex. Strom. VII. sub finem habetur, etiam in isto Irenaei corpusculo invenimus, totam atque universam adv. haer. V, 8. — In hoc igitur capite (ita pergit pag. 354) reperimus *illa eadem,* quae leguntur in isto loco Clementis, cuius omnis *συνάφεια* sic omnino cohaeret et coniungitur, ut, si quis comparet, non possit non fateri, hanc orationem hic quasi inter lares et penates versari; sique iam in Irenaeo exstet, *furto quasi translatam esse,* atque parum commode aut opportune ibi adsuta legi. Viderint iam lectores et statuant ipsi de hac caussa.

Irenaeus lib. V. c. 8. §. 2 in fine.

Sed et nos in consuetudine huiusmodi homines (eos nimirum qui vitam carnalem et irrationalem agunt) iumenta et pecora irrationabilia dicimus.

§. 3. Praedixit autem figuraliter omnia haec lex de animalibus delineans hominem: quaecunque, inquit, duplicem ungulam habent et ruminant, munda enuntians, quaecunque autem aut utrumque vel alterum horum non habent velut

Clem. Alex. Strom. lib. VII fine. Edit. Potter. p. 900.

Ὅπῃ οὖν τινα ὀλίγην ὑποδείξαντες τοῖς φιλοθεάμοσι τῆς ἐκκλησίας, ἐκ τοῦ κατὰ τὰς θυσίας νόμου, περί τε Ἰουδαίων τῶν χυδαίων, περί τε τῶν αἱρέσεων μυστικῶς διακρινομένων, ὡς ἀκαθάρτων ἀπὸ τῆς περὶ καθαρῶν καὶ ἀκαθάρτων ζώων θείας ἐκκλησίας καταπαύσωμεν τὸν λόγον. Τὰ μὲν γὰρ διχηλοῦντα καὶ μηρυκισμὸν ἀνάγοντα τῶν ἱερείων καθαρὰ καὶ δεκτὰ τῇ Θεῷ παραδίδωσιν ἡ γραφή,

immunda segregans. Qui sunt ergo mundi? Qui in Patrem et Filium per fidem iter firmiter faciunt; haec est enim firmitas eorum, qui duplicis sunt ungulae: et eloquia Dei meditantur die ac nocte, uti bonis operibus adornentur; haec est enim ruminantium virtus. Immunda autem, quae neque duplicem ungulam habent, neque ruminant (hoc est, qui neque in Deum fidem habent, neque eloquia eius meditantur: haec autem Ethnicorum est abominatio). Quae autem ruminant quidem, non habent autem ungulam duplicem et ipsa immunda; haec Iudaeorum est imaginalis descriptio, qui quidem eloquia Dei in ore habent, stabilitatem autem radicis suae non infigunt in Patre et Filio; propter hoc autem et lubricum est genus ipsorum. Etenim quae sunt unius ungulae animalia facile labuntur; firmiora autem sunt quae duplicem ungulam habent, succedentibus invicem ungulis fissis secundum iter, et altera ungula subbaiulant aliam. Immunda autem similiter quae duplicem quidem ungulam habent, non autem ruminant: haec est autem omnium videlicet haereticorum ostensio et eorum qui non meditantur eloquia Dei, neque operibus iustitiae adornantur, quibus et Dominus ait: quid mihi dicitis Domine, Domine, et non facitis quae dico vobis? Qui enim sunt tales, in Patrem quidem et Filium dicunt se credere, nunquam autem meditantur eloquia Dei, quemadmodum oportet, neque iustitiae operibus adornati.

ὡς ἂν εἰς πατέρα καὶ εἰς υἱὸν διὰ τῆς πίστεως τῶν δικαίων τὴν πορείαν ποιουμένων. Αὕτη γὰρ τῶν διχηλούντων ἑδραιότης τῶν τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ νύκτωρ καὶ μεθ' ἡμέραν μελετώντων, καὶ ἀναπεμπαζομένων ἐν τῷ τῆς ψυχῆς τῶν μαθημάτων δοχείῳ, ἣν καὶ συνάσκησιν γνωστικὴν ὑπάρχουσαν καθαροῦ ζώου μηρυκισμὸν ὁ νόμος ἀλληγορεῖ. Ὅσα δὲ μήτε ἑκάτερον, μήτε τὸ ἕτερον τούτων ἔχει, ὡς ἀκάθαρτα ἀφορίζει.

Quae uncinis inclusa sunt ea Irenaeus addit.

Αὐτίκα τὰ ἀνάγοντα μηρυκισμόν, μὴ διχηλοῦντα δὲ τοὺς Ἰουδαίους αἰνίσσεται τοὺς πολλούς· οἳ τὰ μὲν λόγια τοῦ Θεοῦ ἀνὰ στόμα ἔχουσιν, τὴν δὲ πίστιν καὶ τὴν βάσιν δι' υἱοῦ πρὸς τὸν πατέρα παραπέμπουσαν οὐκ ἔχουσιν ἐπερειδομένην τῇ ἀληθείᾳ· ὅθεν καὶ ὀλισθηρὸν τὸ γένος τῶν τοιούτων θρεμμάτων, ὡς ἂν μὴ σχιδανοπόδων ὄντων, μηδὲ τῇ διπλόῃ τῆς πίστεως ἐπερειδομένων. Οὐδεὶς γάρ κ. τ. λ.

Ἐμπαλίν τε αὖ ἀκάθαρτα ὁμοίως κἀκεῖνα, ὅσα διχηλεῖ μέν, μηρυκισμὸν δὲ οὐκ ἀνάγει. Ταύτῃ γὰρ τοὺς αἱρετικοὺς ἐνδείκνυται, ὀνόματι μὲν πατρὸς καὶ υἱοῦ ἐπιβεβηκότας· τὴν δὲ τῶν λογίων ἀκριβῆ σαφήνειαν λεπτουργεῖν καὶ καταλεαίνειν ἐξασθενοῦντας, πρὸς δὲ καὶ τὰ ἔργα τῆς δικαιοσύνης ὀλοσχερέστερον, οὐχὶ δὲ ἀκριβέστερον μετερχομένους. Εἴγε καὶ μετέλθοιεν, τοιούτοις τισὶν ὁ κύριος λέγει, Τί με λέγετε κύριε κύριε, καὶ οὐ ποιεῖτε α λέγω; ἀκάθαρτοι δὲ πάμπαν, οἱ μὴ διχηλοῦντες μηδὲ ἀνάγοντες μηρυκισμόν.

Pergit Semlerus §. xv, p. 357: Etsi haud dubie lectores mirabuntur rei, quam indicavi, novitatem: tamen multo magis credo omnes mi-

raturos esse rei hanc indolem, ut a destinato furto atque impostura vix abesse possit ille scriptor, qui ista suam in rem corrasit, licet non commodissima aut consilio maxime apta. Nempe contr. haer. III, 21 admonet ille Irenaeus de Aquilae et Theodotionis illa interpretatione loci Iesaiae VII, qui *νεᾶνις* posuerint loco *παρθένος*, quod legatur in interpretatione *τῶν ο΄*; cuius ut praestantiam et auctoritatem adversus novam translationem [defenderet], ista iam scripsit; graecum vero textum Irenaei nomine excitavit Eusebius h. e. V, 8 et post eum Nicephorus lib. IV, 14. Nec ulla suspicio eruditis viris de ea re adhuc subnascebatur, haec *aliunde* desumta esse. Iam vero postquam isto primo exemplo patet, hunc scriptorem omnino omnem tractationem de animalibus fissarum ungularum ex Clemente surripuisse, auctore ne nominato quidem: facilius mihi dabunt eam veniam, quod contendere audeo, etiam hanc narrationem derivatam esse ex Clemente Alexandrino.

At vero non est, quod Semlerum ulterius sequar. Lectores igitur rogatos velim, ut aut comparationem, quam l. l. exhibet Semlerus, aut Clem. Alex. Strom. lib. I. p. 409 ss. edit. Potterianae adeant, quem locum inde a verbis: *ἑρμηνεύθηναι δὲ τὰς γραφάς κ. τ. λ.* conferant cum Iren. adv. haer. III. 21. 2., praeterea locum Clem. Al. Strom. l. II. p. 499 a verbis: *τὸ κατ᾽ ἀρετὴν τελειότατον* comparent cum Iren. III. 25. 5.: *quibus religiosior* seqq. Namque Semlerus putat, loco citato Irenaeum ex Clemente Al. locum Platonis exscripsisse [1]).

Quaerentibus nobis, quid Semlero de Irenaei libris certum fuerit, mirum non est, viro critica quadam audacia, ne dicam temeritate, vincto de adulterina operis adv. haer. indole persuasum fuisse. Quum certa firmaque historica fides viro rerum ad historiam ecclesiae spectantium peritissimo ita contemnenda videretur, ut modo Tertullianum ex Irenaeo, modo Irenaeum ex Clemente Alexandrino furatos esse diceret, mihi quidem Semleri opinio non adeo mira visa est, scripta Irenaei et Tertulliani cum multis aliis, quae sub nominibus patrum ecclesiasticorum circumferuntur, a nonnullis impostoribus esse fabricata et supposita. Hanc enim opinionem diss. in Tert. p. 262 prodit his verbis: Forte tandem aliquid lucis colligere licet post tam longi temporis tenebras; ex una et eadem officina quidam libri videntur prodiisse, quos studiosissime solebant variis et diversis scriptoribus dividere. Antiquissima fuit haec societas et impensa sive ab uno sive a duobus diligentia, quae cum romana illa tam graeca quam latina societate nova videtur sic cohaerere, ut communi consilio operam dederint.

Non nego quidem, Semleri de Irenaeo sententias a Walchio haud male esse refutatas. Attamen authentiam operis adv. haer. majore vi ac strenuitate probari posse idcirco semper arbitratus sum, quod Semlerum a perversis, nedum insanis, opinionibus non recessisse constat ex Praefatione, quam vir doctus in volumen VI. operum Tertulliani anno post scripsit, quam Walchii commentatio typis excusa erat [2]).

1) Cf. Semleri commentatio de cavenda molesta sedulitate sacra ad corrigendas quasdam Irenaei et Tertulliani sententias. Halae 1773. Ibi enim vir doctus notat nonnulla, quae in diss. in Tert. accuratius commemorata sunt. 2) Cf. Moehleri Patrologiam ed. Reithmayr. p. 337. atque quae ipse in Erschii et Gruberi Encyclop. Sect. II. Tom. XIII. p. 378 ss. sub voce „Irenaeus“ exposui.

CHRISTIANI GUIL. FRANCISCI WALCHII

DE

ΑΥΘΕΝΤΙΑΙ

LIBRORUM IRENAEI ADVERSUS HAERESES COMMENTATIO [1]).

Consilium, quod cepi, de fide auctoritateque Irenaei paullo accuratius coram vobis disputandi, natum esse lubens fateor ex vener. Ioann. Salom. Semleri infringendi eam labefactandique studiis. Quo maior enim est rerum praestantissimarum copia, quas ex Irenaei libris se didicisse omni fere tempore gravissimi viri testati sunt, quasve nos ipsi ex eodem fonte haurire pergimus; eo sanctius mihi esse videtur viri boni officium in eo iustam collocandi curam, ut num recte viro et quibus nomen ejus inscribi soleat monimentis credamus, an fraudatorum fortasse impudentia decipi nos patiamur, et nobis et aliis constet argumentis certis et expeditis. Fieri posse nemo infitiabitur, ut per longum tempus veteris scriptoris opera nonnulla habeantur germana et vera, quae ut falsa esse et cui adscribantur, auctoris aut ingenio et doctrina, aut aetate indigna iudicent, posteri commoveantur. Fas igitur est, audiri eos, qui licet ante eos nemo de huius generis librorum vetustate aut scriptore dubitaverit, primi nunc dubitare audent, et quas proferunt dubitandi caussas expendi consideratius harumque pretium animo candido, neque ullis nisi verum exquirendi studiis ducto, aestimari. Omnis enim historiae dignitas utilitasque nititur, tanquam suo fundamento, auctoritate et fide testium, rerumque gestarum memoriae perinde perniciosum est et pestiferum, falsos et subornatos producere testes, ac bonos religiososque sine caussa repudiare et ad illorum gregem abiicere. Ut vero candide et cordate agamus, omnia sedulo conquirenda et, ut ab aliis rite intelligantur, perspicue proponenda sunt, quae testis in suspicionem vocati existimationem aut confirmant, aut minuunt et convellunt. Hoc negotium licet arduum saepe sit et difficile, eo magis tamen necessarium est, quo negligentiores observamus viros doctos fuisse in explicandis comprobandisque, cur veteri scriptori et ipsi credant et alios velint credere, caussis, cuius auctoritatem nesciebant unquam contemni aut adduci in controversiam. Similis certe fuit Irenaei sors. Omnes enim, quamvis de religione dissidiis aliarumque de rebus antiquioris aevi christianis sententiarum varietate a se invicem sint disiuncti, in admittenda laudibusque extollenda eius fide mirifice videbis consen-

1) Haec commentatio, a doctissimo Walchio in Societate Regia scientiarum Gottingensi recitata d. VI. Aug. MDCCLXXIV, typis expressa est in Novis commentariis Societatis Regiae scientiarum Gotting. Tom. V. Gotting. 1775. A. St.

tire, quemlibet intelliges honoris quid aut ornamenti suis opinionibus suaeque factioni ex tanto nomine conciliandi esse studiosum; neminem tamen novi de colligendis declarandisque caussis cogitare, cur testimoniis Irenaei sit credendum.

Quaecunque hac de re dici possunt, pertinent ad quinque contra haereses libros, quos nostis Irenaei, Lugdunensium sacrorum praesulis saeculo a Christo nato secundo clari, [nomine] ornari. De his pauca, quae huic disputationi lucem spondent, praemonere libet. Graece eos scriptos esse, nemo nostra aetate negabit, nec dubitabit quidem, modo si oculis suis illos unquam usurpaverit, et alia rei argumenta habuerit cognita, quae docti viri luculenter exposuerunt. [1])

Perierunt quidem graeca, ita ut, quantum novimus, nullus in Europae bibliothecis supersit codex, qui eadem exhibeat integra; nec tamen perierunt omnia, sed in aliorum scriptorum graecorum monimentis servatae sunt insignes graeci textus partes, modo breviores modo longiores, quas salutari consilio a Grabio et Massueto diligentissime collectas et Latinis adpositas videmus. Utimur ergo opportunitate de Irenaei libris non ex sola eorum versione, quod perperam nonnulli suspicantur, sed ex fontibus ipsis iudicandi.

Totius vero operis versio illa integra ad nostram pervenit aetatem et in manibus omnium versatur. Quonam tempore eadem confecta sit, magnam habet dubitationem. Multi eam aetati Irenaei, hoc est, saeculi secundi fini, vel tertii initiis, putant esse aequalem, quod legisse eam Tertullianus illis videtur. Sed his contradixit Dodwellus [2]) maluitque eam referri ad exitum saeculi quarti, quo Priscilliani secta orta est et in Hispania Galliaque priscos Gnosticorum errores renovavit, in Irenaei libris operose enarratos et convulsos; nec male monuit, Augustinum eodem tempore clarum illa esse usum. Nostra aetate monachi Parisienses [3]) ulterius progressi sunt reieceruntque eam ad barbarum saeculi VI. aevum, ob squalidam et vere barbaram latinitatem, qua quisquis ille fuerit interpres Graeca donaverit. At nec his adsentior. Barbariem orationis non nego, sed talem esse nunquam crediderim, quali saeculo sexto gentes, quae Romanas provincias in suam redegerunt potestatem, latinam linguam corruperunt et depravarunt. Omnes enim sentire oportet, graeculum fuisse hominem, qui puerorum more non sermonem illum, sed verba singula transferret, et quum in compositis maxime haereret, nova et inaudita fingeret, quae, nisi in aliis medii aevi monimentis deprehendantur, inter barbarae illius latinitatis specimina numerari nequeunt.

Mihi quidem placet eorum prudentia, qui quum sine testis auctoritate nihil historici argumenti recte dici intelligant de origine versionis eiusque aetate — quisnam enim unquam vidit aut produxit de utraque testem? — nihil definiunt, suamque ignorantiam illis certe non propriam sed cum omnibus communem fateri malunt. Sufficit nobis, eam non recentiore aetate, sed vetere esse factam et codices eius satis antiquos

---

1) Cf. Henr. Dodwellum *diss.* V. *in Iren.* §. 1. p. 391. Renat. Massuetum diss. II. *praev. in Iren.* §. 51. p. 226. Remig. Ceillerium in *histoire des auteurs sacr. et ecclesiast.* To. II. p. 197. et Benedictinos Maurianos in *histoire litteraire de France.* To. I. part. I. p. 334. 2) Lib. c. p. 397 seqq. 3) Loc. cit. p. 335.

inveniri. Haec ipsa interpretatio licet ab omni elegantia sit aliena, barbara et quibusvis fere dictionis latinae vitiis inquinata, nec negari possit, librariorum non modo negligentia sed inscitia etiam eandem saepenumero videri novis corruptelis auctam; fidelitatem tamen interpretis in auctoris verbis exprimendis nullam esse caussam desiderandi aut vocandi in suspicionem, denuo ex tot particularum, quae graece a nobis leguntur, cum latinis comparatione luculenter cognoscitur. Subinde transtulit inepte: sed nunquam malitiose, nunquam pervertendi scriptoris mentem, aut quae hic scripserit corrigendi, augendi, omittendi consilio. Ex quo consequens id est, quod hoc loco studiose cupio observari, ut quae de fide Irenaei disputantur aequabilia sint et paria inter omnia, quae nunc legimus in his libris, sive in sola versione latina supersint, sive tanquam tabulae e naufragio a Graecis fuerint servata.

At vero Noster non modo graece suos commentarios scripsit, sed etiam Graecis eosque ad Graecos misit. Quicunque eos consuluerint, eos haud fugiet, suscepisse et perfecisse auctorem opus ab amico expetitum. Operae pretium est colligere et secum contendere luculenta rei testimonia. In praefatione libri primi, quam Epiphanius graece recitavit, occurrunt bina, quorum prius ita expressum est [1]): *ἀναγκαῖον ἡγησάμην, ἐντυχὼν τοῖς ὑπομνήμασι τῶν, ὡς αὐτοὶ λέγουσιν, Οὐαλεντίνου μαθητῶν, ἐνίοις δ' αὐτῶν καὶ συμβαλὼν καὶ καταλαβόμενος τὴν γνώμην αὐτῶν, μηνῦσαί σοι, ἀγαπητέ, τὰ τερατώδη καὶ βαθέα μυστήρια, ἃ οὐ πάντες χωροῦσιν, ἐπεὶ μὴ πάντες τὸν ἐγκέφαλον ἐξεπτύκασιν, ὅπως καὶ σὺ μαθὼν αὐτά, πᾶσι τοῖς μετὰ σοῦ φανερὰ ποιήσῃς καὶ παραινέσῃς αὐτοῖς φυλάξασθαι τὸν βυθὸν τῆς ἀνοίας καὶ τῆς εἰς Χριστὸν βλασφημίας,* alterum vero [2]): *οὐκ ἐπιζητήσεις δὲ παρ' ἡμῶν τῶν ἐν Κελτοῖς διατριβόντων καὶ περὶ βάρβαρον διάλεκτον τὸ πλεῖστον ἀσχολουμένων λόγων τέχνην, ἣν οὐκ ἐμάθομεν — — — ἀλλὰ ἁπλῶς καὶ ἀληθῶς καὶ ἰδιωτικῶς τὰ μετὰ ἀγάπης σοι γραφέντα, μετὰ ἀγάπης σὺ προσδέξῃ καὶ αὐτὸς αὐξήσεις αὐτὰ παρὰ σεαυτῷ, ἅτε ἱκανώτερος ἡμῶν τυγχάνων, οἱονεὶ σπέρματα καὶ ἀρχὰς λαβὼν παρ' ἡμῶν καὶ ἐν τῷ πλάτει σου τοῦ νοῦ ἐπὶ πολὺ καρποφορήσεις τὰ δι' ὀλίγων ὑφ' ἡμῶν εἰρημένα καὶ δυνατῶς παραστήσεις τοῖς μετὰ σοῦ τὰ ἀσθενῶς ὑφ' ἡμῶν ἀπηγγελμένα· καὶ ὡς ἡμεῖς ἐφιλοτιμήθημεν πάλαι ζητοῦντός σου μαθεῖν τὴν γνώμην αὐτῶν μὴ μόνον σοι ποιῆσαι φανερὰν ἀλλὰ καὶ ἐφόδια δοῦναι πρὸς τὸ ἐπιδεικνύειν αὐτῶν ψεύδη· οὕτω δὲ καὶ σὺ φιλοτίμως τοῖς λοιποῖς διακονήσεις.* Simili modo sub finem eiusdem libri [3]): *quapropter conati sumus nos,* inquit, *universum male compositae vulpeculae hujus corpusculum in medium producere et per te facere manifestum, — — adest enim et tibi et omnibus, qui tecum sunt, ad haec, quae praedicta sunt, exerceri et evertere nequam ipsorum doctrinas. Tertii* deinde libri hoc est initium [4]): *tu quidem, dilectissime, praeceperas nobis, ut eas, quae a Valentino sunt, sententias absconditas, ut ipsi putant, in manifestum proderem,* cet.; porro *quarti* [5]): *hunc quartum librum, dilectissime,*

1) N. 2. p. 3. edit. Massueti. 2) N. 3. p. 4. 3) Cp. XXXIV. N. 4. p. 113.
4) p. 173. 5) p. 227.

transmittens tibi, operis quod est de detectione et eversione falsae cognitionis, quemadmodum promisimus per Domini sermones ea, quae praediximus, confirmabimus, uti et tu, sicut postulasti, undique a nobis accipias occasiones ad confutandos omnes haereticos, cet. denique *quinti*[1]*: traductis, dilectissime, omnibus haereticis in quatuor libris — — — — oportebit et te et omnes lecturos hanc scripturam impensius legere ea, quae a nobis praedicta sunt, ut et argumenta scias, adversus quae contradictiones facimus. Sic enim et legitime eis contradices et de praeparato accipies adversus eos contradictiones.* Quae si consideraverimus, iure inde colligemus: *primum,* scriptorem eo tempore vixisse inter Gallos, et quum ipse esset homo peregrinus, ad comparandam sibi linguae *barbarae,* sive haec celtica fuerit, sive, quod probabilius multis videtur, latina[2]), eam contulisse diligentiam, ut graecae exercitatione fere omni careret; *deinde* rogatum eum fuisse ab amico, quem *ἀγαπητόν, dilectissimum* compellat, eumque et doctrina se praestare testatur; neque obscure significat, tenuisse inter doctores locum et officio fuisse obstrictum, cavendi, ne *qui cum illo essent,* hoc est, eius auditores, gravissimis caperentur erroribus; *tum* rogasse hunc amicum, ut absconditam Valentinianorum maxime disciplinam erueret e tenebris, sicque convellendi eos viam pararet et communiret; *denique* Nostrum his precibus eo consilio satisfecisse, ut et amicus arcana illa dogmata intelligeret et in aliorum usus feliciter converteret. Num amicus ille episcopi honore fuerit conspicuus, ego quidem definire non audeo, licet nec caussa adsit contradicendi illis, qui ita sentiunt[3]); hoc tamen tutius adfirmare licet, vixisse amicum in regione, quae a Valentini sectatoribus eorumque artibus, alios ad suas partes deducendi, maxime metuebat. Valentini familiam vero, licet alibi quoque sedes suas collocare tentaverit, maxime in Aegypto et Oriente floruisse, nemo ignorat. In Aegypto et Marcosiani fuerunt; nec ullo modo ex Irenaei commentariis probatur, quod manifesto Hieronymi errore seducti nonnulli contendunt, Marcum eadem cum Irenaeo aetate in Gallia sua sparsisse commenta[4]), licet nonnullos ex eius discipulis in eam penetrasse scripserit. Simili modo fatetur Noster, usum se esse nonnullis Valentini adseclis familiariter et ex illis perinde ac ex libris Valentinianorum horum sententias didicisse; sed in Gallia idem contigisse nunquam dixit. Haec quidem aperte docent, insigniter falli, qui opus hoc putant Gallorum aut aliorum Latinorum usibus fuisse destinatum, alios vero sine caussa mirari, longe frequentius illud in Graecorum manibus versari consuevisse, quam Latinorum. Quamvis enim in Gallia fuerit compositum, missum tamen fuit in Aegyptum aut Asiam minorem, unde in alias Orientis provincias facile penetrare, in occidentalibus vero quasi ignorari potuit, donec latinitate donatum in patriam quasi rediret. Post haec aevo medio, id est litteris infesto, accidit, ut inter Graecos libri graece scripti interirent, latina vero eorum interpretatio librariorum opera et diligentia ad nostram aetatem perveniret. Idem nostis antiquissimo Hermae libro, *pastoris*

---

1) p. 291. 2) Conf. Dodwellum p. 393. 3) v. *Histoire litter. de France.* To. I. p. 330. 4) Conf. *haeresiologiae* a me editae To. I. p. 380. 394 seqq.

titulo ornato, accidisse, ut sola supersit versio latina; graecum vero exemplum periisse censeatur [1]). Qui vero in memoriam revocaverit, ista tempestate arctiori amicitiae et litterarum commercii vinculo cohaesisse Christianos Asiam colentes cum Gallis [2]), is certe ne dubitabit quidem, potuisse ab homine Aegyptio aut orientali rogari amicum cum Gallis viventem, ut enarrandis haereticorum opinionibus, quas noverat huic perspectas esse, daret operam; aut hunc quod ab eo exspectabatur illi tribuere officium.

Hos igitur libros si vere ab Irenaeo lugdunensi episcopo scriptos esse, idoneis argumentis potest confici; tum certe de eorum auctoritate et historica fide rectum fertur iudicium. Criticae artis legibus expeditum est, ad huius generis disputationem apte instituendam hoc requiri, ut sedulo disquiramus, *primum,* num Irenaeus composuerit adversus haereses libros, *deinde,* num si quos conscripserit, iidem fere sint cum his, quibus nunc utimur.

Quod primo loco positum est, quum in rerum, quae factae sunt et longo abhinc tempore contigerunt, numero sit, de eo quidem recte cognoscendi nulla cogitari possunt principia, nulli fontes, nisi testium effata. Commemorarunt veteres, Irenaeum contra eos, qui sua aetate doctrinam christianam erroribus corrumpere studuerunt, sedulo et eleganter pugnasse editisque scriptis eos confutasse. Primum ex actatis ratione locum tenet Tertullianus, cuius satis celebre est hoc effatum [3]): *nec undique dicemur ipsi nobis finxisse materias, quas tot iam viri sanctitate et praestantia insignes, nec solum nostri antecessores, sed ipsorum haeresiarcharum contemporales, instructissimis voluminibus et prodiderunt et retuderunt, ut Iustinus philosophus et martyr, ut Miltiades, ecclesiarum sophista, ut Irenaeus, omnium doctrinarum curiosissimus explorator, ut Proculus noster, virginis senectae et christianae eloquentiae dignitas: quos in omni opere fidei, quemadmodum in isto, optaverim adsequi.* Dicta haec esse de nostro opere, non solum ex ipso huius consilio colligitur; vere enim oppositum fuit Valentini scholae, contra quam Tertullianus scripsit libellum, unde haec desumta sunt, sed maxime etiam mirifico eorum, quae Irenaeus et Tertullianus de Valentinianorum disciplina prodiderunt, consensu confirmatur, ita ut hunc, quae ille scripserat, ante suos oculos habuisse neque exiguam eorum partem transscripsisse, iusta sit statuendi caussa. In comparandis utriusque scriptoris monimentis et quae in his sibi similia sunt, locis congerendis neminem novi maiorem collocare diligentiam ven. Semlero [4]); idem tamen nonnulla non testium auctoritate, sed ratiocinatione munita adiecit, quae nisi diluantur, excitati a me testimonii vim et pretium imminui oportet. Non sine injuria Tertullianum insimulavit criminis, quod plagii litterarii nomen fert. Postquam enim sub initio sui libelli ingenue confessus est, se sua ex quatuor *antecessorum,* quorum nomina recitat singulorumque laudes praedicat, commentariis didicisse, cur opus fuerit, ubivis repetere Ire-

1) Eleganter id monuit Dodwellus. p. 408. 2) Conf. Theod. Ruinarti *act. martyr.* p. 54. Edit. Venet. *Histoire litter. de la France.* To. I. p. 228, 290. et Paullini de Lumina, *histoire de l'église de Lyon.* To. I. p. 39. 3) Advers. Valent. cap. V. To. III. Oper. p. 143. Edit. Halens. 4) Diss. I. in Tertullian. adiecta Vol. V. §. 12. p. 300.

naei nomen, ego quidem tantum abest ut ullam intelligam caussam; ut verear, ne, si fecisset, intempestivae sedulitatis contraxerit sibi suspicionem. Accedit, postquam oculis manibusque nostris erepta sunt, quibus praeter Irenaeum usus est magistris, Iustini, Miltiadis et Proculi monimenta, admodum difficilem et arduam nunc esse coniecturam, ex quibus fontibus singulas narrationes historicas, et qui in his omnino reponi debent, Valentinianorum somnia in suos rivulos deduxerit Afer. Probe enim tenendum est, Tertulliani libello manifesta impressa esse vestigia dissensus ab Irenaeo. Quaestiones binae, quas proponit venerandus Semlerus, facile expediuntur. Priorem enim, quomodo isto iam tempore Tertullianus Irenaei libros oculis et manibus suis usurpaverit, cur protulerit, nec probaverit, rem vere esse *ἀδύνατον*, aeque miror, ac cur non recordatus sit, quae ante seculi II. exitum ab Irenaeo edita fuerint, potuisse post initium tertii [1]) Carthagine legi. Ad posteriorem, quo iure sic fecerit Tertullianus, ut ex graeco sublegeret sua, et latine repeteret, quae ille creditur scripsisse graece, quid recte respondeatur, id quidem ipsa interrogatione videtur mihi luculenter esse expressum. Quum enim quatuor illi rerum Valentinianorum scriptores ad unum omnes graece easdem retulissent; latina autem Irenaei versio vel nondum confecta, vel a Tertulliano nondum visa fuisset; hic vero illas nollet a civibus suis ignorari, sapienter idem fecit, quod, ut ex innumeris unum exemplis adiiciam, Cicero fecit, qui in libris philosophicis latine repetiit, quae ex graecis selegerat. Hactenus de Tertulliano.

Post hunc prodeat Eusebius Caesareensis, diligentissimus et sincerus rerum in christiana civitate gestarum pronuntiator. Is vero quum saepissime de Irenaeo nostro locutus est eumque magnis ornavit laudibus, sufficiat ea nunc colligere, quae de opere adversus haereticos ab illo scripto reliquit, loca. I. Postquam de Simonis magi erroribus ex Iustino martyre nonnulla recitaverat, ita pergit [2]): *συνάδει δ' αὐτῷ καὶ ὁ Εἰρηναῖος ἐν πρώτῳ τῶν πρὸς τὰς αἱρέσεις*, adiicitque, se nolle Irenaei repetere narrationes, quod quicunque velint, facili negotio ipsi inspicere queant eius librum, quo haeresium origines, dogmata, mores, instituta et his similia studiose sit persecutus. II. Alibi [3]) ubi Ioannem apostolum Domitiani aetatem attigisse testes produxit *fide dignos* ob insignia, quibus enitebant, ecclesiasticam doctrinam tuendi et conservandi puram studia, alterum Irenaeum, alterum Clementem Alexandrinum, sequuntur haec verba: *ὧν ὁ μὲν πρότερος ἐν δευτέρῳ τῶν πρὸς τὰς αἱρέσεις ὧδέ πως γράφει κατὰ λέξιν*, et paucis interpositis: *καὶ ἐν τρίτῳ δὲ τῆς αὐτῆς ὑποθέσεως ταὐτὸ τοῦτο δηλοῖ διὰ τούτων*. III. Quae breviter de Menandro prodidit, eadem, monet, *ἐκ τῶν Εἰρηναίου διαγνῶναι ῥᾴδιον*. [4]) IV. Similiter de Cerintho [5]): *ὁ δὲ Εἰρηναῖος ἀποῤῥητοτέρας δή τινας τοῦ αὐτοῦ ψευδοδοξίας ἐν πρώτῳ συγγράμματι τῶν πρὸς τὰς αἱρέσεις προθείς, ἐν τῷ τρίτῳ καὶ ἱστορίαν — — παρέδωκεν*. V. Ubi de Cerdone exscripsit Irenaei effatum, addit [6]): *ταῦτα δέ φησιν ἐν τρίτῳ τῶν πρὸς τὰς αἱρέσεις*. VI. Porro ex Irenaeo testatur

1) Conf. ven. Jo. Aug. Noesselt de aetate ac doctrina script. Tertulliani. p. 89.
2) Hist. eccles. lib. II. cap. 13. p. 57. edit. Taurin. 3) Lib. II. cap. 23. p. 98.
4) Libr. III. cap. 26. p. 106. 5) Lib. III. cap. 27. p. 108. 6) Lib. IV. cap. 11. p. 133.

se accepisse, quae de congressu Polycarpi cum Aniceto ad paschalem controversiam componendam narravit, haecque adiicit [1]): *καὶ ἄλλην δὲ ὁ αὐτὸς περὶ τοῦ Πολυκάρπου παραδίδωσι διήγησιν, — — ἀπὸ τοῦ τρίτου τῶν πρὸς τὰς αἱρέσεις Εἰρηναίου.* VII. Quum Irenaeum post Pothinum sacris Lugdunensibus gubernandis admotum fuisse narrasset, subiecit haec [2]): *οὗτος τῶν ἐπὶ Ῥώμῃ τὴν διαδοχὴν ἐπισκόπων ἐν τρίτῃ συντάξει τῶν πρὸς τὰς αἱρέσεις παραθέμενος, εἰς Ἐλεύθερον — — ὡς ἂν δὴ κατ' αὐτὸν σπουδαζομένης αὐτῷ τῆς γραφῆς, τὸν κατάλογον ἵστησι.* VIII. Interpositis Irenaei verbis pergit [3]): *ταῦτα ὁ Εἰρηναῖος — — ἐν οἷς ἐπέγραψε πέντε οὖσι τὸν ἀριθμὸν ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, ἐν δευτέρῳ τῆς αὐτῆς ὑποθέσεως, κ. τ. λ.* IX. Quum, quae Irenaeus de libris novi foederis reliquit, testimonia diligenter percensuit, expressis verbis dixit: [4]) *ταῦτα μὲν οὖν ἐν τρίτῳ τῆς εἰρημένης ὑποθέσεως τῷ προδηλωθέντι εἴρηται· ἐν δὲ τῷ πέμπτῳ περὶ τῆς Ἰωάννου ἀποκαλύψεως — — — διαλαμβάνει.* Colligamus nunc ex Eusebii effatis, quae de Irenaei libris ei fuerunt cognita. Quae quidem haec sunt; I. scripsisse Irenaeum Lugdunensem libros adversus haereses *quinque*, ex quibus singulatim *primum* bis, *secundum* totidem, *tertium* sexies, *quintum* semel notavit: II. titulum *ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως* iis fuisse inscriptum: [5]) III. in iisdem Irenaeum non modo contra purioris doctrinae hostes pugnasse, sed etiam in enarrandis eorum opinionibus multam posuisse curam: IV. Eusebio videri eos compositos eo tempore, quo Eleutherus Romanis sacris praefuit, quod in hoc desinat episcoporum urbis series ab Irenaeo proposita: V. Eusebii denique aetate hos Irenaei libros frequentes in aliorum manibus fuisse, ita ut quicunque voluerint, facile copiam eos legendi nancisci possent.

Basilius quum veterum de spiritu sancto sententias recensere instituisset, honorificam Irenaei fecit mentionem eumque ab apostolis prope abfuisse scripsit et nonnullas particulas *ἐν τῷ πρὸς τὰς αἱρέσεις λόγῳ* positas recitavit [6]).

Pari modo Cyrillus Hierosolymitanus haereticos commemorat de spiritu sancto nefarios protulisse errores, idque ex Irenaeo *ἐν τοῖς προστάγμασι τοῖς πρὸς τὰς αἱρέσεις* fusius disci monuit [7]).

Epiphanium magnam eorum, quae de haereticis saeculi secundi in suos commentarios retulit, ex Irenaei libris hausisse, nullam habet dubitationem. Nomen quidem eius expressit rarius, expressit tamen ita, ut eum non modo nostros libros legisse, sed eosdem etiam ab Irenaeo profectos credidisse quisque sentiat. Sic ubi de Basilide agit [8]), *θαυμαστῶς δέ*, inquit, *ὁ μακάριος Εἰρηναῖος, ὁ τῶν ἀποστόλων διάδοχος, περὶ τούτου λεπτολογῶν, διήλεγξε τούτου τὴν ἀβελτηρίαν καὶ ἀδράνειαν.* Alibi sub initio disputationis de Valentinianis, de consensu sanctissimi

---

1) Libr. IV. cap. 14. p. 137. 2) Libr. V. cap. 5. p. 187. 3) Libr. V. cap. 7. p. 187. 4) Lib. V. cap. 8. p. 189. 5) Convenienter haec et Irenaei praefationibus, quatuor libris posterioribus praemissis et aliorum testimoniis et codicibus adeo latinis, scripsisse Eusebium, docet Massuetus diss. II. §. 46. 6) De spiritu sancto cap. XXIX. To. III. Oper. p. 61. edit. Benedict. 7) Catech. XVI. ad illum. num. 6. p. 246. edit. Toutaei. 8) Haeres. XXIV. §. 8.

Irenaei [1]) gloriatur longamque adfert orationem, sumtam *ἀπὸ τῶν τοῦ προειρημένου ἀνδρός, δούλου Θεοῦ*, cum additamento: *Εἰρηναῖον δέ φημι*,[2]) eadem vero finita, invidendis laudibus prosequitur Irenaeum, eumque *ἐν τῷ ἕξῆς δευτέρῳ αὐτοῦ λόγῳ καὶ τοῖς ἄλλοις* confutasse praedicat.[3])

Cum Epiphanio aetate coniunctus fuit Hieronymus, qui et diligentiae, quam in conquirendis enumerandisque scriptorum christianorum monimentis primus collocavit, et ex his vera a falsis discernendi studii laude non sine caussa celebratur. Reliquit vero plura, quae ad hunc locum pertinent testimonia.

I. De Irenaeo quum data opera exponit, cum *Pothini, qui Lugdunensem in Gallia regebat ecclesiam, presbyterum*; hoc vero *prope nonagenario ob Christum martyrio coronato, in locum ejus substitutum* fuisse, narrat et addit: *scripsit quinque adversus haereses libros* [4]). II. Alibi de haereticis eorumque commentis, inquit. *diligentissime vir apostolicus scribit Irenaeus, episcopus Lugdunensis et martyr, multarum origines explicans haereseon* [5]).

III. Humani quid passus est Hieronymus, quum hoc loco, quae Irenaeus de Marci discipulis dixerat, de Marco intelligeret, repetiit tamen errorem, his usus verbis: *refert Irenaeus, vir apostolicorum temporum — — episcopus Lugdunensis,* et finivit orationem hac clausula: *hoc ille scripsit ante annos circiter trecentos* (hic Hieronymum aut fefellit memoria, aut vocula *circiter* abusus est, alibi enim aetatem Irenaei satis recte significavit) *et scripsit in iis libris, quos adversus omnes haereses doctissimo et eloquentissimo sermone composuit* [6]). IV. Denique quum litterarum philosophicarum studia laudaret et exemplis illustrium christianae disciplinae magistrorum commendaret, Irenaeum, Pothini martyris successorem, cum aliis nominavit, *qui origines haereseon singularum et ex quibus philosophorum fontibus emanaverint, multis voluminibus explicarunt* [7]). Consulto nunc praetermitto alia Hieronymi effata, quibus Irenaei fecit mentionem, neque obscure se opus illud adversus haereses in mente habuisse significavit. Sufficiunt certe haec, ut intelligamus. Hieronymum non solum libros illos quinque bene cognovisse, sed etiam aperte esse testatum, editos eosdem fuisse ab Irenaeo, Lugdunensium sacrorum post Pothinum praesule.

His denique unicum addere liceat Theodoretum, magnae et variae eruditionis virum, qui quae de vetustissimis haeresibus enarraverit, accepisse se, ut decet bonum historicum, confessus est [8]) *ἐκ τῶν παλαιῶν τῆς ἐκκλησίας διδασκάλων, Ἰουστίνου τοῦ φιλοσόφου καὶ μάρτυρος* [9]), *καὶ Εἰρηναίου τοῦ τὰ Κελτικὰ καὶ γεωργήσαντος καὶ φωτίσαντος ἔθνη, κ. τ. λ.* Quum somnia et flagitia, quae de Carpocrate eiusque adseclis tradi solent, strictim attigisset, ne fingi huiusmodi criminationes

---

1) Haeres. XXXI. §. 3. 2) §. 9. 3) §. 33. 4) Catal. viror. illustr. cap. XXXV. To. II. Oper. p. 873. edit. Valarssii. 5) In Jes. LXIV. To. IV. Oper. p. 761. 6) Epist. ad Theodor. Martian. L. III. Vallars. LXXV. No. 3. To. I. Oper. p. 447. 7) Epist. ad Magn. Martian. LXXXIV. Vallars. LXX. p. 426. 8) Praef. haeret. fabul. To. IV. Oper. p. 280. edit. Schulzii. 9) Iustinum reliquisse contra omnes haereses libros nunc deperditos, norunt omnes. Hinc quale Irenaei opus Cyrensis laudet, tuto concluditur.

quis suspicetur, testem excitavit Irenaeum, qui occidentem christianae religionis luce collustraverit, virum apostolicum, eiusque excitatis verbis haec praemisit[1]): *λέγει δὲ οὗτος ἐν τῷ πρώτῳ βιβλίῳ τῶν εἰς τὰς αἱρέσεις συγγραφέντων αὐτῷ.* Eundem Theodoretum scripsisse qui supersunt dialogos tres, *Ἐρανιστοῦ ἢ πολυμόρφου* nomine insignitos, licet nonnulli dubitaverint; ut tamen ipse firmiter credam, quibus caussis commoveri me patiar, alibi declaravi[2]). Quisquis vero illos legerit, nosse eum oportet, singulis dialogis subiecta fuisse antiquiorum doctorum loca, quorum auctoritate sententiae de persona Christi in iis propositae confirmentur. In horum numero omnino repositum videbis Irenaeum, episcopum Lugdunensem, recitataque eius effata quamplurima et magnam partem longiora *ἐκ τοῦ τρίτου λόγου τῶν εἰς τὰς αἱρέσεις*[3]), *ἐκ τοῦ τετάρτου λόγου τῶν εἰς τὰς αἱρέσεις*[4]), et *ἐκ τοῦ πέμπτου λόγου τῆς αὐτῆς πραγματείας*[5]). Sic et Theodoretus usus est *libris adversus haereses*, eorumque auctorem habuit Irenaeum; neque ignoravit certe, quis qualisve is fuerit.

In tot igitur tamque gravium testium effatis innititur opinio, Irenaeum Lugdunensem exarasse adversus haereticos commentarios. Quisquis criticae artis leges, quibus rerum gestarum veritas diiudicetur aut testium fides aestimetur, habuerit perspectas, is certe non infitiabitur, sive testium, quos produxi, numerum et praestantiam — nemo enim eorum fraudis, aut per iocum petulantiamque fallendi alios libidinis hoc loco sine iniuria insimulabitur, neque ullus eorum sua ex altero sumsisse arguetur — sive testimoniorum, quae ediderunt, integritatem et perspicuitatem consideraverit, aut ita esse, uti dixi, aut nihil veri inesse veterum temporum memoriae. Accedit, quod sine haesitatione affirmo, ex scriptorum veterum, quos sui ingenii monimenta reliquisse scimus, sive haec supersint, sive interierint, tam Graecorum, quam Romanorum, tam profanorum, quam Christianorum multitudime, si ab Homero, Herodoto, Platone, Cicerone, Augustino, Chrysostomo hisque similibus discesseris, qui tot tamque antiquos operum ab illis conditorum laudatores nacti essent, admodum paucos esse. Neque id negligi a nobis debet, exiguum certe esse monimentorum christianorum, quae ad saeculum tertium referuntur, numerum: maximam eorum partem esse perditam: praeter Tertulliani libellos nihil eorum superesse, qui ad historiam haeresium enarrandam pertinebant: multorum ex scriptoribus ecclesiasticis memoriam a solo Eusebio, immo a solo Hieronymo posteris fuisse commendatam, quibus omnes adsentimur. Quid quaeso est caussae, cur iisdem totque aliis credendi officium denegemus testantibus, Irenaeum auctorem esse contra haereses librorum?

Progredimur ad alteram demonstrationis huius argumenti partem explicandam. Hac vero inquirendi imposita nobis est necessitas, num iidem sint Irenaei adversus haereses libri, quos viderunt, legerunt, laudaverunt scriptores saeculi III. IV. V. cum his, quos in manibus nostris

1) Haeretic. fabul. Libr. I. Cap. 5. p. 294. 2) Hist. haeres. vol. VI. p. 521.
3) Dial. I. p. 51. Dial. II. p. 128. Dial. III. p. 231. laudati operum Theodoreti tomi.
4) Dial. II. p. 129. 5) Dial. III. p. 232.

habemus. Recte id statui et affirmari, multis variique generis constat argumentis, quae in suas classes distribui, operae est pretium.

I. Quaecunque veteres de forma et specie librorum Irenaei referunt, eadem sine discrimine in opere illo, quo nunc utimur, expressa observamus. Utraque eius inscriptio, altera: *adversus haereses*, altera: *detectio et eversio falsi nominis agnitionis*, uti Latinus graeca vertit, a priscis scriptoribus, quorum effata iam protuli, commemoratur; posterior quidem ab Eusebio, prior ab eodem Eusebio, Cyrillo, Hieronymo, Theodoreto. In quinque libros universum opus est divisum. Eandem partitionem confirmant Eusebius et Hieronymus, praeter haec singulatim vidimus enumerari ab Eusebio librum primum, secundum, tertium, quintum; ab Epiphanio secundum: a Theodoreto, tertium, quartum et quintum.

II. Quaecunque veteres libris ab Irenaeo scriptis contineri testati sunt, eadem ad unum omnia in nostris codicibus inveniuntur. Nolo iam repetere, quae ex dictis ab Eusebio, Epiphanio, Hieronymo, Theodoreto per se patent, eos omnes et narrationes de originibus, opinionibus, moribus et institutis, maxime successionibus haereticorum, inde a Simone mago deducendis, et errorum, quos illi disseminarunt, confutationes legisse ab Irenaeo traditas, hoc est, omnia et singula rerum genera, quae nostri codices suo ambitu comprehendunt. Fieri vero nequit, ut hoc loco silentio praeteream insignem Photii diligentiam, qua accuratam librorum Irenaei, quales sua aetate, hoc est, saeculo nono fuerint, graecorum certe descriptionem consignavit, nostris licet latinis mirifice convenientem [1]). Auctorem eorum esse narrat Irenaeum, Lugduni, urbis in Gallia sitae, episcopum, eosdem esse numero quinque, et prae se ferre hanc inscriptionem: *ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως*, sive contra haereses. Pergit, *primo* libro initium fieri orationis a Valentino, deinde eandem quasi regredi et a Simone mago haereses repetere et usque ad Tatianum procedere, additis Gnosticis et Cainitis: *secundo* convelli impia haereticorum dogmata: *tertio* opponi iisdem scripturae sacrae testimonia: *quarto* fieri responsa ad ea, quae illi obiicere consueverint: *quinto* denique ex sermonibus Christi et apostolorum epistolis colligi contra eos argumenta apta [2]). At vero non modo haec universe dicta rem comprobant; sed singula etiam capita, quae ex Irenaei libris veteres allegant. Horum duplex est genus. Alterum enim loca continet, ubi ipsa Irenaei verba recitantur, de quo postea nonnulla dicam: alterum vero eorum est, ubi testis modo laudatur Irenaeus eorum, quae quisque scriptorum suis verbis usus tradiderat. Horum pauca afferam exempla. Tertullianum audivimus testari, Irenaeum copiose res Valentinianorum esse persecutum [3]): Eusebium, eundem exposuisse de Simone mago [4]), de Menandro [5]), de Cerintho [6]) et similibus: Epiphanium, de Basilide [7]), Cyrillum, de iis, qui doctrinam de spiritu sancto depravarunt [8]).

---

1) Biblioth. cod. CXX. 2) Si quis nolit Irenaei libros comparare cum Photii descriptione, eum rogamus, ut recentiorum consulat de rebus in illis traditis narrationes, aut saltem praefationes singulis praemissas inspiciat. Ex illis vero principatum tenere arbitror celeberrimum virum, *Ioann. Matthiam Schroeckhium* christliche Kirchengeschichte. Part. III. p. 196 seqq. 3) Vide Irenaeum Lib. I. Cap. 1—21. 4) Lib. I. Cap. 23. 5) Lib. I. Cap. 23. 6) Lib. I. Cap. 26. 7) Lib. I. Cap. 24. 7) v. c. de Valentinianis. Lib. I. Cap. 2. No. 5.

III. Quaecunque in Irenaei libris veteres invenisse sibi visi sunt ornamenta, diligentiae maxime in colligendis aliorum sententiis et lectionis variae, neque haec in nostris Irenaei commentariis desideraveris, modo aequus sis et omnia ex aevi, quo scripti sunt, rationibus et auctoris ipsius sorte aestimari debere cogitaveris. Tertullianus, uti audivimus, honorifice de Irenaeo iudicavit eumque insigni elogio *omnium doctrinarum curiosissimi exploratoris* condecoravit. Quod quam vere sit dictum, omnes sentire oportet, quibus modo Irenaei libros oculis suis inspicere libuerit. Non solum enim magnam diligentiam in investigandis tot haereticorum commentis [1]) arcanisque doctrinis et institutis collocavit; sed etiam veterum philosophorum praecepta cum his contulit. Quare etiam Hieronymus Irenaeum hoc nomine laudavit, quod *ex quibus philosophorum fontibus* haereses *manaverint explicaverit;* nec negare quis ausus est, simili modo eum puriora christianae religionis dogmata habuisse cognita, quae ab obtrectationibus et calumniis vindicandi caussa opus illud susceperat. Quare non possum, quin Nathan. Lardnero adsentiar, qui Tertulliani vocem *omnium doctrinarum* ita est interpretatus, ut eadem triplex quod commemoravi doctrinarum genus, *philosophicarum, haereticarum* et *christianarum puriorum* significari, coniecturam faceret [2]). Num satis recte tot tamque diversa sentientium opiniones conceperit animo verbisque expresserit, num semper rectum tulerit iudicium de origine haeresium, ex philosophorum, Platonis maxime aliorumque graecorum scholis deducenda, nostra quidem non interest, hoc loco uberius inquirere [3]). Satis enim est, ex libris adversus haereses luculenter cognosci, talem eorum certe fuisse auctorem, qualem sua aetate Irenaeum contra haereticos scriptorem fuisse veteres iudicarunt, hoc est, variarum inter philosophos et Christianos factionum de rebus divinis et ad mores pertinentibus sententias explorandi studiosum. Hinc in iisdem commemorari celeberrimorum apud Graecos philosophorum nomina videbis, aut excitari, modo laudari modo reprehendi dicta, v. c. Anaxagorae, Anaximandri, Aristotelis, Democriti, Epicuri, Platonis, Pythagorae, Thaletis, et pari ratione poëtarum, Hesiodi, Homeri, Pindari, Menandri, Sophoclis, Stesichori, item Aesopi [4]). At vero ne quid veri non dicere videar, nostri libri indigni omnium fere iudicio sunt laude illa, qua Irenaei opus Hieronymus cohonestavit, *composuisse* cum hoc *doctissimo et eloquentissimo sermone.* Doctrinae quidem copiam nemo desideraverit, at *eloquentiam* orationisque elegantiam aeque nemo in his commentariis invenerit; nec modo latina interpretatio, sed ipsi etiam graeci fontes, quantum eos novimus, nihil continent, quod ob facundiam et dictionis ubertatem aut venustatem admireris, licet hos illam egregie antecellere

1) Legatur Renati Massueti dissertatio praevia prima, qua haereticorum, quorum dogmata Irenaeus enarravit, exhibet censum studiose factum et illustratum. 2) In *credibility of the G. H. Part.* II. Vol. I. pag. 346 ubi recitato Tertulliani effato haec adscripsit: *he means it is likely, that Irenaeus had well studied the sentiments of the heathen Philosophers, and of heretics, as well as the principles of the christian Religion.* Adde vener. *Io. Frid. Cottae Versuch einer Kirchenhistorie.* To. II. p. 798. 3) Legas tamen Iac. Bruckeri hist. critic. phil. Vol. III. p. 408. 4) Irenaei loca, ubi haec aliorumque nomina occurrunt, more suo notavit Io. Alb. Fabricius biblioth. graec. Vol. V. p. 70 sq.

omnes consentiant. Propter hanc caussam nonnulli quidem Hieronymi sententiam contra ipsius auctoris nobilem illam modestiam tuendam sibi sumserunt[1]), qua artis bene eleganterque dicendi expertem se esse confessus est seque hoc nomine voluit ab amico haberi excusatum[2]). At hanc excusationem quum Epiphanius recitaverit, adeoque aperte non de latinis, sed de graecis capiendam, malo Hieronymum imprudentiae et in laudando iusto gloriosius Irenaeo intemperantiae argui. Neque id nobis recte obiici posse videtur, quod hoc loco non veterum laudationes aut cuiuscunque sint generis de Irenaeo iudicia, sed narrationes historicas scire cupimus. Quamvis illa fallant, hae tamen veritati apprime possunt esse consentaneae.

IV. Quaecunque denique veteres, Graeci et Latini, ex Irenaei contra haereses libris se descripsisse testantur loca modo longiora modo breviora, omnino in nostris codicibus latinis inveniuntur. Horum vero tanta est multitudo, ut necesse sit non modo eadem in certas distribui classes; sed poni etiam fines et terminos meae diligentiae. Consulto igitur omitto monimenta recentiores aevi, v. c. libros Anastasii *Sinaitae,* Joannis *Damasceni,* varias *catenas,* ex quibus post Petr. Halloixium decerpendi graecas Irenaei particulas studia Grabii et Massueti iam praedicare me memini, neque intra spatium saeculorum ab Irenaeo trium continebo.

Primum igitur ponam loca Irenaei, a priscis scriptoribus ita recitata, ut se eadem ex Irenaei contra haereses commentariis referre apertis verbis proderent, quae in nostris libris Latinis vere leguntur; ponam vero ista brevitatis studio in tabula quasi depicta.

I. Loca apud Eusebium	exstant apud Irenaeum nostrum latinum
1. 2. lib. III. cap. 23.	1. 2. lib. II. cap. 22. et lib. III. cap. 3. num. 5.
3. lib. III. cap. 39.	3. lib. III. cap. 33. num. 4.
4. lib. IV. cap. 11.	4. lib. I. cap. 27. num. 1.
5. lib. IV. cap. 29.	5. lib. I. cap. 28. num. 1.
6. lib. V. cap. 6.	6. lib. III. cap. 3. num. 3.
7. 8. lib. V. cap. 7.	7. 8. lib. II. cap. 32. num. 4. et libr. V. cap. 6. num. 1.
9. 10. 11. 12. lib. V. cap. 8.	9. 10. 11. 12. lib. III. cap. 1. num. 1. lib. V. cap. 30. num. 1. et num. 4. libr. IV. cap. 20. num. 2.
13. lib. V. cap. 14.	13. lib. III. cap. 3. num. 4.
II. Locus unicus apud Basilium de spiritu s. cap. 29.	exstat apud Irenaeum libr. V. cap. 8. num. 2.
III. Locus ab Epiphanio descriptus haeres. XXXI. §. 9—32.	legitur in Irenaei latinis libris lib. 1. praefat. et cap. I. — cap. XI. num. 1.

1) Conf. Dodwellum diss. V. §. 3. p. 394. Massuetum diss. II. §. 3. p. 74 et Histoire litter. de France. Tom. I. p. 337.

2) Praef. lib. I. num. 3.

IV. Bina loca apud Augustinum *contra Iulian.* lib. I. cap. 3.	apud nostrum Irenaeum sunt libr. IV. cap. 2. num. 7. et lib. V. cap. 19. num. 1.
V. Apud Theodoretum	apud nostrum sunt
1. haeret. fabular. lib. I. cap. 5.	1. libr. I. cap. 24.
2—8. dial. I.	2—8. lib. III. cap. 11. 27. 31. 32. 20. 21. 19.
9—14. dial. II.	9—14. lib. III. cap. 20. 18. lib. IV. cap. 7. 59. 66. lib. V. cap. 1.
15—17. dial. III.	15—17. lib. III. cap. 20. 21. lib. V. cap. 1.

Triginta quatuor igitur supersunt in monimentis antiquissimae aetatis loca Irenaei, et in his satis longa: immo magna pars *primi* libri apud Epiphanium, quae, si a varietate lectionis discesseris aut a vitiis interpretis, cum codicibus latinis mirifice consentiunt, ita ut criticae artis leges prorsus ignorare eum oporteat, qui hos cum illis, quos veteres usurpaverint, eosdem esse negaverit.

Alterum genus minoris esse pretii, lubens fateor. Etenim praeter haec alia in doctorum Christianorum libris effata deprehenduntur, quae eos ex Irenaei commentariis transscripsisse, non sua confessione, sed coniectura tantum, non certa sed probabili constat. Sic supra monui, Tertullianum in suum *contra Valentinianos* opusculum multa ex Irenaei libris tanquam ex fonte in rivulos deduxisse, laudavique diligentiam ven. Semleri in colligendis utriusque scriptoris narrationibus sibi similibus positam. Idem alii observarunt in Epiphanii et Theodoreti de haeresibus operibus contigisse, ut insignes Irenaei particulas ab his repetitas invenias, licet expressis verbis sui ducis, sui magistri nullam fecerint mentionem [1]). Nefas tamen foret, hoc nomine bonos viros insimulari furti uti dicunt litterarii, postquam se legisse Irenaeum et ex eius libris sua didicisse luculenter significarunt. Praeter hos aliorum patrum effata passim notantur, quae Irenaei dictis simillima sunt; at ex illo fraude exscripta esse ea, nemo dicere ausus est [2]). Praecipuo iure addere libet *Ephraemum Syrum*, de cuius loco digna haec sunt nostra observatione. Diligentiae Io. Ern. Grabii acceptum id ferimus, quod insignem et satis longam Irenaei [3]) particulam, de haereticorum scriptura sacra abutendi artibus, ab Ephraemo [4]) recitari non modo monuit, sed eandem etiam graecam ex codice Bodleïano sumtam primus cum graeco

1) Ne fides a me dictis desit, pauca huius generis loca ex utroque scriptore notabo. Quae Epiphanius habet de Epiphane haeres. XXXII. §. 5. sumta esse videntur ex Irenaei lib. cap. II. n. 3. de aliis Valentinianorum familiis haeres. XXX. §. 7. ex eod. cap. n. 5. de Ptolomaei sectatoribus haeres. XXXIII. §. 1. ex lib. I. cap. 12. n. 1. de Colarbasianis haeres. XXXV. §. 1. ex eod. cap. n. 3. de Marcosiis, haeres. XXXIV. ex libr. I. cap. 13 sqq. Simili modo Theodoreti loca de Sethianis haeret. fabul. lib. I. cap. 14. cum Irenaei lib. I. cap. 30. de Caianis lib. I. cap. 15. cum libr. I. cap. 31. ita conveniunt, ut illum sua ex hoc hausisse iusta sit suspicandi caussa. 2) Sic Cyrilli Hierosolymitani nonnulla effata cum Irenaei testimoniis recte comparari iussit Ant. Augustin. Touttaeus, *observat. in Cyrill.* p. 87, 91 cet. 3) Lib. I. cap. 8. n. 1. 4) Cap. VIII. *de virtute* p. 155. edit. Oxon. et Tom. I. oper. graeco-latin. p. 224. edit. Romanae.

Irenaei textu apud Epiphanium contulit lectionisque varietatem suae Irenaei editioni adscripsit. Eo enim tempore graeca Ephraemi opusculi versio nondum in lucem publicam erat producta. Quod quidem opera Eduardi Twaitsii contigit, qui quaecunque nancisci potuit, graeca Ephraemi opuscula collegit et elegantissime descripta Oxonii prodire iussit; ignoravit tamen Massuetus, immo vix potuit fieri quin ignoraret ideoque Grabii observationes repetiit suasque adiecit, quibus librum scriptum Colbertinae bibliothecae comparavit. Post Oxoniensem editionem accessit Assemanni Romana, qui etiam novem enumeravit codices graecos in variis bibliothecis dispersos, quibus Ephraemi ille sermo continetur [1]). Ireraei nomen ibi non est expressum; sed satis habuit Syrus, verbis eius haec praemittere: *πρὸς οὓς καλῶς καὶ μεγάλως ἀπεφήνατό τις τῶν ἁγίων, οὕτως διδάξας καί φησι.* Nulla quidem est dubitandi caussa, nomine hoc ornari Irenaeum; nemo enim dubitabit, recitari Irenaei verba, modo si utriusque scriptoris dicta secum invicem contulerit; nolim tamen huic testimonio nimiam tribui auctoritatem. Nostis enim, Ephraemum non graeca sed syriaca lingua esse usum et quae graece translata legimus, eius opusculis syriacis nos carere. Arduum ergo est de graecis eorum interpretationibus iudicium, num perfecte consentiant cum suis fontibus, nec Graeculi fortasse sibi nonnulla additamenta ex aliis scriptoribus adiungere permiserint. Suspicandi id hoc loco caussam mihi affert nimia graecorum Irenaei apud Epiphanium et Ephraemum convenientia; nisi malis credere, interpretem cognovisse, quisnam sit ille *unus ex sanctis,* nec hanc particulam ex syriacis Ephraemi convertisse, sed ex Irenaei codice graeco descripsisse. Quare nec adsentior Seb. Nan. Tillemontii [2]) coniecturae, Ephraemi aetate operis nostri versionem syriacam integram exstitisse, nec Parisiensibus monachis [3]) ad illam confutandam monentibus, potuisse Ephraemum aliorum opera ad intelligendos graecos auctores uti. Nescio praeterea, cur Ephraemum linguae graecae prorsus ignarum fuisse credamus, quem constat Graecorum v. c. Basilii amicitiam coluisse. Nobilissima illa Sozomeni et Theodoreti testimonia, caruisse eum *τῆς παιδείας Ἑλληνικῆς* usu, cur ad linguae etiam graecae ignorantiam significandam contorquenda sint, ego quidem non video. Sed haec *ὡς ἐν παρόδῳ.*

Ita feci, quod facere recepi, et collegi, quaecunque supersunt veterum scriptorum loca, ex quibus tuto concluditur, vere Irenaei libros, quos legerunt illi et descripserunt, cum his quibus nos utimur eosdem esse. Nisi huius generis argumenta ad comprobandam veterum monimentorum *αὐθεντίαν* apta sint et idonea, nisi his, quorum auctoritas tam certis tamque expeditis documentis nititur, credendi sit officium boni viri verique studiosi, vereor sane, ne nulla sit veteris historiae omnis fides, nullum pretium. Fateamur igitur necesse est, fidem auctoritatemque, quam Irenaeo, sive graeco sive latino, recte tribui omni tempore eruditissimi viri crediderunt, firmam esse neque ambiguam, sed rationibus fulciri, quibus summum inest pondus, nosque ut ita esse nobis persuadeamus commovendi vis maxima.

---

1) Vid. Assemanni prolegom. laudati tomi. p. 197. 2) Mémoir. pour servir à l'H. E. To. III. p. 77 sqq. 3) *Histoir. litter. de France.* Tom. I. p. 336.

Nihilomninus in alia omnia discessit ven. Semlerus [1]) et insignem diligentiam in eo collocavit, ut libros illos adversus haereses non ab Irenaeo Lugdunensi profectos esse, sed ab *antiquissima societate*, quae fraudulenter libros scripserit et *studiosissime eos variis et diversis scriptoribus diviserit* [2]). *Ex hac* ergo *officina* impostorum prodiisse putat Irenaei commentarios, qui ex veteribus novas compilare consuevissent scriptiones. De hac ipsa societate *antiquissima* nolo hoc loco disputare; ignorare enim me fateor testes, quorum effatis, quando et ubi aut quo consilio coiverit dolosorum hominum sodalitium, constet; ea vero est animi mei constantia, quam alii fortasse pertinaciam, aut obstinationem vocare malint, ut in explicanda rerum gestarum memoria nullis aliorum, licet ingeniosissimi sint, coniecturis, sed solis testimoniis, quibus iusta inest auctoritas, credam et ab aliis credi cupiam. Placet vero venerandi viri ingenuitas et probitas, quae suae societati adeoque Irenaei libris nostris noluit auferri summae *antiquitatis* gloriam unicam illam et invidendam, quae ubi illis relicta fuerit, nescio sane, quidnam emolumenti ex hac suspicione exspectari queat. At de caussis dispicere libet, cur opus illud ab Irenaeo, Lugdunensi episcopo, conditum fuisse aut neget aut saltem dubitet. Tria quippe notavit loca Irenaei [3]), quae ex Clementis Alexandrini libris desumta esse autumat, atque ita comparata, *ut a destinato furto atque impostura vix abesse possit ille scriptor, qui ista in suam rem corraserit, licet non commodissima, aut consilio maxime apta* [4]). Ita ergo suas rationes celeberrimus vir subduxit: si in libris, quae Irenaeo tribuere consuevit vulgus, loca occurrunt, quae apud Clementem *Alexandrinum* simili modo habentur, sequitur, ut illos Irenaeus scribere non potuerit. Videamus de hac ipsa ratiocinatione, num insit ea vis de Irenaei fide tantum detrahendi, quantum detrahi cupit de illa Semlerus. Quem quidem in finem haec observari cupio.

I. In utroque scriptore multa inesse sibi similia, nulla est mirandi caussa. Uterque enim versatur saepissime in uno eodemque argumento explicando, uterque Gnosticorum somnia persequitur. Nihilominus toties a se differunt, uti alias a se discrepare solent historici optimae notae, qui easdem res gestas enarrant, v. c. Tacitus a Suetonio. Sic nobilissima est et pervagata doctorum hominum controversia, num Irenaei an Clementis sit maior auctoritas in iis, quae de Basilide tradiderunt, varia certe et discrepantia.

II. Non solum in narrationibus historicis de haeresibus, sed etiam aliis argumentis tractandis vel leviter attingendis sibi similes esse Irenaeum et Clementem, vidit iam sua aetate Eusebius. Ioannem apostolum usque ad Traiani aetatem pervenisse, duos produxit testes, Irenaeum et Clementem [5]) servatoque temporis ordine hunc secundo, illo (illum?) primo loco posuit, nec cogitavit quidem, quae apud Irenaeum leguntur, eadem furto destinato et doloso Clementi ablata fuisse.

III. Quodsi a binis scriptoribus easdem sententias proferri iisdem-

---

1) Licet in aliis ingenii sui monimentis suspicionem prodiderit vir celeberrimus, diligentius tamen nullibi eam explicavit, quam in dissertat. I. in Tertullianum supra laudata. — 2) p. 262. 3) p. 343—365. 4) p. 357. 5) H. E. lib. III. cap. 23.

que formulis exprimi intelligimus, tum certe facilis est furti suspicio, sed nequit cadere nisi in eum, qui posterior est aetate. At Clementem potius Irenaeo, quam Irenaeum Clemente aetate fuisse minorem, ipse ven. Semlerus [1]) confessus est. Quodsi enim admittatur communis opinio, Irenaeum sub Severo circa annum saeculi tertii secundum gloriosam mortem obiisse, Clementem vero paullo ante Caracallae obitum, qui anno CCXVII. adscribitur, vita decessisse, Clemens Irenaeo ut superstes fuerit, necesse esse aperte scripsit. Fateor tamen, nimis suspectam mihi esse omnem de Irenaei martyrio narrationem magisque placere eorum sententiam, qui Irenaeum ante initia saeculi tertii vitam finivisse putant, licet tutius sit, confiteri, nos ignorare, num attigerit eadem, necne [2]).

IV. At haec nimis a proposito sunt remota. Propius accedimus ad id investigandum, quod exquirimus, si ad aetatem librorum utriusque scriptoris animum advertimus. De Irenaeo quidem constat, scripsisse eum libros suos adversus haereses per intervalla: ex mentione Eleutheri, Romani episcopi, et interpretationis codicis sacri graecae, quam Theodotion condidit, libro *tertio* facta colligunt viri docti, intra ann. CLXXVII. quo creditur Irenaeus sacris Lugdunensibus gubernandis admotus esse, et ann. CLXXXV. quo Eleutherus diem obiit, aut si nonnullos addere libuerit, CXCII. eosdem fuisse editos [3]). Nulla certe subest caussa, ultra hoc spatium progrediendi. Clemens vero *stromata* scribere coepit post Commodi obitum, hoc est post ann. CXCII. [4]) His igitur rationibus ductus, lubens adsentior ven. Semlero neganti, Clementis stromata ab Irenaeo lecta et visa esse, licet huic sententiae comprobandae haud sufficere mihi videantur illae difficultates, quibus implicatam esse arbitratur contrariam opinionem, denuo non ex historicis argumentis, sed ex ratiocinationibus natae.

V. Addo, quod miror, celeberrimi viri sollertiam effugisse, licet Irenaeus Clementis opera ignoraverit, legere tamen potuisse Clementem Irenaei commentarios. Id vero ex Eusebio [5]) disco, qui perditum nunc Alexandrini opus de paschate commemorat, his additis verbis: *μέμνηται δὲ ἐν αὐτῷ Μελίτωνος καὶ Εἰρηναίου καί τινων ἑτέρων, ὧν καὶ τὰς διηγήσεις τέθειται.* Ex quibusnam Irenaei libris sumserit illa, quae retulit, fere nescimus; quum vero ad paschalem controversiam pertinuit (pertinuerit?) libellus Clementis, facilis est coniectura, dicta haec esse de epistolis illis, ab Irenaeo cum ad Victorem tum ad alios episcopos mis-

1) p. 365. 2) Postquam omnia circumspecte legi et considerationis expendi, quae ad defendendam illam narrationem, martyris honorem consecutum esse Irenaeum, diligentissime disputarunt Dan. Papebrochius in *act. sanctor.* Tom. V. Iun. p. 335. Renat. Massuetus *diss.* I. praev. p. 208 sqq. hui. edit. Domin. de Colonia *hist. litter. de Lyon.* p. 52. 94. Paull. de Lumina *hist. eccles. de Lyon.* p. 41 seqq. aliique, non possum a me impetrare, ut veram illam, hoc est, certis fideque dignis testimoniis comprobatam esse statuam. At, licet ponamus, martyrem factum esse Irenaeum, tamen sub Severo id contigisse et ad ann. CCII referendum nullis rationibus, Turonensi enim Gregorio quis hoc loco soli credat? sed ratiocinationibus et coniecturis probari solet, quae historicum vera sectantem prorsus dedecent. 3) Conf. Massuetum diss. II. praev. §. 47. contra Dodwellum disputantem et Lardnerum loc. cit. p. 223 hui. edit. sq. 4) Vid. Nicol. Nourrium apparat. ad biblioth. max. patr. T. I. p. 658. et Io. Alb. Fabricium B. Gr. vol. V. p. 106. 5) H. E. libr. VI. cap. 13.

sis, quas alibi Eusebius[1]) laudavit, perinde ac de Melitonis binis de paschate libris, itidem ab Eusebio laudatis[2]). Quum Irenaei epistolae paschales scriptae fuerint eo tempore, quo Victor non modo Romanis sacris praefuit, sed diutius etiam cum Quartodecimanis Asiae pugnaverat, consequens est, ut eaedem exaratae fuerint post libros adversus haereses. Eodem ergo modo, quo illas usurpavit Clemens, potuerunt hi in manus eius pervenire, maxime ubi eos in usus Orientalium aut Aegyptiorum scriptos fuisse cogitaveris.

VI. Quae quidem non eo animo a me proposita sunt, ut Clementem furti accusem, sed ut exemplis constet, quanta cautione opus sit, ne in ferendis de vetustatis monimentis eorumque auctoritate iudiciis nimis suspiciosi simus, sed omnia circumspiciamus, quae nostra observatione sint digna, nec praecipiti quadam celeritate ex his deducamus conclusiones rationis in tractanda historia nunquam tam certis', ut id quod contrarium sit inter *ἀδύνατα* referatur.

Nunc officii memores convertamus orationem ad loca ipsa, quae furto Clementi surrepta et in Irenaei libros translata fuisse, ven. Semlerus putat.

Primum excitat[3]) quae Irenaeus de impiis cum animalibus ex Mosaica disciplina immundis comparandis scripsit[4]); haecque putat ex Clementis[5]) simili oratione desumta, hoc maxime usus argumento, quod omnia apud hunc bene secum cohaereant, in illa vero parum commode aut opportune adsuta sint. De hoc loco sic habe:

I. Ante Semlerum, lectores, consensum Clementis et Irenaei notavit Potterus[6]) et integram huius orationem illius loco adscribendam curavit; haud dubitanter tamen iudicavit Clementem sua Irenaeo ferre accepta.

II. Sine caussa hanc particulam nullis vinculis cum antecedentibus copulatam haberi, quisquis videat necesse est. Quum enim de donis spiritus sancti, quibus ad futuram gloriam pii praeparentur, verba facere instituisset, transit ad describendos impiorum mores, et: *eos autem,* inquit, *qui abiiciunt quidem spiritus consilium, carnis autem voluptatibus serviunt et irrationabiliter vivunt et ineffrenati deiiciuntur in sua desideria, quippe nullam adspirationem divini spiritus, sed* porcorum *et* canum *more vivunt, hos iuste apostolus carnales vocat, quoniam nihil quam carnalia sentiunt.* Haec excipiunt verba: *et prophetae autem propter hanc eandem caussam* irrationabilibus animalibus *adsimilant eos, propter irrationalem conversationem ipsorum, dicentes*: Equi furentes ad feminas facti sunt, unusquisque ipsorum hinniens ad uxorem proximi (ex Ier. v. 8), *et rursus:* homo quum in honore esset, adsimilatus est iumentis. (Ps. XLIX. 21.) *Hoc quia secundum suam caussam adsimilatur* iumentis, *irrationabilem aemulans vitam. Sed et nos in consuetudine huiusmodi homines* iumenta et pecora *irrationabilia dicimus.* Haec quum posuit (posuerit?), quid quaeso his dictis magis aptum, consilioque auctoris magis accommodatum adiici potuisset, quam quae sequuntur: *praedixit autem figuraliter omnia haec lex de animalibus, delineans homi-*

1) Lib. V. cap. 24. p. 213, 217. 2) Lib. IV. cap. 26. p. 161. 3) p. 354. 4) Lib. V. cap. 8. p. 301. 5) Stromat. lib. VII. cap. 18. p. 900. edit. Potteri. 6) Not. ad. h. l.

nem, quaecunque, inquit, *duplicem ungulam habent,* cetera. Post verba illa, quae communia habere videtur cum Clemente, pergit: *sed, quemadmodum* praediximus, porcorum et canum *adsumserunt vitam, immunditiae, gulae et reliquae incuriae semet ipsos tradentes. Iuste igitur tales omnes — — — — apostolus quidem carnales* et animales vocavit; *prophetae autem* iumenta *et* feras *dixerunt; consuetudo autem* pecora *et irrationabilia interpretata est; lex autem* immundos *enunciavit.* Ex his omnibus, quae attuli, ne verbulum quidem apud Clementem legitur. Num vero haec non sufficiant ad nexum illum particulae cum antecedentibus et subsequentibus intelligendum et omni dubitationi eximendum, quisque facile iudicabit.

III. Dissimillimum est Irenaei consilium, leges de animalibus immundis allegorice interpretandi, a proposito Clementis. Hic ista animalia *Iudaeorum vulgarium* et *haereticorum,* ille hominum impiorum vitiisque deditorum imaginem esse voluit; hac tamen lege, ut nec Irenaeus de Iudaeis et haereticis, nec Clemens de impie viventibus taceant; Irenaeus vero et ethnicorum faciat mentionem, ab illo prorsus omissam.

IV. Denique Irenaei libri quum referti sint interpretationibus huius generis mysticis et allegoricis [1]), quid caussae sit, cur nec comparatio animalium immundorum cum variis vitiosorum hominum generibus ab illo excogitari potuerit, ego quidem non capio. Quodsi vero necesse quis iudicaverit, ut alter ex altero rem sumserit, tum certe Potteri suspicionem veri esse similiorem quam Semleri crederem. Ego tamen neutrum velim in furti crimen vocari. Ipsa enim allegorica legis Mosaicae de animalibus immundis expositio, si praecipua eius capita consideraveris, ex Iudaeorum scholis prodiit, legitur in Aristaei libello, quo Josephus usus est, placuit huic et Philoni, occurrit in epistola Barnabae, quae certe Clemente nostro est antiquior, repetitur passim ab Origene, Eusebio, aliisque: cur nec utrique, Clementi et Irenaeo, innotescere et ita commendari potuit, ut uterque eam dilatatam ingenio suo in suam rem converteret?

Alter locus pertinet ad nobilissimam de origine graecae LXX interpretum versionis historiam, quam omnes norunt et Irenaeum [2]) et Clementem [3]) post Aristaeum, Iosephum, Philonem, Iustinum *martyrem* enarrasse. Num vera narraverint, hoc loco scire nostra non interest, sed de hoc est inquirendum, num quae in Irenaei libris tradita sunt, ex Clemente derivata sint. Nullam suspicionem viris eruditis de ea re subnatam fuisse, recte monet Semlerus [4]), nec silentio praetermisit Irenaei locum ab Eusebio [5]) fuisse repetitum. Primus ergo suspicari est ausus, hunc ex Clemente per furtum et imposturam esse corrasum, partim quod denuo non commodissime aut consilio ei positus esse videtur, partim quod qui semel furatus sit, facilius iterum furari credatur. Secus me sentire lubens fateor.

I. Quae Irenaeo ex Clemente adiecta fuisse credit Semlerus, eadem denuo Potterus putavit Clementem ex Irenaeo didicisse; unde denuo

---

1) v. c. Lib. II. cap. 24. p. 150. Lib. III. cap. 21. p. 217. Lib. IV. cap. 20. p. 257., cap. 21. p. 258. 2) Lib. III. cap. 21. 3) Lib. I. stromat. cap. 22. p. 409 sq. 4) p. 357. 5) Lib. V. cap. 8.

concludimus, bene vidisse alios viros doctos convenientiam utriusque scriptoris. Temperavit vero sibi Potterus, quominus omnia ex Irenaeo sumta esse contenderet, sed accurate singulas particulas notavit, quae Irenaeo viderentur esse propriae.

II. Eusebii, qui certissime Clementis *stromata* legit, qui Irenaei graeca recitavit, exemplo patet, veteres de fide librorum Irenaei in suspicionem vocanda ne quidem cogitasse, licet noverint, quae ibi legantur, etiam apud Clementem haberi.

III. Loca utriusque scriptoris admodum a se invicem discrepant.

1) Irenaeus graecam illam interpretationem scribit conditam esse sub Ptolemaeo *Lagi;* Clemens, sub Ptolemaeo Lagi, aut, quod alii malint, sub Ptolemaeo *Philadelpho.*

2) Irenaei oratio longe est copiosior et uberior quam Clementis. Divino consilio eam versionem susceptam esse, narrat uterque; sed consilii rationes solus Irenaeus. Collatos secum fuisse singulorum interpretum labores, tradit uterque; eosdem vero apud Ptolemaeum eo consilio congressos esse, solus Irenaeus; consensisse res et verba, uterque tradit; sed ab initio ad finem consensum observatum et divinum opus a gentilibus praesentibus fuisse agnitum, solus Irenaeus. Sub exsilio Babylonico corruptos fuisse sacros Iudaeorum libros et veteres hos ab Esdra per inspirationem renovatos, Clemens ait; Irenaeus vero, per inspirationem Esdram ductum fuisse, ut in suum ordinem redigeret omnium prophetarum vaticinia et redderet populo Mosaicas leges.

3) Nec verba graeca ubivis eadem sunt. Pauca adferam exempla. Clemens: *πάσαις γραφαῖς;* Irenaeus: *πάντων ἀνθρώπων συγγράμμασιν ὅσα γε σπουδαῖα ὑπῆρχε;* Clemens: *ἠξίωσε τοὺς Ἑρ.* Irenaeus: *ἠτήσατο παρὰ τῶν Ἑρ.* Clemens: *ἑρμηνεῦσθαι,* Irenaeus: *σχεῖν μεταβεβλημένους.* Ubivis elegantiorem Irenaeo observabis Clementem.

IV. Quodsi vera fateri licet, tum certe Clemens videtur ea in brevem summam contraxisse, quae Irenaeus copiosius tradiderat, hac tamen lege, ut aliorum quoque narrationes consuleret.

Optime denique conveniunt, quae Irenaeus tradit, cum argumenti in quo versatur rationibus. Quum enim Theodotionem et Aquilam ex sua sententia odio rei christianae et Iudaicae amore, in loco Iesaiae vocem עלמה non *παρθένος* sed *νεᾶνις* vertisse, suspicatus esset, opponit illis interpretationem LXX virorum, eamque et antiquitatis nomine commendat, et quod a Iudaeis condita sit, praedicat. Num quaeso maiorem opportunitatem repetendi illam de origine illius fabulam potuisset nancisci? Neque Irenaeum semel furatum esse, comprobavit Semlerus, nec fas est ubivis furtum suspicari.

Tertius denique superest Irenaei locus, quem ex Clemente petitum fuisse vir cel. contendit. Verissimum est, utrumque eadem recitare verba Platonis [1]), Irenaeum [2]), ut philosophum magis sapuisse iis ostenderet, qui benignitatem Dei a iustitia divelli vellent; Clementem [3]), ut Platonis de felicitate doctrinam explicaret. At furti suspicione utrumque ut liberem, his argumentis commoveor.

1) Lib. IV. de legibus. 2) Lib. III. cap. 25. p. 224. 3) Lib. II. stromat. cap. 22. p. 499.

I. Irenaeus alibi etiam excitavit Platonis dogmata et dicta [1]), quae ex Clemente non accepit.

II. Quid? quod mireris, Platonis effato, quod Clemens simili modo attulit, nullis interpositis verbis statim subiunxit alium Platonis locum ex Timaeo; Clemens vero subiecit alias particulas, quae apud Platonem de legibus sequuntur. Undenam furatus est ille latro Platonis testimonium ex Timaeo; aut cur abstinuit se a surripiendis ceteris Platonis verbis, quae Clemens posuit?

III. Platonis vero iste locus a tot aliis scriptoribus, ab Aristotele, a Plutarcho, a Iustino monente Pottero laudatur; numne a solo Irenaeo ignorari debuit, ut ne in eius libris legi posset, nisi ex Clemente compilatus?

Haec quidem quum ita sunt (sint?) comparata, nullas credo superesse caussas iustas, fidem et auctoritatem librorum Irenaei vocandi in dubitationem.

---

1) Lib. II. cap. 14. num. 3. p. 133. cap. 33. num. 2. p. 167.

SCRIPTA VIRORUM DOCTORUM QUAE SPECTANT AD QUATUOR IRENAEI FRAGMENTA

A

CHRISTOPHORO MATTHAEO PFAFFIO

TUBINGENSI E LATEBRIS BIBLIOTHECAE TAURINENSIS QUONDAM ERUTA ET EDITA.

I.

SCIPIONIS MAFFEII

MARCHIONIS VERONENSIS EPISTOLA PRIOR.

REVERENDISSIMO PATRI ABBATI BACCHINI SCIPIO MAFFEIUS S. P. D.

[1])En tibi incommodum alterum. Cognoscere hinc profecto incipies, non mediocri labori futurum esse tibi, quod me a nugis revocaveris. Pfaff vir inter Teutonos doctissimus misit ad me fragmenta quaedam graeca, quae nondum publici iuris facta sunt atque animadversiones in illa suas. Haec sane, ut ob oculos habeas, mitto, cum dubitationibus simul aliquibus meis, ut moneas an hae aequae sint, an prorsus commentitiae, et oraculo vocis tuae confirmentur hoc modo illae, vel dissolvantur. Fragmenta haec praeclara fiunt a nomine Irenaei quo inscripta sunt: verum dubitandum mihi esse videtur, num reapse sint Irenaeo tribuenda. Haustae sunt, ut apparet, ab catenis graecis, quarum nonnullas equidem observavi in Taurinensibus codicibus. Sed in re hac notum est parum fidei, ne dicam nihil habendum esse catenis, saltem quum in illis opus indicatum non est, unde dicta ab iisdem collecta depromta fuere. Propterea vero P. Massuetus declarat multam fidem dandam esse nequaquam fragmentis iis, quae in pulcherrima editione ab eodem facta Irenaei edita voluit, utpote quae ab simili congerie fuere collecta. Atque eo magis de iis dubitari posse crederem, quum iisdem inquam inscriptum purum, putumque nomen sit *Εἰρηναίου* sine illo additamento, quod dignitatem significat, personamque omnino determinat,

---

1) Ch. M. Pfaffius quatuor Irenaei fragmenta, quae ex catenis Mss. in bibliotheca Taurinensi adservatis eruerat, misit ad Scipionem Maffeium, qui illa antiquitatis documenta Diario eruditorum, quod Italico idiomate Venetiis edebatur, inserenda curavit. Ita factum est, ut fragmenta illa primum typis expressa legerentur in *Giornale de' Letterati d' Italia.* T. XVI. Art. IV. p. 216. Scipio Maffeius simul addiderat litteras hic iterum typis expressas, quibus et fragmentorum Pfaffianorum αὐthentiam in dubium vocaret et, quae in notis Pfaffii fidei Romanae contraria viderentur, refutare studeret. Epistolae a Maffeio Italico sermone scriptae latinam versionem, quae legitur ad calcem Venetae Irenaei editionis, lectoribus dare placuit. Ad. Stieren.

id est *Ἐπισκόπου Λουγδούνων,* sine *Λουγδούνου.* Verum dubia augentur magis ab ipsa consideratione fragmentorum:

Primum coagmentatio quaedam est sententiarum N. T. id in more fuerit ne positum PP. vetustissimorum, ignoro. Alterum initio statim laudat constitutiones, quae perperam apostolis tribuuntur. Sed haec ratum habent certumque eruditi unanimi consensu, post Irenaeum inevectas fuisse. Hic autem vocem illam *δευτέραις* observes precor, ac doceas, quid quaeso sint secundae huiusmodi constitutiones, quas nusquam memini me vidisse laudatas.

Si Pfaff, qui postremas interpretatur, fortasse putat ita interpretandum esse, quia laudatus textus in fragmento reperitur in octavo libro, qui est ipsarum constitutionum postremus, quas modo habemus, tanto magis hoc fragmentum apparet longe a saeculo secundo distare. Difficultas etiam occurrere in vocabulo *ἀντίτυπα* aliqua mihi posse videtur, quo neque usus est Irenaeus ad eucharistiam significandam, neque ad idem exprimendum certo in illius aetatis documento reperiri posse arbitror. Adhibuit vocem hanc schemate quodam Paulus *ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν,* sed non de hoc sacramento loquens, atque in oppositionis cuiusquam sensum magis accepta fuit. Praeterea mihi dubitari posse videtur, fueritne eo tempore in sanctae coenae celebratione invecta invocatio illa Sp. S. quam legere est in hoc fragmento. Non video sane eam meminisse Irenaeum cap. 18. quod veteri in editione erat 34. lib. 4. sed ait ibi tantummodo panem recepisse *τὴν ἔκκλησιν* (sive *ἐπίκλησιν*) *τοῦ Θεοῦ.* Neque video eandem martyrem Iustinum meminisse, quem solum eorum temporum liturgiam descripsisse omnes sciunt. In tertio fragmento notanda est licentia quaedam in celebratione festorum et ieiuniorum, quae magis Novatianorum consona videtur haeresi, quam Irenaei, aut cuiuspiam catholici scriptoris sententiae. Satis porro intelligi non potest, quomodo huius potissimum fragmenti sensus, in quo scissurae et schismata nata apparent in ecclesia, propter variam consuetudinem festorum et ieiuniorum, hausti credantur ab ea epistola Irenaei, quae est ad Victorem R. P., in qua, ut videre est apud Eusebium, quaestio vigebat maxima de paschate celebrando, nec lis erat inter Catholicos de variatione ieiuniorum, quae hic a simplicitate nata dicitur, aut a negligentia, qua tamen nihil obstante pax vigebat: *καὶ οὐδὲν ἔλαττον πάντες οὗτοι εἰρήνευσάν τε καὶ εἰρηνεύομεν πρὸς ἀλλήλους, καὶ ἡ διαφωνία τῆς νηστείας τὴν ὁμόνοιαν τῆς πίστεως συνίστησι.* Nunc vero ab expositis difficultatibus in textum gradum faciam ad considerandas animadversiones.

Omissa laude debita eruditioni, mihi videor in his anticipationem quandam videre auctoris pro haeresi sua, quae in caussa certe fuit, cur illa in hisce fragmentis, quae sunt reapse non invenerit, invenerit autem quae non sunt. Recte autem colligit his in notis ad secundum fragmentum, *ἐπιγείου τε καὶ οὐρανίου,* certissime probari *praesentiam realem:* (ego vero vocabulum *ἐπιγείου* interpretor speciem tantum, et non substantiam panis et vini) sed non intelligo qui fieri possit, ut ex textu hoc graeco deducatur antiqua in ecclesia oblationem praecessisse, ac fuisse nonnihil separatum, diversumque a sacramento, et eucharistiam quidem non

semper fuisse vocatam minimeque vocari promiscue oblationem, et sacramentum. Talia siquidem, neque clare, neque ab his fragmentis deducuntur. Verum, nisi ego fallor, aequivocatio oritur ex eo, quod auctor observationum oblationem laicam cum sacerdotali confundit, id est oblationem communem, quam populus rerum variarum praestabat, ut sustentare se possent hisce ecclesiarum ministri, et pauperes in agapibus, rebusque aliis, cum sacramentali, quam sacerdos praestabat offerens id, quod consecratum revera corpus et sanguis erat Christi. De illa dici fortasse poterit, non tamen sine haesitatione prorsus ulla praecessisse, et recte quidem dici debet variam separatamque fuisse: sed hanc, exploratum est, comitari, et esse, ut quidem est, partem essentialem ipsius sacramenti. Quapropter a primis usque temporibus vocata promiscue fuit oblatio, et sacrificium, cui rei nihil in hisce fragmentis est, quod officere queat. Canon namque apostolicus, quem auctor affirmat clare suam opinionem comprobare, mihi potius improbare videtur, dummodo integer afferatur. *Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ἐκ τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ προσφορᾶς γενομένης, μὴ μεταλάβοι, τὴν αἰτίαν εἰπάτω. καὶ ἐὰν εὔλογος ᾖ, συγγνώμης τυγχανέτω, εἰ δὲ μὴ λέγῃ, ἀφοριζέσθω, ὡς αἴτιος βλάβης γενηθεὶς τῷ λαῷ, καὶ ὑπόνοιαν ἐμποιήσας κατὰ τοῦ προσενέγκαντος, ὡς μὴ ὑγιῶς ἀνενεγκόντος.* Ex quo apparet non de populari oblatione loqui, sed de oblatione ab uno facta, in quem minime eucharistiam sumentem suspicio cadebat, et ita quidem narrat Iustinus in Apologia, Vulgo II. prope finem: et observatione dignum est quod in ea descriptione quam hic habet de integro ordine liturgiae, declarat actionem offerentis populi, velut ipse loquitur, opulentiorem factam fuisse in fine, et iam sacrificii peracta celebratione: adeo falsum est in hoc respexisse antiquos, quum sacrificium missae appellarint *προσφορά*.

Sed in hisce animadversionibus doctrinam aliam reperio, quae transigenda omnino non est. Existimat Pfaff in invocatione Sp. S. consecrationem collocatam esse. Non sum nescius, inauditam hanc sententiam non esse, mirorque P. Massuetum in Dissert. 3. pag. 142. eidem favere videri, quemadmodum nonnullus etiam celeber recentior theologus, nisi aliter eius verba interpretanda sunt; nam certum est pugnare cum hac sententia unanimem iam et statutum consensum. In Florentino concilio declararunt Graeci in hac re cum Latinis consentire, hoc est mutationem fieri vi vocum illarum servatoris, et fuse quidem explicarunt sect. 25. scopum diversum precis illius ad Sp. S. in quam rem docte scripsit Bessarion; quamobrem habemus in re hac utriusque ecclesiae consensionem, oppositamque sententiam in censum illorum errorum amandandam putamus, qui a Graecis recentioribus, atque a nobis divisis defenduntur, quos refutavit recentissime et amplissime Abbas Papadopoli in praenotionibus; ex quibus apparet sententiam proborum Graecorum eandem nunc quoque esse; sed si verum est, quod supra indicavi, nempe temporibus Irenaei hanc invocationem in more nondum positam fuisse in sacra mensa, invictissima demonstratio ex hoc colligi poterit. Atque tum invectam non fuisse hanc invocandi consuetudinem, satis apparere mihi videtur ex monumentis illorum temporum, quae hac de re mentionem minime faciunt, atque ex sancto Irenaeo ipso, qui de ea in-

vocatione non loquitur in locis tam egregiis, quos habet, de eucharistia, et ex sancto Iustino, qui rationem distincte describit, quique in supra laudato textu clare ait, fieri prodigium auctoritate verborum illorum, atque panem eucharistizari oratione Verbi: *τὴν δι' εὐχῆς λόγου εὐχαριστηθεῖσαν τροφήν.*

Haec sunt, quae considerare habui de hisce fragmentis. Nunc te precor, pater reverendissime, considerationes meas corrigas, meque erudias. Anecdota mea adhuc iacent; sed spero non diu futurum, ut suscipiam iterum opus multis de caussis intermissum. Epistola, sive tractatio Felicis III. occasionem praebuit variarum animadversionum in epistolas huius pontificis, atque in illas successoris eius, quas in conciliis habemus transpositas admodum confusasque. *In Complexionibus* Cassiodori reperi eum legisse hunc textum disputatum: *Tres sunt etc.* Verum me valde incommodat abesse a magistro. Non sit tibi grave calamo tollere incommodum hoc, quoad potes. Vale.

II.

RESPONSIO PFAFFII
AD PRIMAM EPISTOLAM MAFFEII

HAC PRAEFATIONE, QUAM [1]) EDITIONI FRAGMENTORUM SUAE PRAEMISIT HAGAE COMITUM, CONTENTA.

Quae luci publicae exponimus, S. Irenaei, episcopi Lugdunensis fragmenta hactenus *ἀνέκδοτα* nostris annotationibus adiectisque dissertationibus explicata atque e bibliotheca regia Taurinensi eruta, ea non uno ex codice extraximus, sed ex variis, qui a Graecis *πατερικά, παράδεισοι, γεροντικά, λειμωνάρια, διηγήσεις, πανδέκται, κλίμακες, λαυσαϊκά* [2]), aut voce latina Catenae, si nempe commentarium perpetuum in librum quendam sacri codicis contineant, nuncupantur, diversa scilicet ss. patrum vel facta vel effata continentibus, ex quibus ea nobis praecipua visa sunt, quae S. Irenaei nomen praeferunt, eo magis etiam aestimanda, quod aetatem aliquam ferant ii Codices, ex quibus ea extulimus.

1) cf. S. Irenaei episcopi Lugd. Fragmenta anecdota, quae ex bibliotheca Taurinensi eruit, latina versione notisque donavit, duabus dissertationibus de oblatione et consecratione eucharistiae illustravit, denique liturgia graeca Io. Ern. Grabii et dissertatione de praeiudiciis theologicis auxit Christoph. Matth. Pfaffius. Hagae Comitum 1715. Editio altera Lugduni Bat., Hagae Com. 1743. 2) His quidem nominibus peculiares libri, acta vitasque et effata veterum complexi communiter designantur. Sed generalia quoque eadem esse ex Codicibus Taurinensibus perspeximus, ubi idem Codex duo vel tria eiusmodi nomina saepius inscripta habet.

Nec tamen, viso Irenaei nomine, coeco quodam impetu eo statim processimus, ut sine praevio examine de *αὐθεντία* istorum fragmentorum illico pronunciandum esse existimaverimus; sed limam potius criticam adhibuimus, ut, quid de istis monumentis dicendum esset, liquido et quidem sine oppositi formidine nobis constaret. Praecipuum vero quod sua quadam et nativa luce oculos nostros perstrinxit, fuit gravis illa et Irenaeo dignissima scribendi ratio, quam in fragmentis hisce observavimus, maiestatem seculi, quo vixit, (fuit autem id secundum a nativitate Christi) omnino ferens; porro insignis quaedam tum styli ipsius tum rerum in iisdem traditarum convenientia cum iis, quae Irenaeus in libris contra haereses dixerat, quibus plurimam ista lucem afferunt, maxime quod oblationis et consecrationis eucharisticae rationem attinet; denique ipsa Codicum, ex quibus nostra cruimus, fides, ad nauseam usque a nobis tentata, quam intemeratam omnino invenimus, quum omnia patrum loca, quae in istis citata reperimus evolvimusque, in editionibus impressis eadem fere ratione elata iisdemque autoribus adscripta invenerimus, solis iis exceptis, quae prelum hactenus experta non sunt, et queis ipsa haec fragmenta annumerare licet, quum et in libris adversus haereses et in iis, quae Feuardentius, Cotelerius, Halloixius, Sirmondus, Combefisius, Grabius et Massuetus congessere, fragmentis desiderentur. Nec, ut arbitror, erit, qui Irenaeo cuidam iuniori, episcopo Tyri, homini Nestoriano, ista adscripserit, quum alius longe argumenti sint, quae hic scripsit, utpote ad historiam litis Nestorianae pertinentia; et, quae in fragmentis nostris exstant, calamum sapiant magis orthodoxum magisque pium, quam qui ab autore vitae suae pertaeso atque episcopali dignitate privato tragoediae componendae demum fuit adhibitus. Si quis tamen sit, qui existimaverit, gratis haec omnia a nobis dici, argumentaque firmiora esse adhibenda, queis Irenaeo nostro ista asserantur, ad demonstrationum mathematicarum vim assurgentia; cum eo quidem contentionis serram non reciprocabimus, nec de re, quae limam philosophicam haud patitur, multum altercabimur. Ad *gustum* etenim *criticum* tota tandem lis devolvitur, seu ad iudicium illud, quod de stylo autorum eaque, qua usi sunt, dicendi scribendive ratione fertur; qua re nihil est magis delicatum maiorique contradictioni obnoxium, (maxime si, qui dissentiunt, depravato gustus laborent organo;) sed et nihil, de quo minus sit disputandum, quum de omni gustu disputare vetet proverbium, hoc vero de nullo verius, quam de critico, utpote qui omnium est subtilissimus, pronunciari possit. Enimvero, si in diversis scriptis eandem dicendi rationem, periodorum numerum aequalem, idearum similem compositionem atque ordinem, expressionum item eandem vim eandemque sententiam utrobique defensam praefixumque eiusdem autoris nomen inveneris, quid quaeso impedit, quo minus ea unius eiusdemque scriptoris esse asseras, criticamque hic certitudinem iactes? Scilicet id de fragmentis nostris si asseruerimus, quae cum impressis Irenaei egregie utique conspirant, quod in notis demonstratum a nobis est; omne utique feremus punctum, dabimusque id, quod in nostram trahere sententiam viros doctos possit. Ceterum dum mentionem notarum nostrarum hic iniicimus, haud sine praefatione ea nobis dimittenda sunt, quae contra novissimum, qui opera S. Irenaei illustravit, editorem Parisiensem,

Renatum Massuetum [1]) diximus. Quum enim et summam clarissimi viri eruditionem, et tersam modestamque nec vulgari civilitate tinctam scribendi rationem plurimi faciamus, quam et experti aliquando ipsimet sumus luculentius, litteris ab ipso ad nos datis amicum omnino viri humanissimi erga nos animum spirantibus; dubitare utique non potuimus, nostrum qualemcumque dissensum ab ipso in bonam partem acceptum iri. Etenim, quae contra ipsum sive ad caussam fidei nostrae agendam, sive ad defendendum, quem ipse aggressus fuit, amicum veterem I. E. Grabium [2]), sive ad explicanda melius Irenaei verba ponimus, nec ex odio quodam theologico, quod maxime a nobis alienum est, nec ex contradicendi libidine profectum fuit, sed ex sincero quodam veritatis amore, quem et in nobis ipse aestimabit magnique faciet clariss. Massuetus. Id quod et de rev. viro Nic. Nourrio, cui itidem aliqua reposuimus, affirmandum nobis est, quum adeo carum nobis honorandumque ipsius nomen sit, ut dulce hoc amicumque certamen nobis esse videatur, maxime quum viri clarissimi humanitas tot iam documentis nobis sit perspecta. Scilicet ita pronunciandum est de iis, qui rempublicam litterariam tot meritis scriptisque egregiis sibi devinxere, quam laudem peculiari ratione sibi vindicat doctissima S. Mauri congregatio, e monachis ordinis Benedictini constans; optandumque utique foret, ut, dum clariss. Nourrius continuando apparatui ad bibliothecam maximam Patrum insudat, Rev. Massuetus antiquioribus SS. Patrum scriptis, venerabilem primorum seculorum aetatem ferentibus, recensendis operam dare posset, qui annales Benedictinos post Io. Mabillonium et Theodoricum Ruinartum nunc pertexere iussus est. Nec tamen cum solis hisce doctissimis viris ita agendum nobis esse existimavimus; sed ubicunque ab aliis dissensimus, eodem fere tramite perreximus, nec in tribus illis dissertationibus, quas fragmentis nostris notisque adiecimus, unquam hanc modestiae legem migravimus. Quum enim argumentum, quod in secundo fragmento tractatur, involutum obscurumque esse nobis videretur; peculiarem operam dandam esse putavimus, qua difficilia enuclearentur, et obscura luci suae, seposito partium studio, restituerentur. Hinc enatae duae illae de oblatione et consecratione eucharistiae dissertationes, ubi inde a primis christianismi fontibus exorsi per omnia fere secula ivimus, et quid a Christo institutum, quid a veteribus superadditum, quid a recentioribus mutatum fuerit, prout res tulit, enarravimus. Quod institutum quum sine refutatione dissentientium haud exsequi possemus, primum ea nobis refellenda sumsimus, quae a rev. viro Georgio Hickesio S. T. P. et anglicanae ecclesiae presbytero [3]) ad oblationem panis

---

1) Editio, quam dedit, prodiit Parisiis ann. MDCCX. dissertationibus tribus praeviis notisque ab ipso ornata, ceteris omnibus, quae hactenus lucem viderunt, editionibus fere nitidior et amplior. 2) Ediderat Grabius Oxonii A. MDCCII. S. Irenaei opera suis animadversionibus illustrata, contra quas saepius pronunciat Cl. Massuetus. Sed nec silentium sibi imposuerat, quum ista vidisset, Grabius. Exstat enim inter ipsius posthuma adhuc ἀνέκδοτα penes Rev. D. Hickesium *Irenaeus revised and corrected with collections and references for a new edition, in which he designed to animadvert upon the learned editor of the new Paris-edition of that Father MDCCX. in his own defence.* Vide *D. Hickesii account of Dr. Grabe and of his Manuscripts.* P. 5. 6. 3) Sententiam Rev. Hickesii defend ere nuper continuavit Io. Iohnsonius, A. M. et E. A. P. duobus libris, quorum unus ante

et vini adstruendam allata fuisse noveramus; ita tamen, ut ex ipsa, qua usi fuimus, scribendi ratione colligere queat vir doctissimus, cui multa debemus, quo affectu ipsum complectamur, et quanto aestimio ea omnia prosequamur, quae ab ipsius manu proficiscuntur. Id vero rarissimum est et singulare, quod, dum, quae dixit, refellimus, ipsius tamen in sententiam eorumque, qui hanc aggressi sunt, tandem descendamus. Id quod fieri utique solet, ubi de verbis lis movetur. Ita enim statuimus, eos, qui oblationem panis et vini negant in eucharistiae celebratione fieri, eandem ipso observare facto, atque verbo quidem a ceteris dissentire, rem tenere; quam si aliter exprimerent ii, a quibus dissentiunt, nulla amplius futura esset lis aut contentio. Non vero ita pronunciandum esse existimavimus de iis, qui sacrificium corporis et sanguinis Christi in eucharistia repetitum asserunt; inter quos novissimi scriptoris pseudonymi Zephyrini de Pace argumenta ex veteris ecclesiae monumentis petita dissolvimus. Prodierant etenim iam ante tria fere lustra articuli unionis de Protestantibus ad ecclesiam Romanam reducendis, diu iam antea confecti sed nondum impressi, electoris Moguntini nomen praeferentes [1]), qui et instructionem pastoralem ad Protestantes hanc in rem scripsisse fertur in actis eruditorum Trevoltiensibus, quam tamen nobis videre hactenus non contigit. Quamvis autem ipse fateatur Zephyrinus, articulos hos nec ab electore Moguntino compositos, nec cum Romano pontifice communicatos, neque ab hoc approbatos fuisse, conscripsit tamen amplissimum in eos commentarium, cuius nonnisi pars prima prodiit. Atque hic de sacrificio Missae data agit opera, et ea quidem, quae omnino laudari meretur, modestia, sed argumentis aliquando tam invalidis, ut facilis oppido nobis eorum exstiterit refutatio, quam hac tamen ratione instituere conati fuimus, quae modestiae Zephyrini ex asse respondeat. Dissertationes de oblatione et consecratione eucharistiae insequitur liturgia graeca Io. Ern. Grabii, et, quae finem huic opellae imponit, dissertatio de praeiudicatis in religione diiudicanda opinionibus fugiendis. Quae omnia cur addiderimus, enarrabunt praefationes utrique praepositae, ubi huius instituti nostri caussas prolixius exponemus. Atque ita finem hisce imponere poteramus, nisi dicenda quaedam nobis essent ad ea, quae vir illustrissimus Scipio Maffeius, Marchio Veronensis, nuper in diario eruditorum, quod Italico idiomate, curante maxime viro doctissimo apostolo Zeno, Venetiis imprimitur, monuit [2]). Huic quum *ἀνέκδοτα* S. Irenaei fragmenta, quae damus, manu scripta notisque nostris brevioribus illustrata transmisissemus, non solum pro eo, quo nos prosequitur, benevolentiae studio laudato diario ea inserenda curavit, sed et epistolam ad reverendum virum Benedictum Bacchinium, abbatem S. Mariae de Lacroma, O. S. B. con-

---

quinquennium Londini prodiit sub titulo: *The propitiatory oblation in the holy Eucharist*, alter nuperrime lucem vidit et inscribitur, *the unbloody sacrifice and Altar.*

1) Vide *die auffgefangene Brieffe, die erste Ravage, das zehende Paket, die 131ste Correspondenz,* et *die Chur-Maynzische Instruction, welche Ihre Chur-Fürstliche Gnaden durch deren Rahl von Blumen Ihrer Päpstlichen Heiligkeit vortragen lassen, wie die Evangelischen mit der Römisch-Katholischen Kirche am füglichsten sich vereinigen und in Eins gebracht werden können. Offenbach MDCC.*

2) Vide *Giornale de' Letterati d' Italia* Tom. 16. art. 4. pag. 226 seq.

greg. Casinensis, addidit partim, ut dubia sua circa *αὐθεντίαν* fragmentorum horuncce exponeret, partim, ut, quae in notis nostris fidei Romanae contraria esse crediderat, refelleret. Tam polito autem et amico dicendi genere erga nos utitur, laudemque insuper haud vulgarem nobis scribit, ut non possimus non plurimum exosculari, quae tam benevole nostris annectere ipsi placuit. Sed hoc quidem nobis in praesenti haud sufficit. Ea enim est viri nobilissimi eruditio, ea ingenii elegantia, ea iudicii, quo pollet, perspicacia, et, quam sibi conciliavit, inter eruditos Italos fama, ut omnino ad caussam nostram agendam videamur necessitate quadam adstricti esse. Facimus autem id eo libentius, quod litis nostrae arbitrum esse voluit celeberrimum Bacchinium, virum in antiquitate ecclesiastica versatissimum [1]), dignumque, qui ob eruditionem, quam possidet, summam in purpuratorum ordinem referatur. Ait autem primo Maffeius, quae ex catenis graecis depromantur, dubiae fidei esse, maxime si liber non allegetur, ex quo fragmentum sit desumtum, idque fateri ipsum Massuetum [2]); accedere porro, quod in nostris fragmentis non exstet *Εἰρηναίου, Ἐπισκόπου Λουγδούνων,* quod utique addendum fuisset, si haec Irenaei essent. Sed notandum est, assertionem hanc admitti non posse, si generalis ea esse debeat; partim, quod, quae in catenis graecis similibusque collectionibus, in quibus patrum dicta in unum volumen congesta reperiuntur, exstant, ut plurimum genuina sunt, id quod ex collatione codicum MSS. cum impressis patet; partim quod ea communis catenarum methodus haud est, ut libri, ex quibus dicta patrum trahuntur, semper allegentur, etsi eadem genuina sint, nec diligentiam illius fugiant, qui ipsos libros, quibus ea debentur, evolverit. Unde nec necessarium nobis esse videtur additamentum illud *Ἐπισκόπου Λουγδούνων,* quum non fuerit fere nisi unus Irenaeus, (alter enim, qui episcopus Tyri fuit, vix attendi meretur. nec eam sibi famam comparavit,) observeturque etiam in catenis, patrum, qui allegantur, nomina saepissime solitaria poni atque etiam saepius solis litteris initialibus vel unica saltem initiali (qua maxime ratione Chrysostomi nomen, *χ* et *ϱ* unam in litteram coniectis, exprimitur), designari. Pergit Maffeius, et primum fragmentum nostrum sollicitat, quod contineat nonnisi textus Novi Testamenti secum invicem combinatos, quam addit antiquiorum patrum consuetudinem haud fuisse. Sed facilis hic est responsio, omne contrarium ex libris eorum, qui exstant, apparere. Nec opus est, ut prolixas hic cumulemus allegationes. Sufficiat nobis ipse Irenaeus, qui in libris adversus haereses ad nauseam usque plurimis in locis dicta Scripturae mirum in modum cumulat; id quod ipsa docet inspectio. Secundum fragmentum eapropter genuinum non esse existimat noster, quod constitutiones apostolicae in eo allegentur, Irenaei aevo (quod omnes eruditi fateantur) longe posteriores, maleque addit a nobis vocem *δευτέραις* verti, quae non significet *ultimis* sed *secundis.* Quae autem *secundae* illae *διατάξεις τῶν ἀποστόλων* sint, vix divinari posse; si vero consti-

1) Patet id non solum ex iis, quae *de Origin. Hierarchiae ecclesiasticae* scripsit, sed et ex editione Agnelli, cuius librum pontificalem de vitis pontificum Ravennatum ex bibliotheca Estensi eruit, suisque dissertationibus et observationibus illustravit Mutinae MDCCVIII.

2) In *admonitione de fragmentis Irenaei.*

tutionum apostolicarum lib. VIII. intelligatur, haec utique Irenaei aevum non ferre. Ast res est in vado. Neque enim hoc affirmamus, quod Irenaeus in fragmento nostro eam constitutionum apostolicarum compilationem alleget, quae hodie exstat, et, fatentibus omnibus, Irenaei seculum non fert, id quod et nos ipsi tum in notis nostris tum in Diss. de oblatione eucharistiae diximus [1]). Ast eandem ex *διδασκαλίαις* virorum apostolicorum, Barnabae, Clementis, Ignatii, Polycarpi, Hermae, ipsius quoque Irenaei et Hippolyti factam esse multi sunt inter recentiores doctissimi viri, qui asserant [2]). Quinimo et alibi saepius Irenaeus ad traditiones seniorum sive presbyterorum, qui ipsos apostolos viderant et audierant, provocat. Nec quae Io. Dallaeus [3]) profert, argumenta aliud probant, quam constitutionum apostolicarum, quam habemus, collectionem corruptam esse et interpolatam, seculisque demum sequioribus compositam, quod nemo negat; licet in eo dissentiant eruditi, quod iuxta communem sententiam corruptio ab haereticis Arianisque maxime profecta esse dicatur, Gul. vero Whistonus arbitretur, eam orthodoxis attribuendam esse. Qui, quum veterum scripta cum constitutionibus apostolicis confert, et allusiones allegataque ex iisdem extracta e vetustissimis scriptoribus christianis sistit [4]), probat utique, constitutiones apostolicas antiquissima et genuina christianae religionis monumenta continere. Ceterum non opus erat, ut de voce *δευτέραις* dubia sibi crearet illustriss. Maffeius. Si enim vertat *secundis*, per nos id licebit, etsi, quid per secundas *διατάξεις* intelligendum sit, nesciamus, quum nulli dentur constitutionum apostolicarum recensendarum ordines. *Δεύτερος* vero et *ultimus* est; dicitur enim *δεύτερος ἁλλων omnium postremus*, ut in re liquida unicum saltem, quo tamen opus non erat, afferamus exemplum. Ast, si placet, vertamus *posterioribus*, (id enim, ut arbitror, optimum erit,) ne nodum in scirpo quaerere habeamus necesse. Suspecta quoque amicissimo Maffeio nostro est vox *ἀντίτυπα*, quam, quum de eucharistia adhibetur, seculis demum sequioribus natam esse credit. Nec diffitemur, inter ea, quae exstant, seculi II. vel III. monumenta nullum inveniri, quod vocem *ἀντιτύπων* sacramento eucharistiae applicet. Sed nec perspicere possumus, cur primus eam hoc in argumento adhibere non potuerit S. Irenaeus; quod utique probandum erat, ut huic argumentandi rationi vis aliqua daretur. Dogmaticam autem vocis *ἀντιτύπων* historiam in notis ad fragmentum secundum dedimus [5]). Idem fere dicendum est de *ἐπικλήσει* ad Spiritum Sanctum, quam Irenaei tempore nondum usitatam vult noster Maffeius. Quod primum utique gratis dicitur. Nec enim dissimulat idem, Irenaeum *ἔκκλησιν* et *ἐπίκλησιν* memorare in editis, licet negandum esse putet, consecrationem ea perfici, quod tamen expressis verbis innuit vir sanctus: *ὁ ἀπὸ γῆς ἄρτος προσ-*

1) P. 10 seq. 39. 45. 58. 59. 122. 126. 131. 137. 138. 183. 282. 294. 295.

2) Unicus hic nobis sufficiat Gul. Cave in *Historia litteraria Scriptorum ecclesiasticorum* iis in titulis, quos nominavimus.

3) In Tract. *de Constitutionibus Apostolicis* Hardervici Ann. MDCLIII. impresso.

4) Vid. Vol. III. libri: *Primitive Christianity reviv'd*, ubi exstat *an essay on the Apostolical Constitutions*. London MDCCXI. Conferendum autem maxime est caput IV. ubi sistitur *the* external evidence, *or testimonies for, citations of, and allusions to these Apostolical Constitutions*. 5) P. 131 seq.

λαμβανόμενος τὴν ἔκκλησιν τοῦ Θεοῦ οὐκέτι κοινὸς ἄρτος ἐστὶν ἀλλ' εὐχαριστία [1]). Alibi et memorat, Marcum haereticum, ad imitandos sine dubio Catholicos, adhibuisse *τὸν λόγον τῆς ἐπικλήσεως* [2]). Eandem fere in sententiam fatur Theodotus haereticus: *ὁ ἄρτος ἁγιάζεται τῇ δυνάμει τοῦ Πνεύματος* [3]). Origenes quoque aut potius Maximus, eiusdem seculi scriptor, haereticum introducit fatentem, *ὅτι τὸ ἅγιον Πνεῦμα ἐπὶ τῆς εὐχαριστίας ἔρχεται* [4]). Cyprianus *invocationem non contemtibilem* sive *sacramentum solitae praedicationis* in consecranda eucharistia mulierem haereticam adhibuisse refert [5]). Denique Cyrillus Hierosolymitanus, qui sec. IV. vixit, *ἐπίκλησιν* ad Spiritum sanctum clarissimis verbis effert [6]); quem omnes graecae liturgiae omnesque fere graecae ecclesiae patres, imo et antiquiores Missae latinae sequuntur, uti in dissertatione de consecratione eucharistiae ostendimus. Sed qui amabo accidit, ut nullus alius inter Irenaei coaevos, ne quidem Iustinus m., qui ritus eucharisticos tam prolixe exhibet, *ἐπίκλησιν* memoraverit? Ast sufficiant nobis et ipse Irenaeus et Marcus et Theodotus et Maximus et Cyprianus, qui non longo post tempore vixit. Ex horum enim testimoniis combinatis secum invicem coniunctisque efficitur, *ἐπίκλησιν* ad Spiritum sanctum iam aevo s. Irenaei cognitam fuisse. Nec reiicienda hic sunt haereticorum vel facta vel effata, quum ista quidem a catholicis desumserint pravi homines, ut sub specie veritatis simplicioribus eo magis imponere possent. Hinc et, uti vidimus, Cyprianus *invocationem* mulieris haereticae vocat *non contemtibilem,* eandemque insuper appellat *SOLITAE praedicationis sacramentum.* Ceterum prolixiora hic argumenta pluraque antiquiorum testimonia postulari nequeunt, quum defectus monumentorum seculi II. quo laboramus, non patiatur, ut multos hic autores allegemus, qui eadem referant. Scilicet in scriptis nunc deperditis exstitisse potuit *ἐπίκλησις* ista, uti et *ἀντιτύπων* vox; nec, quia ista nunc periere, aut, quid in iis exstiterit, ignoratur, dici potest, haec in iis non exstitisse, maxime, quum seculi IV. scriptoribus haec omnia sint familiaria, qui sane non primi (quod absit,) ea excogitavere, sed ab antiquioribus hausere; nisi ecclesiam seculi IV. in consecratione eucharistiae iam variasse dicere malis. Quod autem Iustinus m. *ἐπίκλησιν* ad Sp. S. non habet, qui *εὐχὰς* tamen memorat, id nihil probat aliud, quam seculo II. in omnibus ecclesiis graecis *ἐπίκλησιν* nondum receptam fuisse, formulasque precis consecratoriae tum adhuc varias diversasque exstitisse. Id quod et in dissertatione de consecratione eucharistiae innuimus [7]). Tertii fragmenti *αὐθεντίαν* eapropter dubiam esse existimat Maffeius, quod libertas in festis diebus ieiuniisque observandis, quae in eodem statuitur, Novatiano potius quam catholico scriptori conveniat. Sed mallem, ut ea probasset noster. Quae enim hic Irenaeus dicit, post Paulum dicit apostolum, cuius verba affert, ut in notis ostendimus [8]). Nec opus est, ut, quae tum forsan et in ecclesiis quibusdam particularibus de ieiuniis festisque agitabantur, contentiones ex monumentis ecclesiasticis deducamus, quod postulare videtur nobiliss. Maffeius, qui putat,

1) L. 4. adv. Haeres. cap. 18. §. 5. 2) L. 1. adv. Haer. cap. 13. §. 2. 3) In Opp. Clem. Alex. f. 800. 4) Dial. cont. Marcion. Sect. 2. p. 53. 5) Epist. 75. 6) Catech. Mystag. 5. 7) §. 2 seq. et passim. 8) P. 149. 150.

Irenaei tempore nullam hac de re litem fuisse. Quum enim ea monumenta fere omnia nunc perierint, dici utique nequit, nullam, quum Irenaeus viveret, controversiam hoc de argumento fuisse agitatam, quia in iis, quae exstant, ea non memoretur. Sed nec huc quoque nobis confugiendum est, quum vir sanctus verbis longe clarissimis istam litem nobis descriptam det. Ait enim: *οὐ γὰρ μόνον περὶ τῆς ἡμέρας ἐστίν ἡ ἀμφισβήτησις ἀλλὰ καὶ περὶ τοῦ εἴδους τῆς νηστείας. Οἱ μὲν γὰρ οἴονται μίαν ἡμέραν δεῖν αὐτοὺς νηστεύειν, οἱ δὲ δύο, οἱ δὲ καὶ πλείονας, οἱ δὲ τεσσαράκοντα κ. τ. λ.*[1]) Sopita tamen haec lis postea fuit, nec in apertum schisma erupit, remanentibus licet contentionis semel coeptae reliquiis, quae particulares aliquando, ut arbitror, committebat ecclesias. Servabatur scilicet etiam inter dissentientes pax ecclesiastica, etsi ritus diversi essent, nec *unionem fidei* scindebat, sed monstrabat potius *commendabatque ieiunii diversitas*, quae ipsa s. Irenaei verba sunt[2]); ex quibus et hoc liquet, non de festo saltem paschatis die temporeque, quo is celebrandus sit, sed et de ieiunio praevio tum inter ecclesias disputatum fuisse; id quod dissimulat fere doctissimus noster Maffeius. Compescendo autem huic schismati, saepius subinde gliscenti, ipse manum admovit episcopus Lugdunensis, uti ex sola epistola ad Victorem, episcopum Romanum, constat; fateturque id clariss. Massuetus, cuius verba damus: *Haec proinde Irenaei laus fuit*, quod *dissidentes ecclesias, moxque fractis foederibus sacris discindendas reconciliaverit: inde apud utrasque nunquam satis pro merito commendandus, quod schismatis malum utrisque funestum averterit*[3]). Progreditur ad notas nostras Maffeius, carpitque, quod dixerimus, veterem ecclesiam oblationem consecrationi praeposuisse, hancque ab illa distinguendam esse, sacrificium altaris itidem a sacramento eucharistiae differre, celebrationemque coenae dominicae a veteribus sacrificium et oblationem haud nuncupatam fuisse; quibus et addit, nos oblationem laicam cum sacerdotali confundere, id quod *πρῶτον ψεῦδος* nostrum ipsi esse videtur. Sed hoc posterius nemo quidem existimaverit, qui notas nostras dissertationemque de oblatione eucharistiae contulerit, ubi sollicite ista, ut par erat, distinximus[4]). Consecrationi autem oblationem praepositam olim fuisse adeo perspicuum ex veterum dictis liturgiisque antiquissimis, maxime graecis, esse arbitramur, ut nihil clarius esse possit. Obtulit enim primum sacerdos dona consecranda, deinde consecravit, una eademque prece, ita, ut dicere quoque possis, oblationem in consecratione consistere, si, quod scholastici aiunt, consecrationis vocem *late* accipias, quae *stricte* alias sumta ab oblatione omnino distinguenda est. Idem fere de distinctione inter sacrificium et sacramentum eucharistiae dicendum est, deque sacrificiis et oblationis nomenclatione, a veteribus *κατὰ συνεκδοχὴν* coenae dominicae data, quum, si accurate res eloquenda sit, ista utique plurimum differant: si vero generaliori termino totus eucharistiae cultus sit designandus, a praecipua quadam eius parte denomi-

1) Vide Irenaei epist. ad Victorem, episcopum romanum, cuius exstat fragmentum apud Eusebium lib. 5. Histor. eccl. cap. 24. et Nicephorum lib. 4. Hist. eccl. cap. 39. 2) *ἡ διαφωνία τῆς νηστείας τὴν ὁμόνοιαν τῆς πίστεως συνίστησι.* loc. cit. 3) Diss. II. in Iren. Art. I. §. 29. p. 208 huius edit. 4) P. 38. 44. 109. 121. 183. 184. 187. 206. 254. 255. 259. 260. 261. 269. 283. 304. 308. 309. 314. 323. 335. 491. 528.

natio sumi possit. Unicumque id erat, quod nos refellere conabamur, sacrificium aut *προσφορὰν* in distributione aut *μεταλήψει* sive communione olim constitisse, quod quidam dixerunt. Haec enim opinio valde est insipida, atque ex can. apost. 9. quem allegavimus, egregie utique refutatur, ubi *προσφορὰ* expresse a *μεταλήψει* distinguitur [1]). Sed de his quidem in dissertatione de oblatione eucharistiae notisque nostris latius egimus. Nec id quoque approbandum esse putat illustriss. Maffeius, quod diximus, *consecrationem in ἐπικλήσει ad Spiritum Sanctum consistere,* Sed nos ii non sumus, qui, dum ista dicimus, propriam sententiam nostram referamus, etsi, quid in *ἐπικλήσει* hac consecratoria mali lateat, hactenus perspicere non potuerimus. Nec clariss. quoque Massuetus unquam huic favit sententiae, a communi ecclesiae romanae fide abludenti, id quod innuere tamen videtur noster Maffeius, quum nec in notis ad lib. IV. Irenaei adv. Haer. cap. 18. §. 5. habeat, quod huc spectet, nec alibi quoque, sed affirmet saltem, *Irenaeum,* ubi scribat: *ὁ ἀπὸ γῆς ἄρτος προσλαμβανόμενος τὴν ἔκκλησιν τοῦ Θεοῦ, manifeste alludere ad solemnem illam verborum formulam, quae in antiquis omnibus liturgiis orientalibus occurrat, quamque Graeci cum Irenaeo κατ' ἐξοχὴν vocent ἐπίκλησιν,* invocationem. *Eam esse, qua Deus oretur, ut mittat Spiritum sanctum, qui suo in dona proposita illapsu efficacissimaque operatione faciat ea corpus et sanguinem Christi* [2]). Scilicet quod nos asserimus, est, ecclesiam graecam, consentientibus omnibus liturgiis, *ἐπικλήσει* ad Spiritum sanctum facta eucharistiam consecrare, id quod et supra iam innuimus, et tum in notis ad secundum Irenaei fragmentum [3]), tum in dissertatione de consecratione eucharistiae [4]) luculentissimis argumentis probavimus, veritatemque hanc historicam contra dissentientes Bessarionem, Turrecrematam, Arcudium, Goarum, Allatium, Bonam, Corderium, Huetium aliosque ita adstruximus, ut, quid regeri nobis possit, omnino non videamus. Nec dica quoque hanc ob rem scribi potest doctissimo Massueto, quum consentientem hoc in argumento habeat I. B. Bossuetum, episcopum Meldensem [5]). Ceterum, qui eadem nobiscum hic senserit, nulla tamen ratione dicet consecrationem eucharistiae necessario *ἐπικλήσει* hac peragendam esse; id enim est, quod negamus, quum aliae quoque preces hic adhiberi possint, et libertati ecclesiae id relictum voluerit Christus, utpote cuius *εὐλογία* solo nomine designata, verbis autem, queis constituit, non exscripta in evangelio reperiatur [6]). Ubi autem innuit Maffeius, Iustinum m. credidisse, quod in verbis H. E. E. C. M. consistat consecratio, scribere enim illum *τὴν δι' εὐχῆς λόγου εὐχαριστηθεῖσαν τροφήν;* mentem utique Iustini nostro iudicio non assequitur, quum sanctissimus martyr per *εὐχὴν* haud intellexerit verba, quibus id indicatur, quod porrigitur vel distribuitur, sed *orationem* et *preces,* quibus gratiae aguntur pro donis a Deo datis et haec ipsa sanctificantur. Ea vero, quae in concilio Florentino hanc in rem gesta sunt, luculenter in dissertatione de consecratione eucharistiae [7]) exposui-

1) Vide infra et p. 312 seq. 2) Diss. 3. in Iren. art. 7. §. 83. p. 314 huius edit. 3) P. 64 seq. 76 seq. 96. 104. 109. 4) §. 3 seq. et passim. Adde et p. 375. maxime vero §. 11 seqq. 5) Vide infra p. 438 seq. 6) Vide Diss. de oblatione eucharistiae §. 42. p. 345. 346. et de consecr. euch. §. 1. p. 360. itemque p. 428. 434. et 485. 7) §. 11 seqq. p. 413 seq.

mus, adeo, ut plura hic addere non sit necesse. Vehementer autem dolemus, *Praenotiones* Rev. Abbatis *Papadopoli,* quas laudat Maffeius noster, hactenus a nobis visas haud fuisse. In his enim ait, haec omnia prolixius tractata esse, ostensumque ex patribus graecis, ecclesiam graecam eandem cum romana sententiam in articulo de consecratione eucharistiae fovere, quod utique probatu admodum difficile est. Atque ita Illustriss. Maffeium non sine captatione benevolentiae atque eo quo par est, ut ipsum prosequamur, amicitiae venerationisque affectu dimittimus, praefationique nostrae hic terminum ponimus; cuius si migraverimus limites, veniam nobis dabit lector benevolus, quem in rem praesentem nunc sumus deducturi.

III.

SCIPIONIS MAFFEII

EPISTOLA ALTERA.

REVERENDISSIMO PATRI ABBATI BACCHINI SCIPIO MAFFEIUS S. P. D.

[1])In novo libro, quem mihi e Belgis abhinc mense missum ego remitto ad te, Pater Reverendissime, recusa videbis graeca fragmenta illa, quae abhinc annis aliquibus tradidi tibi, ac responsum videbis fecisse Pfaff dubitationibus simul omnibus, quas, ut a te erudirer, tum movi in epistola ea, quae una cum ipsis fragmentis, cumque animadversionibus edita deinde fuit in actis litterariis Venetie. Vir hic celeber et eruditus non modo responsum affert in praefatione atque pluribus in locis, valde fusarum animadversionum difficultatibus meis; sed quoniam nonnihil opposueram dogmati suo de *oblatione et consecratione,* etiam de his rebus sententiam suam duplici absolutissima tractatione defendit. Certo scio te laudaturum admodum in isto auctore non minus multiplicem et variam eruditionem, quam grave ac moderatum ingenium, quo procedit, quodque honestatem urbis refert illius, qua vivit; neque ignoro, quod recte tu animadvertens, quomodo laudes ab eo mihi tributae in eundem redundent, mecum dolebis, ut ego soleo, quum viros cognosco tam doctos, tamque honestos a recta religione descivisse. Ipse namque quum semper nova adipiscatur in Taurinensibus MSS. de litteris in dies maiora meretur, quum, non diu est, miserit acta inedita nonnulla PP. societatis Iesu Antverpiensibus, ac tradiderit P. Montfaucon homilias aliquas ad novam editionem suam s. Ioannis Chrysostomi locupletandam. Verum quia in controversia nostra, quamquam ipse summo ingenio et doctrina processerit, non tamen ita quiesco, ut mihi videatur ille difficultatibus meis satisfecisse, tibi reveren-

1) Hae litterae iterum Italico idiomate a Maffeio scriptae exstant in *Giornale de' Letterati d'Italia* Tom. XVI. Art. 2. p. 51 seqq.

dissime pater, quoniam te iudicem neque vir ille eruditus reformidat, exponam brevi, quod reponere mihi posse videtur.

Prima dubitandi ratio, utrum scilicet fragmenta haec essent reapse s. Irenaeo tribuenda, ex eo mihi suborta est, quod viderem haec illum traxisse a catenis. Pfaff reponit, dicta PP. quae catenae continent ut plurimum autographa esse solere. At ego aio, id mihi aliquando examinanti non ita evenisse. Catena inter MSS. mea graeca in satis antiquis membranis satisque emendatis mihi est, in qua quoad praefixa nomina, errata videre est ac prope innumeras perturbationes. Sed MSS. catenarum, editae quae sunt, argumento esse queunt, quae sane ab editorum diligentia credendum est facta fuisse meliora. Huc adducam, quod observavi in amplissima ac splendidissima omnium cusa catena, nempe in corderiana in psalmos, quam iure optimo eruditissimus Fabricius aliarum comparatione vocat *plenius ac perfectius opus* [1]), quaeque valde laudata, adhibitaque a multis, rectene adhuc et diligenter fuerit ab aliquo hactenus examinata, a me plane ignoratur. Non praetergrediar psalmum primum, ne longior fiam nimis. In ipsum itaque non brevis interpretatio affertur, ceu auctoris ignoti et anonymi, quum haec, quamquam sparsim sumta, ut catenarum mos est, universa interpretatio a s. Basilio hausta fuit. Textus adducitur veluti Theodori Antiocheni, id est Mopsuesteni (cuius vidi Venetiae ineditos commentarios in prophetas minores) et est Theodoreti. Textus alter etiam Theodori nomen prae se fert, quod de Theodoro Antiocheno tanquam supra laudato censendum est, sed tamen in catena Lippomani idem textus tribuitur Theodoro Heracleotae, qui tamen Theodoreto eidem tribuendus est. Contra vero septem in locis laudatur Theodoretus, quum semel tantum in primo loco esset laudandus. Nam quod illi loco secundo tribuitur, Lippomanus traxisse videtur a Didymo, quod tertio loco paucis mutatis est Eusebii textus. Pars prima textus quarti est s. Athanasii [2]), postremae partis auctor est Theodoretus, quum tamen plane diversum fragmentum sit ab alio hausto ab Vaticana catena, quod in eadem verba habetur in ultimo Tomo addito quidem ab P. Garnerio editioni Sirmundianae [3]). Quinto loco non sibi vindicat Theodoretus nisi verba prima, quibus fortasse usus est auctor textus illius. Sexti initium cognationem aliquam habere videtur cum explicatione versiculi tertii facta a Nicephoro Blemmida, cuius ineditum opus in Psalterium, quod difficile inventu est, habeo duplex. Verum cuiuscunque sit, neque hic, neque postremo loco qui sequitur textus, reperiuntur in commentariis Theodoreti. Ita textus primus laudatus pag. 15. non est Eusebii. Quis porro scit, an in decursu textus aliquis ceu Eusebii laudatus in catena, similis ex eo non sit textui cuidam commentariorum ex eo, quod a catena in commentarios fuerit translatus [4])?

At de interpretationibus ab ineditis operibus derivatis, vel ab opere deperdito parum dici potest, quum sit ut plurimum aliis credendum. Comparare possem textus Hesychii, si Venetiae essem, ubi inveni iam parvo in codice opus suum in psalmos. Quod enim primo loco hic

1) Bibl. Gr. vol. 7. p. 742. 2) Athanas. edit. postr. p. 1009. 3) Pag. 7.
4) Vid. praelim. pag. 3.

tribuitur Didymo, iam antea fuerat Theodoreto tributum, Chrysostomi textus ab editoribus huius auctoris, neque habiti tanquam Chrysostomi textus, neque recepti fuere. In editione Savilii videre est homiliam apocryphum in psalmum primum, quae tres illos textus haud recenset. Textibus vero, qui tanquam Origenis citantur, passim minima fides datur, adeo ut Huetius, qui diligenter fragmenta collegit, neque hos, neque alios admisit, qui in hisce collectionibus reperiuntur, quia, ut ipse ait, *levis et fluxa catenarum fides* [1]). In catena, quae est in Ioannem, nomen Origenis habet textus, in quo commemorantur Manichaei; sed re vera nostrorum primus longe diversus est ab eo fragmento, quod habetur in Philocalia in ver. 3. Fidem aliquam mereri tamen tertius videtur quum similis valde sit his, quae Hilarius habet in commentario, qui ab commentario Origenis derivatus est. Tandem longior textus, qui in hunc psalmum appareat, Gennadio tribuitur. Sed noscitur quidem auctorem hunc fuse in psalmos scripsisse: ac de Gennadio alio Massiliensi accepimus quidem commentarios in Danielem confecisse, atque de Theodoro lectore accepimus ita pie psalmodiam coluisse, ut neminem ad sacras ordinationes accedere permitteret, quin eam omnino memoriae prius mandavisset, sed in psalmos scripsisse non accepimus. Gennadio vero, qui vixit decimo quinto seculo, non est id tribuendum, quum P. Corderius [2]) asseveret catenam hanc ab MSS. vetustis depromsisse, immo vetustissima haec MSS. vocat Lambecius, quamquam de iis, in quibus laudatur Pachymeres, attributum illud non tam late sit sumendum. Varton vero et Cave neutri Gennadio hanc catenam tribuere, quamquam omisisse plura animadverti bibliographos, quia catenas omiserunt. Ita nemo dicit, s. Cyrillum Alexandrinum in psalmos scripsisse, et tamen ab fragmento alicuius MS. celebris, quo potior, colligitur id vel certissime. Tandem textus ille, non tanquam Gennadii, sed veluti Origenis affertur a Barbaro, atque eiusdem partem primam Lippomanus quoque Origeni adscribit: pars vero altera optime dignoscitur alterius auctoris opus esse. Ita in textu Basilii hic pag. 8. allato, lineae primae duae Athanasii sunt, quod videre est in supplementis additis a P. Montfaucon *in nova collectione* [3]), quo in loco apparet etiam auctorem anonymum commentarii in versiculum 3. apud Corderium esse Athanasium, sed paullo ante notavimus textum alium partim ab Athanasio, partimque a Theodoreto desumtum.

Ab quo errore, qui frequentissime in catenis offenditur, ut textus afferant variorum auctorum, veluti textum unum, omisso fortasse nomine, quod intercedebat, argumentum sumam indicandi alios nonnullos crassiores defectus, qui praesertim hoc respiciunt, quod modo tractamus. Animadvertatur itaque, quomodo sententiae quoque revera ab indicatis auctoribus desumtae, ita saepe alterantur, ac tanta verborum mutatione adductae sunt, ut vix noscantur. Sit exemplo textus Eusebii hic positus p. 12. [4]) collatusque cum editione doctissimi P. Montfaucon. Animadvertatur quoque *μετάστασις*, cui persaepe subiacent ii quoque laudati textus, qui verba ipsissima habent, propter consuetudinem desumendi

1) In praefat. in Eclog. ex lib. I. 2) In praef. Tom. 3. p. 22. 3) Collect. nov. tom. 2. pag. 4. 4) Eus. comm. in psal.

verba promiscue hinc et illinc, omissis iis, quae in medio posita erant, iisdem, inquam, ad arbitrium compositis. Exemplo certissimo esse queunt textus Basilii in hunc eundem psalmum.

Quid dicam de varietate multa, quam videre est in catenis iisdem apud diversa MS. descriptis? Equidem potior inedito eo opere in psalterium, quod laudatum fuit ceu catena Nicetae episcopi Serrensis in Macedonia, quumque ab eadem Petrus Felkmanus traxisset fragmenta illa magna s. Athanasii in psalmos, in novissima editione cusa mihi commodum fuit observandi discriminis [1]). Ex quo recte intelligi potest, quam infirmo talo nixa fuerit oppositio Savilii Danieli Barbaro [2]), nempe hunc proprio, ut dicitur, Marte tribuisse dicta aliqua Chrysostomo, quae in MS. suo minime reperiebantur, quod deprehendisse ait, quia MS. aliud ipse habebat catenae eiusdem, quasi quod haec MSS. plane eadem esse debeant. Quin etiam in memorato nunc codice inveni nonnullum textuum illorum, quem nomine s. Athanasii notavit Barbarus, quique quum modo non appareat in graecis editis commentariis illius auctoris, poterat ab aliquo suspicari, sine auctoritate ulla fuisse ab eodem s. Athanasio adscriptum. Sed quoniam codicem hunc prae manibus habeo, placet moniti mei de mutatione et mutilatione exemplum afferre ab eodem codice haustum, quod et iucundum sit propter novitatem, et propter eruditionem sit utile. In anonymo commentario P. Corderii cum catena coniuncto in fine psalmi 34. ita legitur [3]):

Ἔφη δέ τις διὰ τούτων κατεύχεσθαι τῶν ἐχθρῶν τὸν Δαβίδ, ἢ βελτιωθῆναι τούτους θέλοντα, τύπτε γὰρ ἀδόκιμον ἀργύριον, καὶ καθαρισθήσεται· ἢ ἵνα μαστιζόμενοι τὴν μέλλουσαν φύγωσι κρίσιν· ἢ ἵνα τούτων πασχόντων, βελτίους ἕτεροι γένωνται. Πολεμηθῆναι γὰρ αὐτοὺς προσηύχετο, οὐχ ὡς φιλάνθρωπος (f. *μισάνθρωπος* a sensu, et a meo MS.) *ἀλλ' ὡς μισοπόνηρος.*

Fuit, qui dixit, verbis illis male Davidem ominari inimicis, aut quod cuperet, illos ita fieri meliores, quoniam *argentum malleo purgatur, aut quod hic percussi, futurum iudicium evitarent, aut quod patientibus ipsis, ceteri meliores evaderent, nam ut affligerentur orabat, non quia odisset personas, sed peccatum.*

Νεστορίου. Τὸ κατεύχεσθαι τῶν ἐχθρῶν δι' ἓξ αἰτίας φασί. α'. ἀναβελτιωθῆναι τοὺς ἐχθροὺς βουλόμενον. Τύπτε γὰρ ἀδόκιμον χρυσίον καὶ καθαρισθήσεται. Δεύτερον, ἵνα ὧδε μαστιζόμενοι καὶ πολεμούμενοι κουφότερον πειραθῶσι τῆς αἰωνίου. Τρίτον, ἵνα ταῖς τούτων μάστιξι ἄλλους εὑρεθῇ σωφρονίζων· πανοῦργος γὰρ ἰδὼν ἄφρονα μαστιζόμενον, κρατιῶς αὐτὸς παιδεύεται. Τέταρτον,

Nestorii. Imprecationes in inimicos sex ob caussas dicuntur fieri a Davide: 1. *ad eos faciendos meliores, nam impurum aurum malleo purgatur:* 2. *ut hic afflicti vexatique leviorem aeternam poenam experirentur:* 3. *ut horum punitione ceteri sancti fierent, nam sapiens videns stultum castigatum, ipse vel per se serio eruditur:* 4.

1) Eusch. comm. in psal. 2) Tom. 8. pag. 10. 3) Pag. 632.

τὸν βίον λοιμοῦ καὶ νόσου ἀπαλλάττων. Πέμπτον, ἵνα μὴ καὶ ἄλλοι αὐτῶν μαθητευθῶσι, τὰς ἐπενεχθείσας πληγὰς φοβηθέντες. Ἕκτον, ἵνα μὴ εἴπωσι τινές, ποῦ ἐστὶν ὁ Θεὸς τοῦ Δαβίδ; μὴ αὐτὸν ἐκδικεῖ καὶ σώζει; οὐκ ἔστι γὰρ σωτηρία αὐτῷ ἐν τῷ Θεῷ αὐτοῦ. Πολεμηθῆναι δὲ τοὺς πολεμοῦντας εὔχεται οὐχ ὡς μισάνθρωπος, ἀλλ' ὡς μισοπόνηρος.

ad liberandam vitam a malis: 5. ut ab ipsis ceteri quoque discant, vereanturque poenas inflictas: 6. ne quis dicat: ubi est Deus David? cur non ulsciscitur et defendit illum? in Deo suo salutem non invenit. Orat igitur, ut impugnet impugnantes se, non quod odio personas habeat, sed tantum peccatum.

Fortasse, quae posita sunt numero 4 et 5 perperam posita sunt, non tamen quae numero 6 pessime omissa ab eo, qui ea transtulit in commentarios catenarum more elucubratos, alioquin multa dignos laude. Iuxta codicem meum hoc itaque fragmentum est Nestorii, et monumentum aliquod nobis suppeditare videtur Corderianus auctor, qui nomen odiosum tacuit. Verum concludentes tandem, ex his, quae notavimus de auctoribus nostrae huius magnae catenae, dicere possumus, ex triginta sententiis in primum psalmum, praeter decem, ceteras tales non esse, ut certae sint ac testimonio confirmatae. Et haec satis sint ad ostendendum, quantum fidendum sit generatim quidem nominibus ipsius catenae Corderianae, quamque sint incerta nomina omnium aliarum catenarum.

Sed affirmat Pfaff se feliciter textus catenarum Taurinensium comparasse omnes. Quamquam autem id aliis difficile videri possit, ego tamen non dubito, aiente ipso, hac de re. Sed tamen videndum est, utrum auctor alius in ipsis laudatus sit duorum primorum seculorum; nam in his maior est difficultas, quum catenae fuerint temporibus mediis elucubratae, quibus opera antiquissimorum scriptorum, quibus modo caremus, credibile est iam fuisse deperdita. Hinc est, quod P. Massuet in incomparabili editione sua posuit tanquam dubia fragmenta ab huiusmodi collectionibus derivata: eo magis autem illa in quibus nullum erat indicium operum illorum, quibus continebantur, cui tamen rei negari non potest optime respondisse Pfaff asseverans hunc frequentiorem esse catenarum usum. Idem plane respondet difficultati ex eo sumtae quod haec fragmenta nullum nomen inscriptum habent, additque, illud Irenaei cum aliis confundi non posse. Sed id facit adversus ea, quae habet P. Massuet in praemissis, nempe in codicibus ab eo animadversis Irenaei textus habuisse *Εἰρηναίου Ἐπισκόπου Λουγδούνων,* atque in catena Lippomani in Exodum duos esse laudatos Irenaeos, alterum Lugdunensem episcopum, Antiochenum alterum.

Ad praecipua vero descendens; fragmentum primum, quod congeries quaedam videtur incomta textuum N. T. dubitavi, *num id consueverint facere PP. ita antiqui.* Responsum fuit, ita consuevisse revera Irenaeum, idque satis apparere ex libris eiusdem. Mihi sane loquenti non de sacra Scriptura generatim, sed de N. T. minime videtur fuisse in more apud veteres tam frequenter usurpare sententias, cumulareque dicta N. T. atque contigit observare in epistolis s. Ignatii, quas duplici ratione habemus, et interpolatas posterius, et sinceras, interpolationem ipsam factam fuisse

intrusione multarum sententiarum N. T. S. Irenaeus congerit revera interdum citationes quoque huius generis in libris contra haereses; sed solum aut enumerandorum textuum caussa, quibus haeretici utebantur, aut illorum observandorum, quibus eorundem chimaerae evanescebant. Hac in re non est necesse diu immorari, nihil ego minus contendens, quam dubitationem hanc, vix obiter indicatam, vim habere aliquo modo demonstrationis. In primo hoc fragmento poterat quidem animadverti, veram cognitionem fuisse ab s. Irenaeo definitam *doctrinam apostolorum ac vetus ecclesiae syntagma, quod continua episcoporum successione ad nos usque pervenit*[1]) (quod nos Catholici praesenti etiam tempore profitemur).

Quae quidem descriptio cognitionis verae, quamquam minime contraria, valde tamen differt ab illa, quae fit in hoc fragmento.

Sed multo maioris ponderis putarem esse difficultates, quas novi in secundo fragmento, quod maiori sane animadversione et consideratione dignum est. Primae vero difficultati ex eo sumtae, quod in illo laudantur apostolicae constitutiones, non sine ingenio auctor responsum facit, completionem constitutionum apostolicarum, quam modo habemus, certe temporibus Irenaei non fuisse, sed quoniam eruditi multi defendunt, hasce constitutiones fuisse haustas ab didascaliis PP. apostolicorum, atque in illis quum perspiciantur antiquissima et certa monumenta christianae religionis, clarum est, fuisse quidem postea interpolatas corruptasque, sed alia quidem forma iam seculo 2. fuisse editas, cuius quidem rei fidem facit idem s. Irenaeus, qui saepe appellat ad veterum traditiones, qui apostolos noverant.

Qui autem hic suscipere disputationem illam vellet universam de hisce constitutionibus institutam, volumen facile conficeret, quum nota sint, quae in hanc rem disputaverint viri doctissimi Baronius, Turrianus, Bellarminus, Peronius, Sirmundus, Petavius, Blondellus, Usserius, Dallaeus, Pearsonius, Cotelerius, Grabe, Dupinus, Basnagius, aliique: deinde vero negari non potest, multa dubia remanere in hac re, ac valde incertas esse illas antiquas didascalias. Verum ego contraham disputationem ad ea, quae potissimum respicit litem praesentem nostram, non improbans tamen, quod asserit ille, nempe hasce constitutiones ex apostolicis institutionibus derivasse, in quibus sane inter alia Hierarchia et ecclesiasticus ordo toties perspiciuntur. Animadverto igitur, quod quum laudentur in disputato fragmento *αἱ δεύτεραι τῶν ἀποστόλων διατάξεις* secundae constitutiones apostolicae, intelligitur manifeste loqui fragmentum de constitutionibus iam collectis et scriptis; nemo etenim primas aut secundas verbales traditiones vocabit, nec prius aut posterius datur in iis, quae tantum exstant in mente. Non enim non scriptas constitutiones iudicabit, quas ex scriptis didascaliis PP. haustas iudicabit. His ita positis, nihil sane ad intentum doctissimi editoris refert, s. Irenaeum alias quoque ad senum traditionem in suis libris appellare, senum illorum inquam qui apostolos noverant: nam tum ad traditionem minime scriptam appellat. *Quemadmodum audivi a quodam presbytero, qui audiverat ab his, qui apostolos viderant*[2]). Quin etiam ex eo mihi sane

1) Lib. 4. c. 23. 2) Lib. 4. c. 4.

videtur depromi certum argumentum ad credendum, temporibus suis nullas scriptas apostolicas constitutiones fuisse, quum vires rationum suarum pluries evocet in traditionibus apostolorum, quae servabantur in ecclesia, investigans subinde tamen et exponens rationem, qua haec traditio erui poterat, hoc est ab ore episcoporum, qui unus post alium successerant in Christianorum regimine. Quomodo ergo non confugisset ille ad const. apostolicas, si scripta talia eo tempore fuissent, quae mererentur eo nomine citari, quo in hoc fragmento laudantur? Credemus nos in alio opere illa adduxisse et minime in hoc, ubi tantum roboris habebant ad confirmandam sententiam suam? Equidem non puto frequentius aliud non usurpavisse, quum negari non possit, quod monumentis traditum est, firmiorem fidem non facere et certiorem voce variabili. Et tamen quum provocabat *ad traditionem quae est ab apostolis* minime asserebat, hanc videri expressam posse, servatamque in constitutionibus, aut in didascaliis, *quae per successiones presbyterorum in ecclesiis custoditur* [1]). Porro autem enumerans episcopos, per quos, ceu per rivulos, transacta erat traditio, narrat quidem multa ab iisdem scripta: epistolam scilicet Clementis ad Corinthios; illam Polycarpi ad Philippenses, sed tamen commemorat nunquam tractationem aliquam, quae venerabile nomen constitutionum apostolicarum prae se ferret. Animadverto etiam in fragmento nostro non commemorari constitutiones nomine *διδαχή*, sicuti contendunt vocasse s. Barnabam expositionem suam in christianam doctrinam, et quo illa Polycarpi creditur laudata; neque illo *ἀποστολική παράδοσις*, quod habemus in operibus s. Hippolyti discipuli s. Irenaei in marmorea cathedra vaticana, neque illo *διδασκαλία*, quo usus est s. Epiphanius ad indicandam collectionem illam, quam modo habemus, quaeque in lucem edita creditur seculo 4, aut circiter 4 seculum. Animadverto quoque vocabulum *δευτέραις*, de quo video, me non satis quid sentirem explicavisse in prima epistola mea; nam non asserui perperam Pfaff *ultimas* vertisse; sed hinc asserui recte intelligi, indicari hic completionem illam ipsam, quam modo habemus, quamque fatetur ipse temporibus s. Irenaei non exstitisse; nam in hac constitutio laudata ab fragmento ultimas inter habetur, hoc est in ultimo octavo libro. Hisce omnibus addi posset, partem illam constitutionum spectantem ad liturgiam, a qua hausta verba sunt in fragmento adducta, maiore, quam aliae sint, dignam esse suspicione: atque eo magis, quod deficit in Anglo MS. Barocciano, quod Grabe affirmat [2]); unde iure optimo credi potest ab impostore aliquo addita, ut alibi scite Pfaff affirmat, adeo ut, dato etiam, quod constitutiones aliquae viguissent temporibus s. Irenaei, difficile creditu est in ipsis nondum interpolatis verba fuisse illa, quae in hisce periodis habentur. Animadverteram quoque mihi suspectam esse vocem *ἀντίτυπα*, veluti minime adhibitam aetate illa ad eucharistiam significandam. Texit hac occasione historiam dogmaticam eruditam huius vocabuli Pfaff; sed fatetur in primis nullum certum monumentum reperiri secundi aut 3. seculi, quod hanc vocem habeat, sed tantum 4. affirmans tamen quod non propterea dici possit, et fortasse non potuisse prius uti Irenaeum. Oppositio quidem vim non habebat

1) Lib. 3. c. 2. 2) Spicil. sect. I. p. 289. 3) P. 294.

demonstrationis: sed extra dubium est, quod si quis considerationes hasce faceret nauci, coniecturam validissimam criticae artis exploderet. Dubitavi tandem utrum tempore Irenaei fuerit in sacram coenam invecta invocatio Sp. S. *quae in hisce fragmentis legitur.* Respondet Pfaff. *τὴν ἐπίκλησιν,* aut *ἐπίκλησιν τοῦ Θεοῦ* apparere in libris ipsius s. Irenaei, aliaque exempla affert. Veruntamen commemoratio s. Irenaei *invocationis Dei,* utrum eadem sit cum invocatione hic commemorata, in qua primum et praecipue Sp. S. invocatur, plane ignoro. Cyrillus quoque Hierosolymitanus commemorat *τὴν ἐπίκλησιν,* in eucharistica mensa, et tamen declarat, non fuisse hanc Sp. S., sed *τῆς προσκυνητῆς τριάδος adorabilis Trinitatis,* quae quidem dicta indicant, quotiescunque liturgia invocationis mentionem facit, semper de oratione eadem esse interpretandam. Idem dicendum est de loco alio s. Irenaei, atque de illo Cypriani, in quibus *invocatio* commemoratur. Neque in aliis exprimitur haec invocationis ratio, sed praeterea hoc ex epitome sumtum est, de cuius auctore valde dubitat Cave, quum talia reperiantur, *quae alibunde accepta videntur* [1]: illud vero sumtum est ex opere quodam [2]), quod, si creditur Huetio, scriptum fuit Constantini tempore. Non tamen arbitror rationem Pfaff esse hic plane futilem, sed fateor, rationem quae me ad dubitandum movit, validiorem videri, nempe quod commemorationem viderim nullam huius invocationis apud scriptores eos, qui vixere temporibus s. Irenaei, et praesertim in irrefragabili auctore illo et unico, qui distincte eucharisticum ritum seculi secundi tradidit, nempe in operibus s. Iustini. Reponit hic, deperdita quum sint tot monumenta aetatis illius, posse facile in illis hanc invocationem expressam haberi, sicuti vocem quoque *ἀντίτυπα* commemoratam, quum non sit prorsus credendum PP. 4. seculi, apud quos familiares huiusmodi voces sunt, has invenisse, sed potius ab antiquioribus accepisse. Quam sane responsionem libenter admitto, dummodo ipse quoque eam admittat, quum occasio similis occurret. Sed quantum ad Iustinum pertinet, respondet ex eo quod ipse non meminerit invocationem, id unum probare illis temporibus nondum per universas ecclesias graecas fuisse invectas, atque nondum fuisse in usu apud eas, quarum ritum describit. Verum si hic auctor non descripsit ordinem liturgiae alicuius ecclesiae peculiaris, sed generatim modum exponit, quo celebrabatur temporibus suis; unde certum est, magis usitatum descripsisse, magis approbatum, atque in gravissimis rebus universalem.

Descendens autem ad fragmentum III. animadverti, quod vocare ieiunia, et festos dies, externas res, quasique pauca consideratione dignas, Novatianum sapere videbatur: et animadverti potissimum, mihi sensus illos non videri haustos ab epistola Irenaei ad Victorem, non quod crederem ortas non esse eo tempore controversias de ieiunio et paschate; sed quia in ea epistola affirmabatur, ut ex Eusebio laudavi, quod talibus controversiis etiam positis, pax apud omnes perseveraverat, nec tum etiam infringebatur pax, caritas ac unitas religionis: contra vero in hoc fragmento narratur quod tali lite dividebatur ecclesia, caritas amittebatur et religio, ac fiebat *fermentum malitiae et iniquitatis.* Ex quo deduci mihi

1) In Theodot. 2) Orig. lib. 3. cap. 4.

videtur posse, hasce periodos non loqui de eadem lite, de qua illae periodi epistolae loquuntur, ac propterea diversis temporibus editas fuisse. Et hae difficultates sunt, propter quas adhuc in dubitatione persisto de horum authenticitate fragmentorum.

Affirmat laudatus editor apparere in illis gravitatem, stilum aetatis illius atque illius auctoris: sed revera frustula adeo parva sunt, et ablatis citationibus textus adeo brevis, ut difficile videatur hac de re diiudicari posse. In auctoris dictis observo *τὸ ἴσασι*[1]), quod elegantiam redolet, quam certe non est sectatus Irenaeus, qui scribere professus est *ἁπλῶς καὶ ἰδιωτικῶς, simpliciter, et humiliter*[2]). Nonnullae etiam animadversiones fieri possent, si constaret ob quam rationem textus illi adducti sint, et in quo argumento catenae versentur, ex quibus depromti fuere, quum hic non referant vestigium aut commentarii, aut interpretationis, sed de hac re loquetur fortasse disertus Pfaff in catalogo scripto, quem de MSS. Taurinensibus parat.

Quoniam vero in notis nonnulla inseruit ab religione catholica discrepantia, veluti si ex his fragmentis ducta essent, breviter nonnihil promiscui, non quidem animo in arenam descendendi sed demonstrandi caussa, quicunque is sit horum fragmentorum auctor, talia docuisse, ex quibus illae opiniones minime fulciantur.

Altera erat, *celebrationem sacrae coenae* dictam non fuisse ab antiquis *oblationem et sacrificium*, ab qua desciscit nunc ingenuus editor, asseverans fuisse tantum sic appellatam per synecdochen. Altera erat, oblationem consecrationi praecessisse, qua in re discrepantia oriebatur ex eo, quod satis ipsi nos intelligere non poteramus propter diversa principia nostra, quod ipse de alia oblatione loquebatur, ego de alia intelligebam. Postrema erat, quod consecratio fieret per invocationem Sp. s. ad quam disputationem nihil plus facere poterit huius secundi fragmenti textus, quam faciat constitutio apostolica, quam vulgo vocant, ex qua promtus est. Pro hisce duabus sententiis disputat nunc erudite duabus amplissimis dissertationibus Pfaff, et quanquam id praestet aliis monumentis, et auctoritatibus minime ab hisce fragmentis haustis, videbar posse ab hac disputatione declinare: quoniam autem putat tali demonstratione sententiam suam comprobasse, ut non videat, *quid respondendum sit illi*, desinam nonnulla huic quoque rei addere. Verum quia in examinando iterum attentius fragmento secundo inconveniens aliquod deprehendisse in ipso videtur, quo magis in dies uti posset aliquis ad roborandas opiniones cum commemoratis colligatas, nonnullas observationes praemittam, ob quas nec s. Irenaeo, nec forsan alicui antiquo et sapienti scriptori arbitror hoc fragmentum, veluti hic habetur, tribui posse.

Legitur hic, *Dominum instituisse in N. T. novam oblationem*, ad quod probandum affertur Malachiae textus; deinde interpretatione duorum textuum, aliunde quos sumsit, videtur explicari *sacrificium purum commemoratum a propheta*, quod nempe significet oblationem nostri divinarumque laudum. Hic autem opponere possem id contra consensum PP. esse, qui hunc textum Malachiae semper interpretati sunt de eucharistiae sacrificio, et non de orationibus, et de humiliationibus: ita

1) In II. Fragm. 2) In Prooem.

Iustinus coaetaneus Irenaei explicat locutum hic esse prophetam *ἐπὶ τῶν ἐν παντὶ τόπῳ ὑφ' ἡμῶν τῶν ἐθνῶν προσφερομένων αὐτῷ θυσιῶν, τουτέστι τοῦ ἄρτου τῆς εὐχαριστίας, καὶ τοῦ ποτηρίου ὁμοίως τῆς εὐχαριστίας: de sacrificiis oblatis Deo in omni loco a nobis minime Iudaeis, id est de pane eucharistico, et de calice pariter eucharistico* [1]). Sed cominus rem agam, et aio, ita nunquam ratiocinari potuisse Irenaeum, qui in libris suis de hac nova oblatione loquens, ait [2]), Servatorem docuisse illam, quum panem accipiens et calicem asseruit corpus esse suum, et ex quibus clarum fit, illum intellexisse oblationem eucharisticam, non vero preces et poenitentias. Addens autem textum Malachiae integrum, et non mancum, affirmat eodem significari populum Iudaeum ab oblationibus cessaturum esse, et contra purum sacrificium Deo offerendum ubique. Non loquebatur ergo de oblationibus et de sacrificio, quorum vis esset posita in oblatione sui ipsius, atque in laude; quoniam ab his nunquam cessarunt Iudaei, sed cessarunt quidem a veris sacrificiis, et ab immolationibus ob deperditam Ierusalem. Addo, auctorem neminem sanum potuisse docere, fere in eadem periodo fuisse loco antiquae oblationem novam institutam, hancque collocatam esse in thure, in humiliationibus, atque in precibus; nam nemo non videt, hasce res novas non esse, sed aeque usitatas apud Iudaeos in lege veteri. Etiam in iis, quae sequuntur in textu nostro, sensus leguntur, qui reperiri minime solent colligati, quique non recte inter se aptari videntur: nam quum vocet eucharistiam oblationem spiritualem, quasi id ex ante dictis consequeretur, afferri tanquam ratio non poterat, quod in ea offerantur panis et vinum, quae materiata sunt, diversaque ab actibus intestinis virtutis et precum. Inconsueta etiam est repraesentatio liturgiae sine commemoratione verborum institutionis, quae docet quoque Pfaff necessaria ducta fuisse etiam a veteribus. Videtur etiam novum quicquam et inusitatum sonare illud *πνευματικῶς λειτουργοῦντες*, quod interpretari potest *spiritualiter* missam celebrare. Sed ex his omnibus, quid tandem nobis dicendum erit? revocarene in dubium fidem clarissimi editoris? nequaquam, sed id quidem tribuendum esse mori supra commemorato catenarum, ut sumant frustula plura separata, et simul aptent, omittentes, quod intercedebat, et hoc modo novam quandam rationem componentes; hoc siquidem modo novam faciem adipisci textus potest; ac repraesentare sensa ab intentione auctoris valde discrepantia. Ex quo recte tamen nosci potest, quod ubi dogma quoddam tractatur, nullum fundamentum nobis suppeditare queunt catenarum dicta. Nostris itaque omissis, non solum quia incertissimis, sed omnino inutilibus quaestionibus huius generis, gradum ad ea faciemus, quae supra indicavimus.

Ante omnia vero haud inficior, virum tantum capacem non esse confundendi laïcam oblationem cum sacerdotali, ut suspicari visus sum in epistola priori: sed excusationem, nisi ego fallor, mereri mihi potest, legisse me tum in notis suis, *oblationem antiquae ecclesiae fuisse oblationem illam panis, et vini, aliorumque donorum, quae ad sacros usus destinata, praesertim ad eucharistiam conficiendam, ad eleemosynas, ad agapes, ad ministros ecclesiae sustentandos Deo dicabantur, et ideo sa-*

1) Dial. cum Tryph. 2) Lib. 4. c. 17.

crificium et victima vocabantur [1]). Ubi videbatur idem praestare, quod offerebatur a populo ob varios usus eius temporis cum sacrificio et cum victima, quae offerebatur a sacerdote. Sed valde contraham disputationem nostram, eam ab aequivocis liberans. Quod igitur oblatio praecesserit consecrationem, sine difficultate ulla concedo, si tamen intelligatur id aut de oblatione universali fidelium, aut de illa, quam praemittebat sacerdos de pane et vino, quae erant sacranda. Pariter, quod oblatio distingueretur et a consecratione, et ab communione, distinguendumque esse sacrificium a sacramento, concedam omnia libenter, ut Pfaff videat quot in rebus conveniamus. Tres semper fuere essentiales partes sacrificii, consecratio, oblatio et consummatio, quae non, quoniam eandem rem constituunt, propterea sunt eadem inter se. Et en ablata magna ex parte confusio illa, quae ob aequivocas voces rem perturbabat, sensusque explicatus variarum auctoritatum in hoc libro adductarum. Sed res sine fuco agatur. Cur Pfaff totus est in eo, ut demonstret, oblationem praecessisse, remque fuisse distinctam, et alia hisce similia dubia? Non alia certe de caussa, nisi ut credamus aliam oblationem factam non fuisse in prima ecclesia, nisi illam, quae praecedebat, ac de illa intelligendum sit, quotiescunque nominatur oblatio ab antiquis: unde non offerri post consecrationem corpus servatoris, ac proinde illud altaris sacrificium verum non esset ac propitiatorium. In eo igitur disputationis arcanum vertitur, utrum antiquitus offerretur in missa corpus et sanguis Christi Domini, et an fuerit propterea verum sacrificium. Sed hic mihi liceat desiderare in eruditissimo Pfaff usum pronuntiatorum pulcherrimorum, quae contra theologica praeiudicia posuit ille in sua tertia dissertatione. Etenim quomodo fuisset oblatio in N. T. instituta nova, hoc est minime in antiquo ritu usitata, si oblatae non essent Deo nisi preces solum et humilitationes, aut panis et vinum solum, resque ad nutritionem nostram ordinatae? Nonne fiebant igitur a Iudaeis quoque omnes oblationes istae? Et qua loquendi proprietate vocari unquam victima potuisset id, quod in hoc sacrificio offerebatur, nisi inanimum quod est, fuisset oblatum? Sed praeterea credi posset creatorem supremum voluisse remanere sine sacrificio vero, externo et actuali, quum religionis cultus ex hoc specificetur, quumque ceteri honoris actus erga etiam creaturas habeantur?

Et quoniam placita religionis magis auctoritate sustentantur, quam ratione, quid aliud innuit unanimis consensio PP.? Fatetur Pfaff ingenuus, quod incipiendo a quarto seculo *plurima* [2]) sunt loca, in quibus ipsi aiunt offerri corpus et sanguinem Servatoris. Hanc confessionem cum illa Lutheri coniungo, qui affirmavit pluribus in locis apud Bellarminum [3]), missam nostram in usum positam fuisse apud mundum universum ab longa serie seculorum, deinde ad doctissimum adversarium meum me verto, atque ab eo flagito, ut consideret perspicaci intelligentia sua, animoque quieto et sincero, utrum credi possit, D. O. M. veritatis fontem et bonitatis dereliquisse per mille et amplius annos ita ecclesiam suam, id est universitatem suorum fidelium, ut contra toties inculcata promissa permiserit eam tanta in re versari in superstitione

1) P. 239. Giorn. t. 16. 2) Pag. 325. 3) De Miss. lib. I. c. 15. 23.

et errore, revelans tandem tandem hanc veritatem Luthero tempore tam recenti? Sed sumo iterum. Agnoscit doctus Pfaff PP. 4. seculi docuisse offerri in missa corpus et sanguinem Servatoris, sed affirmat ita praecessores non docuisse. Nunc vero reminiscatur responsi sui, quum suis fragmentis obieci, prohibuisse, quominus secundi seculi crederentur, reperiri in iis vocem *ἀντίτυπα,* ad eucharistiam significandam, atque invocationem reperiri, quae [non] nisi quarto seculo videbatur in usu fuisse. Respondit ille, quod quum tot monumenta primorum seculorum deperdita sint, potuerunt haec in illis facile reperiri, et quod quum frequentia haec sint apud scriptores quarti, non est credendum, ipsos commentos ea esse; (et absit, inquit ille, quod ita credamus) sed accepisse quidem ab antiquioribus. Nunc perpendat quaeso, quo validior sit haec ratiocinatio, quoque fortius hoc argumentum in re mea, quam in sua: quoniam tandem malum nullum, nullumque inconveniens oriretur, si quarto seculo invecta fuisset nova quaedam laudabilis oratio, quam ipse minime necessariam declarat, quamque confessione sua multae ecclesiae non adhibebant certe temporibus s. Iustini: et si adhibita fuisset vox aliqua nova quadam significatione, quam ipse nos docet, pluries significationem mutavisse; sed contra quaenam impietas et licentia, si licitum sibi episcopi fecissent, scriptoresque quarti seculi declinandi in re tam gravi ab institutionibus praedecessorum, renunciandique apostolicae traditioni tam recenti, seminandi fundandique in Christianis errorem et haeresin? Eo tempore debebant certe asservari ex una parte scripta multa PP. apostolicorum, quae minime ad nos pervenere, in quibus doctrina apostolorum amplius exponebatur, immo neque credibilius est adhuc periisse autographa omnia, vel saltem exemplaria ab ipsis desumta: atque ex parte altera nullius momenti erat mutare hac in re praecedentium sensa. Quinam igitur defectus monumentorum, quaenam ignoratio, aut quinam dolus inducere eos potuit ad invertendam apostolicam traditionem, et ad mutandum ritum, doctrinamque? Sed quisnam persuaderi posset unquam quarto seculo, aut seculo alio, mutationem adeo essentialem invectam fuisse in ecclesia tanta cum pace? nemine, inquam, reclamante, nemine in concilio aliquo hac de re disputante, quum notum sit, quam tenaces fuerint Christiani etiam in minimis rebus instituti maiorum suorum, quamque perturbata fuerit ecclesia interdum ob minimi ponderis differentias? Id ego attuli, ut noscatur, quomodo quaestio nostra ex iam concessis, quae negari non possunt, omnino dirimitur, non quod desint nobis auctoritates etiam priorum seculorum, quanquam istae nec multae esse queant in scriptis tam paucis, nec adeo clarae videri possint interdum temporibus, quibus de hisce dubiis, et disputationibus nondum cogitabant; quum observatu facillimum sit, quemadmodum etiam in proximis seculis plerosque textus PP., qui afferuntur in hac materia, quasi forte fortuna haberi, atque de re omnino alia agere. Afferam heic quod observavi in hac ipsa epistola exaranda. In illis constitutionibus, quas tam acriter defendit Pfaff esse apostolicas, habetur post consecrationem oblatio. Hic ait ille [1]) hanc liturgiam (alibi ab ipso antiquissimam vocatam) posse facile credi intrusam et spuriam:

1) Pag. 364.

sed hoc modo cadit fragmentum maiore consideratione dignum, quod eam laudat In textu sancti Cypriani, quem ipse affert [1]), apparet quomodo impia illa femina, quae simulabat celebrare more sacerdotum, prius consecrabat deinde offerebat: idque sacrificium appellatur, sed sacrificium et victimam, quod offertur in ipso, vocat Cyprianus alibi pluries. Ita Iustinus apud quem habemus *οὐ δέχεται παρ' οὐδενὸς θυσίας ὁ Θεός, εἰ μὴ διὰ τῶν ἱερέων αὐτοῦ* [2]): ab nemine accipit Deus sacrificia, nisi a sacerdotibus suis. Sed sacrificia metaphorica accipit ille, et libenter quidem a quocunque. Explicat deinde auctor quid nomine sacrificii intelligeret, ita addens: *omnia igitur sacrificia, quae in toto orbe terrarum nomini suo Christiani faciunt, et quod Christus facere docuit id est eucharistiam panis, et calicis, acceptans Deus fidem facit grata esse sibi.* Ita in textu a me supra laudato explicans Malachiam docet, sacrificia a nobis oblata esse *panem eucharistiae, et calicem similiter eucharistiae.* Quod si quis dubitare vellet quo sensu adhibuerit Iustinus nomen eucharistiae, videat, ubi declarat id, hoc est in apologia vulgo II. in qua post descriptam consecrationem narrans communionem, de qua participes fiebant fideles *panis et vini eucharistizati τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου, καὶ οἴνου, hic cibus* (ait ille) *a nobis vocatur eucharistia ἡ τροφὴ αὕτη καλεῖται παρ' ἡμῖν Εὐχαριστία.* Est igitur certum sine controversia, offerri dona iam consecrata. Sed Irenaeus noster loquens de oblatione Christiana nonne clarissime ait in ipsa Deo Verbum offerri? Hic adversarii disputabunt, in aliis MS. legi: *Verbum per quod offertur* [3]), sed videant Massuetum qui suorum codicum lectionem optime defendit. Ascendamus quoque ad s. Ignatium: scribit hic ad Philadelphos, ut caveant a schismate, subordinationem tenentes, ministrantesque eucharistiam omnibus simul atque uno loco, quoniam, inquit ille *Ἓν θυσιαστήριον, ὡς εἷς ἐπίσκοπος* [4]), *ea ratione qua unus est episcopus, unum est etiam altare.* Non video autem quomodo hic altare explicare possint, nisi altare: erat igitur eucharistia sacrificium verum, si celebrari non poterat nisi in altari. Ita Clemens ad Corinthios commemorans oblationes, et liturgiam *προσφορὰς ἐπὶ λειτουργίας* [5]), ait Dominum statuisse locum in quo, et personam a qua istae res ministrari deberent; *ποῦ τε, καὶ διὰ τίνων ἐπιτελεῖσθαι*: non innuebat igitur orationes, et humiliationes, quae in omni loco, et a quocunque recte fieri possunt. Idem Clemens vocat Iesum Christum *τὸν ἀρχιερέα τῶν προσφορῶν ἡμῶν* [6]), *sacerdotem oblationum nostrarum*; igitur non est dicendum, oblationes nostras constitui per solum panem et vinum, quae recte offerebantur quoque a Iudaeis, quaeque soli homines sufficiunt ad offerendum; sed esse talia, ut ab eo solo ministerio sacerdotum repraesentari queant: itaque dicebat Origenes, ut Verbum precemur, quod offerat ceu sacerdos patri *καὶ εὐχὰς καὶ τὰς θυσίας, preces et sacrificia.* Respondet id dictis illis V. et N. T. quibus vocatur Christus *sacerdos perpetuus,* quod non esset, si victimam amplius non offerret, nec digniorem victimam offerre ille potest, quam se ipsum ministerio suorum.

---

1) Pag. 71. 2) Dial. cum Tryph. 3) Pag. 25. 4) Pag. 4. 5) Epist. 1. §. 40. §. 36. 6) Contr. Cels. 8.

Sed quid dicemus de scriptura vetere et nova, quam afferunt controversistae, et interpretata semper pro nobis a PP.? Non sum repeturus, quod iam dictum fuit, nec pariter demonstraturus quomodo sententiam nostram non infirment textus laudati ab eruditissimo Pfaff, quum necesse non sit, ut quotiescunque nominatum sacrificium est, id intelligendum sit de sacrificio vero et externo. Addere tamen volo, quod animadvertens quanti faciat placitum illud, de quo modo loquemur, hoc est de consensu Graecorum recentiorum, ratio postularet, ut tantidem faceret in hoc, in quo nobiscum consentiunt. Immo absque dubio pluris faciendus est: nam non ignoratur, quaenam effecta progignat divisionis spiritus qui semel animum occupaverit: unde videmus in iis, qui per schisma a nobis separati sunt, crucis ipsum signum explosum: quod si quis peteret ab heterodoxis cur illo non utantur, credo aliud nihil respondere posse, nisi quia nos utimur illo. Quum igitur notum sit, quam sint Graeci conati separari a nobis, quamque dogmata omnia investigaverint, in quibus nos accusarent, et reprehenderent; dicamus conveniens est, hoc indubitatum reperisse, dum in eo conservarunt ritus, et doctrinae uniformitatem. Singulare verbum est, quo vocatur missa in graeca quadam Homilia, id est *Θεοσφαγίᾳ, quod significat mactationem Dei: ἅμα ἀκούσει τοῦ κήρυκος ἐπὶ τὴν φοβερὰν ἐκείνην καλοῦντος Θεοσφαγίαν*, quum audiverit praeconem vocantem ad tremendam illam mactationem Dei. Non poterat quidem melius exprimi uno nomine sensus, et dogma. Mihi non suggerit vidisse alibi hanc vocem aliquantisper duram, sed homilia nomen prae se fert s. Ioannis Chrysostomi in codice quodam bibliothecae nostrae insignis *Saibante* inter Graecos signato numero 66. Ineditam credebam illam, sed monitus ab accuratissimo catalogo Fabriciano eam reperio cum commemorato textu inter ambiguas Savilii [1]). Id plane credendum est nisi in parte aliqua fortasse, quae Chrysostomi sit, sed ipse alioqui vocat occasione eadem Dominum immolatum *ὅταν γὰρ ἴδῃς τὸν Κύριον τεθυμένον* [2]). Et ita Cyrillus Hierosolymitanus *Χριστὸν ἐσφαγιασμένον ὑπὲρ τῶν ἡμετέρων ἁμαρτημάτων προσφέρομεν offerimus Christum propter peccata nostra immolatum* [3]). Indicatur in libro, cui nunc respondeo, quomodo Deus Deo offeratur, et quomodo immolari possit, et offerri quotidie eadem victima. Sed id intelligi quidem potest veluti praesentia realis in eucharistia, quam tamen egregie defendit auctor libri iuxta confessionem Augustanam. Ac videmus siquidem haec miranda duo, graecam et latinam ecclesias non intelligenda, sed credenda esse duxisse: nam in liturgiis per tot secula adhibitis a Graecis in oblatione donorum consecratorum, dicitur *τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν σοὶ προσφέρομεν, offerimus tibi, quod tuum est, et quod est pars, aut quod a te ipso haustum est, quasique offerimus te tibi*; atque in pretioso quodam et antiquissimo sacramentario, quod ego habeo, scripto maiori charactere, atque ornato pulcherrimis precibus ineditis, haec legitur. *Remotis obumbrationibus carnalium victimarum, spiritalem tibi Pater hostiam supplici servitute deferi-*

1) Vol. 1. p. 56. 2) De Sacra. lib. 3. 3) Cath. myst. 5.

mus. Quae miro ineffabilique mysterio et immolatur semper, et eadem semper offertur, pariterque et devotorum munus, et remunerantis est praemium. Reperta etiam fuit ab doctissimo card. Thomasio in antiquissimis codicibus sacramentorum, et est oratio secreta octavae Pentecostes. Ubi etiam noscitur, quod vocari victimam *spiritualem,* indicat solum, immolationem propriam non esse, et cruentam, sed quod est tamen victima vera, et quotidie immolatur.

Nunc gradum faciemus ad tractationem de consecratione, in qua defendit Pfaff, quod in prioribus notis affirmavit, id est, collocatam esse in invocatione, sive in oratione ad Sp. s. hicque contraham quae dicturus sum ad animadversiones quasdam, aut a praesenti disputatione natas, aut ob eam factas. Quum igitur negaturus non sit adversarius meus eruditus sacramentum eucharistiae institutum esse a Christo, et non ab ecclesia, non video quemadmodum negare posset, ab Christo perinde, et non ab ecclesia fuisse ei formam praescriptam. Sed si essentia eius esset in precibus sita, manifestum est hoc, et illos sacerdotes formam docuisse, et non Christum; nam orationes illas non hic reliquit nobis, sed in hac et illa ecclesia serie temporum compositae additaeque fuerunt. Has tamen preces non improbamus, et invocationes, quas maxime graecae ecclesiae in liturgiam invexerunt, quemadmodum non improbamus actus et orationes, quibus baptizandi modus ornatus sancte paulatim fuit; sed declaramus, quod sicut, his etiam positis, in baptismo verba, quibus efficitur sacramentum, sunt illa praescripta a Christo: ita in eucharistia constitutiva sacramenti sunt quae ipse docuit. Advertit s. Ioannes Chrysostomus [1]) consecrationem nostram repetitionem esse quandam prioris illius a Christo factae: ita quidem sit oportet, quum ille praeceperit *τοῦτο ποιεῖτε, Hoc facite.* Igitur non consequitur id virtute invocationis, quam non ordinavit, quamque fecisse non scimus. Aiunt id praestitisse precibus illis, quibus gratias egit, et benedixit, vel illis, quas addidit: sed si ita est, nemo consecravit posterioribus seculis, quia orationes illas nemo calluit. Sed ponderetur quaeso: nonne contradictorium fuisset in Servatore ordinavisse successioni universae fidelium, *Hoc facite,* et minime reliquisse per apostolos et evangelistas res, quas fecerat essentiales? Repetunt *τὸ hoc est* verborum institutionis ostendere, quod quum prolata fuerunt a Domino, iam antea consecraverat, adeo ut consecrandi caussa debuisset proferre *sit.* Sed et quum aegrotam sanavit aetatem agens 18 annorum, nonne videtur dicere debuisse: *Esto sana ab infirmitate tua?* Et tamen dixit *ἀπολέλυσαι* [2]), dimissa es ab infirmitate tua, et apparet ex textu sanitatem secutam iam non fuisse, sed eo momento secutam esse, et illis ipsis verbis. Contra ei, quae iam sanitatem acceperat. dixit *esto sana* [3]). Hi sane cavilli sunt eo infirmiores, quo Servator quum sermone syriaco loquutus sit, scimus, affectiones diversas, remotasque ab consuetudine nostra habere verba sermonis illius. Est igitur plane inutile examinare, utrum verba indicata a scriptura, ad praestandum hoc sacramentum, sint propria magis ad exponendum et declarandum, quam ad consecrandum;

1) Hom. 30. in March. 2) Luc. 13, 142. 3) Mar. 5. 34.

nam miraculum hoc efficere Christus potuit verbis iis, quae magis eidem placuerunt, nec licet nobis transversum unguem ab iis, quae scriptura docet, discedere.

Sed quaeso videat Pfaff doctissimus, in quaenam incommoda incurrant illi, qui eius sententiam defendunt. Quando ego auctoritate s. Iustini opposui fragmento suo, invocationem Sp. S. seculo secundo nondum in more fuisse positam, ingenue fassus est, non fuisse quidem in omnibus ecclesiis, adeo ut ne scriptor quidem perperam dictus Dionysius Areopagita, qui alter est, qui fuse et distincte describit liturgiam, meminerit. Dixerit ille scripta ea sequioris aetatis esse, sed quo sequioris aetatis sunt, eo id magis gratum est mihi: cur igitur invecta non erat invocatio illa in ecclesias omnes graecas ne sequioribus quidem seculis? Quomodo autem constituere sacramentum possunt, quae modo praestita fuere, modo vero non praestita? Ritum latinum mittamus, qui ne hodie quidem invocationem Sp. S. admittit: quomodo vero dici poterit, antiquitus apud Graecos consecrationem fuisse constitutam per invocationem, quae tamdiu aliquibus in ecclesiis in usu fuit, in aliquibus autem non fuit? Tutavit iam se ab hac oppositione adversarius acutus affirmans consecrationem non fuisse quadam verborum forma statutam, atque nunc ratione alia, nunc etiam alia factam esse. Sed hoc est, quod concipi nequaquam potest. Photiani quoque defendunt, sacramentorum formas statutas certasque esse. Gentiles [1]) etiam formulas determinatas, verbaque solemnia, et certa ad consecrandum, et dicandum, et sacrificandum, et auspicandum, atque ad sacros alios ritus more suo. Baptisma, haud credo, dicet ille, alio modo ministrari posse, quam verbis praescriptis. Sed docet s. Ioannes Chrysostomus [2]) eodem modo procedere baptisma, et eucharistiam, tamque in uno, quam in altera eadem esse debere verba Christi et sacerdotis. Consecutionem alteram minus felicem animadverti ex contraria sententia oriri, nempe incertitudinem, et inconstantiam. Quapropter necessitatem huius doctrinae Pfaff sequens debuit ponere consecrationem modo in invocationes Sp. s. ut in notis [3]): modo in gratiarum actione, et benedictione, ut in dissertatione [4]), modo in congerie invocationis, gratiarum actionis, orationis, verborumque institutionis, ut in §. 9. et 10.[5]) Sed consistere non posset in invocatione Sp. s. quum debeat consecrare sacerdos in personam Christi, et oratione illam recitat in persona sua: neque in gratiarum actione, et benedictione, nam duobus quoque discipulis euntibus in Emmaus [6]) fregit Servator panem, benedixit, et praebuit eis; immo gratias egerit, benedixerit ille absque dubio, iuxta hebraicum morem, quotiescunque manducavit, et tamen non consecravit alias: neque tandem in congerie harum rerum omnium simul, quoniam non consecravissent apostoli [7]), quorum etiam Pfaff fatetur brevem et simplicem fuisse consecrationem. Quod si nihilominus perfecte ipsi consecrabant, cur dicemus, preces posterius et sine necessitate ulla ab hominibus datas partem quandam consecrationis constituere, atque efficaciam aequalem habere cum verbis Christi? Sed eruditus Pfaff, qui iuxta confessionem suam, nollet aliis in casibus aliud

1) Vid. Briss. de form. 2) Hom. 2. in II. Tim. 3) Giorn. pag. 239. 4) Giorn. p. 239. 5) Pag. 356. 423. 6) Pag. 480. 7) Luc. 24. 30.

admittere nisi scripturam, quapropter nos irridebat Lutherus, qui clamamus *patres patres*, et volebat omnia dirimi *verbo Christi*[1]); hic non cupit rem iudicari, *verbo Christi*, ut nos volumus, sed in traditione, quam ipse aspernatur atque in alia huius operis parte acriter impugnat, radices agit, nosque illa impugnat textus prope infinitos afferens, ac pro se varias adducens auctoritates. De scriptoribus secundi seculi Iustino et Irenaeo, quos pro se affert, distincte loquemur pro nobis stare ostendentes. Primus vocat cibum *sacramentum oratione Verbi, δι' εὐχῆς λόγου εὐχαριστηθεῖσαν*. Intellexeram in alia epistola pro hac oratione verba, quae remanserunt nobis in evangeliis[2]). Pfaff explicat pro gratiarum actione. Investigemus prius intelligentiam veram Iustini in Iustino. Affert Pfaff textum, in quo videtur illi se ipse explicare, sed revera ambiguum admodum, et haustum non solum ab alio loco, sed ab opere alio. Ego contra afferam huc contextum eiusdem textus, ubi explicat vocem illam ita sequens. *Quoniam apostoli in monumentis suis, quae evangelia vocantur, ita docuerunt Iesum praecepisse illis, ut panem accipientes post gratias actas dicatur*[3]). *Hoc facite in meam commemorationem* H. E. C. M. Ecce oratio. Sed ad verum inveniendum clare cogitare sat est, Iustinum descripsisse hic missam temporis sui, ac dixisse, fieri consecrationem *oratione verbi*. Gratiarum autem actio, quae recitabatur, non erat Verbi, sed sacerdotis, atque ab iisdem sacerdotibus composita, et in eorum personis recitata, nec verba alia recitabantur, quae Christi essent, nisi institutionis: manifestum est igitur, haec intellexisse nomine *orationis:* et cur inusitatum videbitur, quidquid in tam sancto officio profertur, orationem vocari?

Venio nunc ad s. Irenaeum. Ait ille in quodam loco panem sumentem *τὴν ἐκκλησιν τοῦ Θεοῦ* fieri eucharistiam, volunt interpretandum esse cum *invocatione;* esto, quamquam vocanda esset evocatio: quid mirum, si quod vocavit orationem s. Iustinus, invocationem Dei appellaret s. Irenaeus? *In libro de initiandis* alias tributo s. Ambrosio dicitur: *Ipse clamat Dominus Iesus: Hoc est corpus meum: ante benedictionem verborum caelestium alia species nominatur, post consecrationem corpus significatur*[4]): En verba Servatoris *benedictionem* quae prae se ferunt: quamnam benedicendi proprietatem refert unquam forma illa loquendi? tamen potuerunt tam invocationem prae se ferre, quam benedictionem. Ecquis scit, non intellexisse sanctum Iacobum nomine orationis fidem in illo textu *ἡ εὐχὴ τῆς πίστεως σώσει τὸν κάμνοντα*[5]), *oratio fidei salvabit infirmum?* Oratio certe illa, quam hic interpretatur Bellarminus, tunc non erat. Quam saepe antiqui loquuntur[6]) circuitionibus, ac modis remotissimis ab consuetudine nostra loquendi, qui propterea obscuri fiunt nobis? Sed videtur revera Irenaeus intellexisse eo loci nomine invocationis congeriem orationum invectam in liturgiam, non iam quia omnes ad essentiam consecrationis pertinerent, sed quia quum inter ipsas essent quoque verba consecrationis, quum omnia diceret, partem quoque complectebatur. Certe clarum argumentum suppeditat nobis, intellexisse eum nomine *ἐπικλήσεως*, quicquid nomine ca-

1) Pag. 371. 2) Apud Bell. de Miss. l. 1. c. 15. 3) Pag. 32. et seq. 4) Pag. 32. et seq. 5) 5, 13. 6) De extrem. unct.

nonis nunc intelligimus, quod habet haereticum quendam, ut melius falleret, eam produxisse [1]): quod certe intelligendum non est de una tantum orationum adiacentium ad consecrationem, sed de universa parte illa missae. Hinc apparet, quid intelligeret Cyrillus Hierosolymitanus [2]) et alii, quum dixerunt, quod quando evocatio fit, transmutantur dona, quia quum contineat pars illa missae preces, ac benedictiones, et invocationes, modo ab una, modo ab altera harum rerum nomen accepit. Talem autem fuisse mentem s. Irenaei, qui quum vocavit eam invocationem omnibus praecessit, clarum fit ex iis locis, in quibus hac de re loquitur quasi ex professo et non obiter, ac per similitudinem. Aitque clare in lib. 5. *panem et vinum fieri eucharistiam, et corpus Christi, quando Dei sermonem recipiunt* ἐπιδέχεται τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ [3]), ac repetit infra id fieri προσλαμβανόμενα τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, *quum Dei sermonem accipiunt.* En itaque, quod non invocatione, sed sermone Domini defendebat miraculum sequi, qui sane textus nobis innuunt intelligentiam sine dubitatione ultra praecedentium. Quod si quis comminisci quidquam vellet circa significationem vocis λόγος, *et* λόγος Θεοῦ, quas adhibet hic S. Irenaeus, videre potest, quemadmodum interpretandae sint, ex locis illis in quibus eadem plane occasione eas adhibent PP. s. Ioannes Chrysostomus ὁ εἰπών, τοῦτό μου ἐστὶ τὸ σῶμα, καὶ τῷ λόγῳ τὸ πράγμα βεβαιώσας [4]). *Qui dixit H. E. C. M. et dicto suo rem confecit;* s. Gregorius Nyssenus: ἄρτον τῷ λόγῳ τοῦ Θεοῦ ἁγιάζεσθαι, καὶ εἰς σῶμα τοῦ Θεοῦ λόγῳ μεταποιεῖσθαι [5]): *panem verbo Dei sanctificari, et in corpus Domini transmutari,* et explicat deinde, verba esse H. E. C. M. Ex quo clare apparet Irenaeum credidisse non secus, atque alii, miraculum fieri sermone divino non vero humano, neque invocationes, precesque nostras partem ullam essentialem habere. Id valet etiam ad refellendas auctoritates ceteras contra nos allatas, quae hisce verbis loquantur, praesertim vero, quae ex Origene afferuntur, apud quem etiam habemus virtutem sacramenti nasci *ex verbo supra panem recitato* ὁ ἐπ' αὐτῷ εἰρημένος λόγος [6]). Advertendum esse volo, quemadmodum dubitationem, quam in superiori epistola indicavi, contrariae opinioni favere visum esse P. Massuet in editione s. Irenaei, solutam plane ac recte fuisse a Pfaff in Praefatione, quod valere potest ad confirmandum, quod demonstro tanti viri suffragio. In hanc dubitationem descenderam ex iis quae in dissertatione tertia leguntur ab verbis *Tum demum* ad finem usque §. sed proposui illam ea conditione, nempe: *nisi alio modo Verba illius debeant interpretari* [7]). Observo tamen quod eandem in aequivocationem Pfaff cecidisse videtur, addens, non posse accusari, quum consentientem habeat episcopum Bossuet, coniungens haec cum iis, quae habet pag. 438. nam non illum solum, qui re ab aliis non discrepat, sed plerosque Catholicorum consentientes habet.

Transit doctissimus adversarius ad graecas Liturgias, et ad scriptores, qui secum, sive ut ipse, loquuntur. In his ratio omnis clamitandi reperta est ab oratione ad Deum, quae post verba institutionis apparet.

1) Lib. 1. c. 13. 2) Cat. Myst. 1. 3) Cap. 2. 4) Homil. 50. in Math. 5) Orat. Catech. tom. 2. c. 37. 6) Comm. in Matth. 7) Pag. 142.

ut mittat supra proposita dona Spiritum Sanctum, qui (secundum quod verba illa passim accipiuntur) faciat panem corpus Domini. Hisce difficultatibus responsum fecit Bessarion[1]): non peti supplicatione illa mutationem iam factam, sed mutationis ipsius confirmationem. Respondit Bellarminus[2]): non peti panem fieri Servatoris, sed quod tale nobis fiat, hoc est nobis proficiat, quum ita dicatur in missa quoque latina, atque ita Graeci explicarint finem orationis illius in concilio Florentino. Addidit Allacius, quod ab aoristo *μεταβαλὼν* praeteritum tempus significante, quod intermittitur, recte noscitur, transmutationem secutam esse. Hae sane optimae solutiones sunt, adeo ut quidquid solidi attulerunt ceteri, ex hisce hauserint. Responsa alia omitto, quae infirma quum sint, occasionem adversariis suppeditarunt multiplici ratiocinatione vincendi, verum nonnullas alias considerationes non omittam. Non commemorabo huiusmodi liturgias, quanquam veneratione dignis nominibus insignitas, opus tamen esse ignoti collectoris, ambigui auctoris, temporis incerti; quoniam de invocationis antiquitate, de qua disputatur, iam quartum seculum tuta fundamenta suppeditat. Et re quidem vera si nihil in ipsis esset aliud, prout ad consecrationem pertinet, nisi oratio illa, si significatio huius talis esset, qualis prima fronte apparet; si uniusmodi esset, et in usu totius ecclesiae; si in scriptura, in antiquis PP., et in contextu earundem liturgiarum, immo eorundem verborum, necessitas non appareret eam alio modo intelligendi, impugnare non auderem. Sed primo loco animadverto, omnes liturgias graecas, quum ad consecrationem pervenerunt, afferre verba institutionis, deindeque orationes varias, inter quas nonnullae habent illam Sp. S., nonnullae non habent. Nam nec illa, quae Petri dicitur, eam habet, nec illa quae inter graecas s. Gregorio tribuitur, in quibus contra Deus oratur, ut efficiat hostiam corpus Servatoris, indeque eius verba proferuntur. Hinc colligo auctores graecarum liturgiarum unanimi consensu credidisse, vim consecrationis positam esse in verbis; non tamen ita credidisse unanimi consensu invocationem Sp. S. ad essentiam consecrationis spectare. Animadverto etiam, quemadmodum in liturgiis, quae commemoratam invocationem habent, nonnullas non dicere *ποίησον*, quia in illa Basilii c. e. petitur, ut veniat Spiritus Sanctus ad sanctificandum, et ostendendum, *ἁγιάσαι, καὶ ἀ. ἀναξαι.* Sanctificatio autem certe non semper consecrationem significat, quanquam pro se affert Pfaff textus illorum, qui ita loquuntur. Nam oratur Spiritus Sanctus, ut homines quoque sanctificet: ut quum Paullus ait[3]), cibum omnem a nobis sumtum *ἁγιάζεται* benedictione consecrari, non intelligit sane prandium nostrum consecrari. Altera vox deinde interpretatur *ostendere, demonstrare.* Hic investigavi, an, quod in aliis dicitur *fiat,* hoc modo natum sit. Liturgia in constitutionibus apostolicis descripta utitur voce *ἀποφήνῃ.* Fortasse ea usus est primus quoque, qui talem invocationem invexit, et quia, quamvis hoc verbum propria significatione et frequentiori significet *declarare, et ostendere*; nihilominus quasi cognatione quadam sonat quoque *efficere,* quemadmodum apud Latinos *exhibere:* alii vero eundem sensum afferentes

1) De verb. cons. 2) De Euch. l. 4. c. 14. 3) 1. ad Tim. 4. 5.

facere dixerunt: dignum observatione est, in liturgia D. Marci orationem ad Sp. S. incipere Ἔτι particula, quae significat *praeter*; etiam, *praeterea*, plus etiam, et ita Latina versio, *emitte praeterea*. Itaque posito etiam ποιήσῃ, quod continet, quis credet compositorem huius liturgiae existimasse contineri in ea supplicatione virtutem consecrandi, dum eam infert, ut appendices fiant?

Sed considerans verba in liturgia Iacobi et Chrysostomi contenta, ac negare, quod verum mihi videtur, plane ignorans, non negabo itidem, quod si intelligantur, ut prima fronte apparent, oppositionem ab ipsis haustam, ex iis, quae diximus satis ablatam non videri, finemque ipsarum haberi potius ex cognitionibus aliis, quam ab naturali, et litterali significatione verborum. Quapropter doctus Goar asseruit [1]), valde obscuras esse, admodum difficiles, ac Petram Scandali fuisse; et recentius doctissimus episcopus Bossuet [2]) in eam sententiam descendit, ut concederet precibus vim applicandi verba consecrationis, et ut permitteret, quod eaedem necessariae habeantur, quae sane doctrina aliquantulum obscura non certe ab unoquoque admitteretur. Sed si liceret afferre huc, quod sentio, dicere auderem, in iis verbis, prout apparent menti meae, nullam me invenire difficultatem, quum mihi minime videatur priorum sensum esse illum, quem passim admittunt, id est *panem tuum fac corpus etc.* Neque ego id affirmo ex aliqua emendatione critica, audaci, et violenta, sed una coma, aut parenthesis eis signo uno, quae MS. non adhibuisse scimus, omnia compono. Lego itaque ex ea s. Iacobi:

καὶ ποιήσῃ τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον (σῶμα ἅγιον τοῦ Χριστοῦ σου) καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο (αἷμα τίμιον τοῦ Χριστοῦ σου) ἵνα γένηται πᾶσι τοῖς ἐξ αὐτῶν μεταλαμβάνουσιν εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν.

Et fac panem hunc (corpus sanctum Salvatoris), et calicem hunc (sanguinem venerabilem Salvatoris) omnibus illis esse, qui participes fient, in remissionem peccatorum.

Atque in illa Chrysostomi:

καὶ ποίησον τὸν ἄρτον τοῦτον (τίμιον αἷμα τοῦ Χριστοῦ σου) τὸ δὲ ἐν τῷ ποτηρίῳ τούτῳ (τίμιον αἷμα τοῦ Χριστοῦ σου) μεταβαλὼν τῷ Πνεύματί σου τῷ ἁγίῳ, ὥστε γενέσθαι τοῖς μεταλαμβάνουσιν εἰς νίψιν ψυχῆς.

Et fac panem hunc (corpus venerabile Christi) et quicquid in hoc calice (sanguis venerabilis Christi) mutata iam a Spiritu Sancto ut sint omni communicanti in purgationem animae.

Naturale certe videtur, quod quum auctor nominare deberet consecrata dona, nominaret illa ex iis, quae sensibus apparent, sed statim explicaret veram essentiam, ne daret locum errori. Hoc modo noscitur statim in oratione usus ecclesiae tribuendi Spiritui S. non secus ac Filio effecta, et gratiam sacramenti; idque videmus in aliorum administratione; quemadmodum autem precamur super aquam sacri fontis, ut in eam descendat virtus Sp. S., eamque *fecundet virtute regenerandi ad gratiam*, ita hic precamur, ut mittatur super proposita dona, ut afferant mandu-

1) Not. ad Euchol. p. 140. 2) Explic. des quelq. etc.

cantibus illa gratiam, et salutem. Atque quod effectus mittendi Spiritus esse non debeat consecrandi, noscitur etiam ex prece, ut aequaliter et super dona veniat, et super nos, *ἐφ' ἡμᾶς, καὶ ἐπὶ τὰ προκείμενα.* Ita Graeci in conferendis ordinibus, post formulas, quibus conferuntur, orant *ut supra ordinatum* descendat gratia S.S. Apparet haec veritas in liturgia Basilii, qui ait [1]), *veniat ad efficiendum, ut effectis noscamus, panem hunc esse ipsum venerabile corpus Domini.* Animadverti textum quendam Cyrilli Hierosolymitani [2]), ubi refert adeo mancam orationem illam, ut parenthesi meae locus non remaneat: sed arbitror id nauci faciendum esse, quoniam textus ille imperfectus est, et illa descriptio liturgiae in essentia manca est: quod apparet ex eo, quod eadem oratio quum habeatur in tot aliis antiquis monumentis, in nullo reperitur ita manca: 2. quod neque ante, neque post habentur verba institutionis, quae nemo omisit consecrationem referens, quaeque neque Pfaff negat ad essentiam pertinere: 3. quod contradiceret iis hoc modo, quae alibi dixerat [3]), transmutari dona, finita invocatione SS. Trinitatis, de qua hic nil commemorat. Sed contra interpretationem meam dicent etiam, non esse propriam constructionem illam *ποίησον τὸν ἄρτον ὥστε γενέσθαι*: cui responderi potest, non esse tamen eiusmodi ut in variis linguis non reperiantur quae magis a regulis distent, et periodus illa manca liturgiae ita composita est, ut simul coniuncta liberari aut ab uno, aut ab altero defectu non queat: multum vero inusitatior est explicatio, quam alii afferunt *μεταβαλὼν* pro immutans, aut tempus praeteritum dicentes, interpretari *muta panem hunc, quum iam mutavisset:* Quod si una particula *ὥστε* fuisset errore intrusa, vel addita, ut facile evenire potuit in fractione illius periodi, nonne certa, et clara esset necessitas parenthesis meae?

Sed utut res se habeat, si quod sentio, improbatur, nihil tamen id officit sententiae nostrae, quae inconcussa iacit fundamenta, et cuius veritas, prout spectat ad haec verba, pendet ab eorundem fine. Qui sane finis, quanquam satis manifestus sit, ex his, quae ante diximus, tentabo cum quoque certissime confirmare. Nam oratio illa aut composita fuit ab ignoto auctore, et nihili pendendo, et ita est etiam pauci ducenda: vel composita fuit ab sancto Ioanne Chrysostomo, ut Graeci defendunt, et hoc modo nullus relinquitur controversiae locus, utrum sensus eius sit qualem adversarii profitentur, quum auctor ille toties mentem suam explicuerit hac in re, et tam clare, quumque ore rotundo dixerit, ut ex scriptis apparet *H. E. C. M. ait sacerdos, verbum hoc transmutat oblationes* [4]). Sed quisnam melius, quam Graeci intelligere debuit sensum orationis illius? Et tamen ipsi per tot secula generatim eam intellexerunt: quousque XIV. rabies in Latinos impulit Nicolaum Cabasilam ad hanc litem movendam, quem sequuti sunt Schismatici permulti, sed non omnes; nam fuit inter ipsos quasi ad nostra tempora, qui hanc opinionem Cabasilae omnino improbavit. De qua re, veluti etiam de credentia quam Graeci omnes ante Cabasilam habuerunt fidem faciet Photianus insignis, nimirum Georgius Coresius: Cuius sane, qui mortuus est dimidio seculo praeterito, quemque commemoravit saepe

1) Euchol. in ordin. Sacerd. 2) Cat. Myst. v. 3) Pag. 360. 4) Carb. 1.

Allacius, et Goar, praeter res variis in locis editas, tractationes plures MS. reperiuntur inter MS. Allaciana, quae habuit romanum collegium Graecorum [1]). In monumentis Calcii Florentini reperitur descriptio ludi illius ab eodem facta carminibus elegiacis graecis, quae vertit abbas Salvini, et apparet, fuisse graecae linguae professoris in gymnasio Pisano. Verba illius, quae subscribam infra, hausta a notis sunt, quas fecit in Synopsin conciliorum Nili Rhodii editas, ut creditur Byzantii caracteribus ab Anglia missis studio Nicolai Metaxa, qui vetantibus Turcis debuit transferre haec Ithacam, cuius erat episcopus schismaticus. Hic multa edidit suppresso anno, et loco, unde capitale exilium sustulit. Concilium Palamiticum iuris publici factum pro prima vice in ea Synopsi, in quod distinctos commentarios edidit Coressius, recusum fuit Iassis in Moldavia anno 1698. ut similia alia MS. Bucorestii in Valachia. Sed en textus allatus ab doctissimo abbate Papadopoli in praenotionibus suis qui habet notas quoque illas Coressii MS.

Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ καταδικάζεται τὸ νεώτερικὸν τῶν γνωμῶν, ἃς εἰσήνεγκε τῇ Ἐκκλησίᾳ Νικόλαος ὁ Καβάσιλας, τὴν ἱέρωσιν τῶν ἁγίων δώρων εἰς εὐχὰς ἀναφέρων. Ὃ οὐδὲ τῶν ἁγίων πατέρων τις εἶπεν, οὐδὲ κανὼν διέταξεν, οὐδὲ συμφωνεῖ τῇ πίστει τῆς ἐκκλησίας τῆς δεομένης διὰ τῶν εὐχῶν τὴν ἐπιφοίτησιν τοῦ ἁγίου πνεύματος, τοῦ ποιῆσαι τὸν ἄρτον σῶμα, τὸ δὲ ἐν τῷ ποτηρίῳ αἷμα οὐχ ἁπλῶς, ἀλλ' ὥστε γενέσθαι ἡμῖν εἰς ὠφέλειαν [2]).

Immo damnatur novitas opinionum, quas invexit in ecclesiam Nicolaus Cabasila, qui tribuit consecrationem sacrorum donorum precibus, quod nec dictum fuit ab aliquo PP. SS. nec ab ullo canone ordinatum, nec consentit cum placitis ecclesiae, quae implorat adventum Sp. S. precibus, non ad panem corpus, et vinum sanguinem omnino efficiendum, sed ut redundet in utilitatem nostram.

Hinc est, quod defensores huius sententiae vocantur inter Graecos *Cabasiliani*; et hinc est etiam, Balsamonem in chimaerica, et ridicula collectione errorum latinorum, quos undique quaesitos ad numerum 60. cumulavit, nec nos accusavit, quod non habeamus in missa orationem ad Sp. S., nec invenit quid arguere de doctrina consecrationis [3]).

Sed de canonico, et universali consensu Graecorum etiam post invectam disputationem hanc, quibus credendum magis erit, quam illis ipsis in generali concilio convocatis? Quid unquam opponi potest declarationi factae in hac re nomine nationis ab quatuor archiepiscopis iure ad hoc deputatis? Quia autem video doctissimum Pfaff se valde intorquere ad ostendendam invaliditatem, et violentiam rei huius, quae in eo concilio statuta fuit, et quoniam est id Achilles recentiorum Graecorum a nobis separatorum, omittens, quod in hac re iam scriptum fuit, afferam solum familiarem epistolam coryphaci magni Schismaticorum, id est Margunii, ut videamus violentias, et fraudes iactatas palam ab ipsis, nec fuisse commemoratas, quum loquebantur libere inter se,

1) Homil. de prod. Iudae. Tom. 3. 2) Pag. 333. 3) Cotel. hom Gr. Tom. 3.

atque intime non reperisse quod responderent canonicis subscriptionibus praelatorum suorum, nec quid opponerent validitati earum rerum, quae decretae fuerant Florentiae, et examinatae. Epistola reperitur in codice quodam meo continente multas epistolas Graecas seculi decimi sexti, et has inter sexdecim Margunii, alias nomine Emanuel, alias Maximi, quod sumsit quod a suis factus fuit episcopus Cytherae, quamvis Fabricius doctissimus personas duas illos faciat [1]). Mutant siquidem nomen recentiores Graeci quum ad dignitatem episcopalem transeunt hac advertentia ut novum incipiat eadem littera qua vetus. Ita Manoli (quod vulgare est) mutatum fuit in Maximum, ut alias Georgius in Gennadium, et Theodosius in Theophilum. Huius habemus in collectione poëtarum graecorum Hymnos Anacreonticos, ac sermones quadragesimales, et nonnullas epistolas, ac dialogum, quae scribit Allacius in opere vulgari *minime Margunii esse* [2]), sed furata ab ipso, praeter multa MS. contra Latinos. Doctus Fabricius tribuit ei versionem in graecum vulgarem sermonem N. T. quae creditur a Graecis cuiusdam Maximi Peloponnesiaci. Versio illa non alia de caussa, nisi quia vulgaris, prohibita fuit ab eorum Byzantino patriarcha, quum fas non esse putaret, ut scriptura legeretur ab idiotis. Sed in vitae decursu suae, quum primum inter suos locum tenere ambiret, sese ostendit Margunius longe ab eo diversum qui se profitetur in hac epistola. Linquam prope versionem, quam abhinc duobus annis aliam ob caussam feci.

Τῷ ὁσιωτάτῳ ἐν ἱερομονάχοις Κυρίῳ

ΓΑΒΡΙΗΛ ΤΩι ΣΕΒΗΡΩι

Piissimo Hieromonacho Domino

GABRIELI SEVERO

Ἐμμανουήλ ὁ Μαργούνιος εὖ πράττειν.

Emmanuel Margunius bene agere.

Ἐμοὶ μὲν καθ' ἑκάστην, ὦ θεία κεφαλὴ Γαβριῆλε, κινδυνεύει σχεδὸν τὰ τῆς πίστεως, σοὶ δ' οὐδὲν ἔμοιγε δοκεῖν περὶ τούτου μέλει. Καί σοι λοιπὸν σκοπεῖν ἔξεστι τίς ἡ ἀπολογία. Οὕτω δήπου διὰ γραμμάτων σοι ἥπερ ἔχει τἀμὰ ταῖς παρελθούσαις δηλώσαντι, καί τινας τῶν σῶν βίβλων αἰτήσαντι, ἀποκρίνασθαι γοῦν μοι, εἰ καὶ μὴ βουλομένῳ σοι εἶη πέμψαι, ἔδει. Ἆρ' οὖν οὐ παρὰ τοῦτο σαυτόν τε ἅμα, κἀμὲ ἀδικεῖς; ἐμοὶ μὲν τόγ' ἐμὸν εἰπεῖν καὶ μάλιστα φαίνεται. Πῶς γὰρ οὔ; ὅπουγε κοινὸς ὁ ἀγών, καὶ τῶν ἀγώνων ὁ τιμιώτατός τε καὶ πάντων ἐξαίρετος. Ἴσθι τοίνυν ἐμὲ τὰ τῆς ἐν Φλωρεντίᾳ γενομένης συνόδου πρακτικὰ ἐπιμελῶς πάνυ ὡς εἶχον σθένους διεξελθόντα, καὶ τὰς τῶν κατ' ἐκείνην

Ego quidem, o Gabriel, divinum caput, quotidie fere fide periclitor; tu vero, ut mihi videtur, hoc nihil curas. Reliquum est ut inspicias quaenam tibi defensio sit: nam quum ego tibi transactis diebus quomodo res meae se habent aperuissem, quumque libros quosdam a te petissem, etiamsi mittere nolles, respondere tamen decebat. Nonne hoc modo te ipsum simul, ac me iniuria afficis? mihi quidem, ut ingenue dicam, id maxime videtur: quidni? quum certamen commune sit, et certaminum quidem omnium maximum, ac praestantissimum? Scias ergo, me acta Florentinae synodi qua maxime potui diligentia percurrisse, Patrumque nostrorum, qui in ea sederunt, subscriptiones inspexisse,

1) Bibl. Graec. vol. 6. p. 704. 2) De process. S. S. p. 252.

τὴν σύνοδον εὑρεθέντων ἡμετέρων πατέρων ὑπογραφὰς ἰδόντα, καὶ τέλος τούτοις μὲ συνερεῖν, εἰ μήτις ἐν τῷ μεταξὺ κρείττων γένοιτο πρόνοια, ἐγνωκότα. Φίλον γὰρ τῷ ὄντι καὶ γένος καὶ γονεῖς καὶ πατρίς, ἀλλά γε παρ' ἐμοὶ πάντων φιλτάτη καθέστηκεν ἡ ἀλήθεια. Ἰδοὺ γοῦν σοι πῶς ἔχει τἀμὰ, δεδήλωκα. Σὸν δὲ λοιπόν, εἴτις σοι λόγος τῆς ἐμῆς, οὐχ ὅτι δέ, ἀλλὰ καὶ τῆς τῶν καθ' ἡμᾶς ἄλλων σωτηρίας, κρεῖττόν τι προβλέψασθαι. Καὶ τοῦτο δὲ κατ' ἀλήθειαν. Ἔστι δ' ὅ φημι, μή θ' ὡς συναινοῦντά τι τῷ ἡμετέρῳ δόγματι, ἀπαρέσκον τι τῷ θείῳ ἀποφήνασθαι, τοῦτο γὰρ οἵας δήποτε τιμωρίας ἄξιον. Μήτε μὴν ὡς δεδιότα, καὶ ἵν' οὕτως εἴπω, φοβούμενον ὅπου οὐκ ἔστι φόβος, τῶν παρ' ἡμῶν ὀρθῶς δοξαζομένων προδοῦναί τι, τόγε ἐλευθεριώτατον, ἀλλὰ τεθαρρηκότως πάνυ ἥπερ Θεῷ φίλον εἰπεῖν τὴν ἀλήθειαν. Ἐγὼ μὲν γὰρ ἀεὶ τὸ πατρικὸν δόγμα ἐφύλαττον, καὶ ἀποθανεῖν μᾶλλον, ἥπερ αὐτὸ κατά τι παραβλάψαι, ἢ παρελθεῖν, μοὶ ἦν αἱρετώτερον. Νῦν δ' ἐπειδὴ ἐξ ὧν ἔφθην ἰδὼν οὐδὲν οἱ Λατῖνοι ἐφ' οἷς δοξάζουσι τυγχάνουσιν ἁμαρτάνοντες, συνερεῖν καὐτὸς ὡς ὀρθῶς ἔχουσι, καὶ κατ' οὐδὲν ἀπάδουσι τοῖς ἡμετέροις πατράσιν, ὅσον ἐπὶ τῇ τοῦ παναγίου Πνεύματος, καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ ἐκπορεύσει, τοῖς ἐκεῖνων διέγνωκα. Εἰ δ' ἀγνοῶν τοῦτο πράξω, σὺ τούτου ἔσῃ τὰ μάλιστα αἴτιος, ἐπειδή σοι τὸ πᾶν ὡς καλῶς κρίνειν τε τὰ τοιαῦτα, καὶ νουθετεῖν ἐπὶ τὰ κρείττω ἐπισταμένῳ ἐπέθηκα. Εἴπερ οὖν ἔστι πως τοῖς τοιούτοις δόγμασιν ἐναντιοῦσθαι, ἄλλως τε καὶ τοῖς ἐν Φλωρεντίᾳ γενομένοις, καὶ ὁρισθεῖσι, γράψον μοι τὸ τάχιστον, δέομαι. Τί γὰρ τούτου μοι πρὸς Θεοῦ

ac demum me cum iis consentire, ni melior quaedam subeat interea cogitatio, statuisse: cara enim mihi vere sunt et genus et patria et genitores, carior tamen omnibus veritas est. En igitur, quomodo res meae se habeant, declaravi. Ad te pertinet, si tibi cura est aliqua meae, quid meae dico? nostrum omnium salutis, meliori consilio nobis prospicere: at id quidem ex veritate; neque enim decet, ut dixi, aut quod Deo displiceat proferre, quia cum dogmate nostro conveniat, hoc enim supplicio quovis dignum est[1]*; aut timentes, et ut ita dicam ibi timentes, ubi non est timor, eorum quae a nobis recte creduntur, quidquam deserere, quantum maxime ad libertatem pertinet, sed veritati sicuti Deo placet, audacter litare. Ego enim patrium dogma semper quidem servavi, et satius mihi fuisset mori, quam illud ne pauxillum quidem violare, aut praeterire: nunc vero postquam latinos in iis quae credunt minime aberrantes video, adiungi et ipse eorum sententiis decrevi in iis, quae recte se habent, nostrisque patribus non displicent, ut in processione Spiritus Sancti ex Filio. Quod si hoc ex ignoratione fecero, tibi maxime imputandum erit, quum tibi ad iudicandum de his, et ad meliora admonendum maxime idoneo exposuerim omnia. Si igitur aliquid habemus, quod his dogmatibus opponamus, et per quod liceat ab iis quae Florentiae sancita sunt, recedere, scribas mihi precor quam citissime. Quid enim mihi per Deum immortalem gratius, vel, ut melius*

1) Psalm 13.

χαριέστερον, ἢ μᾶλλον εἰπεῖν τῷ Θείῳ εὐαρεστότερον; ὅπερ εἰ μὴ ποιήσῃς (ἀπείη δὲ τοῦτο) καλῶς οἶμαι τὰς διὰ ταῦτα τοῦ Σωτῆρος ἐπίστασαι ἀπειλάς. Καὶ περὶ μὲν τούτων ἅλις. Ταχέως γὰρ ὡς εἶχον καὶ ἀπαρασκεύως ταῦτά σοι γέγραφα. Μὴ βούλου δὲ παρακαλῶ προφασίζεσθαι, μήτε μὴν ἄλλους ἐπὶ τοῦτο παρακινεῖν, λέγω δὴ τὸ κρύφα φρουρεῖν τὰ τῆς πίστεως, ὡσανεὶ δειλιῶντας καὶ μὴ καλῶς φρονοῦντας. Ἀλλὰ ταῦτα μᾶλλον σαφῶς παρότρυνε κρατύνεσθαι, μεμνημένος τοῦ λέγοντος[1]). Ὅστις με ἀρνήσεται ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, ἀρνήσομαι κἀγὼ αὐτὸν ἔμπροσθεν τοῦ Πατρός μου τοῦ ἐν οὐρανοῖς. Σὺ δ' ὦ θεία μοι κεφαλή, τὸ τῆς ἡμετέρας πίστεως στήριγμα, ἐπειδάν μοι βουληθῇς ἀποκρίνασθαι, ἅμα καὶ τὰς βίβλους ἐκείνας πέμψον μοι δέομαι.

Ἐκ Παταβίου πρώτῃ ἐπὶ δέκα Ποσειδεῶνος τοῦ ᾳφοϛ' ἔτους.

dicam, Divinitati acceptius? Quod nisi praestabis (absit hoc quidem) optime puto, Servatoris ob talia minas tenes. At de his satis: propere enim, ut mihi licuit, et sine studio haec scripsi: noli oro, praetextus afferre, neque alios in hoc impellere, ut quae ad fidem spectant, occulte custodiant, velut paventes et non recte opinantes, sed hortare potius, ut ea publice confirment, memor effati: Quicunque negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in caelis est. *Tu vero, divinum mihi caput, fidei nostrae columen, quum mihi rescribere volueris, libros illos ad me simul mittas precor.*

Patavii III. Idus Decembr. ann. MDLXXIII.

En quam diversa essent sensa vera horum factionis capitum, ab iis, quae apparent in scriptis destinatis ad morem gerendum ob alium finem vulgari plebeculae huius nationis, et en quam falsae nosci debebant narrationes Siropuli, quoniam si eas veras credidisset Margunius, vim habere multam non agnovisset actus et subscriptiones illius concilii. Nec tanti fiat quod peculiariter commemoret dogma Sp. S. quoniam quum non haberet, quid opponeret validitati concilii ab ipso fassae in alia quoque epistola huius codicis, fatetur eodem tempore validitatem certissimam carum rerum, quae aut uno ore statutae sunt et explicatae, aut diremtae; quum non possit doctus adversarius argumentum sumere ex eo, quod in decreto de consecratione non sit locutum, quod loquendum in eo de illa re non erat, de qua declaratum iam fuerat, Graecos a Latinis nullo pacto discrepare: nec difficultatem itidem movere debet, quod esset in concilio, qui refragaret, quoniam idem omnibus aeque in conciliis evenit.

Ne itaque videatur amplius admirabile Pfaff erudito, quod dixerim in priori epistola, idem partem sanae Graeciae nunc quoque sentire in praesenti materia, demonstrabo idem immo sentire Graeciam omnem, si volumus, ut aequum est, a publicis actionibus id desumere, non vero a verbis privatorum, qui indocti harum rerum, ignarique omnium, inter-

1) Matth. 10, 33.

rogati si sint, contrarium respondent, dummodo agnoscant hoc modo catholicam romanam doctrinam impugnari. Quum igitur schismatici Graeci non discriminentur a Graecis catholicis in liturgia, sed utantur omnes eadem s. Ioannis Chrysostomi cum ipsissimis ceremoniis, et verbis, ac ritu; observandum est, quod quando sacerdos ad consecrationem pervenit, recitat sacerdos submissa voce, et cursim orationem, in qua institutio narratur Sacramenti, sed quum ventum est ad verba consecrationis, distincte ea profert, et voce alta, quod respondet mori nostro campanulam pulsandi, ut moneatur populus, effici magnum opus: demittunt tunc caput qui adsunt, veneranturque, ut in graecis ecclesiis videre est, immo qui magis rem cognoscunt secum ipsi proferunt, *πιστεύω Κύριε, καί ὁμολογῶ, ὅτι σὺ εἶ ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος, credo Domine, et fateor te esse Christum filium Dei vivi vel quid simile.* En itaque consensu universali nationem universam credere, verbis iis consecrationem iam effectam fuisse. Deinde post orationem aliam, et antequam invocent Sp. S. offerunt consecratum tanquam Dominicum corpus. Nec dici posset offerri tum panem et vinum, tum quod actus, qui praecesserunt adorationis et fidei, erronei essent; tum quod oblatio panis et vini facta iam fuit ante omnia, ac satis longa ceremonia: immo adeo verum est, credere Graecos, non secus ac Latini, oblationem illam minime ad sacrificium pertinere, sed ad ipsius dispositionem, ut eam faciant in praeparatione, et in iis locis, in quibus ecclesias habent eorum more dispositas *in Prothesi* antequam ad altare accedant. Et en quomodo ii ipsi, qui interdum hanc veritatem verbis negant, eam facto quotidie fateantur. Arbitror autem ex iis, quae dicta sunt, Pfaff intellecturum esse, tot auctoritates singulari cum eruditione ab eodem cumulatas, quasque longum nimis esset singulas examinare, nihil quicquam efficere: cur enim credendum erit, quod si talis fuisset tot scriptorum mens, hanc postea sententiam vocatam esse *novam*, ac Cabasilianam, et eorum neminem accusavisse aut mutavisse missae ritum? Eae auctoritates igitur vel nobis opponuntur propter vocabula *sanctificare, invocare, orare,* quorum supra attulimus interpretationem, aut propter repetitionem verborum liturgiae, quorum litteralis sensus a nobis, intentio vero et finis a complexione tot rerum certissime declarantur: aut denique propterea, quia de hac controversia non cogitantes ita locuti interdum sunt scriptores, ut reliquissent aequivocationi locum, nisi ex tot aliis contextibus certissimis, ut recte notavit Arcudius[1]), eorum mens non appareret. Idque profecto ita esse, manifestum fit ex eo, quod Pfaff peritissimus talia dicta invenit in PP. et formas easdem loquendi etiam apud s. Ioannem Chrysostomum, apud s. Gregorium Nyssenum, apud s. Augustinum, apud s. Ambrosium, et tamen quis dubitare posset de horum in hac re consensu? Videantur solum eorum sententiae in hac epistola a me[2]) recitatae, et si controversiae adhuc locus relictus est, dabo manus. Illis, quae attulimus ex Chrysostomo, addantur: *Virtus illius verbi* (H. E. C. M.) *usque ad hunc diem, et usque ad adventum eius complet sacrificium*[3]), et alibi: *sicut verba, quae Deus protulit, sunt eadem, quae*

1) De Sacr. l. 3. c. 31. 2) v. 11. n. 42. 3) Homil. 2. in II. Tim.

nunc sacerdos pronunciat, ita oblatio quoque eadem est [1]) quod notandum est, et est optimum ad dirimendam praecedentem controversiam. Et de mente sancti Ambrosii quis dubitare poterit, postquam scriptum reliquit in authentica tractatione sua de sacramentis satis a PP. Benedictinis in eorum editione sustentata et defensa [2]): *Consecratio autem quibus verbis est, et cuius sermonibus? Domini Iesu.* Deinde: *Ubi venitur, ut conficiatur venerabile sacramentum, iam non suis sermonibus sacerdos, sed utitur sermonibus Christi.* Alio modo necesse est interpretandi sint textus, qui favere creduntur contrariae opinioni. Ita vanum est sese incumbere dictis iis Damasceni, quibus tribuit invocationi et adventui Sp. S. admirabilem transformationem, quia paullo ante iam declaraverat fieri hoc miraculum verbis a Christo praescriptis [3]): quapropter apparet non ob aliam caussam deinde ostendere id Sp. S. tribuere, quam ob illam caussam generalem hic expressam: *πάντα ὅσα ἐποίησεν ὁ Θεὸς τῇ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐνεργείᾳ ἐποίησεν. Quidquid Deus fecit, virtute Sp. S. fecit.* Et hic clare cognosci potest ita locutos esse in hac re quoque scriptores interdum, non ex eo, quod defenderint, verbis institutionis consecrationem non perfici, sed ex consuetudine tribuendi generatim Sp. S. effecta magna et admiranda; quamobrem habemus etiam apud d. Augustinum *non perfici tam magnum sacramentum nisi operante invisibiliter Spiritu Dei* [4]). Nec impugnarem tamen ante Cabasilam etiam fuisse aliquem, qui hac in re aequivocaverit, quia id nec vim facit, nec consideratione dignum est: sed vellem ego, ut ab adversariis pater aliquis insignis, et inter primos afferretur, veluti quos ego laudavi, qui non ambigue, sed clare loqueretur pro ipsis, et ita liquido, ut liquido a me citati loquuntur; atque ut Tertullianus ait, apud quem legimus, quod quum distribueret Salvator discipulis suis panem, *corpus suum illum fecit* H. E. C. M. *dicendo* [5]), et ut s. Augustinus, qui praedicavit: *panis ille, quem videtis in altari, sanctificatus per verbum Christi, calix ille, immo quod habet calix sanctificatum per verbum Dei, sanguis est Christi* [6]), et ut Epiphanius, qui in selecto opere ab doctissimo et venerabili cardinali Tommasi [7]), ad componendum syntagma verae theologiae, editoque ab ipso multo magis emendato in graeco sermone, ut notavit Fabricius [8]), affirmavit *a nemine fidem negari verbis illis, ac perdere gratiam et salutem, qui non credat hic vere inesse post ipsa Salvatorem, ut ipse dixit: οὐδεὶς ἀπιστεῖ τῷ λόγῳ, ὁ γαρ μὴ πιστεύων εἶναι αὐτὸν ἀληθινὸν ὡς εἶπεν, ἐκπίπτει τῆς χάριτος καὶ τῆς σωτηρίας.* Sed qui defendit non perfici illis consecrationem, iisdem fidem negat, et revera quum dicatur a sacerdote *Hoc est,* et non *hoc erit,* falsum diceret, nisi iam esset, vel nisi tum evaderet corpus Christi. Sed et consuetudo generalis ecclesiae latinae, et antiquissima sacramentaria nostra, in quibus oratio illa ad Sp. S. non apparet, eruntne facienda nihili?

Et haec sunt, quae satis esse videntur, ut paucis tractemus dogmata haec duo controversa. Quod si unquam epistola haec perveniret ad

1) Homil. de prod. Iud. 2) Lib. 4. c. 4. 3) De fid. l. 4. c. 14. 4) De Trinit. l. 3. c. 4. 5) c. Marc. l. 4. c. 40. 6) Serm. 227. 7) Inst. Theol. Tom. 3. 8) Vol. 7. p. 422.

manus Pfaff, videret sane et repertum fuisse quid respondere possemus, et ex alia parte fortasse iterum ad trutinam revocans ille quae diximus, liber ab praeiudicio omni, et considerans non hoc aut illud argumentum, sed omnia simul, et ponderans scripturae auctoritatem invictam, consensum PP. consuetudinem ecclesiae universalem, et penetrans denique intelligentia praeclara eius non tam quae dixi, quam quae dicere nescivi; fortasse inquam ostendet, quam praeclaro ingenio sit praeditus, quod aliquando fit antiquam ex animo opinionem avellendo. Sed nimis mihi blandior fortasse. Interea vero iudicio et ferulae tuae, reverendissime pater, tradens quae hic scripsi beneficio permotus litterariae et christianae reipublicae, ut diu vivas ac valeas, iubeo.

Veronae prid. Kal. Maii 1716.

IV.

DISSERTATIO APOLOGETICA
DE
FRAGMENTIS IRENAEI ANECDOTIS
DEQUE OBLATIONE ET CONSECRATIONE VETERUM EUCHARISTICA
ADVERSUS
VIRUM ILLUSTRISSIMUM
SCIPIONEM MAFFEIUM,
QUAM PRAESIDE
CHRISTOPHORO MATTHAEO PFAFFIO,
S. Theol. Doct. eiusdemque Prof. Publ. Ord.
AD DIEM X. MAII A. MDCCXXVIII.
DEFENDENT
M. IO. MATTHIAS KAEUFFELINUS, Malmsheimius,
ET
M. IO. LUDOVICUS LAIBLINUS, Oferdingensis.

CONSPECTUS DISSERTATIONIS.

In praefatione enarratur apologiae huius occasio et necessitas. 1. Sententia cl. Maffeii proponitur. 2. Ostenditur, errare virum doctissimum, quum putat, nos ex catenis anecdota Irenaei fragmenta dedisse, argumentumque de collectionibus patrum miscellaneis catenisque prolixius evolvitur et ex catena MS. collegii novi Oxon. fragmentum Papiae *ἀνέκδοτον* datur. 3. Quae contra primum fragmentum dicit vir summus, paucis diluuntur. 4. Quae contra fragmentum secundum obiicit idem, plenius convelluntur deque constitutionibus apostolicis et vi argumenti negativi curatius agitur. 5. Num *ἐπίκλησις* sive invocatio Spiritus S. eucharistica ante seculum quartum iam alicubi in usu fuerit, disquiritur, deque auctore Theodotianorum Clementinorum quaedam insperguntur. 6. Obiectiones examinantur, quae tertium fragmentum feriunt. 7. Cl. Maffeium ad secundum fragmentum redeuntem, novaque adversus eiusdem *αὐθεντίαν* argumenta proferentem denuo nostrae responsiones comitantur. 8. 9. Oblatio veterum eucharistica obiectionesque Maffeianae nobis heic oppositae cum cura excutiuntur, notaturque, canonem missae contra transsubstantiationem et sacrificium proprie sic dictum aperte pugnare, patresque ecclesiae, cum corpus Christi in eucharistia immolari dicunt, immolationem saltem commemorativam et repraesentativam intelligere, id quod non solum Chrysostomus et Augustinus sed etiam ex Scholasticis Lombardus et Thomas Aquinas clarissimis verbis efferant. Proferuntur et acta synodi Tridentinae, testisque in eo veritatis Georgius Ataides, theologus Lusitanus, eaque quae in comitiis Augustanis A. 1530. confessioni nostrae fuere opposita, apologiae A. C. occasionem datura, In-

terimque Augustanum. Denique Bellarmini, Bossueti et Zephyrini de Pace notantur circa hoc argumentum lapsus et obliquae explicationes. 10. 11. 12. 13. Quae circa consecrationem et ἐπίκλησιν eucharisticam obiicit cl. Maffeius, sub incudem revocantur, nova praesertim ista, quam in liturgia Chrysostomiana fingit, hactenusque inaudita παρένθεσις. Adduntur quaedam de viro clarissimo, Nicolao Comneno Papadopolio eiusque scriptis. 14. Ex Georgii Coressii et Manuelis sive Maximi Margunii, quorum res gestae et encomia plenius hic enarrantur, testimoniis actisque concilii Florentini, a Graecis, quorum nomina librique hanc in rem scripti memorantur, passim laceratis et confutatis probari haud posse ostenditur, quod Nic. Cabasilas sententiam de consecratione eucharistica per ἐπίκλησιν precesque facienda primum in Graeciam invexerit, uti quidem cl. Maffeius arbitratur. Insperguntur hic plura ad historiam litterariam ecclesiae graecae modernae spectantia. 15. Ecclesiam graecam recentiorem cum verbis institutionis ad consecrationem verba quoque ἐπικλήσεως precesque requirere ex indubiis documentis ostenditur, in scenam productis, queis refragari nefas est, testibus omni exceptione maioribus, primum Ieremia patriarcha Constantinop. quem citatis gressibus sequuntur Gabriel Severus, metropolita Philadelphiensis, Antonius Caucus, archiep. Corcyr., patres concilii Constantinop. A. 1638 contra Cyrillum Lucarium habiti auctoresque confessionis orthodoxae ecclesiae graecae, dubitaturque, num tot armatis nobiliss. Maffeius resistere possit? Adduntur digressiones de modernorum Graecorum scriptis in Moldavia, Walachia, Georgia, Italia, Germania, Gallia, Anglia, Belgio et Lithuania editis, deque eorundem, uti et de documentorum a theologis Portus Regii Parisiensis contra reformatorum promachum Io. Claudium productorum dubia et ipsis quoque Romanensibus suspecta fide. Denique Manueli sive Maximo Margunio a cel. Maffeio ad fidem graecam enarrandam producto opponuntur duo alii eiusdem nominis Graeci, alter Manuel Magnus, ecclesiae Constantinop. rhetor, Maximus alter, monachus Peloponnesius, facta dictione uterque contrarium ponentes, ipsique cl. Maffeio ad latus sistuntur post alios dudum memoratos duo scriptores romanenses, ab ipso plurimum hic dissentientes iique magnae eruditionis viri, R. Simon et E. Renaudotius, queis et additur, qui vestigia ipsorum tantisper hic legere tentat, Io. Aymonius, olim et ipse Romanensis, ast relictis antiquis castris nunc in Reformatorum cohorte Belgica miles gregarius. 16. Ostenditur, doctissimum Maffeium denique in propria viscera labi, ubi liturgiam Chrysostomianam in rem suam adducit, utpote quae sententiam ipsius penitus iugulat nullamque reddit. Quin et praeeunte Maffeio quaeritur, num Graeci symbola sacra statim post verba institutionis recitata adorent? ubi adducuntur testimonia Sacrani, Io. a Lasco, Scargae, Cauci, Simonis, Guagnini, Iesuitae anonymi et Arcudii, qui Graecis obiiciunt, quod symbola consecranda quidem adorent, non item consecrata, saltem non eodem cultus gradu. Afferuntur responsiones Graecorum, Nic. Cabasilae, Gabrielis Philad. et Simeonis Thess. approbatae ex parte ab Allatio, Goaro et Simone, sententiam tantisper suam suspendente Io. Bona, cardinale. Reiicitur error Claudii et Basnagii de Graecis nec symbola consecranda nec consecrata adorantibus, contrariumque ex liturgiae Chrysostomianae processu ostenditur. Denique

et cl. Maffeii monstratur lapsus in alleganda Graecorum precatiuncula quadam eucharistica commissus. Atque ita filum huius apologiae, repetita benevolentiae captatione abrumpitur, nisi quod epimetrum subiicitur, cuius haec est synopsis. Enarratur ecclesiae Augustanae confessioni addictae de consecratione eucharistiae mens. Dicitur, quid Lutherus megalander primum statuerit. Adduntur Martini Buceri et Phil. Melanchthonis cogitationes meliores. Eas et a Luthero in Concordia Wirtebergensi A. 1536 adoptatas et a Melanchthone in colloquio Ratisbonensi A. 1541 haud sine fructu adhibitas, inque conventu Francofurtano A. 1558 confirmatas, itemque in libros nostros symbolicos relatas esse notatur. Quid tres hi Imperii Romano-Germanici principes, Hermannus Coloniensis archiepiscopus et elector, cui hanc ob rem cum canonicis suis theologisque Coloniensibus pugna intercessit, Christophorus nostras Wirtembergicus et Georgius Anhaltinus de consecratione eucharistiae olim statuerint, disquiritur. Lis Saligerana Rostochiensis paucis datur. Ad testimonium dicendum magnus producitur theologorum nostratium chorus, qui primo quidem intuitu bellum quoddam intestinum secum invicem gerere et in mutua ire praelia videntur, ast virtute distinctionis cuiusdam, quae uno ictu totam litem difflat, a viris *ἀκριβεστάτοις* Höpfnero et Scherzero potissimum adhibitae tandem mirifice in unum coëunt. De formula missae Wirtebergensis a megalandro nostro Luthero A. 1523 composita, de liturgia porro Ioannis III. regis Sueciae, itemque de liturgia priore Eduardi VI. regis Angliae quaedam proponuntur litesque novissimae ob hanc nuperrime in Anglia denuo obortae paucis tanguntur. Denique et de consecratione Waldensium eucharistica observatio adiicitur. Et sic tandem rivi clauduntur.

AD DISSERTATIONEM PRAEFATIO.

Septem iam anni abiere, ex quo, quum Augustae Taurinorum versaremur et codices graecos bibliothecae aulicae evolveremus, inter alia multa anecdota quatuor etiam s. Irenaei episcopi Lugdunensis fragmenta invenimus, suo tempore, si ita ferret occasio, iuris publici facienda. Haec quum nobis in patriam redeuntibus et Veronam transeuntibus commode sese offerret, viro illustri Scipione Maffeio anecdota quaedam graeca a nobis expetente, diario Italico, quod Venetiis prodit, et cuius unusquisque tomus iuxta institutum collectoris tum anecdoto quodam superbire debebat, inserenda, transmisimus ipsi praedicta fragmenta et versione et notis quibusdam nostris illustrata. Nec mora celeberrimo *Maffeio*, qui accepta non solum illico laudato diario [1]) cum adiectis notis inseruit, sed et, ne fidei suae derogare quid videretur, tum *αὐθεντίαν* fragmentorum subruere, tum notas nostras in litteris ad rev. abbatem, Benedictum Bacchinium, quas addidit, refutare adgressus est. Ubi ingenue fatemur, litem hanc nobis valde inexspectatam fuisse, maxime quum in criticis observationibus haud subsisteret vir illustris, sed ad theologica quoque provolaret notasque nostras refelleret, quas sane eo animo haudquaquam addideramus, ut scriberemus aliquid Romanae fidei

1) Giornale de' letterati d'Italia T. XVI. Art. IV. p. 226 seqq.

contrarium aut quod odium quoddam viro clarissimo conflare aptum esset. Quoniam tamen ita placuerat viro illustri, de argumento et difficili et praecipuo, nimirum de oblatione et consecratione s. eucharistiae nobiscum disputare, sententiamque ecclesiae romanae etiam ex antiqua traditione defendere, non potuimus non huic instituto obviam ire et denuo cusis Irenaei fragmentis, notis amplissimis ea illustrare, bigam dissertationum de oblatione et consecratione veterum eucharistica addere et in praefatione doctissimi viri argumenta contra nos producta paucis refellere [1]), ut, quam ecclesia romana favere sibi plurimum heic existimat, ei vel maxime contrariam esse traditionem, adductis hanc in rem veterum luculentissimis effatis, plenius ostenderemus. Atque ita credebamus finem controversiae impositum, quum ex iis, quae ab utroque disputantium prolatae iam essent, rationibus facile concludere haberet lector a sectae studio alienus, a cuius partibus veritas staret. Sed spem eventus fefellit. Exstat enim in T. XXVI. [2]) diarii saepius iam memorati nova quaedam epistola Maffeiana ad celeberrimum Bacchinium, ubi argumentum hoc denuo in scenam producitur nostraque prolixissime refutantur. Quae suo quidem loco relinquere poteramus, nisi et germanica iam veste ornata prodiissent [3]), et illustris, quem veneramur plurimumque colimus atque amamus, adversarius insigne eruditionis rarissimae humanitatisque plane singularis specimen heic nobis iterata vice dedisset, et denique officii nostri partes suo quodam iure a nobis id requirerent, ne veritatem in discrimen periculumque quoddam adductam cum tenebris et larvis spectrisve, aut pulvere, quem visentium in oculos quis heic iecerit, luctari pateremur. Quod quum ita sit, respondendi necessitatem nobis impositam esse facile intelligimus, quo negotio et nunc defuncturi sumus, ita tamen, ut litis hic ponamus terminum, iudicium lectoribus iam relicturi, quum satis utique sit, caussam suam ter perorasse.

§. 1.

Duo sunt, quae celeberrimus MAFFEIUS contra nos urget, primum, *anecdota graeca, quae sub nomine s. Irenaei in catenis Taurinensibus invenerimus, non esse Irenaei, sed supposititia,* secundum, *veterem ecclesiam eandem cum ecclesia romana sententiam de oblatione et consecratione eucharistiae tenuisse.* Quod prius concernit, praecipua viri doctissimi haec ratio est, fragmenta, quae e *catenis* desumantur, dubia esse, ubi maxime et id sollicitat, quod ad hanc obiectionem regesseramus, *utplurimum genuina esse, quae in catenis graecis exstent.* Quae ut infringat, ait, se in iis, quas ipse inspexerit, catenis tum MSS. tum impressis contrarium invenisse, possidere se catenam valde antiquam et correctam sed confusissimam quoad auctorum nomina, porro catenam Corderianam in psalmos fere ubique in titulis auctorum peccare, valde quoque familiare esse catenis, locum dare ex multis auctoribus petitum, quorum tamen unus saltem nominetur, loca itidem allegata mutilare et variis modis deformare, ut adeo, iudicante Huetio, *levis et fluxa catena-*

1) Prodiit haec fragmentorum anecdotorum s. Irenaei editio Hagae Com. sumtibus Henr. Scheurlerii A. 1715. 2) Art. 2. p. 51 seqq. 3) In der neuen Bibliothek, 58. Stück, p. 595 seqq.

rum fides sit existimanda. Nec regeri posse, omnia in catenis Taurinensibus allegata patrum loca genuina esse et in ipsorum scriptis exstare, nam inquirendum esse, num in istis catenis aliorum quoque patrum primi et secundi seculi effata inveniantur, catenas enim sequioribus temporibus esse scriptas, ubi ista patrum opera dudum fuerint deperdita. Hinc et Massuetum fragmenta e catenis petita tanquam dubia saltem dedisse, maxime si liber non nominatus fuerit, ex quo fuerint extracta. Denique quum vox *Εἰρηναίου* saltem fragmentis nostris praeponatur, novum id dubium movere. In catenis enim, quas Massuetus citet, exstare *Εἰρηναίου Ἐπισκόπου Λουγδούνων,* quae additio omnino sit necessaria, quia in catena Lippomanni in exodum etiam inveniantur loca, ex Irenaeo episcopo Antiochiae petita.

§. 2.

Haec non difficili opera ita diluimus. Primo toto caelo errat doctissimus Maffeius, quum putat, nos ex catenis, sumta hac voce pro commentario in certum quendam s. Scripturae librum ex variis ss. patrum locis in unum collectis compilato fragmenta s. Irenaei extraxisse. Quod aliter se habere, facile perspicere potuit ex diario erud. Ital. T. xvi. [1]) ubi haec nostra verba leguntur: *Exstant in bibliotheca Taurinensi varia s. Irenaei fragmenta diversis in codicibus, qui DICTA PATRUM exhibent, exstantia,* quae et ipsa in praefatione ad editionem Hagiensem sub initium repetiimus. Scilicet habentur in bibliotheca Taurinensi certi quidam codices, qui nil nisi patrum loca eaque selecta et memorabilia [2]),

1) Pag. 228.

2) Norunt ii, queis codices MSS. scrutari datur, norunt et, qui impressos codicum MSS. adeunt catalogos, infinitas huius commatis collectiones dicta patrum continentes in bibliothecis passim exstare. Inter editas ignotae nemini, qui historiam litterariam scriptorum ecclesiasticorum vel primis saltem labris degustaverit, esse possunt illae, quas Anastasius Sinaita, Maximus confessor, Io. Damascenus, Euthymius Zygabenus, Antonius Melissa et Nicetas Choniates, quibus Theodoretus, Photius aliique adhuc addi possunt, nobis dedere. Leontii Byzantini locos communes, quos post Turrianum, Sirmondum et Colomesium memorant Grabius in Spicil. Patrum Vol. 1. p. 269. et Fabricius in Bibl. Gr. Vol. 6. p. 455. dabit, uti arbitramur, in Tomo III. Operum Damasceniorum clarissimus vir nobisque amicissimus, Michael Lequienius. Scripsit et Nicon monachus, qui sub Constantino Duca floruit, collectanea ex ss. patribus actisque synodalibus desumta, in pluribus bibliothecis maxime vero in Coisliniana n. 37. 117. 122. exstantia. Vide celeberr. Montfauconii catalogum bibliothecae Coislin. p. 111. 112. 189 sqq. 197. 198. Taceo Antiochum monachum, qui et *πανδέκτης,* amplissimae collectionis auctorem, cuius codices Coisliniano variis in locis memorati catalogi vir idem doctissimus citat, et a quo alias plurima Hermae fragmenta graeca Ioannes Baptista Cotelerius mutuatus est. Ceterum prolixissimae atque ingloriae admodum res operae foret, indicem harum collectionum, quae in bibliothecis latitant et nomine *πατερικῶν, γεροντικῶν, ἐρωτήσεων καὶ ἀποκρίσεων, κεφαλαίων, ἠθικῶν καὶ ἀσκητικῶν, παραλλήλων, ὁδηγῶν, συγγραμμάτων, ἀποφθεγμάτων, παραδείσων κ. τ. λ.* subinde veniunt, ex catalogis hic conficere, quum de his rebus nemo dubitet, nisi qui in hoc eruditionis campo plane hospes sit. Provocant certe ad miscellanea huius generis scripta passim viri doctissimi et inter recentiores maxime Cotelerius et Grabius, ille quidem ad regios Colbertinosque Parisienses codices, hic ad Oxonienses, nec poenituerit heic contulisse, quae posterior hic in Spicilegio patrum Vol. 1. p. 269. 302. habet, plenisque manibus passim dat cum aliis catalogorum scriptoribus in catalogo iam allegato nobis iterum iterumque laudandus clariss. Montfauconius. Vide si placet, f. 192 sqq. 200. 412. 413. 414. 584. Ast nimia forsan sunt, quae heic cumulavimus, capropter tamen penitus haud negligenda, ne in eandem *foveam criticam* perduci

et quidem fere secundum ordinem seculorum exhibent aetatis haud contemnendae optimaeque notae, ita ut fidem eorum ad nauseam tentaverimus, et quamquam (quod nimiae operae res fuisset nec Augustae Taurinorum a nobis fieri potuisset) omnia in iis citata Patrum loca in impressis editionibus haud evolverimus, cuncta tamen ea, quae evolvimus, invenerimus genuina atque authentica. Quod quum ita sit, non perspicimus, cur horum codicum fides nobis esse debeat dubia, maxime cum fragmenta haec et Irenaeo digna sint et ipsius mentem stylumque, quantum id quidem iudicari potest, omnino referant. Queis omnibus neglectis, si postea ad generales de catenis graecis proprie sic dictis observationes descendat noster, quae uti ex iam dictis patet, nos haudquaquam feriunt, potueramus quidem silentio ista transmittere, nisi, quae et amicitiae lex quaedam est, in clarissimi Maffeii voluntatem tantisper heic concedere et hunc, in quem iste nos nunc benevola invitatione pertrahere dignatur, disputationis campum cum ipso obambulare ad indulgentiam obsequiumque nostrum ipsi demonstrandum nobis constitutum foret, idemque olim iam officii genus eidem a nobis praestitum fuisset. [1]) Sententia igitur nostra, ut paucis nos absolvamus, de catenis patrum haec est: *ea, quae in catenis graecis exstent, ut plurimum genuina esse,* sententia doctissimi Maffeii nostri, *dari catenas quasdam graecas valde confusas et ubi loca adducta et falsis auctoribus adscribantur et mutilata corruptaque sint.* Utrumque, uti arbitramur, verum est. Prius omnino, cum paucis istis catenis, quas Cl. Maffeius memorat, aliae utique opponi possint melioris notae, et immane quantum hactenus peccassent viri docti, qui ex catenis tot egregia eaque indubia plane anecdota extraxere, ut a nemine eapropter fuerint reprehensi tanquam nimis incauti. Posterius ipsa utique docet inspectio nec a nobis unquam negatum fuit sed et praeter doctissimum Maffeium ab aliis dudum observatum [2]), ita ut magno conatu prolixaque probatione id indiguisse haud videatur. Hinc de fide catenarum nulla generalis debet poni regula, sed hoc tenendum: *Catenam, quam prae manibus habemus, sollicite examinandam, locaque in impressis evolvenda, ut nosse queamus, quaenam fides ipsi tribuenda sit. Quod si autem illa non fallat sed codex bonae notae esse reperiatur et librarium sapiat doctum et accuratum, de eius fide non amplius dubitandum esse.* Tales autem esse codices illos Taurinenses, iam satis su-

se pateretur lector, in quam clariss. Maffeius *incidit*, qui *allia* cum *cepis* hic miscuisse et collectanea ex dictis locisque ss. patrum variis constantia, qualia nos allegaveramus, cum catenis PP. omnino confudisse videtur, quippe de quibus prolixissime heic sed erudite, ut solet, reiecta vel neglecta saltem, quam sub initium praefationis Hagiensis posueramus, collectionum istarum catenarumque distinctione disserit.

1) In praefatione Hagiensi, ubi de catenis patrum sententiam nostram, volente ita celeberrimo Maffeio, dicere iam coepimus.

2) Evolvendi hic sunt auctores, qui de catenis PP. data opera scripsere, R. Simon in histoire critique des principaux commentateurs du N. T. C. 30. 31. 32. Thomas Ittigius in tractatu de bibliothecis et catenis patrum Lipsiae 1707. edito, ubi catenae patrum impressae fere omnes, omissis paucissimis facileque supplendis, recensentur, Io. Christ. Wolfius, pastor nunc ad aedem S. Cath. Hamburgensem dignissimus, quem catenas patrum Oxonii A. 1708. 1709. diurna nocturnaque manu versantem vidimus, in dissertatione de catenis patrum MSS. Wittembergae A. 1712. edita, quam tamen videre nobis hactenus non contigit, Fabricius in bibl. gr. Vol. 7. C. 17. p. 727 sqq. et cum omnibus iis, qui catalogos codicum MSS. dedere, Bern. Montfauconius in P. 1. C. 1. bibliothecae Coislinianae.

perque diximus. Ceterum id requirit quoque Maffeius, ut si haec Irenaei fragmenta genuina existimanda sint, alia quoque patrum sec. I. et II. fragmenta in his codicibus exstent. Quod etsi non existimemus esse necessarium, in laudatis tamen codicibus ita invenitur, ubi Ignatius, Iustinus m. alia Irenaei, Origenes, Hippolytus comparent. Id vero plane gratis ponitur, omnes catenas sequioribus demum seculis confectas fuisse, ubi primorum Patrum opera iam fuerint deperdita. Exstat, ut hoc unicum moneamus, qui necessarium non existimamus, plura hic cumulare, in bibliotheca Taurinensi catena in psalmos, litteris uncialibus tota exarata, quam ad seculum VIII. vel et IX. (ubi sane ista patrum opera nondum deperdita fuere) si quis referat, haud erraverit. Meminimus quoque in catena in acta apost. et epistolas catholicas collegii novi Oxoniensis a recentiore librario scripta exstare fragmentum hactenus *ἀνέκδοτον* Papiae ex ipsius *ἐξηγήσει τῶν κυριακῶν λόγων*[2]) petitum. Quin et catenas antiquissimorum patrum, Clem. Rom., Hermae, Ignatii, Iust. m., Irenaei, Origenis, Clem. Alex., Hippolyti aliorumque plura subinde fragmenta dare nemo harum rerum tantisper peritus unquam negaverit, quum ad inspectionem impressarum saltem catenarum audacter hic nobis provocare liceat. Reliqua, quae addit noster, sua sponte cadunt. Neque enim vel Massuetus nobis est contrarius, qui hoc solum dicit. *non usque adeo certa esse omnia, quae ex catenis proferantur, ut fidem statim impetrare debeant*[3]), nec pro Irenaeo Lugdunensi Irenaeus Antiochiae episcopus forsan sumendus est, quum et, ubi nomen *Εἰρηναίου* solum positum exstat, semper intelligatur *Εἰρηναῖος κατ' ἐξοχήν* talis, ut cum

1) Ad Act. I. 18.

2) L. 2. Demus verba, quoniam perpauca ea sunt, et dum haec nunc agimus, in schedis nostris sese nobis offerunt, *μέγα δὲ ἀσεβείας ὑπόδειγμα ἐν τούτῳ τῷ κόσμῳ περιεπάτησεν ὁ Ἰούδας προηθὲις ἐπὶ τοσοῦτον τὴν σάρκα ὥστε μηδὲ ὁπόταν ἅμαξα διέρχεται ῥᾳδίως ἐκεῖνον δύνασθαι ἀλλὰ μηδὲ αὐτὸν μόνον τὸν τῆς κεφαλῆς ὄγκον αὐτοῦ [φέρειν]. Τὰ μὲν γὰρ βλέφαρα τῶν ὀφθαλμῶν αὐτοῦ φησὶ τοσοῦτον ἐξοιδῆσαι ὡς αὐτὸν μὲν καθόλου τὸ φῶς μὴ βλέπειν, τοὺς ὀφθαλμοὺς δὲ αὐτοῦ μηδὲ ὑπὸ ἰατροῦ διόπτρας ὀφθῆναι. Τοσοῦτον βάθος εἶχεν ἀπὸ τῆς ἔξωθεν ἀποφανείας.* Exstant autem ista codice 58. ab Apollinario relata, sed nec tota ibi conspiciuntur, quum integri folii lacuna cetera absorpserit. Ceterum fragmenta Papiae ex veteribus Irenaeo, Eusebio, Andrea Caesar. Maximo, Oecumenio, dedere recentiores Petrus Halloixius in vitis illustrium ecclesiae Orient. scriptorum vol. 1. in vita Papiae et Io. Ern. Grabe in Spicilegio patrum sec. II. T. 1. p. 30 sqq. ubi p. 34. similia iis, quae hic damus, ex Oecumenio elata videas. Sed haec quidem parvi admodum momenti sunt, etsi seculo haud displiceant, quod in extrema semper procumbens nunc vel maxime in anecdotis, cuiuscunque ea demum pretii sint, eruendis dandisque magno conatu desudat. Nec diffitemur, nos aliquando, ubi occasio se ita ferebat, huic quoque rei operam quandam pro ingenii nostri et industriae modulo dedisse. Sed iam inde ab aliquo tempore aliam nobis mentem induimus, qui solidioribus nunc meditationibus incumbimus, aliis spartam tradituri, qua veterum fimum scalpturientes aurum inde, quod fieri aliquando potest, etsi id, bibliothecarum scriniis fere omnibus dudum excussis, rarissime iam fiat, faventibus Musis efferant. Scilicet opus quoque est, ut in republica litteraria, ut in omni alia, distributis rite officiis sint viri doctissimi, qui in hoc stadio currant, rem litterariam omnem, si industrii ii sint, si eruditione, quae huic negotio sufficiat, polleant, si animum ab omni impostura et fraude alienum habeant, si denique furti litterarii, pedantismi atque superbiae, quae aliquando et optima ingenia corrumpit, invidiaeque omnis caussas procul esse iubeant, nec nudis voculis tricisque criticis inhient aut ad anathemata critica iniuriasque scholasticas aliis impingendas irati aliquando ridiculique provolent, vel etiam certissima antiquitatis documenta insolentia haud vulgari ducti obelo transfigant, miris modis promoturi.

3) In admonitione de fragmentis Irenaei p. 338.

scholis loquar, qui noster est, et, quae dedimus Irenaei fragmenta, non alium nisi Lugdunensem spirent, maxime quum in codicibus Taurinensibus eo ordine posita sint, ut non possit quis hic nisi de Irenaeo omnium antiquissimo cogitare. Accedit, quod is catenarum mos communis haud sit, nomen auctoris, ex quo fragmenta petuntur, cum titulo enarrare, utpote quum ne nudum quidem nomen plene saepius scribatur, sed vel primis saltem litteris vel signo quodam ex duabus litteris composito sive monogrammate, quod Graeci appellant, (id quod vel maxime in Origenis et Chrysostomi nominibus apparet) nec V. C. ipsomet diffitente, designetur, quod et dudum iam monuimus [1]). Ceterum si nodus in scirpo hic quaerendus sit, praeter Irenaeum Tyrium et Antiochenum magnus aliorum numerus dari posset, quorum amplum satis catalogum habemus, ita, ut si tanti res esset, de claris veterum Irenaeis dissertationem amplissimam nec proletariis omnino refertam observationibus nobis integrum sit conscribere.

§. 3.

Iam ad specialia progreditur Maffeius noster et cuiusvis fragmenti *αὐθεντίαν* sollicitat. Quod circa primum repetit, id constare fere non nisi ex dictis Scripturae, ipso fatente Maffeio, magni momenti haud esse videtur, etsi arbitretur, hunc vetustissimorum patrum morem haud fuisse. Quod miramur sane ipsum affirmare, quum de Irenaeo ne quidem ipse id neget, qui in libris adversus haereses dicta scripturae saepissime cumulat, quod sive *data* faciat *occasione*, uti existimat Maffeius, sive data opera, nos non tangit. Regerit quidem, tale quid non observari in epistolis Ignatii genuinis sed saltem in interpolatis. Ast, ut taceamus, non dum adeo confectum esse, quaenam editio epistolarum Ignatii sit genuina, quaenam minus, quum utraque suos habere possit naevos, obiicimus viro illustri et Barnabam et Clementem, quibus in epistolis genuinis utique et hic mos fuit, dicta scripturae plurimum cumulare, id quod inspectio docet. Denique generale admodum est hoc effatum, patribus primae aetatis hanc consuetudinem non fuisse, plura scripturae dicta simul citandi, quum tam pauca nobis relicta sint primi et secundi seculi monumenta, ut universalem quandam hanc in rem sententiam pronunciare sine temeritate haud possimus, sed id saltem affirmare, esse, qui hunc morem tenuerint, esse vero et, qui aliam hic institerint viam. Ast et in ipsis N. T. libris dicta V. T. saepius cumulantur, quod ipsum nescio cur imitari haud potuerint primaevi patres. Postremum, quod circa primum fragmentum urget Maffeius hoc est, nos etiam observare potuisse, quod

1) In praef. Hag. ** 2. b. Commode autem, dum ista scribimus, offert se nobis I. B. Cotelerii nota ad epistolam Barnabae n. 54. f. 45. a. editionis, quam Io. Clericus in patrum apostolicorum volumine I. dedit, quam, ne gratis rem dixisse videamur, quae tamen omnibus codices MSS. tractantibus satis perspecta est, tantisper in rem nostram adducemus. Allegat ibi vir doctissimus cod. reg. Paris. 2216. adducitque ex eo s. Irenaei fragmentum, nulla alia quam hac insignitum inscriptione *Εἰρηναίου*, quod ipsum tamen genuinum esse nemo negaverit, qui L. 5. contra haereses C. 28. §. 3. evolverit, etsi et in hoc ipso fragmento exstent quaedam, ex alio Irenaei opere, sed quod interiit, petita, quod haud abs re Massuetus in nota a f. 327. a. observavit. Ast ex his quidem clarissime patet, obiectionem hanc doctissimi Maffeii lubrico admodum fundamento superstructam esse.

Irenaeus *γνῶσιν* in libris contra haereses aliter descripserit. Sed non observavit vir doctus, nos id in editione Hagiensi [1]) sollicite observasse.

§. 4.

Quae contra fragmentum secundum monet vir clarissimus, facili itidem negotio convellere nobis dabitur. Etenim, quum eam nobis sententiam attribuat, quod statuamus, Irenaeum heic voce *διατάξεων* allegare collectionem quandam constitutionum apostolicarum suo tempore factam, idque ex eo patere, quod alibi provocet ad traditiones seniorum ab apostolis haustas, praeter rem nobis affingit, quod affirmare in animum nostrum nunquam induximus, qui, quid per *διατάξεις* illas apostolicas in fragmento nostro designetur, num traditiones scriptae vel orales, nullibi determinavimus, sed in re incognita atque obscura iudicium hactenus suspendimus. Eam vero constitutionum apostolicarum collectionem, quae adhucdum exstat, ex *διδασκαλίαις* virorum apostolicorum haustam varieque subinde interpolatam et corruptam esse, nec ipse penitus negat doctissimus Maffeius, etsi quaestionem hanc, utpote quae prolixissimam videatur operam requirere, hactenus excutere nolit. Arbitratur tamen, in fragmento nostro per *διατάξεις* constitutiones scriptas non orales intelligi, quum in traditionibus oralibus nullae dentur *priores* vel *posteriores*. Quod qui dici possit, nos sane haud comprehendimus, quum utique una traditio altera possit esse antiquior vel recentior, prior vel posterior, ipseque Eusebius traditionem apostolicam de paschate a Polycrate et episcopis Asiaticis allegatam vocet *ἀρχαιοτέραν* et *τὸ πάλαι πρότερον αὐτοῖς παραδοθέν* [2]). Irenaeum porro ad traditiones seniorum orales provocare, non eam in rem observavimus, ut inde concluderemus, in fragmento nostro traditiones scriptas allegari, quippe quae nostra sententia haud est [3]), vel constitutiones apostolicas nunc ex *διδασκαλίαις* virorum apostolicorum petitas esse, id quod ex aliis fontibus arcessendum erit, sed ut id saltem ostenderemus, allegationem traditionum apostolicarum Irenaeo familiarem esse, sive scriptae eae sint, sive minus, quum de hoc quidem nullibi instituti nostri fuerit disserere. Ubi vero addit vir illustris, nullas plane *διατάξεις* apostolicas scriptas tempore Irenaei exstitisse, secure nimis id determinat, quod probatu certe longe est difficillimum. Etenim qui hanc defendere sententiam voluerit, ante omnia ostendere debet, veteres nihil eorum, quae ab apostolis virisque apostolicis hauserant, scripto consignasse, fictaque esse aut firmo saltem talo haud niti, quae viri doctissimi de *διδασκαλίαις* et *διδαχαῖς* veterum magna opera hactenus protulerint. Nec sufficit hic dicere, Irenaeum, si *διατάξεις* apostolicae scriptae suo exstitissent tempore, ad eas potius quam ad orales traditiones fuisse provocaturum. Praeterquam enim, quod pro instituti ratione iam ad traditiones orales iam ad scriptas quis provocaverit, et in cuiusvis positum est libertate, quamnam hic viam ingredi velit, facile patet ratio, cur Irenaeus traditiones praecipue orales sibi allegandas putaverit, quum eae quidem a viris fide dignis

1) P. 5. 2) Hist. Eccl. L. 5. C. 23. 24. 3) Quinimo in eam potius hic propendemus sententiam, qua traditiones orales hic intelligi statuitur. Vide diss. de oblat. vet. Euch. §. 7. p. 183.

propagatae firmiores longe certioresque sint quam scriptae, utpote quas tempore Irenaei et suppositas et depravatas fuisse, infinitis scriptorum *ὑποβολιμαίων*, queis Irenaei maxime aevum scatet, exemplis constat. Nec id quoque contra nos quidquam facit, quod vir doctus ait, in fragmento hoc nec *διδαχὴν* allegari, qualis Barnabae adscribatur vel Polycarpo, nec *ἀποστολικὴν παράδοσιν*, qualis detur Hippolyto, nec *διδασκαλίαν*, qualis attribuatur aliis, sed *διατάξεις*, qua voce Epiphanius eam designet constitutionum apostolicarum collectionem, quae adhucdum exstet, seculo IV. vel paullo post compositam. Etenim quid hinc concludere velit vir summus, nondum satis perspicimus, nisi, quod tamen expresse haud affirmat, dicere velit, nomine *διατάξεων* nec traditionem quandam oralem nec collectionem quandam constitutionum apostolicarum tempore Irenaei factam intelligi posse, sed eam solum, quam citet Epiphanius et quae nostris adhucdum manibus teratur. Veremur autem, ne, si haec viri illustris mens sit, paucissimos habeat sibi consentientes. Quis enim non videt, vocem *διατάξεων* generalem esse et ad constitutiones orales vel scriptas, ad hanc vel illam collectionem haudquaquam restringendam? Ipse apostolus Paulus, quas Corinthiis daturus erat, constitutiones *διατάξεις* vocat, quum ponit: *τὰ δὲ λοιπά, ὡς ἂν ἔλθω, ΔΙΑΤΑΞΟΜΑΙ*[1]). Quin et *διατάξεις ἀποστολικὰς* veteribus ante Epiphanium memoratas esse, variis testimoniis evincit clariss. Whistonus, cuius de constitutionibus apostolicis liber hic conferendus est[2]). Accedit, ipsum Epiphanium, ubi constitutiones apostolicas allegat, mox *διατάξεων* nomen adhibere, mox *διδασκαλίας*, *κηρύγματος*, mox *κανόνος ἐκκλησιαστικοῦ*, mox *παραδόσεως*[3]), easque insuper afferre *διατάξεις*, quae non solum in ea, quam nunc habemus, constitutionum apostolicarum collectione non exstant, sed et contrarias plane constitutiones continent, id quod post Iac. Usserium[4]), Io. Dallaeum[5]), Io. Pearsonium[6]), Io. Ern. Grabium[7]) aliosque observavit celeberrimus inter nostrates theologus, Thomas Ittigius[8]), qui posterior id quoque clarissime demonstratum dedit[9]), veteres, ubi *διατάξεις* apostolicas memorent, longe alias saepius indigitare, quam eas, quae nunc exstant, ut adeo, quamcunque in partem se vertat nobilissimus Maffeius, hic a veritatis tramite aberrasse sit censendus. Ceterum, quod ex voce *δευτέραις* idem exsculpsit, vel hinc apparere aiens, quod constitutionum apostolicarum hodierna collectio in fragmento nostro allegetur, quia ea, ad quam respiciatur, liturgia libro earundem ultimo contineatur, ita comparatum est, ut momentum quoddam secum trahere haud videatur, quum nec probatum dederit, eas, quas

1) 1. Cor. XI. 34. 2) C. 4. 3) Vide omnino exempla a clariss. Whistono allata l. c. p. 586 sqq. Ceterum conferri de hoc argumento quoque possunt celeb. Fabricii codex N. T. apocryphus, ubi videas virum eruditissimum eam quoque in sententiam, quam tamen recentiores alios du-Pinium maxime et Basnagium ire videmus, descendere, quod *διατάξεις* sive constitutiones apostolicae reliquias veterum *διδαχῶν* et *διδασκαλιῶν* contineant. P. 144. 610 sqq. itemque Th. Ittig. diss. de Haeresiarchis Sect. 1. C. 3. §. 2. p. 42. 4) De Ignatii et Polycarpi scriptis C. 7 sqq. 5) L. I. de pseudepigraphis apostolicis C. 2. p. 32 sqq. 6) In vindiciis Ignatianis P. 1. C. 4. sub finem. 7) In spicil. Patrum Sec. I. p. 46 sqq. 8) In diss. de pseudepigraphis apostolorum C. 12. §. 22. et de Patribus apostolicis §. 70. Adde cl. Fabricii Bibl. Gr. L. 5. C. 1. p. 34. 9) In diss. pseudep. Apost. C. 12. §. 23. 34. 39. Addi possunt ea, quae Rob. Turnerus contra cl. Whistonum hanc in rem scripsit.

nunc habemus, constitutiones apostolicas hic allegari, id quod hactenus gratis supponit, nec quae fragmentum nostrum exhibet verba, in constitutionibus apostolicis modernis *κατὰ ῥητὸν* omnia inveniantur. Quae vero de codice Barocciano memorat vir summus, et nobis praeeuntibus scripsit, dudumque in dissertatione de oblatione veterum eucharistica [1]) nos diluimus, ita ut cramben recoctam hic apponere necessarium haud sit. Denique quod de voce *ἀντιτύπων* monet cl. Maffeius noster, Irenaeum ea uti haud potuisse, quia ex ipsius coaetaneis nullus sit, qui eam adhibuerit, eapropter admitti nequit, quia tam pauca habemus sec. II. et III. monumenta ecclesiastica, ut periculosum esse videatur, hanc in rem quidquam determinare. Etenim hoc argumentum, quod vocatur *negativum,* a silentio scriptorum coaetaneorum deductum in seculis saltem sequioribus valet, ubi magnus datur scriptorum ecclesiasticorum numerus, non in prioribus tribus, ex quibus paucissimorum genuina supersunt opera. Scilicet nemo inficiatus fuerit, eos multa in operibus deperditis scripsisse, quae in exstantibus non comparent, per traditionem ad posteros propagata, non tamen eapropter neganda, quia in *σωζομένοις* non inveniuntur. Maffeianam certe regulam non admittent profundiores ecclesiae romanae theologi, qui quum videant, multa ecclesiae romanae dogmata in scriptis antiquiorum haud inveniri, argumentum istud *negativum* exsibilant, et vel ad *disciplinam arcani* hic provocant, quod post card. Perronium maxime fecit *Emanuel Schelstratius* [2]), vel ad *paucitatem monumentorum veterum* et *traditionem* doctrinarum *oralem* confugere necessum habent. Nec tamen argumentum criticum longe fortissimum hic a nobis destruitur, uti putat optimus Maffeius, sententiam suam mutaturus, si perlegerit, quae *de vi argumenti negativi* doctissimi ex Gallis duumviri *Io. Lannoius* [3]) et *Io. Baptista Thiersius* [4]) disputavere [5]), quorum ille quidem pro vi argumenti negativi pugnavit, hoc cum aliis [6]) in diversa omnia abeunte.

§. 5.

Sed restant, quae contra fragmenti secundi *αὐθεντίαν* a viro illustri proferuntur. Dixerat is, *ἐπίκλησιν* Spiritus S. quae hic memoretur,

1) §. 34. p. 294 sqq. 2) In diss. de disciplina arcani Romae A. 1685. edita, ubi C. 7. Art. 6. probare quoque conatur, Patres voce *ἀντιτύπων* s. eucharistiam designasse ob disciplinam arcani, ne mysterium alioquin occultandum nimis manifestum redderetur.

3) Vide ipsius dissertationem, *in qua probatur, negativum argumentum in quaestionibus ex facto, usu et traditione pendentibus multum habere roboris.* Lutet. Paris. 1653. Denuo impressa fuit eadem A. 1662. cum refutatione Thiersii.

4) Conf. eiusdem *traité de l'autorité de l'argument négatif.* a Paris 1660. Defendit hunc tractatum contra Lannoium Thiersius A. 1664.

5) Huius litis notitiam quandam exhibent L. E. du Pin in Bibl. des aut. eccl. T. XVIII. p. 41. 273. 274. et Ignatius de Laubrussel. in tr. des abus de la critique T. 1. p. 132. 133. 134. Dedimus et nos hanc in rem aliqua in diss. 2. de praeiud. Theol. §. 14. p. 156. 6) Ita sane Mabillonius in traité des études monastiques Chap. 13: *Qu'il est d'une grande conséquence de ne se servir qu' avec une grande retenue de l'argument purement négatif.* Addantur cetera, quae ponit Mabillonius. Ubi maxime observanda, quam adducit, distinctio inter argumentum *negativum simpliciter tale* et inter argumentum *negativum mixtum* et cum *positivo* alio coniunctum. Eandem in sententiam fere loquitur Laubrusselius loco citato: *Le silence des auteurs n'est-il pas aussi souvent une marque équivoque qu'une raison décisive? ..... N' a-t-on pas vu le ministre Daillé abuser étrangement d'un silence si équivoque pour combattre la confession auriculaire et l'extrême onction?*

in nullo scriptore coaetaneo inveniri, ex quo luculenter pateat, illam Irenaei tempore nondum fuisse usitatam. Quod argumentum, etsi, uti ex modo dictis patet, sua mole ruat, ita tamen infringere conabamur, ut viro clarissimo et Irenaei et Marci et Theodoti et Maximi et Cypriani loca obverteremus, atque ex iis secum invicem combinatis collatisque concluderemus, *ἐπίκλησιν* ad Spiritum S. iam Irenaei aevo cognitam fuisse. Irenaei testimonium eapropter reiicit Maffeius, quod in isto saltem *ἐπίκλησις τοῦ Θεοῦ* non *πνεύματος ἁγίου* memoretur. Ast nos nunquam affirmavimus, quod iuxta veteres in eucharistiae consecratione solus Spiritus S. invocetur, quum preces liturgicae, uti haud male e Cyrillo Hierosolymitano observatum, directae fuerint ad totam Trinitatem, eamque saltem ob caussam oratio haec *ἐπίκλησις πνεύματος ἁγίου* appelletur, quia ea Deus invocatur, *ut mittat Spiritum S. super dona proposita, eadem cum corpore et sanguine Domini divina potentia sua uniturum,* quae operativa actio *κατ' οἰκονομίαν* Spiritui S. a veteribus adscribitur. Sollicitat deinde cetera quoque, quae produximus, loca Maffeius, sed ita, ut obiectiones ipsius facile corruant, si consideraverimus, illa non separatim sed coniunctim et simul caussarumque instar sociarum, quas scholastici appellant, heic sumenda esse. Scilicet, si quidam dixerint in consecratione s. eucharistiae fieri *ἐπίκλησιν Θεοῦ*, addiderintque alii *σύγχρονοι,* panem sanctificari vi Spiritus, quis non inde concluserit, consecrantem rogare Deum, ut Spiritu suo S. panem sanctificet? Sed addit noster, nos producere quoque hic testimonium ex Theodotianis petitum, de quorum auctore satis dubitet Caveus aiatque, *quaedam in iis esse, quae aliunde etiam accepta credi possent.* Ast sufficit nobis, quod haec saltem Clementini aevi sint, sive dein Theodotus coriarius; uti cum eruditis hactenus existimavit celeberr. Fabricius, theologus Hamburgensis, sive Trapezita hic intelligendus sit, uti putat Ios. Tourneminius, societatis Iesu presbyter clarissimus [1]). Quin et Cavei nil heic probat auctoritas, quum non solum dubiorum suorum nullam rationem iste afferat, sed et nos alibi virum istum longe doctissimum hallucinari aliquando testemque omni exceptione maiorem haud esse satis demonstraverimus [2]). Neque

1) In mém. de Trev. Mars 1717. Art. 31. p. 389 sqq. Addimus tertiam Io. Bapt. Cotelerii sententiam, qui ita in s. Ignatii epistolam interpolatam ad Trallian. §. 11. n. 85. *Scilicet Theodotos multos novit antiquitas, Theodotum Montanistarum prophetam, Theodotum Byzantium, arte coriarium, Theodotum argentarium sive Trapezitam, discipulum superioris, et omnibus antiquiorem, Theodotum Valentinianum, de quo Theodoretus Haeret. fab. l. 8. Sophronius in Synodicis Act. 11. Syn. 6. Gennadius de ecclesiasticis dogmatibus C. 52. atque ex hoc Alcuinus in confessione fidei p. 96. nec non ante cunctos, ut mea fert opinio, Clemens Alex. in hypotyposibus seu in excerptis Theodotianis ex Theodoto.* Atque ad hunc pertinere quoque ait idem verba Pseudo-Ignatii: *φεύγετε Θεόδοτον.* Quae omnia, si ita se habent, Theodotus hic Ignatii, saltem Cleobuli, haereticorumque, quibuscum iungitur, antiquissimorum aetatem propius accedit. Ast entia hic praeter necessitatem multiplicare Cotelerium quis haud abs re existimaverit? Adde Ittigii diss. de haeresiarchis Sect. 1. C. 3. §. 3. Sect. 2. C. 15. §. 2. 3.

2) Vide diss. praelim. ad Quintum Iulium Hilarianum a nobis datam §. 43. et diss. nostram de evangeliis sub Anast. Imp. non corruptis supra p. 43. 45. 28. Id quod eapropter haudquaquam notamus, quod viri istius celeberrimi memoriam eruditionemque haud uti par est veneremur, utpote cuius favore, quum ante hos novem annos Windesoriae ipsum compellaremus, plurimum gavisi sumus, sed hanc solum ob rem, ne ill. Maffeius auctoritate eius secure nimis abutatur. Etenim quis est, qui in amplissimo isto et salebroso historiae ecclesiasticae litterariae campo inoffenso semper pede processerit?

etiam, quod tamen doctissimo Maffeio haud observatum est, opponi hic potest, aliter legi in Theodotianis [1]), ac nos posuerimus: *ὁ ἄρτος ἁγιάζεται τῇ δυνάμει τοῦ πνεύματος*, editione Fabriciana [2]) *ὀνόματος* habente, quum vox haec, uti contextus docet, perperam ab oscitante librario pro voce *πνεύματος* sit posita. Ubi vero noster addit, testimonium ex dialogo Maximi contra Marcionitas petitum eapropter non valere, quia hic foetus quarti seculi sit, ut in Origenianis putet Huetius, nihil contra nos facit, si modo fuerit concessum, primis Constantini M. temporibus Maximum vixisse. Non enim videmus, cur scriptores seculi IV. heic novitatis cuiusdam accusandi sint, quibus in rebus maxime liturgicis traditione antiqua nihil erat prius, nil antiquius, utpote quod *τὰ τῆς ἐπικλήσεως ῥήματα* attinet, ad traditiones non scriptas et *τὴν ἄγραφον διδασκαλίαν* semper provocantibus [3]), id quod novum quoddam pro *ἐπικλήσει* iam ante sec. IV. cognita argumentum est. Repetit denique dubium iam olim prolatum Ill. Maffeius, Iustinum m. *ἐπίκλησιν* hanc non habere, qui tamen ritus eucharisticos ecclesiae universalis in libris suis describat. Quod posterius quum gratis omnino dicat noster, utpote quum Iustinus non alios quam suae ecclesiae ritus hic describat, nullumque sit dubium, preces liturgicas olim in ecclesiis mire variasse, ita ut in quibusdam haec *ἐπίκλησις* quidem exstiterit, in aliis fuerit desiderata, prolixa refutatione hic supersedemus. Accedit, Iustinum m. nullibi verborum consecrationis eucharistiae plenam nobis recensionem dare, atque eas subinde preces eucharisticas referre, quas a nullo alio relatas videas, ut adeo ex ipsius silentio verbisve plane nihil hic concludi possit.

§. 6.

Tertium quoque fragmentum iterata censura ferit clarissimus Maffeius aitque, supponere id multas contentiones et schismata in ecclesia tempore Irenaei nata, quae tamen in epistola ipsius ad Victorem episc. Rom. non memorentur, ubi exstet, quod differant quidem fideles in celebratione ieiuniorum, sed quod eapropter pacem non rumpant. Non dicemus hic, fragmentum hoc ab Irenaeo scriptum fuisse post epistolam ad Victorem, utpote post quam exaratam demum orta fuerint ista schismata, nec addemus, ad particulares forsan ecclesias scribere haec Irenaeum, ubi istae dissensiones in schismata eruperint, sed unicum hoc monebimus, spectare haec Irenaei de contentionibus et schismate in ecclesia orto verba ipsum Victorem Romanum, qui ecclesias Asiaticas ob diversam paschatis ieiuniorumque celebrationem [4]) vel communione sua excluserit vel excludere conatus fuerit. Quod si ita est, negari nequit, Irenaei tempore in ecclesia quoad ieiunia disceptatum fuisse remque in schisma abiisse, quamvis inter ecclesias Graecas et Gallicanas non obstante ieiunii diversitate pax fuerit culta [5]), ut iam de epistola Irenaei ad Blastum de schismate huc itidem pertinente nihil dicamus. Quae si cum iis coniungantur, quae contra Maffeium iam olim [6]) hanc in rem

1) N. 82. 2) Bibl. Gr. Lib. V. C. I. p. 176. 3) Conf. Basilium de Spiritu S. ad Amphilochium C. 27. Verba exscripta dedimus in diss. 2. de praeiudic. Theol. p. 153. 4) Ita certe Irenaeus ad Victorem: *οὐ γὰρ μόνον περὶ τῆς ἡμέρας ἐστὶν ἡ ἀμφισβήτησις, ἀλλὰ καὶ περὶ τοῦ εἴδους τῆς νηστείας.* 5) Huc etenim pertinent illa verba Irenaei ad Victorem: *οὐδὲν ἔλαττον εἰρηνεύομεν πρὸς ἀλλήλους.* 6) In praef. edit. Hag.

diximus, sufficienter dubiis ipsius satisfaciunt. Cetera, quae idem generaliter contra *αὐθεντίαν* horum fragmentorum monet, ex iis maxime, quum multa ex scripturis citata contineant, gravem illam patribusque illius seculi dignam scribendi rationem colligi non posse, exstare porro in fragmento secundo vocem *ἴσασι,* quae Irenaeo *ἁπλῶς καὶ ἰδιωτικῶς* ex propria confessione scribenti haud conveniat, ita comparata sunt, ut prolixa non egeant discussione, quum et iam dixerimus, nos de gustu critico nunquam contentionis serram reciprocaturos, et *ἴσασι* vox alioqui sit patribus valde familiaris, teste communi illa loquendi formula: *ἴσασιν οἱ μεμνημένοι*[1]). Ast et dicendum, modestia Irenaei nimis abuti celeb. Maffeium, cui certe *eloquentissimum sermonem* attribuit Hieronymus[2]), ut taceamus, Io. Ern. Grabium, qui Irenaei opera edidit, in vita ipsius, quam conscripsit, eum nominare *hominem dicendi ac disserendi arte peritum,* utpote qui veteres philosophos et poëtas, quos saepissime in usum suum trahit, in succum et sanguinem converterit.

§. 7.

Antequam ad alteram discussionis partem, quae theologica est, progreditur vir clarissimus, denuo fragmentum secundum sollicitat, aitque, illud neque ab Irenaeo neque ab ullo scriptore veteri proficisci posse. Exstare quippe ibidem, *Dominum in N. T. novam oblationem instituisse,* probarique dicto Malachiae id, quod adductis aliis scripturae locis de sacrificio sui ipsius et laudis divinae contra communem patrum consensum explicetur, qui locum Malachiae omnes de sacrificio eucharistiae externo, praeeuntibus hic Iustino m. et Irenaeo, explicent. Addit, in fragmento nostro connecti ea, quae plane sint heterogenea, incongrueque ex eo, quod oblatio eucharistiae sit spiritualis, inferri, quod Deo panis et poculum benedictionis, quae utique res materiales sint, heic offerantur. Obiicit porro, non comprehendi posse, cur nulla verborum institutionis, quae iuxta veteres ad essentiam consecrationis nobis quoque haud diffitentibus pertineant, hic iniiciatur mentio. Denique et clausulam fragmenti huius, qua ponitur *πνευματικῶς λειτουργοῦντες, spiritualiter missam facientes,* absurdam esse ridiculamque arbitratur. Ast miramur oppido, haec scribere potuisse doctissimum nostrum Maffeium, qui sane notas nostras in hoc fragmentum Hagae Comitum editas legisse haud videtur, ubi ista omnia iam diluta sunt. Ibi enim ostendimus, 1) Irenaeum utique per *oblationem novam* non preces sed externam panis et vini oblationem intellexisse, et, quod in nostro quoque fragmento fit, ita loca de sacrificiis externis et spiritualibus secum invicem in libris adversus haereses miscuisse et confudisse, ut, nisi tam apertis verbis oblationem externam descripsisset, de sola fere spirituali, quae tamen et prioris anima est, eum locutum fuisse crederes. 2) Locum Malachiae a patribus mox de primitiis et decimis a Christianis offerendis, mox de oblatione eucharistica, mox de praedicatione apostolorum et de sacrificiis spiritualibus laudis, mox de precibus et operibus bonis explicari, primam sententiam tenuisse constitutiones apostolicas, secundam Iustinum m., tertiam Tertullianum, quartam Euse-

1) Vide diss. 2. de praeiudic. Theol. §. 14. p. 158.
2) Conf. Massueti diss. praev. 2. in Iren. §. 4.

bium, ut adeo gratis ad consensum patrum hic provocet clariss. Maffeius. 3) Irenaei argumentationes et connexiones ad regulas logicas haudquaquam esse examinandas, quum in conclusionibus suis parum utique sit accuratus et heterogenea saepissime misceat, id quod sufficienter et ad nauseam usque ex libris adversus haereses in notis nostris demonstravimus, ita ut nullum hanc in rem dubium superfuturum sit doctissimo Maffeio, si saltem, quae ibi posuimus, legere dignetur. 4) Externam quoque rerum materialium oblationem spiritualem dici posse ob adiunctas preces, quibus externa actio, quae alioqui futura erat reproba, sanctificatur. 5) Ex eo, quod verba institutionis hic non referantur, id saltem concludi posse, quod plenam consecrationem hoc fragmentum haud exhibeat. Id quod ambabus manibus largimur. 6) Vocem *λειτουργεῖν* hic non significare *missam dicere*. Fuit haec vox apud scriptores ecclesiasticos usitata, quum de missa ne quidem adhuc cogitaretur. *Λειτουργεῖν* est *sacra facere*, saepius et *eucharistiam celebrare*, et *spiritualiter sacra facere* est, non soli operi externo inhiare sed cultum externum cum interno coniungere[1]). Ceterum nunquam nos in eam descendimus opinionem, Irenaeum de *nova oblatione* verba facientem nullam oblationem externam sed solas preces intelligere, id quod nobis vir clarissimus gratis et sine fundamento imputavit.

§. 8.

Progrediamur nunc ad illa argumenta, quibus nostram de oblatione et consecratione veterum eucharistica sententiam refutare vir celeberrimus conatur. Primaria praecipuaque, quam demonstrare contendebamus, positio haec erat: *In veteri ecclesia trium priorum seculorum panem quidem vinumque sive ante consecrationem sive in consecratione oblata fuisse, nunquam vero corpus Christi.* Obiicit clariss. Maffeius, hac ratione oblationem hanc panis et vini in N. T. non posse dici novam, quum panis et vinum iam in V. T. oblata fuerint, nec posse quoque *θυσίαν* dici panem oblatum, quum res inanimatae mactari non possint. Sed in vado res est. Primo enim nostrarum partium non est, ut ad hanc obiectionem clarissimo Maffeio respondeamus. Non enim contra nos pugnat sed contra ipsum Irenaeum, qui, uti verba[2]) habent, per *novam oblationem* intelligit *oblationem primitiarum, oblationem creaturarum, oblationem munerum, oblatione corporis Christi* in sacramento eucharistiae repetita nullibi adiecta, quam si in Irenaeo invenerit cl. Maffeius, catholicas statim ambo iungemus dextras. Nec *oblatio* illa *nova* nimis premenda est, quum Christus legem de amore mutuo *novam* vocaverit, quam saltem repetiit, ut taceamus, *oblationem* panis et vini in N. T. institutam, istisque, quae hic reperiuntur, precibus factam, queis panis vinumque ad usum eucharisticum sanctificantur, *novam* utique omni iure appellari posse, quum in V. T. hac sub *σχέσει* inaudita fuerit. Quae vero de voce *θυσιας* et victimae monet vir doctissimus, ita diluta fuere in notis et dissertationibus nostris, ut, si multa regereremus, opera abuteremur. Conferatur, si placet, index in voce *θυσία ἀναίμακτος, θυσία*

1) Conf. omnino nostram de oblat. vet. euch. diss. p. 258. 259. 2) L. IV. adv. haer. C. 17.

et *θυσιαστήριον*, et evolvantur loca, ex quibus facile colliget noster, vocem *θυσίας* hic proprie a patribus haud sumi, qui vel sacrificium mere commemorativum, vel victimam laudis, vel oblationem quamcunque eadem designant. Quinimo si oblationem quoque corporis Christi admiseris, tamen haec *θυσία* proprie sic dicta non erit, quum non *de novo* hic *mactetur* Christus, id quod horrendum foret affirmare, nec *mactatus* quoque sed *vivus* in sacramento eucharistiae fatentibus omnibus exhibeatur. Dum vero tantisper concedit vir nobilissimus, patres trium priorum seculorum nihil de oblatione corporis Christi in s. Coena memorare, in memoriam quoque nobis revocat id, quod olim ipsi regesseramus, argumentum a silentio scriptorum coaetaneorum petitum valde esse invalidum, hic maxime, quum non probabile sit, patres quarti seculi hoc sacrificium demum excogitasse. Sed bene observandum, quonam in casu argumentum hoc negativum dici possit invalidum. Fatetur cl. Maffeius, oblationem corporis Christi ad essentiam celebrationis eucharisticae pertinere. Fatetur porro, ex testimoniis eorum patrum, qui seculum IV. antecessere, plenissimam utique liturgiae antiquioris descriptionem erui posse. Quod si ita est, comprehendi utique nequit, qui ii omnes siluerint id, quod erat praecipuum, nempe oblationem corporis Christi, solamque oblationem munerum minus praecipuam prolixe descripserint? Ponenda igitur est altera haec circa argumentum negativum regula: *Argumentum negativum a silentio scriptorum petitum tum valet indubie, quando iidem rem quandam prolixissime describunt et omnia, quae haud adeo magni sunt momenti, cumulant, id vero tacent, quod a sequioribus autoribus memoratur tanquam ad essentiam rei pertinens. Unde manifeste concludendum est, sequioris hoc aetatis esse nec antiquioribus temporibus adscribendum* [1]). Scilicet quoad *ἐπίκλησιν* et *ἀντιτύπων* vocem longe aliter se res habet, quum nec *ἐπίκλησις* ad essentiam consecrationis pertineat, quae aliis fieri precibus potest, nec necessarium sit, voce *ἀντιτύπων* panem et vinum denotare.

§. 9.

Pergit in sententia ecclesiae romanae defendenda vir doctus aitque, *in constitutionibus apostolicis oblationem post consecrationem inveniri.* Id quod quum olim iam [2]) dilutum abunde dederimus, lectore utique nostro abuteremur, si dudum dicta heic repeteremus, a clarissimo Maffeio ne minimo quidem verbo sollicitata. Addit deinde verba Cypriani de muliere haeretica, quae primo quidem *sanctificaverit panem,* deinde demum *sacrificium Domino obtulerit.* Ast, ut taceamus, Cyprianum hic data opera recensere haud voluisse, quo ordine haec mulier haeretica patraverit, facile fieri potuit, ut ipsa et post consecrationem offerret scilicet panem et vinum, quod iuxta canonem missae quoque fieri debere, secundum quem corpus Christi haud offertur, abunde dudum demonstravimus [3]).

1) De argumentorum negativorum vi omnino quoque conferendus est Io. Claudius in response au livre de Mr. Arnaud intitulé la perpetuité de la foi de l'Eglise Catholique touchant l'eucharistie defendue L. IV. c. 5. 6. p. 386 sqq. ubi Arnaldo, qui argumentis hisce negativis usus fuerat, erudite et cum magni iudicii vi respondet.

2) In diss. de oblatione veterum eucharistica §. 33. p. 290 sqq.

3) Vide diss. de oblat. vet. euch. §. 40. p. 338. 339.

Producit deinde plura Iustini m., Ignatii, Clementis et Origenis loca, ubi eucharistia sacrificium nuncupatur, et altaris, oblationum et *λειτουργιῶν*, itemque victimarum fit mentio. Ast quid exinde concludi possit, nos quidem haud videmus, qui ea omnia loca olim iam [1]), nihil heic reponente clariss. Maffeio, satis explicavimus. Unde et hoc unum monemus, ICtum celeberrimum, Io. Henningum Boehmerum in dissertat. iuris ecclesiastici antiqui locum Clementinum [2]) de sacrificiis Iudaeorum et hierarchia Iudaica, non Christiana exponere [3]), quae et sententia iam nobis perplacet. Quae vero ex Chrysostomo de *θεοσφαγίᾳ* et *κυρίῳ τεθυμένῳ* itemque ex Cyrillo Hierosol. proferuntur testimonia, nos non feriunt, qui iam concessimus, dicta patrum sec. IV. reperiri pro oblatione corporis Christi in eucharistia facientia, sed ita comparata, ut facile detur perspicere, nonnisi sacrificium quoddam commemorativum et repraesentativum iis innui, quam interpretationem sane omnes ii haud gravabuntur admittere, qui in voce *θεοσφαγίας*, quae mactationem Dei, dicto absit blasphemia, significat, nimis pressa proprioque sensu intellecta horrendi quid et abominandi conspicient [4]). Reliqua, quae addit vir praestantissimus, peculiari hanc in rem nota conscripta diluimus [5]).

1) Vide l. c. §. 24 sqq. 2) Epist. 1. Clem. §. 40. 3) P. 327 sqq. 308.

4) Confer hic omnino Edm. Albertini L. 2. de sacramento Eucharistiae f. 385 sqq. ubi vel maxime illam Chrysostomi *θεοσφαγίαν* ex ipso Chrysostomo aliisque patribus egregie exponit, ipsumque cardinalem Perronium fatentem inducit, *Christum sub ratione formali mactati et mortui in sacramento non contineri sed tantum repraesentari.* Agedum, rem plenius enarremus, quum clariss. Maffeius nimis vocem istam premere videatur. Liceat autem ea tantisper hic repetere, quae iam in notis ad fragm. Iren. anecd. p. 129. 130. itemque in diss. de obl. vet. euch. p. 175. 296. 329. posuimus, ubi *θεοσφαγίαν* hanc ex ipsa Io. Chrysostomi liturgia explicavimus atque ad oculum demonstravimus, illam nonnisi *commemorativam* et *repraesentativam* esse. Scil. diu ante consecrationem (quod velim bene hic notet cl. Maffeius) adhuc *ἐν προθέσει*, *quum simplex et communis panis vinumque ad altare allata sunt* (utamur verbis Gabrielis Metropolitae Philadelphiensis, qui eadem ex ipsa liturgia extracta dat in apologia pro ecclesia Orientali p. 4. 5.) *tunc sacerdos sacra indutus stola panem sumit et eundem tenens signo crucis vivificae supra sigillum eum consignat, ter dicens:* in memoriam Domini et Dei et Servatoris nostri Iesu Christi, *et hoc ter dicto lanceam sanctam recta infigit a dextra panis parte, in qua exstat signaculum, et secans dicit:* tanquam ovis ad occisionem ductus est. *Deinde scindens a sinistra parte dicit:* et tanquam agnus innocens coram tondente se mutus ille non aperit os suum. *Tertio in superiore parte signaculi secans dicit:* in humilitate eius iudicium eius sublatum est. *Quarto secans in inferiore parte ait:* generationem eius quis enarrabit? *Tunc attollens signaculum dicit:* quoniam tollitur e terra vita eius." Queis omnibus, prout a Gabriele heic recensita sunt, peractis sacerdoti haec verba suggerit diaconus: *θῦσον δέσποτα, macta Domine!* sequiturque etiam ista mactatio, sed mere repraesentativa, vel maxime, quia MULTO ANTE CONSECRATIONEM FIT. Sacerdos quippe panis supine iacentis micam eminentem *σταυροειδῶς crucis in formam* decussans et incidens ait: *θύεται ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ, ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου mactatur agnus Dei, tollens peccatum mundi* consummatque sacrificium lanceola in panem adacta, additis verbis: *καὶ εἷς τῶν στρατιωτῶν λόγχῃ τὴν πλευρὰν αὐτοῦ ἔνυξεν καὶ ἐξῆλθεν αἷμα καὶ ὕδωρ et unus militum lancea latus eius aperuit statimque exivit sanguis et aqua,* quae omnia precibus finiuntur, quas in diss. de oblat. vet. euch. p. 330. graece retulimus. Atque haec ipsa quum, uti denuo repetimus, (in hoc enim cardo rei vertitur) longe ante dicta institutionis verba peragantur, vel ipse quoque nobiliss. Maffeius hinc viderit, nil nisi repraesentationem figuramque sacrificii hic perpetrari, nullum proprium sacrificium, cadereque ita praecipuum id argumentum, quod pro sacrificio missatico et oblatione corporis Christi in mysterio eucharistiae repetenda is ex veteris ecclesiae testimonio protulit. Conferre poterunt, qui Graeca ex nostris non habent, celeberrimi Heineccii Abbildung der alten und neuen griechischen Kirche. P. 3. p. 323 sqq.

5) Scilicet praecipuum, quod hic nobis obiicit cl. Maffeius, est, nos *missam* penitus

§. 10.

Ad dissertationem de consecratione vet. euch. progreditur noster variasque obiectiones cumulat. Ubi primo id notandum, falsam nobis

---

reiicere, quum tamen Lutherus inde a multis seculis usitatam eam esse referat, ipsique nos fateamur, *patrum, qui seculo IV. et sequentibus floruere, loca* esse *plurima, quibus dicatur, corpus sanguinemque Christi in eucharistia offerri.* Ast liceat hic repetere tantisper, quod maiores nostri in Augustana confessione Artic. III. abusuum posuere: *falso accusantur ecclesiae nostrae, quod missam aboleant. Retinetur enim missa apud nos et summa reverentia celebratur.* Qui enim verba institutionis eucharistiae in scriptis divinis memorata hic adhibent omniaque ea agunt, quae Christus fecit, dum sacramentum hoc augustissimum institueret, etsi errores subsequentibus seculis additos de transsubstantiatione, sacrificio proprie sic dicto, adoratione symbolorum et communione sub una haud suos faciant, *missam* utique sensu patrum veterisque ecclesiae sic nuncupatam retinent. Quinimo non erraverimus, si ipsummet Canonem missae Gregorianum, qui in ecclesia Romana nunc obtinet, et egregias continere preces ex antiquissimis liturgiis maximam partem extractas, et sacrificium missaticum transsubstantiationemque penitus ingulare praesentiamque corporis sanguinisque Christi in usu demum se exserentem clarissime innuere, adeoque pro sententia theologorum Augustanae confessionis, quam nos defendimus, defendenda egregie adhiberi posse affirmaverimus, id quod et in diss. de oblatione vet. euchar. §. 40. dudum ostendimus et ostenderunt ante nos alii plurimi, maxime, si priora spectemus, Rod. Hospinianus in Histor. sac. P. I. L. 4. c. 10. Iac. Basnagius in Hist. eccl. L. XVI. c. 11. et Io. Aymonius in egregio libro Hagae Com. A. 1700. sub titulo: *Metamorphoses de la Religion Romaine* edito p. 228 sqq. quos omnes ex Romanensibus refutare hactenus nemo, utpote in re tam clara atque evidente aleam certaminis non dubiam saltem sed et longe periculosissimam subiturus, sustinuit. Quod vero de plurimis, qui post tria priora Christianismi secula floruere, patribus affirmavimus, oblationem corporis Christi in eucharistia fieri aientibus, celeberrimum Maffeium haudquaquam iuvat, quum *oblationem* isti saltem *repraesentativam* et *commemorativam* statuant, quod luculenter et nos ipsi in notis ad fragmenta Irenaei anecdota et diss. de oblatione veterum eucharistica demonstravimus et demonstrarunt ante nos viri celeberrimi et eruditissimi, quorum vestigia premimus, ex nostris quidem maxime viri incomparabiles Io. Gerhardus in confessione Catholica L. 2. P. 2. Art. 15. C. 1. et Io. Georgius Dorschaeus in Mysaria missae, queis Calixtum de sacrificio Christi semel in cruce oblato et initerabili, Fechtium in additamento ad tractationem de origine missarum et Buddeum in dissertatione de Clemente Romano et Irenaeo missae pontificiae haud faventibus addimus, ex Reformatis vero Philippus Mornaeus de sacra euchar. L. 3. C. 4. 5. Hospinianus in Hist. sacram. P. 1. L. 5. C. 13. Petr. Molinaeus in Novitate Papismi contr. 10. C. 4 sqq. I. H. Heideggerus in tumulo concilii Tridentini T. 2. p. 178 sqq. aliique infiniti. Ceterum miramur oppido, quod ad s. Chrysostomum provocet hic doctissimus Maffeius, quum aurei oris pater sacrificium eucharisticum nonnisi repraesentativum et commemorativum statuat, utpote, qui in homil. 17. in epist. ad Hebr. haec in verba fatur: *τί οὖν; ἡμεῖς καθ' ἑκάστην ἡμέραν οὐ προσφέρομεν; προσφέρομεν μέν, Ἀλλ' ἀνάμνησιν ποιούμενοι τοῦ θανάτου αὐτοῦ, ἐκείνην θυσίαν προσφέρομεν καὶ νῦν τὴν τότε προσενεχθεῖσαν τὴν ἀνάλωτον. Τοῦτο εἰς ἀνάμνησιν γίνεται τοῦ τότε γενομένου. Τοῦτο γὰρ ποιεῖτε, φησίν, εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. Οὐκ ἄλλην θυσίαν, καθάπερ ἀρχιερεὺς τότε, ἀλλὰ τὴν αὐτὴν ἀεὶ ποιοῦμεν, ΜΑΛΛΟΝ δὲ ἀνάμνησιν ἐργαζόμεθα θυσίαν.* Heic qui primis saltem labiis Graeca degustaverit, facile perspiciet, Chrysostomum, dum ait, eandem semper hostiam in cultu eucharistico offerri, corpus nempe dominicum, nihil innuere aliud, quam eius *commemorationem,* ad quam bis, ne mentem suam perverse quis explicet, sanctissimus vir provocat. Nec erat, quod nobis hic obverteret, qui anecdota Irenaei a nobis edita in Mem. de Trevoux 1716. Fevr. recensuit, nos verba huius loci in notis ad Irenaeum p. 127. 128. per fraudem quandam plena haud dedisse p. 296. quae inficeta admodum observatio est, quum praecipuum nihil tacuerimus et prolixum nimis fuisset, omnia Chrysostomi verba hanc in rem facientia repetere, utpote quod nec in recensione sua ipsemet hic Aristarchus sibi agendum esse putaverit. Quae omnia tamen eo minus curare nobis licet, quum nec inspectam a se, antequam praelo daretur, nec approbatam eandem esse ingenue admodum in litteris ad nos datis fassus sit vir e Soc. Iesu praestantissimus nobisque amicissimus et praecipuus recensionum Trivoltiensium conditor, Iosephus Tourneminius, nunc uti fama fert, bibliothecae regiae

tribui sententiam, quod statuamus, consecrationem non nisi in ἐπικλήσει Spiritus s. consistere atque hanc illius formam esse, quum conse-

---

Parisiensis praefectus alter dignissimus. Ubi vero nobiliss. Maffeius verba liturgiae Graecae τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν σοὶ προσφέρομεν de corpore Christi exponit, non observat, ante εὐλογίαν ista dici et de solo pane vinoque explicanda esse. Denique in propria viscera vir illustris labitur, quum ex antiquissimo sacramentario eoque manu scripto haec verba affert, non saltem *sacrificium* proprie sic dictum sed eius *obumbrationes* quoque penitus ingulantia: *REMOTIS OBUMBRATIONIBUS CARNALIUM VICTIMARUM spiritalem tibi, Pater, hostiam supplici servitute deferimus*, quam ipsam spiritualem nempe impropriamque adeo, et *immolari semper semperque offerri*, quis est nostrum, qui unquam negare sibi in animum induxerit? Certe, uti ex nostris egregie Georgius Mylius in expositione Aug. confess. art, de missa ponit, *si hoc antiquitatis sensu, qui repraesentationem et commemorationem saltem infert; retento pontificii missam sacrificium et oblationem Christi appellarent, non esset, cur litem ipsis movere quisquam deberet aut posset,* Non vacat nunc, omnia patrum, quae afferri hic possent, testimonia dare, quorum utique *iunctas*, si institutum nostrum id ferret, *phalanges* celeberr. Maffeio possemus opponere, in scenam iam ex parte productas a viris doctissimis, quorum supra numerum quendam innuimus, et quos vir clarissimus, si tanti quidem res ista ipsi esse videatur, consulere potest. Non tamen possumus, quin Augustini duo quaedam loca speciminis ergo ipsi obvertamus. Ita autem ille Epist. 23. *Nonne semel immolatus est Christus in se ipso et tamen in sacramento .... omni die populis immolatur? .... Si enim sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt.* Et in Psalm. 21. *Quoties pascha celebratur, numquid toties Christus moritur? Sed tamen anniversaria recordatio quasi repraesentat, quod olim factum est, ei sic nos facit moneri, tanquam videamus in cruce pendentem Dominum,* quibus verbis immolationem nonnisi *quasi repraesentativam* et *similitudinem* verae immolationis saltem *quandam* secum ferentem largitur. Addamus duos scholasticos viros, qui nullo stilo homiletico sed curato eo proprioque sua effati sunt. Primus est Petrus Lombardus, qui L. IV. sentent. dist. 12. lit. G ad quaestionem, *num, quod gerit sacerdos, proprie dicatur sacrificium vel immolatio et num Christus quotidie immoletur vel semel tantum immolatus sit?* respondet: *Ad hoc breviter dici potest, illud, quod offertur et consecratur a sacerdote, vocari sacrificium et oblationem, quia memoria est et repraesentatio veri sacrificii et sanctae immolationis factae in ara crucis. Et semel Christus mortuus in cruce est ibique immolatus in semetipso, quotidie autem immolatur in sacramento, quia in sacramento recordatio fit illius, quod factum est semel.* Alter sit Thomas Aquinas, qui in summa P. III. qu. 83. Art. 1. clarissimis verbis haec effert: *celebratio huius sacramenti imago quaedam est repraesentativa passionis Christi, quae est vera eius immolatio. Et ideo celebratio huius sacramenti dicitur Christi immolatio.* Nec negandum tamen, posteris temporibus sensim sensimque opinionem de sacrificio missatico proprie sic dicto invaluisse, etsi semper fuerint, qui errori huic contradixerint, id quod vel ex actis concilii Tridentini hanc in rem patet, ubi quum elumbia satis argumenta a Patribus pro sacrificio missae ex divino codice prolata fuissent, nervum eorundem acute satis Georgius Ataides, regis Lusitaniae theologus incidit, ab Antonio licet Payva, theologo altero Lusitano refutatus, memorante in historia concilii Tridentini l. VI. p. 940 sqq. Petro Suave, seu potius Paulo Sarpio, theologo Veneto, quem tamen Sfortia Pallavicinis cardinalis nescio quo iure hic tantisper malae fidei arguit in hist. conc. Trid. P. 3. L. 18. C. 1. f. 36. Et vero, quum A. 1530. Augustana confessio Carolo V. exhiberetur, communior ista de sacrificio missatico proprie sic dicto iam obtinuit, uti ex actis patet, quorum editiones ab Andrea Fabricio et Davide Chytraeo Coloniae et Rostochii datae conferri hic possunt, illa quidem f. 468 sqq. ubi Caroli V. et Catholicorum principum, item Io. a Daventria, Io. Cochlaei et Io. Hoffmeisteri responsiones ad articulum de missa exhibentur, haec vero p. 208 sqq. ubi saltem responsiones nomine Imp. et principum Cath. factae, queis dein apologia Aug. conf. fuit opposita, exhibentur, historiae Augustanae confessionis ab eodem Chytraeo germanico idiomate datae partem facientes, in quibus, ut haec saltem ὡς ἐν παρόδῳ notemus, ea non exstant, quae celeberrimus Buddeus in dissertatione supra citata §. 33. p. 78. affert, verba, in iis forsan, quas videri nobis haud contigit, editionibus invenienda. Quin et sacrificium proprie sic dictum, nec saltem repraesentativum, clare satis defensum fuit in *Interim* Augustano in de sacrificio missae titulo. Quicquid autem huius sit, ita comparatam hanc de immolatione Christi proprie sic dicta in sacrificio missatico repetita sententiam esse arbitramur, ut nullos veri colores admittat.

cratio iuxta nostram sententiam consistat in precibus, h. e. in gratiarum actione et benedictione coniunctis cum verbis institutionis. Ita consecravit Christus, ita apostoli. Sed ait clar. MAFFEIUS, si s. coena a Christo

---

Id quod vel ex solo patet Bellarmino, cuius vitulo subinde arat praestantissimus noster MAFFEIUS. Hic quum communem illam theologorum Romanensium sententiam reiecisset, in eo consistere sacrificii missatici formam, quod Christus praesens heic sistatur signis mortis vestitus, ita ut sanguis seorsim a corpore in altari exsistat, vel ex ea sola ratione refutandam, quod ecclesia Romana concomitantiam statuit, qua sub una alteraque specie et corpus et sanguis exstare creditur, quum etiam eam quorundam opinionem risisset, qui dicunt, immolationem in transsubstantiatione h. e. destructione et annihilatione substantiae panis et vini consistere, utpote iuxta quam sola symbola, non corpus et sanguinem Christi immolari dicendum foret, suam ipse sententiam sed nihilo meliorem effatur, aitque, formam sacrificii immolationisque missaticae consistere in comestione et bibitione sacerdotis, qua quippe corpus Christi sacramentale destruatur et esse suum amittat. Quod ipsum dum affirmat doctissimus cardinalis, non solum epulum sacrificiale cum sacrificio ipso miris modis confundit, immolationem in comestione asserens consistere, quae inaudita iis, qui disciplinam telesticam norunt, sententia est, sed etiam observare supersedet, hac ratione et apud nos, qui sacramentum eucharistiae consumimus, id vere offerri et immolari, id quod nec ipse concesserit, ut taceamus, peculiarem ista formare praesentiae realis eucharisticae ideam, ubi supponere quis necessum habet, verum Christi corpus *quoad esse naturale* in consumtione manere quidem, at idem *quoad esse sacramentale* destrui, quae omnia, si Gallico quidem nomine scapham hanc appellitare licuerit, in *galimatiarum* campum forsan haud inepte relegaverimus. Denique idem praecipuus, ut arbitror, fidei Romanae promachus ipsemet argumentum contra sacrificium missaticum sibi nectit, insolubile omnino et ad quod nec ipse, caussae quippe suae plurimum diffisus, respondet. *Vel,* inquit, *in missa fit vera et realis Christi mactatio et occisio vel non fit. Si non fit, non est verum et reale sacrificium, sacrificium enim verum et reale veram et realem occisionem exigit. Si autem fit, ergo verum erit dicere, a sacerdotibus Christianis vere et realiter Christum occidi. At hoc sacrilegium, non sacrificium esse videtur.* L. I. de missa C. 27. Opp. T. 2. f. 1051. 1052. Nec regeri potest, sacrificium hoc esse incruentum, quum sacrificium incruentum et proprie sic dictum sit σιδηρόξυλον et ad propitiationem necessariam esse αἱματεκχυσίαν aiat apostolus Hebr. IX. 22. Quin imo si sacrificium missae incruentum esse statueris, vix apparebit ratio, qui affirmare simul possis, sanguinem Christi verum in eodem praesentem esse, quae tamen communis ecclesiae Romanae fides est, nisi dicere velis, sanguinem Christi incruento modo sed non cruento ibi exsistere, quod ridiculum foret. Hinc et, qui nova ratione hanc de sacrificio missatico sententiam tradidit I. B. Bossuetus, episcopus Meldensis, mille se in formas torquet, nescitque ubi pedem figat, in praecipitia, quocunque eum tandem protulerit, lapsurus. Quod ipsum et ostendit mira praesulis ingeniosissimi variatio, alibi iam a nobis memorata, quam et *Eduardus Stellingfleetus,* episcopus quondam Vigorniensis Anglus et *Iac. Basnagius,* eccles. reformatae Hagiensis pastor celeberrimus dudum ipsi obiecere. Is enim quum probe videret, non statui posse sacrificium eucharisticum proprie sic dictum, in prima editione expositionis fidei, quae postea suppressa fuit, haec verba posuit, *que la messe pouvait être raisonnablement appelée un sacrifice,* postea tamen quum ipsi obiceretur, quod in castra Protestantium hac ratione incautus ipsemet descenderet, hanc in formam in secunda editione sententiam suam fudit: *qu'il ne manque rien à la messe pour être un veritable sacrifice.* Vidit haec omnia, quo nemo controversiam hanc inter Romanae fidei scriptores evolvit doctius prudentiusque, illustris Baro de RESEWIZ, qui sub nomine *Zephyrini de Pace* Brunsvigae A. 1709 *die Alt-Christliche Gedancken* edidit, ubi quaestionem praecipuam, *utrum missa sacrificium propitiatorium proprie sic dictum sit,* miro instituto seponit, et ad alias delabitur, quae controversiam non tangunt, et ubi de solo sacrificio commemorativo, eucharistico et applicatorio h. e. impropie sic dicto sermo est p. 137. Sed nimium quidem hic e via divertimus, eaque, quae millies a nostris theologis dicta sunt, (neque enim novi quid hic dici posse, prudentiores iudicant,) denuo cocta dedimus. Veniam tamen dabit lector benevolus, si consideraverit, nos in gratiam illustrissimi MAFFEII ista posuisse, utpote cuius oculos libri Protestantium theologorum haud facile subeunt. Queis quum ultra montes exspatiari familiare haud sit, necessarium visum fuit, praesentibus paginis hoc argumentum paulisper excussum dare, quibus forsan veteres migrare limites terrasque istas remotiores, neganda aliis sorte simili, adire dabitur.

instituta sit, debuisse ipsum nobis quoque formam harum precum earundemque verba dare, neque hoc libertati ecclesiae relinquere. Quae consequentia sane et in se nulla est, quum sufficiat nosse, quodnam istarum precum debeat esse argumentum nec a certis quibusdam verbis externis sacramenti pendere virtus possit, et contra ecclesiae universalis placita pugnat, quae nullis verbis in evangelio *κατὰ ῥητὸν* exstantibus sed precibus consecrat a sequioris demum aetatis hominibus confectis, ita ut aliis verbis hodie consecrent Graeci, aliis Latini. Scilicet consecratio ad verba alligata non est, si modo rem teneamus. Christum vero ipsa, queis consecravit sive benedixit, verba nobis reliquisse, ne unico quidem argumento probavit nobiliss. Maffeius, nec probare unquam poterit, nisi ex evangeliis preces attulerit, quibus Christus *benedixit* et *gratias egit*. Nec tamen sequitur, uti idem putat; nos, si ipsa haec verba Christi consecratoria nesciremus, consecrare non posse, quum satis utique sit, substantiam precis consecratoriae, etsi verba nos lateant, nosse, miraque hic in omnibus liturgiis latinisque etiam missis inveniatur varietas. Quinimo, si posuerimus, consecrationis formam in certis quibusdam verbis, non in sensu saltem consistere, quae clariss. Maffeii sententia est, nec in sacramento baptismi, ad quod tam fidenter is provocat, certam habebimus formam, quum iuxta scripturas baptismus et *in nomine ss. Trinitatis* et *in nomine Christi* valide factus sit et fieri possit, nullibique totidem verbis in libris sacris haec propositio elata exstet: *ego te baptizo* etc. Id quod et in sacramento eucharistiae observatur, ubi, si quoque concesserimus, verba consecrationis eadem esse, quae distributionis sunt, certa nobis formula haud praescribitur, quum verba institutionis eucharisticae mire varient, uti ex collatione evangeliorum et epistolae prioris ad Corinthios patet, ut differentias ipsarum liturgiarum veterum in verbis institutionis recensendis itidem variantium nunc taceamus, quas tamen consecrationis forma eapropter destitui nemo dixerit, utpote quae non in his vel illis verbis sed in genuino eorundem sensu ita, uti lubet et convenit, expresso consistit. Quae porro circa Luc. XIII. 12. et Marc. v. 34. deque dictione Christi Syriaca monet vir clarissimus, nobis opposita haud sunt nostrumque argumentum parum illustrant. Scilicet potuit verbis Christus hisce: *dimissa es ab infirmitate tua* et *esto sana*, et sanare aegrotam et declarare, quod sana permansura sit, etsi in celebratione s. coenae gratias acturus et benedicturus esset (quod quaeso quid aliud est quam consecratio?), antequam distribueret et diceret: sumite et edite: *hoc est corpus meum*. Quae ultima verba non in benedictione, sed in distributione dicta esse consecrationemque sequi, totus contextus innuit. Ceterum quum sententiam nostram in diss. de consecratione vet. euch. prolixissime probaverimus, miramur utique doctissimum Maffeium praecipua argumenta nostra [1]) nec adducere

1) Scilicet *minima* quidem *non curat Praetor*, ast crimen is ipse perpetraverit haud excusandum, si *maiora* neglexerit. Num vero quum systema doctrinae alicuius refutandum sumimus, primaria fortioraque argumenta missa facere nobis liceat, aliis iisque saltem levioribus ad refutandum sumtis, in diss. 2. de praeiudiciis theologicis §. 8. p. 134. 135. quaesivimus. Quae ipsa tamen ad hanc pugnam nostram applicata haudquaquam volumus, qui bene novimus, e circulis hic suis egredi clar. Maffeium, ubi theologica tractat, atque hoc ipso, quum peculiari quadam Sparta ad operam hanc exantlandam non obstringatur,

nec solvere sed penitus dissimulare et saltem hic illic carpere, id quod difficilis caussae indicium esse haud absque ratione quis existimaverit.

§. 11

Repetit deinde contra nostram de consecratione sententiam clar. MAFFEIUS, Iustinum m. imo et Dionysium Areop. *ἐπίκλησιν* non habere. Ast neque nos affirmamus, formam consecrationis in *ἐπικλήσει,* prout haec vox quandam precum formulam designat, consistere, aut hanc ubique olim obtinuisse, liturgiis missisque antiquis mirum in modum hic variantibus [1]), ut taceamus, nec plenam vel a Iustino m. vel a Dionysio [2]) precis consecratoriae descriptionem datam esse. Ubi vero Chrysostomum adducit affirmantem, quod baptismus et sacra coena verbis Christi administrentur, nostram sententiam haud bene assequitur. Quamvis enim non negemus, quod administratio baptismi et s. coenae fieri debeat *verbis Christi,* id tamen et exemplo Christi inducti addimus, quod, quemadmodum Christus in consecratione eucharistiae *gratias egit et benedixit,* ita et nos *gratias agere et benedicere* debeamus, quod nisi faciamus, utique nec faciemus id, quod Christus fecit, nec etiam, uti par est, consecrabimus. Nec est, quod dicat vir clar. nos ipsos in argumento de consecratione incertos haerere, quum mox statuamus, quod in *ἐπικλήσει* vel in precibus consistat, mox vero affirmemus, quod in verbis institutionis ea sita sit, aliquando et duo haec combinemus. Quod ultimum sane verissimum est. Etenim nunquam statuimus, consecrationem vel in sola *ἐπικλήσει* vel in solis verbis institutionis consistere, sed diximus, consecrantem debere facere id, quod Christus fecit, 1. *gratias agere et benedicere,* 2. *verba institutionis recitare* [3]). Quae num sibi contradicant, facile diiudicari potest. Ubi vero regerit MAFFEIUS, consecrationem in precibus consistere non posse, quum minister consecrans personam Christi hic gerat, non observat, esse hanc obiectionem Balth. Corderii, quam prolixe iam alibi [4]) diluimus. Sed tamen Christus addit idem, et alias gratias egit et benedixit pani, quum sacramentum coenae non administraret. Verum et huic dubio facile obviam itur, si dicas, ipsum aliam adhibuisse benedictionem, ubi vulgarem panem distribuit, aliam, ubi eucharisticum [5]). Ultima obiectio est, si eucharistiae consecratio in precibus et recitatione verborum institutionis consistat, apostolos nunquam consecrasse, utpote quorum consecratio, nobismet ipsis fatentibus, brevis et simplex fuerit. Ast quum nunquam affirmaverimus, orationem consecratoriam debere esse

---

opus supererogationis quod vocant facere, ubi sane cuique plena in eligendis, quae refutare velit, argumentis libertas est, quum nugas ageret. suis qui coërcere limitibus vellet.

1) Vide card. Bonam Rer. Lit. L. I. C. 6. §. 1. Hoc qui negaverit, missas et liturgias veteres secum invicem conferat, ubi facile dispalescet diversitas. Adde diss. de oblat. vet. euch. §. 40. p. 331.

2) Nec dici potest, Dionysium *ἐπίκλησιν* non omissurum fuisse, si fuisset ad formam eucharistiae conficiendam necessaria, quum nec oblationem is memoret, quam tamen necessariam esse, silente licet Dionysio, haud inficiabitur clariss. MAFFEIUS. Vide diss. nostram de oblatione veterum eucharistica p. 325.

3) Conf. diss. de consecr. vet. euch. §. 24.

4) Vide diss. de consecr. vet. euch. §. 14. p. 436. 437.

5) Vide diss. de consecr. vet. euch. §. 1.

prolixam, ipsa haec obiectio, utpote quae ne minimam quidem veri speciem habet, sponte cadit.

§. 12.

Probare nunc conatur illustris noster adversarius [1]), Iustinum m. et Irenaeum nullas preces sed sola verba institutionis ad consecrationem requirere. Et ait quidem Iustinus m. *τὴν δι' εὐχῆς λόγου εὐχαριστηθεῖσαν τροφήν*, ubi voce *εὐχῆς precum* sola institutionis verba innui putat Maffeius, quoniam idem affirmet, ita apostolos a Christo edoctos, ut *panem sumerent, gratias agerent, et dicerent: facite hoc in mei memoriam, hoc est corpus meum.* Ast propria vineta caedit clar. Maffeius, qui non observat, Iustinum m. hic *gratiarum actionem* totidem verbis [2]) memorare et a verbis h. e. c. m. distinguere. Nec opponi potest, quod *εὐχὴν ΛΟΓΟΥ* dicat. Sive enim per *λόγον* Christum sive *sermonem* intelligamus [3]), *εὐχὴ* semper *εὐχὴ* manet, dicitque *orationem, preces*, quales sane verba institutionis haud sunt, sed potius ea, quam ecclesia adhibet, oratio consecratoria, utpote ad mandatum et exemplum Christi benedicentis et gratias agentis facta. Nec unquam, quod tamen Iustino affingit vir clariss. *εὐχὴν* is per verba: H. E. C. M. explicat, etsi et haec ipsa referat, prout scilicet in distributione a Christo elata fuere et a nobis efferri ea ex mandato Christi convenit. Post Iustinum m. inducit idem Irenaeum, quem itidem haud credidisse affirmat, consecrationem per preces fieri, utpote qui voce *ἐπικλήσεως* id exprimat, quod voce *εὐχῆς* dixerit Iustinus, nempe sola verba institutionis. Ast gratis hoc et contra omnem veri speciem verborumque significationem dicenti viro illustri nemo crediderit [4]). Nec opus erat, ut Pseudo-Ambrosii verba contra nos urgeret in libro de initiandis affirmantis, *benedictionem et consecrationem verbis institutionis perfici.* Primo enim probandum ipsi

---

1) Notandum hic est *ἐν παρόδῳ*, iniuriam nobis facere cl. Maffeium, §. 22. asserentem, nos nolle, ut haec nostra controversia *verbo Christi* decidatur et ad traditionem hic provocare, quae tamen alibi a nobis impugnetur. Id quod si faceremus, mala profecto fide pugnam hanc institueremus. Sed aliter iudicabit vir summus, ubi consideraverit, nos, dum preces ad consecrationem pertinere ostendimus, ad ipsum Christi verbum, eius nempe *εὐλογίαν* et *εὐχαριστίαν* (quod velim bene notet vir cl.) provocare, nec ullibi traditionem *veram, Scripturae S. conformem et UNIVERSALEM* seu *non interruptam* reiicere, id quod nec unquam nostrates fecere. Nihil quippe certius est quam illud Vincentii Lirinensis principium, corpori quoque doctrinae Sorbonensi iuxta primam partem articulorum facultati Parisiensi A. 1716. Cal. Apr. propositorum n. 32 inserendum: *Illud est vere et proprie catholicum, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est.*

2) Preces illas eucharisticas, quas Iustinus m. in utraque apologia et dialogo cum Tryphone prolixe effert, dudum in diss. ad Irenaeum p. 268 sqq. 368 sqq. dedimus, hic non repetendas.

3) Totum hunc nodum ipse Iustinus solvit. Quod enim hic vocat *εὐχὴν λόγου*, antea vocaverat *λόγον εὐχῆς καὶ εὐχαριστίας*, id quod explicationem cl. Maffeii penitus jugulat.

4) Alia certe sententia est clariss. viro Eus. Renaudotio, qui in diss. de liturgiarum orientalium origine et auctoritate f. XII. ita: *Illius invocationis* (Spiritus S. ad postulandum eius illapsum in dona proposita) *Graeci Patres frequentissime mentionem faciunt, adeo ut ipsa verba a nonnullis referantur, ut a Cyrillo Hierosolymitano et ab antiquissimo Irenaeo.* Id quod et expressis verbis innuit Massuetus diss. III. in Iren. Art. VII. §. 83. f. 142. 143. ita ut non videam, cur hic a doctorum Catholicorum sententiam abeundum sibi existimet clariss. Maffeius, nisi ut arreptam semel hypothesin defendat.

erit contra Theoph. Raynaudum et Casim. Oudinum, quod hic foetus Ambrosii sit, secundo posito hoc non concesso, solus Ambrosius rem non conficit, cuius assertioni omnes missas et liturgias magnamque aliorum Patrum, diversam in viam hic euntium, copiam opponimus, utpote quorum effata in diss. de consecr. vet. euch. adduximus: tertio Pseudo-Ambrosio opponendus est verus Ambrosius, qui L. IV. de fide C. 5. *Nos, quotiescunque sacramenta sumimus, quae per sacrae ORATIONIS mysterium in carnem transfigurantur et sanguinem, mortem Domini annuntiamus.* Quando autem ait cl. MAFFEIUS, Iacobum per *εὐχὴν τῆς πίστεως* epist. C. v. comm. 15. ipsam fidem intelligere, non preces, asserit aliquid, quod maxime *παράδοξον* est et contortum. Sed largitur tandem vir doctissimus atque ex vero largitur, Irenaeum per invocationem non solum verba institutionis sed et totum canonem intellexisse, etsi ex petitione principii addat, Irenaeum hoc fecisse, non quod omnes in eo contentas preces ad consecrationem pertinere iudicaverit, sed quia institutionis verba in eodem contineantur. Id quod quum ex Irenaeo probare conatur, quod alibi affirmet, panem et vinum fieri corpus et sanguinem Christi, quando recipiant *λόγον τόῦ Θεοῦ, verbum Dei,* dissimulat utique nos in notis ad secundum Irenaei fragmentum ostendisse, *λόγον* hic significare virtutem Dei omnipotentem, quum addatur, *λόγον τοῦ Θεοῦ* etiam resurrectionem operaturum esse, ubi certe verba institutionis vir doctus non intellexerit. Ast si ponamus quoque, per *λόγον τοῦ Θεοῦ* hic intelligenda esse verba Christi: h. e. c. m. nihil tamen inde lucrabitur vir summus, qui bene novit, nos verba quoque institutionis ad consecrationem requirere[1]), nec unquam probaturus est, Irenaeum, si per *λόγον Θεοῦ* in verbis datis verba: H. E. C. M. intelligeret, exclusive hic loqui aut verbis *ἐπικλήσεως* vim consecrationis derogare. Quid vero de Io. Chrysostomi, Gregorii Nyss. et Origenis sententia tenendum sit, satis olim[2]) enarravimus, ubi et ostendimus, patres hosce subinde hoc in argumento contraria effari, ita ut dicta repetere haud videatur necessarium.

§. 13.

His ita propositis obiectionibus, clarissimus MAFFEIUS noster ait, nos dubium de Massueti orthodoxia circa hoc argumentum egregie solvisse, sed in eo errasse, quod crediderimus, solum Bossuetum cum Massueto facere, quum omnes theologi Catholici hanc sententiam teneant. Ast Massuetus dicit, omnes liturgias Graecas et Orientales *ἐπίκλησιν* Spiritus S. habere et ad hanc quoque Irenaeum alludere. Quod si ita sit, iuxta sententiam Massueti *ἐπίκλησιν* hanc iam sec. II. in usu fuisse et traditione quadam ecclesiae Graecae universali niti pronunciandum erit: quod tamen quum neget MAFFEIUS, comprehendere non possumus, quomodo omnes theologos Catholicos cum Massueto facere affirmare queat. Pergit deinde ad liturgias Graecas et arbitratur, omnes difficultates hic solvisse Bessarionem, Bellarminum et Leonem Allatium, quos tamen

1) Rogamus virum doctissimum, ut, quae de consecratione eucharistiae *ἐν συνόψει* posuimus, in diss. de consecr. vet. p. 496 hic conferre dignetur.

2) In diss. de consecr. vet. euch. §. 7.

omnes luculenter tum in notis ad fragm. Irenaci anecdota, tum in diss. de consecr. vet. euch. refutatos dedimus. Id quod cur dissimulet vir clarissimus, nobis haud perspectum est. Scilicet omnes eae responsiones, quas viri summi vel de confirmatione consecrationis iam factae vel de applicatione ad accipientes vel de aoristo *μεταβαλὼν* comminiscuntur, ita comparatae sunt, ut sola liturgiarum et contextus inspectione cadant. Quod si enim praemissis institutionis verbis oretur demum Deus, ut mittat Spiritum suum sanctum et faciat panem corpus Christi et vinum sanguinem Christi, non potest dici aliter, quam iuxta has liturgias consecrationem precibus tribui, nec recitatis institutionis verbis iam factam esse. Id vero, quod de auctoribus harum liturgiarum incertis incertaque earum aetate addit vir summus, ad rem nihil facit, quum sufficiat, eas in tota ecclesia Graeca inde ab antiquissimis temporibus receptas esse adeoque fidem totius ecclesiae Graecae nobis sistere. Ex eo vero, quod omnes liturgiae Graecae *ἐπίκλησιν* ad Spiritum S. non habeant, perperam concluditur, iuxta easdem solis institutionis verbis consecrari. Praeterquam enim quod omnes liturgiae Graecae, excepta sola Petri, quae nihil aliud est, quam versio Romani canonis docente et E. Renaudotio [1]), *ἐπίκλησιν* habent, dudum nos affirmavimus, posse aliis etiam precibus consecrari, in quibus *ἐπίκλησις* haud exstat, quod et de ipso missae canone Gregoriano affirmaverimus. Nec caussam nobilissimi Maffeii iuvat observasse, non omnes liturgias Graecas habere *ποιήσῃ*, sed etiam *ἁγιάσαι* et *ἀναδεῖξαι*, quum. qui obiter saltem liturgias istas inspexerit, synonymas istas voces esse heic observaverit [2]), uti manifestum hoc est in liturgia Basilii, ubi: *ἵνα ἁγιάσῃ καὶ ποιήσῃ* etc. licet haud negemus, eas, ubi aliis rebus adhibentur, alium quoque sensum gignere. Denique neglectis Goari et Bossueti responsionibus, quas reiicit vir doctissimus, suam tandem quoque adiicit et parenthesibus quibusdam in liturgias intrusis tam obtorto collo easdem in sententiam suam rapit, ut mireris, virum clarissimum non observasse, eos, qui seposito sectae praeiudicio ista diiudicant, ipsius explicationem [3]) primo statim intuitu reprobaturos. Quae enim quaeso haec est versio verborum liturgiae Chrysostomianae: *καὶ ποίησον τὸν ἄρτον τοῦτον τίμιον σῶμα τοῦ Χριστοῦ σου, τὸ δὲ ἐν τῷ ποτηρίῳ τούτῳ τίμιον αἷμα τοῦ Χριστοῦ σου, μεταβαλὼν τῷ πνεύματί σου τῷ ἁγίῳ, ὥστε γενέσθαι τοῖς μεταλαμβάνουσιν εἰς νῆψιν ψυχῆς. Et fac, ut panis hic, qui est corpus pretiosum Christi tui et id, quod est in hoc poculo nempe pretiosus sanguis Christi tui, qui iam per Spiritum S. tuum mutatus est, accipientibus in purgationem* [4]) *animae proficiat.* Haec sane posuisse est refutasse. Ceterum quod hic per parenthesin adinventam facit Maffeius noster, editores Rom. missalis Maronitici ante ipsum, sed illicita plane ratione, dudum fecere, quippe qui verba *ἐπικλήσεως* immutantes alia supposuerunt, istum quem cl. Maffeius affert, sensum dantia. Imposturam hanc

1) In diss. de liturgiarum orientalium origine et auctoritate C. II. p. 9.

2) Ita sane iudicat quoque vir summus Eusebius Renaudotius in Comment. ad liturgiam Copticam Basilii p. 241. 242.

3) Quae exstat §. 27. p. 117. 118.

4) Notandum, *νῆψιν* non *purgationem*, uti clariss. Maffeius vertit, sed *sobrietatem* significare.

post R. Simonem [1]) et Fr. Spanhemium [2]) notavit nuper Eusebius Renaudotius [3]), qui omnino in argumento de ἐπίκλήσει nobiscum sentire videtur. Nec iuvat, Chrysostomum alibi affirmare, verbis institutionis consecrationem fieri, id quod nec a nobis negatur, qui saltem dicimus, preces cum iis coniungendas esse, id quod ipsemet in liturgia sua Chrysostomus docet. Ceterum uti celeberrimus Maffeius olim *Praenotiones Mystagogicas rev. abbatis Papadopoli* [4]) nobis commendavit [5]), hoc in argumento consulendas, ita nos laudandam hic censemus liturgiarum Orientalium collectionem, a viro summo magnoque fidei Romanae defensore Eusebio Renaudotio Parisiis nuper editam, quam vir doctissimus non sine operae pretio hic contulerit.

§. 14.

Ad finem dum properat celeberrimus noster Maffeius, contendit, primum fuisse Nic. Cabasilam, qui hanc opinionem ex odio contra Latinos confinxerit, cum verbis institutionis in consecratione coniungendas esse preces sive ἐπίκλησιν [6]), dissimulatque, nos magna testimoniorum farragine contrarium in diss. de consecr. vet. euch. demonstrasse, quam lector consulere potest. Georgium Coressium, Chium, arte medicum, hominem levis armaturae non moramur, quum, qualis ille fuerit, satis descripserit Leo Allatius, qui eum ingenio rudem et contumacem, pietate amphibium, Latinis, per quos profecerit, improbum, Graecis parum fidum, opusque eius, quod in propugnationem schismatis scripserit, insipiens ac infantissimum appellitat [7]). Nec tam difficile est, comprehendere, qua ratione is, licet alioqui Latinis infensus, eorum partes hic tenere potuerit. Quum enim Pisis linguam Graecam docuerit diuque fuerit inter ipsos versatus, quid mirum est, si ex eorum aliquid sententiis incautus traxerit [8])? Ut taceamus, peculiares sibi rationes eum forsan habuisse,

---

1) In not. ad Gabr. Sev. p. 151.

2) In elencho controv. cum Graecis §. 14. Opp. T. 3. f. 929.

3) In Comment. ad Liturg. Copt. Basilii p. 243.

4) Nicolaus Comnenus Papadopoli, Cretensis, abbas S. Zenobii, S. Theol. Philos. et I. U. D. et in academia Patavina canonum sacrorum interpres, ex antiqua Comnenorum familia ortus relicta religione Graeca ad Latinam transiit Pataviique Graecos in religione Romana instruit. Edidit ibidem 1697. fol. Praenotiones mystagogicas, in quibus Graecos modernos refutat veterumque Graecorum fidem eandem cum Romana hodierna esse asserit. Has *praenotiones* refutavit stilo nimis acerbo et iniurioso *Ioh. Hockstonus,* Anglus in epistola Constantinopoli ad *Papadopolium* data, cui opposuit hic *responsionem ad Chrysanthum Notaram,* metropolitam Caesariensem, Palaestinae primatem Venetiis 1703. 8. editam et recensitam in Iournal des Savans T. 34. P. II. p. 270 sqq.

5) Giornale de' letter. d'Italia T. XVI. p. 252.

6) Aliam de Cabasila sententiam fovet vir doctissimus atque inter theologos Gallicanos primi ordinis Eusebius Renaudotius modo laudatus in Comment ad liturg. Copt. p. 246.

7) L. 3. de eccl. Occ. et Or. consensu C. 7. §. 12. p. 997. 998. Liber vero Coressii iste de sacramentis et aliis fidei articulis agit et cum diversis Graecorum opusculis Graece Londini A. 1624. prodiit.

8) Conferri hic possunt *Notizie letterarie ed istoriche* etc. sub auspiciis *Antonii Magliabechii* scriptae et Florentiae A. 1700. 4. impressae, quibus virorum illustrium academiae Florentinae res recensentur, P. I. p. 313 sqq. ubi et enarratur immitis Leonis Allatii *in Georgium* hunc censura loco iam citato evolvenda aequiusque de eo iudicium Iac. Goari, utpote quem in concinnando Euchologio suo sive Graecorum rituali, ubi et e bibl. Coressiana quaedam dantur, is iuvit. Addendus est Gregorii Protosyncelli catechismus A. 1635. Venetiis editus cum approbatione Georgii Coressii, cui maximam partem operis sui se de-

nobis licet incognitas, cur in Latinorum gratiam quaedam hic scripserit. Autor vero anonymus (quem Balsamonem esse nescio cur affirmet ill. MAFFEIUS, quum longe alius is fuerit,) *criminationum adversus Ecclesiam latinam*[1]) in scenam hic produci nequaquam meretur, utpote qui de omnibus Latinorum sententiis haud satis instructus fuerit nugisque et falsitatibus magis quam veritati in hoc libello operam dederit[2]). Nec ad concilium quoque Florentinum satis secure hanc in rem provocaverit vir doctissimus, quem latere haud potest, consensum Latinorum et Graecorum Florentinum et ambiguum fuisse et vi adhibita extortum et a Graecis plerisque, quum ad suos reversi essent, revocatum, satisque exposuisse Graecos, quid de concilio Florentino sentiant, utpote qui magno numero contra eius decreta libellos acerbissimos scripserint[3]). Primas hic tenet Georgius Scholarius sive Gennadius, patriarcha Constantinopolitanus[4]), quem citato agmine Sylvester Syropulus[5]), Marcus Ephe-

---

bere in praefatione Gregorius testatur et Nectarii patriarchae Hieros. responsio adversus Io. Claudium theologum reformatum, a celeberrimo viro Eusebio Renaudotio collectioni Scriptorum quorundam Graecorum recentiorum Parisiis 1709. 4. abs se editae inserta, p. 173. itemque Leonis Allatii locus cit. ubi scripta Georgii Coressii tum edita tum inedita recensentur. Inspiciendae porro hic sunt rev. abbatis Papadopoli Praenotiones mystagogicae, in quibus Georgii notas ad Synopsin conciliorum Nili Rhodii operose refutat virumque tanquam Romanae ecclesiae infensissimum nobis depingit. Denique evolvi poterunt ea, quae Io. Aymonius nuper contra hunc Coressium in notis ad Cyrilli Lucairii epistolas *ἀνεκδότους* Lettre 5. p. 69. monuit, ubi et observavit, quod in catechismo abs se confecto voce transsubstantiationis is quoque utatur. Idem et eiusdem Cyrilli epistolam contra laudatum Georgium P. I. num. 9. p. 107 sqq. exhibet, ubi hunc is seductorem, Epicuraeum, atheum, haereticum discipulumque Iesuitarum vocat. Quae sane mira est in Georgio isto infelicitas fatumque oppido sinistrum, quod et a Romanae et a reformatae partis hominibus passim indignis modis laceretur.

1) Quae in monum. eccl. Graec. a Io. Bapt. Cotelerio editis T. III. p. 495 sqq. exstant.

2) Fatente ipsomet *cl. MAFFEIO* §. 27. p. 124. atque etiam Cotelerio l. c. p. 664.

3) Vide cel. Heinecc. *Abbildung der alten und neuen Griech. Kirche* Anh. p. 68. 69.

4) Subscripsit hic epistolae, quam 1451. ecclesia CPolitana ad Bohemos misit, *νεωτερισμοῖς* Latinorum plurimum oppositae et contra *τὴν ἕνωσιν τὴν ἐν Φλωρεντίᾳ* scriptae, quam ex bibliotheca collegii Caroli IV. Imp. Pragae primum dedit Casp. a Nydbruck, Maximiliano Regi a consiliis recusamque postea exhibuere Leo Allatius de ecclesiae Orient. et Occid. perpetua consensione L. III. c. IV. n. 2. p. 947. et Steph. le Moyne in variis sacris T. I. p. 294 sqq. Idem syntagma contra Latinos scripsit, quod dicitur *ὀρδοδόξου καταφύγιον* synodo Florentinae oppositum, in libros 8. distributum et Londini editum, ubi *τοὺς Γραϊκοὺς ὀρθῶς φρονεῖν* ostendit et *τὰς ἐν Φλωρεντίᾳ συνθήκας* civium suorum damnavit, ut, quae in bibliothecis adhuc latent, Gennadii contra synodum Florentinam scripta ab aliis memorata taceamus. Nec obiecerit quis, Gennadium hunc alias quoque Latinorum tueri partes, quum notae sint eius orationes ad patres synodi Florentinae itemque apologia pro synodo Florentina, quae latine Dillingae, graece vero Romae prodierit. Supposititia enim haec esse et ab impostore quodam conficta, maxime, quae pro defensione 5. capitum in concilio contra Graecos definitorum scripta sunt, dudum viri doctissimi Petrus Arcudius, Io. Matth. Caryophilus, Car. du Fresne, Eusebius Renaudotius aliique demonstrarunt. Nec est, quod cum Caryophilo, Allatio aliisque duos statuas Gennadios, qui posterior tum in laudato libro, tum in exercitationibus contra Creyghtonum et in diatriba de Georgiis hanc tenuit sententiam, a laudatissimo Renaudotio diss. I. ad Gennadium luculenter refutatam. Addi possunt Frid. Spanh. in diss. de eccl. Gr. et Orient. a Rom. dissens. P. I. §. 9. 10. P. II. §. 10. Opp. T. II. fol. 491 etc. 505. 538 sq. qui tamen errat, ubi ait, epistolam ad Bohemos *apud Chytraeum ad calcem orationis* quoque *legi*, H. Whartonus et R. Gerius ad A. 1438 et 1453. Fabric. B. G. L. 5. C. 5. p. 696. 697. et Heinecc. l. c. I. 224. 225. 232. 233. Anh. p. 68. ut, quae Th. Smithus et R. Simon heic disputavere, taceamus.

5) Vide diss. nostram de cons. vet. euch. §. 11. p. 418 sqq.

sius [1]), Ioannes Eugenicus [2]), Gabriel Severus, Philadelphiae metropolita [3]) aliique [4]) sequuntur, ut acta synodi Hierosolymitanae contra Metrophanem patriarcham Constant. A. MCCCCXLIII. habitae a Leone Allatio edita [5]) taceamus. Quum denique Emanuelem Margunium nobis opponit, magnum, quem vocat, Graecorum schismaticorum coryphaeum [6]), non observat,

---

1) Pertinent huc ipsius epistolae de synodo Florentina in actis conciliorum exstantes aliique libelli, quos recenset Leo Allatius de eccles. Occident. et Orient. perpetua consensione L. III. C. III. §. 4. p. 934. 935. Adde diss. nostram de cons. vet. euch. §. 2. 8. 12. p. 3. 366. 367. 396. 426.

2) Scripsit antirrheticum adversus synodum Florentinam, cuius fragmenta quaedam graeca et latina exhibet Leo Allatius in libro de purgatorio p. 61. 220. 41. 265. Vide et H. Whartoni append. ad Cavei hist. lit. script. eccl. ad script. eccl. ad A. 1438.

3) Gabriel Severus Monembasiensis Peloponnesius Patavii primum litteris operam dedit, post sacerdos Candiae factus, tandem vero Philadelphiae archiepiscopus a Ieremia patriarcha Constant. A. 1577. 18. Iul. praesente Stephano Gerlachio, theologo post Tubingensi creatus fuit. Ast, quum pauci in oris istis Christiani essent, Venetias secessit ibique eccl. Graecae antistitem egit. A latina ecclesia semper seiunctus mansit. Cum Martino Crusio nostate commercium litterarum habuit, uti ex huius Turco-Graecia videre est. Graeca ipsius opuscula, ubi et *μετουσίωσιν* defendit, quam vocem Graecis hactenus incognitam a Latinis didicerat, Venetiis A. 1600. edidit Anton. Pinellus, Parisiis vero R. Simon, additis uberioribus notis A. 1671. Opus vero prolixius contra 5. concilii Florent. capita Venetiis item prodiisse memorat Leo Allatius de eccl. Occid. et Orient. cons. L. III. c. 7. §. 12. p. 997. Plura Gabrielis manu notata et scripta in biblioth. Taurinensi observavimus. Add. Alex. Helladii statum praesentem eccl. Gr. p. 9. 10. et Spanh. Opp. T. f. 506. 507.

4) Ita habetur et Io. Diaconi refutatio decretorum synodi Florent. in MSS. Bavaricis n. 118.

5) Vid. L. III. de eccl. Occid. et Orient. consens. C. IV. §. 1. p. 938 sqq.

6) Eman. Margunius, natione *Cretensis* (quorum hominum communiter fluxa fides est, si Epimenidi, Cretensi et ipsi, fides, Tit. I. 12.) philosophiam Graecasque litteras ab Italis didicit, memorante Crusio nostrate in Turco-Graecia f. 495. Docuit postea ipsemet Venetiis et Patavii interque alios discipulum habuit Cyrillum Lucarium. Denique Cytherorum episcopus factus est nomenque Maximi sumsit. Ubi *ὡς ἐν παρόδῳ* notamus, non latere cl. Fabricium, episcopos Graecos nomina sua subinde mutare, quum ad episcopatum perveniant, quod fere ipsi tribuere videtur Ill. MAFFEIUS §. 28. p. 125. utpote qui in bibliotheca Graeca Vol. 6. p. 747. dum Maximum memorat patriarcham Const. observat, eum antea Manuelis nomen gessisse. Notumque utique inter exempla mutatorum nominum est, quod refert quoque Ill. MAFFEIUS, nomen Georgii mutatum in illud Gennadii, ubi sine dubio respicit ad Georgium Scholarium, qui vero Gennadii nomen, antequam in patriarcham evaderet, in monasterium Pantocratoris secedens iam assumserat. Ceterum plurima scripsit Margunius, quorum multa typis exscripta sunt, varia quoque in bibliothecis latent. Praecipuum, quod dedit, opus est dialogus contra Latinos de processione Spiritus S. qui Londini 1624. lucem vidit. Confessionem *Marguini* (typi est, ut puto, error,) nominat cel. Heineccius l. c. P. I. C. 4. §. 7. p. 227. certe non editam. Memorantur et variae eius ad Graecos et Germanos epistolae, ea, quam Photio suo praefixit Dav. Hoeschelius, epistolae de malorum permissione divina et de processione Spiritus S. Gr. lat. Francofurti A. 1591. cusae aliaeque quam plurimae manu scriptae, quarum 16 se quoque possidere ait cl. MAFFEIUS. Accedunt Synaxaria sive vitae SS. in linguam vulgarem a Margunio versae Venetiisque A. 1603. et 1621. impressae, ut taceamus hymnos ipsius anacreonticos Gr. lat. a Conr. Rittershusio Augustae A. 1600. editos, epigramma, quod laudatus noster Crusius Turco-Graeciae suae fol. 538. inseruit, tractatus duos, alterum in Franciscanos, alterum in Iesuitas, quos Hottingerus in analectis append. p. 552. memorat, sermones Quadragesimales aliaque, quae laudatissimus MAFFEIUS recenset. Maxime vero hic nominare convenit notas in Nomo-canonem a Margunio nostro scriptas, quas magna opera in praenotionibus suis mystagogicis refutat abbas Papadopoli, ita tamen, ut nimio aliquando rigore in virum mitiore censura dignissimum insurgere videatur. De codicibus aliis Margunii, qui hinc inde in bibliothecis visuntur, multa memorare operae pretium non est, nisi quod indicare heic conveniat ipsius Enchiridion, quod in biblioth. Iustinianaea Veneta exstare ait Montfauconius in Diar. Ital. p. 433. Versionem vero Novi Testamenti Graeco-Barbaram,

litteras Margunii et ab ipso iuniore et in hora quoque tentationis exaratas fuisse, quum in iis sub initium statim memoret, se in fide periclitari, dicamque fere Gabrieli scribat; quod hoc parum curare videatur. Tacemus, Margunium hic et ambigue subinde sua efferre nec de nostra quaestione ullam mentionem iniicere, sed ad processionem Spiritus S. ex Filio maxime respicere, quam postmodum peculiari libro contra Latinos ipse destructum ivit, uti in nota iam observavimus. Quod quum ita sit, vix apparet ratio, cur doctissimus Maffeius hanc Margunii epistolam adduxerit, maxime quum ad auctoris cuiusdam particularis sententiam ecclesiae totius Graecae fides devolvi non debeat, ipseque vir cl. negare haud possit, ecclesiam Graecam hodiernam acta synodi Florentinae reiicere et in dogmate de processione Spiritus S. e Filio, de quo Margunio hic praecipue quaestio erat, ab ecclesia Romana adhuc dissentire.

§. 15.

Sed ne triumphum agat vir clarissimus, quum omnibus, quos possidet, eruditionis ingeniique nervis intensis ostendere conatur, falsum hoc esse, quod statuamus, modernam quoque ecclesiam Graecam non solis institutionis eucharisticae verbis sed vel maxime precibus consecrationem adscribere, opera nunc nobis danda est, ut in medium productis certissimis authenticisque ecclesiae Graecae recentioris documentis sententiam nostram doctissimo viro, si quidem id fieri possit, vel saltem lectoribus nostris, de quo nulli ambigimus, persuadeamus. Non autem allegabimus hic liturgias Graecas ipsasmet ceterasque orientales, quippe quas preces istas consecratorias habere et ipsa docet inspectio et ab aliis luculenter ostensum est[1]). Quin potius ea producemus, quae nulli falsae interpretationi nullive in universum exceptioni obnoxia esse confidimus. Primum autem in scenam hic prodeat Ieremias patriarcha Constantinopolitanus, qui in responso primo ad Augustanam confessionem totidem verbis asserit,

---

quam eidem adscribit celeberrimus Fabricius biblioth. Graec. L. IV. c. 5. p. 198. Maximi potius Callinpolitae, Hieronomachi Peloponnesii esse, ipse titulus indicat. Id quod quum cl. Maffeius §. 28. p. 126. observat, hoc quoque adiicit non aliam ob caussam versionem hanc a patriarchis Constantinopolitanis fuisse prohibitam, quam quia noluerint, ut Scriptura S. a laicis legeretur. Sed alias huius interdicti caussas memorat Alex. Helladius in statu praesente eccl. Gr. Norimbergae 1714. 8. impresso, c. 9. eam praecipue, quod lingua Barbaro-Graeca sive πεζή sit rusticorum lingua, in qua Novum Test. legere haud conveniat. Ut taceamus, eundem observasse auctorem, quod linguam Graecam antiquam quivis laicorum intelligat, ita ut versione hac opus non habeat. Quod ipsum si falsum quoque esset, sat magnam apud patriarchas Graecos invidiam versioni huic id solum conflaret, quod auspiciis Cyrilli Lucarii facta est, ita ut sententiam de non concedenda laicis Scripturae S. lectione huc trahere saltem non sit necessarium. Adde tamen hic, quae hanc in rem ponit Io. Tribbechovius in dissertatione praeliminari elementis Graecae vulgaris linguae Ienae 1705. editis praemissa § 15. Quod ipsum dum memoramus, paucis liceat nominasse eos, qui novissime hanc dialectum excoluere et qui post Tribbechovium virum clarissimum scripserunt. Ita Lexicon Graeco-barbaro-Italicum a P. Alexio de Sommavera Capucino compositum, auspiciis illustris Bignonii sub titulo *Θησαυροῦ τῆς ῥωμαϊκῆς κ. τ. λ.* et *Tesoro della lingua Greca volgare* Parisiis a. 1709. edidit P. Thomas Parisinus, itidem Capucinus, qui idem ibidem eodem anno luci exposuit *Nouvelle méthode pour apprendre les principes de la langue Grecque vulgaire,* ut, quae Io. Mich. Langius, olim theologus Altorfinus, hanc in rem scripsit, taceamus.

1) Videri possunt Rich. Simonis notae uberiores in opuscula Gabrielis Severi et Eusebii Renaudotii nupera liturgiarum Orientalium collectio, Parisiis 1716. edita.

panem in corpus et vinum in sanguinem Christi mutari τῇ ἐπικλήσει καὶ χάριτι τοῦ παντοδυνάμου καὶ τελεταρχικοῦ πνεύματος διὰ τῶν θείων καὶ ἱερῶν εὐχῶν καὶ λογίων, invocatione et gratia omnipotentis illius sacrorum rituum antistitis Spiritus sacrarum precationum et verborum interventu[1]). Quod et alio in loco[2]) repetit, ubi id fieri ait *διὰ τῶν τελεστικῶν εὐχῶν per preces consecratorias,* quae *κατ' ἐξοχὴν τελεστικὰ ῥήματα* nuncupentur. Nec ab hac quoque sententia discedit in responso altero[3]), ubi scribit: *ὁ τῆς προθέσεως ἄρτος οἶνός τε καὶ ὕδωρ διὰ τῆς ἐπιφωνήσεως καὶ ἐπιφοιτήσεως τοῦ ἁγίου πνεύματος ὑπερφυῶς μεταποιοῦνται εἰς τὸ σῶμα Χριστοῦ καὶ τὸ αἷμα, propositionis panis et vinum atque aqua invocato et superveniente sancto spiritu supra omnem naturae rationem transmutantur in corpus et sanguinem Christi.* Ieremiam excipiat Gabriel Severus, metropolita Philadelphiensis, qui in apologia pro ecclesia orientali panem et vinum vocat *ὕλην ἀναγκαίαν γενέσθαι εὐθὺς διὰ τῆς ἐπικλήσεως τοῦ ἁγίου πνεύματος αἷμα καὶ σῶμα Χριστοῦ, materiam necessariam, quae statim per invocationem Spiritus S. sanguis et corpus Christi futura est*[4]). Addit alibi idem: *μετουσίωσιν* fieri *διὰ τῆς τοῦ ἱερέως εὐλογίας καὶ ἐντεύξεως per sacerdotis benedictionem et preces*[5]). Nec tamen, ne quid dissimulemus, idem solis precibus consecrationem adscribit sed verbis quoque Dominicis, quum in tract. de sacramentis ista ponit[6]), transsubstantiationem fieri *ὑπὸ τῶν κυριακῶν ῥημάτων καὶ τῆς ἐντεύξεως per verba Dominica et precationem,* quae eadem est, quam nos hactenus defendimus, sententia, luculentius a Gabriele, ubi de forma sacramenti huius agit, explicata[7]). Gabrielem sequatur Antonius Caucus, Patritius Venetus, archiepiscopus Corcyrensis, qui in libello de Graecorum recentiorum haeresibus iussu Gregorii XIII. conscripto ipsique etiam dedicato hunc quoque ipsis errorem adscribit[8]), eos asserere, *verba Dominicae consecrationis absque Patrum quibusdam precationibus et benedictionibus ad transmutationem panis et vini in*

1) Vide acta et scripta theologorum Wirtembergensium et patriarchae Ieremiae Witteb. 1584. impressa f. 86. Haec dum ponimus, tribus saltem notamus, Emanuelem Schelstratium dudum in animo habuisse *Acta Orientalis ecclesiae contra Lutheri et Calvini haereses* tomis duobus edere, queis tum acta patriarchae Ieremiae contra theologos Wirtembergicos tum Graecorum modernorum testimonia ab Arnaldo ex Oriente accersita et a Mabillonio secum communicata latinam in linguam abs se transfusa inserturus erat. Vide comment. de sacro Antiocheno Concilio p. 273. 485. et diss. apolog. de disciplina arcani p. 2. 3. Quinimo ex praefatione Tomi II. Antiquitatis a Schelstratio illustratae patet, acta haec sub praelo sudasse, quum iste e vita migraret, impressionemque eam ipsam ob rem fuisse interruptam. Factum tamen iam ante annum est, ut sumtibus congregationis de propaganda fide sub incudem Romae rediret opus, propediem, uti existimamus, absolvendum. 2) fol. 102. 3) fol. 240.

4) Vide edit. a R. Sim. datam p. 6. cuius et nota p. 143 sqq. conferenda est. Scilicet luce clarius patet, Gabrielem Nic. Cabasilae, Marci Ephesii, Simeonis Thessalonicensis ceterorumque Graecorum de consecratione sententiam hic defendere.

5) p. 15. 6) p. 59. 7) p. 62.

8) n. 9. Non moramur hic Leonem Allatium, qui L. 3. de eccl. Occid. cum Orient. cons. multa in Caucum convitia effudit, C. 10. §. 2. p. 1055. 1056. quum sufficienter hunc defenderit le Sr. de Moni sive R. Simon in Hist. critique de la créance et des coutumes des nations du Levant C. 1. p. 10 sqq. Ceterum liber hic Cauci typis exscriptus non exstat, at MS. in biblioth. regia Paris. habetur, ex cuius codice sua R. Simon hausit. Vid. suppl. diction. histor. Moreriani in voce Caucus, et Io. Claudium in réponse au livre de M. Arnaud L. 3. C. 7. p. 216. 217. itemque Stephani le Moyne prol. ad varia sacra *** 1 b sqq. qui alium ibi Antonium Corcyr. refert.

corpus Christi non sufficere. Quartum locum damus patribus Concilii Constantinopolitani Ann. MDCXXXIIX. contra Cyrillum Lucarium congregatis, qui inter alia et haec habent: *Κυρίλλῳ δογματίζοντι καὶ πιστεύοντι, μὴ μεταβάλλεσθαι τὸν ἐπὶ τῆς προθέσεως ἄρτον καὶ ἔτι τὸν οἶνον διὰ τῆς τοῦ ἱερέως εὐλογίας καὶ πνεύματος ἁγίου ἐπιφοιτήσεως εἰς ἀληθὲς σῶμα καὶ αἷμα Χριστοῦ, ἀνάθεμα. Cyrillo dogmatizanti et credenti, non transmutari propositionis panem et insuper vinum per sacerdotis benedictionem et Spiritus Sancti adventum in verum corpus et sanguinem Christi, anathema* [1]). Quin si ne ista quidem sufficiant, provocamus ad confessionem orthodoxam ecclesiae Graecae [2]) confessioni Lucarianae a Petro Mogila metropolita Kioviensi oppositam, a synodo Moldaviensi approbatam, a Meletio Syrigo aliisque revisam, a patriarchis Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno et Hierosolymitano plurimisque metropolitis subscriptam, a Nectario patriarcha Hierosolymitano praefatione ann. 1662. scripta commendatam, a Dositheo, patriarcha Hierosolymitano concilioque Hierosolymitano ann. 1672. congregato in librum ecclesiae Graecae symbolicum evectam [3]), eodemque anno a Dionysio, patriarcha Constantinopolitano itidem confirmatam [4]). Quum vero confessio haec, utpote quae ecclesiae Graecae hodiernae symbolum est, totam hanc controversiam decidat, verba ipsius tota nullaque sui parte mutilata hic referemus. Ita autem in responsione ad quaest. CVII. exstat [5]): *πρέπει, νὰ ἔχῃ ὁ ἱερεὺς τοιαύτην γνώμην εἰς τὸν καιρόν, ὅπου ἁγιάζει τὰ δῶρα, πῶς αὐτὴ ἡ οὐσία τοῦ ἄρτου καὶ ἡ οὐσία τοῦ οἴνου μεταβάλλεται εἰς τὴν οὐσίαν τοῦ ἀληθινοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ διὰ τῆς ἐνεργείας τοῦ ἁγίου πνεύματος, οὗ τὴν ἐπίκλησιν κάμει τὴν ὥραν ἐκείνην, διανατελῶς τὸ μυστήριον τοῦτο, ἐπευχόμενος καὶ λέγων· Κατάπεμψον τὸ πνεῦμά σου τὸ ἅγιον ἐφ' ἡμᾶς καὶ ἐπὶ τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα καὶ ποίησον τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον τίμιον σῶμα τοῦ Χριστοῦ σου, τὸ δὲ ἐν τῷ ποτηρίῳ τούτῳ τίμιον αἷμα τοῦ Χριστοῦ σου, μεταβάλλων τῷ πνεύματί σου τῷ ἁγίῳ. Μετὰ γὰρ τὰ ῥήματα ταῦτα ἡ μετουσίωσις παρευθὺς γίνεται καὶ ἀλλήσει ὁ ἄρτος εἰς τὸ ἀληθινὸν σῶμα Χριστοῦ καὶ ὁ οἶνος εἰς τὸ ἀληθινὸν αἷμα.* Id est: *Eo temporis articulo, quo sacra munera consecrat sacerdos, ita secum omnino statuere debet, quod substantia ipsa panis et vini in substantiam veri corporis et sanguinis Christi opera Spiritus S. immutetur, cuius numen illo interim spatio*

1) Vid. acta huius synodi apud L. Allat. de cons. eccl. Occident. et Orient. L. 3. c. 11. §. 1. p. 1064. 1068.

2) Quam post editionem Panaiottae in Belgio a. 1662. impressam dedit cum latina versione Laur. Normannus Lips. 1695. 8. Eadem in lingua Graeco-barbara Bucoresti in Moldavia 1699. cusa fuit. Ceterum nugas agit fidemque suam penitus decoquit Io. Aymonius, cuius alioqui haud mediocris harum rerum est notitia et quem in historia ecclesiae Graecae recentioris illustranda haud contemnendam praestitisse operam lubentes meritoque fatemur, quum omnem confessioni huic auctoritatem derogat eamque a 10. vel 12. clericis partim depositis partim heterodoxis confectam esse asserit. Scilicet nimis hic in contrarium currit vir clarissimus suoque exemplo ostendit, eos, qui polemica methodo historiam tractant, saepius in extrema labi.

3) His verbis: *ἐδέξατο δὲ αὐτὴν καὶ δέχεται ἁπαξαπλῶς πᾶσα ἡ ἀνατολικὴ ἐκκλησία, accepit autem eam et accipit plenarie tota ecclesia Orientalis.*

4) Vide viri summi, I. M. Heineccii *Abbildung der alten und neuen Griechischen Kirche* P. 1. c. 4. §. 16. p. 235. 5) Pag. 166. 167. edit. Lips.

implorat, perficiens mysterium hoc precansque his verbis: Demitte, o Deus, de caelo Spiritum tuum S. super nos et super proposita haecce dona et panem hunc effice pretiosum corpus Christi tui idque, quod est in calice, pretiosum sanguinem Christi tui, transformans ea per Spiritum tuum S. *Quippe pronunciatis hisce verbis confestim transsubstantiatio peragitur mutaturque panis in verum corpus Christi, vinum in verum eiusdem sanguinem.* Quae ipsa utique tam clara sunt, ut clarius efferri haud potuissent. Possemus multa alia Graecorum modernorum testimonia hanc in rem addere sed quae lubentes praetermittimus, quum et precaria saepius falsaque eadem sint et ab imperitis aliquando propriamque ecclesiae suae doctrinam nescientibus sententiamque suam subinde mutantibus atque in gratiam vel ecclesiae Romanae vel Protestantium sua scribentibus vel emollientibus exarata, uti luculenter ostendit cel. Heineccius [1]). Quae ipsa et ratio est, cur allegandis Graecorum re-

---

1) Confer omnino *die Abbildung der alten und neuen Griechischen Kirche,* P. 1. c. 4. §. 5 sqq. p. 223 sqq. Anhang p. 67. 68. 69. 82. Ceterum nota sunt, quae de fide testimoniorum a theologis Portus Regii, librorum de perpetuitate fidei auctoribus, contra reformatos productorum viri doctissimi disputaverint. Scilicet quum inter laudatos theologos et Ioannem Claudium, pastorem Carentoniensem reformatum de Graecorum circa sacramentum eucharistiae fide lis longa agitaretur, is, qui Constantinopoli tunc versabatur, regis Galliae ad imperatorem Turcicum legatus, Dominus de Nointel varia a Graeculis testimonia obtinuit, quibus theologi Galli contra reformatos egregie uti poterant usique etiam postmodum sunt, quorum autographa adhucdum in bibliotheca sancti Germani a Pratis monachorum Benedictinorum e congr. s. Mauri Parisiis asservantur. Nec negandum, quum documenta ista contra reformatos producerentur, plurimum hoc caussae ipsorum nocuisse. Sed compertum postea fuit, tam dubiam esse horum libellorum fidem, ut ad rem decidendam aut parum admodum aut nihil valeant. Audiamus virum, qui utpote ipsemet Romanis partibus addictus in fraudem suorum nihil confinxisse censendus est, Richardum scilicet Simonem, qui mentem suam, Protestantium licet sermonem mentiatur, ita explicat: *Il y a bien des gens, principalement parmi les protestans, qui ne s'en rapportent pas tout-à-fait à ce grand nombre d'attestations produites par ce docteur (M. Arnaud) dans son ouvrage de la perpetuité, parce qu'il n'a rapporté, disent-ils, qu'une traduction française de toutes ces attestations sans en publier les originaux et qu'il se peut faire qu'elles aient été mal traduites: outre qu'on trouve, disent les mêmes protestans, dans ces témoignages quelques faits, qui ne sont nullement de la créance des Grecs et qui donnent par conséquent occasion de douter de la sincérité de ces actes. Aussi quelques Jésuites ont ils eu dessein de publier des attestations plus authentiques et dans les langues mêmes, où elles ont été composées.* Et post pauca: *Les Jésuites non seulement seront suspects aux protestans, mais même ils ne manqueront pas de dire, que ces attestations auront été mendiées et qu'il n'y a rien qu'on ne fasse faire aux Grecs d'aujourdhui pour de l'argent.* Vide histoire critique de la créance et des coutûmes des nations du Levant C. 2. p. 37. 38. Nec negandum, Simonem protestantium mentem hanc in rem egregie expressisse, utpote qui heic eadem cum ipsis lubens crediderit. Quin nec, quum eapropter ab Antonio Arnaldo in difficultés proposées à M. Steyaert diff. 74. p. 273 sqq. pessime habitus esset, sententiam mutavit, sed fortiter potius nec sine sale et aceto defendit in bibliotheca critica Sainjoriana T. 1. C. 22. p. 299 sqq. licet aliquando verba det Arnaldo, ne totus Protestans videatur. Quinimo in nouvelle bibliothèque choisie T. 1. c. 29. p. 243. idem ait, theologos Portus Regii caussam suam parum admodum iuvisse, quod ex Oriente venire iusserint *un si grand nombre d'attestations qui n'ont fait guère d'impression sur l'esprit des Protestans, qui les regardent comme des pièces mendiées.* Liceat nunc addere, quae Protestantes de his Graecorum testimoniis dedere, iudicia. Agmen ducat Io. Claudius in réponse au livre de M. Arnaud intitulé la perpetuité de la foi de l'église Catholique touchant l'eucharistie defendue, ubi L. 4. C. 3. acta haec tanquam a Graecis latinisatis producta et Missionariorum fraudibus extorta respuit. Secundo loco procedat Fridericus Spanhemius, qui in stricturis ad nuperam expositionem doctrinae Catholicae episcopi Condomiensis Opp. T. 3. f. 1045. *Arnaldum* ait *de consensione Graecae ecclesiae hodierna in capite de transsubstantiatione et ado-*

centiorum scriptis tum Iassii [1]) et Bucoresti aut Tergovisci [2]), tum in

---

ratione sacramenti cum rever. Claudio potissimum decertasse, emendicatis undique per legatos regios, consules, missionarios, Graeculorum hac de re testimoniis, a quibus nihil non pretio extorqueas, quae ipsa et in diss. de ecclesiae Graecae et Orientalis a Romana et papali in hunc diem perpetua dissensione Opp. T. 2. p. 538. 541. 545. ubi insimul scripta quaedam Graeculis supposita recenseri videas, inveniuntur. Tertius in partes veniat Mathurinus Veysserius de la Crose, natione Americ. olim monachus Benedict. e congr. s. Mauri s. Germani a Pratis, nunc bibliothec. Berolinensis, vir praestantissimus, auctoritate celeberrimorum Anglorum Wheeleri, Smithii et Wakii, qui postremus sedem nunc Cantuariensem magna cum nominis sui gloria occupat, stipatus, qui in bibl. univ. T. XI. p. 444. 445. haec habet: *Il est vrai, que M. Arnaud produisit plusieurs attestations des prêtres Grecs pour montrer, qu'ils étaient là-dessus dans les hypothèses des Cath. Rom. mais il est vrai aussi qu'on obtint la plupart à force d'argent.* Lacrosium pone sequatur Petr. Bailius, qui in Dict. Hist. et Crit. T. 1. f. 368. tit. Arnaud (M.) ita infit: *Les peines incroyables, que le Port Royal s'est données pour faire venir à grands frais un grand nombre d'attestations du Levant, ont presque de rien servi contre la persuasion, où étaient les réformes touchant la foi des chrétiens de ce pays-là par rapport à l'eucharistie. L'ignorance qui régne parmi ces chrétiens, le décri de la nation Grecque de tems immemorial sur le chapitre de la bonne foi, la vénalité de signature dont on les croit capables etc. enervent à l'égard des Protestans les attestations, que le Port Royal a produites.* Add. l. c. f. 370 (*OAA*). Extremum occupet (plures enim allegare nolumus, quum hi sufficiant,) Io. Aymonius, qui in malam Graecorum fidem tum in monumentis authenticis tum in epistolis Cyrilli Lucarii anecdotis miris modis debacchatus est. Ceterum quae Spanhemius hanc in rem dixit, refutare conatus est Arnaldus in apologie pour les Catholiques P. 2. qui et, quum laudatus Spanhemius in Elencho controversiarum nihil reponeret, triumphum cecinit in difficultés proposées a M. Steyaert diff. 74. p. 289. Hinc, qui nuperrime hanc in rem scripsere theologi Reformati campo hoc relicto inutile saltem esse iudicant, de Graecorum circa eucharistiam fide pluribus disputare, quum nihil illa, si quoque cum fide Romana congrueret, conficere nec regulae instar hanc in rem Protestantibus esse possit. Ita profecto vir iudiciosissimus Iacobus Bernardus in Nouv. de la rép. des lettres Avril. 1710. p. 443 sqq. ubi: *que les Grecs croient tout ce qui leur plaira, je m'en mets peu en peine,* et anonymus in praefatione egregia, quam libro Recueil des divers traités touchant l'eucharistie Roterodami A. 1713. edito praefixit, p. 12 sqq. Scilicet negari haud potest, Graecos veram quandam statuere symbolorum mutationem et transsubstantiationem, non saltem figuratam, id quod et sapienter agnovere theologi Wirtembergici, laudante ipsorum ingenuitatem Simone in Hist. crit. de la créance et des contûmes des nations du Levant p. 43. etsi in alia paulisper hic abeat celeberr. Heinecc. *in der Abbildung der alten und neuen Griechischen Kirche* P. 2. C. 6. §. 53. 54. p. 278 sqq. Sed nimium hic, ut arbitror, digressioni datum fuit.

1) Inter plurima, quae Iassii in Moldavia impressa sunt, Graecorum recentiorum opera, ab Alex. Helladio in statu praesente ecclesiae Graecae p. 9. 10. recensita, memorare hic paucis liceat opera Simeonis archiepiscopi Thessal. cuius antea fere nonnisi fragmenta a Turriano, Arcudio, Allatio et Morino data erant, ibidem 1683. fol. cum Marci Eugenici expositione liturgiae cura Dosithei, patriarchae Hieros. cusa et a R. Simone in nouvelle bibl. choisie t. 1. c. 29. p. 237 seqq. enarrata, Nectarii patriarchae Hieros. confutationem imperii Papae in ecclesiam, quae eodem in loco A. 1682. curante Metrophane, monacho prodiit, et vel maxime laudati Dosithei contra ecclesiam Rom. collectanea, tomis tribus, quorum primus τόμος καταλλαγῆς, secundus ἀγάπης, tertius χαρᾶς nuncupatur, constantia, qui sub finem prioris seculi variis annis impressi fuere et sub censuram revocati ab Aloysio Andruzzi, Cyprio, theologo Bononiensi in libro, quem inscripsit: *Vetus Graecia de sancta Romana sede praeclare sentiens, sive responsio ad Dositheum, patriarcham Hieros.* Venetiis 1713. 4. Nec tacenda hic sunt acta synodi Const. a Parthenio, Patr. Const. contra Cyrillum Luc. celebratae A. 1642. Iassii edita aliaque synodi itidem Constantinop. A. 1691. sub Callinico Patr. contra Ioannem Caryophyllam, Logothetam ecclesiae Constantinopolitanae habitae Anno 1698. ibidem impressa, post cura Papadopolii et Renaudoti Venetiis et Parisiis recusa.

2) Orthodoxam ecclesiae Graecae confessionem Bucoresti in Wallachia impressam iam adduximus. Gennadii Patr. Const. Meletii Syrigi et Dosithei Hier. quaedam hic edita refert R. Gerius ad A. 1453. Prodiere et ibidem acta synodi Hieros. A. 1672. habitae cura Dosithei Patr. Hieros. A. 1690. huiusque ἐρωτικὰ contra Caryophil. aliaque vetustiorum

Italia [1]), Germania [2]), Gallia [3]), Anglia [4]), Belgio [5]) alibique [6]) impressis in

---

etiam Graecorum monumenta. Lucem vidit et Graecam Tergovisci A. 1710. fol. Euthymii Zigabeni Panoplia dogmatica, ubi notandum, exstare hic caput singulare pro Photio, quod in codicibus variis Italicis Gallicisque, atque etiam in Vindobonensi haud exstat. Titulum refert cel. Fabricius Bibl. Gr. Vol. 7. p. 461. Ceterum addendus hic est Helladius l. c. p. 15 sqq.

1) Praeter multos Graecorum rituales libros, quos Venetiis communiter imprimi curant, cusa ibidem exstant Gregorii Protosyncelli, Io. Nathanaelis, Nic. Bulgari, Agapii Cretensis, Mich. Cortacii aliorumque plurimorum opuscula. Habentur et Caryophili contra Cyr. Luc. et Zach. Gerganum scripta Romae impressa aliaque a P. Arcudio et L. Allatio maxime data.

2) Plurima Nic. Cabasilae, Nili Cabasilae, Gennadii, Ieremiae patr. Constantinopolit. Metrophanis Critopuli, Philippi Cyprii, Christoph. Angeli, Eustrathii Ioannidis Zialowskii aliorumque Basileae, Ingolstadii, Hanoviae, Augustae, Wittebergae, Helmstadii, Norimbergae, Lipsiae, Tubingae, Francof. Heidelb. Viennae alibique impressa exstant, quae recensere hic utpote satis cognita instituti nostri ratio haud fert nimisque prolixum foret. Habetur et editio novi Test. Graeco-barbara Halensis, de qua sententiam suam dixit Alex. Helladius.

3) Pertinent huc post tomos conciliorum Labbeanos, Goari εὐχολόγιον et Haberti ἀρχιερατικὸν aliaque corpus Liturgiarum Graecarum, quod cum Marci Ephesii de consecr. euchar. per preces facienda libello prodiit Paris. 1560. fol. L. B. Atheniensis διδασκαλία χριστιανική, quae ibidem A. 1633. lucem vidit, acta synodi Parthen. et Bethlehemiticae, quae eodem loco illa quidem A. 1643. haec A. 1676. prodiere, denique nuperrima viri summi Eusebii Renaudotii collectio, qua Paris. A. 1709. 4. Gennadii patr. Constantinop. homilias de sacramento eucharistiae, Meletii Alex., Nectarii Hieros. Meletii Syrigi aliorumque opuscula graece et latine dissertationibus et observationibus a se illustrata dedit, ut T. 4. de la perpétuité de la foi ibidem A. 1711. 4. impressum, ubi testimonia orientalis eccl. contra Reformatos denuo collecta uberius explicavit, et défense de la perpétuité A. 1709. 12. contra Aymonium editam taceamus. Novam quandam eiusmodi scriptorum collectionem Parisiis daturus erat, quem Gabrielis Severi opuscula hic loci edidisse supra memoravimus, R. Simon sub titulo *Graeciae schismaticae*, uti videre est ex bibl. crit. Sainjoriana T. 1. c. 15. ubi et Meletii Syrigi libellus confessioni Lucarianae oppositus pluribus recensetur. Quod ipsum institutum A. Arnaldo olim haudquaquam placuisse in praefatione perpet. fid. T. 4. memorat laudatissimus Renaudotius. Ceterum Cyrilli Lucarii, quam memoramus, confessio Genevae alibique locorum saepius prodiit, id quod ὡς ἐν παρόδῳ notamus.

4) Memorandae hic sunt praeter collectionem graecam Scriptorum Barlaami, Palamae, Severi, Meletii, Margunii, Nili, Scholarii et Coressii Londini A. 1624. cusa scriptaque Christ. Angeli ibidem et Cantabr. data, Nectariique confutationem imperii papae in ecclesiam Londini A. 1702. curante Petro Allixio editam et versionem Novi Testam. Barbaro-Graecam opera Seraphini, monachi Mitylenaei A. 1703. ibidem impressam, duae scriptorum contra Latinos a recentioribus Graecis confectorum collectiones Londinenses, quas recenset R. Simon in lettres choisies Vol. 2. Lett. 3. et Bibl. Crit. de M. de Sainjore T. 4. Lett. 2. p. 11 sqq.

5) Habetur confessio Cyrilli Luc. in Belgio cusa. Acta Synodalia Partheniana contra eundem Amst. A. 1645. prodiere, Confess. orthod. eccl. Graec. in Belgio impressam iam memoravimus. Philippi Cyprii Chronicon Eccl. Gr. Franequerae A. 1679. Nic. Blancard. edidit. Quae Stephanus le Moyne in variis sacris Lugduni Batav. 1685. cusis dedit, hinc inde indicamus. Simeonis Thessalonicensis opusculum de sacris Graecorum ordinationibus Io. Morinus suo de ordinationibus operi inseruit Antw. seu potius Amst. A. 1695. recuso. Nec est, quod plura addamus, nisi quod silentio haud praetermittenda sit collectio Io. Aymonii, quae sub titulo: *Monumens authentiques de la Religion des Grecs*, ubi et acta synodi Hieros. exhibentur, Hagae Com. A. 1708. 4. prodiit. Idem, quem nominamus, Aymonius hoc ipso anno collectionem epistolarum Cyrilli Lucarii sub titulo *Lettres anecdotes de Cyrille Lucar.* Amstelodami in lucem exposuit notisque illustravit, ne cel. Renaudotio, qui ipsum valde depexum dedit, nihil reposuisse videretur.

6) Ita et quaedam Meletii Pegae Leopoli et Vilnae impressa memorat Th. Smithus in collectaneis de Cyrillo Lucario p. 8. Alia Tiphlisii in Georgia cusa Amst. A. 1714. apud Mich. Enemannum, linguarum Orient. in acad. Upsal. prof. nunc defunctum vidimus. Ceterum, quamvis multi exstent impressi Graecorum modernorum libri, sunt tamen et infiniti alii, qui cum tenebris adhuc pugnant et in bibliothecis delitescunt. Referas huc scripta amoebaea Kioviensium theologorum, inter quos Theophanes Procopii filius eminet, ob stili

partem nostram allegandis supersedeamus. Nec tamen temperare nobis possumus, quo minus *Manueli* sive *Maximo* Margunio a clarissimo Maffeio nostro producto, duos alios e Graecis modernis eiusdem nominis opponamus, unum *Manuelem* Magnum, Peloponnesium, Rhetorem, qui *ἀπολογίαν καὶ ἀνατροπὴν τῶν κεφαλαίων τοῦ φρὰρ Φρατζήσκου, Apologiam et refutationem capitum fratris Francisci, Praedicatoris veteris Romae* scripsit, a Stephano le Moyne, theologo Leidensi e cod. Warneriano editam [1]), alterum *Maximum,* Peloponnesium, Hieromonachum, qui libellum *περὶ τῆς εὐχαριστίας de eucharistia* composuit, a viro cl. Ienkino Thomasio [2]) versum lucique datum. Utriusque loca opinioni Latinorum de eucharistia per sola institutionis verba facienda adversissima infra ponimus. Ceterum ex his omnibus luculentissime patet, non esse saltem ex Graecis modernis certos quosdam *Cabasilianos,* qui ita statuant, sed totam ecclesiam Graecam modernam hanc in sententiam pedibus ire, utpote quae in libris suis symbolicis actisque publicis et synodicis clarissimis eandem verbis efferat. Quid quod cl. vir hic dissentientes ex suis habeat viros celeberrimos, et praeter eos, quos pridem nominavimus [3]), Rich. Simonem [4]), virumque nobis amicissimum, quem toties iam laudavimus, Eus. Renaudotium [5])?

---

moderationem, quae apud Graecos alioqui rara est, plurimum aestimandus, adversus theologos Regiomontanos nonnullosque Czernicovii tractatus, qui de processione Sp. S. a Patre solo agunt, quorum notitiam itidem a laudato Enemanno accepimus.

1) In Var. Sac. T. 2. p. 292. Heic praeter alia, quae prolixitatis evitandae caussa negligimus, dicitur, *τελειοῦσθαι τὰ θεῖα δῶρα διὰ τῆς ἐπικλήσεως καὶ ἐπιφοιτήσεως τοῦ παναγίου πνεύματος, perfici* seu *consecrari divina dona per invocationem et adventum sanctissimi Spiritus.*

2) In Dissertat. varii argumenti Altorffii Noricorum A. 1712. 8. editis, p. 431 sqq. ubi tertia pars libelli huius habetur, quae tota de hoc argumento agit nec solum ex liturgiis Graecis sententiam eccl. Gr. clarissime deducit sed et obiectiones Latinorum egregie refutatas exhibet. Excerpemus pauca, quae latina ponimus, quum graecam dare veritatem operae fere pretium haud sit. Initium hoc est: *Dicunt Latini, quamprimum protulerit sacerdos in hoc mysterio ista verba, quae tempore coenae suae mysticae pronunciavit Christus:* accipite, comedite, hoc est corpus meum, bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus, *tunc his verbis Domini prolatis, panis fit corpus Christi et vinum sanguis Christi. Nos vero dicimus, quod illa ipsa verba Dominica a sacerdote sacra faciente narrative proferantur, et, quod, quum ille dixerit:* et fac panem hunc pretiosum corpus Christi tui et quod est in hoc poculo pretiosum sanguinem Christi tui, *tunc demum sacra dona fiunt perfectum corpus et perfectus sanguis Christi.* Idem p. 441 sqq. postquam loca ex liturgiis huc pertinentia recitasset, ita de Chrysostomo patribusque antiquis, quae verbis latinis tantum damus, ne Graeca taedium creent: *Hi omnes talia protulerunt verba. Omnes hi post recitata verba Dominica talem invocandi formulam adhibent unanimiter, illi vero, qui volunt, panem fieri corpus et vinum sanguinem Christi sola recitatione verborum Domini, non faciunt talem precationem ad Deum, ut mittat in ista dona suum sanctum Spiritum, in panem nempe et vinum, ut fiant corpus et sanguis Christi. Et hi, qui talia dogmatisant, non sunt tanti pretii homines, neque tam sancti, quam primi isti magni sancti apostoli aliique viri apostolici, quorum verba neque sunt obscura neque aequivoca, sed luculentissima et clarissima, ut sol.* Ast, qui plura voluerit, si tanti haec existimet, fontes adeat.

3) Vide praef. ad fragm. Irenaei anecdota, ubi Bossuetum maxime et Massuetum hanc in rem laudavimus. Quid quod dudum fuerint inter theologos Romanos, qui non solum asseruere, veterem ecclesiam per preces consecrasse, sed et ipsi consecrationem in precibus posuere? Vid. diss. nostram de consecr. vet. euch. §. 1. 20.

4) Vid. notas uberiores ad opuscula Gabrielis Severi p. 143 sqq. 163 sqq. Eadem habet in hist. crit. de la créance et des coutûmes des nations du Levant, quam sub nomine D. de Moni Francofurti, (uti titulus fingit,) A. 1684. 12. edidit, p. 13. ubi: *Les Grecs ne font pas consister la consécration dans ces paroles:* Ceci est mon corps, *mais dans*

§. 16.

Atque ita quidem dissertationi huic colophonem imponere poteramus, nisi doctissimus MAFFEIUS sub finem epistolae suae recentioris ad rev. Bacchinium datae probatum iret, non solum Graeciam hodiernam, sed et omnem Graeciam antiquiorem in argumento de consecratione eucharistica cum Latinis consentire. Quod etsi non solum contra patrum Graecorum assertiones clarissimas sed et contra publica ecclesiae Graecae documenta, liturgias maxime, pugnare dudum ostenderimus, ita ut non sit, quod nobis obiiciatur, nos privata saltem testimonia hanc in rem attulisse, a publicis totius ecclesiae documentis subinde abludentia, novo tamen argumento quodam suffulcire conatur vir illustriss. ex eo petito, quod Graeci schismatici et latinisati eadem liturgia utantur, liturgia nempe Chrysostomi, cuius processum deinde recenset. Iuxta hanc autem arbitratur statuendum esse, quod verbis H. E. C. M. consecratio fiat, utpote cum verba haec alta voce, verba *ἐπικλήσεως* vero submissa recitentur, vocisque elatio perinde ac campanulae apud Latinos sonitus transsubstantiationem iam fieri indigitet, porro etiam, verbis istis pronuntiatis, populus inclinato capite adoret, id quod idololatriam saperet, si transsubstantiatio nondum facta fuisset: denique verbis institutionis prolatis statim oblatio corporis Christi sequatur. Quae ipsa quomodo affirmare sustineat vir praestantissimus, comprehendere vix possumus. Scilicet novit vir doctissimus, ex vocis elatione nihil hic concludi posse, quum mox submissa, mox elata voce sine evidente, cur id fiat, ratione sua efferat sacerdos Graecus; novit porro, nobis haud dicentibus, Graecos dona quoque sacra ante prolata institutionis verba, quum hymnus canitur cherubicus, adorare generali quadam adoratione, non latrica, qualis et, dum verba institutionis pronuntiantur, adhibetur, ipsisque Graecis fatentibus nullam transsubstantiationem supponit [1]): novit denique (neque enim tam certa

---

quelques prières, qui suivent. Et p. 62. *Il est constant, que tous les Grecs d'aujourd'hui prétendent, que la consécration n'est faite qu'après la prière qu'on appelle l'invocation du S. Esprit.* Similia repetit idem in Bibl. crit. Sainjor. T. 1. C. 22. p. 307. ubi: *Il est certain, que les Grecs schismatiques et les autres Orientaux ne croient point, que le corps et le sang de Jesus Christ soient dans l'eucharistie immédiament après la prononciation des paroles,* hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. *Messieurs de Port-Royal en conviennent eux-mêmes.* Addi et possunt eiusdem lett. chois. T. 3. lett. 1. Eandem denique in sententiam pronunciat Io. Aymonius in métamorphoses de la religion Romaine p. 170. 171. cuius tamen verba adducere supersedemus, quum in castris Reformatorum is iam militet.

5) Videantur scripta viri summi hactenus a nobis allegata, ubi Graecis passim adscribit, quod per invocationem Spiritus Sancti eucharistiam consecrent. Ceterum quaenam merita viri praestantissimi tum litteraria tum ecclesiastica sint, et in diario eruditorum Italorum Veneto expositum esse meminimus.

1) In prolixum hic disserendi campum ab ill. MAFFEIO nostro deducimur, sed ubi compendium viae quaerere licebit. Est autem haec viri docti assertio, quam §. 29 p. 134. 135. ponit, Graecos, quum verba institutionis proferantur, caput inclinare et adorare, eosque, qui maiorem paullo rerum cognitionem habeant, apud se hanc precatiunculam *πιστεύω, κύριε, καὶ ὁμολογῶ, ὅτι σὺ εἶ ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος* vel aliam quandam similem effari, queis omnibus actionibus, alioqui futuris erroneis, ostendant, se credere, quod consecratio et transsubstantiatio verbis institutionis fiat. Liceat nunc nobis, pace viri clarissimi, contrarium demonstrare. Et primo quidem dissimulat vir summus, Graecos symbola sacra iam ante verborum institutionis recitationem adorare, ut ita ab *adoratione* ad *consecrationem iam factam* non valeat consequentia. Quod si vero id negaverit vir doctissimus, rem paucis demonstratam dabimus. Etenim, qui ex Latinis contra Graecos scripsere, iuncto agmine istum Graecis errorem, quem et idololatriae nomine insigniunt, adscribere haud ve-

tamque clara nobis vir illustriss. negaverit,) in liturgia Chrysostomiana post prolata institutionis verba haudquaquam oblationem corporis Christi

---

rentur. Ita profecto Io. Sacranus, quem *Saracenum* errore, uti arbitramur, typi apud celeb. Heineccium nominari videmus, Cracoviensis ecclesiae canonicus, dum religionem Ruthenorum describit, hunc ipsis errorem numero vigesimum tribuit: *Ante praeparationem calicis incensis cereis panem consecrandum cum vino et aqua calida in calicem fusa cum reverentia summa spectandum populo offerunt et circumferunt, ubi populus pronus cadit, veneratur et idololatrat, et post in altari positum et consecratum nemo veneratur, neque elevatur,* quae ipsa et de iisdem Russis memorat Io. a Lasco, archiepisc. Gnesnensis et Polonorum quondam ad sedem Romanam legatus, adhibitis etiam Sacrani verbis apud Odoricum Raynaldum ad a. C. 1514. repetitque itidem Petrus Scarga, Iesuita Vilnensis, Sigismundo Poloniae regi a concionibus ordinariis in libro de uno pastore L. 3. C. 2. art. 8. Quin omnibus iis, qui Graecam profitentur fidem, adorationem symbolorum ante consecrationem adscribit Antonius Caucus, archiep. Corcyrensis, quem supra memoravimus, addito hoc quoque, quod oppido mireris, Graecos dona quidem consecranda adorare sed minus consecrata. Demus ipsius verba, quae ex codice MS. bibliothecae regiae Parisiensis extraxit Io. Claudius in Réponse au livre de M. Arnaud. L. 3. C. 7. p. 217. art. 13. exstantia, ubi haec de Graecis habentur: *Ils ne rendent aucune révérence ni culte ni honneur ni adoration au très-saint sacrement de l'eucharistie consacré.* Et post alia: *Il n'y a que je sache, aucun peuple, qui professe le Christianisme, qui rende au très-saint sacrement de l'eucharistie moins de révérence, de culte et d'honneur, que la nation Grecque. Ils vénèrent et adorent leur pain levé avant qu'il soit consacré, ce qui a l'air d'une idolatrie, mais quand il est consacré, à peine se levent ils devant lui pour l'adorer.* Denique idem haec addit: *Ils avancent vers les peintures des saints, lorsqu'ils entrent dans les églises, mais ils tournent le dos au s. sacrement de l'eucharistie. Je me suis étonné en les voyant agir de la sorte et quand j'ai voulu m'informer de la cause de cette irrévérence les avertissant qu'ils erraient grandement en ce qu'ils rendaient plus d'honneur aux saints qui sont les serviteurs et les amis de Jésus-Christ, qu'ils n'en rendaient au Seigneur et au Maître, ces Papas ne m'ont rien repondu, si non qu'il n'y avait aucun commandement, qui enjoignit ce respect et cette adoration.* Nec est quod dicas, haec tanquam a Cauco scripta a theologo Reformato, cuius dubia sit fides, proferri, quum eadem habeat le Sr. de Mony sive R. Simon in Histoire critique de la créance et des coutumes des nations du Levant C. 1. p. 7. qui tamen ibidem C. 3. p. 64 sqq. recte, ut arbitramur, observat, nimium esse Caucum, quum dicat, Graecos post consecrationem symbola sacra non amplius adorare. Ast, quum Latinos hic ad testimonium contra Graecos dicendum producimus, tam largam rerum invenimus messem, ut facile capiamus, nos, si omnia velimus dicere, limites notae facile migraturos. Non tamen possumus, quin nominemus quendam nobilissimi Maffeii civem, Alexandrum Guagninum, Veronensem, qui in descriptione Sarmatiae religionisque Moscovitarum C. 2. latius rationem, qua circumlata symbola eucharistica ante consecrationem ii venerentur, edisserit. Id quod de omnibus Graecis et affirmat Iesuita anonymus (neque enim et huius testimonium nobis negligendum est,) in *relation de l'Isle s. Erini* C. 12. p. 142. ubi: *Un grand abus s'est glissé parmi les Grecs. Quand le Prêtre sort du petit autel à l'offertoire pour passer au plus grand, tout le peuple qui est présent, adore le pain qui n'est pas encore consacré et témoigne beaucoup plus de devotion en cette action qu'au tems où après la consecration, car au tems de la consecration ils éteignent les cierges qu'ils avaient allumé pour l'offertoire.* Idem C. 20. *On aura pu apprendre des chapitres précédens, combien les Grecs sont répréhensibles à cause du peu de respect, qu'ils témoignent à cet adorable Sacrement, puisqu'après avoir consacré le jeudy saint quantité de particules ils les conservent toute l'année dans une petite boite de bois enclose dans un petit sac de toile et pendue à un clou au dessus de l'autel ou derrière une image sans lumière ou autre marque de vénération. Joint que quand ils entrent dans l'église pour y faire leurs prières, vous voyez, qu'ils font de profondes révérences devant les images de N. S. ou de notre-Dame ou de quelque autre saint, mais jamais vous ne les verrez se prosterner devant cet auguste sacrement.* Quin etiam Petrus Arcudius de concordia ecclesiae Orientalis et Occidentalis in Sacramentorum administratione L. 3. C. 19 sqq. Graecos *ἀρτολατρείας καὶ οἰνολατρείας* reos facit, quod panem et vinum ante consecrationem adorent, iratusque ex Gabriele Philadelphiensi, quem maxime refellit, quaerit, cur muneribus consecratis sacerdos caput non inclinet neque adoret neque in terram se prosternat nullumque prorsus reverentiae testimonium exhibeat? Denique ut plures alios taceamus, eadem fere et memorat R. Simon in histo-

poni. Apponamus orationem, quae verba institutionis immediate consequitur. *Μεμνημένοι τοίνυν τῆς σωτηρίου ταύτης ἐντολῆς καὶ πάντων*

---

ria critica supra citata C. 1. §. 35. ubi: *Une des cérémonies, qui a le plus étonné les Latins, est celle que les Grecs observent avec un grand apparat à l'égard des mystères lorsqu'ils sont sur le petit autel qu'ils appellent l'autel de la prothèse, et cela avant la consécration. Car ce qui est étonnant, ils rendent des honneurs extraordinaires au pain et au vin avant qu'ils soient consacrés et sur lesquelles on n'a encore fait qu'une simple bénédiction.* Nec sane, quid respondendum ad haec sibi sit, satis norunt Graeculi, utpote ob caussae difficultatem hic inter se divisi. Germanus Patr. Constant. qui Sec. XIII. vixit in rerum ecclesiasticarum theoria sive expositione liturgiae post editionem Morellianam, Ducaeanam multasque alias ante XV annos Oxonii inter opera Cyrilli Hieros. cura Th. Millesii, episcopi post Waterfordiensis Hiberni denuo cusa sed uti R. Simon in Gabr. p. 78. 287. monet, mire interpolata hanc dat rationem, adorationem illam *ἐν τῇ μεγάλῃ εἰσόδῳ* respicere adumbrareque ingressum Christi a Bethania in Ierusalem, ubi Dominus a procumbentibus fuerit adoratus. Haud melius nodum solvit Nicolaus Cabasilas, qui in expositione liturgiae C. 24. hunc ritum non ab ecclesia introductum esse ait, sed a populo ignaro, *εἰσόδῳ προηγιασμένων δώρων ingressu praesanctificatorum donorum* decepto atque differentiam praesanctificandorum ignorante, quae ipsa ne micam quidem probabilitatis habent tum propter tempus, cui praesanctificatorum *λειτουργία* alligata erat, tum quod in *εἰσόδῳ προηγιασμένων* hac de re monitus abunde fuit populus a cantoribus, ista verba accinentibus, *ἰδοὺ θυσία μυστικὴ καὶ τετελειωμένη*, tum ob rituum heic observandorum rationem a ritibus *εἰσόδου* communis diversissimam. Rectius Gabriel Philadelphiensis, qui dicam hanc Graecis scriptam peculiari libello diluendam censuit et apologiam pro ecclesia Orientali scripsit *κατὰ τῶν λεγόντων, τοὺς ὀρθοδόξους τῆς ἀνατολικῆς ἐκκλησίας υἱοὺς κακῶς τε καὶ παρανόμως ποιεῖν τῷ τιμᾶν καὶ προσκυνεῖν τὰ ἅγια δῶρα, ἡνίκα ὁ χερουβικὸς ᾄδεται ὕμνος καὶ ὁ ἱερεὺς φέρων ταῦτα εἰσοδεύει εἰς τὸ ἅγιον βῆμα, contra eos, qui dicunt, ecclesiae Orientalis filios in eo male et illegaliter agere, quod honorent et adorent sancta dona, quum Cherubicus hymnus canitur et sacerdos illa deferens ingreditur in sanctuarium*, ubi sententiam suam ita promit: *προσκυνοῦμεν γοῦν ἄρα ταυτὶ τὰ ἅγια δῶρα καὶ κεφαλὴν κλίνομεν, ὡς δῶρα τίμια καὶ ἅγια καὶ ἱερὰ καὶ ὕλην ἐνδεχομένην καὶ μὴ ἄλλως ἔχον γενέσθαι, εἰ μὴ ἀναγκαίως σῶμα Χριστοῦ καὶ αἷμα τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, οὐ μὲν δὲ καὶ λατρεύομεν, ἐπείπερ οὐκ ἔτι τέλειον σῶμα Χριστοῦ ἐστι. Adoramus itaque haec dona sancta etiam inclinato capite tanquam dona pretiosa et sancta materiamque, quae futura est necessario corpus et sanguis Christi. Non vero latria adoramus, quandoquidem nondum perfectum corpus et sanguis Christi sunt.* p. 10. edit. Simonianae. Quam ipsam responsionem et adoptat Simeon Thessalonicensis in libro *περὶ τοῦ ναοῦ καὶ περὶ τῆς λειτουργίας*, ubi ait, non alium donis consecrandis honorem a Graecis deferri ac sanctis imaginibus. Hinc et excusari hoc in articulo Graecos a Latinis quibusdam recentioribus videas, qui Caucum Arcudiumque subinde hic perstringunt, Leone Allatio de missa praesanctificatorum §. 7 sqq. et Iac. Goaro in notis ad eucholog. Graec. f. 132. queis et R. Simon. adhiunit tum in hist. crit. quam saepissime citamus, C. 3. tum in notis ad Gabr. p. 232 seqq. *ἐποχὴν* hic fere apprehendente Io. Bona card. rer. liturgic. L. 2. C. 9. §. 4. Ceterum id haudquaquam negandum esse putamus, Graecos symbola consecrata quoque adorare, etsi post Claudium, qui cum Antonio Arnaldo doctam hanc in rem litem habuit suaque in Réponse au livre de M. Arnaud L. 3. C. 7. excussit, id faciat quoque celeberr. Basnagius in histoire de l'église L. 17. C. 8. §. 6. 7. quum hanc adorationem clarissimis verbis Graeci efferant eiusque necessitatem pluribus probare conetur in dialogo contra haereses Simeon Thessalonicensis, cuius loca dat Leo Allatius in Creyghtoni hist. concil. Flor. p. 426. 427. Quin et ipsa liturgia Chrysostomiana, dum eucharistia accipitur, *προσκύνησιν* memorat, e. g. *κρατῶν δὲ τὸ ἅγιον ποτήριον καλεῖ τὸν διάκονον λέγων· διάκονε πρόσελθε, καὶ ὁ διάκονος ἔρχεται καὶ προσκυνεῖ ἅπαξ λέγων· Ἰδοὺ προσέρχομαι τῷ ἀθανάτῳ βασιλεῖ.* Rursus: *ὁ διάκονος προσκυνήσας ἅπαξ λαμβάνει τὸ ἅγιον ποτήριον μετὰ εὐλαβείας καὶ ἔρχεται εἰς τὴν θύραν καὶ ὑψῶν κτλ.* iterum: *ὁ ἱερεὺς προσκυνήσας καὶ λαβὼν τὸ ἅγιον ποτήριον κ. τ. λ.* Ex quibus tandem omnibus simul sumtis clarissimum id est, quod contra illustrem Maffeium probare conabamur, ex adoratione Graecorum externa nondum consecrationem iuxta ipsos iam factam esse concludi posse. Ast tum quoque a veritatis tramite abscedit vir doctissimus, quum putat, vel ex eo patere, quod Graeci in recitatione verborum institutionis consecrationem consistere arbitrentur, quia eo ipso tem-

τῶν ὑπὲρ ἡμῶν γεγενημένων, τοῦ σταυροῦ, τοῦ τάφου, τῆς τριημέρου ἀναστάσεως, τῆς εἰς οὐρανοὺς ἀναβάσεως, τῆς ἐκ δεξιῶν καθέδρας, τῆς δευτέρας καὶ ἐνδόξου πάλιν παρουσίας, τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν σοὶ προσφέρομεν κατὰ πάντα καὶ διὰ πάντα, σὲ ὑμνοῦμεν, σὲ εὐλογοῦμεν, σοὶ εὐχαριστοῦμεν, κύριε καὶ δεόμεθά σου, ὁ Θεὸς ἡμῶν. Ετι προσφερομέν σοι τὴν λογικὴν ταύτην καὶ ἀναίμακτον λατρείαν, καὶ παρακαλοῦμεν, καὶ δεόμεθα, καὶ ἱκετεύομεν. Κατάπεμψον τὸ πνεῦμά σου τὸ ἅγιον ἐφ' ἡμᾶς καὶ ἐπὶ τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα κ. τ. λ. Scilicet quum oblatio his verbis perficiatur: *Tua ex tuis offerimus*, et: *offerimus tibi rationalem et incruentum cultum*, nobis quoque haud dicentibus patet, *non corpus Christi*, quippe de quo ista dici nequeant, *sed panem et vinum precesque offerri*. Ast propria hic vineta caedit vir doctissimus occasionemque nobis subministrat, qua ad oculum demonstremus, iuxta Chrysostomianam liturgiam verbis H. E. C. M. consecrationem haudquaquam perfici. His quippe prolatis additaque prece oblatoria, quam modo recensuimus, submissa voce diaconus sacerdotem monet: *εὐλόγησον, δέσποτα, τὸν ἅγιον ἄρτον*, *benedic vel consecra, Domine, sanctum panem*, (quod monitum absurdum oppido foret, si consecratio et transsubstantiatio iam facta fuisset) sacerdote postmodum orante: *ποίησον τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον τίμιον σῶμα τοῦ Χριστοῦ*, *fac*, o Deus, *panem hunc pretiosum corpus Christi*, quae ipsa et de poculo eadem ratione dicuntur, addito ab eodem sacerdote epiphonemate, *μεταβαλὼν τῷ πνεύματί σου τῷ ἁγίῳ*, *transmutans Spiritu tuo S.* populoque *Amen* acclamante. Atque haec omnia utique ostendunt, iuxta liturgiam Chrysostomianam consecrationem demum precibus fieri, ita ut proprium iugulum heic petierit illustriss. Maffeius, qui, uti arbitramur, hanc ob rem liturgiam hanc utpote multis ante Nic. Cabasilam seculis confectam *Cabasilianam* haud appellitaverit. Ubi vero loca quaedam patrum verbis institutionis consecrationem adscribentia vir summus repetit, dissimulat utique, nos eadem cum precibus in consecratione eucharistiae coniuncta utique velle et haec omnia in diss. de cons. vet. euchar. luculenter satis diluisse. Quod restat, praeclarissimo viro, cuius

---

pore, quum ista a sacerdote pronuncientur, apud se hanc dicat Graecorum quisque precatiunculam: *Credo, Domine, et confiteor, quod tu sis Christus Filius Dei viventis.* Praeterquam enim, quod Reformatus quoque, qui praesentiam realem eucharisticam nullam credit, preces has fundere possit, quum verba institutionis recitat minister, id ipsum, quod clariss. Maffeius hic refert, longe aliter se habet, quum, si Gabrieli Philadelphiensi fides, Graeci ante consecrationem, sacerdote dona in sanctuarium inferente, ea adorent dicantque, *μνήθητί μου, κύριε, ἐν τῇ βασιλείᾳ σου*, *memento mei Domine in regno tuo*, verbis ex hymno eucharistico Iustiniani I. imperatoris petitis; tum vero demum, ubi sacerdos in portis altaris stat et post dicta non solum verba institutionis, sed etiam totam *ἐπίκλησιν* absolutam acclamat populo: *μετὰ φόβου Θεοῦ, πίστεως καὶ ἀγάπης προσέλθετε*, *cum timore Dei, fide et caritate accedite*, haec verba a viro doctissimo allegata proferant: *πιστεύω, κύριε, καὶ ὁμολογῶ, ὅτι σὺ εἶ ὁ Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος, ὁ ἐλθὼν εἰς τὸν κόσμον ἁμαρτωλοὺς σῶσαι, ὧν πρῶτός εἰμι ἐγώ.* Quae quum in fine apologiae suae totidem fere verbis recenseat Gabriel, ipseque etiam liturgiae processus doceat, nihil restat, quam ut dicamus, cl. Maffeium in propria hic viscera saeviisse precatiunculamque hanc caussam ipsius adeo non iuvare, ut potius evidentissime subvertat. Sed nimis hanc in rem diximus. Conferre autem, qui inter nostrates Graecorum libros non habent, poterunt doctissimi Heineccii *Abbildung der alten und neuen Griechischen Kirche* P. 3. p. 360. quo libro ad noscendam Graecorum religionem melior scriptus non exstat.

benevolum erga nos affectum non sine summa, qua ipsum colere semper pergimus, veneratione exosculamur, cogitandum nunc relinquimus, num, rebus sic stantibus, dignum aliquid laude virorumque cordatorum approbatione faceremus, si, quod tamen tantisper exspectare videtur [1]), sententiam heic nostram mutaremus, nullo sectae aut praeiudiciorum defendendorum sed solo veritatis studio eiusdemque evidentia longe certissima suffultam.

ΕΠΙΜΕΤΡΟΝ.

Quum argumentum de consecratione eucharistica hactenus data opera evolverimus, e re nostra esse arbitramur, sententiam quoque nostrae ecclesiae paullo luculentius hic explicare. Martinus Lutherus ait, consecrationem nulla sacerdotis prece sed omnipotente Dei virtute fieri prolatis institutionis verbis, quae minister ecclesiae tanquam personam Christi gerens recitet. Nec determinari quoque posse momentum, quo corpus Christi in s. coena esse incipiat, sive *das nu der dirmung.* Vide Tom. IV. Ien. Germ. f. 378. et Tom. VI. Ien. Germ. f. 283. Licet enim *in dem kurtzen Bekantnuss von dem H. Abendmahl* ann. 1544. Tom. VIII. Ien. Germ. f. 182. asseruit, se elevationem post dicta institutionis verba hactenus retinuisse, quia consecrans hac ratione dictum velit: *Sehet, liebe Christen, das ist der Leib, der für euch gegeben ist,* licet etiam in sermone contra Suermeros ann. 1526 habito insinuare videatur, Papistas corpus Christi vere in sacramento habere et circumgestare, quamvis hoc sine mandato faciant, tum tamen, quum penitius rem perspexit, aliam viam iniit. Quum enim Martinus Bucerus, maximi iudicii vir in conventu Cassellano ann. 1535 Philippo Hassiae Langravio et Philippo Melanchthoni curatius suam mentem expressisset, fassus, *quod corpus Christi vere et substantialiter a nobis accipiatur, quum sacramento utimur,* item, *quod panis et vinum sint signa exhibitiva, quibus datis et acceptis simul detur et accipiatur corpus Christi,* rursus, *panem et corpus uniri non per substantiarum mixtionem sed quatenus datur cum sacramento id, quod sacramento promittitur,* etsi sub his verborum sa-

1) Huc pertinent ista verba, ex quibus summum viri clarissimi in nos affectum perspicimus §. 31. pag. 141. exstantia: *Che se mai sotto gli occhi dell' .... Sign. Pfaff dovesse capitar questa lettera e vedrebbe* etc. *chi sa, dico, non venisse a darci l'ultima prova d'un bell' intelletto, ch'è di cangiar talvolta sentenza? Troppo forse io mi lusingo.* Ceterum, si convenire nunc quidem hic in unum non possumus, id saltem agamus oportet, ut bona fide quaeramus veritatem nec nostra quadam culpa errori litare pergamus. Erit autem, erit aliquando illa dies, quae tenebras humeris nunc nostris incumbentes luce sua dispellet decidetque controversias, seculo hoc, quae eius imperfectio est et summa infelicitas, nunquam finiendas. Ut igitur, donec illa venerit, patientiam habeamus, nosque invicem, sepositis litibus atque inimicitiis, amemus, Deumque insuper et Christum Servatorem nostrum pia sanctaque mente vitaque meliore, quam cuivis salutem adepturo necessariam esse omnes tandem sectae arbitrantur, colamus, iudiciumque, quod in mundi consummatione supremus olim Iudex daturus est, praepostero sacrilegoque ausu, vibrato ultro citroque anathematis bruti fulmine, haud anticipemus, in iura maiestatis summae alioqui non sine crimine involaturi, *prudentia iustorum* exigit, quam et illustri Maffeio nostro familiarem esse nemo dubitaverit, qui ingenuum ipsius animum et virtutis verique amantissimum noverit, litterasque contra nos scriptas sed summa humanitate tinctas obiter saltem perlustraverit.

niorum involucris *unionem* saltem *significativam* se intellexisse in conventu Tigurino affirmaverit, Lutherus tamen, orthodoxo verbis hisce sensu dato, *unionem* hanc non solum in confessione Waldensium abs se commendata suam fecit, sed etiam in formula concordiae Wittebergensis ann. 1536 cum Bucero factae hunc articulum, numero secundum, sua subscriptione approbavit: *Quamquam negant, fieri transsubstantiationem, nec sentiunt, fieri localem inclusionem in pane aut durabilem aliquam coniunctionem extra usum sacramenti, tamen concedunt, sacramentali unione panem esse corpus Christi, hoc est, sentiunt, porrecto pane simul adesse et vere exhiberi corpus Christi. Nam extra usum, quum asservatur in pyxide aut ostenditur in processionibus, ut fit a Papistis, sentiunt, non adesse corpus Christi.* Quam ipsam sententiam et Phil. Melanchthon in epist. ad Vitum Theodorum ann. 1538 scripta ita extulit: *Ego, ne longius recederem a veteribus, posui in usu sacramentalem praesentiam et dixi: datis his rebus Christum vere adesse et efficacem esse. Id profecto satis est. Nec addidi inclusionem aut coniunctionem talem, qua affigeretur τῷ ἄρτῳ τὸ σῶμα, aut ferruminaretur aut misceretur.* Idem et in comitiis Ratisbonensibus ann. 1541 contra Eccium non sine applausu assertum ivit, *quod sacramenta N. T. sint actiones a Christo institutae et quod nihil habeat rationem sacramenti extra usum legitimum, denique quod in ipso usu coenae promissio de praesentia et communione corporis Christi non ad symbola sed ad sumentes pertineat, sicut verba coenae non propter panem sed propter hominem recitentur.* Ferunt, Lutherum, quum Philippus haec ad ipsum perscripsisset, tanto exsiluisse gaudio, ut qui spectarunt praesentem, asseverarint, nullo unquam tempore se laetiorem eum vidisse, saepe exultantem et iterantem ingeminantemque haec verba: *Macte virtute et pietate, mi Philippe, tibi debetur gratia, qui pontificiae missae potuisti sacramentum adimere, quod ego tentare et aggredi non fui ausus* [1]). Atque ab eo tempore semper

1) Qui celeberrimi Meldensium quondam praesulis, Iacobi Benigni Bossueti *de variationibus ecclesiarum Protestantium* libros haud perfunctorie legerunt, eos latere nequit, virum ingeniosissimum inter alia quoque Megalandro nostro id obiicere, quod in hoc dogmate subinde *variaverit* et durabilem mox praesentiam realem, mox in solo usu se exserentem statuerit, Lib. IV. §. 23 sqq. Lib. VI. §. 32 sqq. ex quo facile error viri pateat, quum nullis variationibus veritas sit obnoxia. Ast ficulneum hoc est quam maxime et valde inconcinnum, partim, quod ad evidentissimas clarissimasque ecclesiae Romanae variationes inconsulta dissimulatione hic vir summus caligat, et dum variationes in fide infallibilia erroris esse signa ostendere conatur, proprium hic iugulum miro ausu petit, melius utique facturus, si intra cutem hic se suam tantisper continuisset respexissetque id manticae, quod in tergo erat, partim, quod, ubi ista affert, ex ipsis fontibus haud sapit et in hoc campo aliorum scriptorum nobis haud abs re plurimum suspectorum vitulo arare haud veretur, partim denique, quod a Megalandro requirit id, quod nimium est. Dum enim variationem heic quandam eidem pro summo, quo omnia ipsius dicta factaque reprehendit, rigore obiicit, simul quoque hoc monacho e spississimis errorum tenebris tum tardis gressibus prodeunti exprobrat, quod uno ictu totam veritatem non viderit nec omnia eodem momento praeiudicia omnesque errores simul haud deposuerit. Id quod utique iniustissimum est postulare, nimiamque morositatem imo et crudelitatem quandam olet. Scilicet veritatis, quam videmus, lux omnis simul haud conspicitur, sed per successiones temporum momentorumque nobis se visendam praebet, quod et in diss. 2. de praeiudiciis theologicis pag. 122. iam monuimus. Fierique hic solet, quod in diluculo conspicere est, ubi sensim sensimque migrantibus tenebris lento passu dies succedit spatiaque luce hactenus cassa gradatim occupat. Quod ipsum si in Luthero observemus, qui per gradus eundo profecti

haec sententia apud nostros obtinuit, maxime quum in conventu quoque Francofurtano, cui et CHRISTOPHORUS nostras, Dux Wirtembergiae interfuit, novis illa subscriptionibus confirmaretur. Tenuit et eandem Hermannus, archiepiscopus Coloniensis, et elector, ducto egregio ex canone missae et his quidem precibus, *ut, quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum corpus et sanguinem Filii tui sumserimus* hanc in rem argumento, qui et institutionis verbis consecrationem fieri, non precibus, contra canonicos suos et theologos Colonienses, qui *antididagma* ipsi opposuerant, miro instituto defendit. Vide ipsius *Bedencken von der Reformation* f. 110. b. et *bestendige Verantwortung* f. 148. 149. 193. 198. 212. Quin et in libris ecclesiae nostrae symbolicis clarissime haec elata reperiuntur, maxime in catech. mai. Lutheri p. 553. 554. et form. conc. p. 599. 747 sqq. 759. ubi Io. Chrysostomi verba afferuntur ecclesiaeque Romanae sententia [1]) reiicitur, quae pronunciationi verborum tanquam operi sacerdotis consecrationem adscribit, asseritque, *verba Christi non praeterita, sed quae modo ab sacerdote cum intentione consecrandi proferantur, conficere corpus Christi.* Nec minus ecclesiae Rom. consecrationem tanquam magicam corpusque Christi in pane ac vino hactenus praesens haud fuisse supponentem reiicit apologia conf. Wirtemb. auspiciis Christophori ducis edita, cuius haec est sententia: *corpus et sanguinem Christi, quae ante consecrationem in pane et vino adfuerint uti in aliis creaturis omnibus, quum homo Christus ibi sit, ubi dextra Dei sit, vi consecrationis, quae per verba institutionis fiat, in pane et vino non tantum essentialiter, ut antea, sed etiam dispensative seu distributive esse,* fol. 580 sqq. Ita et Georg. dux Anhaltinus in dissertt. libello ad electorem Brandeb. adiunctis fol. 479 sqq. ostendit, consecrationem *Christi ipsius opus esse per verba institutionis mirifice operantis, non vero sacerdotis, formulas et consecrationes carmina quasi magica recitantis.* Vid. Seckend. Hist. Luth. Lib. III. Sect. XXX. §. 117. fol. 509b. [2]). Quae Rostochii olim ann. 1568 sqq. de conse-

---

curisque posterioribus iisdemque sapientioribus priora saepius correxit, laudandum potius virum ingenuum quam culpandum, si quidem sapiamus, existimabimus, utpote qui nulli errori pertinaciter adhaeserit sed visis melioribus sententiam praeconceptam laudabili admodum omnibusque imitando instituto subinde mutare haud detrectaverit. Id unicum adhuc notandum, eundem, ubi ait, extra actionem sacramentalem nullam dari praesentiam realem, actionis vocem *ἐν πλάτει* sumere, prout illa a recitatione orationis dominicae incipit duratque, donec omnes communicaverint, id quod egregie observat I. A. Osiander in theolog. Cas. P. 3. 4. pag. 539.

1) Ecclesiae Romanae de consecratione eucharistiae sententiam praeter eos auctores, quos in dissertat. de consecrat. vet. euchar. §. 1. et 20. nominavimus, prolixius enarravere Hospinianus in hist. sacrament. Part. 1. Lib. 4. C. 9. §. 3 sqq. et Cap. 10. §. 5. Dorschaeus in Mysaria missae Cap. 6. §. 32. pag. 206 sqq. et Ioann. Baptista Thiers in traité des superstitions, qui regardent les sacremens Tom. 1. Lib. 3. Cap. 4. ubi inter alia ait, in his verbis H. E. E. C. M. nihil omnino omittendum, ne quidem particulam *enim,* nihil quoque, si valida debeat esse consecratio, addendum, item consecrari non posse hac formula: *illud est corpus meum* sed bene hac: *istud est corpus meum,* et quae aliae ibi narrantur ineptiae, hic non tangendae.

2) Nec taceri quoque hic potest, qui eruditissime hoc argumentum enucleavit, Valentinus Vannius, unus ex Reformatoribus Wirtembergicis, pastor tum Canstad. qui in Iudicio de Missa Tubingae Ann. 1557. edito lit. E. sqq. et in der gründlichen Historia von der Mess contra Ioann. Fabri, latine Guil. Bidembach data, Part. 2. pag. 34 sqq. scribit, unionem eucharist. non vi recitationis verborum institut. sed omnipotentiae divinae et pro-

cratione agitata fuerit lis, *Ioanne Saligero* sive Beato, pastore ad aedem S. Nicolai statuente, quod praesentia realis post dicta institutionis verba statim sese etiam ante usum exserat, ministerio Rostochiensi vero contrarium sentiente, ita ut *Saliger* ille tandem quoque fuerit depositus, luculentius enarrat Zacharias Grapius in *dem Evangelischen Rostock* p. 398 sqq. 420 sqq. Mart. Chemnitius in exam. conc. Trid. P. II. L. IV. Sect. I. Can. I. §. 5 sqq. fol. 360 sqq. verbis institutionis, non precibus consecrationem adscribit, etsi et totam actionem sacramentalem ad id requirat, ut effectus consecrationis sequatur. Nec abludunt Leonh. Hutterus Loc. Th. f. 726. et C. E. Brochmand. Syst. Th. f. 463. Unde et Io. Affelmannus, theol. Rostoch. in synt. exerc. Acad. P. I. p. 910. ait, verba institutionis non habere vim *absolutam sed ordinatam.* Addendi sunt Hülsem. in extens. Brev. Th. cap. 13. §. 8. Hornei. in comp. Th. p. 393 sqq. Georg. König. in Casib. Consc. p. 491 sqq. Osiander in theol. Cas. P. III. p. 537 sqq. et Aug. Pfeifferus in informat. consc. eucharistico p. 243. 244. qui hanc ponit sententiam bene notandam, *per verba institutionis ante distributionem recitata, non per ea, quae in distributione dicantur, consecrationem fieri.* Sunt tamen et alii, qui cum verbis institutionis preces velint coniunctas Christumque asserant iisdem consecrasse. Vid. Gerhard. Loc. Th. Tom. IV. fol. 143. Tom. V. f. 126 sqq. Balth. Meisner in doctr. orthod. de sacramentis p. 149. Dorschaeus in Pentad. Diss. Th. p. 280. Hülsemannus in extens. brev. th. cap. 13. §. 8. Quenstedt in antiquit. biblicis et eccl. p. 393 sqq. Dannhaw. in doctrina de sacr. p. 467. 468. Osiander loc. cit. p. 535. Seb. Schmid. in tract. de principiis seu fundamentis praesentiae corporis et sanguinis Christi in s. coena p. 164. 165. A. Varenius brev. theol. p. 798. et vel maxime Ioach. Hildebrandus in theol. dogmat. p. 723 sqq. ubi ait, ad consecrationem verba institutionis et preces *correquiri. Horum alterum si absit, consecratio,* addit, *est nulla. Quod per haec verba:* Hoc est corpus vel sanguis meus *Christus panem et vinum non consecrarit, inde patet, quod, antequam Christus haec verba proferret, panis et vinum iam erant benedicta, quia benedictio ante haec verba iam erat peracta.* Ita et Spenerus *in den theol. Bedencken* Tom. I. Art. V. Sect. 2. p. 147. 148. preces et verba institutionis ad consecrationem pertinere putat, unde et oratio Dominica verba institutionis praecedat. Addit: *Ich habe auch vielmal gewünscht, dass bei der Celebration des h. Sacraments, und zwar vorher, noch mehrers vorginge, womit der Tod des Herrn und der Zweck des h. Abendmahls verkündiget wurde, so anstatt der Jüdischen* ברכות *seyn mochte, nicht zwar, als hielte ich solche zur Consecration nöthig, sondern dass sie die Ehre unseres Heilandes erhuben und die Andacht der Anwesenden aufmunterten.* Quam et sententiam esse Petr. Zornii viri cl. iam olim diximus, qui ad dissert. Hist. theol. de *ἐπικλήσει* vet. ad Sp. S. in s. coena sub praesidio theol. celeberrimi, Io. Fechtii in acad. Rost. ann. 1705 habitam corollaria posuit huc facientia, ut taceamus, illustrem quoque Thomasium eandem orthodoxiae tibiam hic inflare et in vere aureis ad Lancelottum notis p. 293. 294.

---

missionis in prima Christi consecratione datae fieri, et tunc demum, ubi gratiarum actio, mortisque Christi praedicatio et usus accesserint, sese exserere.

preces quoque ad consecrationem referre. Quae omnia si secum invicem comparemus, differre inter se hic videri poterant nostri, nisi totam rem curatius explicassent, qui ante omnes alios in hoc argumento consulendi sunt, Hen. Höpfnerus et Io. Ad. Scherzerus, ille in Isagoge ad s. coenam p. 112 sqq. hic tum in brev. th. Hülsemanniano p. 864. tum in Syst. Th. p. 389. qui ambo utique asserunt consecrationem eucharisticam non fieri per incantationem quandam magicam a syllabis vocibusque pendulam, quae fere ecclesiae Rom. sit sententia, vel per meram verborum institutionis recitationem, quum consecratio, quae per verba institutionis fit, non sit nude *recitativa* sed *operativa*, eiusque vis *absoluta* haud sit sed *hypothetica*, ex promissione Christi totoque actu sacramenti dependens, unde et, quod omnino longe est accuratissimum, distinguendum sit inter *consecrationem partialem et totalem, destinativam et unitivam*, quarum, quae *partialis et destinativa* sit, per preces verbaque institutionis, et haec ipsa non sine precibus internis recitanda, fiat, *totalis vero et haec unitiva* tum haec omnia, tum verba consecrationis etiam in distributione efferenda totumque sacramenti actum usumque involvat. Quod dum ponimus, id quoque observamus, B. Lutherum nostrum adeo preces a consecratione destinativa exclusas haud voluisse, ut in formula missae, quam Wittebergae ann. 1523 edidit, ex canone missae precibusque ecclesiae Rom. consecratoriis plura retinuerit. Vid. Opp. Lat. Ien. Tom. II. fol. 589. b. 590. a. Id quod et in Hermanni Coloniensis *Bedencken von der Reformation* f. 110. observare licet. Nec abs re erit, hic observasse, tempore Ioannis III. Sveciae regis, in ecclesiis Svecicis introductam fuisse liturgiam quandam sive librum liturgicum ad cynosuram veterum liturgiarum, obstetricantibus Stanislao Hosio, cardinale, Ant. Possevino, Io. Herbesto, Laurentio Norwego et Petro Fechtio, addita tamen repetita corporis Christi oblatione[1]), compositam, ubi et canon sive oratio consecratoria exstiterit, ast, quum fraudibus eorum, qui Romanam fidem tum in Sveciam introducere conabantur, regi, Catharinae Iagellonicae marito, commendata fuisset[2]), non multo post proscriptam. Adeant, qui imposturae huius liturgicae historiam nosse desiderant, Erici Odhelii theol. Upsal. operis inediti particulam Stregnesiae ann. 1696. 8. editam et in actis erud. Lips. ann. 1697. pag. 82. 83. recensitam. Ceterum, quae circa consecrationem eucharisticam in ecclesia Anglicana habeantur lites liturgiarumque differentiae, in dissert. de oblation. vet. euchar. §. 42. iisque, quae ad liturgiam Grabianam posuimus, luculenter explicavimus, a rev. viro, Sal. Deylingio in sancto Irenaeo evangelicae veritatis confessore ac teste pag. 73. 74. nuper repetita. Sed ne nunc quidem sopita haec controversia apud Anglos est, quum superiore anno Londini prodierit libellus pro restituenda prima Eduardi regis liturgia, ubi ἐπίκλησις Spiritus Sancti habetur, scriptus sub titulo: *Reasons for restoring prayers and directions as they stand in the communion-Ser-*

1) Vide Io. Baazii inventarium ecclesiae Sueco-Gothorum Lincop. Ann. 1642. editum Lib. 3. Cap. 22. et Dieder. von Staden in praefatione des Kirchen-Hand-Buchs, qui Stadae Ann. 1710. prodiit.

2) Quin ipsemet Rex, si Maimburgio fides, huius Liturgiae auctor exstitit, utpote qui memorante Possevino Ann. 1577. Romanam fidem erat amplexus. Vide Dictionarii Moreriani Supplementum in *Jean III. Roi de Suède.*

vice of the first English reform'd Liturgy compiled by the Bishops in the 2. *and* 3. *years of the reign of King Eduard VI.* sed refutatus in alio quodam, qui inscribitur: *No reason for restoring the prayers and directions of Edward VI's first Liturgy by a Non-juror.* Quinimo et prima haec Eduardi VI. liturgia denuo prodiit, ita inscripta: *The form and manner of consecrating and administring the holy communion, according to the Liturgy of King Edward VI. called the book of common prayer and administration of the sacraments and ceremonies of the Church after the use of the Church of England.* London 1717. 8. Denique paucis saltem adiicimus, Picardos quoque sive Waldenses precibus olim consecrasse, quibus Deum rogarunt, *ut panem corpus Christi faceret,* memorante Seckendorfio in Histor. Luth. scholiis sive suppl. ad indic. r. num. 58. voce Picardorum col. 2. id quod et confirmat Guido de Perpiniano Lib. 9. de haeresibus, qui narrat, eos non per verba H. E. E. C. M. sed per orationem Dominicam septies repetitam consecrasse, silente tamen, id quod mirum est, hunc ipsorum errorem, qui ceteros omnes diligenter recenset, Aenea Sylvio. Ast calamum hic ponimus.

V.

PRAESTANTISSIMO VIRO

SYLVESTRO RUZINO

E SOCIETATE IESU

FR. FRANCISCUS MARIA LEONI M. C.

S. P. D.

Quum Christophorus Matthaeus Pfaffius fragmenta ut ipse loquitur *anecdota* quaedam in bibliotheca Taurinensi invenisset, eaque ad eos misisset, qui tum temporis Italicis litterariis ephemeridibus operam dabant, ut publici iuris facerent, Scipio Maffeius vir nobilis, ac doctrina, eruditione, veritatisque inquirendae peritia ornatissimus, rei novitate permotus ad celeberrimum Benedictum Bacchini continuo scripsit rationes explicans, quibus ad dubitandum de vero germanoque auctore huiusmodi fragmentorum commovebatur. Quae sane quum Pfaffius audivisset, studuit dubitationibus hisce satis plene facere in praefatione ad eadem fragmenta edita ab ipso Hagae Comitum. At celebris Maffeius Pfaffii responsis minime contentus epistolam alteram eidem Bacchino misit, qua refelleret Christophori rationes: resque non improsperos successus habuit. Pervenit haec quoque ad manus Pfaffii, qui non destitit natam controversiam exagitare, atque adversario suo nervis omnibus etsi non feliciter, non imperite tamen resistere. Scipio non amplius palaestra hac contendere facile voluit tum quod gravissimis occupationibus impeditus non potuit, tum quod alteram epistolam tantum in se virium ac firmamenti habere cognovit, ut non modo Pfaffius, sed nemo ex Pfaffii schola illam refutare ullo modo valuerit. Quod tamen Maffeius non fecit, id procul dubio praestare in animo nobis est non sane momentis eiusdem gravissimis certissimisque nova momenta addendo; sed eadem duntaxat explicando et exponendo. Impellimur siquidem ad hoc efficiendum hominis fama doctissimi, impellimur patriae caritate, impellimur religione, ne canant adversarii nostri (quod audio ex iisdem facere crebro nonnullos) cum Horatio:

Iam Scythae laxo meditantur arcu
cedere campis.

Utque ipsi nos, qui nonnihil in philosophicis rebus valere experti sumus, an in criticis valeamus quidquam probemus te potissimum iudice, cuius est erga me non mediocris benevolentia, studium vero erga te meum, et obsequium erga serenissimam familiam tuam omnium quam maximum: ad opus hoc animum applicuimus, nervosque omnes intendimus, ut eidem exitus felix faustusque detur. Quod tum praestitisse cognovero, quum id tibi cognovero placuisse. Quapropter quidquid Maffeius

opposuit, ad certa veluti capita revocare, quoad sciero poteroque, curabo. Facilius namque ex criticae artis praescriptis veluti ex propositionibus et ex ratiocinationibus Maffei ceu ex assumtionibus illius sententiae veritatem colligemus, quam magna cum laude Scipio sustinuit.

Sed ad rem aggrediamur.

I. *Si codices, unde opus fuit erutum, in suspicionem venire possint, opus itidem ceu dubium habeto.*

Et sane regulam hanc et praescripsere plurimi criticae artis magistri, ut Ioannes Clericus [1]) in arte critica auctor lectionis PP. plurimique adhibuere viri criticae artis apprime periti [2]). Nam Guilielmus Cave opinatur, *capitula, sive praeteritorum sedis apostolicae episcoporum auctoritates: de gratia, et libero voluntatis arbitrio* [3]), Quesnellum perperam tribuisse Leoni I. R. P. quia id fecit *nullo veterum testimonio, nulla vetusti codicis fide suffultus.* Praeterea Natalis Alexander nonne affirmavit *Eusebium, S. Ephrem, ceterosque Edessenae ecclesiae annales, et monumenta satis non expendisse* [4]), ut iisdem credere debeamus Christi ad Abagarum, et Abagari ad Christum epistolas autographas esse? Fedytus quoque nonne reiecit historiam S. Amabilis a Baileto conscriptam ob id solum, quod ex eo codice hausta fuit, qui iure optimo in suspicionem vocari debet [5])? Ita reiecit Tillemontius opinionem de Barnabae martyrio, quia nititur una Alexandri monachi historia, quem sane multa alia peccasse deprehendit [6]). Ita Senjoure veluti multi arbitrantur Simeon [7]), quidquid Bernardus de Montfaucon, Maurinus in Diario Italico affirmat, in dubium vertit ob id unum, quod erravisse illum ait in codicis alicuius antiquitate rimanda, qui exstat Lutetiae Parisiorum publica in bibliotheca societatis Iesu. Ita Turnebius Petrum Victorium satis digna commendatione extollit potissimum quia in explicanda codicum antiquitate diligentissimus fuit [8]), adeo ut quos antiquos esse dubitavit, eosdem iudicio hominum critico tradiderit. Idem praescripsit Rivetus ex Andreae Hyperii sententia [9]). Idem tenuit auctor disquisitionis in opera Dionysio Areopagitae tributa. Ergo si codices, unde opus erutum est, in suspicionem venire queant, opus itidem ceu dubium habendum erit [10]).

Porro autem Maffeius multiplici ratione ostendit, *catenas,* unde depromta sunt fragmenta s. Irenaeo adscripta, in suspicionem posse venire. Et primo quidem ex eo, quod generatim catenarum fides dubia sit, ut apparet ex Corderiana, quam multa peccasse certum est, veluti quum Theodoretum appellat, ubi Theodorus erat vocandus, quum Basilii textum quendam laudat, quem ex verbis siquidem, sed collectis omniquaque tanquam ex frustulis compositum fuisse, ratum est. Quae autem hic citantur veluti a s. Ioanne Chrysostomo excerpta, ab iis procul dubio, qui Chrysostomi editionem curarunt in censum falsarum rerum fuere amandata. Sed non errant solum catenae in auctoribus nominandis, errant multo magis in verbis afferendis auctorum, ut ex eadem Corde-

1) Tom. 2. part. 3. 2) Part. 2. 3) Proleg. sect. 5. 4) Secul. I. Dissert. 3. 5) Lett. 3. à. M. Turgot pr. Novemb. 6) S. Bar. Not. 7) Biblioth. Crit. p. 179. 8) Idem tom. 3. p. 139. 9) Lib. 4. cap. 9. et cap. 14. 10) Gior. 1708.

riana apparet. Verum quid multa commemoro? Scipio namque id ostendit adeo certe, ut Pfaffius iisdem refragari minime potuerit. Velim autem unusquispiam ita existimet barbaris seculis vel ut aiunt *sequiori aetate* monachos catenas hasce elucubravisse: quae autem factae sunt collectiones ex pluribus ss. PP. dictis gravibus et cedro dignis, sunt catenis siquidem recentiores, atque ad exemplar illarum factae scholastico seculo, praesertimque concionatorum studiis accommodatae. Quapropter ea PP. ss. opera, quae modo non exstant, tunc quoque amissa erant fere omnia. Unde sanxit doctissimus Massuetus *quae ex catenis proferuntur non usque adeo esse certa, ut fidem statim impetrare debeant* [1]). Ait autem diligentissimus Pfaffius *fidem ad nauseam usque pertentasse* [2]) codicum illorum ex quibus traxit fragmenta. Bene est. At proferat quaeso exempla aliqua, quibus et nos certi simus nullo pacto in examinandis iis codicibus quasi oscitantem virum alioqui acutissimum erravisse. Nam certe collectiones huiusmodi sive ex interpretationibus PP. confectae; sive ex selectis quibusdam, et memorabilibus PP. dictis mendosae sunt, et pluribus scatent vitiis, quod de utroque catenarum genere demonstrarunt Possinus, Peltanus, aliique [3]): potissimum vero de collectione altera scilicet ex PP. dictis confecta ostendit Bernardus Pezius in dissertatione isagogica ad thesaurum anecdotorum novissimum, quod tamen potest unusquique vel per se ex operibus anecdotis apud Sirmondum commode explorare. Sed novit id quoque Pfaffius, qui aliquando catenas, aliquando collectiones codices illos, unde fragmenta eruit, quae in controversiam vocamus, consuevit promiscue appellare. Igitur non inconcinne Maffeius horum fragmentorum *αὐθεντίαν* vertit in dubium.

Secundo loco satis probari non posse, satis autem dubitari posse existimavit Scipio, sintne s. Irenaeo frustula isthaec adscribenda, ex eo nimirum, quod nomen inscriptum habent Irenaei sine consueto additamento illo *episcopi Lugdunensis,* praesertim quum multi floruerint Irenaei. Quod certe Pfaffius, sequentis canonis veritatem sine ira et studio perpendere si voluerit, ingenue fatebitur.

II. *Codicem MS., nomen qui prae se fert scriptoribus multis commune, nisi aliud suppetat argumentum, ex solo nomine huic aut alteri ne tribuito.*

Veritas autem huius canonis quamvis ipsa pateat per se, confirmari etiam, variisque exemplis illustrari potest. Nam affirmat Gennadius [4]) librum *de Ordinatione episcopi*, quem Petronius Theodosio adhuc regnante scripsit, a nonnullis non Petronio filio episcopo Bononiensi, sed Petronio patri, qui consulatum cum Arcadio gessit, propter nominis certe similitudinem falso adscriptum fuisse. Ita libros quinque *adversus Nestorium, et Eutychen pro defensione synodi Chalcedonensis* Vigilii Tapsensis, sive Tapsitani animadvertit Cave *sub Vigilii Tridentini nomine aliquoties prodiisse* [5]): quod nimirum qui editionem curarunt horum librorum nominis similitudine decepti sunt. Ita librum *contra Eutychen et Nesto-*

1) In fragm. s. Iren. 2) In praefat. ad ead. fragm. Hag. Comit. 3) Fabric. Biblioth. Graeca Tom. 7. 4) De Script. cap. 42. 5) Secul. Nestoriano.

rium de duabus in Christo naturis sunt adhuc nonnulli, qui tribuunt Gelasio Cyziceno, alii Gelasio Caesariensi, alii tandem ipsi Gelasio R. P.[1]). Sexcenta autem exempla afferre possem ad hanc rem illustrandam, confirmandamque: unum tamen illud sit instar omnium, quod ex libro Lactantii de ira Dei, qui ad Donatum quendam scriptus fuit, desumitur. Ut enim recte animadvertit Betuleius, quum Donati fuerint plures Lactantii temporibus, quisnam Donatus ille sit, *cui liber hic nuncupatur, divinari magis quam sciri potest*[2]): non enim fit verisimile fuisse hunc Donatum haereticum, qui sectatores suos voluit ex se habere vocabulum, quique ea aetate vixit, qua vixit Lactantius, ut apparet ex Hieronymi catalogo, et ex chronico Eusebii. Floruit etiam Donatus alter post Maiorinum in episcopatu Carthaginensi, qui fortasse Lactantii discipulus fuit. Quotus autem quisque est, qui nesciat, Donatum grammaticum Hieronymi praeceptorem, puer quum esset, audire Lactantium iam senem potuisse huius potissimum libri, quem aetate quasi confectus scripsit, doctrinam explicantem? quibus a Betuleio observatis rem fractus difficultate in medio reliquit. Adeo verum est, ex solo nomine personam indicari sine haesitatione prorsus ulla nequaquam posse.

Quum autem multi fuerint Irenaei, quid est, quod Pfaffius contendit, fragmenta haec, quae purum prae se tulisse Irenaei nomen est in comperto, esse s. Irenaeo Lugdunensi episcopo tribuenda? Fatentur siquidem eruditi homines omnes ad unum praeter Lugdunensem hunc, quo de agimus, floruisse Irenaeum Antiochenum, Irenaeum Tyrium, Irenaeum Syrum, qui omnes nonnihil scripsere. Neque enim ordo in codice servatus facessere nobis negotium potest, quum exploratum non sit quo tempore vixerit Antiochenus, et quamquam id etiam pateret, exploratum certe non est, utrum qui collegit haec PP. dicta memorabilia[3]), errorem habuerit in ordine ullum. Quamobrem Massuetus[4]) diligentissimus ubi nomen tantum invenit *Εἰρηναίου* ea non est ausus tanquam vera admittere, sed veluti dubia notavit. Quod sane fecisset I. B. Cotelerius, nisi quae invenit in codic. reg. Paris. animadvertisset plane doctrina, stilo, verbis concordare cum iis, quae s. Irenaeus scripsit libro v. contra haereses[5]). Qui vero s. Ioannis Chrysostomi esse nonnulla fragmenta solis initialibus litteris inscripta opinati sunt, atque Origenis nonnulla alia, ii siquidem non ex interpretatione litterarum auctoribus suis tribuerunt illa, sed ex stili, doctrinae, morum, rerum gestarum historiae concordia litteras initiales interpretati, deinde Chrysostomo, vel Origeni adscripsere. Iure igitur optimo meritoque dubia haec contemplatus Maffeius, assensionem potius cohibere voluit, quam praecipitatione quadam, vel, ut modestissime loquamur, animi anticipatione, ut Pfaffius fecisse visus est, iudicium et sententiam ferre.

Tertio loco accusat Maffeius perperam Matthaeum fragmenta a se reperta s. Irenaeo tribuisse, hoc certissimo fretus effato, quod criticae artis magistri docent unanimi consensu.

---

1) Cave secul. Nestor. 2) Lactant. opp. Lugd. Batavor. 1660. 3) Cave ibid. 4) In Iren. 5) In not. ad epist. Not. 54. §. 45.

III. *Si diversa fragmentum MS. doceat ab iis, quae docent edita opera et certa, illud tanquam apocryphum reiicito.*

Clericus praescripsit idem in sua arte critica, idem Cave in historia litteraria ubi inquit: *merito νοθεύσεως damnatur liber, quo reperiuntur dogmata iis plane contraria, quae in genuinis operibus verus auctor tradidit* [1]): idem prorsus Sixtus Senensis in bibliotheca sancta [2]): idem in studiis monasticis Mabillonius [3]): idem Dupinus [4]), aliique plurimi. Et re quidem vera Iustini non esse librum ad orthodoxos, contendunt eruditi multi [5]), non alia de caussa, nisi quia Iustinus in dialogo cum Tryphone, quem certissimum esse Iustini opus hactenus, quod sciam, dubitavit nemo, aperte habet *angelum cum Iacobo colloquentem fuisse increatum* [6]): in laudato vero libro non minus aperte docet increatos, Deosque appellari angelos propter aliquod commissum sibi munus, *quo munere obito, desinunt vocari Dii, qui propter functionem aliquam Dei nomen accepere.* Velim autem hic animadvertatur haec inter se contraria non esse, sed solum aliquo pacto diversa, ac talia, ut nullo negotio concordari queant, si increatum, quod primo loco appellat, et Deum ea ratione interpretemur, ut pro obeundo munere ita vocetur, adeo ut munere obito increatum et Deum non amplius appellare possimus. Nonnulli pariter, qui Lutheri scholae nomen dedere, existimant *homiliam de Deipara* non fuisse ab Athanasio confectam, quum in illa profiteatur doctor egregius *Virginem Deiparam esse invocandam,* quod pugnare videtur cum ea doctrina, quam habet in sermonibus adversus Arianos, de quibus, sintne Athanasii opera, dubitare potest nemo: docet autem ibi: *penitus cuivis creaturae illicitum esse creaturam adorare:* et tamen recte haec ponderanti, minime pugnantia apparebunt, sed tantum aliquo modo diversa, quum triplex sit adorationis genus, nempe *Latriae, Duliae* et *Hyperduliae*, quae certe cultus genera toto quidem genere differre possunt, non autem inter se esse pugnantia. Igitur exemplis ab ipsa Pfaffii schola petitis, nisi pessime fallor, meridie clarius ostenditur, fragmentum MS. diversa si doceat ab iis, quae docent opera certa, esse tanquam apocryphum reiiciendum.

Atqui plane diversa reperitur definita cognitio in his fragmentis, atque in libris contra haereses, ubi ait [7]): „Veram cognitionem esse doctrinam apostolorum, et antiquae ecclesiae dogmata, et syntagma ad nos usque episcoporum successione derivatum [8]), quam quidem in iisdem libris vocat veritatis praeconiationem, quae pervenit usque ad nos, et est plenissima haec ostensio unam et eandem esse vivificatricem fidem, quae in ecclesia ab apostolis usque nunc sit conservata, et tradita in veritate.“ Hinc vero cognitionem eandem definit esse, „quae secundum Christum est scientia, quam Paullus appellat sapientiam Dei, in mysterio absconditam, quam animalis homo non capit etc.“ [9]) Quodsi diverso plane modo eandem reapse cognitionem definitam accepimus, cur dubitandum non erit, si libri adversus haereses vere sunt Irenaeo tribuendi, cur inquam dubitandum non erit fragmenta isthaec ab eodem auctore fuisse confecta?

---

1) Tom. 2. par. 3. sect. 2. prolog. sect. 4. reg. 5. 2) Lib. 4. 3) Part. 2. 4) Praef. par. 2. 5) Cave ibid. 6) Quaest. 142. 7) Lib. 4. cap. 27. 8) Lib. 3. cap. 1. 9) Fragm. 1.

Quid si ostendero ita definitas cognitiones non modo alias esse inter se, sed omnino pugnantes? nonne tum confecta res erit? Et tamen si id non populari quadam trutina, sed aurificis statera velimus expendere, nullo negotio apparebit. „Nam veteres haeretici (affero siquidem ipsissima verba Pfaffii) vocabulo γνώσεως eam insignivere scientiam, quae abstrusa de Deo ipsiusque essentia mysteria tradidit ab iis ipsis haud credo intellecta, qui eorum systema confecere. Sed ipsi Gnostici γνῶσιν suam definiebant, teste eodem Irenaeo[1]), sapientiam Dei in mysterio absconditam, quam animalis homo non capit, quum animalis non percipiat, quae sunt spiritus, quod de Demiurgo dictum dicunt, qui quum physicus sit, non cognovit neque matrem spiritalem exsistentem, neque semen eius, neque eos, qui sunt in Pleromate Aeones." Igitur quamvis definitiones huiusmodi in se consideratae diversae tantummodo esse videantur, tamen Gnosticis et Irenaeo plane pugnantes fuere. Itaque incredibile omnino est ad veram scientiam describendam voluisse s. Irenaeum Gnosticorum definitionem adhibere, qui de vera scientiae huius definitione contra illos disserebat. Quid enim in caussa fuit, cur eruditi pleriqne omnes negaverint *homilias in Leviticum* a Cyrillo Alexandrino factas fuisse[2]), nisi hoc ipsum, quod nimirum in homiliis intelligimus formas loquendi adhibitas esse, quibus utebantur Origenistae, quos siquidem scimus Cyrillum studuisse refellere? Ergo si fragmenta a Pfaffio reperta adhibent definitionem, qua utebantur Gnostici, quos confutare in animo habuit s. Irenaeus, non est quare illa eidem auctori adscribamus.

Quin etiam ipse s. Irenaeus[3]) *novae* oblationis, seu sacrificii a Christo Domino instituti mysterium explicans, laudatum textum Malachiae de eucharistia novae legis interpretatur: ait enim „eum, qui ex creatura panis est, accepit, et gratias egit dicens: hoc est corpus meum. Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quae est secundum nos, suum sanguinem confessus est, et novi Testamenti novam docuit oblationem, quam ecclesia ab apostolis accipiens in universo mundo offert Deo, ei, qui alimenta nobis praestat primitias suorum munerum in novo Testamento, de quo in duodecim prophetis Malachias sic praesignificavit: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, et sacrificium non accipiam de manibus vestris. Quoniam ab ortu solis usque ad occasum nomen meum glorificatur inter gentes, et in omni loco incensum offertur nomini meo et sacrificium purum. Quoniam magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus omnipotens:* manifestissime significans per haec, quoniam prior quidem populus cessavit offerre Deo: omni autem loco sacrificium offertur Deo, et hoc purum, nomen autem eius glorificatur in gentibus." Quis autem non videat, quae habentur in Pfaffii fragmentis non solum cum Iustini et Cypriani sententia pugnare, sed pugnare cum vera ac certa doctrina s. Irenaei? Gallaeus[4]) namque ex eo, quod carmen de Phoenice nonnihil continet, quod cum iis pugnare videtur, quae sacrae Litterae de diluvio tradunt, putat Lactantio Christiano non esse adscribendum: Pfaffius vero sancto Irenaeo tribuet, quae non solum opponuntur sententiae PP. antiquissimorum, sed ipsius sancti

1) Lib. 1. cap. 1. 2) Cave in prolegom. sect. reg. 5. 3) Lib. 4. cap. 32.
4) Lactant. Lugd. Batav. Ann. 1660.

Irenaei doctrinae repugnant? Non, si me obsecret, virum eruditum credam id ex animo asseverasse.

Quarto loco recte disseruit Scipio nixus infallibili hoc canone.

IV. *Fragmentum MS. si nominet opus aliquod non tamen tantae vetustatis, quantae fragmentum idem reputatur, antiquissimo auctori, cuius nomen prae se fert, ne tribuito.*

Clericus ita praescripsit universali quadam ratione: nam si liber, inquit, loquitur de rebus, aut de personis, quae exstitere aliquamdiu post auctorem eiusdem libri, scito aut hunc librum perperam illi auctori tribui, aut corruptum fuisse [1]). Idem etiam sanxit Cave: „in quocunque, ait, opere rerum personarumve scriptoris, cuius nomen prae se fert liber, aetate recentiorum occurrit mentio, certissimum est falsitatis indicium [2])." Quibus accinunt Mabillonius in sua *de Studiis monasticis* tractatione [3]), Sculpetus in suis aphorismis *de fructuosa PP. lectione*, demum Sixtus Senensis *in bibliotheca sancta* [4]), aliique plurimi: idque factum videmus ab criticae artis peritis fere quotidie. Cur enim historiam apostolorum, quae nomine Abdiae Babylonii circumfertur, huius auctoris pernegant critici esse opus [5])? Nimirum quia quum fuerit Abdias alter ex septuaginta Christi discipulis, in historia hac laudare non poterat Hegesippum, quem diu post floruisse certum est. Cur de trinitate librum negant eruditi factum a Tertulliano fuisse? Quia scilicet in illo fit mentio de Sabellianis, qui post Tertullianum orti sunt. Cur Arnobio Afro nolunt eruditi commentarios in psalmos ullo pacto adscribi? Quia videlicet Photinum Arnobius non cognovit, qui vixit mortuo Arnobio. Ita Origenis commentarii in Iob, Augustini liber de Spiritu et Anima, aliaque multa reiiciuntur ceu apocrypha [6]), quandoquidem nomina in illis commemorantur hominum, qui auctoribus, quibus tribuuntur, incognita prorsus fuere.

Atqui in secundo fragmento fit mentio de Constitutionibus apostolicis, quae certe temporibus Irenaei non exstabant, igitur fateamur oportet huiusmodi fragmentum falso s. Irenaeo fuisse adscriptum. Vis huius criticae demonstrationis tota quanta est in ipsa assumtione est collocata. Quod quidem Maffeius optime perpendens totus fuit in eius veritate ostendenda. Idque, aut ego turpiter erro, invictissime praestitit. Nam primo loco certum ratumque cum Pfaffio habet, quae nunc nomine apostolorum circumferuntur regulae, nec apostolorum esse nec a s. Clemente R. P. fuisse collectas: immo Irenaei temporibus nullos exstitisse apostolorum canones ex eo potissimum colligimus, quod alto silentio et arcani disciplina religionis mysteria Christiani antiquae ecclesiae custodire consueverant [7]), rati si ad profanorum notitiam pervenissent, fore ut eadem derisui haberent et ioco. Unde scimus noluisse propterea Sozomenum historiae suae symbolum Nicaenum inserere, ne scilicet ad manus pervenisset eorum, *qui non sunt initiati*. Deinde si exstitissent tunc scriptae traditiones, profecto ad eas potius provocavisset s. Irenaeus, quam ad

1) Art. crit. tom. 2. part. 3. 2) Proleg. sect. 4. regul. 1. 3) Part. 2. c. 13. 4) Part. 1. Lib. 4. 5) Tillemont. in not. 6) Apud P. Honorat. a sancta Marin. 7) Skelestr. de discipl. arc.

minime scriptas, seu *orales*, ut aiunt, quum uberiori validiorique momento, quae scripta sunt, esse queant, quam quae voce efferuntur, ut pluries s. Augustinus ostendit contra Donatistas. Porro s. Irenaeus nunquam ad scriptas traditiones confugit, tametsi illi id saepe facere occurrit; sed solum ad non scriptas, ut in libris contra haereses provocat ad traditionem, *quae est ab apostolis, quae per successiones presbyterorum in ecclesiis custoditur* [1]), et paullo post inquit, *traditionem itaque apostolorum in toto mundo manifestatam in omni ecclesia adest perspicere omnibus, qui vera velint videre, et habemus annumerare eos, qui ab apostolis instituti sunt episcopi in ecclesiis, et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt* [2]). Et alio in loco ait: *quemadmodum audivi a quodam presbytero, qui audierat ab his, qui apostolos viderant* [3]). Ergo si apparet in fragmento auctorem in medium vocare constitutiones apostolorum, quae minime exstabant Irenaei temporibus, non est dicendum s. Irenaeum huius fragmenti esse auctorem.

Constat autem, quod secundo loco ostendit Scipio, nomine constitutionum apostolicarum venire hic apostolicas, quas habemus constitutiones; ex eo nimirum, quod Irenaeus non est usus voce *διδαχὴ* ad constitutiones significandas, qua voce contendunt aliqui *expositionem suam doctrinae Christianae* Barnabam vocavisse; item Polycarpus suam: neque Irenaeus dixit illas *ἀποστολικὴ παράδοσις*, quo vocabulo Hippolytus usus est: nec adhibuit verbum *διδασκαλία*, quod multi iisdem temporibus adhibuerunt, sed eas nominavit *διατάξεις*, quod vocabulum ad collectiones significandas constitutionum apostolicarum scimus primum invexisse Epiphanium quarto seculo ad constitutiones, inquam, indicandas adhuc superstites, quae apostolis tributae fuere. Nam certe Paulus [4]) etsi *διατάξεις* appellavit constitutiones non scribendas, scimus tamen neminem post Paulum id fecisse, qui tamen occasionem dedit, ut constitutiones huiusmodi orirentur; inquit enim Grotius in hunc apostoli textum: *haec origo est canonum, qui dicuntur apostolici, qui ab ipsis non quidem scripti, sed in unum introducti fuere* [5]). Restat igitur ante Epiphanium neminem vocavisse constitutiones apostolorum cum scriptas, tum non scriptas *διατάξεις*, qui semper scriptas eodem nomine vocare consuevit, nec mihi universum Epiphanii opus lustranti occurrit nomen aliud, quo illas appellaverit, quum bis eas commemoret eodem libro, eodemque capite, ubi ait: *Audiani vero ad institutum suum quandam ex apostolorum constitutione auctoritatem accommodant:* et post nonnulla pergit: *etenim apostoli in illa constitutione ita definiunt etc.* [6]) utroque autem in loco adhibet vocabulum *διαταξεων*. Ergo si idem nomen adhibet fragmentum, easdem oportet voluerit indicare constitutiones, quas ea loquendi ratione Epiphanius significavit: eo vel magis, quod fragmenti auctor ad postremas provocat constitutiones, in traditis vero et minime scriptis constitutionibus, nullam priorem dici posse, nullam posteriorem, vident omnes, qui sane vident traditiones omnes ab apostolis manasse, ac propterea si difficile fuit easdem integras inviolatasque servare, difficillimum prorsus esse debuit, adeo ut fieri nullo pacto potuerit, ut ser-

1) Lib. 3. cap. 2. 2) Lib. 3. cap. 3. 3) Lib. 4. cap. 27. 4) 1. ad Corinth. cap. 11. vers. 34. 5) Apud Critic. Sacr. 6) Lib 3. cap. 10.

varetur ordo, quo ab apostolis veluti a perenni vena fluxere, quum multi viventes vigentesque apostolorum temporibus hunc ordinem citra omnem culpam ignorare potuerint. Veruntamen clarius id effici etiam potest ea coniectura, quam praeclare attulit Maffeius, qui non immerito suspicatur fragmenti auctorem ad postremas constitutiones appellantem praescripta ea voluisse indicare, quae libro octavo continentur collectionis ejus, quae exstat, qui sane liber est omnium postremus, ac nonnihil continet eorum, immo ipsissima verba habet, quae itidem fragmentum hoc loci habet. Quod si ita esset, consequeretur fragmenta isthaec multo recentius facta fuisse: quandoquidem liber octavus constitutionum apostolicarum fuit collectioni illi recenter additus, quum non reperiatur liber hic in codice Londinensi MS., qui omnium antiquissimus habetur, ut Grabe nunquam dissimulavit fateri [1]).

Praeter isthaec nonnihil etiam in secundo fragmento reperire est, quod plane pugnare cum certa s. Irenaei doctrina ipsum vel per se legenti patebit. Urget autem hoc argumentum Maffeius tanta vi, ut difficile sit vim eius eludere. Nam fragmentum alterum principio statim haec habet „Qui ultimas apostolorum constitutiones assecuti sunt, ii norunt Dominum in novo Testamento novam instituisse oblationem secundum dictum Malachiae prophetae. Propterea *ab ortu solis usque ad occasum nomen meum glorificatum est in gentibus, et in omni loco suffitus offertur nomini meo, et victima munda,* uti et Ioannes in apocalypsi dicit: *suffitus sunt preces ss.* et Paulus hortatur: *ut sistamus corpora nostra victimam viventem, sanctam, beneplacitam Deo rationalem cultum nostrum.* Et rursus: *afferamus victimam laudis, hoc est fructus labiorum etc.*“ Sed *suffitus,* de quo Ioannes in apocalypsi commemorat, nihil est aliud, nisi *preces ss.* ipso quoque Pfaffio fatente; itemque Pauli *victimam laudis* ipsas esse Christianorum preces, in comperto est apud omnes. Igitur *suffitus* quoque, et *victima* Malachiae accipiatur hoc loci oportet, ceu Ioannis *suffitus* et *victima* Pauli, ac proinde nihil quicquam significent nisi preces ss., Christianorumque hominum, necesse est. Sed hoc pugnat cum doctrina ss. PP. trium priorum ecclesiae seculorum, qui hunc Malachiae textum non de precibus, sed de ipsa novae legis *eucharistia* interpretati sunt, ut apparet ex Iustino, qui de hisce prophetae verbis loquens, inquit: *loquitur propheta de sacrificiis ubique Deo oblatis a nobis, nequaquam Iudaeis* [2]): atque ex Cypriano, qui de eodem *suffitu* Malachiae agens, loquitur in haec verba: *Nam si Iesus Christus Dominus, et Deus noster ipse est sacerdos Dei Patris, et sacrificium Deo Patri primus obtulit, et fieri in sui commemorationem praecepit, utique ille sacerdos vice Christi vere fungitur, qui id, quod Christus fecit, imitatur etc.* [3])

Quinto loco opponit Maffeius Pfaffii sententiae, quod ex vocabulis novis, aut ex nova veteris vocabuli significatione sumtum est, nititurque certissima hac criticae artis regula.

V. *Fragmentum MS. quod voces adhibet novas, vel non ea significa-*

---

1) Spicil. PP. sect. 1. 2) Dial. cum Tryphon. 3) Epist. 3.

tione, qua alicuius seculi auctores adhibuerunt, auctori seculi eiusdem ne adscribito.

Guilielmus Cave huius canonis vi proscribit epistolas, quas vocant decretales, in quibus inquit [1]) „nullo loco *primatum patriarcharum, metropolitanorum, archiepiscoporum, apocrisiariorum, patriciorum comitum litterarum Sormatarum etc.* nomina, de quibus prima ecclesiae Christianae secula ne per somnium quidem cogitabant, se nobis offerunt. Hac etiam regula liturgiis et constitutionibus apostolicis detrahitur larva; in quibus *pontifices, patriarchae, archiepiscopi, monachi cum suis subdiaconis lectoribus; thymiamata, diptycha, trisagium, Alleluia, altaria etc.* toties occurrunt, seculo apostolico aeque ac novus orbis penitus incognita. S. Ioannis vitam Prochoro eius discipulo longe esse recentiorem satis arguunt voce *ὁμοουσίου τριάδος Ὑποστάσεως;* non minus, quam Nicodemi evangelium, sacrae *Trinitatis, et peccati originalis* vocabula post non unum demum seculum in ecclesiasticum loquendi usum introducta.“ Hactenus Cave. Tillemontius itidem liturgiam, quae Iacobi nomine circumfertur, non esse huius apostoli probat [2]), quia vocabulum in eadem reperitur *ὁμοούσιον* primo a PP. in Niceno concilio inventum contra Arium. Igitur ratum habuerunt non esse ea opera antiquo auctori adscribenda, quae nova, vel novae significationis vocabula adhibent. Sed id accidit in hisce Pfaffii fragmentis, quae voci *ἀντιτύπων* novam significationem tribuunt: praetereaque quandam Spiritus Sancti *ἐπίκλησιν* commemorant plane novam temporibus s. Irenaei. Nam *ἀντίτυπον* scimus apud Graecos significavisse typum, vel rem typo respondentem, Pfaffio si credimus, veruntamen ad significandam eucharistiam apud ecclesiasticos auctores in usu fuisse ante quartum seculum ignotum est, ut ipse quoque Pfaffius fidem facit, qui in notis ad secundum fragmentum varia de huiusce vocabuli significatione explanat, prout varie a variis fuit adhibitum. Ceterum ii omnes, qui de invocatione aliqua sermonem habuerunt, eam fieri nequaquam dixerunt unius Spiritus sancti, sed universae *τριάδος,* ut Cyrillus Hierosolymitanus testatur [3]), testaturque Irenaeus suorum temporum fuisse solitum fieri *ἐπίκλησιν τοῦ Θεοῦ,* non vero Spiritus sancti. Non inficior autem Cyprianum invocationem quandam commemoravisse, cuius formam satis non explicuit, quamque etsi non *contemnibilem* dixit, a muliere tamen haeretica factam fuisse asseveravit [4]). Quod sane miratus non esset, si huiusmodi invocatio temporibus suis fuisset in usu. Ad Marcum autem, ad Theodotum et ad Maximum quod attinet, nondum ostendit Pfaffius horum aliquem vixisse aetate s. Irenaei, quod sane summa confidentia dicimus ostensurum nunquam. Praeterquam quod non apparet utrum huiusmodi invocatio fieri consueverit ante oblationem, quod fere in omnibus liturgiis, quae aliquam vetustatis speciem habent, fieri solitum fuisse ex Eusebii Renaudotii liturgiarum collectione videre possumus, vel post oblationem ipsam, quemadmodum hoc fragmentum innuit. Verum Iustinum martyrem ne verbum quidem unum dicere de hac Spiritus sancti invocatione, qui tamen graphice liturgiam illorum

1) Proleg. sect. 4. regul. 5. 2) In not. ad Iacob. vis. 3) Cat. Myst. 1. 4) Lib. 3. c. 13. Epist. 75.

temporum descripsit, non minimo argumento esse debet aetate s. Irenaei in more positam non fuisse. Ibi namque Iustinum totius ecclesiae liturgiam tradere voluisse ex ipsis verbis vel clarissime eruitur, quum illam vocare consueverit semper liturgiam ecclesiae, non quidem Graecae, non Latinae, sed universim ecclesiae, ac propterea oratione ibi plures indicaverit spectantes ad ecclesiam universam. Huius autem Spiritus Sancti invocationis oblitum esse Iustinum, vel data opera omisisse quis dixerit? Diligentissimus siquidem fuit etiam in frustulis, ut ita dicam, colligendis, neque obstare quidquam potuerit, quominus inter alia hanc quoque recenseret invocationem, quod de verbis consecrationis fieri prohibebat arcani disciplina, qua Basilio [1]) teste verba consecrationis studiose custodiebantur.

Quae quidem quum Pfaffius recte perpendisset, ut aliquo pacto sententiam suam tueri posset, ad hanc arcani disciplinam provocat, nullum esse argumentum affirmans ab silentio petitum auctorum praesertim primi, secundi, et tertii ecclesiae seculi. Utinam, inquit Maffeius, id ex animo Pfaffius diceret: hac siquidem in re quid vult perpeti possemus. Non est tamen cur dicamus momentum ex silentio depromtum auctorum vetustissimorum nullius ponderis esse. Etenim non alia ratione probat Dupinus [2]) opus de *felici Timothei passione* esse apocryphum, nisi momento ex antiquissimorum auctorum silentio petito. Ita reiecit Tillemontius [3]) ob silentium antiquorum *acta s. Balbinae, et s. Philippi apostoli.* Quod itidem Dupinus praestitit in *acta* s. Andreae. Item P. Natalis Alexander [4]) repudiavit ob eandem rationem *epistolam* s. Martialis. Blondellus autem et Dallaeus nonne reiiciunt *s. Ignatii litteras* propter PP. hac de re silentium, qui Eusebium praecesserunt? Basnagius [5]) porro, qui huius argumenti vim omniquaque perpendit, quique non facile credidit argumento *negativo,* ut scholae loquuntur, nonnunquam tamen illo usus est ad ostendendum Areopagitam Dionysium Galliam vidisse nunquam, quod, ut ipse ait, ante Fortunatum dixit nemo; non sit autem credibile sexcentorum annorum spatio id homines ignoravisse. Praeterea Cave *Symbolum s. Athanasii* velut opus s. Athanasii repudiat, non alia prorsus ratione, nisi „quod nec ipse Athanasius, nec sequentium seculorum scriptor aliquis ante Theodulfum Aurelianensem libro de Spiritu Sancto pag. 72. eius meminerit, nec in ecclesiis ante annum millesimum obtinuerit, neque ubi inclarescere coeperit, donec a Gregorii IX. legatis circa annum MCCXXXIII. in disputatione Constantinopoli habita sub Athanasii nomine testimonii loco prolatum fuerit [6])." Ergo si Iustinus nec *ἀντίτυπον* commemoravit, nec *ἐπίκλησιν,* qui diligentissime liturgiam universalis ecclesiae explicuit, quae sane nomina non fuisse in canonem invecta ante quartum seculum scimus, plane incredibile fit s. Irenaeum horum fragmentorum auctorem esse, in quibus nova haec verba habentur.

Sexto loco exagitat Maffeius Pfaffii fragmenta, falsoque ait Irenaeo tribui ex iis, quae falso narrant, quaeque opponuntur illis, quae vere ab Irenaeo scripta fuerunt, ductus potissimum huius regulae veritate.

---

1) De Spir. c. 27. 2) Biblioth. tom. 1. 3) Not. in Philipp. 4) Tom. 2. sec. 1. 5) Apud P. Honor. a s. Mar. 115. tom. 1. 6) Sec. Arian. in Athanas.

VI. *Si opus aut falsam historiam contineat, aut opposita nonnulla iis, quae dubia non sunt, illud veluti apocryphum repudiato.*

Huius canonis veritate fultus repudiavit propterea Baronius [1]) *acta* Theclae, quae hodie supersunt. Itemque Cave libros duos, qui *de passione Petri et Pauli* sub Lini nomine circumferuntur, in quibus, inquit, tot *incerta, falsa, frivola* narrantur [2]): Iacobi *Proto-Evangelium:* libellum de *nativitate s. Mariae* inter Hieronymi opera repertum: Melithonis Sardensis librum de *transitu etc.* historiam de *passione imaginis Christi in Beryto* inter s. Athanasii opera recensitam, et alia eiusmodi.

Verum in fragmentis hisce commemorantur nonnullae *disceptationes et schismata,* quibus illorum temporum Christiani *abiiciebant fidem, et caritatem*, quae certe schismata non legimus secuta s. Irenaei aetate, sed ex eiusdem epistola ad Victorem R. P. colligere vel optime possumus de paschate disceptasse inter se tum temporis Christianos, salva tamen unitate ecclesiae, et mutua caritate, quum nullum monumentum certum exsistat, quo evincamus Victorem R. P. ecclesias a se discrepantes in paschatis celebratione damnasse. Nam Eusebii testimonio a Baronio [3]) laudato opponimus testimonium Sozomeni, qui ait „et hae quidem fuerunt in huius festi observatione discrepantiae. Porro exortam olim controversiam sapientissime dissolvisse mihi videtur Victor tunc temporis Romanorum episcopus etc. Polycarpus Smyrnensis (alii legunt *Polycarates*). Nam quoniam Occidentales episcopi traditionem Pauli et Petri abrogandam non esse censebant, Asiani vero Ioannem evangelistam sequi se velle affirmabant, ex communi consilio placuit, singuli festum prout consueverant celebrantes a mutua inter se communione nequaquam discederent.“ Haec Sozomenus: ex quibus liquido apparet non fuisse dissidentes ecclesias a Victore damnatas. Eusebium autem minime sequendum esse in re hac, ipse demonstrat Eusebius, qui ait, infectam pacem a Victore fuisse, deinde ab eodem restitutam *suggestione Irenaei.* At Irenaeus in sua ad Victorem epistola ne verbum quidem unum habet de damnatione secuta, sed multa habet, ut pontificem r. hortetur, ne scilicet ad damnationem descendat: hortatio autem non est de re gesta, sed de gerenda re. Porro autem quum acciderint isthaec anno Christi CLXXXXVI. facile unusquisque vel per se coniicere potest, hanc epistolam scripsisse Irenaeum iam senem, quumque nec appareat post hanc controversiam iisdem temporibus quidquam, quod iurgii caussa esse potuerit, intelligimus, s. Irenaeum nisi de hac non fuisse locutum. Accedit, quod etiamsi haec, quae adduximus, dubia essent et non certa, sufficerent tamen ad Maffei dubium de auctore horum fragmentorum confirmandum, quatenus iisdem utitur Pfaffius ad tuendam sententiam suam; ratumque apud omnes habeatur, quae dubia sunt certam fidem facere non posse. Quid quod horum fragmentorum auctor videtur ieiunia et festos dies parvi pendere, adeo ut suspicari Maffeius non iniuria potuerit a Novatianorum peste non fuisse prorsus immunem? Credibilene est haec Irenaeum peccasse, qui Christianorum ieiunia et dies festos passim commendare non desinit [4])?

1) In not. ad Martyr. 23. Septemb. 2) Proleg. sect. 4. reg. 3. 3) Apud Pag. secul. 2. 4) Lib. 1. cap. 1.

Ergo fateatur ingenuus Pfaffius oportet perperam ista fragmenta s. Irenaeo tribuisse.

Septimo loco Scipionem nostrum sectantes ad calcem tandem venimus, atque ad celebratissimum argumentum a stilo petitum, capitale siquidem in operibus auctorum discernendis, quodque vim habere absolutissimae demonstrationis unanimi consensu criticae artis magistri docent. Quamquam autem fragmenta isthaec frustula quaedam esse videantur adeo parva, ut ex iisdem stili rationem et formam depromere difficillimum plane sit, ut recte animadvertit Maffeius: nihilo tamen secius si recte examinentur, comparenturque cum illis, quae certo a s. Irenaeo scripta fuere, sufficere posse remur ad diiudicandum de illis. Quod antequam facimus, sit haec regula demonstrationis huius fundamentum, quam exprimere volumus ipsissimis verbis Guilielmi Cave [1]).

VII. *Stilus totiusque orationis contextus longe diversus ab eo dicendi charactere, quo in genuinis suis usus est auctor, manifestum praebet suppositionis argumentum.*

Longum esset ostendere huius canonis usum apud Eusebium, Hieronymum, Gennadium, Photium, ceterosque cum veteres, tum recentiores, quos hic brevitatis caussa omittendos esse duximus. „Orta olim, inquit Cave, de Cypriani sententia circa baptismum haereticorum controversia quum nonnulli epistolas eius hac de re confictas clamitarent, eas Cypriani esse ex sermonis textura diiudicavit Augustinus [2]), eo quod *stilus eius*, inquit, *habet quandam propriam faciem*, qua possit agnosci. Ita Allatius *Graecorum*, ut loquitur Cave, *hoc seculo* [3]) *longe doctissimus ex phrasi, elocutione, ceterisque dicendi formulis*, orationem de Simeone et Anna seniori Methodio vindicavit. Ita Natalis Alexander ex *stilo nitidiore* iudicat de trinitate librum falso fuisse Tertulliano tributum etc. [4])

Verum stilus s. Irenaei simplex est atque rudiori plebeculae accommodatus, quod sine temeritatis nota dicere possumus, quum ipse de se, deque stilo suo scripserit Irenaeus [5]): „Non autem exquires a nobis, qui apud Celtas commoramur, et in barbarum sermonem plerumque avocamur, orationis artem, quam non didicimus, neque vim conscriptoris, quam non affectavimus, neque ornamentum verborum, neque suadelam, quam nescimus, sed simpliciter, et vere, et idiotice ea, quae tibi cum dilectione scripta sunt, cum dilectione percipies.“ Ceterum subtiliter et egregie tractavisse Irenaeum, quod susceperat argumentum, atque in difficili Aeonum scientia et abstrusa apprime fuisse versatum, certum est. Quod Hieronymus [6]) ponderans Irenaei sermonem *doctissimum* appellavit, et *eloquentissimum* propter res nimirum tractatas, quae testimonio Demetrii Phalerei et Dionysii Longini ad eloquentiam maxime faciunt, non autem propter verba. Unde de ecclesiae doctoris stilo verba faciens Cyprianus loquitur in hanc sententiam: *quum de Deo vox est vocis sinceritas, non eloquentiae viribus nititur, sed rebus* [7]). A quo ne transversum quidem unguem discedit Augustinus, qui eadem de re agens

1) Proleg. sect. 4. reg. 4. 2) Ad Vincent. epist. 48. 3) Secul. 3. 4) Tom. 3. 5) Lib. 1. advers. haer. in prooemio. 6) Epistol. ad Theod. Vid. 7) Ad Donat. epist.

inquit: *Agat doctor quantum potest intelligenter, ut libenter, ut obedienter audiatur: et haec se posse pietate magis orationum, quam oratorum facultate non dubitet, ut orando pro se ac pro illis, quos est allocutus, sit orator, antequam doctor* [1]).

Porro autem stilus horum fragmentorum non est simplex ipso fatente Pfaffio, sed elegans, ut apparet ex ἴσασι frequentia, fortasse in usu apud alios PP. sed nusquam apud Irenaeum. Imo apparet omnino ab stilo Irenaei ferme diversus, qui utpote simplex non redundat neque in verborum copia, neque in copia textuum scripturae, quum in libris contra haereses eas unice laudet scripturas, quae sibi facere posse visae sunt ad Valentinianos refellendos. Quae sane oeconomia in adhibendis scripturis sanctis potissimum N. T. illorum temporum auctoribus communis fuit. Verum de stilo horum fragmentorum dicere possumus, quod de stilo s. Bernardi scripsit Sixtus Senensis, approbavitque Mabillonius in haec verba. „Quantum doctor sanctus in scripturae sacrae lectione versatus fuerit, ubique clamant eius scripta, quae nihil aliud, quam centones divinorum voluminum, ut Sixti Senensis verbis utar, dici possunt, quippe undecunque veteris ac novi testamenti sententiis ita distincta, ceu gemmeis emblematibus, hisce adeo commode et apte insertis, ut ibi nata esse credantur [2])." Quae sane legenti fragmenta haec de eorundem stilo dici posse patebit. Ergo certissime concludendum erit etiam ex comparatione utriusque stili, fragmenta Pfaffii non esse tribuenda s. Irenaeo.

Supersunt deinde rationes aliae a Maffeio eruditissime adductae contra Pfaffium, quas si per tempus licuerit postea examinare in animo habemus. Interea parva haec pro defensione viri doctissimi concivis mei, et adversus eruditum virum transalpinum aequi bonique facito. Non enim livore aliquo animi id sum aggressus, sed unico studio veritatis. Volui autem fulciri potissimum illorum hominum auctoritate, qui contra religionem Romanam pugnarunt, utpote quos Pfaffium nihili facere mihi suadere non potui; non quod gravissimis religionis nostrae viris destituerer. Utrum autem rem gesserim pro dignitate ut decebat, tuum iudicium esto. Vale, et me, quod facis, ama.

1) De doctrin. Christ. lib. 4. cap. 5. 2) In Praefat. ad Opera s. Bernardi.

VI.

PRAESTANTISSIMO VIRO

FRANCISCO ROTAE

MONACHO S. GEORGII ORDINIS S. BENEDICTI

FR. FRANCISCUS MARIA LEONI M. C.

S. P. D.

Quod veteribus Romanis in more positum fuit, ut si hostes suos intelligerent arma in rempublicam iacere velle, eos statim aggrederentur, ne armorum insolentia, neve copia omniquaque collecta audaciores facti et maiora pertentare possent, et iisdem repellere conantibus facilius resistere, simile in theologicis quibusdam quaestionibus cuperem vigeret adhuc commendabile institutum, ut maiorum nostrorum clarissimis exemplis permoti contra Romanam religionem nonnihil moliri ab infensissimis adversariis eius cognoscimus, statim inquam refellere nervis omnibus conaremur. Hoc namque praestitum si fuisset, minime haberent illi, unde sibi blandiri possent, atque auctores suos propterea ad caelos extollere „quos ex Romanensibus refutare hactenus nemo, utpote in re tam clara atque evidente aleam certaminis non dubiam saltem, sed et longe periculosissimam subiturus sustinuit[1])." Cursu siquidem temporis factum est, ut eorum scripta magnam creverint in molem, adeo ut nunc eorum confutare falsas captiosasque ratiocinationes opus immensi propemodum laboris videatur. Ipsi vero, quemadmodum mos est eorum, qui iniquam caussam tuentur, ex nostro silentio non leve argumentum ducunt ad errores suos iis saltem hominibus persuadendos, quibus fucum facere facillimum est, quoniam sola specie recti capiuntur. Quod sane quum saepe mecum ipse reputarem, profecto ad hoc studii genus perutile, perque iucundum crebro me impelli sentiebam, quanquam ab eo, quo fungor munere in Patavino gymnasio, quodammodo ad philosophica studia revocatus me, quantum optarem, proficere posse in theologia fere animum despondissem. Faxint superi, ut rem iterum a calce ad carcerem perducere aliquando possimus. Sperare iuvat. Interea mihi temperare non potui, quominus haec producerem ad defensionem viri nobilissimi et de litteris optime meriti Marchionis Maffei contra clarissimum Christophorum Matthaeum Pfaffium, in iis, quae pertinent ad notas in fragmenta s. Irenaeo episcopo Lugdunensi tributa. Id porro egi maximo quo studio potui, operamque dedi ut satis diligentiae possem adhibere. Quamobrem si in his sit, quod minus dignum videatur, non sit aliunde culpa, quam a me ipso repetenda. Laudare etenim eos non soleo, qui

1) Pfaff. in praefat. Hagae Comit.

vel se imparatos, quod per tempus non licuit; vel iussos, cogente viro principe, ad rem aiunt accessisse; satis ex hisce nancisci posse excusationis arbitrantes: quum nemo sit, qui non intelligat adeo reformidandam esse publicam lucem, ut neque angustiae temporis, neque viri principis mandata excusare valeant apud litterariam rempublicam, quae, ita ut fit in rebus aliis, rem hanc semper ab exitu consuevit iudicare. Ego sane non imparatus, non iussus animum ad hanc appuli defensionem, sed eo studio, quod et maxime argumentum decebat, et virum praeterea illum, cuius susceperam defensionem. Res autem utrum habitura sit exitus felices et faustos, tu poteris procul dubio perspicere, qui quum in theologicis rebus sis omnino exercitatus, tum summa potes ingenii vi atque acuta disserendi facultate, eaque indole sublimi, qua patricia gens tua ornata semper fuit, ac non uno loco ostendit. Non enim in epistola hac tuum inscriptum nomen volui, quod crederem, debere te illam aut contra aequos accusatores, aut contra iniquos defendere. Qui enim ita faciunt, sane pueriliter faciunt: quum iniuriosum sit rem haud optimam nomine viri optimi insignitam velle, tanta vero sit vis veritatis, ut patrono nullo possit se ipsa defendere. Quare non alia impulsus ratione ad te scripsi, nisi ut pro ingenuo animo tuo aequus mihi iudex esses, aestimatorque rerum mearum. Ceterum nihil cupio magis, quam ut opus, quod prae manibus habes, perficias naviter, ac tandem aliquando publici iuris facias. Quum enim tanta tibi sit dogmatum sacrorum cognitio, tanta vis disserendi, tanta ubertas orationis, tanta demum rerum omnium copia, ut praestare multis queas, a nemine autem superari: profecto summopere dolendum esset, si aut nihil posteritati relinqueres, aut frustula solum, a quibus nemo vim ingenii tui posset pernoscere, nisi ut ab ungue, quemadmodum proverbio fertur, dignoscitur leo. Scio autem, te totum in contemplatione maximarum rerum esse, atque elucubrationes et meridiationes tuas in magno opere et perutili conficiendo versari. Perge igitur itineribus magnis, atque haec interim, qualiacunque demum sint, aequi bonique facito.

Postquam celeberrimus Scipio Maffeius lucc meridiana, ut aiunt, clarius ostendit fragmenta a Matthaeo Christophoro Pfaffio in bibliotheca Taurinensi reperta non esse s. Irenaeo Lugdunensi episcopo tribuenda; non dubitavit dogmata duo, quae docuerat Pfaffius in notis ad eadem fragmenta, quaeque ab antiquorum PP. placitis minime discordare praedicaverat, ad trutinam revocare, eiusdemque de iis opinationem nervis omnibus refellere. Primum erat de oblatione eucharistica. Alterum de forma consecrationis, de quo postea. Affirmabat itaque Pfaffius neminem ex PP. illis, qui tribus primis ecclesiae seculis floruere, in oblatione eucharistica aliud quidquam offerri credidisse praeter panem et vinum; sed ineunte quarto seculo id in ecclesia credi a Christianis coepisse, atque a PP. praedicari. Quod Maffeius ut cognovit statim est refellere aggressus probe intelligens, hoc fundamento remoto, Lutheri errata illa duo de nullo vero in ecclesia sacrificio deque ecclesia nulla a quarto seculo ad tempora Leonis x. prorsus rimas agere. Id autem Scipio egregie praestitit una epistola, et item altera, quas, ad Pfaffii manus ut pervenere, refutare sategit. Sed quam improsperos res exitus habuerit nunc nobis est in animo demonstrare, qui, expositis Maffei ra-

tionibus, Pfaffii argumenta infirmo talo nixa esse ostendemus. Quod antequam facimus, scholarum more ipsa qua de agitur controversia certis finibus comprehendamus. Id porro ad hunc modum.

Utrum PP., qui primis tribus ecclesiae seculis floruere, offerri in eucharistia solum panem et vinum, an corpus et sanguinem Christi crediderint. Pfaffius negat. Affirmat Maffeius, et hisce, quae sequuntur, rationibus affirmantem tuetur sententiam suam.

I. *Si verba, aut sanctarum Scripturarum, aut PP. ss. communi significatione accipi queant, non debemus ad allegoricam interpretationem confugere.*

Hanc regulam adhibuit Tertullianus [1]), qui postquam plura Scripturarum ss. dicta attulit ad trinitatem demonstrandam, inquit: „Haec aut nega scripta, aut quis es, ut non putes accipienda quemadmodum scripta sunt?“ etc. Item s. Epiphanius qui loquitur in haec verba: divina omnia verba non ad allegorias referenda, sed ut se habent accipienda sunt [2]). Item s. Basilius, qui contra haereticos perperam textum scripturae interpretantes ait „qui non admittentes eorum, quae scripta sunt, sensus communes aquam non aquam dicunt, sed aliam quandam effusionem, et piscem pro arbitrio interpretantur, et repentium creationem, et ferarum, ad propria sensa distrahentes exponunt [3]).“ Hieronymus postea et Augustinus ita frequenter illa usi sunt, ut ille dixerit solum proprias et communes vocum significationes adhibendas esse ad fidem faciendam „et nunquam parabolas, et dubiam aenigmatum intelligentiam posse ad auctoritatem dogmatum proficere [4]): “ hic vero putavit tanti litteralem, ut aiunt, interpretationem valere, ut pueriliter facere dixerit „qui aliquid in allegoria positum pro se interpretantur: nisi habeant et manifesta testimonia, quorum luce illustrentur obscura.“ Sed et Lutherus id fecit, qui neque Zwinglii persuasionibus, neque Calvinistarum hominum litteris induci unquam in eum errorem potuit, ut Christum reapse praesentem minime fieri hostiae consecratae, nec quum Christiano porrigitur, affirmaret. „Nimis id, inquit, certum faciunt verba illa, *Hoc est corpus meum,* quae nisi litteraliter interpretentur, actum est de scripturis [5]).“ Non video autem, cur Christiani ad unum omnes monitum, quod supra posuimus, ad amussim sequi et amplecti non debeant, quum Christiani omnes, hoc est Lutherani quoque, et Calviniani Origenis *περὶ ἀρχῶν* unanimi consensu damnent, non alia de caussa, nisi quia ibi Origenes ab usitata verborum significatione discedens, ita sit Scripturas interpretatus, ut hac ratione unusquisque haereticus commentis suis fidem ex Scripturae sanctae sententiis captare queat. Quodsi haec regula servanda est in interpretatione sacrarum litterarum, quarum multiplicem esse sensum in confesso est apud omnes, quanto vero magis erit servanda in PP. interpretatione, qui certe aut nunquam, aut raro verborum involucris res abscondere voluerunt? Quapropter si PP. de oblatione eucharistica corporis et sanguinis Christi ante quartum seculum locuti sunt, atque in operibus ea commemorarunt, quae contra haereticos elu-

1) Contra Praxeam. 2) Haeres. 61. 3) Homil. 9. in Hexameron. 4) In Matth. c. 13. v. 33. 5) Apud Philipp. Melanch.

cubrata certe procedere omni cum perspicuitate debebant, aut in sermonibus, qui quum essent ad instruendum facti, profecto obscuri esse non poterant, non video cur non sint a Pfaffio manus dandae, fatendumque PP. ante quartum seculum et ecclesiam oblationem habuisse eucharisticam corporis Christi et sanguinis, et non solius panis et vini.

Sed re vera eucharistica oblatio cum nova oblatio appellata est, tum etiam quod in ea consuevit offerri victimae nomine vocatum fuit a s. Irenaeo, qui adversus haereses inquit, „et novi Testamenti novam docuit oblationem, quam ecclesia ab apostolis accipiens in universo mundo offert Deo [1]),“ et alio in loco: „igitur ecclesiae oblatio, quam Dominus docuit offerre in universo mundo, purum sacrificium reputatum est [2]) etc.“ quod certe non dixisset Irenaeus, nisi putasset victimam in illo immolari, quandoquidem oblationem a sacrificio distinxit, ut apparet ex universo capite sequenti, ubi habet: „munera autem, et oblationes, et sacrificia omnia in typo populus accepit, etc. [3])“ et ubi ostendit sacrificia Iudaeorum imagines fuisse nostrorum sacrificiorum: nostra autem sacrificia imagines esse *spiritalium*, et *supercaelestium* asserere, *errantium esse a veritate et omnino stultorum et hebetum.* Ita res, quae in eucharistia offertur, *victimam, holocaustum, hostiam etc.* vocavisse plerumque s. Irenaeum legenti caput tricesimum secundum, ubi Malachiae vaticinium interpretatur, et seqq. [4]) liquido procul dubio constabit.

Igitur si eucharistica oblatio nova oblatio appellata est: offerre autem panem et vinum Iudaei quoque solebant non sine precibus; si quod offertur in eucharistia holocaustum, hostia et victima vocatum fuit [5]): res vero, quae mactari aliquo pacto non queunt, nunquam hisce nominibus fuere in sacris litteris appellatae; sine haesitatione prorsus ulla asseverare debemus ss. PP. verba communi significatione esse accipienda, et si affirmant eucharisticam oblationem plane novam esse, quidquam amplius praeterea continere debere praeter panem et vinum, quae etiam a Iudaeis offerebantur, affirment censendum est: et si victima appellatur res, quae offertur in sacrificio eucharistico, quum panis et vinum sibi adsciscere victimae rationem non queant, offerri corpus et sanguinem Christi concludendum erit.

Haec quum protulisset praeclare quidem Maffeius, Pfaffius ita refellere conatus est: *quum Christus legem illam de amore mutuo novam vocaverit, oblationem illam novam nimis premendam non esse, quia* oblatio eucharistica dici nova potest etiam si sit solius panis et vini, quum in V. T. *haec sub κέσῃ inaudita fuerit.* Unde Irenaeus per *novam oblationem intelligit oblationem primitiarum, oblationem creaturarum, oblationem munerum etc.* Vocem autem *θυσίαν* et victimam *nihil urgere,* quum PP. illam adhibuerint ad significandum *sacrificium mere commemorativum, vel victimam laudis, vel oblationem quamcunque,* quum reapse *de novo non mactetur Christus, quod horrendum foret affirmare, sed vivus in sacramento eucharistiae fatentibus omnibus exhibeatur.*

Haec Pfaffius, quem nihil profecisse ita ratiocinando ii omnes cognoverint, qui sibi perspectam esse veritatem voluerint.

---

1) Lib. 4. cap. 32. 2) Cap. 34. 3) Cap. 35. 4) Cap. 33. 34. 5) Levit. cap. 7. Numer. cap. 15. et 28. Exod. cap. 39. Genes. c. 31. et 43. Levit. cap. 1. et 4. et 7

Nam certum est Christum legem illam novam appellavisse, quae minime viguit antiquis temporibus, minimeque veteribus lata fuit: inquit enim: *mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos* [1]). Quod sane mandatum ad illud ipsum esse referendum ait Tertullianus [2]), quod iam pridem Christus docuerat: christianam veritatem id velle, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Igitur de summa dilectione ibi Christus locutus est, qua nempe N. T. lex, amoris lex nuncupatur, fuitque inaudita veteribus. Ergo si novam appellat Irenaeus eucharisticam oblationem et Irenaei voces *communi significatione* accipiendae sunt, fuerit etiam hoc genus oblationis inauditum veteribus, necesse est. Atqui solae ceremoniae parere hanc diversitatem non queunt, quandoquidem discrimen ceremoniarum ubicunque reperitur in caussa esset discriminis quoque oblationis eiusdem, proindeque apud varias ecclesias variae et diversae liturgiae quum sint, diversas efficerent oblationes. Quod certe ipsi Lutherani negant. Deinde nisi intima quadam ratione discriminarentur inter se sacramenta V. et N. T. *Christus gratis mortuus esset,* ut Paulus [3]) adversus Iudaeos obstinatissimos argumentatur, qui contendebant per baptisma minime ablatam fuisse circumcisionem, et quo argumento utitur quoque Augustinus ad demonstrandum, quod gentes illae, quae sine baptismate moriuntur, *salvari non possunt per fidem in Deum, qui fecit caelum et terram,* quamvis ante institutam circumcisionem et post circumcisionem per fidem hanc homines consequi aeternam vitam possent, alioquin Christus, qui mortuus est ad homines redimendos atque ad impetrandam virtutem sacramentis suis, *gratis mortuus esset.* Ergo si nova vocata est a Christo instituta eucharistica oblatio, neque a solis ceremoniis haec novitatis ratio manare potest, fluat itaque oportet ab ipsis rebus oblatis, quae in V. T. nihil aliud quum fuerint nisi panis et vinum, sint in oblatione N. T. *typus,* ut aiunt PP. a pane et vino significatus, hoc est corpus et sanguis Christi, necesse est. Quod sane innuere voluisse Irenaeum, quum eucharistiam novam oblationem vocavit, apparet procul dubio ex eodem Irenaei libro [4]), ad quem provocat Pfaffius, ubi ait: „Christus eum, qui ex natura panis est accepit, et gratias egit dicens *Hoc est corpus meum.* Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quae est secundum nos, suum sanguinem confessus est, et novi testamenti novam docuit oblationem, quam ecclesia ab apostolis accipiens in universo mundo offert Deo." Igitur si ea significatione verba Irenaei sumenda sunt, quam ipsa satis prae se clare ferunt: oblationem eucharisticam esse oblationem corporis et sanguinis Christi liquido constat, non autem *primitiarum, munerum, creaturarum etc.* ut perperam comminiscitur Pfaffius. Non sum autem nescius textum hunc Irenaei varie a centuriatoribus fuisse vexatum [5]). Verum ipsi quoque ad extremum fassi sunt, *satis incommode Irenaeum loqui,* quod nimirum sententiae suae adversari visus est. Quid? quod ipsae constitutiones apostolicae, quas ad sidera Pfaffius extollit, et propterea huc placet eas nobis revocare, adeo hac de re perspicue loquuntur, ut dispeream profecto, si aliter Pfaffius interpretari illarum verba potuerit, atque vulgo significant.

---

1) Ioann. 13. v. 34. 2) Apolog. cap. 39. 3) Epist. ad Hebr. 4) Libr. 4. cap. 32. 5) Coll. 63.

Aiunt namque, *sacerdotium a Christo institutum plane esse novum, ac secundum ordinem Melchisedech* [1]), proptereaque *diversum a sacerdotio* V. T. quod erat secundum ordinem Aaron. Atqui (inquam ego) diversum sacerdotium non esset, nisi diversum etiam esset sacrificium, quum non sacrificium pro sacerdotio, sed sacerdotium pro sacrificio sit institutum. *Quid* adhuc necessarium fuit (inquit Paulus) *secundum ordinem Melchisedech surgere sacerdotem, et non secundum ordinem Aaron dici?* Ergo si mutatum est sacerdotium, mutatum quoque fuerit sacrificium oportet.

Ad *θυσίαν* vero quod attinet, aio, victimam vocari nullam posse, cui in sacrificio aliqua saltem non contingat mutatio. Quapropter res illae, quae in V. T. offerebantur Deo, neque tamen in tali oblatione aliquo modo mutabantur, ut aristae, panes etc. victimae non vocabantur, sed *dona, munera etc.* Boves vero, agni, qui mactabantur, cremabantur, dividebantur et comedebantur, victimae etiam dicebantur. Qua in re ne transversum quidem unguem a nostra sententia discessisse Lutheranos, ipse Pfaffius mihi visus est clanculum indicare [2]). Tota igitur quanta est difficultas est in eo collocata, quod nempe in eucharistia non mactetur Christus, sed vivus vigensque Christianis hominibus exhibeatur. Sed tam facile est Maffei momentum validissimum ab hac difficultate liberare, quam quod facillimum. Nam s. Ioannes Chrysostomus ait, voces illas *Hoc est corpus meum praestare sacrificio firmitudinem* [3]), quam certe firmitudinem verba illa minime praestarent, nisi per ea pani et vino aliqua mutatio accideret, quod velint, nolint, fateantur Lutherani oportet, qui etiam si *transsubstantiationem* non admittunt, admittunt tamen impanationem. Igitur transit panis (ut cum scholis loquamur, a quibus non esse abhorrendum omnino ipse Pfaffius nos docuit [4])) de non habendo corpus Christi, ad ipsum Christi corpus habendum. Quae autem maior contingere mutatio potest? Mutatur etiam corpus Christi saltem quoad locum, quum ipsi hostiae fit praesens. Ergo optime eucharistica oblatio sibi victimae rationem vindicare potest. Non ignoramus autem de mutatione illa, quae eucharistico sacrificio congruere debet, varias quidem nostrorum theologorum esse sententias atque inter se dissidentes: non ita tamen ut eorum aliqua favere unquam haeresi Lutheranae visa sit, a qua siquidem omnis distat quam longissime, quod demonstrare parati essemus, nisi notum id esset lippis et tonsoribus, ut proverbio fertur. Quamobrem certi quidquam hac in re non volumus, nec debemus affirmare. Nihilo tamen minus satis id ea ratione fieri putamus, quam nobis vir doctissimus Guilielmus Estius explicuit, qui sane arbitratur, immolationem quodammodo victimae fieri, quum corpus Christi et sanguis exhibentur nobis in eucharistia veluti divisi inter se separatique. „Est enim (inquit [5])) haec immolatio mystica, et talis, qualis Christo nunc competere potest. Quantum enim est ex parte verborum consecrationis, Christus immolatur, id est sanguis eius a corpore separatur. Nam etsi pecus ita immolaretur, ut tamen per miraculum partes divisae adhuc viverent, vel in utrisque tota substantia maneret, adhuc diceretur immolatum, et si animal secaretur in partes, in quibus mira-

1) Epist. ad Hebr. 2) In postr. respons. 3) Apud Arcud. 4) Dissert. de praciud. 5) Lib. 4. d. 12. f. 12.

culose adhuc vita remaneret, uti fit in partibus sacramenti post fractionem, diceretur nihilominus tale animal immolatum vel sacrificatum, dummodo talis mutatio, vel divisio fieret in agnitionem summi dominii." Porro autem per separatam consecrationem corporis et sanguinis Christi repraesentatur victima immolata. Unde refert apostolus [1]) dixisse Christum in huius sacrificii institutione *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur,* ut videre est in textu graeco, in quem sane textum Chrysostomus ait: „panem, quem frangimus, communicationem corporis Christi esse." Ergo in ea exhibita corporis et sanguinis Christi divisione videtur ratio immolationis constituta.

Nunc videamus, quomodo ratio victimae corpori et sanguini Christi ad hunc modum divisis convenire possit. Nimirum quum eucharistia Christi corpus nobis exhibeat veluti a sanguine separatum, Christi sanguinem tanquam a corpore divisum: unusquisque vel per se intelligere potest, Christum ceu mortuum atque mactatum nobis in eucharistia repraesentari. Praeclare Chrysostomus [2]), „qui agis o homo, inquit, iuras super sacram mensam, ubi et Christus occisus iacet?" Certum vero est, panem et vinum id nullo pacto posse referre, quum nec vinum sanguinem, nec panis corpus possint repraesentare, quum Christus in institutione sacramentorum quadamtenus naturam sectatus sit, ut docent communi consensu PP. et aquam adhibuerit ad baptisma; quia aquae fuit semper proprium abluere, ita quum proprium panis non sit corpus repraesentare humanum, nec vini sanguinem, efficitur sane, ut in oblatione eucharistica revera exsistant corpus et sanguis Christi, qui postea per divisionem specierum utriusque rei referunt divisionem, ac propterea Christi mortem repraesentant. Quapropter panis et vinum victimae rationem nullam habere queunt, neque, ut aiunt, rationem metaphoricam; corpus autem et sanguis Christi, dummodo nobis imaginem Christi mortis referant propriam, haud dubie sibi victimae rationem adsciscunt.

Quando autem exploratum est, quod offertur in eucharistia fuisse victimae nomine nuncupatum, ut potissimum ex Iustino [3]) apparet panem et vinum eucharisticum non *θυσίαν* vocante: et quando ratum habetur victimae rationem nec pani, nec vino posse congruere: concludendum erit offerri in eucharistia corpus et sanguinem Christi, idque PP. ante quartum seculum asseverasse, si verba illorum accipi communi significatione debent, neque est ad allegoricam interpretationem ullo modo confugiendum.

II. *Ecclesiae consuetudo in dogmaticis rebus semper fuit a PP. reputata sedes invictissimorum argumentorum ad haereticos confutandos.*

Hac regula persaepe usus est Irenaeus adversus Gnosticos, ait enim [4]): „Tantae igitur ostensionis quum sint haec, non oportet adhuc quaerere apud alios veritatem, quam facile est ab ecclesia sumere, quum apostoli quasi in depositorium dives plenissime in eam contulerint omnia, quae sint veritatis; uti omnis, quicunque velit, sumat ex ea potum vitae etc." et alio in loco inquit: „Ubi igitur tales inveniat aliquis, Paulus docens

1) 1 Corinth. cap. 11. 2) Apud Arcud. 3) Apolog. 2. 4) Lib. 3. cap. 4.

ait: Posuit Deus primo in ecclesia apostolos, secundo prophetas, tertio doctores. Ubi igitur charismata Domini posita sunt, ibi discere oportet veritatem, apud quos est ea, quae est ab apostolis ecclesiae successio, et id, quod est sanum, et irreprobabile conversationis et inadulteratum, et incorruptibile sermonis constat etc.“ [1]) Tandem alibi ait Christum christianam doctrinam apostolis, apostolos vero ecclesiae tradidisse „a quibus ecclesia accipiens per universum mundum sola bene custodiens tradidit filiis suis [2]).“ Praeterea Tertullianus contendit ipsam consuetudinem non minus veritati fidem facere in civilibus rebus, quam in ecclesiasticis, et tamen agit de iis, quae ad disciplinam, non vero ad dogma spectant. Ait enimvero: „Harum, et aliarum eiusmodi disciplinarum si legem expostules scripturarum, nullam invenies: traditio tibi praetendetur autrix, consuetudo confirmatrix, et fides observatrix. Rationem traditioni, consuetudini, fidei patrocinaturam aut ipse perspicies, aut ab aliquo, qui perspexerit, disces. Interim nonnullam esse crede, cui debeatur obsequium ..... Consuetudo autem etiam in civilibus rebus pro lege suscipitur, quum deficit lex: nec differt scriptura an ratione consistat, quando et legem ratio commendet. Porro si lex ratione constat, lex erit omne iam quod ratione constiterit a quocunque productum etc.“ [3]) Porro Tertullianum in rebus dogmaticis saepissime ad ecclesiae consuetudinem veluti ad sacram anchoram provocasse, quae habet libro de praescriptionibus sint instar omnium: inquit vero: „Statim igitur apostoli (quos haec appellatio missos interpretatur) assumto per sortem duodecimo Matthia in locum Iudae ex auctoritate prophetiae, quae est in psalmo David, consecuti promissam vim Spiritus Sancti ad virtutes, et eloquium, primo per Iudaeam contestata fide in Iesum Christum, et ecclesiis institutis; dehinc in orbem profecti, eandem doctrinam eiusdem fidei nationibus promulgaverunt, et proinde ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei, et semina doctrinae, ceterae exinde ecclesiae mutuatae sunt, et quotidie mutuantur, ut ecclesiae fiant. Ac per hoc et ipsae apostolicae deputantur, ut soboles apostolicarum ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur necesse est. Itaque tot, ac tantae ecclesiae una est illa ab apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primae et omnes apostolicae, dum unam omnes probant unitatem. Communicatio pacis, et appellatio fraternitatis, et contesseratio hospitalitatis; quae iura non alia ratio regit, quam eiusdem sacramenti una traditio [4]).“ Hactenus Tertullianus, qui sane testatur ecclesiasticam consuetudinem regulam esse certissimam veritatis, si diversa consuetudo unitatem tollit, quam unice *regit* eiusdem sacramenti una traditio. Cyprianus vero quum ostendere conatur, haereticos falli si extra ecclesiam consequi salutem se posse existiment, ad quam rationem confugit, nonne ad ecclesiam, veluti ad promtuarium argumentorum omnium certissimum? „Quam vanum, inquit, est porro et perversum, ut quum ipsi haeretici repudiato et relicto vel errore, vel scelere, in quo prius fuerant, agnoscant ecclesiae veritatem .... Quare ecclesiae catholicae fidem ac veritatem, frater carissime, et tenere debemus fir-

1) Libr. 4. cap. 45. 2) Lib. 5. praef. 3) De Corona milit. cap. 4. 4) Cap. 20.

miter, et docere, et per omnia evangelica et apostolica praecepta rationem divinae dispensationis atque unitatis ostendere [1]." Sexcenta autem ex Cypriano afferre possem, quum in libro *Unitatis ecclesiae* totus in eo sit, ut ostendat unam totius orbis esse ecclesiam, quae deficere aut adulterari non potest, quae quidem utpote satis nota, ac ne longum faciam, praetermitto. Venio tandem ad Augustinum, qui crebro hoc argumenti genere usus putavit haereticos ecclesiae consuetudine ita iugulari, ut facessere omnino debuerint. Quapropter ita adversus Donatistas ratiocinabatur. „Vel ante Donatum nulla erat ecclesia, vel exstitit ecclesia Donato vigente. Quod si erat, inquit, etiam tunc ecclesia, et haereditas Christi non interrupta perierat, sed per omnes gentes augmenta capiens permanebat: tutissima ratio est in eadem consuetudine permanere. Si autem non erat tunc ecclesia, quia sacrilegi haeretici sine baptismo recipiebantur, et hoc universali consuetudine tenebatur. Unde Donatus apparuit? De qua terra germinavit? De quo mari emersit? De quo caelo cecidit [2]?" Item alio in loco docet ecclesiam Christi docere filios suos. Ait siquidem [3]: „Nam Christus caput est, et corpus in terra est, caput Dominus est, et corpus ecclesia eius. Sed meministi dictum? *Erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est,* ait apostolus, *ego autem dico in Christo et ecclesia* [4]). Si ergo duo sunt in carne una, duo sunt in voce una. Caput nostrum Dominus Christus locutus est ad Iudaeos, quae audivimus quum evangelium legeretur. Caput ad inimicos suos. Nostis ad quos loquatur? Quid habet loqui? Non dixi de meo, quod vox una sit: quia caro una, vox una. Ergo illis dicamus voce ecclesiae loquor etc." Hactenus ille: ex quibus satis mihi videor luculenter ostendisse, PP. ecclesiae in rebus dubiis non semel ad ecclesiae consuetudinem veluti ad sacram anchoram provocasse. Quod sane fassus est ipse Philippus Melanchthon, qui de ecclesia agens inquit: „Tertio iidem illi iuvantur etiam verae ecclesiae testimonio, ut quum Samosatenus noluit verbum interpretari personam in his dictis, *In principio erat Verbum etc.* Pii iuvabantur Irenaei testimonio, qui Polycarpum Ioannis discipulum audierat: iuvabantur et Gregorii Neocaesariensis et Alexandrinae ecclesiae testimoniis etc.

Quod autem ecclesia consueverit a quarto seculo ad tempora nostra offerre in oblatione eucharistica corpus et sanguinem Christi, ipse vel per se Pfaffius fatetur; qui hac de re agens inquit [5]: „Sunt tamen, quod non dissimulemus, qui sinceritatis gloriam nobis conservare omni opere contendimus, patrum qui seculo quarto et sequentibus vixere loca plurima, quibus dicitur corpus sanguinemque offerri Christi." Quod ut animadvertit praeclare Maffeius, ante Pfaffium aliis sane verbis, sed mente eadem affirmavisse Lutherum, ex iis quae laudat Bellarminus manifestissime colligitur. Ait namque Lutherus [6]: „Missa creditur passim esse sacrificium, quod offertur Deo. Accedunt his dicta ss. PP. tot exempla, tantusque usus per orbem constanter observatus." Et infra, „nec moveat, quod totus orbis contrarium et sensum et visum habet." Et alio in loco, „certe tot seculorum consuetudini, tantae multitudinis sensui, tantorumque

1) Epist. ad Iubaian. 73. 2) Contra Donatist. lib. 3. 3) Serm. 109. alias 45.
4) Ad Ephes. 5. 5) Diss. de oblat. vet. eucharist. pag. 325. 6) Lib. de captiv. Babyl.

auctoritati reluctari difficile est[1])." Et paullo post: „Tu solus sapis? Totne errant universi? Tanta secula ignoraverunt?" Igitur Pfaffius, magistri sui vestigiis inhaerens, minime inficiatur PP. et ecclesiam saltem a quarto seculo in eucharistia solitos fuisse corpus et sanguinem Christi Domini offerre. Atqui consuetudo ecclesiae est certissimum veritatis argumentum, praesertim in dogmaticis rebus, quod innuit Lutheranorum coryphaeus Philippus Melanchthon, quum Servetum damnat, Campanum, et Anabaptistas, quia *finxerunt opiniones, quae nulla habent testimonia ullius temporis in ecclesia*[2]). Igitur non video, cur quum sit haec consuetudo vetusta et cursu annorum mille minime interrupta ecclesiae offerendi in eucharistia corpus et sanguinem Christi, prorsus repudianda, potissimum vero si PP. qui tribus primis ecclesiae seculis hanc oblationem suis temporibus viguisse non negent, sed paullulum obscure loquantur, atque ita, ut eorum dicta indigeant interpretatione. Servemus potius hanc Augustini regulam: nempe[3]) „si ambigue posita, et pro vobis, et pro nobis possunt interpretari, neutram caussam adiuvabunt." Verum cordatus homo omnis dixerit consuetudinem ecclesiae inveteratam ita sibi partes interpretis vindicare, ut ei potius, quam cuique diutissime post vigenti credere debeamus. Quod si criticae artis magistri[4]) docent iis historicis maiorem fidem habendam esse, qui rei gestae temporibus propinquiores fuere: sane non video, cur sit fides omnis deneganda Epiphanio, Basilio, Augustino, qui certe Iustini, Irenaei, Tertulliani et Cypriani scripta non ignorarunt, credendum autem sit Luthero, Calvino etc. qui longissimo intervallo ab eo tempore distant.

III. *Consuetudo ecclesiae in re dogmatica adeo certum est veritatis argumentum, ut quae ab ea custodiri semper et certa ratione consuevere, ab apostolis tradita certissime credantur.*

Haec regula praescripta fuit ab Augustino verbis fere similibus: enimvero ita contra Donatistas[5]) „consuetudinem ab ecclesia servatam fas est credere ab apostolica traditione venientem sicut multa, quae non inveniuntur in litteris eorum, neque in conciliis posterorum, et tamen quia per universam custodiuntur ecclesiam, nonnisi ab illis tradita et commendata creduntur." Et alio in loco quum disputaret contra eosdem haereticos, utrum ab haeresi ad catholicam venientes ecclesiam iterum baptizandi sint, neque huius rei exemplum in sacris litteris invenisset, neque praeceptum, inquit[6]) „apostoli nihil quidem exinde praeceperunt, sed consuetudinem illam, quae opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium sumsisse credendum est."

Quod tamen ante docuerat s. Irenaeus plane in haec verba[7]): „Traditionem itaque apostolorum in toto mundo manifestatam, in omni ecclesia adest perspicere omnibus, qui vera velint audire; et habemus annumerare eos, qui ab apostolis instituti sunt episcopi in ecclesiis, et successores eorum

1) Lib. de abrog. Miss. epist. dedic. 2) De eccles. in lib. de loc. communib. 3) Contr. litt. Petil. cap. 6. 4) Cave histor. litter. 5) Lib. 2. c. 7. 6) Idem ibid. lib. 5. 7) Lib. 3. cap. 3.

usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his deliratur (et recensita successione pontificum in Romana sede, pergit) Hac ordinatione, et successione, ea, quae est ab apostolis in ecclesia, traditio, et veritatis praeconiatio pervenit usque ad nos. Et est plenissima haec ostensio, unam et eandem vivificatricem fidem esse, quae in ecclesiis ab apostolis usque nunc sit conservata, et tradita in veritate." Huius autem argumenti, quod affert s. Irenaeus contra Gnosticos, in eo vis mihi videtur collocata: quod nimirum consuetudo et traditio ecclesiae in docendis dogmatibus sit ab apostolis ducta: neque apostolicas *διατάξεις* perspicere recte possimus, nisi oculos mentemque ad ecclesiae consuetudinem convertamus. Quod si Irenaei ratiocinationi nonnihil momenti inest et ponderis, concludendum haud dubie erit, consuetudinem ecclesiae in re dogmatica adeo certissimam esse veritatis regulam, ut descendisse illam ex apostolica traditione, sit omnino censendum. Confirmat id Epiphanius, qui utrum credendum sit homini uni ceu de novo emergenti, an ecclesiae traditioni, inquit[1]): „Iam vero utri tandem illorum peritiores sunt? An errore deceptus homuncio, qui nunc tandem emersit, et adhuc hodie superstes est? An qui ante nos testes exstitere, quique ante nos eandem traditionem in ecclesia tenuerunt, quam et ipsi a parentibus suis acceperant, et ipsorum parentes a maioribus suis didicerant; quemadmodum ecclesia, quam a patribus suis accepit, rectam et sinceram fidem cum traditionibus ad hanc diem observat?" etc. Item ante Epiphanium Alexandrinus Clemens agens contra socordes illos, qui et apostolicas traditiones corrumpebant, et quod comminiscebantur niti divina traditione ostendere satagebant, inquit[2]): „Sed bene cum eis actum esset, si scire potuissent ea, quae prius sunt tradita. Is ergo solus, qui est cognitione praeditus, quum in ipsis consenuerit scripturis apostolicam et ecclesiasticam servans dogmatum rectitudinem rectissime vivit convenienter evangelio." Item Origenes[3]): „Quoties autem (haeretici), ait, canonicas proferunt scripturas, in quibus omnis Christianus consentit et credit, videntur dicere: ecce in domibus est verbum veritatis. Sed nos illis credere non debemus, nec exire a prima et ecclesiastica traditione, nec aliter credere, nisi quemadmodum per successiones ecclesiae Dei tradiderunt nobis." Ex quibus quid consequatur vident omnes, qui aliquid vident. Nempe ecclesiam consuevisse semper apostolicas traditiones integras inviolatasque servare, et propterea in rebus dubiis et salebrosis ad eam, ceu ad Lydium lapidem, ut aiunt, antiquos PP. solitos fuisse appellare: adeo certum est consuetudinem ecclesiae in re dogmatica certissimum fuisse semper veritatis argumentum, ut ab apostolis incepisse maiores nostri crediderint.

Sed universalis ecclesiae consuetudo fuit, offerre in eucharistia corpus et sanguinem Christi, saltem a quarto seculo ipso fatente Pfaffio: ergo id eos fecisse traditione quadam apostolica permotos censendum est, proindeque tribus etiam ante quartum seculis praestitisse. Nam inquit Basilius[4]): „Si apud tribunal probationibus e scripto destituti, multos vobis testes produceremus, nonne sententiam absolventem a vobis

1) Haer. 75. 2) Strom. lib. 7. 3) Tract. 29. in Matth. 4) De Spiritu S. cap. 29.

consequeremur? Ego equidem arbitror: in ore siquidem duorum ac trium testium stabit omne verbum. Quod si etiam temporis diuturnitatem pro nobis facientem vobis evidenter ostenderimus, an non videbimur vobis probabilia dicere, non posse litem istam iuste nobis intendi? Veneranda enim sunt vetusta dogmata, quod ob antiquitatem, seu canitiem quandam, habeant quiddam reverendum."

IV. *Nunquam in ecclesia errorem quispiam inducere tentavit in re dogmatica, quin turbas moverit.*

Huius effati veritatem ignorare nemo potest, nisi qui ecclesiasticam historiam ne a limine quidem salutaverit, nemo autem negare, nisi qui coecus sit, planeque amens furore.

Et re quidem vera, quum multi fuerint omni aetate homines, qui, ut ait Iuvenalis, *nolunt deperdere prisca,* sed ad maiorum suorum traditionem veluti ad saxum durissimum adhaerentes, nulla tempestate avelli potuerunt: ita et in ecclesia contigisse compertum est, in qua quum novam doctrinam introducere nonnulli conarentur, non modo obsistentes habuerunt plurimos, verum etiam repellentes. Quod quidem Hieronymus, pro ingenio, quo pollebat, ac discernendi vi contemplatus, confidenter pronunciavit [1]) „ecclesiam usque ad finem mundi concuti quidem persecutionibus, sed nequaquam posse subverti; tentari, non superari: et hoc fiet, quia Dominus Deus omnipotens, sive Dominus Deus eius, id est ecclesiae, se facturum esse pollicitus est, cuius promissio lex naturae est." Ex quo colligit etiam Maffeius minime permittere Deum potuisse, ut ecclesia sua tanto, ac tamdiu in errore versaretur, nisi fidem, quam promiserat, futurum nempe ut *nunquam portae inferi pravaleant adversus eam,* nequaquam praestitisset: quod sentire adeo absurdum est, adeo impium, ut nihil supra. Quod si antiquorum temporum ecclesiae historiam in mentem revocare voluerimus, profecto palam erit, religionem catholicam sine praecipua quadam D. O. M. providentia ab infestatione virulenta cum idololatrarum, tum etiam haereticorum liberari minime potuisse.

Sed praestitit Deus, ut vix natos Nicolaitas, Simonianos, Gnosticos, ac Metempsychios, seu Ebionitas apostoli conficerent, inprimisque Petrus, qui non moderationibus, sed miraculis usus hominum genus hoc pessimum dissipavit: et Ioannes, qui ad eosdem refellendos suum scripsit evangelium. Hos secuti sunt Chiliastae, Ophitae ac Valentiniani, quos adeo strenue Polycarpus et Irenaeus confutarunt, ut vix dispersae eorum reliquiae inveniri potuerint, aut ne vix quidem. Nonne idem Irenaeus Marcionitas et Cerdonitas refellit? Tertullianus vero Quartodecimianos, Caianos, Hermogenianos et alios plurimos? Aquarios et alios nonnullos Cyprianus, multos Athanasius, prope innumeros Epiphanius: ac fere universos Augustinus: cuius praeclare dictum fertur inprimis [2]): „Nunquam passus est Christus ecclesiam suam haeresibus contaminari?" Quod sane quamquam certum sit, id tamen extra omnem dubitationis aleam positum esse censendum erit, scilicet nunquam in ecclesia errores novos

1) In cap. 9. Amos. 2) Contra epist. fundam. cap. 4.

pullulasse, quin turbas, et non minimas moverint. Atqui neque ante quartum seculum, neque post quartum, quintum etc. invenimus natas turbas propter eucharisticam oblationem, quae tamen, ut pulchre Maffeius ratiocinatur, nasci debuerant, quum adhuc recens esset maiorum traditio, quum patrum apostolicorum monumenta nondum iacuissent inter rudera antiquitatis, quumque, hunc errorem vigere in ecclesia, ecclesiae bono nullo modo conduceret. Ex quibus rectissime Scipio concludit oblationem eucharisticam corporis et sanguinis Christi minime redolere PP. quarti seculi purum putumque commentum, sed maiores eam quum docuissent clanculum, ut ita dicam, quasique mussitando propter arcani disciplinam, fuisse deinde quarto et quinto seculo liberius et luculentius explicatam. Nam si Pfaffius voce *ἀντίτυπα* pro eucharistia, et *ἐπίκλησιν* Spiritus sancti minime quarto seculo invectam in sacrificium missae fuisse existimat, verum iam primis ecclesiae temporibus exstitisse, sed fortasse cum iis monumentis, quae periere, a memoria hominum excidisse: quanto magis, pergit Maffeius, id de eucharistica oblatione corporis et sanguinis Christi asseverare aequum est, quandoquidem nec voces, nec preces essentiam liturgiae mutare possunt, variat autem et non mediocriter nova ratio oblationis, si, quod offerebatur prius, panem esse et vinum deinde corpus et sanguinem Christi, credidere Christiani? Quod sane quum reclamante nemine fieri potuisset, et sciamus novum errorem semper novas turbas in ecclesia excitasse: profecto Pfaffii opinio non modo minime vera videri debet, sed neque mihi plane fit verisimilis.

Verum Matthaeus Pfaffius non propterea fatiscit, sed in arenam quum descenderit ad novum certamen adversarium vocat, atque ita eum profligare contendit[1]): „Si, inquit, oblatio corporis Christi ad essentiam celebrationis eucharisticae pertinet: sique ex testimoniis veterum PP. qui seculum quartum antecessere plenissima utique liturgiae antiquioris descriptio erui potest: comprehendi sane non potest, qui ii omnes siluerint id, quod erat praecipuum, nempe oblationem corporis et sanguinis Christi, solamque oblationem munerum minus praecipuam descripserint? Ponenda igitur est altera haec circa argumentum negativum regula. *Argumentum negativum a silentio scriptorum petitum tum valet indubie, quando iidem rem quandam prolixissime describunt, et omnia, quae haud adeo magni sunt momenti, cumulant; id vero tacent, quod a sequioribus auctoribus memoratur, tanquam ad essentiam rei pertinens.* Unde manifeste concludendum est sequioris hoc aetatis esse, nec antiquioribus temporibus adscribendum. Scilicet quoad *ἐπίκλησιν* et *ἀντίτυπον*, longe aliter se res habet, quum nec *ἐπίκλησις* ad essentiam consecrationis pertineat, quae aliis fieri precibus potest, nec necessarium sit voce *ἀντιτύπων* panem et vinum denotare.“ Haec Pfaffius.

Quantum autem fallatur ita coniiciendo Pfaffius, ex ipsissima eiusdem coniectura perspicuum est. Verum animadversione inprimis dignum est, quod statim principio posuit: nempe falsum esse Maffeium, qui dicat, ante quartum seculum PP. omnes hanc corporis Christi siluisse oblationem. Quid falsius quaeso, quid impudentius? Qui poterat amabo id fateri Maffeius, qui capite sequenti totus est in interpretatione s. mar-

1) In postr. respons.

tyris Iustini, a quo colligit oblationem hanc corporis et sanguinis Domini secundo seculo viguisse in ecclesia? Pfaffius sane fatetur, neminem ante quartum seculum, ex iis quorum scripta exstant, nec *ἀντίτυπον*, nec *ἐπίκλησιν* in liturgia commemoravisse. Scipio vero oblationem corporis non quidem perspicue, sed satis tamen dilucide PP. secundi et tertii seculi indicasse docet. Quin etiam ex eo, quod PP., qui ante quartum seculum floruerunt, nonnihil innuere visi sunt de hac corporis et sanguinis Christi oblatione eucharistica, atque ex eo, quod secuti PP. deinde, hoc est seculo quarto et quinto clare sese explicarunt affirmantes corpus offerri Christi in eucharistia: inde Maffeius praeclare concludit, priores quoque PP. hac in re cum posterioribus concordare. Ceterum argumentationem, quam *pure negativam* appellant, cum Baronio [1]) nos quoque putamus levissimi esse momenti, potissimum si sola sit, et non alio argumentorum genere fulta. Verumtamen quum Lutherani ad hanc probationis speciem nonnunquam confugere soleant, ut acute notavit Basnagius [2]), nil mirum si ea aliquando et Scipio disertissimus usus est ad voces *ἀντίτυπον*, et Spiritus sancti *ἐπίκλησιν* exagitandas. Quamquam debuisse tunc eam potissimum argumentationis speciem adhibere, patet ex regula Guilielmi Cave ibi laudata, *quum argumentum ductum a silentio auctoris, qui rem prolixissime describens, et omnia, quae haud magni sunt momenti, cumulans id tamen tacet, quod a sequioribus auctoribus commemoratur*, ipse Pfaffius minime improbet. Quum autem martyr Iustinus liturgiam describens ecclesiae plures preces collegerit, nunquam tamen meminerit *ἐπίκλησιν* quum oblationem pluries, atque non uno nomine vocaverit, itemque oblatas res, nusquam tamen inveniamus ab eo adhibitam vocem *ἀντίτυπον*, non video mehercle, cur uti minime debuerit Scipio argumentatione a silentio petita, quae sane, ea ratione, qua hic usus est, non poterat neque a Pfaffio repudiari. Ergo iure Scipio concludit nihil minus Pfaffium probasse, quam id, quod sibi proposuerat ad probandum.

Postquam vero ratione et coniectura effecit Scipio doctissimus, ut appareret, ecclesiam primis temporibus in eucharistia corpus et sanguinem Christi offerre consuevisse, progreditur deinde ad argumentum sumtum a PP. antiquorum testimoniis, quo nihil sane validius potest excogitari, ut non probabili tantum, sed certissima mathematicorum ratione conclusisse dicatur: eius autem ratiocinatio potest ad hunc modum exponi.

V. *Quod ex dictis vel scriptis ab aliquo auctore proxime et prorsus necessario consequitur, id etiamsi est ab eo minime dictum vel scriptum, attamen tanquam dictum vel scriptum ab eodem habendum est.*

Veritas huius canonis iis non potest non esse perspicua, qui eam callent doctrinam, quam dialectici tradunt de demonstratione. Quod enim fluit necessario ex antedictis, id in antedictis contineatur necesse est. Unde Nizolius praeclare inquit [3]) „Atque ita ab eo, quod talia tota continent, vel non continent aliquam partem, vel partes omnes syllogismi

1) Tom. 1. 2) Hist. de l'églis. Préf. 3) Lib. 1. cap. 7.

vim suam concludendi, et probandi necessario adipiscuntur, non ab eo, quod est *dici de omni, et dici de nullo.*" Hinc etiam natum est tritum illud in scholis dialecticorum vetustate proverbium: Assentiri mentem non posse antecedentibus, quin conclusioni non assentiatur, maxime, ut scholastici aiunt, in materia necessaria: verum enimvero addo ego, et quando id, quod consequitur, proxime consequatur, quia tunc necesse est, orator ipse, vel scriptor, etiamsi summa ingenii vi et acumine non probet, viderit tamen in iis, quae dixit, quaeve scripsit, quod necessario et proxime consequitur, contineri. Qua in re neque desunt antiquissimorum PP. exempla, qui divina eloquia scrutati, asseverarunt, Deum caussa exempli, quum praecepit *neminem esse occidendum,* internecionem sui etiam prohibuisse, quamvis id nequaquam expresserit, quoniam necessario et proxime ex allato praecepto consequitur. Huius rei exemplo esse possunt, quae Irenaeus scribit ad Florinum in haec verba [1]): „Atque coram certe iam Deum contestari possum, illum beatum et apostolicum presbyterum Polycarpum, si eiusmodi dogmata forte audivisset, continuo exclamaturum, et aures obturaturum, ac de more suo dicturum fuisse, oh bone Deus in quae me tempora reservasti, ut ista patiar! atque ex eo loco, quo vel sedens, vel stans ea audivisset, extemplo plane aufugiturum." Itemque ex epistolis, quas cum ad vicinas ecclesias, quo eas confirmaret; tum ad quosdam fratres, quo eos tum admoneret tum cohortaretur, misit, ista ita se habere manifesto cognosci poterit. Igitur ex litteris Polycarpi arbitratus est s. Irenaeus quidquam colligi posse, quod quidem ad nova errata, hoc est temporibus Polycarpi nondum exorta, refellenda et damnanda valeret. Verum luculentissime propositi canonis veritatem explicuit Tertullianus vir in disserendo acutissimus, qui ut Hermogeni ostenderet terram, quam in principio creavisse Deum Moses affirmat [2]), ex invisa materia non fuisse progenitam, affert plures sacrarum Litterarum textus: atque illum inprimis: *In principio creavit Deus caelum et terram etc.* [3]) Id autem Hermogenes dictum aiebat „de caelo solo, et de terra ista, quod Deus eam in principio fecerit, de speciebus autem supra dictis nihil tale: et ideo eas, quae factae non significentur ad infectam materiam pertinere. Respondebimus huic quoque scrupulo (pergit Tertullianus) Scriptura divina satis dissereret, si summas ipsas rerum a Deo factas commendasset, caelum et terram, habentes utique suggestus suos proprios, qui in ipsis summis intelligi possent. Suggestus autem caeli et terrae primo tunc fuerint tenebrae, et abyssus, et spiritus, et aquae .... Et ita novum non est, ut id solum, quod continet, nominetur, qua summale: in isto autem intelligatur, et quod continetur, qua portionale." Ex quibus colligere est, Tertullianum putavisse sat esse summa ac rerum capita nominare, ut intelligantur nominata illa omnia, quae cum iis sunt arctissimis vinculis colligata: quae sane quantum ad axioma nostrum valeant roborandum, eos omnes intelligere arbitror, quorum auribus disserendi ars nova non accidit.

Praeterea adversus Iudaeos ostendit acutissime Tertullianus [4]) praecepta omnia cum V. tum N. T. lata fuisse, quum legem illam Deus scripsit in cordibus nostris, qua amare Deum super omnia, proximum vero, ac

1) In Fragm. 2) Genes. cap. 2. 3) Cap. 1. 4) Cap. 10. 11. 13.

nosmetipsos, iubemur: quandoquidem non aliunde, quam ex hoc fonte cetera omnia praecepta repetenda sint, a quo sane necessaria quadam consecutione, ut cum dialecticis loquamur, ceu rivuli quidam emanant. Quae quidem praecepta ait, tum etiam, quum nondum fuerant expressa, viguisse, quia qui caritatis legem profitebantur haec ignorare non poterant, tanquam ab ea reapse contenta.

Ita PP. unanimi consensu docent, quae de novo proferuntur sententiae, recte ponderandum esse num cum scripturis sanctis concordent; quod si minus, esse ex finibus christianae religionis exterminandas. Unde Cyrillus Hierosolymitanus [1]): „Oportet, inquit, ne minimum quidem aliquid tradere de sanctis, et divinis fidei mysteriis absque divinis scripturis: neque moveri probabilibus sermonum compositionibus. Ac ne mihi quidem haec dicenti fidem adhibeto, nisi accepta eorum, quae ponuntur, demonstratione e sacris petita scripturis." Si autem instituenda est demonstratio ex sacris litteris contra novos errores, id certe praestari non poterit, nisi quae ex sacris litteris proxime et necessario consequuntur eandem fidem habeant, atque ea, quae clare et diserte in iisdem leguntur, quum commenta hominum, quae delet dies, in ea non sint omnia recensita. Igitur de propositi canonis veritate dubitare non possumus.

Multo vero minus Lutherani dubitabunt, qui quum autumant sacras litteras sufficere ad veritatem omnem religionis investigandam, atque ad omnem dogmatum haereticorum detegendam falsitatem, in ea etiam esse debent sententia, ut credant: quae ex scripturarum sanctarum dictis proxime et prorsus necessario consequuntur, ea etiamsi fuere ab iis minime dicta, tamen tanquam dicta ab iisdem habenda esse. Quodsi hoc de scripturis fatentur, non video cur sit idem de auctoribus ceteris deinde negandum, praesertim de PP. ss. qui divini luminis auxilio fulti (quo sane ratio illustrata vires suas validius ac tutius exercere poterat) agmen haereticorum omnium aggressi sunt, aggressumque feliciter ac fauste profligarunt.

Sed PP. de eucharistia agentes talia proferunt, ut necessario, et proxime ex eorum dictis consequatur, temporibus suis, nimirum ante quartum seculum, ecclesiam non panem et vinum, sed corpus et sanguinem Christi offerre consuevisse, ergo si eorum auctoritas plurimi facienda est, profecto tanti pendenda erunt, quae sunt ab iisdem dicta, ac quae ex dictis ab eis proxime consequuntur, et necessario.

Et sane ex liturgia relata a constitutionibus apostolicis, quarum auctoritatem permagni facit Pfaffius, observat acute Maffeius eo tempore, quo condita fuit haec liturgia, consuevisse ecclesiam post consecrationem offerre, et non antea. At certe id non alia de caussa fieri consuevisse credendum est, nisi quia etiam iis temporibus putaverit ecclesia, quod offerendum erat, mutari omnino debere. Quodsi a Clemente, ut Pfaffius arbitratur, ii apostolorum canones fuere collecti, quid igitur est, quod impediat, quominus ingenue etiam fateatur, exstare monumenta antiquissima, ex quibus proxime et necessario consequatur oblationem corporis et sanguinis Christi in eucharistia credidisse fieri auctores seculi quarti?

Praeterea Iustinus martyr ait [2]) *a nemine Deum accipere sacrificia*

1) Catech. 4. 2) Orat. pro Christian. 2.

nisi a sacerdotibus suis, explicans autem, quid sacrificii nomine intelligat, inquit: „Omnia autem sacrificia, quae in toto terrarum orbe nomini eius a Christianis fiunt, quaeque facere Christus docuit idest panis, et calicis, accipiens Deus testatur sibi esse grata.“ Ita in textum Malachiae celebratissimum: *Non est voluntas mea etc.* haec habet[1]) „de iis vero quae a nobis gentibus in omni loco illi offeruntur sacrificiis, hoc est pane eucharistiae, et poculo similiter eucharistiae tunc praedixit dicendo, nos quidem glorificare nomen eius, vos autem profanare:“ deinde enucleat alio in loco mysterium hoc panis et vini hisce verbis[2]), *τοῦ εὐχαριστηθέντος οἴνου κοινοῦ* etc. Quis autem non videat si eucharistica oblatio solius panis et vini fuisset, futurum nunquam ut respueret illam Deus, tametsi homines obtulissent ii, qui nequaquam ordinibus sacris insigniti fuissent, quum dona a quolibet offerente recipiat Deus? Praeterquam quod si solum vinum et panis solus offerebatur, cur non offerebatur ante consecrationem? Quod si solitum fuit offerri utrumque, ut Iustinus testatur, iam consecratum, argumento esse debet ecclesiam credidisse, oblationem per consecrationem mutari.

Insuper martyr Ignatius scribit[3]) *administrandam esse omnibus una uno in loco eucharistiam, quia inquit: quemadmodum unus episcopus est, ita esse unum debet altare.* Ex loco igitur, quo eucharistiam celebrare erat praescriptum, fit manifestum, verum fuisse sacrificium eucharistiam, proinde veram victimam habuisse, si non poterat nisi in altari celebrari.

Item s. Clemens R. P. docet[4]), statuisse Christum, a quo, et quo in loco eucharistia esset administranda. Unde prius vocaverat Christum sacerdotem nostrarum oblationum, quem precandum esse, ait Origenes[5]), ut preces, et sacrificia nostra, veluti sacerdos, offerat Patri, *quum sit sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech:* quod profecto praestari a Christo minime necesse esset, si solus panis fuisset oblatus, et non corpus et sanguis eius, ut ipsa vel per se ratio suadet.

Tandem nonne s. ipse Irenaeus clare testatur *in eucharistia Verbum offerri Deo?* Non sum nescius (inquit Scipio doctissimus) nonnullos legere *non Verbum Deo, sed Deo per Verbum,* contra quos tamen disputat Massuetus, qui legendum esse *Verbum offerri*[6]) *Deo* invicte demonstrat.

Ita Cyprianus ab eodem Pfaffio laudatus narrat scelestam mulierem, cui sacra peragere placuit, consuevisse prius consecrare, et postea offerre: quamobrem sacrificium appellat illud, quia prius consecratum deinde oblatum, sacrificium autem sine victima nullum dici posse passim declarat.

Quae quum ita se habeant: quis adhuc inficias ire poterit, ante quartum seculum consuevisse ecclesiam corpus et sanguinem Christi offerre in eucharistia, qui intelligat id vel clarissime colligi ex PP. qui ante seculum quartum floruere?

Pfaffius tamen non solum hisce a Maffeio allatis inficiatur, sed praeterea refellere conatur, quod ut faciat, lectorem mittit ad ea, quae scripserat[7]) iampridem dissertatione de oblatione eucharistica. Ibi vero

1) Dialog. cum Tryphon. 2) Apolog. 2. 3) Epist. ad Philadelph. 94 4) Epist. ad Corinth. 5) Contr. Celsum. 6) 251. 7) §. 33. pag. 290.

totus est in eo, ut ostendat falli Zephyrinum quum ait[1]) „oblationem consecutam esse consecrationem in vetere ecclesia, corpusque et sanguinem Domini in eadem oblata fuisse, quod est ipsissimum missae sacrificium," quibus post varias animadversiones in verborum etymologias addit „essentiam sacramenti non a sola consecratione, sed a toto sacramenti actu pendere, et distributione quoque cum sumtione coniuncta iuxta verba institutionis:" quod sane quum constitutiones apostolicae non affirment fieri antiqua in ecclesia consuevisse, nihil plane ex iis potest colligi, quod sententiae suae vel fidem, vel negotium valeat facessere.

Ita, Clementem, ait[2]), minime de eucharistica oblatione eo loci fuisse locutum, sed de iis donis, quae Christiani ad sacerdotes deferebant, ut ea deinde *prece sanctificarent, atque ex iis postmodum* eucharistiam conficerent.

Ignatium vero martyrem, pergit, mentem suam explicavisse hac de re in epistola ad Smyrnenses, ubi de eucharistia agens ne verbum quidem fecit unum de oblatione corporis Christi.

Iustini autem sententiam interpretandam esse de oblatione donorum, de precibus, libaminibus etc. patere asserit ex eo, quod s. martyr affirmet sacrificiis nostris non indigere Deum.

Quam interpretationem non esse minus adhibendam ad explicandum Irenaei textum, perspicuum ex eo inquit fieri, quod fere iisdem verbis, quibus est Ignatius usus, Irenaeus quoque utatur, quum hoc de eucharistia argumentum pertractat.

Porro Origenem potius pugnare cum nostra sententia, quam repugnare Lutheranae scholae, quae nullum, post sacrificium crucis, esse verum sacrificium in N. T. contendit; ex ipsis vel maxime Origenis verbis palam esse, asseverat, quum ait[3]) „Videamus, quomodo id vero pontifici Iesu Christo Domino nostro, et sacerdotibus eius ac filiis, nostris vero apostolis possimus aptare .... Quaerimus ergo, quomodo Dominus et Salvator noster, qui est verus pontifex, cum discipulis suis, qui sunt veri sacerdotes, antequam accedat ad altare Dei bibebat vinum, quum vero accedere coeperit non bibebat. Venerat in hunc mundum Salvator, ut pro peccatis nostris carnem suam offerret hostiam Deo. Hanc priusquam offerret inter dispensationum moras vinum bibebat, denique dicebatur homo vorax, et vini potator, amicus publicanorum et peccatorum. Ubi vero tempus advenit crucis suae, *accipiens, inquit, calicem benedixit, et dedit discipulis suis dicens: accipite, et bibite ex hoc. Vos,* inquit, bibite, quia non accessuri estis ad altare. Ipse autem tanquam accessurus ad altare dicit de se: *Amen dico vobis, quia non bibam de generatione vitis huius etc.*" Ex his namque colligi posse existimat Christum ita tunc solum sacrificasse, ut deinde apostoli *commemorativum quoddam sacrificium* celebrare potuerint, verum autem et proprium nullo modo potuerint.

Ad Cyprianum tandem: *oblationes*[4]), ait, duntaxat *communes* spectare, ut quum scripsit „non esse, quod pro dormitione (mortuorum) fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine eorum etc." quod probe observandum, inquit, *ne missas pro defunctis ex his locis elici posse credas.*

---

1) §. 40. p. 338. 2) §. 25. p. 258. 3) §. 30. p. 280. Homil. 7. in Levit. 4) §. 35. pag. 304.

Quam autem promtum, quam expeditum sit hosce Pfaffii ductos perperam a PP. cincinnos refutare, tenent omnes, qui PP. sententias tenent.

Nam primo loco perturbat omnia et confundit Pfaffius, quum minime sacramentum a sacrificio distinguit. Videlicet non est sacramenti essentia in consecratione, oblatione et sumtione, ut ipse loquitur, collocata, sed potius sacrificii, ut docet Lutherus in eo, quem composuit, libro de missa abroganda, et etiam alibi. Quantum autem roboris habeat Maffeii doctissimi momentum a verbis liturgiae in constitutionibus apostolorum relatae depromtum, ex eo vel inprimis colligitur, quod quum oblatio illis quoque temporibus post consecrationem fieri dicatur, et non ante, non solius panis fuisse oblatio videtur, quoniam et ante consecrationem fieri utique potuisset: cuius momenti vim satis Pfaffius perpendens maluit apocryphum hunc constitutionum librum vocare, non animadvertens, inquit praeclare Scipio, quantum inde incommodi oriatur ad *αὐθεντίαν* suorum fragmentorum exagitandam.

Multo vero magis urgere debet argumentum ab Clementis auctoritate petitum, qui satis superque *oblationem precum ab oblatione eucharistica* divisit, quum scripsit, dona oblata a Christianis sacerdotibus fuisse, ut *prece sanctificarent*, deinde *eucharistiam* efficerent. Nempe sanctificare illa precibus minime fuisset opus, si ipsum eucharistiae sacrificium fuisset precum duntaxat et laudis sacrificium. Verumtamen Clementem P. in ea sententia fuisse, ut existimaret, Christianos debere *decimas* et munera alia offerre, apparet ex libro secundo apostolicarum constitutionum, quem placet afferre, tanquam eum, quem minime Pfaffius vertit in dubium, ubi haec habentur [1]) „Quamquam Dominus liberavit vos a servitute adiectorum vinculorum non amplius sinens vos sacrificare animalia bruta pro peccatis, non tamen vos oblationibus liberavit, quas sacerdotibus debetis, et beneficentiis erga eos, qui egent etc.“ nomine autem oblationum communi comprehendi hic non debere oblationem eucharisticam, fidem faciunt, quae paullo antea eodem in libro legi queunt; sunt autem huiusmodi [2]) „Vos igitur hodie, o episcopi, estis populo vestro sacerdotes et levitae, qui ministrant sacro tabernaculo sanctae et catholicae ecclesiae, atque assistentes ad altare Domini et Dei nostri,“ et adducentes ei *καὶ προσάγοντες αὐτῷ τὰς λογικὰς καὶ ἀναιμάκτους θυσίας, rationales et incruentas hostias per Iesum magnum pontificem.* Facile autem ex his vel per se cognoscere unusquisque potest, oblationes precum, oblationes munerum, et oblationes eucharisticas satis superque Clementem separasse. Quapropter quum eucharistica oblatio cum neutra, hoc est precum, vel munerum oblatione confundi queat: concludendum est ibi Clementem loqui de eucharistica oblatione, quam liquido patet ex ipsis s. Clementis verbis [3]), quae habet libro sexto, non solius panis et vini, sed *corporis fuisse et sanguinis Domini.*

Suffragatur huic sententiae Ignatius martyr [4]), ut videre est in ea epistola, quam pro se Pfaffius laudat, in qua de rebus liturgicis, quamquam obiter agat, tamen habet „non licere sine episcopo neque baptizare, neque offerre, neque sacrificium immolare, neque coenam celebrare: in quem locum Ignatii, inquit praeclare Arcudius [5]) „per enumerationem

1) Cap. 4. et 39. 2) Cap. 29. 3) Cap. 23. 4) Epist. ad Smyrn. 5) Lib. 3. c. 15.

idem exprimit Ignatius: eadem enim res, id est corpus Christi offertur Deo, ac sacrificatur, deinde in communionem populo proponitur ac distribuitur." Et re quidem vera, si panis immolari non potest, ut Pfaffius ipse fatetur, quod in altari *per sacrificium immolatur*, diversum sit a pane necesse est.

Iustinus [1]) vero quam clare, quam diserte, quam fuse de oblatione eucharistica locutus sit, ii solum ignorant, qui quum apologiam ad Antoninum imperatorem, tum cetera huius martyris celebratissimi opera, ne primoribus quidem labiis, ut proverbio dicitur, degustarunt. Ibi enim postquam graphice eucharisticam descripsit institutionem, loquitur continuo in haec verba „Non enim, ut communem panem, neque communem potum haec sumimus, sed quemadmodum per Verbum Dei incarnatus Iesus Christus Salvator noster, et carnem et sanguinem esse edocti sumus:" et paullo post vocabulum *εὐχαριστέω praeter communem significationem accipit pro eo* (ut optime observavit Arcudius [2]) *quod est panem et vinum cum aqua consecro* „peracta vero (pergit Iustinus) eucharistia, et universi populi acclamatione, qui a nobis vocantur diaconi singulis praesentibus tradunt communicandum panem eucharistizatum, et vinum, et aquam, et non praesentibus deferunt."

Item Irenaeus [3]) eucharisticae oblationis vim virtutemque describens inquit „Quando ergo et mixtus calix, et fractus panis percipit verbum Dei, fit eucharistia corporis et sanguinis Christi, ex quibus augetur et consistit carnis nostrae substantia: quomodo carnem negant capacem esse donationis Dei, qui est vita aeterna, quae sanguine et corpore Christi nutritur, et membrum eius? Quemadmodum et beatus apostolus ait in ea, quae est ad Ephesios epistola: *quoniam membra sumus corporis eius, de carne eius, et de ossibus eius*, non de spirituali aliquo et invisibili homine dicens haec (Spiritus enim neque ossa, neque carnes habent) sed de ea dispositione, quae est secundum verum hominem, quae ex carnibus et nervis et ossibus consistit, quae de calice, qui est sanguis eius, nutritur, et de pane, qui est corpus eius, augetur. Et quemadmodum lignum vitis depositum in terra suo fructificat tempore, et granum tritici decidens in terram et dissolutum multiplex surgit per Spiritum Dei, qui continet omnia, quae deinde per sapientiam in usum hominibus veniunt, et percipientia verbum Dei eucharistia fiant, quod est corpus et sanguis Christi, sic et nostra corpora ex ea nutrita, et reposita in terram, et resoluta in eam resurgent in suo tempore etc." Quis autem non videat his ostendere voluisse Irenaeum humana corpora ab eucharistia veluti ab ea re, quae Christi corpus continet et sanguinem, haurire immortalitatem? Hic igitur de oblatione eucharistica loquitur, loco autem laudato a Pfaffio de eucharistica oblatione minime loqui, fit manifestum ex comparatione, quam eo loci instituit inter nostras et Iudaeorum oblationes, a quibus Deum petiisse *cordis munditiam* affirmat, quam ait a nobis quoque exigit quum *de nostris non sit indigus Deus*: eucharistiam vero nusquam invenire est ab eo nostram oblationem appellatam, sed oblationem Christi etc. Quapropter s. Irenaeum

---

Apolog. vulgo 2. 2) Lib. 3. cap. 32. 3) Libr. 5. c. 2.

putavisse eucharisticam oblationem esse oblationem corporis et sanguinis Christi, si quid iudico, id sane constanter iudico.

Origenes huic sententiae non refragatur, qui contra Celsum scripsit [1]): „oblatos panes nos edere corpus sanctum quoddam per preces effectos.“ Clarius tamen agens cum Christianis explicuit hac de re quid sentiret, quam contra idololatras quando egit, quibus mysteria religionis pandere crimen capitale ducebatur. Unde quum eucharistia celebrabatur, profani non modo arcebantur ab ecclesia, sed catechumeni quoque, ut et cardinalis Bona [2]) et Moissy [3]) testatum faciunt. Porro Pfaffius, quid Origenes doceat in homilia ab eo laudata, si voluisset perpendere, profecto intellexisset, non de sacrificio eucharistico ibi agere Origenem, sed de ea laetitia, de qua cecinit propheta: *et vinum laetificat cor hominis* [4]). Quare post relata a Pfaffio verba pergit idem Origenes: „Nam ebrietas pro gaudio animae et laetitia mentis accipitur .... Videamus nunc quomodo Salvator noster non bibit vinum, usque quo bibat illud cum sanctis novum in regno Dei. Salvator meus luget etiam nunc peccata mea. Salvator meus laetari non potest, donec ego in iniquitate permaneo. Verum haec quorsum spectant? Ut intelligamus id, quod supra tractavimus, quomodo non bibit vinum; vel quomodo bibit antequam intraret in tabernaculum, antequam accederet ad altare; non bibit autem nunc, quia assistit altari, et luget peccata mea, et rursus bibet post haec, quum subiecta ei fuerint omnia, et salvatis omnibus, et destructa morte peccati, ultra iam necessarium non erit offerre hostias pro peccatis.“ Hactenus Origenes. Ex quibus ita placet argumentari. Tunc necessarium non erit offerre hostias pro peccatis, quum erit destructa peccati mors: haec autem destrui non potest nisi in consummatione seculi: ergo nunc hostia pro peccatis est necessaria. Sed hostia pro peccatis purus putusque panis esse non potest, quia Christus solus iuxta Origenem est vera hostia pro peccatis: ergo non solus panis offertur in sacrificio pro peccatis, sed corpus et sanguis Christi.

Quam luculenter autem Cyprianus eucharisticam oblationem explicaverit, ex universo eius opere, quod exstat, palam est. Scribit enimvero ad Caecilium [5]) „episcopos plurimos ecclesiis dominicis in toto mundo divina dignatione praepositos evangelicae veritatis ac dominicae traditionis tenere rationem, nec ab eo, quod Christus magister et praeco ait, et gessit, humana et novella institutione decedere: tamen quosdam ignoranter vel simpliciter in calice dominico sanctificando, et plebi ministrando non facere hoc, quod Iesus Christus Dominus, et Deus noster sacrificii huius auctor, et doctor fecit et docuit,“ et paullo post: „Nam quum dicat Christus: *ego sum vitis vera,* sanguis Christi non aqua est utique, sed vinum. Nec potest videri sanguis eius, quo redemti et vivificati sumus, esse in calice, quando vinum desit calici, quo Christi sanguis ostenditur, qui scripturarum omnium sacramento ac testimonio praedicetur. Invenimus enim et in Genesi circa sacramentum Noë hoc idem praecurrisse, et figuram dominicae passionis illic exstitisse, quod vinum bibit etc. Item in sacerdote Melchisedech sacrificium et domi-

1) Lib. 8. 2) In liturgia. 3) Dans la Méthod. des Pères. 4) Hom. 7. in Levit. 5) Lib. 2. epist. 3.

nicum sacramentum praefiguratum videmus etc.... Nam si Iesus Christus Dominus et Deus noster ipse est summus sacerdos Dei Patris, et sacrificium Patri seipsum primus obtulit, et hoc fieri in sui commemorationem praecepit, utique ille sacerdos vice Christi vere fungitur, qui id, quod Christus fecit, imitatur, et sacrificium tunc verum et plenum offert in ecclesia Deo Patri etc." Hactenus Cyprianus. Quibus ita constitutis hunc in modum argumentamur.

Oblatio Noë et Melchisedech *sacrificii dominici sacramentum praefiguravit,* si credimus Cypriano, sed eidem Cypriano fidem si habemus aliquam: *sacerdos, qui id, quod Christus fecit, imitatur,* non solum sacrificium crucis commemorat et figurat, sed sacrificium praeterea *verum et plenum offert in ecclesia Deo Patri:* ergo oblatio sacerdotis in N. T. sit plane diversa ab oblatione Noë et Melchisedech oportet: quamvis ambae crucis sacrificium figurent, faciundum altera, altera factum. Atqui oblatio Noë fuit vini duntaxat, Melchisedech vero vini tantummodo et panis: Ergo oblatio sacerdotis in N. T. non sit solius panis et vini necesse est, sed corporis et sanguinis Christi.

Quod sane argumentum confirmare possumus ex iis, quae idem Cyprianus habet de oratione dominica[1]) ubi ait, Christum panem nostrum vocari, *quia Christus noster, cuius corpus contingimus, panis est:* ac sermone de coena Domini, in quo ita perspicue loquitur „Nova est huius sacramenti doctrina, et scholae evangelicae hoc primum magisterium protulerunt, et doctore Christo primum haec in mundo innotuit disciplina, ut biberent sanguinem Christiani, cuius esum legis antiquae auctoritas districtissime interdicit etc."

Legem autem antiquam prohibuisse esum veri sanguinis, praescripto illo celebratissimo[2]): *Nolite* manducare panem hircorum, aut taurorum etc. adeo certum est, ut a Mose ad nos, quod sciam, dubitaverit nemo.

Igitur si praescripsit Christus, quod interdixit lex vetus, praescripserit oportet veri sanguinis esum.

Illud autem certe iussit, quum dixit: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis eius sanguinem etc.*

Ergo revera Christi carnem manducamus.

Sed panis ille solemni benedictione (pergit Cyprianus) sacratus ad totius hominis vitam salutemque proficit: simul medicamentum exsistens et holocaustum.

Ergo si solemnis benedictio fieri consuevit ante oblationem, iam holocausti rationem adeptus erat, quum offerebatur; ac proinde Christi iam corpus effectus, et panis non amplius. Sed a Cypriano, vel (ut aliis placet) a Firmiliano non discedamus, qui eo loci scripsit, non esse sacrificium pro eo offerendum, qui ad tutelam vel curam clericum nominaret „neque enim, inquit, apud altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes et ministros voluit avocare:" ex quo Cypriani textu, mirum, quam validum sit depromtum argumentum ad liberandum purgatorium, et missas pro defunctis ab difficultatibus adversantium.

Qui autem hisce ss. PP. dictis sane ac recte intellectis adhuc in

1) Circa medium. 2) Deuter. 12.

dubium vertit, utrum ecclesia ante quartum seculum consueverit corpus et sanguinem Christi offerre in eucharistia, is profecto, quum lucet, sol sit, an nullus sit, dubitare mihi posse videtur.

Non enim alio modo in hoc argumento versatus est Chrysostomus, qui, ut optime Maffeius animadvertit, sacrificium eucharisticum *mactationem Dei* consuevit appellare ἅμα ἀκούσει τοῦ κήρυκος τὴν φοβερὰν ἐκείνην καλοῦντος Θεοσφαγίαν [1]) nec non ipsam eucharistiam *carnem et sanguinem Christi.* Quod si satis intelligi non potest, qui fiat, ut *Deus offeratur Deo et eadem victima immoletur quotidie,* ut cum Pfaffio loquamur; certe nec satis intelligi a quoquam poterit, quomodo Christus hostiae consecratae fiat praesens, quod tamen, quamquam minime intelligat, haud dubie Lutheranus admittit. Id siquidem praedicante Christo neque Iudaei satis percipere poterant. Hinc Chrysostomus [2]) „horrore sunt digna (ait) quae dicuntur, et quomodo audi. *Amen dico vobis, inquit, si quis non manducaverit carnem meam, et biberit sanguinem meum, non habebit vitam in semetipso.* Etenim quum superius dicerent id fieri non posse, ostendit ipse non solum non impossibile, sed et valde necessarium. Et post nonnulla: Quid significat quod ait, *caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus?* Aut quod is est verus cibus, qui salvat animam, aut ut eos in praedictis confirmet, ne obscure locutum in parabolis arbitrentur, sed scirent omnino necessarium esse, ut corpus comederent. Et alio in loco: Nam si non potest (inquit) quis in regnum caelorum ingredi, nisi per aquam et Spiritum regeneratus fuerit, et qui non manducat carnem Domini, et sanguinem eius non bibit, aeterna vita privatur. Omnia autem haec si haud aliter quam per sacrosanctas illius manus perficiuntur, manus, inquam, sacerdotis: qui fiet ut sine istis possit aliquis vel ignem gehennae effugere, aut repositas assequi coronas?“ Ita Chrysostomus, qui luculentissime ostendit, repudianda minime esse, quae minime intelliguntur. Unde id credere ac profiteri utraque ecclesia cum Graeca, tum Latina gloriatur, quarum altera habet in sua liturgia τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν σοὶ προσφέρομεν: altera autem, ut constat ex antiquissimo sacramentario exstante apud Maffeium accuratissimum, sic consuevit precari „Remotis obumbrationibus carnalium victimarum spiritalem tibi Pater hostiam supplici sermone deferimus: *quae miro ineffabilique mysterio et immolatur semper, et eadem semper offertur;* pariterque et devotorum munus, et remunerantis est prooemium.“ Quam sane precandi formam Thomasius S. R. E. cardinalis recensuit, atque invenisse ait in antiquissimis codicibus sacramentariorum. Quidni ita est? Cyrillus Hierosolymitanus passim in suis Mystagogicis Catechesibus id vel clarissime docuit, a quibus esse ss. PP. sententias hauriendas, atque ecclesiae doctrinam deducendam ostendit Moysi. Ibi autem loquitur in haec verba Cyrillus [3]) „Panis et vinum eucharistiae ante sacram invocationem adorandae trinitatis panis erat et vinum merum,“ peracta vero invocatione panis quidem fit corpus Christi, vinum autem sanguis Christi, et alibi [4]), Christum, inquit, offerimus pro peccatis nostris immolatum.

Quod si haec quarti seculi monumenta interpretanda sunt pro Maffeii

1) De sacerdot. lib. 3. et homil. 46. 2) Homil. 46. 3) Cat. 1. 4) Cat. 5.

sententia, ut innuere Pfaffius visus est; sane non video, cur et recitata testimonia illorum PP., qui exstiterunt ante seculum quartum, non sint item pro Maffeio exponenda. Quin etiam Graeci ipsi, ut recte quidem Scipio doctissimus observat, quum iurgii caussam quaesierint, nactique sint omnem ad institutam divisionem ecclesiarum Graecae et Latinae restaurandam, fovendam, augendam rationem, neque hac in re ab placitis Romanae religionis discordare ausi sint, profecto non esse alia ratione interpretandos PP. de eucharistica oblatione agentes, atque interpretata est Romana ecclesia, cognoverint ipsi necesse est.

Tria sunt tamen, quae hisce Pfaffius opponit. Primum ab ipsa PP. quarti seculi auctoritate sumsit, et est huiusmodi.

Controversia, inquit, qua de agimus, ita exposita fuit, ita instituta: num scilicet PP. qui ante quartum seculum floruernnt crediderint, in oblatione eucharistica offerri corpus et sanguinem Christi.

Sed momenta a Maffeio in hoc postremo argumento allata ab auctoribus quarti seculi fuere depromta. Ergo susque deque pendenda sunt.

Alterum sumtum est ex eorundem PP. interpretatione, et potest ad hunc plane modum exponi.

Mactatio victimae, quae ab illis in eucharistica oblatione profertur, allegorica et mystica interpretatione accipienda est.

Ergo vox etiam *sacrificium* erit in hunc modum interpretanda. Igitur non est oblatio eucharistica nisi sacrificium commemorativum, quod Augustinus tradidit, quum scripsit [1]), „sacramenta ita appellari, quia similitudinem quandam habent earum rerum, quarum sunt sacramenta.“ Et item [2]): „Non toties Christum mori, quoties pascha celebratur, sed tamen anniversaria recordatione repraesentari, quod olim factum est.“

Postremum denique duxit ab auctoritate Petri Lombardi et s. Thomae, quorum alter docuit [3]) „quotidie immolari Christum in sacramento, quia in sacramento recordatio fit illius, quod factum est semel.“ Alter vero ait, „celebrationem huius sacramenti imaginem esse repraesentativam passionis Christi, quae est vera eius immolatio; et ideo celebratio huius sacramenti dicitur Christi immolatio.“ Unde pergit Pfaffius, in concilio Tridentino acerrime fuisse hac de re disputatum: adeo verum est, (inquit) doctrinam ab hoc concilio traditam esse novam.

Egregiam mehercle rem tentavit Pfaffius, et per quem modo iuravi Hercule dignam, quum confirmare tentavit sententiam suam auctoritate Lombardi et Thomae, ex quibus rivulis hortulos suos quum irrigavit ecclesia, Christi turpissime labefactasse doctrinam potissimum scholae Lutheranae coryphaei asseverarunt [4]). Verum de his postea, nunc ad primam Pfaffii rationem revertamur. Ad quam sane dicimus, ideo auctoritate PP., qui post quartum seculum floruerunt, usum in hoc postremo argumento fuisse Maffeium, ut ex comparatione eorum, qui vixere ante seculum quartum, cum iis, qui postmodum floruere, constaret, nihil prorsus esse, quare dicamus hos de oblatione corporis et sanguinis Christi intelligendos, eos vero de mystica quadam et allegorica oblatione interpretandos esse. Quum enim iudicii natura maxime sit in comparatione

1) Epist. 23. 2) In Psalm. 4. 3) In 4. Sentent. d. 12. 4) Tribbechovius de Scholast.

collocata, ut dialectici docent, quumque Pfaffius concedat PP. seculi quarti dicta interpretari posse de oblatione corporis et sanguinis Christi, sane nulla erat alia ineunda via ad id, quod Maffeius contendebat, persuadendum, nisi illa, quae veluti prae oculis utriusque aetatis PP. ss. dicta ponebat, quamque tenuit Scipio doctissimus, et qua effecit, ut appareret, nihil infirmiori talo (ut in proverbio est) niti posse, quam hac in re ipsius Pfaffii opinatio.

Ad alterum vero argumentum facilis est et expedita responsio. Nam extra omnem dubitationis aleam positum iam esse arbitror effatum illud, quod principio demonstravimus: Videlicet si dicta et voces PP. communi significatione accipi queant, non esse cur recurramus ad allegoricam vel mysticam interpretationem. Quod si quis aveat id ex ipsorum PP. sententiis ostensum habere, profecto non adeo in arida palaestra versamur, quin id demonstrare multiplici quoque ratione parati simus. Nam Cyrillus primo loco panem et vinum distinguit ante invocationem ss. trinitatis ab pane et vino post eius trinitatis ss. invocationem, quia panis, inquit [1]), *fit corpus Christi, et vinum sanguis Christi.* Hinc alio in loco asseruit, *sub specie panis dari* (Christiano) *corpus, et sub specie vini sanguinem dari.* Quibus autem verbis utitur nunc ecclesia, quum docet quae pertinent ad eucharistiam, nisi ipsissimis, quae mox attulimus ex ipsius Cyrilli scriptis excerptis? Igitur nihil clarius, nihilque validius produci ab Maffeio poterat ad sententiam suam confirmandam.

Ad Chrysostomum vero quod attinet, illum non allegoria, neque mysterio fuisse usum, quum scripsit, *nos Christi carnem manducare,* dubitare quis potest? Si enim verbum illud *edere* communi significatione accipiendum est, cur non item voces illas *carnem Christi*? Concludamus igitur oportet, Cyrillum et Chrysostomum reapse credidisse offerri in eucharistia aeterno Patri corpus et sanguinem Christi. Quae sane, animadvertat quaeso Pfaffius, quam clare Augustinus confirmet. Inquit autem [2]) „haec vero, fratres, quomodo possent fieri in homine, quis intelligat? Quis enim portatur in manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso David secundum litteram non invenimus, in Christo autem invenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando comedens ipsum corpus suum ait: *Hoc est corpus meum.*" Hactenus Augustinus, qui quum testetur nos itidem *ferre Christum in manibus quum consecramus,* nullum dubitationis locum reliquit, se nempe existimavisse, ecclesiam in eucharistia corpus et sanguinem offerre Salvatoris.

Ad postremum vero ita responsum volumus: Pfaffium, quae habet Petrus Lombardus, aut non perpendisse, aut noluisse perpendere. Nam investigans eo loci sententiarum magister, an *quod gerit sacerdos proprie dicatur sacrificium, vel immolatio* „Ad hoc, inquit, breviter dici potest, illud quod offertur et consecratur a sacerdote, vocari sacrificium et oblationem, quia memoria est et repraesentatio veri sacrificii et sanctae immolationis factae in ara crucis: et semel Christus mortuus est in cruce, ibique immolatus est in semetipso. Quotidie autem immolatur in sacramento, quia in sacramento recordatio fit illius, quod factum est semel.

1) Cat. 4. 2) Serm. 1. in Psalm. 33.

Unde Augustinus: *certum habemus, quia Christus resurgens ex mortuis iam non moritur etc. tamen ne obliviscamur, quod* semel factum *est, in memoria nostra omni anno fit. Scilicet quoties pascha celebratur. Numquid toties Christus occiditur? Sed tantum anniversaria recordatio repraesentat, quod olim factum est etc.* Hoc autem sacrificium exemplum est illius; id ipsum semper ad ipsum offertur. Proinde hoc est sacrificium etc. In quem porro magistri textum inquit s. Thomas: Non enim dicimus quod Christus quotidie crucifigatur et occidatur, quia actus Iudaeorum et poena Christi transiit. Illa autem, quae important comparationem Christi ad Deum Patrem, dicuntur quotidie fieri, sicut *offerre et sacrificare,* et huiusmodi, eo quod hostia illa perpetua est, et hoc modo est semel oblata per Christum, quamquam quotidie etiam per membra ipsius offerri possit.“ Quapropter tria consideranda sunt in sacrificio eucharistiae, primum ratio ipsa sacramenti, qua fit, ut similitudinem quandam habeat eius rei, quam refert. Hinc illud Augustini [1]): „Si enim sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum sunt sacramenta, non haberent, omnino sacramenta non essent.“ Secundo consideranda est ratio sacrificii, qua nempe fit, ut quotiescunque celebratur, hostia immoletur Deo pro peccatis nostris. Unde illud Chrysostomi [2]): „Lex in veteri testamento multas habebat hostias, hanc quidem pro peccatis, illam vero dictam *holocaustoma,* aliam vocatam laudis, aliam salutis, permultasque alias, et varias pro his, qui in innumeris piaculis recensebantur. Omnino magnus erat et sine modo numerus sacrificiorum in lege, quae omnia nova superveniens gratia uno complectitur sacrificio, unam et veram statuens hostiam.“ Et Augustinus [3]), „In multis, inquit, sacrificiis, quae pro peccatis offerebantur, unum hoc nostrum sacrificium significatur, in quo vera fit remissio peccatorum.“ Postremo est in ipsa eucharistia imago ipsa spectanda, quatenus haec oblatio fit nunquam, *quin recolatur memoria passionis Christi.* Inde illud Ambrosii [4]) (vel quicunque sit auctor horum commentariorum vetus sane vir et gravis, ut iidem testantur Erasmus et Vossius) „in Christo oblata est hostia ad salutem potens: quid ergo nos? Nonne per singulos dies offerimus? Etsi quotidie offeramus, ad recordationem eius mortis fit, et una est hostia, non multae.“ Nisi igitur Pfaffius haec distinguat in eucharistia, sed distinctas hasce rationes perturbet, atque permisceat, profecto neque PP. ss. dicta interpretabitur recte, neque poterit veritatis fontem rimari.

Haec, praestantissime vir, mihi visa sunt non indigna sapientia tua. Vale.

---

1) Epist. 23. 2) In Psalm. 95. 3) Q. v. et N. q. in Levit. 4) In epist. ad Hebr.

VII.

VIRO ILLUSTRISSIMO

ANTONIO LUCIO

EPISCOPO BOVINENSI

FR. FRANCISCUS MARIA LEONI M. C.

S. P. D.

Ego quanti te faciam, semperque fecerim, sum mihi ipse testis. Ab eo namque tempore, quo in Romano ordinis nostri gymnasio te magistro ac mystagogo prospere fortunateque contigit mihi theologica in disciplina versari, tantum sane crevit in me studium tui atque etiam admiratio, ut nihil sanctius, nihil antiquius habuerim, quam observantiam in te meam publica significatione testatam facere. Quaerenti vero iam diu mihi argumentum dignum et gravitate tua, et praeclara, qua polles, eruditione, occurrit Christophori Matthaei Pfaffii gravis et erudita tractatio *de forma eucharisticae consecrationis,* quam adversus clarissimum et nobilissimum virum Maffeium concivem nostrum instituit, quamque refellere quum conarer velis remisque, ut aiunt, operae pretium me facturum esse duxi, si elucubratiunculam meam, qua Pfaffii iacula repellebam, celebri tuo nomine inscriberem. Feci autem eo sane consilio, ut et tu celebritate famae tuae mihi non mediocris esses adiumenti; et ego si non parem, aliquam saltem tibi, pro innumeris beneficiis in me tuis, gratiam referrem. Hominis enim ingenui est, fateri per quos profeceris: ego vero si quid profeci, per te profecisse non fateor solum, verum etiam profiteor. Quin etiam si quid est in his, quae contra Pfaffium scripsi, quod hominum approbatione dignum sit, id velim sciant omnes, me a doctrina tua veluti a perenni vena hausisse. Quum igitur sapientiae tuae rivulis hortulos meos irrigaverim: non ad alium appellare mihi fas erat, quam ad te ipsum. Quod si haec qualiacunque sint tibi placere intelligam, iam laboris mei fructum maximum cepisse cognoscam.

Postquam doctissimus et nobilissimus Marchio Scipio Maffeius ostendit, Pfaffii de oblatione eucharistica opinationem infirmo talo esse nixam, descendit ad alteram eiusdem auctoris examinandam sententiam *de forma consecrationis eucharisticae,* quam explicuit in notis ad eadem fragmenta eo certe praeiudicio ac prolepsi captus, qua Lutheranae haeresis laborare solent theologi ad unum omnes. Nempe Christophorus Matthaeus Pfaffius [1]) contendit, consecrationem eucharistiae, penes patres antiquos et veterem ecclesiam *in precibus, maxime vero in invocatione Spiritus sancti constitisse, ab ecclesia vero Romana postea fuisse mutatam, utpote*

1) Pfaff. in not.

quae in solis verbis institutionis totam consecrationem ponat. Porro Maffeius quum non ignoraret Ambrosii Catarini, et Christophori a Capite Fontium, ac aliorum etiam Catholicorum auctorum[1]) hac de re opinionem minime damnatam, minimeque explosam fuisse, totus est in eo, ut demonstret *ἐπίκλησιν* Spiritus s. nunquam ceu partem formae essentialis consecrandae eucharistiae habitam fuisse, acceptamve. Quod profecto vir doctissimus multiplici argumento praestitit, quod nos modo in animo habemus enucleare diligentissime, et ab postremis Pfaffii accusationibus, ne dicam obiurgationibus vindicare. Id autem efficere conabimur eadem prorsus via et ratione, qua usi sumus in superioribus, regulas easdem si opus erit adhibentes, quas iampridem certissimas esse ostendimus, et quibus quantum luminis controversiis criticis afferatur, vident omnes, qui rationem disputandi geometricam omnium clarissimam esse vident utilissimamque. Nos sequi illam, prout materia patitur, nixi sumus. Utrum rem perfecerimus aliorum sit iudicium, nobis, ut communi adagio fertur, grande aliquod nos ausos esse sat erit.

Sed ad ipsam rem accedamus.

I. *In sacramentis consecrandis regula est illa ad amussim servanda, quam institutor Christus praescripsit.*

Hic canon est viri sanctissimi, itemque gravissimi Cypriani, quem saepe adhibuit contra illos, qui propterea, quia in calice eucharistico solam aquam infundebant, eaque una perfici Sacramentum putabant Aquarii fuere dicti, contra quos, quum multis in locis, tum epistolis III. et LXIII. agit in haec verba. „Quomodo, inquit, possumus propter Christum sanguinem fundere, et sanguinem Christi erubescimus bibere? .... Quidam vel ignoranter, vel simpliciter in calice sanctificando, et poculo ministrando non hoc faciunt, quod Christus fecit et docuit.“ In eundem plane canonem intendere visus est Iustinus martyr ante Cyprianum, quum scripsit[2]): „Apostoli in commentariis suis, quae evangelia dicuntur, ita sibi praescripsisse tradiderunt, eum accepto pane, quum gratias egisset, dixisse: *Hoc facite in meam commemorationem: Hoc est corpus meum*, dixisse etiam accepto poculo, quum egisset gratias: *Hic est sanguis meus*, ipsisque solis dedisse.“ Irenaeus porro hac de re agens praescripto ferme eodem usus est. Nam antequam ad mysterium eucharistiae explicandum descendit, narrat quid Christus egerit in consecratione panis et calicis; deinde addit[3]): „et Novi Testamenti novam docuit oblationem, quam ecclesia ab apostolis accipiens in universo mundo offert Deo etc.“ praedicans nempe Christum efficiendo docuisse; a Christi vero doctrina ne transversum quidem unguem discedendum esse. Tertullianus item agens de placitis christianae religionis ac de mysteriis omnibus, inter quae non inferiorem certe obtinent locum sacramenta, ait[4]): „Nobis vero nihil de nostro arbitrio inducere licet. Sed nec eligere, quod aliquis ex suo arbitrio induxerit. Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quidquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt, sed acceptam a Christo

1) Vide tract. de euchar. Turnebii. 2) Apolog. II. 3) Lib. 4. cap. 32. 4) De praescript. c. 6.

disciplinam fideliter nationibus adsignaverunt“: et infra, „sed in primis hoc propono (inquit [1]) unum utique, et certum aliquid institutum esse a Christo, quod credere omnino debeant nationes, et idcirco quaerere, ut possint, quum invenerint, credere. Unius porro et certi instituti infinita inquisitio esse non potest etc.“ Quod universale praescriptum rursus adhibet, quum de baptismo agit. Diserte siquidem docet [2]) „legem tingendi impositam esse, et formam praescriptam. Ite, inquit, ad omnes gentes tingentes eos in nomine *Patris* et *Filii* et *Spiritus sancti.*“ Verumtamen de sacramento eucharistiae id etiam clarius explicuit, quum scripsit, rationem consecrandae eucharistiae Christum docuisse [3]), „quando acceptum panem corpus suum fecit dicendo, *Hoc est corpus meum.*“ Hactenus patres, a quibus veluti a clarissima perennique vena fluunt traditionis canones, et antiquae ecclesiae disciplinae ceu rivuli accersiti et ab ipso capite ducti. Quod si ratum etiam a viris theologis pronunciatum illud iuris-consultorum, *Ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus,* semper habitum est, quod saepe divus Bernardus adhibuit vel hisce verbis, vel ferme similibus, *Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil:* sane non video, cur Tertulliani verba non sint etiam ad sacramenta ipsa dilatanda, quum generalia sint lateque pateant. Sed quid multis verbis? Lutherus ipse regulae huius veritatem agnovit, quum fassus est [4]) „clare expressisse Christum, quas ceremonias velit, ac formam ipsum praescripsisse, ut illa ipsa signa, neque alia, illa ipsa verba, neque alia sint adhibenda (adeo ut) si infantem intingeres aqua, neque adderes verba baptismi, sed pronunciares orationem dominicam, aut alia quaedam verba ex sacris litteris, non esset verus baptismus.“ Et infra: „Si quis pane et vino proposito pronunciaret non ipsa verba sacramenti, sed aut decalogum, aut symbolum apostolorum, aut sententiam aliquam sacram, vel psalmum, non esset verum corpus et sanguis Christi.“ Hactenus Lutheranae scholae auctor, qui tanti fieri a Pfaffio debet, quam qui plurimi. Ex his autem quid quaeso consequitur? nisi illud vel certissimum ratumque apud theologos omnes: nimirum *in sacramentis consecrandis regulam illam esse ad amussim servandam, quam institutor Christus praescripsit.*

Porro non apparet, ut praeclare Maffeius animadvertit, *ἐπίκλησιν* Spiritus s. adhibuisse Christum, quum eucharistiae sacramentum celebravit. Quin etiam Christus Dominus si precibus et oratione ad sanctum Spiritum consecravisset, quando nemo tradidit orationis illius formam, ignoraret ipsa Christi ecclesia eucharistiae consecrandae rationem. Quo sane quid stultius dici potest, aut aestimari? Nullum siquidem ecclesia ius sibi unquam usurpavit in ea, quae Christus instituit, adeo ut essentiam variaverit, aut naturam. Ornavit, haud inficior, sacramenta ipsa, potissimumque sacrificium missae precibus et ceremoniis veluti exuviis quibusdam, ut Apuleii verbo utamur; sed substantiam integram omnino inviolatamque servavit, quum sciat ecclesia quoad ea, quae Christus instituit, precariam tantummodo se potestatem habere. Igitur si in sacramentis celebrandis regula praescripta a Christo Domino est ad amussim servanda: non video, qui fieri queat, ut invocatio Spiritus s. ad essen-

1) Item c. 9. 2) Lib. de baptism. 3) Contr. Marc. lib. 4. 4) Homil. de baptismo 1.

tiam consecrationis pertineat, quum de hac praescriptum a Christo habeamus prorsus nullum, atque ignoremus, utrum institutor Dominus in eucharistia consecranda illa sit usus, sed id extra omnem dubitationis aleam positum sit: ecclesiam primis christianae religionis temporibus eam minime adhibuisse, quae tamen semper ratum habuerit [1]), „sacram ipsam oblationem, sive illam quilibet sacerdos, sive illam Paulus, sive Petrus offerat, eandem esse, quam dedit Christus ipse discipulis, quamque sacerdotes modo quoque conficiunt. Nihil habere istam, quam illam, minus. Cur id? Quia non hanc sanctificant homines, sed qui illam ante sacraverat. Quemadmodum enim verba, quae locutus est Christus, eadem sunt, quae sacerdotes nunc quoque pronunciant, ita et oblatio eadem est.“ Ex quibus verbis satis superque liquet, ideo oblationem eucharistiae nostram eandem plane esse cum Christi oblatione, quam celebravit post legalem coenam, quia verba ipsissima nunc quoque adhibet sacerdos, quae Christus adhibuit. Igitur si non constat in consecrando pane et vino adhibuisse Christum Spiritus s. *ἐπίκλησιν*, constare certe non poterit, eandem Spiritus s. *ἐπίκλησιν* essentialem quandam formae partem eucharistiae constituere.

Verum Pfaffius in postrema sua ad litteras Maffeii responsione doctrinam a nobis superius iactam firmiterque statutam evertere omnino conatur, ea sane ratione, iisque momentis, quibus ii solent omnes, qui colorem non sanguine diffusum, sed fuco illitum sectantur. Intendit namque omnes nervos, ut persuadeat, regulam nos in sacramentis consecrandis a Christo praescriptam ad amussim servare, si verba proferamus cum illis a Christo prolatis eandem prorsus significationem habentia, „quum sacramentum, inquit, a certis quibusdam verbis externis pendere non possit, ut de baptismo factum esse asseverat, qui et in nomine Christi, et in nomine sanctissimae trinitatis fuit ministratus: multo vero magis, ait, de eucharistia dicendum id esse, de qua non constat, quibus fuerit verbis a Christo consecrata, quum dictio illa, sic enim loquitur, H. E. C. M. in distributione fuerit prolata, postquam gratias egit Christus, ac benedixit, *quod quaeso,* pergit, *quid aliud est, quam consecravit?* Proinde minime ad consecrationem pertinere dictionem illam ait, quam variam propterea apud evangelistas et Paulum legere est.“ Haec ille. Quae sane quum considero, videtur mihi Pfaffius antiquus Vestorius ille a dialecticis omnino remotus. Nam si verba, quibus nos utimur quum consecramus, eandem prorsus significationem habere debent cum illis, quibus usus est Christus, ergo constare debet, quae Christus verba adhibuerit; sed, inquit Pfaffius, de eucharistia non constat, quibus fuerit verbis consecrata: igitur nos quoque, inquam ego, ignoremus necesse est, utrum verbis utamur eandem significationem habentibus cum illis, quibus usus est Christus.

Praeterea, ut verba consecrationis nostra cum verbis a Christo adhibitis aliqua saltem ratione convenirent, sciri procul dubio deberet, quodnam fuerit, ut cum Pfaffio loquamur, verborum, precum etc. quibus Christus est usus, argumentum; sed utrum quum oravit, quum benedixit etc. invocaverit Christus Spiritum sanctum, plane ignoratur, nec rimari id,

1) Chrysostom. hom. 2. ad Timoth.

venarique ullo modo potest, silente hac de re Christo, apostolis et ecclesia. Ergo ἐπίκλησις Spiritus sancti pertinere ad essentiam consecrationis non potest.

Deinde non fit consecratio, nisi quando sacerdos loquitur, ut Christi prae se personam ferens. „Quomodo potest, inquit Ambrosius [1]), quod panis est, corpus esse Christi? Consecratione. Consecratio igitur quibus verbis est, et cuius sermonibus? Domini Iesu. Nam reliqua quum dicuntur laus Deo offertur etc..... Ubi venitur, ut conficiatur venerabile sacramentum, iam non suis sermonibus sacerdos, sed utitur sermonibus Christi."

Atqui in nulla prorsus liturgia introducitur ἐπίκλησις Spiritus sancti a sacerdote recitanda, tanquam ab eo qui gerat personam Christi, sed veluti ab eo, qui precibus indiget, ut tanti ministerii obtineat effectum. Quod ex una Iacobi liturgia, quae esse instar omnium potest, vel certissime eruitur. Habet enim [2]) „miserere nobis Deus Pater omnipotens, et mitte Spiritum tuum sanctum Dominum, et vivificantem, qui tibi throno aequalis est, et filio aequalis regno, consubstantialis, et coaeternus, qui locutus est in lege et prophetis et Novo Testamento tuo; qui descendit in similitudine columbae super Dominum nostrum Iesum Christum in Iordane flumine: qui descendit super apostolos sanctos in similitudine linguarum ignis. *Populus* Kyrie eleison *ter. Sacerdos.* Ut adveniens efficiat panem istum corpus vivificum, corpus salutare, corpus caeleste, corpus animabus et corporibus salutem praestans, corpus Domini Dei, et Salvatoris nostri Iesu Christi in remissionem peccatorum, et vitam aeternam accipientibus illud. *Populus:* Amen. *Sacerdos:* et mixtum quod est in hoc calice efficiat sanguinem Testamenti Novi, sanguinem salutarem, sanguinem vivificum, sanguinem caelestem, sanguinem animabus et corporibus salutem praestantem, sanguinem Domini Dei, et Salvatoris nostri Iesu Christi in remissionem peccatorum, et vitam aeternam suscipientibus illum. *Populus*: Amen. *Sacerdos:* Ut sint nobis, et omnibus, qui ex illis accipiant, iisque communicabunt ad sanctitatem animarum et corporum, ad sanctificationem operum bonorum, ad confirmationem ecclesiae tuae sanctae etc." Quis autem tam imprudens rerum esse potest ignarusque omnium, ut haec putet a sacerdote dici, ceu Christi personam gerit potius quam propriam? Ad baptismum vero quod attinet, aio certum non esse, baptizaverintne apostoli in solo nomine Christi [3]). Qui autem id ita factum fuisse affirmant, ii etiam credunt ex divina quadam dispensatione fuisse factum. Peccant autem turpissime, inquiunt dialectici, qui ad rei dubiae fidem faciendam, re non minus dubia vel non satis explorata utuntur. Quapropter nos, qui in ea sententia sumus, ut existimemus, vim sacramentorum omnium ex verborum forma pendere, non quidem propter vocabulorum sonum, sed propter Christi institutionem; arbitramur quoque fieri nihil minus posse in sacramentis, quam verba institutoris, quoad significationem, variare; quae tamen variari posse censemus, si eandem plane suffecta verba significa-

1) De Sacram. lib. 4. c. 4. 2) Apud Euseb. Renaudot. Tom. II. liturg. s. Iacob. 3) Dum haec scriberem, Patavii edita Diss. est de baptismo in solius I. C. nomine, nunquam consecrato, Auct. anonym. Sed putant plerique R. R. M. Seri.

tionem retineant. Ut si quis non *baptizo* diceret, sed *abluo*, sed *tingo te in nomine Patris etc.* utique baptizaret, quia sono discreparent verba, significatione vero convenirent. Quod si variari quoad significationem formam in baptismo posse nullo modo, putamus; cur non idem dicemus de eucharistia? Nam verba illa H. E. C. M. certe non frustra a Christo fuere prolata: sed si Christus illis minime consecravisset, sed benedictione et precibus, quum isthaec prius fuerint ab eo facta, quam verba illa protulerit, verba inquam illa H. E. C. M. non fuissent, ut Lutherani loquuntur, enunciativa rei iam factae. Ergo non *porrigendo* benedictum panem corpus suum effecisset, ut Pfaffius probare nititur, sed illum iam consecratum praebuisset. Quum igitur in omni liturgia ἐπίκλησις Spiritus s. subsequatur prolationem illorum verborum: alterutrum consequatur oportet, aut omnem liturgiam praeposterum habere ordinem in consecratione, quum Christus prius benedixerit, deindeque dederit discipulis suis dicens H. E. C. M., liturgia vero omnis prius recitare verba illa H. E. C. M. deinde invocare Spiritum s. insinuet: aut consecrationem non fieri invocatione Spiritus s., sed potius certissimis verbis illis H. E. C. M. Ad quod sane ostendendum cum constantia, tum etiam concordia illorum, qui verba haec retulerunt, maxime facere posse, existimamus. Evangelistae siquidem institutionem eucharistiae commemorantes, repetere verba illa non omisere. Matthaeus etenim ait [1]) „coenantibus autem eis accepit Iesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait, accipite, et comedite H. E. C. M. Et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis dicens H. E. E. S. M. N. T. qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum." Marcus vero id ferme iisdem verbis describit, ait namque [2]): „Manducantibus illis accepit Iesus panem, et benedicens fregit, et dedit eis, et ait: Sumite H. E. C. M., et accepto calice gratias agens dedit eis, et biberunt ex illo omnes, et ait illis H. E. S. N. T. qui pro multis effundetur etc." Quem in textum aiunt interpretes doctissimi, non voluisse innuere Marcum, verba illa H. E. S. N. T. fuisse a Christo prolata postquam biberant discipuli, quia hoc modo pronomen *hic* omisisset, quandoquidem demonstrativum quum sit, significat Christum quasi digito indicasse sanguinem suum exstantem adhuc et manifestum: sed prolepsi quadam et anticipatione usus est, ut significaret apostolos Christi iussu implevisse statim ac dixerat *Bibite ex eo omnes.* Sed ut eo redeamus unde paullulum deflexit oratio. Lucas item [3]) „et accepto pane, inquit, gratias egit, et fregit, et dedit eis dicens H. E. C. M. quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem postquam coenavit dicens H. E. C. N. T. in sanguine meo, qui pro vobis fundetur etc." Similia omnino sunt, quae in hoc ipsum argumentum scripsit Paulus ad Corinthios in haec verba [4]): „Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit, et dixit: Accipite et manducate H. E. C. M. quod pro vobis tradetur: Hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem postquam coenavit dicens: *Hic calix Novum Testamentum est in meo sanguine,* hoc facite quoties cunque bibetis in meam commemorationem etc." Apparet autem hunc

1) Matth. c. 26. 2) Marc. c. 14. 3) Luc. c. 22. 4) Ad Corinth. I. cap. 11.

apostoli textum optime congruere cum textu Lucae, qui quum in afferendis Christi verbis ad panem pertinentibus H. E. C. M. ne transversum quidem unguem ab narratione aliorum evangelistarum discedat, in afferendis iis, quae ad calicem pertinent, ab aliorum sententia nonnihil declinare videtur. Verum si rem sine ira et studio ponderare voluerimus, sane apparebit commemoratos textus ita in unam coire sententiam, ut ne verbis quidem discrepare iure optimo meritoque dici queant. Nam quod in altero dicatur *calix sanguinis,* in altero vero *calix in sanguine,* nihil impedit, quominus verba similia vocanda sint; quemadmodum *novi Testamenti, et novum Testamentum* vocabula diversitatem non faciunt. Quotus enim quisque est, qui nesciat *Testamentum* duplicem significationem habere? Accipitur namque aliquando pro ultima voluntate testatoris, et hac significatione dixere Matthaeus et Marcus *Hic est sanguis meus novi Testamenti:* nonnunquam vero accipitur pro ipso ultimae voluntatis *instrumento,* et hac ratione Lucas et Paulus scripsere *Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine.* Quis autem non videat utroque modo innuere evangelistas, et apostolum nihil aliud voluisse, nisi Christum Dominum sanguine suo novum foedus sanxisse *Deum* inter et *Nos:* quemadmodum sanguine bovis, arietis et caprae Moses[1]) item praestiterat non sine victimarum multarum sanguine, ac prius Abraham ex iussu D. O. M. fecerat? Verum de Paulo et evangelistis hactenus dicta satis ostendere mihi posse videntur, potius in verbis illis H. E. C. M. Hic E. S. M. formam consecrandi eucharistiam sitam esse collocatamque, quam in invocatione Spiritus s., quum certum exploratumque sit Christum verba illa recitavisse, ad Spiritum sanctum vero orasse et si oravit, quibus id verbis fecerit, omnino dubium sit atque incertum. Igitur concludamus oportet iuxta regulam prius iactam firmiterque statutam, *ἐπίκλησιν* Spiritus sancti ad essentialem consecrationis formam, ceu particulam necessariam non pertinere.

II. *Christus tanquam sacramentorum institutor certam formam consecrandae eucharistiae statuisse credendus est.*

Hanc regulam, praeterquam quod Photiani ipsi admittunt, servatam quoque fuisse ab idololatris in sacrificiis et oblationibus suis, quod praeclare animadvertit Maffeius, ostendit Brissonius, sed ante Brissonium ostenderat Iustinus martyr, quum scripserat[2]) „apostolos in commentariis a se scriptis, quae evangelia vocantur, ita tradidisse sibi praecepisse Iesum. Eum enim pane accepto, quum gratias egisset, dixisse: *Hoc facite in meam commemorationem* H. E. C. M. et poculo similiter accepto, quum gratias egisset, dixisse H. E. S. M. ac solis ipsis ea tradidisse. Quod quidem etiam in Mithrae mysteriis atque initiis fieri docuerunt per imitationem pravi daemones. Quod namque panis et poculum aquae in sacrificiis eius, qui initiatur, ponatur, verbis quibusdam additis, aut certe scitis, aut cognoscere potestis etc.“ Ex quibus apparet non solum apud idololatras in more fuisse positum certis verbis seu essentiali forma uti ad consecrandum, sed etiam ita esse interpretanda Iustini

1) Exod. c. 24. Genes. c. 15. 2) Iustin. Apolog. 2.

verba, ut quum ait eodem loco, per orationem Verbi Dei ab ipso eucharistiam factam cibum, ex quo sanguis et carnes nostrae aluntur, dictum inquam illud *per orationem* non esse interpretandum ita, ut per preces consecratio fiat eucharistiae: sed ita quidem ut dictum illud *per orationem* significet *per efficacissima verba,* ut ita dicam. Nam ss. PP. *verbum efficax,* hoc est verba illa, quae semper suum obtinent effectum, proptereaque *efficacia* ab scholasticis appellantur, *orationem* vocare consuevisse, adeo ut per *verbum Dei et orationem* nihil aliud significet, nisi per verba virtutemque Dei, omnes sane norunt, qui divinarum rerum studia non tantum a limine salutarunt.

Verum Gregorius Nyssenus, verborum Iustini quasi factus interpres, inquit[1]), „recte igitur etiam nunc Dei Verbo sanctificatum panem in Dei Verbi corpus credimus immutari. Etenim corpus illud panis erat potentia: sanctificatum est autem inhabitatione verbi, quod in carne habitavit. Itaque qua ex caussa panis in eo corpore mutatus in divinam virtutem transiit, eadem de caussa nunc etiam idem fit. Ut enim illic verbi Dei gratia sanctum effecit illud corpus, cuius firmamentum ex pane constabat, et ipsum etiam quodammodo panis erat; sic etiam hic panis, ut ait apostolus, per verbum Dei et orationem sanctificatur: Non quia comeditur eo progrediens, ut verbi corpus evadat, sed statim per verbum in corpus mutatur, ut dictum est a verbo H. E. C. M. etc.“

Sed longum esset ire per singulas PP. sententias, quas perpendere qui vult, consulat theologos, quorum libros ad id ostendendum refertissimos PP. ss. dictis reperiet. Neque enim placet nobis, tanquam Peliam recoquere. Possunt enim huc revocari omnia quae in altera epistola diximus, ad 2. regulam 3. et 4. Qua in re ab ipso Pfaffio non discordamus, qui saepe mittit nos ad ea, quae tradidit in dissertationibus *de oblatione ac de eucharistica forma.*

Porro hac regula nixus Maffeius ostendit vel clarissime *ἐπίκλησιν* Spiritus sancti ad formam essentialem eucharistiae non spectare, quum neque apud Iustinum, neque apud auctorem, quem vulgo Areopagitam nominant, neque apud Latinas ecclesias, neque apud nonnullas Graecas saltem antiquis temporibus reperiatur. Hinc vero inconstantia illa Pfaffii, inquit Maffeius, qua factum est, ut aliquando doceat[2]) „consecrationem eucharistiae consistere in *ἐπικλήσει* Spiritus sancti, h. e. certis precibus, quibus Spiritus s. invocabatur: aliquando vero consecrasse Christum ait quum gratias egit et benedixit“: aliquando fieri affirmat consecrationem[3]) „I. per preces et *ἐπίκλησιν* Spiritus s. de qua sufficienter iam actum fuit[4]). II. per recitationem verborum precibus adiunctam. III. per orationem dominicam etc.“ Atque ut mos est eorum, qui in luce caecutiunt, quique nodum in scirpo invenire avent, quemadmodum olim Carneades faciebat et Pyrrho, tandem in eum locum impellitur septum undique vepribus et dumetis, ut ignorans plane quo tuto pedem figere possit, cum Erasmo in eo errore labatur miserrime, ut existimet, Scripturam nobis non expressisse, quibus verbis Christus consecraverit, et quibus nos oporteat consecrare. Ecquid est, si hoc va-

1) Orat. catech. c. 37. 2) In notis ad 2. fragm. 3) Diss. de consecr. §. 12. 4) Eodem loc. §. 10.

gari huc atque illuc, et errare non est? Nam egregie Maffeius, non, inquit[1]), est forma consecrationis eucharistiae sita in Spiritus s. invocatione, si sacerdos non consecrat ceu hominis personam gerens, sed Christi munere fungens: invocat autem Spiritum s. non ut Christi munere fungens, verum ceu hominis personam gerens. Neque *in benedictione et gratiarum actione,* quod Christus ipsis discipulis in Emmaus euntibus panem praebens, *gratias agens benedixit,* et tamen eucharistiam non confecit; quia etiam Iudaeorum more, quotiescunque comedit, benedixisse Christum cibaria, et gratias egisse, credendum est, et tamen credendum item est non consecrasse. Neque in congerie invocationis, precum, orationis dominicae etc. poterit consecrationis forma collocari, si ipso fatente Pfaffio[2]) apostoli paucis consecrabant, tempore autem sequenti simplex consecratio in longas preces mutata fuit etc. Sed novus Pyrrho tandem hac in re nihil certi haberi posse ait, quum Scriptura non expresserit, quibus verbis consecraverit Christus, quibusque nos oporteat consecrare. Sed quaerit rimas, ut Pelagius antiquus ille, qui apertissimam ianuam non videt. Nonne Scriptura narrat, Christum Dominum accepisse panem, deinde quum benedixisset et gratias egisset, dixisse, accipite et manducate H. E. C. M. Similiter et calicem? etc. Igitur inquam cum Augustino: Quid quaeris rimam, quum apertissimam habeas ianuam? At, inquit, non explicat Scriptura, utrum consecraverit Christus quum benedixit, an quum gratias egit, an vero quando verba illa protulit: H. E. C. M. Bene est. Igitur id Scriptura silente (quamquam satis indicare illud videatur, ut ostendemus postea) ad traditionem ecclesiae atque ad PP. ss. est confugiendum. Audi autem Cyprianum, qui unus sit instar omnium, vel si auctorem sermonis de coena Domini Cyprianum esse non vis, illum certe antiquissimum esse et gravissimum auctorem non negabis[3]), ait autem, „significata olim a tempore Melchisedech prodeunt sacramenta et filiis Abrahae facientibus opera eius, summus sacerdos (Christus) panem profert et vinum. H. E. inquit C. M. Manducaverant (discipuli) et biberant de eodem pane secundum formam visibilem: sed ante verba illa cibus ille communis tantum nutriendo corpori commodus erat, et vitae corporali subsidium ministrabat. Sed ex quo a Domino dictum est: *Hoc facite in meam commemorationem. Haec est caro mea: Hic est sanguis meus,* quotiescunque his verbis, et hoc de fide actum est, panis iste substantialis, et calix benedictione solemni sacratus ad totius hominis vitam salutemque proficit etc.“ Vis autem, erudite Pfaffi, decretorium argumentum ad ostendendum Christum nec gratiarum actione, nec benedictione consecrasse, nec dominica oratione? Illud sumi potest ex eo, quod PP. unanimi consensu fatentur sacerdotes nostros *verbis consecrare et sermonibus Domini Iesu,* itemque docent prolatis verbis illis a sacerdote H. E. C. M. *qui non credit esse verum corpus Christi, sine dubio fidem derogare*[4]). Atqui certum et exploratum est, nos nec benedicere nec gratias agere *verbis et sermonibus* Christi, quum formam harum rerum, nemine tradente, prorsus ignoremus, nec sit minus certum in liturgiis omnibus, quas ego vidi, orationem dominicam recitari, diu

1) Eodem loc. §. 1. 2) Diss. de consecr. §. 3. 3) De cardin. operib. apud Cipryan. 4) Gregor. Nazianz. 2. Orat. de pasch.

postquam sacerdos verba pronunciavit illa H. E. C. M. H. E. S. M. Quid igitur concludendum est? Videat Pfaffius artis dialecticae peritissimus.

Sed inquit Pfaffius, fortasse plenam absolutamque liturgiam ab Iustino et Dionysio minime descriptam fuisse. Ergo, inquam ego, si omiserunt *ἐπίκλησιν*, non omiserunt autem verba illa, quae faciunt ad institutionem eucharistiae: cur non erit dicendum *ἐπίκλησιν* ad eucharistiae essentiam non pertinere? Nonne tu quoque Pfaffi putas *consecrantem debere facere* (sic namque scribit) *id, quod Christus fecit*, I. gratias agere et benedicere, II. verba institutionis recitare? In qua re varium dubiumque te esse, non dicimus. Igitur quum ignoremus, quibus verbis benedixerit Christus et gratias egerit, ratum vero habeamus verbis Christi eucharistiam consecrari, illa esse institutionis verba, quibus ipsa fit eucharistia, censemus. Tu vero in verbis indicandis institutionis omnino quum erres cunctando, Pyrrhonius a nobis iure optimo meritoque appellaris. Tibi namque exploratum esse debet, quod contra Corderium contendis ex Chrysostomo, quum sacerdos recitat voces illas H. E. C. M. *Christum per os eius invisibiliter loqui.* Ergo quum voces illas edit, gerit sacerdos personam Christi. Etenim inquis (de Corderii argumento agens) quum Christi exemplum allegat propria vineta caedit, quum Christus gratias agendo et benedicendo consecraverit, suoque exemplo nos ita facere docuerit. Atqui nos personam Christi non gerimus quum benedicimus et gratias agimus, sed personam narrantis Christi Domini gesta. Igitur aut benedicendo non consecramus, et sic Christi exemplum est futile; aut Christi frustra personam gerimus, et ita futile intenderit exemplum Christi. Quare sive usus fuerit Christus, panem in ultima coena quum benedixit, consueta Iudaeorum benedictione, sive peculiari alia quadam, quum ad consecrandum primam facere non potuerit, ipso ingenue fatente Pfaffio, altera vero plane obscura sit, nemine de ea disserente, est procul dubio tenendum, minime consecrasse benedicendo. Quod si ita Christus non consecravit, quid est, cur dicat Pfaffius, apostolos brevi consecrasse, pertinere ad essentiam eucharistiae quum existimet benedictionem, gratiarum actionem et dominicam orationem, quae certe non ita paucis fieri queunt, ut brevi apostoli, et paucis consecravisse dicantur?

Quamquam autem testimonium Iustini satis superque exagitatum fuerit: tamen Maffeii doctissimi perpetuo vestigiis inhaerentes, placet illud rursus in medium vocare, atque ab accusationibus Pfaffii, seu potius falsis interpretationibus vindicare.

Iustinus autem hac de re agens ita scribit: „Non enim ut communem panem, neque communem potum haec sumimus, sed quemadmodum per verbum Dei incarnatus Iesus Christus Salvator noster et carnem et sanguinem pro salute nostra habuit, sic etiam per *orationem* verbi Dei ab ipso eucharistiam factam cibum, ex quo sanguis et carnes nostrae per mutationem aluntur, illius incarnati Iesu et carnem et sanguinem esse edocti sumus.“ Verba autem illa *per orationem* interpretatur Pfaffius de oratione, quam habuit Christus quum gratias egit, verum perperam, inquit Maffeius. Nam in eadem apologia addit Iustinus. „Apostoli enim in commentariis suis, quae evangelia dicuntur, ita sibi Iesum

praecepisse tradiderunt, eum, accepto pane quum gratias egisset, dixisse, *Hoc facite in memoriam mei* H. E. C. M.; dixisse etiam accepto poculo quum egisset gratias H. E. S. M. ipsisque solis dedisse etc.“ En, inquit Maffeius, oratio qua verbo Deus effecit et efficit eucharistiam cibum, quo carnes et sanguis noster aluntur. Nam non fieret verbo Dei eucharistia, si oratione fieret, qua Christus gratias egit, tum quia oratio illa ignoratur, tum quia omnis gratiarum actio in liturgia non fit verbo Dei, sed sacerdotis verbis.

Praeterea addit Iustinus post illa: „Quod etiam imitati mali genii in solis sacris faciendum tradiderunt. Panem enim et potum aquae poni in initiatione eius, qui initiatur, cum certis quibusdam verbis etc.“ Ergo certis verbis intelligit fieri eucharistiam, et non incerta oratione. Quapropter oratio gratiarum actionis, quam Christus habuit, incerta quum sit, non erit oratio, de qua loquitur s. martyr.

Neque facessere nobis negotium debet, quod gratiarum actionem distinguat Iustinus a verbis institutionis. Quandoquidem illa ad rationem sacramenti, haec ad substantiam pertinent. His namque fit eucharistia, et panis consecratur: Illa vero, hoc est gratiarum actione, ratio exprimitur sacramenti et finis, quum eucharistia proprie sit gratiarum actio, h. e. sacramentum ad gratias agendas institutum. Quando autem haec inter se distincta sunt, cur debuit ita miscere et permutare Iustinus? Irenaeus vero ait, fieri eucharistiam, quum panis recipit *ἔκκλησιν τοῦ Θεοῦ*. Numquid inde consequitur fieri eucharistiam per invocationem? Nihil profecto minus. Nam satis explicuit Irenaeus quid hac de re sentiret, quum scripsit[1]) „Christum eum, qui ex natura panis est, accepisse, et gratias agentem dixisse H. E. C. M. etc.“ En invocatio Irenaei omnino eadem cum oratione Iustini, quem videtur potissimum Irenaeus imitatus, quum docuit[2]): „Quando panis fractus et mixtus calix percipit *verbum Dei*, fieri eucharistiam, sanguinem et corpus Christi, ex quibus augetur et consistit carnis nostrae substantia.“ Quae sane ostendunt nomine invocationis hic Irenaeum innuere velle, quod nomine orationis significavit Iustinus, nempe Dei verbum. Unde Ambrosius, non in libro de initiandis, ne reprehensionem offendamus Pfaffii, sed in Psalmum XXXVIII. haec habet: „Etsi nunc Christus non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur. Immo ipse offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat sacrificium, quod offertur.“ Igitur sermo Domini est qui sanctificat, non oratio ulla, aut invocatio. Quod sane confirmant quae attulit praeclarissime Maffeius, quaeque vexare quidem potuit Pfaffius, refutare non potuit. Sunt enim eiusmodi, ut etiam omittentibus nobis possint se ipsa defendere.

Et re quidem vera, sive Iustinum consideramus, sive Irenaeum, adeo certum est *ἐπίκλησιν* Spiritus s. minime commemorasse, ut nihil magis; nam quod Iustinus appellat *λόγον εὐχῆς καὶ εὐχαριστία* h. e. verbum precationis et gratiarum actionis, non appellat verbum precationis et gratiarum actionis ad Spiritum sanctum, sed verbum precationis et gratiarum actionis ipsius verbi Dei. Quum autem neque apud Graecos, neque apud Latinos aliud sit Dei verbum, quod in consecratione adhi-

1) Lib. 4. c. 32. 2) Lib. 5.

beatur praeter illud H. E. C. M.; cur non debuit dictum illud Iustini Maffeius interpretari potius de verbis illis H. E. C. M., quam de invocatione Spiritus s.? Idem porro dicimus de Irenaeo, qui quum *ἐπίκλησιν* Spiritus sancti neque somniaverit, non video quomodo si, ipso fatente, verba institutionis, quae pertinere ad consecrationem ait, Irenaeus commemoravit, alteram consecrationis partem nempe *ἐπίκλησιν* ipsam omiserit. Quando ergo, inquit, et fractus panis, et mixtus calix percipit verbum Dei, fit eucharistia corporis et sanguinis Christi etc. In quae verba [1]), inquit Roffensis „Finge si potes quibus verbis Irenaeus potuit rem pro nobis aperuisse dilucidius? *Quando,* inquit, *mixtus calix, et fractus panis percipit verbum Dei, fit eucharistia corporis et sanguinis Christi:* h. e. prolatis super pane et vino Christi verbis, protinus fit ex eis corpus et sanguis Christi." Ex quibus apparet *τὸ* verbum Dei interpretari non posse virtus Dei, alioquin ridicula esset Irenaei ratio, et quae non sanctum hominem, sed plane ridicularem deceret. Ibi namque D. P. indicare vult, quando panis fiat corpus Christi, aitque id fieri, quum panis percipit verbum Dei; at si dixisset: quum panis percipit virtutem Dei, nihil penitus explicavisset, quum semper remaneat enucleandum, quando percipiat virtutem Dei. Igitur *τὸ* verbum Dei Dei virtutem haud significat.

Verum ad capitale argumentum descendamus. Illud autem Pfaffius clarissimus depromit ex veterum Graecorum liturgia. Unaquaeque, inquit, liturgia graeca habet *ἐπίκλησιν* Spiritus s., in illa autem invocatione precantur sacerdotes, ut panis et vinum fiant corpus et sanguis Christi. Igitur, inquit ille, ante *ἐπίκλησιν* nondum exstat corpus et sanguis Christi; igitur pertinet ad essentiam consecrationis *ἐπίκλησις*. Haec ille.

Quibus ut satis plene faciat Maffeius, ostendit in quacunque invocatione talia esse, quibus manifestissimum fit consecrationem esse factam, tum quia *ἐπίκλησις* fit in persona sacerdotis, non in persona Christi: tum quia sacerdos precatur, ut panis et vinum fiat animabus sumentibus corpus et sanguis Christi, h. e. orat non ad eucharistiam efficiendam, sed ad effectum habendum eucharistiae.

Nos ut hoc Maffeii nostri responsum invictissimum esse ostendamus, ita famur.

III. *In omni liturgia ἐπίκλησις Spiritus s. fit, postquam sacerdos protulit verba illa H. E. C. M. H. E. S. M.*

Quum nemo sit, qui hac de re dubitare possit post editas orientales liturgias *opera et studio Eusebii Renaudotii Parisini* [2]) quem ipse Pfaffius sequitur, ac persaepe laudat infra ad Maffeii epistolas postrema responsione, ideo id omittimus probare, ne certa in dubium vocare, aut in copia magis, quam in delectu rerum delicias facere videamur.

IV. *Est PP. Graecorum communis sententia, prolatis verbis illis H. E. C. M. H. E. S. M. eucharistiae illico corpus et sanguinem Christi D. adesse.*

1) Lib. 5. c. 2. 2) Paris. 1716.

S. Irenaeus [1]): „Quando ergo et mixtus calix et fractus panis percipit verbum Dei fit eucharistia corporis et sanguinis Christi."

Tertullianus [2]): „Acceptum panem, et distributum discipulis, corpus illud suum fecit, Hoc est corpus meum, dicendo."

Auctor Sermon. de coena Domini [3]): „ex quo a Domino dictum est: Haec est caro mea, hic est sanguis meus, quotiescunque his verbis, et hac fide actum est, panis iste supersubstantialis, et calix benedictione sacratus ad totius hominis vitam salutemque proficit etc."

S. Ioannes Chrysostomus [4]): „Non enim homo est, qui proposita de consecratione mensae domini corpus Christi facit et sanguinem, sed ille, qui pro nobis crucifixus est Christus. Sacerdotis ore verba promuntur, et Dei virtute consecrantur et gratia. H. E. ait C. M. Hoc verbo proposita consecrantur."

S. Epiphanius [5]): „In statu damnationis est, qui post illa verba dominica H. E. C. M. non credit esse ipsum verum corpus Christi, sed exspectat nescio quas preces humanas, ut fiat."

S. Gregorius Nazianzenus [6]): „Prolatis verbis a sacerdote H. E. C. M. qui non credit esse verum corpus Christi, certe fidem derogat."

Eusebius Emesenus [7]): „Invisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis et sanguinis sui verbo suo secreta potestate convertit ita dicens H. E. E. C. M., et sanctificatione repetita: accipite et bibite. H. E. S. M."

Longum porro esset PP. Graecorum omnium referre sententias; sufficere etenim haec possunt ad veritatem propositionis nostrae ostendendam. Quum enim eorum, quos retulimus, sit unusquisque aetatis suae princeps, uniuscuiusque etiam satis erit auctoritas ad fidem faciendam sententiae nostrae

His autem ita constitutis nihil facilius factu est, quam ostendere, Maffeii tantundem opinationem firmissimis fundamentis niti, quantum illa Pfaffii maximo turbulentoque in errore versatur. Quod sic efficio.

Prolatis verbis illis H. E. C. M. H. E. S. M. statim eucharistia effecta est.

Sed in omni liturgia ἐπίκλησις Spiritus s. fit post prolationem illorum verborum H. E. C. M. H. E. S. M.

Igitur *ἐπίκλησις* Spiritus s. non constituet eucharistiam, sive in eucharistia efficientiam habet nullam.

Porro forma essentialis sacramenti est ea, per quam sacramentum efficitur et constituitur.

Ergo *ἐπίκλησις* Spiritus s. non pertinet ad essentialem formam eucharistiae.

At, inquit Pfaffius, si ante *ἐπίκλησιν* Spiritus s. effecta est eucharistia: cur orat sacerdos, ut descendat *Spiritus sanctus super proposita dona, illaque efficiat corpus et sanguinem Christi*?

Respondeo, in verbis illis collocatam efficientiam esse nullam in ordine ad sacramentum, sed tantummodo in ordine ad illos, qui sumere debent eucharistiam. Quod ita ostendo.

1) Iren. lib. 5. c. 2. 2) Lib. 4. c. Marcion. c. 40. 3) Apud Cyprian. 4) Homil. de perditione Iudae. 5) In Ancorato circa medium. 6) Orat. 2. de Paschate. 7) Serm. de corp. et sang. Domini.

V. *Ἐπίκλησις Spiritus sancti videtur instituta non ad sacramentum efficiendum, sed ad effectum sacramenti obtinendum.*

De invocatione, quae est in liturgia Iacobi, satis disseruimus supra. Venio nunc ad liturgias syriacas. Hae autem ita habent: „Miserere mei Deus Pater, et mitte Spiritum sanctum tuum, ut adveniens sancta, bona et gloriosa sua praesentia sanctificet, et faciat panem quidem istum corpus sanctum Christi tui, *corpus vivificum, salutare, caeleste, animabus et corporibus salutem praestans.*“

Quis autem adeo caecus esse potest quin videat, sacerdotem hic orare, ut panis ille corpus sanctum Christi, animabus et corporibus sumentibus illud evadat corpus salutare praestans salutem? Clarius tamen liturgiae graecae. S. Basilii liturgia sic habet.

„Rogamus te Christe Deus noster, nos peccatores indigni servi tui, et adoramus te per beneplacitum bonitatis tuae, ut adveniat Spiritus s. tuus super nos, et super haec dona proposita, et sanctificet ea, efficiatque ea sancta sanctorum tuorum etc.“

Qui comparare velit postrema huius orationis verba cum illis, quae proferebat diaconus, quum antequam eucharistiam praeberet iis, qui sacrificio aderant, clamabat *Sanctum Sanctis:* intelliget profecto nihil aliud peti hac oratione, nisi effectum eucharistiae, non autem vim efficiendae.

Ita ferme apud omnes reperies, „ut adveniens Spiritus s. efficiat panem quidem corpus Christi, calicem eius sanguinem, ut omnes illis communicantes percipiant remissionem peccatorum, sanctificationem et vitam aeternam etc.“

Quotus autem quisque est, qui non intelligat, sacerdotem quum ita orat spectare non eucharistiae efficiendae vim virtutemque, quam in eo esse nullam fatetur, sed ipsius ss. eucharistiae effecta nobilissima? „Unde, quando sacerdos, inquit Chrysostomus [1]), tremendum illud sacrificium est oblaturus (sciunt initiati, quod dicitur) non prius aggreditur ad conficienda munera, donec ipse vobis gratiam a Domino precatus fuerit, et vos illi respondeatis, et cum Spiritu tuo. Eo responso vos ipsos in memoriam redigentes, quod nihil ipse, qui est praesens, agit, neque humanae naturae sunt effecta proposita munera, sed gratia Spiritus praesens, omniaque attingens mysticum illud operatur sacrificium. Quamvis enim homo sit praesens, at Deus est, qui per ipsum operatur. Ne igitur naturae illius, qui videtur, animum adhibe, sed invisibilem considera gratiam.“

Nec obstat, quod in invocatione aliqua Spiritus s. corpus appelletur panis. Nam hoc in more positum fuit apud PP. ipsos corpus Christi appellare panem etiam peracta consecratione. Non enim, ait Iustinus, *ut panem communem, neque communem potum haec sumimus:* et alio in loco, *diaconi praesentibus omnibus tradunt communicandum panem etc.* Sic Ignatius martyr [2]) „Frangentes (inquit) panem unum, quod pharmacum immortalitatis est etc.“ Id autem fecisse arbitramur tum quia species panis apparet; tum etiam quia proficit ad animi salutem, non secus atque ad corporis salutem proficit verus panis.

---

1) Serm. 88. in Pent. 2) Epist. ad Ephes. 14.

Quae quum sint huiusmodi, facile unusquisque vel per se iudicare poterit, quam sane, quam recte, quam docte, quam praeclare Maffeius sit textus liturgiarum interpretatus, positis signis illis, quibus uti auctores consuevere ad secernenda ea, quae proprie ad rem non faciunt; quandoquidem in invocatione Spiritus s., consideratio consecrationis non tam per se primo spectanda, quam huius consecrationis effecta sunt omnino per se primo spectanda.

Ceterum ad opinionem Cabasilae quod attinet, atque ad Graecorum liturgias, Nicolaus Comneno Papadopoli in gymnasio nostro Patavino collega adeo diserte et eleganter hoc argumentum tractavit, ut quidquam illic addere *ἀδύνατον* prorsus existimemus [1]).

Ita existimamus omnino supervacaneum de huius sententiae falsae quidem et impiae auctore decertare, quum neque ipse Pfaffius ea invenire auctorum nomina potuerit, qui vere ad factionem schismaticorum accesserint, atque Cabasilae opinationem sectati sint, quique circa tempora ipsius Cabasilae, hoc est post concilium Florentinum, non fuerint. Neque enim sat est nomina congerere multa, sed et distinguenda tempora sunt, et unicuique quod suum est tribuendum. Etsi etenim Cabasilas minime opinionis huius auctor fuerit (quod tamen damus, et non concedimus) princeps tamen fuit, ut sectatores eius ab eo habuerint vocabulum.

At monumentis recentissimis si credimus, non adeo error huiusmodi universam Graeciam occupatam tenet, quin multi sint, qui maiorum suorum adhuc hac in re sententiam sequantur. Nam praeter Coressium, loquantur archiepiscopi Russiae, Nicaeae, Trapezuntis et Mitylenes, qui nobis testatum facient, maiorum religionem Graecorum non unum, aut alterum, sed plurimos quidem viros magnos ac nobiles puram inviolatamque servare. Nam inquit Nicolaus Comneno Collega noster: „Ubi sub ditione christiana Photiani vivunt, una cum Latinis conveniunt, una supplicationes publice deducunt, una laudes divinas utraque concinunt lingua, quod usu venit et Corcyrae et reliquis in insulis serenissimae ac triumphali reipublicae nostrae subiectis . . . et post nonnulla, Dices hos graecos insularum incolas, censeri catholicos. Utinam Photiani non essent etc. [2])“ Nonne eo usque nonnulli e Graecis pervenere, ut ad omnem tollendam etiam remotissimam errandi caussam, putarent *ἐπίκλησιν* Spiritus s. aut saltem verba *ἐπικλήσεως* illa, quibus ad fallendum heterodoxi abutuntur, delenda esse? Ita sensit Catumsyritus Ligus, et alii nonnulli, quos Comneno recensuit [3]). Id autem fortasse fecissent, nisi mordicus maiorum ritus graeci summa religione consuevissent servare, ut natum sit tritum illud vetustate proverbium, Latinos dogmata amare, ritus sectari Graecos ad superstitionem usque.

Illud autem duxit capitale argumentum ad religionem cum veteris, tum novae Graeciae hac in re clarissimus Maffeius ostendendam, duxit, inquam, e communi liturgia, qua siquidem utuntur tam schismatici, quam graeci Catholici, quaeque D. Ioanni Chrysostomo tribui solet. In hac porro quum ad verba institutionis ventum est, praecipitur, ut verba illa H. E. C. M. et H. E. S. M. alta voce pronuncientur, quod Latini indicare consueverunt sonitu quodam campanulae, ut nempe ita monitus

1) In praenotion. mystagogic. sect. 6. 2) Ibid. Resp. 5. Sect. 5. 3) Ibid. n. 10.

populus, possit colere venerarique, quod praesens habet, nempe Christum in hostia, qui certe nisi adesset, adorari non posset, atque ita praeberetur populo occasio idololatriae: nam benedictus panis, quemadmodum res ceterae benedictae coli quidem possunt, et re vera colunt modo Graeci imagines sacras, qui tamen hac in re maiorum suorum doctrinam sectati sunt (quod dictum volumus, ut sine responsione non sint, quae Pfaffius rudia et indigesta congessit in notis ex testimoniis Euripo dignis) colere vero illa, venerarique ea ratione, qua Christi corpus veneramur, non possumus.

Verum hoc Maffeii argumentum placet doctrina viri illustrissimi Comneni Papadopoli collegae nostri illustrare. Scribit autem: „Si verbis Christi fit eucharistia, non precibus sacerdotis, idque Graeci et Latini testantur, neque ex PP. ullus est, qui aliter sentiat, quis dicat illis, *et fac hunc quidem panem etc.* quae verba sunt, et preces sacerdotis non Christi, miraculorum maximum fieri? Hanc tamen pestilentissimam opinionem *Cabasiliani* ignorantissimi hauserunt ex duplici difficultate, in quam ceteroqui nodosam periculosamque quum incidissent, quumque per se solvere non possent, eam sibi laqueum fecere. Prima est in iis precibus, quae a sacerdote funduntur: illis enim prolatis memorat sacerdos praecipua Christi opera, mox alta voce quae sacravit Deo offert, quod etiam secreto praestat, et Spiritus sancti allapsum ad se et ad oblata prorsus afflanda, supplex efflagitat. Denique petente, aut potius monente, aut provocante diacono sic: *Benedic Domine sanctum panem. Et sacerdos erectus signat ter sancta dona, et dicit secreto: fac hunc quidem panem pretiosum corpus Christi tui. Et iterum diaconus ait: Benedic Domine sanctum calicem, sacerdos autem benedicens dicit: quod autem est in calice hoc pretiosum sanguinem Christi tui. Diaconus respondet Amen. Et iterum diaconus ostendens stola utraque sancta dicit; Benedic Domine, et sacerdos benedicens manu utraque sancta, dicit, immutans, vel quum immutaveris Spiritu tuo sancto. Diaconus respondet Amen, Amen, Amen. Et caput inclinans diaconus dicit sacerdoti, memento mei peccatoris, Domine sancte, revertitur in eum in quo prius steterat locum, acceptoque rursus flabello. At sacerdos orat secreto: ut fiat accipientibus in sobrietatem animae ad remissionem peccatorum, in communicationem sancti Spiritus, in regni caelorum plenitudinem, in fiduciam erga se, non in delictum aut condemnationem.*“

II. „In hac ceremoniae verborumque serie, quum pingui Photianorum Minervae multa obiiciantur suboscura, tria conflantur argumenta, queis veritatem impugnent. Primum deducunt ex eo quod etiam per verba Christi panis appellatur, non corpus, id quod benedictione sacratur, non ita nimirum vocandum, si panis non esset. Secundum inferunt ex eo, quod petitur fieri corpus Christi: Ergo, inquiunt, factum non est verbis Christi. Tertium comminiscuntur ex illis: immutans *Spiritu tuo sancto.* Nam si iam mutata sunt, qui tunc dicuntur mutari? Non igitur putantur mutata per verba Christi. Quartum protulit et Margunius ex illis *σφραγίζῃ τρὶς τὰ ἅγια δῶρα.* Notat enim dona vocari, quod nondum immutata sint: etenim si mutata iam non dona sunt, sed ipse donator. Verum hoc ultimum Margunianum est, nempe stolidum, certe ex more Margunii penitus inconsiderate deductum. Nam etiam post

preces sacerdotis, queis eucharistiam fieri Cabasiliani asserunt, corpus iam certissime Christi, sanguisque divinus *sancta dona, pretiosa dona, oblata et sanctificata pretiosa dona* passim occurrent: ut scilicet eadem sint dona et donator, munus et muneris auctor, quemadmodum revera sunt ea ratione, quod Christus sese in tanto mysterio nobis donavit, factum proinde nobis donum, qui donat et munus, qui muneratur. Tertio argumento facile respondetur; illa verba *μεταβαλὼν πνεύματί σου τῷ ἁγίῳ*, siquidem sine parenthesi legenda sint, ut nequitia Photianorum nunc ea typis edidit, omnino coniungi debere cum verbis ceteris sacerdotis *ὥστε γενέσθαι, καὶ τὰ ἑξῆς, ut fiat* etc. ita, ut sensus sit, immutans Spiritu tuo s., ut fiant accipientibus *ad sobrietatem animae etc.* Qui sensus non indicat, tunc fieri mutationem sacramentariam, neque hoc ibi peti; ut quae mutata sunt physice, factaque sunt Christi sanguis et caro, mutentur moraliter, ut fiant nobis utilia. Uno verbo non petitur ibi mutatio physica, sed moralis, utque ea, quae transtulit Deus in naturam aliam verbo Christi, Spiritus s. virtute transferat ad nostram utilitatem. Quodsi ea verba intra parenthesin sint, ut sunt penes antiquissima euchologia manu scripta, teste Rhodino nostro: iam illa *μεταβαλών* etc. sic erunt explicanda, *quum transtuleris, sive quae transtulisti* Spiritu tuo sancto. Id, quod etiam citra parenthesin explicari legitime potest, quando illud participium vim nativam habet praeteriti, quum sit *ἀόριστα*, ut norunt grammatici, licet aliquando per catachresin etiam ad praesens trahatur. Nec video, quid iuris ignorantia Cabasilianorum habeat, ut reclamantibus tot sacris doctoribus improprie intelligendum velint illud participium, quod nos consonas PP. nostris ceremonias nostras demonstraturi iuxta nativam vim suam proprie ac sapienter intelligimus explicamusque."

III. „Secundum argumentum eadem responsione tollitur. Dicimus enim ibi non peti, ut fiat corpus Christi, sed factum ita conditioni nostrae ut adaptetur fiatque non simpliciter, sed nobis accipientibus ad sobrietatem animae etc. Quare illud *ποίησον* non est absolutum, sed omnino refertur ad nos. Ad primum pudet me sane praeter dicta a Bessarione aliquid ulterius conferre. Quid enim apertius, quam Christi corpus passim panem, sanguinem vinum vocitari? inquit Christus: *panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita.* Et alibi: *Pater meus dat vobis panem de caelo verum: panis enim Dei verus est, qui descendit de caelo, et dat vitam mundo.* Et rursus: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Et iterum: *Qui manducat hunc panem vivet in aeternum.* Et per Psaltem: *Panem caeli dedit eis: panem angelorum manducavit homo.* Et per apostolum: *Unum corpus multi sumus, qui de uno pane participamus;* et ibidem: *panis quem frangimus nonne communicatio corporis Christi est?* Id quod saepius repetit. Id ipsum occurrit penes vetustissimos PP..... Hoc ipsum ex ipsa liturgia nostra certissimum fit: in qua post consecrationem pretiosorum munerum, postque omnes commemorationes, quinquies mirabile sacramentum panis dicitur sanctus, et simpliciter panis. Nam antequam sacerdos dicat *sancta sanctis*, sic habetur: *quum viderit diaconus sacerdotem manus extendentem, et sanctum panem tangentem*: Et quum divisio instat diaconus dicit: *divide Domine sanctum panem.* Et post divisionem sacerdos *acci-*

pit unam sancti panis partem. Et post infusionem aquae ferventis: *sacerdos tenens sanctum panem;* et postquam dedit sacramentum diacono sacerdos: *accipit sanctum panem.* Quae omnia sunt dicunturque post consecrationem certissimam Cabasilianis ipsis; ut plane decipiatur, qui quod panis dicatur verum corpus Christi post verba Christi, sacramentum nondum esse factum existimat.“ Haec Papadopoli, quae si vera sunt, sunt autem verissima, facilius cognoscere Pfaffius poterit quanto in errore versetur. Libenter autem usi sumus potius Comneni verbis, quam nostris, tum quod difficillimum putamus hac in re meliora rimari posse venarive: tum etiam quia facillime unusquisque vel per se ex his cognoscere poterit a Pfaffio ea adversus clarissimum Maffeium fuisse effutita, quae ablinc annis XXXVII a Nicolao Papadopoli refutata fuere, proindeque in postrema sua responsione Pfaffium nihil attulisse novi, sed vetera argumenta Cabasilianorum levia quidem et fucata refricavisse. Vale. Et vive diu bonis omnibus.

VIII.

QUAE
IOSEPHUS PASINUS
ALIIQUE BIBLIOTHECAE TAURINENSIS CUSTODES
DE IRENAEI FRAGMENTIS A CH. MATTH. PFAFFIO EDITIS MONUERINT.

(Catalogi MSS. Bibl. Regii Taurinensis Athenaei. Recensuerunt Ios. Pasinus etc. Taurini 1749. fol. T. I. p. VII.)

Atque hic litteratos homines monitos volumus de fragmentis anecdotis sancti Irenaei, quae supra laudatus Pfaffius edidit *Hagae Comitum* anno 1715 tanquam ex variis MSS. Codicibus Taurinensibus desumta. Nos enim non ignorantes, quae de hac re scripserat cl. Maffeius, maxima adhibita diligentia intentisque oculis eos omnes perlegimus, in quibus Patrum Catenae haberentur; siquidem ex iis videtur Pfaffius asserere se ea sumsisse: et ne unum quidem verbum invenimus aut aliquid, quod proxime accederet. Pfaffium quidem fraudis et mendacii arguere nolumus, aut quod invida manu folia avulserit aut quod codices abstulerit. Primum enim summae esset impudentiae; alterum cum non ferendum, tum non effecisset id, quod intendebat; quomodo enim aliis probare potuisset, se vere ea fragmenta ex Taurinensibus Codicibus collegisse. Tertium vero esse nequit, quia ex antiquis regiae bibliothecae catalogis non constat, ullum desiderari Codicem. Forte in ultima non multis abhinc annis Codicum compactione ex incuria et ignorantia bibliopegi aliqua exciderint folia, ubi haec reperirentur fragmenta. Sed cur saltem Pfaffius Codices nominatim non indicavit, unde ea desumsit, quum singuli suis distincti essent notis? et cur scripturae librum ac textum reticuit, cui subiecta esset, quam affert, sancti Irenaei commentatio? Certe id perficere debuisset, ut a se inventis sanctissimi patris fragmentis fidem et auctoritatem conciliaret. Perperam autem confudit *πατερικά, γεροντικά, λειμωνάρια, παραδείσους* cum Catenis Patrum. Illa enim dicta et facta memoratu digna nobis repraesentant veterum Patrum, eorum praecipue, qui asceticae vitae instituto claruerunt. Hae vero multiplices eiusdem textus scripturae amplectuntur interpretationes, quae in eorum commentariis, aut aliis libris occurrunt.

IX.

CHRISTOPHORI MATTHAEI PFAFFII

ACADEMIAE TUBINGENSIS CANCELLARII

DE CATALOGO MSTORUM CODICUM BIBLIOTHECAE TAURINENSIS EPISTOLA AD CELEBERRIMUM ET LITTERATISSIMUM

VIRUM

IO. ERHARDUM KAPPIUM

LIPSIENSIUM POLYHISTOREM. [1])

Desiderasti nuper a summe reverendo D. Cotta nostrate, ut referret mihi, quid editores catalogi Codicum MSS. Taurinensium, hem quam pretiosi! in praefatione de me scripsissent. Ego vero et ipse possideo duo ista volumina, non ita pridem ad me perlata. Multum profecto debet assiduis istis viris respublica litteraria, quod non saltem Codices indicare, sed et pleniorem illorum notitiam dare haud fuerint gravati. Gaudeo florere iam Augustae Taurinorum litteras hebraicas quoque et graecas. Quum primum admitterer, indulgente Serenissimo Sabaudiae Duce magno Victore Amadeo, cuius perpetuum favorem et gratiam expertus fui, ad bibliothecam hanc, archivo regio tum iunctam, curam illius gerebat abbas Machetus, qui mirabatur, me tanto ardere desiderio, illam frequentandi. Quid, aiebat ille, studio teneris, vetustos hos Codices, pulvere et situ squalidos, inspiciendi? Iam enim stat sententia, Codices hosce, qui spatium gratis occupant, quos nemo intelligit vel curat, exigendi ex hoc loco et proiiciendi. Nihil esse addebat, quod attentionem mereatur, quam mensam istam Isiacam et volumina Pyrrhi Ligorii, quae in bibliotheca serventur. Reponebam, vetustos eiusmodi libros MSS. bibliothecarum esse cimelium, quo superbiant; si venia mihi detur, si copia Codices inspiciendi, facile me eorundem pretium determinaturum; meminisse me, Mabillonium post Phil. Labbeum mentionem

1) V. Nova acta eruditorum anno 1752 publicata. Lipsiae. pag. 443 ss.

eorum fecisse in Itinere Italico [1]). Admissus igitur in superius receptaculum (in inferiore enim exstabant libri impressi) mox observavi, adesse Codices MSS. omnis generis, queis litterae maxime sacrae augeri possint, veniamque nactus, illos nullo ordine dispositos nec ullo consignatos catalogo tractandi non saltem, sed et describendi aliqua, quae inedita noveram, ex quibus eminet epitome Lactantii, martyrium s. Theodori Tyronis, aliaque, descripsi, alia cum editis contuli, et variantes lectiones notavi, denique et pro ratione temporis, quod mihi restabat, et veniae mihi prolixe primum datae postea restrictae catalogum Codicum confeci, quo tamen longe illustrior et plenior est ille, quem docti illi Taurinenses ante biennium dederunt. Nec tempus nec locus mihi suppetiit, volumina scribendi tum. Quin imo et tandem tum illustri viro, Scipioni Maffeio, tum mihi, nescio quo fato, aditus ad bibliothecam non amplius tam liber, ut antea, fuit. Post abitum meum fuere, queis bibliotheca magis patuit, missus et Codicum MSS. praecipuorum index alphabeticus fuit a Iosepho Roma, Ord. Minim. cuius nomen nescio cur dissimulent editores Taurinenses, queis homo imperitus audit, ad cel. Montfauconium, qui illum bibliothecae bibliothecarum Mstorum novae Tom. II. f. 1393 sq. A. 1739 Parisiis inseruit. Vides, caussari eruditissimos viros, qui a. 1749. Augustae Taurinorum catalogum Codd. MSS. bibliothecae huius, quae academiae Taurinensi vel tandem cessit et huius in aedes ex palatio regio translata fuit, varia, tum occasione anecdotorum Irenaei, quae ex Codicibus MSS. Taurinensibus, patrum fragmenta exhibentibus, non praecise eiusmodi catenis, quae explicationes horum et illorum librorum biblicorum, ex his et illis patribus desumtas, continent, vel aliis alius generis collectaneis, ex patribus extractis (non enim varia ista collectaneorum genera confundere licet, vel nos confudimus), descripsimus et Hagae Comitum edidimus, tum quoad epitomen Lactantii, ex Codice MS. Taurinensi erutam, quam Parisiis obstetricante Nourrio vulgavimus. Miror virorum modestiam et humanitatem, aequitate prorsus perfusam, qua nolunt suspicari, vel me anecdota ista, quae tamen, quum tam amice cum impressis Irenaei consentiant, sua radiant authentica luce, finxisse, vel Codices, in quibus iacuerint, abstulisse aut folia excidisse, atque existimare, contigisse forsan, ut in nova compactione Codicum ex incuria et ignorantia bibliopegi aliqua exciderent folia, in quibus haec fragmenta exstiterint. Ego vero, quum scribant, se fragmenta ista Irenaei in nullo Codice Taurinensi adhuc exstante invenisse, licet maximo stu dio omnes Codices evolverint, non possum viris tam doctis et huic negotio apprime attentis quidquam tribuere negligentiae, sed pro eo, quo ipsorum probitatem et assiduitatem colo, affectu feror potius ad credendum, fuisse, qui post meum abitum improbam Codicibus pluribus manum iniecerint. Quod enim aiunt, omnes Codices fuisse numeris suis distinctos dudum et catalogis consignatos, id ego quidem testari non possum, qui nullis numeris distinctos Codices, catalogos nullos inveni, ita ut mirer oppido, qui asseverare possint, omnes adhuc exstare Codices, qui

1) §. 15. ubi haec invenies: *bibliotheca palatii multis referta est Codicibus variarum linguarum, sed qui in acervum cum editis congesti sunt ob nuperum incendium, quod multos libros corrupit.*

in antiquis nótati fuerint catalogis. Iam et in eo catalogo, quem ego-met confeci, exstare video, quae in impresso nupero non inveniuntur. Non vacat iam, illa hic exscribere. Quaesivi in catalogo inter alia quoque Origenis philosophumena, sed non inveni notatum Codicem, ex quo collectas variantes lectiones misi olim ad cel. Wolfium, meum quondam in itinere Belgico et Anglicano socium, novissimum libelli huius editorem. Nunquam crediderat, fore ut eiusmodi in me vibrarentur tela. Aliam viam ingressus erat vir illustris, Scipio Maffeius, qui tamen et ipse Codices Taurinenses mecum et post me tractavit et *αὐθεντίαν* saltem horum Irenaei fragmentorum vocavit in dubium. Norunt eruditi, quae in Diario literatorum Italico Venetiis cuso mihi opposuit, quae et peculiari dissertatione, *primitiis* meis *Tubingensibus* postea inserta, refutavi. Siluit per annos bene multos vir doctissimus et mea laude maior atque ex acie discessit, donec a. 1734, quo nova Venetiis data operum Irenaei editio fuit, monachum contra me suis sub auspiciis pugnaturum conduceret, Fr. Franciscum Mariam Leoni, qui ad calcem novissimae editionis huius tres contra me epistolas adiecit haud politas admodum, in quibus quum acriter in me invehatur, nec nisi recoctam cramben apponat, refutandis non admodum ero studiosus. Quod ad epitomen Lactantii spectat, quam putant viri docti nimia celeritate a me descriptam fuisse atque a me haud feliciter emendatam, ipsa docet Parisiensis editio, me verba Codicis annotasse semper sub finem paginae. Ast et post hanc denuo contuli illum et exactas lectiones omnes transmisi postea ad Bünemannum, et ante triennium quoque ad Nicolaum Lengletum Dufresnoy theologum Parisiensem doctissimum, qui novam operum Lactantii editionem Parisiis a. 1748 dedit. Haec inspicientibus satis, quod est, faciet. De emendationibus, contra quas et calamum strinxit Davisius, dispiciant eruditi. Quod restat, optandum foret, ut viri eruditi in anecdotis determinandis et auctoribus scriptorum *ἀνωνύμων* indicandis studium, quod poterant, collocassent omne. Descripsi inter alia et acta Theodori Tyronis martyris nondum edita, quae, quum Antverpiam a. 1715 transirem, dedi Iesuitis, acta SS. compilantibus, pergratum ipsis munus. Video etiam, recensere viros doctos Tom. I. §. 108. explanationem liturgiae graecae, et addere *sine ullius auctoris nomine,* quem nec nominant ipsi. Sed norunt liturgiarum gnari, esse hunc libellum Nicolai Cabasilae, archiepiscopi quondam Thessalonicensis, quem Graecum dedit Fronto Ducaeus. Latinum Gentianus Hervetus, bibliothecis patrum insertum. Si tempus, quod altioribus negotiis mihi destinandum est, suppeteret mihi, partim ut totum hunc catalogum perlegerem, partim ut eundem cum meo totum conferrem, plura sane mihi occurrerent, partim obelo transfigenda, partim supplenda. Quidquid autem huius sit, multum, uti sub initium fassus sum, praestantissimis viris debet respublica litteraria, quod catalogum MSS. Codicum bibliothecae Taurinensis, quae nunc academica est, pleniorem nobis exhibuere. Habeo adhuc in scriniis meis plura anecdota, e Codicibus Taurinensibus descripta. Si arderem adhuc impetu isto, qui olim me incessit iuvenem, anecdota edendi, darem ista luci. Sed iam senex facile capio, non edenda esse anecdota, nisi quae internum et praecipuum secum pretium vehant. Habui et Chrysostomiana varia, quae cum Montefalconio, postremo operum Chrysostomi editore, communicavi,

Parisiis quum versarer. Sed quem fugit, nulli patrum plura fuisse supposita, quam Chrysostomo? Rogandi tamen videntur editores catalogi Taurinensis, ut Amphilochii Quaestiones ad Photium cum huius responsionibus, quae in Codice Taurinensi bene scripto exstant, in lucem prodire sinant cum versione latina, ita tamen ut iustum libro constituatur pretium, cuius fragmenta a Wolfio data ipsius ostendant praestantiam.

Atque haec sunt iam, quae desideriis tuis dare volui, celeberrime Kappi, bona pace mea novis actis eruditorum inserenda, si ita visum fuerit, currente abs me calamo scripta Tubingae die 15. Oct. a. 1751.

SELECTAE ANNOTATIONES ALIORUM

IN

LIBRUM I.

PRAEFATIO.

GALLASIUS: *Quatenus*] Mendosum codicem traductori fuisse p. 3.
oportuit, qui pro *ἐπὶ* legit *ἐπεί*. Unde etiam longum hyperbatum et *ἀνανταπόδοτον* secutum est. Nunc sublata litterula una, sensus tibi redditur planior. Quamvis enim *σχοινοτενὴς* sit oratio, tamen et distincte singula secernit et efficit, ut anterioribus posteriora apte respondeant. Hinc facile coniicies Irenaeum librum suum non convertisse: nec enim in vocula falli potuisset, quaecunque illi exemplaria obiecta essent. Non est igitur quod mireris tam multa obscura, perplexa et confusa in toto libro reperiri. Nam praeterquam quod mendoso exemplari interpretem usum esse aperte constat, is sane graecus fuit, neque satis tenuit proprietatem et puritatem linguae latinae, idque vel ex solo verbo *παραπέμπεσθαι* facile perspicies. Nam illud accepit pro *reïcere* vel *aversari:* pro quo *refutandi* verbum usurpavit; quod tamen in ea significatione proprie accipi non potest. Intellexit autem traductor, quosdam esse qui adversantur veritati, eamque reiiciunt, ut gallice vulgo dicere solemus de eo quod non admittitur, *renvoyer*. At proprie accipienda est haec dictio de iis, qui falso praetextu in veritatem ipsam emissi sunt. Nec simpliciter dicit *πεμπομένους*, quia nullam missionem aut vocationem legitimam habent falsi doctores, sed *παραπεμπομένους*, quod praeter rationem et ordinem a Satana et eius asseclis emissi essent; ut etiam idem hic auctor dicit eos *παραδιδάσκειν*, quod praeter verbum Dei falsa et ementita annuntient, quemadmodum a Demosthene *παραπρεσβεία* falsa et ementita legatio appellatur. Atque haec quidem ab initio ipso admonere volui, ut reliqua expendant diligenter lectores, quae si mihi singula enumeranda atque annotanda essent, tum essem prolixior, tum etiam de iudicio eorum qui non omnino oscitantes et supini erunt, viderer nimium diffidere. Itaque illa quae animadversione digniora erunt, tantum annotabo. — *Quia non omnes cerebrum habent*] Le- p. 7.
gitur in graeco, *ἐπεὶ μὴ πάντες τὸν ἐγκέφαλον ἐξεπτύκασιν*, id est, non omnes cerebrum exspuerunt: *τὸν ἐγκέφαλον ἐξεπτυκέναι* dicitur de iis, quorum cerebrum non impeditur crassis humoribus, quominus

rem latentem implexamque et involutam eruant ac denudent. Qui denique nec elleboro indigent nec apophlegmatismis, ut cerebrum expurgent, ii dici possunt cerebrum exspuisse, id est purgasse et defaecasse. Ductum videtur a medicis, qui gravata humoribus capita tum errhinis tum aliis remediis pituitam et sputa educentibus repurgare solent. Haec igitur profunda Valentinianorum mysteria non ab omnibus comprehendi posse dicit Irenaeus, quod non omnes sollertia ac perspicacia praediti sint. Posset etiam in contrariam partem accipi in eos, qui nimis exquisite purgantur, ita ut non solum superfluos humores, sed cerebrum ipsum exspuant et eiiciant. Ita sensus esset, non admitti ab omnibus deliria et portenta illorum hominum, quia tametsi rudes plerique videantur, tamen cerebro non carent. Et convenit proverbium, *ἐγκέφαλον οὐκ ἔχει*. Ac certe praestat paullo crassiorem, quam ita sollertem esse in rebus perniciosis, et hoc modo *ἀεροβατεῖν*, ut neque caelum neque terram attingas. Sed priorem expositionem sequi malo, quod proposito Irenaei melius convenire videatur.

p. 3. BILLIUS: *Quoniam nonnulli*] Graeci exemplaris vitium, a Gallasio non animadversum, densas ei nebulas offundit. Legendum enim est *ἐπεί*, non *ἐπί*, ut facile perspiciet, qui propius animum attenderit. Longissima autem est haec periodus, utpote in quam multa Irenaeus inculcarit. Potuisset enim breviter ita dicere: *Quoniam nonnulli falsas doctrinas invehunt, eas tibi indicandas duxi, ut eas iis, qui tecum versantur, perspicuas facias, desque operam ne quisquam in prodigiosos huiusmodi errores praeceps ruat. — Repudiata veritate*] *Τὴν ἀλήθειαν παραπεμπόμενοι*, id est, ut Apostolus loquitur, *ἀποστρεφόμενοι*, reiicientes, aversantes, non, ut inepte vertit Gallasius,

p. 5. praeter ius fasque emissi. — *Ut qui falsum*] In graeco pro *μηδὲ ἐν ᾧ διακρίνειν*, legendum *μὴ διακρίνειν*, quemadmodum etiam habet vetus translatio, ut quidem nunc exstat. — *Esse videatur*] In

p. 7. graec. pro *φαίνεσθαι* legendum *φαίνεται*. — *Integumentum*] *Ἐπιβολὴν* lego, non *ἐπιβουλήν*, adstipulante etiam veteri interprete, qui vertit, *superindumentum*. — *Cerebrum exspuerunt*] Id est, ingenii perspicacia praediti sunt. Vel etiam contrario modo, ut idem sit cerebrum exspuisse, quod cerebro carere. Prior tamen sensus mihi simplicior ac rectior videtur. Existimo enim hoc velle Irenaeum, iccirco non omnes capaces esse doctrinae Valentinianae, quod multi saniore sint cerebro, quam ut portentosa huiusmodi dogmata audire sustineant.

p. 3. FRONTO DUCAEUS: *Quatenus veritatem*] Restitutus est hic locus ex emendatione V. C. Iac. Billii, reiecta Gallasii interpretatione, qui vertit, *nonnulli in veritatem praeter ius et fas emissi, introducunt fabulas*. At enim ut aliquo tibicine ruinosum parietem fulciret, vel potius ut se in ipso limine defecisse ostenderet, congessit exempla, ut verbum *παραπέμπεσθαι* doceret de iis accipiendum, qui falso praetextu in veritatem ipsam emissi sunt, nullamque missionem aut vocationem legitimam habent falsi doctores, sed praeter rationem et ordinem a Satana emissi sunt, quos et hic auctor dicit *παραδιδάσκειν*, ut a Demosthene *παραπρεσβεία*, falsa legatio appellatur. Atqui eum

vel ipsa vulgata Lexica docere potuerunt, *παραπέμπειν* idem esse, quod spernere vel reiicere. Esther cap. 13, 3. *παραπέμποντας διηνεκῶς τὰ τῶν βασιλέων διατάγματα.* Clem. Alexan. 3. Paed. *ἡδονῆς ἕνεκα λούεσθαι παραπεμπτέον.* Gregor. Nazian. *παραπέμπεσθαι σιωπῇ.* Chrysost. *παραπεμπόμεθα τὰς αὐτῶν ἱκετηρίας.* — *Vitreum in eius contumeliam*] Graece *ὕαλος, vitrum,* ut apud Hieronymum epist. 8. in proverbio, quod natum videtur ex hac consuetudine adulterandi gemmas: *Tanti, ut dicitur, vitrum, quanti margaritum?* Sed apud Tertullianum ad Martyras cap. 4 legimus: *Tanti vitreum, quanti verum margaritum?* ne in usu tantum putetur haec vox numero multitud. apud Plin. et Petron. *vitrea fracta.* — *Quae est in Deum blasphemationis*] Graecus liber habet *εἰς Χριστὸν βλασφημίας;* Vetus legisse videtur, *εἰς Θεόν.* Paullo ante pro, *ἐπεὶ μὴ πάντες τὸν ἐγκέφαλον ἐξεπτύκασιν,* reddidit, *quia non omnes cerebrum habent,* quod priorem expositionem Billii confirmat, quasi idem sit exspuisse cerebrum, quod ingenii perspicacia praeditum esse; sive, ut monet Gallasius, ductum sit hoc genus loquendi a medicis, qui gravata humoribus capita tum errhinis tum aliis remediis pituitam et sputa educentibus repurgare solent; sive ab iis, qui natura cerebrum non habent iis humoribus impeditum. Ideo ergo haec convincit, quia non omnes suo Marte illa deprehendere possunt; nam quum addit: *ut et tu cognoscens ea omnibus manifesta facias;* profecto videtur velle, ea cognosci portenta, ut ipsorum absurditate perspecta vitentur ac damnentur. Ut quum quis, quod porrigitur pro gemma vitrum, noverit esse vitrum, reiicit protinus et contemnit. Irenaeus lib. I. c. 35 *adversus eos victoria est, sententiae eorum manifestatio.* Hieron. ad Ctesiphontem: *sententias vestras prodidisse, superasse est.* p. 7.

FEUARDENTIUS: *D. Irenaei*] Hanc vulgatam librorum D. Irenaei inscriptionem initio mihi suspectam reddiderat, non solum vetus codex manuscriptus, qui paullo diversam habet, ut in margine signavimus; verum etiam Eusebius (h. e. v, 6.), qui hos nominat, *Ἔλεγχον καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως βιβλία πέντε, Reprehensionis ac eversionis falso nominatae scientiae libros quinque.* Subscribunt ei Andreas Caesariensis et Arethas in cap. 16. Apocalypsis, Oecumenius quoque, Ioan. Hentenio interprete, eosdem appellat, *Libros adversus falso dictam sapientiam;* item: *Confutationem falso dictae scientiae.* Sed amplius me moverat idem Irenaeus, qui Praefatione in librum secundum ad hanc inscriptionem alludens, ait, se *arguere falsi nominis agnitionem.* Et paullo post eadem ita confirmat: *Quod sit detectio et eversio sententiae ipsorum* (haereticorum), *operis huius conscriptionem ita titulavimus.* Rursumque Praefatione in librum quartum idem ait: *Hunc quartum librum transmittens tibi operis, quod est de detectione et eversione falsae cognitionis.* Et iterum, ad quarti libri finem scribit: *Integrum tibi opus exprobrationis et eversionis falso cognominatae agnitionis, praestante Deo, praebebimus.* Praefatione denique in librum quintum ait: *In hoc lib.* 5 *qui est de traductione operis universi, et eversione falso cognominatae agnitionis* etc. quibus assignata per Eusebium inscriptio dilucide probatur. Constat praeterea Irenaeum *Ἔλεγχον* ad librum primum, in quo haereti- p. 3

corum errores retegit tantum; Ἀνατροπὴν autem ad sequentes quatuor, in quibus plurimis gravissimisque disputationibus eos revincit, concinne retulisse. Quia tamen pro eadem vulgata latinaque inscriptione facit, quod apud eundem Eusebium prius in eodem capite ita citantur graece, ut fert vetus inscriptio: rursusque libro quarto Historiae c. 11. idem dicit: *ταῦτα δέ φησιν ἐν τρίτῳ τῶν πρὸς αἱρέσεις,* et cap. 14. *οὕτως ἔχουσαν, ἀπὸ τοῦ τρίτου τῶν πρὸς αἱρέσεις.* Idemque rursum Eusebius interprete Ruffino eiusdem libri c. 18 et 29 appellat libros contra haereses. Insuper, Cyrillus Ierosol. *Institutiones contra haereses;* Hieron. quoque in Catalogo, item Theodoretus et Procopius Gazaeus interpretes, *Libros contra haereses;* Anastasius Nicaenus, *Sermones contra haereses:* idem postremo Ireraeus scribit. *Qui istas haereses expugnarit, ceteras omnes facile eversurum:* hanc eandem vulgatam antiquam inscriptionem etiam nunc cum vetere interprete retinendam existimo; ut graecis fragmentis altera praefigenda esset. Haec enim eo videtur mihi elegantior, quod allusionem habeat ad Gnosticorum appellationem, simulque Apostoli Pauli conveniat verbis, quibus evitandas *ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου*
p. 7. *γνώσεως* graviter sancteque praemonet. — *Ne forte et cum nostro delicto*] Ecclesiarum pastores dominicae illius comminationis submonere videtur, qua sanguis pereuntium de manibus illorum reposcetur; cuius terror querulosas et uberioribus lacrymis interlitas voces has excussit Augustino (Epist. 148.), cum in consortium episcopatus vocaretur a Valerio: *Nihil apud Deum miserius, tristius et damnabilius, episcopi, presbyteri, aut diaconi officio, si perfunctorie res agatur.* Sacer Ignatius (Ep. 1.) scribit, episcopum non tam suipsius esse, quam aliorum. Hinc eligendus Ambrosius (Paul. vit. Ambros.) fugam meditatur: Ammonius, aurem sibi amputat (Niceph. l. 11.): Sinesius, hoc ministerio multas praeelegit mortes: sese occultat Basilius Magnus: Chrysostomus, quantum potest onus detrectat (Chrys. l. de sacerd.): et quidam apud B. Hieronymum formidat. ne de damnatorum numero esset, si episcopus fuisset. Horrendum illud fulgur, nunc a multis inane spectrum existimari videtur. — *Ovilis pellis*] Nisi legas *ovillae,* id est, ovinae (est enim utrumque usitatum) Soloecismus est: habet tamen *ovillis,* vetus cod. — *Similia quidem nobis loquentes*] Et aliam fraudem Gnosticorum retegit, qua prima verborum specie cum Orthodoxis facere videbantur; reipsa tamen simpliciorum oculos praestigiatorum instar tantum perstringebant, longe diversa sentientes. Cavendum semper igitur ab haereticis, ne incautis imponant, *quia quando urgeri coeperint, aut scribendum illis fuerit,* ait Hieronymus (Ep. ad. Ocean. et Pam.), *miras strophas videas: sic verba temperant, sic ordinem vertunt et ambigua quaeque concinnant, ut et nostra et adversariorum confessionem teneant, ut aliter haereticus, aliter catholicus audiat.* Pelagianos huius fraudis ita reos agit idem: *Aliud audiunt cubiculorum secreta, aliud rostrorum populi etc.* (Ep. ad Ctesiph.) *Fides vero pura,* scribit idem Hieronymus (Ep. ad Theoph.) *non quaerit strophas, quod simpliciter creditur, simpliciter confitendum est.* Et Tertullianus, contra Valentinianos: *Nihil veritas erubescit, nisi tantum abscondi.* — *Quum legerim commentarios ipsorum*] Non solum ergo Valentinus haeresiarcha quaedam scriptis evulgavit, velut Evangelium,

Psalmos et Sophiam, ut est apud Tertullianum, Clementem Alexandr. ac Epiphan., verum etiam discipulos habuit polygraphos, quorum commentarios post Irenaeum se legisse profitetur Tertullianus libro de carne Christi, cap. 15. 16. 17. et 20. An vero lectio librorum haereticorum quibusvis permittenda sit, discutiemus postea. — *Qui sunt circa Ptolemaeum*] De hoc plura refert idem Irenaeus ad finem capitis libri primi: item libro secundo capite quarto et quadragesimo. Tertullianus sub calcem libri Praef. scribit eum cum Valentino per omnia sensisse, adiectis tantum octo novis Aeonibus ad triginta, et negando Aeonem 30. excessisse de Pleromate. Eiusdem rursum meminit libro adv. Valent. cap. quarto, octavo et duodecimo. Nicetas Choniates libro quarto thesauri orthodoxiae, cap. quinto, testatur hunc Bytho, quem Deum vocabat, duas affinxisse coniuges, Ennoeam seu cogitationem et Thelema seu voluntatem. Insuper, epistola ad Floram (quam transcripsit Epiphanius) in Mosis legem invectum, solum decalogum veluti a Deo datum hominibus, admittendum esse. Huius porro errores post Irenaeum solide refellunt Epiphanius, Euthymius, Nicetas et Theodorus Scutariotes. — *Et aliis occasiones dabimus*] Cupit omnes alios qui scribendi et dicendi arte pollebant, suo exemplo adversus haereticos decertare et nullo pacto in eorum sceleribus maximis connivere. Gloriatur Hieronymus, se nunquam haereticis pepercisse, sed omni egisse studio, ut hostes ecclesiae, sui quoque fierent, in Prooemio Dialog. contra Pelagian. Hortatur idem, Augustin. ad eum data epistola, pro signo maximae gloriae ducere, quod eum omnes haeretici detestarentur, secumque pari odio prosequerentur, ut quos gladiis nequibant, votis saltem interficerent. — *Neque scribere consueti*] Non inepte forsan quis ex hoc divinare posset, hos quinque libros primum esse foetum Irenaei, quem sub annum Christi centesimum octogesimum, pontificatus vero Eleutherii papae secundum, emiserit adversus Valentinum, antequam in Florinum et Blastum eiusdem impietatis sectatores stylum acueret. — *Non autem exquires a nobis*] Observa, patres veritati et simplicitati magis quam eloquentiae studuisse. Hinc Cyprianus epist. ad Donatum: *In concione pro rostris, opulenta facundia volubili ambitione iacteiur: quum autem de Deo vox est, vocis pura sinceritas, non eloquentiae viribus nititur ad fidei argumenta, sed rebus.* Et Augustinus, quarto de Doctrin. Christian. cap. decimoquinto: *Agat doctor eccl. quantum potest, ut intelligenter, ut libenter, ut obedienter audiatur: et haec se posse, pietate magis orationum, quam oratorum facultate non dubitet, ut orando pro se, ac pro illis quos est allocuturus, sit orator, antequam doctor.* — *Qui apud Celtas*] Plinius libro quarto, cap. decimo septimo scribit Galliae comatae tertiam partem Celticam et Lugdunensem vocari, eam nimirum, quae est inter Sequanam et Garumnam. — *Idiotice*] Id est vulgari more, vel forsan rectius, privatim, ut referatur ad pronomen *tibi*. — *Subministrationem dare*] Graece ἐφόδια δοῦναι eleganter dicimus, viaticum praebere. Hic idem quod ἀφορμήν, opitulationem, auxilium aut subsidium significat. p. 9. p. 11.

GRABIUS: Ἐπί] Ἐπεὶ legit vetus interpres; et recte quidem, uti Billius, Fronto Ducaeus et Feuardentius uno ore asserunt, ideoque p. 2.

invehuntur in Gallasium, qui acriter pro lectione *ἐπὶ* contendit, vertitque: *Nonnulli in veritatem praeter ius et fas* etc. notans, idcirco haereticos ab Irenaeo haud dictos *πεμπομένους*, quod legitima a deo missione carerent, sed *παραπεμπομένους*, quod praeter rationem et ordinem a Satana et eius asseclis emissi essent: quemadmodum a Demosthene *παραπρεσβεία falsa et ementita legatio* appellatur. Verum licet ista huius verbi significatio alibi obtineret, non apparet tamen, quomodo hic falsi doctores in ipsam veritatem praeter ius et fas emissi commode dici potuerint: nec istis ambagibus opus est, quum optime huc quadret notata a Frontone vocis *παραπέμπειν* significatio, qua idem est ac *spernere* vel *reiicere*. Sic Esther XIII, 3 *παραπέμποντας διηνεκῶς τὰ τῶν βασιλέων διατάγματα*. Et apud Clementem Alex. lib. III. Paedagogi cap. 9 *ἡδονῆς μὲν ἕνεκα λούσασθαι παραπεμπτέον* etc. *Παραπεμπόμενοι ἀλήθειαν* igitur ab Irenaeo dicti sunt haeretici eodem sensu, quo ab apostolo Tit. I. 14 *ἀποστρεφόμενοι τὴν ἀλήθειαν, aversantes veritatem*, uti bene monuit Feuardentius, simul post Billium animadvertentes, longum hic esse hyperbatum (sed Irenaeo, librorum praecipue initiis, familiare), ac lectorem tamdiu suspendi, donec veniatur ad *ἀναγκαῖον ἡγησάμην*.

p. 3. — *Exercitata*] Ita ex vet. cod. reposuit Feuard. pro *exercita*, ut est in Erasm. Gall. Arundel. Sed quum *συγκροτεῖν* vix uspiam in exercendi, aliquoties autem in exciendi sive concitandi significatione usurpetur, ab interprete scriptum videtur *excita* sive *exercitati*: ex quo tanquam contracte scripto imperiti scribae fecere exercita. Verum quomodocunque legatur, non bene versa est vox *συγκεκροτημένη*,

p. 4. quae hic reddi debebat *composita, adornata*. — *Ὑψηλότερόν τι*] Tertullianus lib. contra Valentin. cap. 1. *Concreto vultu, suspenso*

p. 6. *supercilio, altum est, aiunt*. — *Ὅμοια μὲν λαλοῦντας* cett.] Ita et Tertullianus contra Valentinianos cap. 1: *Si subtiliter tentes*, inquit de illis, *per ambiguitates bilingues communem fidem affirmant*. Et paullo ante: *Sanctis nominibus, et titulis, et argumentis verae religionis, vanissima atque turpissima figmento configurantes*. — *Μὴ πάντες τὸν ἐγκέφαλον ἐξεπτύκασιν*] Haec phrasis dupliciter exponi potest, vel de illis, qui pravis humoribus per sputa eiectis defaecatum habent cerebrum, ita ut res obscurissimas perspicere queant; vel de iis, qui nimis purgantur, adeo ut et superfluos humores, et ipsum cerebrum exspuant, iisque competat proverbium: *ἐγκέφαλον οὐκ ἔχει, caret sensu*. Priori modo Gallasius vult ironice ab Irenaeo dictum, non omnes tanta perspicacia praeditos esse, ut in profunda Valentinianorum mysteria penetrare queant. Quam expositionem Billius quoque se probare profitetur, quum tamen reapse posteriorem sequatur, mihi omnino genuinam visam. Serio nempe Irenaeus ait, non omnes portentosa haereticorum commenta admittere, quod non omnes cerebrum exspuerint, sed plurimi integrum sanumque habeant caput.

p. 8. — *Μήτε συγγράφειν εἰθισμένοι*] Sollerter inde collegit Feuard. hos contra haereses libros primum Irenaei opus esse. Ceterum notanda hic verba Scholiastae in initium lib. I. Thucydidis: *Ξυγγράψαι, τὸ μετ' ἐπιμελείας καὶ σπουδαίως συντάξαι· γράψαι δέ, καὶ τὸ ἁπλῶς καὶ μὴ ἐπιμελῶς τὴν ἀλήθειαν ἀνευρεῖν*. Atque hinc

paullo post *δυνάμει συγγραφέως* se destitutum ait Irenaeus. — *Κελτοῖς*] Ita recte in Petaviana editione Epiphanii legitur pro *Δελφοῖς*, quod erat in Basileensi, indeque in editiones Irenaei transcriptum. Ceterum Celtas istius Galliae partis incolas dictos fuisse, in qua est urbs Lugdunensis, cuius episcopus fuit s. Irenaeus, ex Caesaris lib. I. Commentariorum, et Plinii lib. IV. cap. 17. constat, vulgares Geographos ut taceam. — *Συγγραφέως*] Titulum *συγγραφέως*, quem p. 10. auctor noster sibi sumere modeste recusavit, eidem merito alii adscripserunt: sic in MS. cod. 22. in Archivo Bodleiano B. quaedam citantur *ἐξ ἑτέρου βιβλίου Εἰρηναίου συγγραφέως*, suo loco recitanda.

MASSUETUS: *Ἐπιβουλήν*] *Ἐπιβολὴν* legit latinus interpres: p. 6. vertit enim, *superindumentum*. Vocem tamen *ἐπιβουλὴν* retineri nihil vetat, qua posita accommodate ad auctoris institutum cum Cornario verteris: *propter externas ovillae pellis insidias*. — *Μὴ πάντες τὸν ἐγκέφαλον ἐξεπτύκασιν*] Interpres legisse videtur *ἔχουσιν* vel *ἐσχήκασιν*, ni forte (quod a vero simili non abhorret) graecae phraseos sensum haud assecutus, hanc vertendo immutarit. Animum torquent Gallasius, Billius, Fronto Duc. et Grabius, ut obscurae huius sententiae sensum expiscentur. Non meminerant, puto, Plautum in *Mostellaria* dixisse, *cerebrum mungere*, pro *callidiorem*, seu *astutiorem evadere*, vel *efficere*:

Immo etiam cerebrum quoque omnem e capite munxisti meum:
Nam omnia malefacta vestra repperi radicitus.

Eodem prorsus sensu dictum ab Irenaeo *ἐγκέφαλον ἐκπτύειν*, *cerebrum exspuere*, quo a Plauto *cerebrum mungere*. Nempe rationem affert ille, cur omnes portentosa et abstrusa Valentinianorum mysteria assequi non valeant; quia, inquit, *μὴ πάντες τὸν ἐγκέφαλον ἐξεπτύκασι*, *non omnes cerebrum exspuerunt*; id est, non omnes cerebrum satis emunctum, seu defaecatum habent, non ea ingenii subtilitate pollent, ut perdifficilia et obscurissima dogmata pervadere possint. — *Quae est*] Id ad Ptolemaei et asseclarum *sententiam*, non ad Ptole- p. 9. maeum ipsum referri demonstrat textus graecus, in quo legitur, *ἀπάνθισμα οὖσαν*, scilicet, *γνώμην τῶν περὶ Πτολεμαῖον*. Perperam igitur Feuard. ad lib. II. cap. 4. et alii ex hoc loco collegerunt, Ptolemaeum ab Irenaeo vocari *flosculum scholae Valentini*, decepti videlicet haud satis accurata interpretatione vocis *ἀπάνθισμα*. Haec enim proprie non *flosculum*, sed *delibationem*, seu, ut alius quispiam mediae vel infimae latinitatis interpres vertisset, *defloralionem* hic significat. Id nempe vult Irenaeus, Ptolemaeum quod subtilius erat e Valentini dogmatibus delibasse ac excerpsisse, ut hypothesim suam hinc conficeret. — *Vacamus*] Sic reponere non dubitavimus, Codd. p. 11. Voss. et Clarom. auctoritate moti, in quibus legitur quidem *vacamur*, sed manifesto scribarum lapsu, pro *vacamus*. Cum enim in MSS. antiquioribus non exigua sit affinitas inter *s* at *r*, proclive fuit festinantibus scribis posteriorem pro priori scribere; quorum codices alii exscribentes, nec barbaram vocem *vacamur* intelligentes, scripserunt alii *vocamur* (ut prius in cod. Clarom. scriptum fuerat, sed postea emendatum), alii *avocamur*, quod posterius in editt. om. legitur. Legen-

dum vero *vacamus* demonstrat vox graeca *ἀσχολουμένων*, quam latine reddidit Billius : *operam ponimus*, Cornarius vero et Petavius : *occupati sumus*.

CAP. I.

p. 13. BILLIUS: *Bythum*] Parum congruenter hoc nomen a Valentinianis tributum esse scribit Tertull. lib. advers. Valent. qui in sublimitatibus habitat. Bythus enim profundum significat. Bythium tamen dicit ille, non Bythum. — *Monogenem*] Hunc item Protogenem aptius vocandum fuisse ait Tertull. quam Monogenem, quum eum non Unigenitum, sed primogenitum fingant. — *Pythagoricam quaternitatem*] Tetradem et quadrigam dicit Tertull. Pythagoricam autem eam vocat, quod philosophus ille quaternarium numerum in tanto honore haberet, ut etiam hanc formulam iurandi discipulis suis praescriberet, *οὐ μὰ τὸν ἡμετέρᾳ γενεᾷ παραδόντα τετρακτύν.*

p. 11. FRONTO DUCAEUS: *Hunc autem et Proarchen*] Vocem hanc etiam agnoscit Theodoretus lib. I. Haeretic. fabularum, de Valentino, ubi legendum forte, *Ante principium*. Tertullianus adversus Valentin. capit. 8. et graecam vocem retinuit *προαρχὴν* et *Proarchen* scripsit
p. 13. c. 35. — *Esse autem illum invisibilem, et quem nulla res capere possit*] Haec absunt a graeco: verum Tertullianus simul ista profert: *Innatum, immensum, infinitum, invisibilem, aeternumque definiunt.* —
p. 15. *Masculo-feminam*] *Ἀρρενόθηλυν*. Tertull. c. 34. *Ne apud solos Lunenses Hermaphroditum existimet Fenestella.* — *Bythus et Mixis*] Graece *Βύθιος*, non *Βυθός*, quo pacto et apud Tertullianum c. 8. *Bythius et Mixis*, et ita in manuscriptis omnibus legebatur, teste Pamelio, qui et hic, et lib. II. c. 19. Irenaei sic legendum censet; et Theodoretum, apud quem quum reperisset interpres *Βυθόν*, vertit *Profundum et Mixtionem*: huncque Bythium ad differentiam primi parentis Bythi sic dictum suspicatur. — *Ageratos*] Cap. 19. lib. II. redditur latine, *innascibilem*, vel, ut est in margine, *insensibilem*; forte *insenescibilem*, vel *insenilem*: apud interpretem Theodoreti lego, *senii expertem, unionem et per se nascentem*: hoc ultimum est Au-
p. 17. tophyes. — *Aenos et Synesis*] Scribendum hic et apud Billium *Ainos et Synesis*.

p. 13. FEUARDENTIUS: *In immensis Aeonibus*] Id est, per infinita saeculorum tempora, vel infinitis retro aevis, ut scripsit Tertull., Deum scilicet otiosum, qualem voluit Epicurus, fingentes. Sententia porro Gnosticorum ac huius loci est huiusmodi: *Primus Aeonum, qui et perfectus et Ante-principium et primus Pater et Profundum dicitur, vere et solus est aeternus, invisibilis, ingenitus et incomprehensibilis.* Illis autem prodigiosis et fabulosis nominibus maluerunt Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi designare, quam cum prophetis, apostolis et Christianis omnibus profiteri Deum Patrem omnipotentem, creatorem caeli et terrae. *Adfuit etiam illi* (subiiciunt) *Ennoea, id est, intellectus, intentio, seu cogitatio et Gratia et Silentium. Volens autem Bythus rerum omnium initium per Silentium emittere*; *genuit Intelligentiam sibi aequalem, quae et Unigenitus et Pater et Principium cunctorum dicitur: simulque Veritatem emisit*, etc. Non dubito autem fanaticos illos homines per huiusmodi fabulas et nugas ineffabilem

aeternamque Filii a Patre generationem deformare; simulque principium Evangelii B. Ioannis, quo sanctissime, et quantum capere potest humana mens, describitur, diabolico plane astu depravare studuisse. — *Et solum capientem*] Sic deformabant, quod clare in evangelio dicitur, *Neque Patrem quis novit, nisi Filius*, etc. Quod August. explicans ait: *Soli tibi integre nota est Trinitas sancta et omnipotens.* Soliloquiorum c. 31. et Medit. c. 29. — *Et hanc esse primam*] Pythagorici omnia pene numeris tribuentes, quaternarium ideo ceteris praeferebant, quod denaria perficeretur multitudine: denarius vero quaternarii esset compositio. *Omnia quae sunt,* aiebant, *quaternarium colligasse elementa, ventos principes, orbis fines, aetatum compagines.* Figuram quadratam aliis omnibus perfectiorem, quod contineatur quatuor lineis aequalibus, totidemque angulos aequales habeat. Corpus quadratum, ut est cubus, perfectum habet enim sex superficies quadratas aequales, quarum unaquaeque quatuor habeat lineas et quatuor angulos, et quomodocunque iaceat, semper est rectus. Hinc virum bonum quadratum dixerunt et tetragonum. Quin et animam rationis compotem quadam quaternitate constare, videlicet mente, scientia, opinione atque sensu, docentes, ex eo iusiurandi sibi religionem fecerant, unde illud: *Per quaternitatem animae nostrae tradentem perennis fontem naturae.* (Plut. lib. I. de plac. phil. Diog. Laërt. Rhodigin. lib. 18, c. 14. et lib. 22, c. 9. Volat. lib. 35. Philol. Paul. Greg. Comment. in lib. 6. syntaxis artis admirab. c. 18.) Quid si agnovissent praecipuum nomen Dei omnium fere gentium mirabili consensione quatuor tantum litteris efferri? Nam qui a nobis dicitur Deus, a Graecis *Θεός*, ab Hebraeis יהוה, ab Arabibus, Turcis et Mahometanis Alla, a Persis Syre, a Magis Orsi, appellatur. Sed infelices Gnostici his antiquorum mysteriis, ut et divinis Scripturis ad suas deliriationes constituendas nequiter abutebantur. — *Sentientem autem* p. 15.
unigenitum] Locum hunc ita refert Tertull. *Nus simul accepit prolationis suae officium, emittit et ipse ex semetipso Sermonem et Vitam.* — *De logo autem*] Tertull. *Sed et haec soboles ad initium universitatis et formati Pleromatis totius emissa facit fructum. Hominem et Ecclesiam procreat.* — *Acinetos*] Sic pro *Agne* reposuimus, ex Theodor. Epiphan. Tertullian. et sequentibus Irenaei. — *Hi sunt* p. 17.
triginta] Ad hunc locum respiciens Cyrillus Ieros. (Cat. 6.) contendit Valentinianos triginta deorum (nam Aeones instar deorum habebant) praedicatores, ethnicis, paucos tantum confingentibus, longe deteriores fuisse. Athanasius quoque Orat. 5. contra Arianos ait, istos pro veritate et rerum fide, inania simulacra introduxisse. — *Nec enim Dominum* etc.] Domini appellationem priscis Christianis non vulgari religione observatam fuisse indicat Tertullian. Apolog. *Augustus* (ait) *ne Dominum quidem dici volebat. Et hoc enim Dei est cognomen. Dicam plane et imperatorem Dominum, sed more communi; sed quando non cogor ut vice Dei dicam. Dominus meus unus est, omnipotens, Deus aeternus, idem qui et ipsius.* Et lib. contra Hermog. *Deus nominatur ab initio, Dominus autem non nisi post condita omnia.* Proinde dum sine addito enuntiatur, solius Dei est, semperque *ἐκ τῶν πρός τι* et non nisi comparatione ad servos dicitur, quibus creationis et providentiae iure imperat. Quum igitur orbem ab alio conditum

autumarent: quin et Christo Iesu seipsos similes, aliasque secundum aliquid, ut scribit Irenaeus (Lib. I. c. 24.) etiam eo se fortiores mentirentur; idcirco non mirum, si Christo et Dei et Domini nomen inviderent. Observabis simul, haereticos spreto veteri et catholico more dicendi sibi peregrinas et recentes formulas finxisse profanasque vocum novitates, quas devitare iubet apostolus. In hunc errorem disputat, lib. 3. c. 6. Accedit quod proprium nomen Dei יהוה Graeci vertentes per *κύριος*, Dominus; quapropter sicut hi Christum verum ac aeternum Deum esse negabant, sic et Dominum.

p. 10. GRABIUS: *Τέλειον Αἰῶνα*] Tertull. cap. 7. *Substantialiter quidem αἰῶνα τέλειον appellant, personaliter vero προαρχὴν et τὴν ἀρχήν, etiam Bythum. Aeon* igitur Valentinianis Deum denotavit; pro qua significatione a Lexicographis praetermissa duorum philosophorum auctoritatem accipe, Epicteti gentilis et Pseudo-Dionysii Christiani. Hic apud Arrianum, eadem, qua Valentinus vixit, aetate florentem, lib. II. cap. 5. ante medium, mortis necessitatem considerans, ait: *οὐ γάρ εἰμι αἰών, ἀλλ' ἄνθρωπος*, *Neque enim sum Deus, sed homo.* Illi autem lib. de Divinis Nominibus cap. 5, §. 4. Deus dicitur *ἀρχὴ καὶ μέτρον αἰώνων καὶ χρόνων ὀντότης καὶ αἰὼν τῶν ὄντων, Principium et mensura saeculorum et temporum essentia et aevum eorum quae exsistunt.* Nam quemadmodum in *αἰῶνι* sive aeternitate nec praeteritum nec futurum datur, sed semper praesens; ita et Deus *οὔτε ἦν οὔτε ἔσται οὔτε ἐγένετο οὔτε γίνεται οὔτε γενήσεται*, ut Dionysius ibidem addit, indeque concludit: *Αὐτὸς γάρ ἐστιν ὁ Αἰὼν τῶν αἰώνων, ὁ ὑπάρχων πρὸ τῶν αἰώνων, Ipse enim est aevum aevorum, exsistens ante omne aevum.* Confer Commentatores

p. 12. in haec verba. — *Προπάτορα καὶ Βυθόν*] Synesius, episcopus Ptolemaidis, sicut in Hymnis, poetica licentia abusus, omnem fere Valentinianorum mataeologiam verae theologiae adaptavit ac haeretica voce orthodoxam cecinit fidem; ita haec duo quoque nomina vero Deo Patri attribuit. Sic Hymno II. v. 27. *Βυθὸς πατρῷος, Profundum paternum.* Hym. III. v. 47. *Προπάτωρ, ἀπάτωρ, Primus pater, sine patre.* Hym. IV. v. 69. *Βύθιον κάλλος, Immensa pulchritudo.* — *Ἦν προβαλέσθαι*] Articulum ἦν deletum, et ista: *καὶ καθάπερ σπέρμα — ἐνενοήθη*, in parenthesi accepta velim, ratus textum, in quo vocem aliquam redundare constat, rectius hoc modo emendari, quam si deleatur *καὶ* ante *καθέσθαι*, id quod voluit Fronto Duc. Nam latini et graeci codd. omnes copulativam hanc particulam habent; contra vox *quam* in nullis MSS. vel editis Erasm. et Gall. comparet, et a me proinde omissa, sed a Feuard. addita ex textu graeco, in quem ἦν, nescio quomodo, irrepsit: id quod tamen citra MS. codicis auctop. 14. ritatem delere nolui. — *Αἰσθόμενον*] Tertullianus cap. 7. *Nus simul accepit* (id est, percepit sive intellexit) *prolationis suae officium.* — *Προβαλεῖν καὶ αὐτὸν Λόγον*] Tertull. loc. cit. *Emittit et ipse* (Nus) *ex semetipso Sermonem* etc. Memoriae itaque lapsus est in Cyrilli Catech. VI. ubi *Βυθῷ* generatio *Λόγου* adscribitur; est quoque ibidem prava lectio, distinctio, versio textus. Lege ex MS. 25. Roe. in Bibliotheca Bodl. emendatum, recteque distinctum: *Βυθὸς ἐγέννησε Σιγὴν καὶ ἀπὸ τῆς Σιγῆς ἐτεκνοποίει Λόγον. Τοῦ παρ' Ἕλλησιν*

Διὸς οὗτος χείρων, τοῦ τῇ ἀδελφῇ μιγνυμένου· τέκνον γὰρ τοῦ Βυθοῦ ἐλέγετο εἶναι ἡ Σιγή. Bythus genuit Sigen et ex Sige filium suscepit Logon. Iste peior est Iove gentilium, qui sorori commixtus est; quippe Sige Bythi proles esse ferebatur. Ceterum verbis Valentinianis orthodoxe cecinit Synesius Hymn. IV. v. 130. *Λόγος, ὃν μεγάλῳ πατρὶ συνυμνῶ, Νόος ἀῤῥήτου Τίκτει σὲ πατρός, Verbum, quod magno cum Patre cano, Mens ineffabilis Te gignit Patris.* Alii quoque Patres ita loquuntur. — *Μόρφωσιν παντὸς τοῦ πληρώματος*] Apud Tertullianum itaque loco saepius citato lege: *sed et haec soboles ad initium Universitatis et formationem* (loco *formati*, ut est in impressis) *Pleromatis totius emissa* etc. — *Τριακόντα*] Ita post Irenaeum cuncti haereseon enarratores, omniumque prolixissime Epiphanius, qui eorum originem ex Hesiodi Theogonia et triginta eius Diis deducit, Haeres. XXXI. §. 2. scribens inter talia: *Τριάκοντα γὰρ καὶ οὗτος Αἰῶνας βούλεται παριστᾶν, οὓς καὶ Θεοὺς ὀνομάζει, Triginta huic quoque placuit statuere Aeones, quos et Deos nominat:* (quomodo et Origenes homilia unica in librum Regum post medium: *quos αἰῶνας, sive quos Deos appellant.*) Addo, et pro Deorum nomine, et pro trigenario numero confirmando Paulinum presbyterum in vita s. Ambrosii, ubi ait: *Valentinianorum haeresis triginta Deos colit,* sive ut Agobardus lib. de Iudaicis superstitionibus cap. 2. in plurali numero allegavit: *Valentinianorum haeresis triginta Deos colunt.* Consentit de nomine, dissentit autem de numero ipse Ambrosius epist. 29. ad Theodosium imperatorem circa medium, de iisdem scribens, quod *triginta et duos Aeonas colant, quos appellant Deos.* Quid hic sibi volunt *triginta et duo?* Nodum hunc secarunt, non solverunt, editores Ambrosii Romae 1585. qui epist. 17. (alius enim est ibi epistolarum ordo) *triginta Aeonas* excudi fecerunt, omiserunt *et duos,* quos secuti sunt Parisienses in editione 1614 etc. Ast in antiquissimis exemplaribus omnibus verba Ambrosii ita, ut modo citavi, expressa inveni, nempe in Basileensi anno 1492. 1527. 1567. inque Parisiensi 1586. Laudem itaque in hoc, perinde in aliis locis, meretur recentissima optimaque patrum Benedictinorum editio, quae numerum XXXII. restituit, ut ex cl. Ittigii appendice ad Dissertationem de haeresiarchis §. 53. disco, quum ipsam modo non ad manus habeam. Sed minus recte ibidem ad complendum dictum numerum *Bythos et Sige* ab Ambrosio additi notantur. Hi enim iam trigenario numero continentur, ideoque alii duo accipiendi sunt, nempe *Christus et Spiritus sanctus,* quos ambos a Monogene ad fixionem et consolidationem Pleromatis prolatos refert Irenaeus §. 4. huius capitis, eosque reliquis triginta Aeonibus annumerandos contendit lib. II. c. 15. — *Αἰῶνες*] Supremum Deum suum sive *Βυθὸν* Valentinianos vocasse *τέλειον Αἰῶνα,* uti nos verum Deum *absolute* talem pronuntiare solemus, ex supra dictis patet. Ast inferiores, quos commenti sunt, Spiritus itidem *αἰῶνας,* licet non perfectos, cognominarunt, sicut et Catholici quoddam bonorum angelorum genus hac voce designare soliti sunt. Ita in interpolata Ignatii epistola ad Trallianos §. 3. legimus *ἀγγέλων καὶ στρατιῶν ἐξαλλαγάς, δυνάμεών τε καὶ κυριοτήτων διαφοράς, θρόνων τε καὶ ἐξουσιῶν παραλλαγάς, αἰώνων* p. 16.

τε μεγαλότητας, τῶν τε Χερουβεὶμ καὶ Σεραφεὶμ τὰς ὑπεροχάς etc. In quae verba animadvertit quidem Usserius, haud alibi, sive in Scriptura sacra, sive in Catholicorum scriptis, ullam Aeonum in hac significatione occurrere mentionem. Sed memoria lapsus est vir magnus, quod ecclesiasticos attinet scriptores. Nam lib. VIII. Constit. apostol. cap. 12. Deus dicitur *ποιήσας τὰ Χερυβεὶμ καὶ Σεραφείμ, αἰῶνάς τε καὶ στρατιάς, δυνάμεις τε καὶ ἐξουσίας* etc. Ad quem locum Cotelerius bene notavit, quod Eusebio quoque Orat. de laudibus Constantini pag. 606. commemorentur *ἀγγέλων στρατιαί, πνεύματα νοερῶν φωτὸς ἔγγονα, αἰῶνες ἄχρονοι, ἄλλοι ἄπειροι αἰῶνες αἰώνων.* Et ex Latinis apud Hilarium lib. II. de Trinitate ante medium: *archangeli nesciunt, angeli non audierunt, saecula non tenent.* De ipsa scriptura sacra affirmare haud ausim; nec tamen cum laudato praesule inficias ire velim. Quippe ut alia taceam loca, non defuere, qui Ephes. III. 9. per *αἰῶνας* intellexere angelos. *Saecula,* inquit ibi in commentario Hieronymus, *omnes spirituales et rationabiles creaturae, quae in saeculis fuerunt.* Unde de nomine haud tantopere lis movenda Valentinianis, nisi in re errassent, et figmenta Dei pariter ac angelorum loco verorum protulissent. — *Σεσιγημένοι*] Tertull. cap. 9. *Sige ipsis haereticis suis tacere praescribit.* Synesius Hymn. I. v. 75. *Τὰ δὲ ἄνω Σιγὰ καλύπτοι, Superna Silentium operiat.* Et Hymn. II. v. 22 seq. *Τὰ πρόσω μάκαιρα σιγὰ Νοερῶν τε καὶ νοητῶν Ἄτομον τομὰν καλύπτει, Ulteriora beatum Silentium Intelligentium et Intellectilium individuam divisionem tegit. — Εἰς ὀγδοάδα* etc.] Ita et inter alios Philastrius de Valentino: *De ogdoade ergo et decade et duodecade consistere triginta Aeonas delirat.* Ita enim pro *deliberat,* quod est in editis, legendum bene monuit accuratissimus Cotelerius in notis ad Tom. 3. Monument. ecclesiae graecae col. 629. Nam *delirandi* verbo et alias utitur Philastrius, exempli gratia de Tatiano, *Aeonas autem nuntians, sicut Marcion, deliravit.* Ceterum Lucianus, aut quisquis est auctor, in Dialogo cui titulus Philopatris, ante medium, ubi Catholicorum de trinitate fidem impie reiecit, et Valentinianorum quaternionem, ogdoadem etc. perstrinxit: ita enim Critias: *Μὴ τὴν τετρακτὺν φῂς τοῦ Πυθαγόρου, ἢ τὴν ὀγδοάδα καὶ τριακάδα, Num quaternionem Pythagorae dicis, an octernionem et numerum trigenarium,* scil. Aeonum? Respondet Triephon: *Σίγα τὰ νέρθε, καὶ τὰ σιγῆς ἄξια, Tace quae infra sunt, quaeque silentio digna. — Πλάσματι αὐτῶν*] Origenes quoque Tom. III. in Ioan. pag. 71. Valentinianos notat, velut *τὴν περὶ αἰώνων ἀναπλάσαντας ἐν συζυγίαις μυθολογίαν, Fingentes fabulosum de Aeonibus per syzygias commentum.*

p. 10. MASSUETUS: *Τέλειον αἰῶνα προόντα*] Sic Theodoret. lib. I. Haer. Fab. cap. 7. *πρῶτον αἰῶνα τέλειον;* et Tertull. cap. 7. *Substantialiter quidem αἰῶνα τέλειον appellant, personaliter vero προ-*
p. 12. *αρχὴν et τὴν ἀρχήν, etiam Bython. — Ἦν δὴ καὶ Χάριν καὶ Σιγήν* etc.] Hinc Theodoreti textum emendes, in quo vitiose legitur: *Χάριν καὶ σεπτὴν καλουμένην.* Pro *σεπτήν,* repone *Σιγήν.* Emendes etiam Indiculum Haereseon Pseudo-Hieronymi, et pro *ea gratia appellatum Σιγήν,* lege: *Gratiam appellant et Σιγήν. — Καθάπερ σπέρμα,*

ἦν προβαλέσθαι ἐνενοήθη] Ego, nulla deleta voce, verbum ἐννοηθῆναι duntaxat, per ellipsin omissum, subintellectum velim ante vel post καθέσθαι; ista, ἦν προβαλέσθαι ἐνενοήθη, intra parenthesin includendo; et sic planus evadit mihi sensus. *Hunc porro Bythum aliquando in animum induxisse ex sese rerum omnium initium proferre; atque hanc quam emittere statuerat productionem, velut semen in Sigen, quae una cum eo erat, demittere etiam voluisse.* Eiusmodi ellipseon, immo et duriorum, non rara sunt cum apud Graecos, tum apud Latinos exempla. Nec reprehendet quisquam quod καὶ ante καθέσθαι interpreter, *etiam,* quum ea significatio passim obvia sit. — Προβαλεῖν καὶ αὐτὸν Λόγον] Irenaeo consentit Tertullianus p. 14.
c. 7. *Emittit et ipse* (Nus) *ex semetipso Sermonem* etc. Eadem habet Indiculus supra citatus, a Cotelerio emendatus, ad calcem Tom. I. Monum. eccles. gr. p. 767. (Postquam emendationem Grabianam loci apud Cyrill. Catech. VI. obvii attulit, quam emendationem vide in notis Grabii, ita pergit Massuetus:) Magis tamen, fateor, propenderem in coniecturam eruditissimi Pearsonii Vindic. Epist. S. Ignat. Part. II. cap. 5. edit. Cantabrig. 1672. pag. 48. scilicet neque λόγου neque λόγον legendum esse, sed utramque vocem expungendam, utpote minime necessariam, sive priora sive posteriora verba respicias. Neutra posterioribus competit, Cyrillus enim non Logon, sed Bythum Iovi comparat. Prioribus neque λόγου convenit neque λόγον necessaria est; nam τεκνοποιεῖν, liberos procreare, quicunque tandem illi sunt, satis ad huius loci sensum exprimendum valet. Docet enim Cyrillus, Iovem sorori mixtum fuisse, Bythum vero ex filia sua procreasse liberos, quod turpius est. Quamquam haud excusari posse videatur, quod Σιγὴν ἐκ Βυθοῦ genitam esse asserit Cyrillus. Sigen enim et ipsam ingenitam Bythoque συνυπάρχουσαν ab haereticis dici satis expresse tradunt Irenaeus, Tertullianus et Theodoretus. — Βύθιος] Sic et Tertullianus cap. 8. *Bythius* adiective ad discrimen primi parentis *Bythi* ita dictus, aiunt Pamelius et Fronto Duc. Male ergo in Theodoreti textu legitur Βυθὸν καὶ μίξιν. — *Sentientem autem uni-* p. 15.
genitum etc.] Clarius Indiculus a Cotelerio restitutus: *Intelligens autem sensus* (Nus) *ad quid esset emissus?* — *Theletos*] Quem Theleton p. 17.
appellat Irenaeus, hunc eundem et *Philetum* vocat Tertullianus c. 9. Suspicantur quidem nonnulli pro *Philetum* legendum *Theleton;* suspicarer et ego, nisi cap. 30. et 32. idem Phileti nomen occurreret. Credere itaque malim duo fuisse unius et eiusdem Aeonis nomina. — *Quid eorum, quae dicuntur in scripturis?*] Gallasius: *Eorum quae multa dicuntur in scripturis.* Melius Petavius: *ac si quid aliud est, quod in scripturis certo numero comprehensum.* Vide cap. 18. et lib. II. cap. 24.

CAP. II.

BILLIUS: *Derivavit*] Ita reddit Tertullianus hoc verbum ἀπέ- p. 19.
σκηψε, similitudinemque ducit a vitiis, quae in corpore alibi enata, in aliud membrum perniciem suam efflant. Ἀπέσκηψε, gal. *se deschargea,* ingruit, impetu desiit. — *Temeritate*] Non enim aemulabatur, solum de patre gaudentem. Tertull. — *Coniugis experte*] Sic p. 23.

vertendum esse apparet tum ex vet. interpr. tum ex Tertull. qui imaginem foeminamarem dicit, ac denique ex his quae sequuntur. Neque enim haec ratio quam subiicit, satis quadraret, si *ἀσύζυγος, ἀῤ-*
p. 27. *ῥενόθηλυς* ad Horum referrentur. — *Hoc est, Christum et Spiritum sanctum*] Merito hanc coniugationem ridet Tertullianus, ut turpissimam, nempe duorum marium. — *Quodque ii quibus*] Hoc loco Tertulliano non convenit cum veteri interprete, cuius ego vestigia secutus, ita haec verti, quasi in graeco sit, *ἀγεννήτου κατάληψιν γινώσκοντας ἑαυτοῖς ἱκανοὺς εἶναι.* Tertullianus: *inducere* (id est docere) *innati generationem, et idoneos efficere generandi in se agnitionem patris.* Videtur legisse in graecò non *ἀναγορεῦσαι,* id est, praedicare, sed
p. 28. *ἀναγεννῆσαι.* — *Nisi Monogenis beneficio*] Ad verbum, per *Mono-*
p. 29. *genem.* — *Et caussam quidem aeternae perseverationis*] (Int.vet.) *Αἰώνιον διαμονὴν perpetuitatem* vertit Tertullianus, ridetque vecordiam Valentinianorum, qui hanc perpetuitatis Aeonum caussam afferant. Ex ea enim sequi, ut Aeonibus praestiterit Patrem non comprehendisse, quam si eum comprehendissent. Hinc enim perpetuitatem ipsis comparatam esse, quum ex ipsius comprehensibilitate, hoc est, ex Filio, formam tantum acceperint. — *Quod quidem Filius est*] (Int. vet.) In graec. corrupte habetur *ᾧ δὴ ἴσος ἐστί.* Legendum enim est *ὃ δὴ ὁ υἱός ἐστι,* suffragante non modo veteri interprete, sed etiam Tertulliano, qui his verbis utitur; Filium autem statuunt apprehensibilem Patris. Ubi tamen
p. 31. legendum apprehensibile, id est, *τὸ καταληπτόν.* — *Produxisse*] Ridet hic quoque Tertullianus Valentinianorum amentiam, qui Aeonas suos velut ex aere collatitio Iesum ornasse statuant, quum tamen eos unum omnes effectos fuisse asserant Si enim, inquit, omnes unum erant ex supradicta peraequatione, vacabat symbolae ratio, quae ferme ex varietatis gratia constat. Opportuneque hoc loco Pandorae Hesiodi mentionem facit, quemadmodum et Irenaeus lib. II. cap. 19.

p. 21. FRONTO DUCAEUS: *Novissime forte absorptum*] Pamelius in Tertull. pro *forte,* aut quod hic est in margine, *vere,* legendum vult *fere:* potest tamen retineri *forte. Τελευταῖον ἂν καταπεπόσθαι.* Tertull. *Modico abfuit, prae vi dulcedinis et laboris, devorari.* Re-
p. 23. futatur haec naenia lib. II. cap. 24. et 28. — *Qualem naturam habebat femina*] Graece fuit *θήλειαν τεκεῖν.* Tert. *et procreat feminam.* Ac Billius quidem legit ex veteri interpr. *θήλεια τεκεῖν.* Itaque Cornarius verterat, *qualem feminea natura parere poterat.* Sed quum non solum marem, sed neque feminam sola possit parere femina, suspicari posset quis, ita distinctum fuisse, *οἵαν φύσιν εἶχε, θήλειαν τεκεῖν, qualem naturam habebat, feminam peperisse;* ut scilicet Aeon ille natura feminea, sic et illa substantia informis eadem feminea natura praedita fuit. Atque ita commodius deleretur prius illud *τεκεῖν,* quod redundare sua interpretatione innuit Billius. — *In imagine sua sine coniuge*] Retrahenda e margine vera lectio, *sua sine coniuge masculo-femina.* Tertull. cap. 10. *Horon in hac promit in imagine sua femina-mare.* In graec. ergo pro *ἄζυγον ἀθήλυντον,* corrigendum est, *ἀζύγῳ ἀῤῥενοθήλει,* ut Greg. Nazianz. *ἀῤῥενοθήλεος σωματότητος.* Ceterum *Metagogea* Tert. exponit *circumductorem.*

p. 19. FEUARDENTIUS: *Quoniam vellet*] Tert. *Plane Nus quantum*

in ipso fuit, et voluerat et tentaverat, ceteris quoque etc. — *Abstentum*] Abstentus iuris peritis est, qui tutoris auctoritate ab adeunda haereditate revocatus est. Ea voce utitur Beatus Cyprianus Epist. 18. ad Cornelium, et epistola 42. ad Stephanum. Abstenti vero a nostris dicuntur, qui a communione ecclesiae, et sacrorum perceptione moti reiectique sunt. — *Peperisse substantiam informem*] Gravissimo sarcasmo hoc ita repetit Tertullianus: *Dehinc ex illo moerore, ex semetipsa sola, nulla opera coniugii, concepit, et procreat foeminam. Miraris haec? Et gallina sortita est de suo parere. Sed et vultures foeminas tantum parere aiunt, et tamen sine masculo mater.* — *Patrem eum aliquando* etc.] Hanc dementiam ridens Tertullianus: *Pudiciores* (ait) *maluerunt, Bytho nullum sexum deputare: et fortasse, hoc Deum, non, hic Deus, neutro genere pronunciant. Alii contra magis, et masculum et foeminam dicunt, ne apud solos Lunenses Hermaphroditum existimet Annalium commentator Fenestella.* — *Hymnizare Propatorem* etc.] Graecismum hunc sic exprimit Tertull. *magno cum gaudii fructu hymnis patrem concinunt. Diffundebatur et ipse laetitia, utique bene cantantibus filiis et nepotibus. Quidni diffunderetur omni iucunditate, Pleromate liberato?* — *Satellites quoque ei in honorem ipsorum*] Ex hoc Athanasius Orat. 2. contra Arianos magnam Valentinianorum impudentiam coarguit, quod angelos per Christum conditos (omnia namque per ipsum facta sunt) congeneres Christo pronuntiarent.

p. 21. p. 22. p. 25. p. 31.

GRABIUS: *Τοῖς δὲ λοιποῖς πᾶσιν*] *Reliquis vero omnibus,* etiam Logo, quem Nus primum protulit. Ita lib. II. cap. 24. *Logos quasi tertium ordinem generationis habens ignoravit Patrem, quemadmodum docent hi.* Id quod ibidem refellit. — *Κατέσχε δὲ αὐτὸν ἡ Σιγή* etc.] Ad hanc Valentinianorum assertionem referenda quoque puto ea, quae habet Clemens Alexandrinus in Excerptis ex Orientali Didascalia Valentinianorum pag. 794. col. 1. *ἡ Σιγή, φασίν, μήτηρ οὖσα πάντων τῶν προβληθέντων ὑπὸ τοῦ βάθους, ὃ μὲν οὐκ ἔσχεν εἰπεῖν περὶ τοῦ ἀῤῥήτου, σεσίγηκεν· ὃ δὲ κατέλαβε, τοῦτο ἀκατάληπτον προσηγόρευσεν, Silentium, inquiunt* Valentiniani, *mater exsistens omnium a Profundo emissorum, quod quidem de ineffabili effari haud poterat, tacuit: quod vero ipsa apprehenderat, istud incomprehensibile appellavit.* — *Ἄναρχον ῥίζαν*] Uti primogenitum quaternionem Valentiniani supra vocabant *ῥίζαν τῶν πάντων;* ita hic primum in hoc quaternione Bython, sine principio a semetipso exsistentem, appellarunt *ἄναρχον ῥίζαν.* Male quidem de ficto suo Bytho et quaternione haeretici; sed bene satis de vero Deo, sanctissimaque trinitate Catholici. Ita Synesius Hymno II. vers. 25 seq. *Μία παγά, μία ῥίζα, τριφανὴς ἔλαμψε μορφά, Unus fons, una radix, ter splendens elucet forma.* Et Hymno III. v. 171 seqq. *Παγὰ παγῶν, Ἀρχῶν ἀρχά, Ῥίζῶν ῥίζα, Fons fontium, Principiorum principium, Radicum radix.* Et Hymno IV. v. 136 seq. de Filio Dei, *Πρῶτος πρώτας προφορὼν ῥίζας, Primus ex prima propagatus radice* etc. Sic et alii orthodoxi scriptores ecclesiastici Deum Patrem in relatione, tam ad Filium et Spiritum s. quam ad creaturas, dixerunt *radicem* et *fontem,* veluti (Tertullianum contra Praxean cap. 8. ut praeteream) Ambrosius lib. x.

p. 18.

in Lucam, et lib. v. de Fide ad Gratianum cap. 5. Basilius M. Homil. xv. de Fide, et xxvii. contra Sabellianos, Cyrillus Alexandrinus passim etc. — *Νεώτατος*] Solent enim iuniores magis temerarii et minus continentes esse. Hinc Tertullianus: *Incontinentia sui,* inquit, *prorumpit in Patrem inquirere.* Ast inter Aeones iuniorem alium, alium seniorem dicere, absurdum merito videtur Irenaeo lib. II. c. 24. — *Ἀπέσκηψε*] Tertullianus hoc Irenaei verbum optime circumscribens: *Derivarat,* inquit, *ut solent vitia in corpore alibi connata in aliud membrum perniciem suam efflare.* Nam ut Galenus lib. II. de Methodo medendi ad Glauconem c. 9. Tom. x. pag. 382. scribit: *Ἀποσκήμματα ὀνομάζουσι τὰς διαθέσεις ἐκείνας, ὅταν χυμοί τινες ἐνοχλοῦντες πρότερον ἑτέρῳ μορίῳ, καταλιπόντες ἐκεῖνο, εἰς ἕτερον μεταστῶσιν, Aposcemmata vocant affectiones, quum humores loco, quem prius infestabant, relicto in alterum confluunt.* Aptissime igitur hac voce expressit Irenaeus sententiam Valentinianorum, dicentium, quod malum, ex inquisitione imperscrutabilis Bythi contractum, reliquos quidem Aeones infestare coeperit; postmodum vero instar pravi humoris defluens, in ultimo Aeone, Sophia, subsederit, uti hic docetur, et lib. II. c. 24. *Audent dicere, quia a Logo quidem coepit,*
p. 22. *derivatio autem in Sophiam.* — *Τεκεῖν οὐσίαν ἄμορφον*] Obiter hoc loco animadverto, Tertullianum perperam *οὐσίαν ἄμορφον* non *partui,* sed *parienti matri* per appositionem adscripsisse, ut cuique integrum eius contextum inspicienti patet. Contra Irenaeus tam hic, quam lib. II. c. 37. *Illorum Aeon substantiam informem peperit.* — *Τὸ γένος*] *Γεγονὸς* mavult Billius, ratus, veterem interpretem ita legisse, nec non Tertullianum, qui cap. 10. *casum* non *genus* dixit. Et de Tertulliano quidem vix habeo, quod dicam; de veteri autem interprete inficias eo, quia non reddidit *id quod erat factum,* sed, *id quod erat natum.* Atque *γένος* significare natam sobolem, ex lexicis constat, ideoque haud est necesse vocem istam corrigere, praesertim quum optime ad mentem Valentinianorum quadret, Sophiam foetum suum, utpote deformem prorsus, voluisse abscondere. — *Συνδεηθῆναι δ' αὐτῇ καὶ τοὺς λοιποὺς Αἰῶνας*] Ex compassione id fecerunt. Nam ut in Clementis Alexandrini Excerptis ex Didascalia Valentinianorum legimus pag. 794. col. 2. *Διὰ τῆς τοῦ δωδεκάτου Αἰῶνος πείσεως τὰ ὅλα παιδευθέντα, ὥς φασί, συνεπάθησεν· τότε γὰρ ἐπέγνωσαν, ὅτι εἰσὶν χάριτι τοῦ πατρός, Per passionem duodecimi Aeonis omnia* (quae erant in Pleromate) *erudita, ut aiunt, compassa sunt. Tunc enim cognoverunt, quod gratia Patris subsistercnt.* — *Διὰ τοῦ Μονογενοῦς*] Horon dicit *a primo Patre* emissum per *Monogenem,* et utrumque nominat, ut ambas complecteretur Valentinianorum opiniones. Nam, ut lib. II. cap. 15. scribit: *Horon quidam quidem a Monogene emissum dicunt, alii vero ab ipso Propatore in similitudine sua.* — *Ἀσύζυγον, ἀθήλυντον. Sine coniuge masculo-femina*] Ex hac versione, nec non ex Tertull. cap. 10. ubi legimus *in imagine femina-mare,* post Billium collegit Fronto Duc. in graeco non *ἀσύζυγον, ἀθήλυντον* legendum esse, sed *ἀζύγῳ ἀῤῥενοθήλει.* Verum ego latinum interpretem potius (a quo et Tertullianus seductus mihi videtur), quam graecum textum corrigendum puto. Vocem *ἄζυγος*

prae *ἀσύζυγος* haud elegisset Fronto Duc., si *συζυγίας* Valentinianorum et id, quod hoc loco mox sequitur, *μετὰ συζυγίας*, considerasset. *Ἀθήλυντον* etiam non necesse est commutare in *ἀρρενόθηλυν*, quia optime praecedenti voci congruit. Ceterum quod maioris est momenti, *ἀσύζυγον*, et id quod sequitur verbum in accusativo, non in dativo legendum esse, firmissime sum persuasus. Sicut enim non dicere solemus, quod Deus hominem *secundum imaginem suam sanctam* creaverit, sed *secundum imaginem suam sanctam* condiderit; ita et hic Propator melius in graeco dicitur *Horon* iuxta imaginem suam produxisse *coniugis expertem et masculo-feminam*, (si ita placet) quam in latino: *in imagine coniugis experte et masculo-femina*. Optime quoque ad id, quod Horus dicitur coniugis expers, quadrat ratio, quam subiungit: nempe eius genitorem, Propatorem, ipsum quoque a Valentinianis repraesentari aliquando sine coniuge, licet communiter Sigen ei adiungant. Unde nil mirum, si et talis fingatur soboles ab eo emissa. Nollem itaque mutare graecum textum, quin potius in latino interprete et Tertulliano pro *masculo-femina et femina-mare* scriberem *masculo-feminam et femina-marem*. — *Qualem naturam habe-* p. 23.
bat femina parere] *Θήλεια*, non *θήλειαν*, legit vetus interpres, et cum eo Billius, unde et ipse vertit: *Qualemque naturam femina poterat peperisse*: nec non Cornarius, Epiphanii interpres: *Qualem feminea natura parere poterat*, sine complexu scilicet mariti. His merito contradixit Fronto Duc. qui textum Irenaei ita legit et distinguit: *οἵαν φύσιν εἶχε, θήλειαν τεκεῖν*, atque sic interpretatur, ut Sophia dicatur *feminam* peperisse, quod et ipsa feminei esset sexus; notans inde, prius *τεκεῖν* tanquam superfluum delendum esse. Atqui hoc quidem non necessum puto; verum quoad lectionem vocis *θήλειαν*, et sensum verborum omnino consentio: quippe non modo Tertullianus c. 10. reddidit: *Concepit et procreat feminam;* sed et ipse Irenaeus, optimus verborum suorum interpres, id confirmat, in fine huius sectionis scribens: *Καρπὸν ἀσθενῆ καὶ θῆλυν αὐτὸν λέγουσι, Fructum invalidum et femineum* (feminam) *eum dicunt*. Et lib. II. cap. 36. *Illius* (Sophiae) *passio fructificavit fructum femineum* (*sicut dicunt*), *invalidum, et infirmum, et informem*. Iuxta genuinam itaque graeci textus lectionem sensus Irenaei hoc loco talibus exprimendus foret verbis: *Qualemque naturam ipsa habebat, feminam peperisse. — Timuisse, ne hoc ipsum finem habeat*] Approbat hanc interpretationem Billius, quasi ex graeco: *μὴ καὶ αὐτὸ τὸ εἶναι τέλος ἔχῃ*, eamque confirmat auctoritate Tertulliani, cap. 10. scribentis: *Et metuere postremo, ne finis quoque insisteret*. Nec aliter Petavius in sua Epiphanii versione. Verum ego, relicto interprete (quem Tertullianus hoc loco improvide secutus est, ut in Prolegomenis dixi, ubi de aetate veteris versionis disserui) graecam lectionem apud Epiphanium omnino teneo, et Irenaeum ita interpretor, ut dixerit, Sophiam primo contristatam esse, quod imperfectum peperit fetum, nempe femineum, quem in comparatione cum masculo sexu imperfectum semper iudicarunt naturae scrutatores; postea metuisse, ac anxiam animo haesisse, utrum et imperfectioris huius sexus natura in deformi ista prole esset integra, sive an omnino ullum esse perfecte haberet. Hunc

enim sensum commode admittunt verba: *μηδὲ αὐτὸ τὸ εἶναι τε-*
p. 24. *λείως ἔχειν.* Quae iccirco haud sollicitanda esse puto. — *Καρ-*
πιστήν] Id est, *Vindicem* sive *Assertorem libertatis.* Ita redditur in veteri Glossario graeco-latino. Exemplum habes apud Arrianum lib. III. de Epicteti Disputationibus cap. 26. pag. 369. edit. Cantabrig. *λέγε οὖν τὰς ἀληθείας, δοῦλε, καὶ μὴ δραπέτευέ σου τοὺς Κυρίους, μηδ' ἀπαρνοῦ μηδὲ τόλμα Καρπιστὴν διδόναι, τοσούτους ἔχων τῆς δουλείας ἐλέγχους, Vera igitur dic, serve, nec aufuge a dominis tuis, neque inficiare, nec audeto assertorem exhibere, quum tot argumenta tuae servitutis in promtu sint.* Et ante pag. 365. *Ὅτι Καρπιστὴν δίδως, quod vindicem et assertorem praestes.* — *Μεταγωγέα*] *Circumductorem* dixit Tertullianus et Petavius in versione Epiphanii. Ego potius redderem *Deductorem.* Sed quae huius cognominis ratio? Incidit mihi hac de re cogitanti, *ἀναγωγὴν* dici, ubi ab obvio sensu ad sublimiora et *μυστικώτερα* adscendimus. Quid si igitur Horos dictus sit *μεταγωγεύς*, quia iuniorem Aeonem *reduxit* atque repulit, ne ulterius in altissimum Bythi mysterium penetrare contenderet? Solet enim aliquando *μετὰ* in graecis compositis idem esse, quod *re* in latinis, ut *μετακαλεῖν, revocare.* Act. XXIV, 25. apud Dionys. Areopag. cet. Denique variis nominibus Hori adde Sotera ex lib. II. c. 15.
p. 26. — *Χριστὸν διδάξαι* etc.] Tertullianus, mendoso forte codice usus, haec verba ita vertit, dicam an pervertit: *Christi erat inducere* (vel ut Pamelius legendum coniectat *docere*) *Aeones naturam coniugiorum, et innati coniectationem, et idoneos efficere generandi in se agnitionem Patris.* Ubi nota additum *καὶ* ante *ἀγεννήτου κατάληψιν,* omissum *γινώσκοντας,* mutatum *εἶναι* in *ποιεῖν,* et *ἀναγορεῦσαι* in *ἀναγεννῆσαι.* Male quoque Petavius in versione Epiphanii: *Christum coniugii natura atque ingeniti comprehensione cognita, docuisse contentos esse oportere* etc. Melius quidem, nec tamen exacte ad mentem Irenaei. Billius: *Christum enim coniugii naturam eos edocuisse, quodque ii, quibus Ingeniti comprehensio nota esset, sibi ipsis sufficerent.* Quasi in graeco legeretur: *Καὶ ἀγεννήτου κατάληψιν γινώσκοντας ἑαυτοῖς ἱκανοὺς εἶναι.* Sed non necesse est, immo non debet sive *καὶ* sive *ἑαυτοῖς* addi, quia *ἱκανὸς* hic scientia non tam contentum, quam satis superque instructum ac idoneum significat; quomodo et in aliis sacris profanisque usurpatur scriptoribus. Id itaque est, quod Irenaeus ex sententia Valentinianorum dixit: *Christum docuisse Aeonas naturam coniugationum,* ita scilicet comparatam, *ut satis sciant, si cognoscant Ingeniti comprehensionem,* id est, Filium; utpote in quo ingenitus Pater, in se incomprehensibilis, comprehendi queat. Ceterum et illa: *ἀναγορεῦσαί τε ἐν αὐτοῖς* etc. bene in veteri versione reddita et ita clara sunt, ut nullis opus sit verbis. Addo solum parallelum locum Irenaei lib. IV. cap. 14. *Mentiuntur hi, qui sunt a Valentino, Christum Aeonibus eorum dixisse: Nolite quaerere*
p. 28. *Deum: incognitus est enim, et non invenietis eum.* — *Ἀκατάληπτος*] Obiter nota eam, quae optime huc quadrat, definitionem Chrysostomi Homil. III. *περὶ ἀκαταλήπτου,* Tom. IV. p. 404. *Τὸ ἀκατάληπτον λέγεται, ὅταν ἐρευνηθὲν καὶ ζητηθὲν μὴ καταληφθῇ παρὰ τῶν ζητούντων αὐτό. Illud dicitur incomprehensibile, quod investigatum licet*

et quaesitum, tamen non apprehenditur ab iis, qui quaerunt. — Οὐκ ἔστιν οὔτε ἰδεῖν — ἢ διὰ μόνου τοῦ Μονογενοῦς] Clemens in Epitome ex Valentinianorum Didascalia orientali pag. 791. col. 1. C. *Πρόσωπον Πατρὸς ὁ υἱός, δι' οὗ γνωρίζεται ὁ Πατήρ, Facies Patris Filius, per quem Pater cognoscitur.* Et pag. 793. col. 2. A. *Τάχα δὲ τὸ πρόσωπόν ἐστι μὲν καὶ ὁ υἱός, ἔστι δέ, καὶ ὅσον καταληπτὸν τοῦ Πατρὸς δι' υἱοῦ δεδιδαγμένοι θεωροῦσι· τὸ δὲ λοιπὸν ἄγνωστόν ἐστι τοῦ Πατρός. Forte et facies* (Dei) *est Filius: est vero, quatenus id, quod est comprehensibile Patris, per Filium edocti contemplantur: reliquum autem Patris est ignotum.* Hanc Valentinianorum hypothesin in mente habuit Synesius, dum cecinit Hymn. III v. 123 seqq. *Ἀτενὲς δὲ δρακεῖν ἐπὶ σοὺς πυρσοὺς Θέμις οὐδὲ θεοῖς· Πίπτων δὲ νόος Ἀπὸ σᾶς σκοπιᾶς Τὰ πέλας σαίνει. Ἀκίχητα κιχεῖν Ἐπιβαλλόμενος, Προσιδεῖν αἴγλαν Ἀκάμαντι βυθῷ Ἀμαρυσσομέναν. Ἀβάτων δ' ἀποβάς, Ἐπὶ πρωτοφανὲς εἶδος ἐρείδει Ὄμματος ἀλκάν. Intentis enim oculis intueri in tuas faces Licet ne Diis quidem: Sed decidens mens De tua specula Proxima quaeque amplectitur: Non vestigabilia vestigare Dum tentat, Lucemque intueri Immensa in profunditate Fulgentem. Ab inaccessis autem delapsa In primae lucis Specie figit Oculi aciem. — Et caussam quidem aeternae perseverationis* etc. *Filius est*] Ego sine ullius literae mutatione Irenaeum, vel potius doctrinam Valentinianorum ab eo relatam, ita interpretor: *Et caussam quidem aeternae perseverationis* (ut scilicet immortales exsisterent Aeones, non similes hominibus mortalibus) *reliquis, praecipue esse comprehensionem Patris* (non Propatoris ingeniti, sed Unigeniti quem *Patrem et Principium omnium* vocabant Valentiniani, ut §. 1. dictum est) *generationis autem eius* (Patris modo dicti) *et formationis eiusdem caussam esse comprehensionem eius, cui similis est,* id est, primi Patris, cui *similem et aequalem* (ἴσον) *esse Unigenitum, solumque eius magnitudinem percipere,* loco citato expresse docetur. — *Μορφῇ καὶ γνώμῃ ἴσους καταστα*θῆναι *τοὺς Αἰῶνας — πάντας λόγους* etc.] Tertullianus c. 12. *Omnes forma et sententia peraequantur, facti omnes, quod unusquisque; nemo aliud, quia alter. Omnes refunduntur in Noῦς, in Sermones, omnes in homines, in Christos* etc. Clemens in Excerptis ex Didascalia orientali Valentinianorum pag. 794. col. 2. B. *Ἐν πληρώματι οὖν ἑνότητος οὔσης, ἕκαστος τῶν αἰώνων ἴδιον ἔχει πλήρωμα, τὴν συζυγίαν, Quum unitas sit in Pleromate* (ita nempe ut omnes sint *Mentes, Sermones, Homines* etc.) *quilibet Aeonum proprium habet Pleroma, in sua scilicet coniugatione.* Et pag. 793. col. 2. B. *Λέγουσι δὲ καὶ τοὺς αἰῶνας ὁμωνύμως τῷ λόγῳ λόγους, Aeones quoque Sermonis nomine appellant Sermones. — Στηριχθέντα δέ* etc.] Tertullianus loc. cit. haec ita expressit: *Exinde refecti sunt, et constabiliti sunt, et in requiem ex veritate compositi, magno cum gaudii fructu hymnis Patrem concinunt. Diffundebatur et ipse laetitia, utique cantantibus bene filiis et nepotibus. — Ὑμνῆσαι τὸν Προπάτορα*] Synesius Hymn. II. v. 40 seqq. *Χορὸς ἀφθίτων ἀνάκτων Γενετήριόν τε κῦδος, Τό τε πρωτόσπειρον εἶδος, Νοεροῖς ἐμέλψεν ὕμνοις, Coetus immortalium angelorum Patris gloriam, Et primogenitam formam, Coelestibus canit hymnis.* Et ne ad Valenti-

p. 29.

p. 30.

nianorum placita Synesium respexisse dubites, accipe sequentia: *Στρατὸς ἀγγέλων ἀγήρως, Τὰ μὲν ἐς νόον δεδορκὼς Λρέπεται κάλλεος ἀρχάν. Exercitus angelorum senii expers, Et partim in mentem respiciens, Decerpit pulchritudinis principium.* Quod cum iis convenit, quae apud Irenaeum de perfecto decore et sidere Plero-
p. 31. matis mox sequuntur. — *Spiritus vero sanctus*] Add. *unus* iuxta graecum ἕν, quod quidem nec Tertullianus legisse videtur; ego tamen ut genuinum agnosco, ac Valentinianos istud apostoli 1. Corinth. xii, 11. *τὸ ἓν καὶ τὸ αὐτὸ Πνεῦμα* imitatos esse puto. Atque hoc loco ἓν ideo adiectum suspicor, ut innueretur ratio, quare Spiritus sanctus Aeones omnes aequales reddiderit, ac unitatem Pleromati induxerit, quod nempe et ipse esset *unus:* vel ut insinuaretur, *Christos quidem duos esse,* superiorem alium, alium inferiorem, de quo mox; *Spiritum* vero *s. unum.* Hinc Origenes lib. II. *περὶ ἀρχῶν,* cap. 7. *Duos quidem Deos ausos esse haereticos dicere, et duos Christos audivimus: duos autem Spiritus sanctos nunquam cognovimus ab aliquo praedicari.* Ceterum in Tertull. lege: *Spiritus sancti proprium,* scilicet
p. 32. erat, non *propria.* — *Ὁμογενεῖς ἀγγέλους*] *Eiusdem generis angelos;* sed an eiusdem inter se, an cum Salvatore? Tertullianus animi pendens: *Par,* inquit, *genus. Si inter se, potest fieri: si vero Soteri consubstantivos, (ambigue enim positum inveni) quae erit eminentia eius inter Satellites coaequales?* Athanasius autem Orat. 2. contra Arianos multo post medium Tom. I. pag. 363. rem determinat, dum ait de Valentino: *ὁ μὲν τοὺς ἀγγέλους ὁμογενεῖς εἴρηκε τῷ Χριστῷ, Hic quidem angelos congeneres Christo pronuntiavit.* Et in epistola prolixiori ad Serapionem contra eos, qui dicunt Spiritum s. creaturam esse, eodem Tomo I. pag. 185 *Ἐκεῖνος γάρ φησι, ὅτι πεμφθέντος τοῦ Παρακλήτου, συναπεστάλησαν αὐτῷ οἱ ἡλικιῶται αὐτοῦ ἄγγελοι, Is enim* (Valentinus) *inquit, misso Paracleto una cum eo missos esse angelos eius coaetaneos.* Quae Athanasius ex ipso didicit Irenaeo infra scribente de Christo inferiori, Paracleto matris Achamoth: *ἐκπέμπεται πρὸς αὐτὴν μετὰ τῶν ἡλικιωτῶν αὐτοῦ τῶν ἀγγέλων, Mittitur ad eam cum coaetaneis suis angelis.*
p. 16. et 18. MASSUETUS: *Γινώσκεσθαι μόνῳ λέγουσι τῷ — Μονογενεῖ — τοῖς δὲ λοιποῖς πᾶσιν κτλ.*] Cum hac exceptione intelligendus Theodoretus, dum generalius ex Valentini sententia dicit: *Βυθὸν ἀνέφικτον εἶναι πᾶσι τοῖς ἐξ αὐτοῦ, Bythum ab iis, qui ex ipso nati sunt, Aeonibus percipi non posse.* Eadem exceptio sequentibus verbis adhibenda: *φύντα καὶ ἰδεῖν αὐτὸν κατέσχεν ἡ Σιγή. — Διενοεῖτο καὶ τοῖς λοιποῖς Αἰῶσιν ἀνακοινωσάσθαι*] Reliquis etiam Aeonibus magnitudinem Patris exponere cogitabat. Memoria itaque lapsus est Theodoretus, dum Aeonibus omnibus indiscriminatim adscribit, quod Monogeni soli ex Irenaeo et Tert. c. 9. competere certum est. *Φύντα,* inquit Theodoretus, *καὶ ἰδεῖν αὐτὸν (Βυθὸν) καὶ τοῖς ἄλλοις δηλῶσαι, κατέσχεν ἡ Σιγή, ex Bytho natos Aeonas, ne ipsum viderent cognoscerentve et aliis manifestarent, coërcuit Sige.* Quî enim reliqui Aeones ignotum sibi Bythum aliis manifestare potuissent? Et quibus aliis declarassent, quum soli tunc exstarent? — *Reliquis quoque Aeonibus participare*] Editt. Erasm. et Gallas. *reliquos quoque*

Aeonas participare; quam lectionem ex veteri codice et graeco textu immutasse se ait Feuard. substituendo: *reliquis quoque Aeonibus communicare.* Et quidem MS. Feuardentii exemplar habuisse *reliquis quoque Aeonibus,* non dubitem; an autem et habuerit *communicare,* paullo incertius. Quare quum in omnibus MSS Arund. Voss. Merc. II. Clarom. et Pass. legatur *reliquis quoque Aeonibus participare* et aliunde *participare* non semel ab interprete usurpetur pro *communicare,* tutius visum est ita restituere. — *Ὅρον*] *Finem, terminum:* quia singulos Aeonas intra Pleromatis fines coërcebat. — *Πῶς*] Hanc particulam ut interrogationis notam hic accipit Petavius; vertit enim: *Sed istorum quidam illam sapientiae perturbationem, ac restitutionem quibus nugis involvunt? nimirum* etc. Crediderim ego aut ornatus caussa duntaxat additam, aut significare, *hoc modo, ita* etc. non *huiusmodi,* ut vertit interpres. — *Forte absorptum fuisse*] Cum Pamelio in cap. 9. Tertull. *fere* pro *forte* legi mallemus, si suffragarentur MSS. codd. Scribit enim Tertull. *modico abfuit devorari,* id est, fere devoratus fuit. Et expressius lib. de Praescript. cap. 49. *paene dissolutum esse.* Et auctor Indiculi: *paene periisse.* Quin et Irenaeus ipse infra, *paene perditi.* Quae omnia paene persuadent scripsisse interpretem *fere,* quod scribarum imperitia mutatum sit in *forte.* — *Τεκεῖν οὐσίαν ἄμορφον*] Bene animadvertit hoc loco Grabius, Tertullianum perperam *οὐσίαν ἄμορφον* non *partui,* sed *parienti matri* per appositionem adscripsisse. Scribit enim: *post irritos conatus, et spei deiectionem, deformatam eam pallore credo, et macie et incuria formae.* Contra Irenaeus tam hic quam lib. II. cap. 20. n. 3. *illorum Aeon substantiam informem peperit.* — *Τὸ γεγονός*] Sic ex codice Regio restituimus, pro *γένος,* quod in editt. omnibus tum Epiphanii, tum Irenaei legitur. Et quidem *γεγονὸς* dudum malebat Billius, ratus veterem interpretem ita legisse, nec non Tertullianum, qui cap. 10. *casum,* non *genus* dixit. De Tertulliano facile consentit Grabius; de veteri interprete repugnat. At litem dirimere debet codex Regius, quem neuter viderat. — *Qualem naturam habebat femina parere*] *Θήλεια* non *θήλειαν* legit interpres, et cum eo Billius et Cornarius; huncque sensum Irenaei verbis affingunt: *informem substantiam, qualem scilicet naturam femina sine complexu mariti parere poterat, a Sophia procreatam fuisse.* At nodum in scirpo quaerunt illi. Planus est graecorum sensus, si cum Frontone Duc. distinguas: *οἵαν φύσιν εἶχε, θήλειαν τεκεῖν. Qualem naturam ipsa habebat, femineam scilicet, peperisse;* vel ut Petavius probe reddidit: *eiusdemque, quam habebat, naturae feminam peperisse.* Nec necesse est verbum *τεκεῖν* quasi superfluum expungere, ut vult Fronto; non enim incommodum est. Certum est autem cum ex Tertull. cap. 10. tum ex Irenaeo ipso infra cap. 5. et lib. II. cap. 20. *informem* illum, et *invalidum* Sophiae *fructum, femineum* seu *feminam* exstitisse: adeo ut dubium non sit, quin hoc loco *θήλειαν* scripserit sanctissimus martyr. — *Timuisse, ne hoc ipsum finem habeat*] Legisse videtur interpres: *μὴ καὶ αὐτὸ τέλος ἔχῃ*: nec male quidem, si vertisset: *ne hoc ipsum* (*ἀτελὲς* videlicet, inconsummatus fetus) *perfectionem* (sibi debitam) *non habeat.* Interpretem secutus Tertullianus scripsit: *metuere postremo, ne finis*

p. 20.

p. 21.

p. 22.

p. 23.

quoque insisteret. In eo lapsus est uterque, quod τέλος *finem* verterit, quum hic significet *perfectionem, consummationem* etc. Billius vero et Petavius legendum volunt in graeco: μὴ καὶ αὐτὸ τὸ εἶναι τέλος ἔχῃ. Grabius autem vulgat. lectionem graecam retinet. At particula μηδὲ reiicienda videtur, et commutanda in μὴ καί: de cetero parum interest, utrum legatur τέλος, an τελαίως: idem quippe sensus erit. Nempe modo dixerat Irenaeus, fetum *informem,* inconsummatum et invalidum, uno verbo femineum (quem prae masculo sexu imperfectum iudicant Physici) a Sophia in lucem emissum. Id ubi conspexit illa, *contristata est;* deinde timuit, *ne ipsum etiam esse,* quod pepererat, *perfectionem non haberet* sibi natura debitam, seu *ne ipsum etiam esse non plene ac perfecte haberet* imperfectior ille sexus; ne scilicet invalidi huius sexus natura in deformi ista prole non esset integra. — *Sine coniuge masculo-femina*] In editt. Erasm. et Gall. corrupte legitur *sive* pro *sine.* Id emendavit Feuard. consentientibus MSS. Clarom. Pass. Arund. et Merc. I. At facilius de huiusce commatis lectione, quam de sensu convenit inter editores. Billius et Fronto Duc. contendunt, in graeco non ἀσύζυγον, ἀθήλυντον, in accusativo legendum esse, sed ἀσυζύγῳ ἀῤῥενοθήλει (pro ἀθηλύντῳ), in ablativo: ut scilicet ἀσυζύγῳ, ἀῤῥενοθήλει, referatur non ad Ὅρον, sed ad εἰκόνι; quasi Ὅρος ad imaginem ἀσύζυγον, ἀῤῥενόθηλυν effictus esset. Et sic quidem legisse videtur interpres; vertit enim: *in imagine sua, sine coniuge masculo-femina.* Ita pariter Tertullianus c. 10. *in imagine femina-mare.* Quos secutus Billius: *in imagine sua coniugis experte, ac masculo-femina.* Sed cum recta ratione pugnat, id imagini tribui, quod personis duntaxat convenit. Quis enim ferat imaginem dici *coniugis expertem, et masculo-feminam*? Malim igitur cum editore Anglo diligentiam interpretum, quam graeci textus sinceritatem incusare. Proinde lego, ἀσύζυγον, ἀθήλυντον. Sed ἀθήλυντον haud cum Grabio verterim, *masculo-feminam* seu *femina-marem;* neque enim ea est vocis huius significatio. *Non femineum, non effeminatum* significare, vel ipsa lexica vulgata docent. Quid sit autem Horon *non femineum, non effeminatum* esse, docebit Theodoretus: τὸν Ὅρον προβάλλεται, οὐ μετὰ συζύγου θηλείας, *Terminum,* inquit, *producit sine femina coniuge,* id est, nulla cum femina coniugii vinculo copulatum. Exceptio erat, τῶν γὰρ Αἰώνων ἕκαστος τῇ θήλει συνέζευκται, *nam aliorum Aeonum unusquisque cum femina coniunctus est;* seu, ut loquitur Irenaeus, ἀῤῥενόθηλυς erat, id est, singuli eorum bini et bini, masculus cum femina, coniugii nexu copulati erant. Itaque Horon apud Irenaeum ἀσύζυγον, ἀθήλυντον esse, nihil aliud est, quam eundem apud Theodoretum esse, οὐ μετὰ συζύγου θηλείας, *nullo coniugii nexu cum femina,* ut ceteros Aeones, *colligatum:* adeo ut vox ἀθήλυντον sit prioris ἀσύζυγον paullo distinctior duntaxat explicatio, hicque sonet, *feminae non illigatum.* Et id sequentibus Irenaei verbis perfecte respondet. Dixerat Horon ad ipsam Patris imaginem, *nullo coniugii nexu cum femina copulatum,* effictum esse. Quod quidem statim explicat: *quia,* inquit, *Patrem aliquando quidem cum coniuge Sige copulant, modo vero supra maris, ac supra feminae conditionem extollunt* Valentiniani. Et in

hoc similem sibi Horon effecit, quod hic a coniugii legibus, quibus ceteri tenentur Aeones, liber sit, quemadmodum et ipse Pater ab iis liber interdum exhibetur. — *Καὶ συλλυτρωτήν*] In graeco corrupte p. 24. legitur *συλλυτρωτήν*, pro quo reponendum ex vet. interpr. *σταυρὸν καὶ λυτρωτήν*. Porro *λυτρωτής*, id est, *redemtor* vel *liberator* dicebatur *Horos*, quia Sophiae in universam substantiam prope resolvendae ruinam stitit, eiusque motibus intempestivis limites constituit. *Σταυρὸς* vero, id est, *vallum*, non *crux*, quia Sophia Enthymesin cum passione separatam, et quasi vallo cinctam a Pleromate disiunxit. — *Καρπιστήν*] Id est, inquit Grabius, *vindicem* sive *assertorem libertatis*. Ita redditur in veteri glossario graeco-lat. Exemplum affert vir doctus ex Arriano lib. III. de Epicteti Disputationibus cap. 26. p. 369. edit. Cantabrig. quod quidem probat eam esse interdum vocis huius significationem, sed non semper, et in hoc praesertim Irenaei loco. Ut enim apud iurisperitos *vindicatur libertas*, sic et apud eosdem *vindicatur servitus*, l. I ff. *de remiss.* l. XIV ff. *de op. no. nunt.* Vindex ergo servitutis, peraeque ac libertatis dici potest. Sed neutra significatio in Valentinianorum *Καρπιστὴν* cadit. Quid enim huic cum libertate vel servitute conveniat, non video. Censeam potius hic *ἀπὸ καρπιστείας*, *a vindiciis* Carpisten dici. *Vindicia* vero *correpta manu* seu *καρπῷ* (hinc *καρπιστοῦ* Etymon), *in re atque loco praesenti apud praetorem ex* 12 *tabulis fiebat*, inquit Aulus Gell. lib. XX. cap. 9 vel 10. Inde et *sententiae, seu adsertiones, et adiudicationes* rei controversae potiorem probanti auctoritatem a iudice decretae, dictae *vindiciae*, teste Ascensio in cit. A. Gellii caput. Quidni et praetor seu iudex *vindicias* decernens appellari potuerit *vindex;* et illinc iudicibus quibusvis, arbitris, seu moderatoribus aptari vindicis, seu *Καρπιστοῦ* nomen, quod *vindicias* interdum decernant? *Καρπιστὴς* igitur hic paullo latius accipitur, idemque sonat atque *iudex, arbiter* seu *moderator*. Eam in rem optime faciunt ea Arnobii lib. IV. adv. gent. verba pag. 138. edit. Lugd. Batav. 1651. *Quis quaesitor, quis arbiter cervicibus tantis erit, qui inter personas huiusmodi, aut vindicias iustas dare, aut sacramenta conetur pronuntiare non iusta?* Iam vero hanc *Καρπιστοῦ* acceptionem in Valentinianorum Horon exacte quadrare, satis patet. Horos enim velut politicam universi Pleromatos disciplinam tuebatur, omnia fulciebat, atque *extra inenarrabilem magnitudinem custodiebat omnia*, proprii muneris oblitos coërcebat, a Pleromate digressos revocabat, huicque vindicabat, adserebatque, unumquemque Aeonem intra proprios fines continebat, syzygiamque deserentes restituebat. Uno verbo *λυτρωτής*, id est, redemtor erat, *ὁριστὴς* sive *ὁροθέτης*, finitor, constitutor iuris, et arbiter conditionum: quae iudicis, arbitri et moderatoris partes sunt. — *Μεταγωγέα*] *Circumductorem* dixit Tertullianus et Petavius in versione Epiphanii, *Traductorem* Cornarius. Ego potius cum Grabio redderem *Deductorem*. Sed omissa istius coniectura, ex qua *Reductorem*, non vero *Deductorem* dicendum esse consequens esset, vocis huius significationem, ut et *Καρπιστοῦ*, a iurisconsultis repeterem. Nempe *rem in iudicium deducere*, frequens apud eos loquendi modus. Inter *personas* autem *quae rem in iudicium deducere solent*, l. 4 ff. *de except.*

rei iud. recensentur l. 11. 57. Cod. *Procurator cui mandatum est, Tutor, Curator furiosi vel pupilli, Actor municipum.... Defensor.* Illi ergo *Deductores* a *deducendo* recte dici possunt. Et hoc sensu Horon *deductorem* a Valentinianis cognominatum fuisse coniicio; utpote tutorem iunioris Aeonis, aetate nondum confirmata, sui ipsius *incontinentis,* ut loquitur Tertullianus; aut, si velis, Procuratorem seu Defensorem, qui partes ipsius tuebatur, caussam agebat, impetum co-
p. 25. ërcebat, conservationi eius ac saluti invigilabat. — *Masculo et pro*] Tres istae voces in edtt. Erasm. et Gall. nec non in MSS. Arund. et Merc. II. desunt. Priores duas restituit Feuard. ex vet. cod., tertiam Grabius ex cod. Voss. et graeco, ubi *ὑπὲρ* bis legitur. Grabio favet et cod. Clarom. habens, *et pro masculo, et pro femina.* At vero quum in graeco praepositio *ὑπὲρ* accusativum regat, verti debuisset, non *pro,* sed *super: super masculum et super feminam esse volunt,* ut scilicet utriusque conditioni longe praecellat Propator. — *Ἀπο-*
p. 26. *στερηθῆναι*] Legendum vult Billius *ἀποσταυρωθῆναι.* Ita siquidem legerunt vetus interpres, et Tertullianus, *crucifixam* vertentes, non *privatam.* Quidquid sit de versione vocis *ἀποσταυρωθῆναι,* de qua in not. lat. *ἀποστερηθῆναι* hic legi nihil vetat. Sensus erit, Enthymesin Pleromate privatam, et interclusam fuisse ab Horo: quod ad rem facit. — *Χριστὸν διδάξαι* etc.] Obscurus omnino locus, quem elucidare dum plerique student interpretes, nebulas offundunt. At densiores nullus, quam Tertullianus: *Christi erat inducere* (vel, ut Pamelius legendum coniicit *docere*) *Aeonas naturam coniugiorum, et innati coniectationem, et idoneos efficere generandi in se agnitionem Patris:* quae neque cum graeco, neque cum latino veteris interpretis textu consentiunt. Billius legit: *Καὶ ἀγεννήτου κατάληψιν γινώσκοντας ἑαυτοῖς ἱκανοὺς εἶναι.* Sed modicum inde lumen; nec plenius ex Gallasii, Cornarii et Petavii versionibus eruitur. Prope est ut credam, mendum huc irrepsisse (antiquum quidem, quo deceptus fuerit latinus ipsemet interpres) et pro *ἀγεννήτου* legendum esse *γεννητοῦ,* scilicet *Μονογενοῦς.* Haec enim opponere videtur Irenaeus, hinc *γεννητοῦ κατάληψιν γινώσκειν,* illinc *τὴν τοῦ Πατρὸς ἐπίγνωσιν, ὅτι τε ἀχώρητός ἐστι, καὶ ἀκατάληπτος.* Priori contentos esse debere reliquos Aeonas docuit Christus, utpote sat eruditos, si Filii, seu Monogenis comprehensionem noverint; eam enim esse coniugationis naturam, ut Filius solus ab iis comprehendi valeat: at vero Patris comprehensionem mentis eorum captum superare, frustraque ab iis exquiri, utpote cuius ea duntaxat haberi possit notitia, nempe quod nec percipi, nec intelligi, nec denique cerni, aut audiri, nisi Monogenis beneficio, possit. Quae posteriora Irenaei verba, quod scilicet *ἀκατάληπτος* suapte natura quum sit Pater, *οὐκ ἔστιν οὔτε ἰδεῖν, οὔτε ἀκοῦσαι αὐτόν, ἢ διὰ μόνου τοῦ Μονογενοῦς,* firmare videntur nostram coniecturam, scilicet *γεννητοῦ κατάληψιν,* utpote solam sibi attemperatam *γινώσκειν* satis esse Aeonibus; ac proinde legendum *γεννητοῦ.* Si enim *ἀγεννήτου* legas, quis sensus? Aeonas comprehensionem Patris edoctos, sat eruditos esse? atqui Pater iis prorsus *ἀκατάληπτος* dicitur, nec etiam videre, aut audire fas est, nisi per Monogenem. Qui ergo *κατάληψιν* eius edoceri potuerunt?

Vult Grabius hic per *κατάληψιν*, Filium ipsum intelligi; *utpote in quo ingenitus Pater, in se incomprehensibilis, comprehendi queat.* Ingeniose quidem excogitatum, sed vero paullo minus simile. Filium enim *ἀγεννήτου κατάληψιν* dici posse, haud abnuo; sed quidpiam vel praecedat, vel addatur, quod vocem *κατάληψιν*, id ex sese haud significantem eo trahat, necesse est. Hic autem nihil videas. In hoc tamen eruditi viri coniectura ad nostram accedit, quod in priori periodi parte, Filium intelligi velit ab Aeonibus comprehendi, non Patrem. Quare illi subscribat lector, nostram deserat, si minus probanda videatur, per me licet: modo *ἀγεννήτου κατάληψιν γινώσκοντας* ad Filium quoquo modo referat. — *Crucifixam*] *Ἀποσταυρωθῆναι* hic potius reddendum fuisset, inquit optime Grabius, quasi *vallo cinctam, et a Pleromate disiunctam esse.* Sic apud Thucydidem lib. IV. c. 69. *ἀπεσταύρουν* Scholiastes explicat *χαρακώματα ἐποίουν.* In hunc sensum sequentia Clementis Alexand. verba lib. II. Strom. p. 407. A. interpretor: *ἑκάστη ἡδονή τε καὶ λύπη προσπασσαλοῖ τῷ σώματι ψυχὴν τοῦ γε μὴ ἀφορίζοντος καὶ ἀποσταυροῦντος ἑαυτὸν ἀπὸ τῶν παθῶν, unaquaeque voluptas, vel moestitia corpori clavo velut affigit animam eius, qui ab animi commotionibus sese non separat, nec quasi interposito vallo disiungit.* Neque enim alibi apud Irenaeum legitur Enthymesin cruci affixam fuisse. — *Eius invalidum*] *Eius* scilicet *Sophiae* seu *Aeonis* proxime memorati. Melius forte dixisset interpres *eum,* iuxta graecum *αὐτὸν* scil. *καρπόν:* at maluit pronomen ad *Aeonem,* quam ad *fructum* referre; quod satis indifferens est. — *Christum et Spiritum sanctum*] Hic mutila versio latina. Neque enim ea reddidit interpres, quae praecedunt, *Christum et Spiritum sanctum,* haec scilicet, *ἵνα μὴ ὁμοίως ταύτῃ πάθῃ τις τῶν Αἰώνων;* nec quae immediate sequuntur, *εἰς πῆξιν καὶ στηριγμὸν τοῦ Πληρώματος.* Haec omnia non male sic expressit Tertullianus cap. 11. *Nus de Patris cura atque prospectu, solidandis rebus, et Pleromati muniendo, iamque figendo (εἰς πῆξιν καὶ στηριγμὸν τοῦ Πληρώματος), ne qua eiusmodi rursus concussio incurreret* (vel ut alii legere malunt *incuteret, ἵνα μὴ ὁμοίως ταύτῃ πάθῃ τις τῶν Αἰώνων*), *novam excludit copulationem, Christum et Spiritum sanctum.* Exactius ad graeca verti posset: *Ne cui Aeonum id accideret, quod Sophiae, de Patris consilio atque providentia, novum par, quo fixus ac fundatus deinceps maneret Pleromatis status, rursus emittit Monogenes.* — *Et caussam quidem aeternae perseverationis etc. Filius est*] Ex ea versione liquet interpretem legisse, *ἀκατάληπτον τοῦ Πατρὸς* et *ὁ δὴ υἱός ἐστι,* pro *καταληπτὸν τοῦ Πατρὸς* et *ᾧ δὴ ἴσος ἐστί,* quae hodiernus habet textus graecus. Omittit etiam *τὸ πρῶτον,* et prius *αὐτοῦ* mutare videtur in *αὐτῶν.* Veteri interpreti pro more consentit Tertullianus: *docebantur,* inquit, *incomprehensibile quidem Patris, caussam esse perpetuitatis ipsorum: comprehensibile vero eius, generationis illorum, et formationis illorum esse rationem.... Filium autem constituunt apprehensibilem Patris.* Consentiunt et recentiores, Billius, Fronto Duc. et Petavius; Cornarius vero, et Gallasius ex parte duntaxat: retinent enim, *ᾧ δὴ ἴσος ἐστί.* Sed eorum omnium nullus scopum attingit. Et pro modo suo dum quisque vertit, aenigma pro-

p. 27.

p. 29.

ponit potius, quam solvit. Nec felicior Grabius: (pace ipsius dixerim) ne unam quidem, ut ait, litteram in graeco textu mutandam censet: sed dum *τοῦ Πατρός, Patris* nomine hic non Propatora ingenitum, sed *Unigenitum* potius intelligi vult, textui vim infert. Unigenitum quidem a Valentinianis vocari *Patrem et Principium omnium, notum est:* sed voce *τοῦ Πατρός,* quae in proxime praecedenti periodo, et in sequentibus de solo Propatore intelligi potest, hic Unigenitum venire, nulla alia praemissa, aut addita voce, quae prioris illius significatum coërceat ad Filium, abhorret a verosimili. Itaque nisi graeco textui medicam manum admoveas, incassum de sensu laboras; rectus occurret nullus. Lege ergo cum veteri interprete, et Tertulliano, *ἀκατάληπτον ὑπάρχειν τοῦ Πατρός,* id enim exigit cum sermonis contextus, tum ipsa Valentinianorum hypothesis, ad quae non satis attenderunt interpretes; et inde prima mali labes. Altera quod *τῆς γενέσεως αὐτοῦ καὶ μορφώσεως* vocibus Unigenitum designari haud adverterunt, qui dicatur *γένεσις καὶ μόρφωσις τοῦ Πατρός. Γένεσις* quidem, *quod genitum est, productio, soboles, proles;* quo sensu dicitur Prov. XXX, 11. *Generatio, quae patri suo maledicit et quae matri suae non benedicit,* id est, *proles, quae patri suo maledicit* etc. *μόρφωσις* vero, id est, *forma, species.* Quibus positis, ceteris textus graeci vocibus manentibus intactis, sponte fluit sensus, si praemissorum memineris. Paullo superius dixerat Irenaeus, incomprehensam *Propatoris* naturam temere scrutatum Aeonem paene periisse. Addit, ne cui aliorum Aeonum id accideret, quod imprudenti illi, Christum a Patre productum, qui doceret eos Unigeniti solius menti pervium esse Patrem, ceteris penitus incomprehensum. Tum (quod huius consectarium videtur), longe meliorem esse Unigeniti, quam aliorum Aeonum conditionem: *Et ceteris quidem Aeonibus praecipuam aeternae perseverationis caussam,* qua scilicet dissolutionem, quae incauto Aeoni paene contigit, a se moliantur, *esse Patris incomprehensibile,* si nimirum persuasum habentes, incomprehensum esse Patrem, ipsum temere scrutari non nitantur: *Prolis autem eius, ac formae,* Monogenis videlicet, *perseverationis aeternae caussam esse comprehensibile illius, cui utique aequalis est;* nempe quod Patrem, cui aequalis est, comprehendat. Sic unius duntaxat *α* additione difficilem nodum facile, ni fallor, et apposite cum ad sermonis seriem, tum ad Valentinianop. 30. rum hypothesin solvimus. — *Καὶ κατὰ πάντα*] Delendum esse *κατὰ* recte monet Billius: sensum enim turbat. Neque eam praepositionem legere vetus interpres et Tertullianus. Quin Irenaeus ipse paullo post, Iesum, ex Valentinianorum mente, vocat *τὸ πᾶν, omne.* Et lib. II. cap. 20. de eodem: *quem,* inquit, *et omnia nuncupant.* Ubique eandem appellationis rationem affert, *eo quid sit ex omnibus.* Quae ratio vel sola probat expungendum esse *κατά.* — *Satellites quoque ei in honorem ipsorum*] Codd. Pass. et Clarom. *Satellites quoque et in honorem ipsorum;* nec ita male.

CAP. III.

p. 35. v. a. BILLIUS: *Duodecadis autem*] Corrigendus est graecus Theodoreti codex libro primo haereticarum fabularum in haeresi Valentini,

ac pro *τὴν δύο καὶ τὴν δέκα,* legendum *τὴν δυοκαίδεκα.* Duodenarium enim summo in pretio habebant Valentiniani. — *Innui*] Pro *ὑπερσημαίνεσθαι* legendum *ὑποσημαίνεσθαι,* et ead. lin. pro *τῆς ἀποστασίαστον Ἰούδα, διὰ Ἰούδαν* restituendum ex vet. interpr. et ita postulante sensu. — *Cuius*] Pro *αὐτῆς* legendum *αὐτῇ,* et paullo post, ante *εἰ μή,* ponenda est particula copulativa *καὶ* ex vet. — *Resoluta fuisset*] Vet. interp. hic mihi lapsus esse videtur. Vertit enim, advenisse in omnem essentiam suam, perinde ac si in graeco haberetur *ἀνελελύθει.* Sed verior est lectio *ἀνελύθη ἄν,* id est, redacta ac resoluta fuisset, quemadmodum patet ex his quae superius dixit Irenaeus, quum de Sophiae calamitate verba faceret. — *Egressa virtus a filio*] Ex vet. interpret. pro *τούτου* restituo *τοῦ υἱοῦ.* Ibidem pro *ταύτης* legendum *ταύτην.* — *Atque extra Pleroma* cett.] Graec. *καὶ ἐξορισθείσης ἐκτὸς τοῦ Πληρώματος, ἣν δὲ καὶ δευτέραν ὀγδοάδα καλοῦσι, περὶ ἧς μικρὸν ὕστερον ἐροῦμεν.* Quae quidem verba, tametsi in veteri quoque interpretatione exstant, meo tamen iudicio delenda sunt. Nec enim quidquam ad rem faciunt, nec sententiam absolutam habent. Ac praeterea falsum est, Valentinianos Enthymesin secundum ogdoadem appellare. — *Nam quum multae*] Veterem interpretem hoc loco sequor, qui haec verba *ἕτεροι δὲ* haud-quaquam agnoscit: et certe redundant.

p. 36. p. 37. et 38. p. 38. et 39. p. 44.

FRONTO DUCAEUS: *Et Crucis ipsorum*] Vox *ipsorum* abest in graeco, in quo pro *στύλου* ita scribendum: *καὶ τοῦ ὅρου καὶ σταυροῦ καὶ λυτρωτοῦ.* — *Qui est veritatis primae*] Emenda, *qui est veritas primae tetradis,* vel *hoc est veritatem primae tetradis.* — *Tollens crucem sequere*] Legendum in graeco *ἀκολούθει μοι.* Quae verba leguntur in graeco Marci 10, 22. *καὶ δεῦρο ἀκολούθει μοι ἄρας τὸν σταυρόν.* Epiphanii interpres: *Tollens crucem suam; et sequitur me;* minus recte, quam hic vetus, *Tollens crucem; sequere me:* abest a vulgata illud *ἄρας τὸν σταυρόν.* Erasmus quoque non esse in veteribus codicibus ait, nec apud alios evangelistas reperiri, ut illinc huc transcriptum videri possit. Legit tamen praeter hunc Irenaeum Theophylactus in Marcum: *Et sequere me sublata cruce,* hoc est: praeparato te ipsum ad mortem pro me. Et ut videtur Nicetae Greg. Nazianz. orat. in Pascha 2. *σὺ δὲ ἀποθήσῃ καὶ τὰ δικαίως κτηθέντα προθύμως, ἵνα κοῦφος τὸν σταυρὸν αἴρῃς, καὶ πλουτήσῃ τὰ μὴ ὁρώμενα. Tu vero iustis etiam rationibus quaesitas opes excuties, ut leviter crucem tollas, et divitias quae non cernuntur, assequaris.* — *Ventilabrum eius in manu*] Lege *et emundabit aream,* *et colliget:* nisi forte Hellenismum esse voluit, *τοῦ καθαίρειν ἕνεκα τὴν ἅλωνα.* — *Plasmate universorum*] *Πάντων* legit, non *πάντες,* ut habent graeca, ex quibus sic scribendum esset, *et plasmate universi* vel *omnes,* dicunt: paullo post, expungenda est vox *quando,* et legendum *cum multae parabolae.*

p. 33. p. 39. p. 41. p. 43.

FEUARDENTIUS: *Sed et nos ipsos in gratiarum actionibus* etc.] Hae sunt procul dubio gratiarum actiones, quas primum omnium fieri obsecrat apostolus I ad Timoth. 2. quasque universa per orbem frequentat ecclesia in celebratione eucharistiae, interpretibus Augustino epist. 57. (nunc 149.) Ambrosio, Chrysostomo et Prospero lib. I. De

p. 35

Vocatione gentium, cap. 4. In ea vero sacerdos preces, vota, supplicationesque universas hac coronide absolvit, *Per omnia saecula saeculorum:* quod apostolorum traditioni accepto ferendum, non tantum hoc loco Irenaeus, sed et omnium patrum liturgiae luce clarius ostendunt. In ea enim, quae est b. Iacobi, decem et octo; quae Clementis, tribus; quae Basilii, sexdecim; quae vero Chrysostomi, viginti tribus vicibus, ea verba repetita comperies. Ex hoc autem suorum Aeonum figmenta asserere contendebant aequa impietate Valentiniani, qua inscitia Sacramentarii corpus Christi arcere ab altari conantur ex his Praefationis nostrae verbis, *Sursum corda, Habemus ad Dominum,* quae tamen ab eisdem apostolis accepta constantur retinemus. Testes sunt omni exceptione maiores, Augustin. lib. De sancta Viduitate, c. 16. et lib. De dono persev. c. 13. Chrysost. Homil. de encaeniis et in liturgia; Basilius in liturgia; Clemens Romanus lib. VIII. Constit. apost. cap. 16. Iacob. in liturgia; Cyprianus De orat. dominica.

p. 37. — *Uno enim anno* etc.] Hanc Valentini opinionem firmissimis scripturis et rationibus Irenaeus refutat lib. II. cap. 38 et 39. quo fit, ut existimem clarissimos patres Tertull. Clementem Alexandr. Iul. Africanum, Lactantium, Orosium et Gaudentium Brixianum, fervore disputationis ulterius distractos, hunc locum parum animadvertisse, quum similem fere sequantur opinionem. Verba Tertulliani sunt lib. cont. Iudaeos, quae et Eusebius in Chronico ante nos observarat. *Quinto decimo anno Tiberii passus est Christus, annos habens quasi triginta, quum pateretur.* Clementis vero lib. I. Strom. *Quod anno solo oporteret Dominum praedicare, hoc quoque sic scriptum est: annum acceptabilem Domini praedicatum misit me. Quinto decimo ergo anno Tiberii et quinto decimo Augusti, sic implentur triginta anni, usque ad tempus quo passus est etc.* Rectius porro sentiunt, qui aetatis

p. 39. anno 33. passum Christum docent. — *Omne esse*] Codices ex. *omnia esse,* at codex vetus, et graec. habent ut restituimus. Tertull. vero sic: *Iesum Soterem cognominant, et Christum et Sermonem, de patruitis: et Omnia iam, ut ex omnium defloratione constructum, graculum Aesopi, Pandoram Hesiodi, Acci Patinam, Nestoris Cocetum, Miscellaneam Ptolemaei.*

p. 32. GRABIUS: *Ἐξ ἀγῶνος σύμπηξις*] Ecce rectam, ne littera quidem mutata, lectionem, planamque sententiam. Ex una voce *ἐξάγωνος,* quae nulla est, factas duas: *ἐξ ἀγῶνος,* verto: *post agonem.* Nam quod Eustathius ad Homeri Il. E. v. 865. notat: *ἡ Ἐξ πρόθεσις οὐ μόνον ἐνταῦθα εἴληπται ἀντὶ τῆς Μετὰ προθέσεως, ἀλλὰ καὶ ἀλλαχοῦ, Praepositio Ex non solum hic accipitur pro praepositione Post, sed etiam alibi;* id huic loco applicans, sensum ex antecedentibus ita explico. Dictum est supra, ultimum Aeonem, Sophiam, dum inconprehensibilem Patrem capere vellet, *ἐν πολλῷ πάνυ ἀγῶνι γενόμενον διὰ τὸ μέγεθος τοῦ βάθους* etc., *in magna agonia propter magnitudinem altitudinis constitutum* fuisse: dictum quoque ibidem, Aeonem istum *propter hoc fere absorptum et in universam substantiam resolutum fuisse, ἀναλελύσθαι,* nisi occurrisset Horo, cui *στηρίζουσα δύναμις, virtus consolidans* attribuitur, et docetur, quod per eam confirmatus Aeon ad se ipsum et ad Pleroma redierit. Haec itaque summatim repetens hoc loco Irenaeus, post *συμφορὰν πεπον-*

θότος Αἰῶνος, καὶ κατὰ μικρὸν ἀπωλολότος, tristem casum passi et paene perditi Aeonis, subiunxit eiusdem *ἐξ ἀγῶνος σύμπηξιν, post agoniam consolidationem,* ne scilicet in universum resolutus diffluereat; eam Horo tanquam caussae efficienti adscribens. Unde forte non incommodum foret legere, *διὰ τοῦ ὅρου,* non tamen necesse, dummodo ita intelligatur. Intellexit sane Tertullianus; siquidem cap. 13. *ὅρου ἐξ ἀγῶνος σύμπηξιν,* reddidit *Hori opportunissimum auxilium,* quod scilicet Sophiae tulit periclitanti. Scripseram haec, antequam varias latinae versionis lectiones a Mercero collectas benevole mihi communicasset clariss. dominus Dodwellus. Quas dum inspexi, et ex altero codicum notatum inveni *ex Aeonia,* in sententia mea plane confirmatus sum. — *Τῆς εὐχαριστίας*] *Ταῖς εὐχαριστίαις* legit vetus interpres, *gratiarum actionibus.* Non inepte autem notat Feuard. per eucharistias hic intelligi preces atque laudes in celebratione sacramenti eucharistici fundi solitas, de quibus et verba Pauli I Timoth. 2, 1. ubi iubet fieri *obsecrationes, orationes, intercessiones, gratiarum actiones, εὐχαριστίας, pro omnibus hominibus,* Patres aliqui acceperunt. Harum enim clausulam iam primo ecclesiae aevo fuisse: *Per omnia saecula saeculorum;* probare contendit ex liturgiis Iacobi, Clementis etc. Atqui has quidem vel suppositas vel interpolatas esse satis constat; attamen haud vane augurari licet, illos, qui in omnibus istis liturgiis exprimuntur, quique iam olim ubique inter sacra mysteria usitati fuere, ritus ex apostolica traditione fluxisse. Id saltem ex hoc Valentinianorum argumento liquet, secunda post Christum natum aetate dictam formulam in usu fuisse. Ceterum adhuc aliud est, quod ex hoc loco obiter colligo, nempe clausulam orationis dominicae, qua gloria dicitur Deo *εἰς τοὺς αἰῶνας,* olim nec a Catholicis, nec a Valentinianis agnitam fuisse. Neque enim ex ea, perinde ut ex aliis Catholicorum doxologiis et s. scripturae locis, argumentum ducere intermisissent. — *(Ὑποσημαίνεσθαι λέγουσι) τῆς ἀποστασίας, διὰ Ἰούδαν* etc.] Graeca in hac periodo iam olim fuere corrupta: unde vetus interpres *τῆς ἀποστασίας διὰ Ἰούδαν* mutavit in *ἀπὸ τῆς ἀποστασίας τοῦ Ἰούδα,* et quatuor voces *γενομένης προδοσίας δείκνυσθαι λέγουσι* prorsus omisit. Quod licet nimis violentum sit, approbarunt tamen Billius et Petavius; Fronto Duc. autem et Feuard. hic nihil dixerunt. Ego verba Irenaei iterum iterumque relegens, deprehendi tandem, ea omnia retinenda, et ita, ut in not. ad latinam versionem posui, interpretanda esse, exceptis in parenthesi positis *ὑποσημαίνεσθαι λέγουσι.* Haec enim coniicio in textum irrepsisse e margine; in quo quispiam, praecedentia *σημαίνουσι λέγεσθαι* correcturus adscripsit *γρ* (id est *γράφεται*) *σημαίνεσθαι λέγουσι.* Quam notulam pro *ὑπὸ* accipiens imperitus scriba in textu posuit *ὑποσημαίνεσθαι λέγουσι,* uti Petaviana Epiphanii editio habet; vel *ὑπερσημαίνεσθαι λέγουσι,* ut in Basileensi Epiphanii, et omnibus Irenaei editionibus exstat. Ceterum refutat hanc Valentinianorum comparationem inter passum Aeonem et Iudam nec non inter passionem illius et Christi Irenaeus lib. II. cap. 36. et 37. — *Hanc autem passionem* etc.] Haec periodus iuxta genuinam graecam lectionem ita latine reddenda est: *Istam autem, quae duodecimo Aeoni accidit, passionem apostasiae* (id

p. 34.

p. 36.

est, ex apostasia ortam) *per Iudam, qui duodecimus apostolorum erat, facta proditione, significari dicunt.* — *Ἐκείνη ἡ δύναμις*] Billius in nova huius textus versione non vocem *Virtutis*, sed *Aeonis* posuit, quasi in graeco esse deberet *αἰὼν* non *δύναμις*. Neque enim nomen *Virtutis* passo Aeoni adscriptum in hoc primo capite Irenaei ei observabatur, indeque forte suspicio mendi incidebat. Sed genuinam esse lectionem *δύναμις*, patet ex lib. II. cap. 36. et 40. ubi auctor noster hoc argumentum refutans, priori quidem loco duas ex sententia Valentinianorum ponit *Virtutes*: et ubi memoraverat unam, *quae egressa est a Salvatore, quam praeesse*, (id est, praecellere) *dicunt*, mox de altera addit: *Illa enim, quae passa est, Virtus extensa et in immensum effluens, ita ut periclitaretur in omnem substantiam dissolvi, quum tetigisset primam quaternationem, quae per fimbriam significatur, stetit et a passione cessavit.* Quae huic, in quo versamur, loco exacte consona sunt Similiter dicto cap. 40. ubi dixerat *passam illam duodecimam virtutem, et in infinitum defluxam*, expresse addit; *id est, duodecimum Aeonem.* Unde nullum est dubium, quin hunc illo nomine
p. 38. vocarint Valentiniani et ita quoque hic appellarit Irenaeus. — *Εἰ μή*] *Καὶ εἰ μὴ* legi vult Billius, seductus a veteri interprete, qui habet: *et nisi tetigisset.* Ac hunc quidem ratio connexionis cogebat addere *et*, quia prius addiderat verbum *significabatur*, quo sensus commatis clauditur. Ast in graeco *καὶ* recte abest, dummodo *ἐκείνη ἡ δύναμις* per *appositionem* accipiatur, sicque sensus suspendatur. — *Τούτου, εἶναι δὲ ταύτης τὸν Ὅρον θέλουσιν*] *Ταύτην* pro *ταύτης* ex veteri interprete recte restituit Billius; sed *τοῦ υἱοῦ* pro *τούτου* ponere non est necesse, quia commode subintelligitur paullo praecedens nomen *Σωτῆρος*, quod etiam Horo, cuius hic mentionem facit, competit. — *Καὶ ἐξορισθείσης* etc. usque *ἐροῦμεν*] Haec verba, licet in veteri quoque interpretatione exstent, delenda tamen censuit Billius. Nec enim quidquam ad rem faciunt, inquit, nec sententiam absolutam reddunt; ac praeterea falsum est, Valentinianos Enthymesin secundam Ogdoadem appellare. Sed mirari satis nequeo, virum doctum haec scripsisse et Frontonem Duc. atque Feuardentium tacite consensisse, quum omnia tria huius probationis membra a vero sint alienissima. Fallitur Billius, dum falsum dicit, quod Valentiniani Enthymesin appellarint *secundam Ogdoadem.* Nam Irenaeus id iterum iterumque inferius eloquitur his verbis: *Τὴν δὲ μητέρα τὴν Ἀχαμὼθ καλοῦσιν ὀγδοάδα, ἀποσώζουσαν τὸν ἀριθμὸν τοῦ ἀρχεγόνου καὶ πρώτης τοῦ πληρώματος ὀγδοάδος. Matrem autem Achamoth vocant Ogdoada, servantem numerum primogenitae et primariae in Pleromate Ogdoadis.* Et mox: *Ταύτην δὲ τὴν μητέρα καὶ ὀγδοάδα καλοῦσι καὶ σοφίαν, Hanc autem matrem et Ogdoada vocant et Sophiam.* Matrem vero Achamoth esse illam ipsam Enthymesin passi Aeonis, ex his verbis constat: *Τὴν ἐνθύμησιν τῆς ἄνω σοφίας, ἣν καὶ Ἀχαμὼθ καλοῦσιν, ἀφορισθεῖσαν τοῦ πληρώματος, Enthymesin illius superioris Sophiae, quam et Achamoth vocant, separatam a Pleromate* etc. Quae exacte cum verbis controversis consonant; ideoque in fumum abit praecipua Billii adversus ea obiectio. Quod vero ait, ea nequicquam ad rem facere nec sententiam absolutam habere; et id non ita

se habet. Haud absolutus, fateor, est sensus in latino textu; attamen datur in graeco plenissimus. Sed quid ad rem praesentem, ubi Servator vulvam Enthymeseos aperuisse dicitur, faciunt addita de eadem *extra Pleroma proscripta et nomen secundae Ogdoados indepta*? Ad hoc tribus verbis responsurus praenoto, Valentinianos de Iesu Salvatore dixisse, quod vulvam Enthymeseos sive matris Achamoth aperuerit, non ut filius ex ea prognatus, sed tanquam maritus, qui eam adeo fecundavit, ut variam pepererit prolem ac septem caelos per Demiurgum produxerit. His igitur eminentior quum esset, indeque *Ogdoadis* titulo decorata, attamen *extra Pleroma eiecta,* longeque infra dignitatem Servatoris subsidens, nihilominus hunc ad illam accedere haud fuisse dedignatum, ex sententia Valentinianorum breviter hoc loco dicere voluit Irenaeus, et prolixius paullo post se dicturum promisit, idque fecit infra, ubi de his plura. — *Τῆς Θεότητος*] Vocem *σωματικῶς,* quae in nostris codicibus Coloss. 2, 9. legitur, non agnovisse videntur Valentiniani. Sed et catholici quidem Patres verba Pauli sine adverbio isto citarunt, veluti s. Cyprianus lib. De bono patientiae parum ab initio, et Archelaus in Disputatione cum Manete §. 25. Legerunt tamen *σωματικῶς* graeci patres omnes, et ex latinis Hilarius lib. VIII et IX. de Trinitate, Augustinus, pluresque alii. — *Καθὸ δὲ μερίζει καὶ διορίζει, Ὅρον*] Clemens in saepe citatis Excerptis ex orientali Didascalia Valentinianorum pag. 795. col. 2. in fine: *Ὁ σταυρὸς τοῦ ἐν πληρώματι ὅρου σημεῖόν ἐστι· χωρίζει γὰρ τοὺς ἀπίστους τῶν ἀπίστων* (lege *ἀπὸ τῶν πιστῶν*) *ὡς ἐκεῖνος τὸν κόσμον τοῦ Πληρώματος. Crux eius qui in Pleromate est Hori,* sive Termini, *signum est: separat enim infideles a fidelibus, sicut ille* (Horus) *orbem Pleromatis.* — *Ὃς οὐ βαστάζει* etc.] Verba Christi quoad sensum allegarunt Valentiniani ex Luc. 14, 27. non ex Matth. 10. vel Marc. 8. ut Feuardentius posuit. Ceterum verba Matthaei hunc in finem citata leguntur in Excerptis Clementis Alexandrini loco citato: *Ὃς οὐκ αἴρει τὸν σταυρὸν αὐτοῦ καὶ ἀκολουθεῖ μοι, οὐκ ἔστι μου ἀδελφός.* Pro *ἄξιος,* ut in nostris N. T. legitur exemplaribus. p. 40.

MASSUETUS: *Ὁμογενεῖς ἀγγέλους*] *Eiusdem generis angelos: ambigue positum,* inquit Tertullianus: vix scias enim an eiusdem inter se, an cum Salvatore generis essent. Athanasius orat 2. cont. Arian. Tom. I. no edit. p. 461. scribit Valentinum dixisse *ἀγγέλους ὁμογενεῖς τῷ Χριστῷ.* Et quidem *ὁμογενεῖς τῷ Χριστῷ* angelos facile concesserim, sed non eiusdem cum Christo generis. Satellites eius erant, non proinde eiusdem generis cum illo *Pleromatis sidere. Si* enim *Soteri consubstantivi,* ait optime Tertullianus, *quae erit eminentia eius inter satellites? Congenitos* ergo, seu potius *coaevos,* non *eiusdem generis,* vertere debuisset interpres. Irenaeus enim inferius vocat eosdem angelos, Soteris *ἡλικιώτας, coaevos.* Quo eodem nomine appellat eos Athanasius in prima ad Serapionem epist. p. 659. Tom. I. no. edit. — *Ἐξ ἀγῶνος σύμπηξις*] Difficilis locus, in cuius obscura suam quisque confert operam, sed inanem, ni fallor. Nec enim hic (quod alibi solet) sibi mutuo suppetias ferunt graecus et latinus, nec quidquam iuvant codices cum editi, tum MSS. Quot p. 32.

enim codices, tot variae lectiones. Alii una voce scribunt *ἐξάγωνος*, ut Petavius, Gallasius et Feuard., alii divisis *ἐξ ἀγῶνος*, ut Grabius. E codicibus latinis, editt. Gallas. Erasm. et Feuard. habent, *et Aeonum compago*; edit. Anglic. *ex agonia compago*; Voss. *lex Aeonum compago*; Claromont. *lex Aeona compago*; Arund. et Merc. I. *ex Aeone compago*; Merc. II. *ex Aeonia compago*; quod posterius dubio procul scriptum putat Grabius pro *ex agonia compago*, id est, *post agoniam compago*; ut excudi curavit in versione latina: unde et in graeco consequenter legi vult *ἐξ ἀγῶνος*, divisim; ut sit sensus, Sophiam post agoniam ab Horo consolidatam fuisse, ne scilicet in universum resoluta diffluueret. Sed praeter quam quod *ἡ τοῦ Ὅρου ἐξ ἀγῶνος σύμπηξις* significaret potius, Horum ipsum post agoniam consolidatum fuisse, quam Sophiam ab eo consolidatam, scribendumque fuisset, *ἡ διὰ τοῦ Ὅρου σύμπηξις*: id vero minus simile videtur, hic Horo respectu Sophiae figendi, seu consolidandi virtutem adscribi, quae solis Christo et Spiritui sancto, respectu Pleromatis paullo superius tribuitur. Horo quidem attribuitur *στηρίζουσα δύναμις*, sed *συμπηγνῦσα* nusquam. Mea vero haec est opinio: immo haud dubitem quin legendum sit, in graeco quidem *ἐξαιώνιος σύμπηξις*, in latino vero, *hexaeonia compago*; quod posterius excudi feci. Hanc lectionem satis aperte exprimunt plerique codd. latini, quorum alii habent *lex Aeonum*, alii *lex Aeona*, alii *ex Aeona*, alii *ex Aeonia compago*, procul dubio pro *sex aeonum*, *sexaeona*, *sexaeonia*, vel *hexaeona*, vel *hexaeonia compago*: quod quum minus intelligerent scribae, depravarunt; sic tamen ut verae lectionis vestigia retinuerint. Porro *Hori, Crucis, Redemtoris, Carpistae, Horothetae et Metagogei hexaeonia compago* ab Irenaeo dicitur, quia quum unus et idem Aeon sex nominibus gaudeat, quibus totidem proprietates respondent, sex Aeonum personam sustinet. Unde sex illorum nominum coagmentatio ingeniose ab Irenaeo vocatur *hexaeonia compago*, quasi sex Aeonum in unum et eundem Aeonem confluxus.

p. 34. Sic nulla fere mutatione facta textum utrumque restituo. — *Ἐπὶ τῆς εὐχαριστίας*] *Ταῖς εὐχαριστίαις* legit interpres; sed minus bene. Hic enim sermo est, non de quibuscunque gratiarum actionibus, sed de ipsa sacra eucharistia, seu de solemni illa gratiarum actione, quae in divinorum mysteriorum celebratione fiebat; ubi ex veterum liturgiarum praescripto frequens audiebatur ea cum *ἐκφωνήσεων* tum *εὐχῶν* clausula, *εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων*. Ex quibus obiter concludes, antiquissimos esse plurimos, qui in iis, quae sub quorundam apostolorum nomine circumferuntur, liturgiis, ritus exstant, et Valentinianorum aevo vetustiores ac proinde apostolis ipsis coaevos. In ea, quae Iacobi nomen prae se fert, quamque Basilius et Chrysostomus, si Proclo fides, in compendium redegerunt, formula ex qua argumentum ducebant Valentiniani, non semel occurrit. Et bene se res habet, quod Grabius suis candidior fateatur, *illos, qui in omnibus istis liturgiis* (apostolicis) *exprimuntur, quique iam olim ubique inter sacra mysteria usitati fuere, ritus, ex apostolica traditione fluxisse.* Ecclesias enim ab apostolis institutas formam aliquam et ritum offerendi sacrificium, cui tam arcta sit et praecipua cum religione connexio, non accepisse, quis sanus sibi persuadeat? Non quod tamen liturgias omnes aposto-

licas iis, quorum nomine insigniuntur, adiudicare velim. Sufficiat liturgiarum antiquiorum, si non scriptores, saltem primos auctores esse apostolos. — *Δεκαοκτὼ μησί*] Idem antea commenti fuerant gnostici, ut patet ex cap. 30. huius libri, et ab iis acceperant Valentiniani. Utrosque confutat Lucas Act. I. asserens Christum *per dies quadraginta apparuisse* discipulis, quibus elapsis in caelum conscendit. Sed minoris apud eos haereticos ponderis erant scripturae Novi Testamenti, quam spurium illud scriptum, quod *veritatis evangelium* dicebant Valentiniani, Irenaeo teste lib. III. cap. 11. n. 8. ex quo commenta sua hauriebant. — *Sic*] Haec particula in graeco praecedens colon claudit. Sed perinde est ad sensum, modo comma praeponas particulae *οὕτως;* additur enim explicationis, non comparationis gratia. — *Τὸ δὲ περὶ τὸν δωδέκατον Αἰῶνα* etc.] Hic cum graeca tum latina corrupta sunt. Sic utraque exprimuntur, ut passio et cetera, quae Salvatoris propria sunt, de Iuda enuntientur; quod quam absurdum sit, nemo non videt. Quidpiam igitur in utrisque deest; sed et in graeco quidpiam superest. At uterque textus facile emendari potest ex iis, quae habet Irenaeus lib. II. c. 20. n. 1. Ibi enim ex integro et iisdem omnino verbis repetit quae cap. 3 lib. I. dixerat. Sic autem illic habet. *Illam enim, quam erga duodecimum Aeonem dicunt accidisse passionem, conantur ostendere, quod Salvatoris passio a duodecimo apostolorum facta sit et in duodecimo mense. Uno enim anno volunt eum post baptismum praedicasse. Sed in illa, quae profluvium sanguinis patiebatur, manifeste dicunt ostensum: duodecim enim annis passa est mulier* etc. Quae eadem verba sunt lib. I. c. 3. Sic ergo ex relatis verbis graeca restituenda censerem: *τὸ δὲ περὶ τὸν δωδέκατον Αἰῶνα γεγονὸς πάθος τῆς ἀποστασίας ὑποσημαίνεσθαι λέγουσι, ὅτι τὸ τοῦ Σωτῆρος πάθος διὰ τῆς τοῦ Ἰούδα, ὃς δωδέκατος ἦν τῶν ἀποστόλων, προδοσίας γεγονὸς δείκνυται, καὶ ὅτι τῷ δωδεκάτῳ μηνὶ ἔπαθεν. Hanc autem passionem, quae circa* (erga) *duodecimum Aeonem facta est, significari dicunt, in eo quod Salvatoris passio per Iudae, qui duodecimus erat apostolorum, proditionem facta ostenditur, et quoniam duodecimo mense passus est.* Hoc modo corruptus locus ex sano ac omnino eodem restituitur: et nisi ita restituas, frustra in explicatione depravatae periodi laboraveris. — *Ὅτι τῷ δωδεκάτῳ μηνὶ ἔπαθεν. Ἐνιαυτῷ γὰρ ἑνὶ βούλονται* etc.] In hoc errore versatos fuisse Valentinianos scripturarum corruptores et novorum evangeliorum fabricatores, non adeo mirum: sed in eundem impegisse clarissimos patres, saltem Clement. Alexand. lib. I. Strom. p. 340. Origen. lib. IV. Periarch. cap. 1. et Tertull. lib. adv. Iud. cap. 18. qui evangelia debita cum veneratione et legebant et suscipiebant, nullus non miretur. Una est istorum sententia, Christum anno 15 imperii Tiberii, quo baptizatum fuisse scribit Lucas, passum esse, anno aetatis 30 ac proinde anno uno duntaxat post baptismum, et ante mortem suam, publicas apud Iudaeos habuisse conciones. Quum tamen evangeliorum lectione vel levissima imbutus quisque facile deprehendat, tria ut minimum a baptismo ad mortem Christi intercessisse paschata. — *Ἐκτεινομένης αὐτῆς*] Cur *αὐτῇ*, non *αὐτῆς*, hîc legi velit Billius, non novi. Genitivum enim casum

p. 35.

p. 36

p. 38. postulat constructionis ordo. — *Εἰ μή*] Ante *εἰ μὴ* particulam copulativam *καὶ* ex veteri interprete ponendam vult idem Billius. Sed non advertit vir doctus, veterem interpretem addito verbo *significatur,* periodum graecam in duas secuisse, quarum unam quum conclusisset, ad *quemadmodum dicunt,* alteram ut inciperet et cum priori connecteret, necesse videbatur addere particulam *et;* in graeco vero quum *ἐκείνη ἡ δύναμις* per appositionem accipiatur, suspensusque maneat sensus ad ea usque verba *εἰς τὴν οὐσίαν αὐτῆς,* hunc perperam interturbaret copula *καί.* — *Φορήματος αὐτοῦ*] Si sana sint MSS. latina, legendum cum vet. interprete, *φορήματος, τοῦτ' ἔστιν, αὐτοῦ τοῦ υἱοῦ, vestimentum, hoc est, ipsius Filii vestimentum,* vel saltem *φορήματος τοῦ υἱοῦ,* et paullo post pro *δύναμις τούτου* legendum *δύναμις τοῦ υἱοῦ.* Neque enim haec ad *Σωτῆρα* ulla ratione referri possunt, qui nec primae tetradis Aeon erat, nec cum *Veritate,* eiusdem tetradis Aeone, ullam affinitatem habebat. De *Monogene* vero eiusque coniuge *Alethia,* primae tetradis Aeonibus, intelligi necesse est. Apertusque sensus est, si supradictorum memineris. Scilicet, quum iam *extenderetur* passus Aeon *et in immensum flueret eius substantia, in omnem substantiam suam resolutus fuisset, nisi Filii,* seu Monogenis *vestimentum tetigisset:* id est, nisi errorem agnoscens, *Veritatem primae tetradis* (sic enim vertendum, non *Veritatis,* ut superius dixi) Monogenis coniugem, (per fimbriam vestimenti mystice significatam, quia *Veritas* ultima est in prima tetrade Pleromatis) *tetigisset,* seu apprehendisset, cuius luce collustratus, *in semetipsum reversus credidit iam, quoniam incomprehensibilis est Pater,* ut supra dicitur. Tunc misertus eius Filius, et pro eo deprecatorem apud Patrem agens, a se *virtutem* emisit, *Horon* scilicet, qui laborantem *curavit et passionem separavit ab eo.* Sicque *stetit et quievit a pas-*
p. 39. *sione* infelix Aeon *per egressam virtutem Filii.* — *Hoc est, illius Filii, Veritatis primae tetradis*] Ita codd. Ottobon. et Merc. II. In posterioribus Feuard. editt. *hoc est, illius Filii, qui est Veritas;* in Oxon. *illius Filii, hoc est, Veritatis;* sed utrumque contra codd. omnium fidem. Nam praeter iam allegatos, Erasm. Gall. et prior Feuard. edit. una cum Clarom. Pass. Arund. et Voss. habent: *hoc est, illius Filii, qui est Veritatis.* At expunctis auctoritate Ottobon. et Merc. II. codd. vocibus, *qui est,* quae sensum conturbant, sic explicandus videtur Irenaeus: *Nisi tetigisset vestimentum, hoc est, illius Filii* vestimentum, *Veritatem* scilicet *primae tetradis* etc. Vertere siquidem debuisset interpres *Veritatem,* non *Veritatis:* quum verbum *tango* accusativum regat apud Latinos, non genitivum, ut apud Graecos. Lege ergo *Veritatem,* hancque vocem per appositionem accipe, quasi explicationem vocis *vestimentum.* Neque enim passus Aeon vestimentum Veritatis tetigisse dicitur, sed Veritatem ipsam, (quae vestimentum Filii dicebatur a Valentinianis) per fimbriam mystice significatam; quod id esset respectu primae tetradis, quod fimbria respectu vestimenti, infima pars scilicet. Vide quae ad graeca huius loci ob-
p. 40. servavimus. — *Τῆς Θεότητος*] Vocem *σωματικῶς,* quae exstat in nostris codicibus, quamque legerunt patres omnes graeci et e latinis plerique, ideo forte omittunt Valentiniani, quia minus ad institutum

faciebat. Ea enim duntaxat e scripturis corradere hic mens erat, in quibus occurrerent voces *omnis, omne, omnia.* Forte etiam in Irenaei codice deerat, ut et defuisse videtur in Cypriani et Archelai codd. Uterque enim, ut observat Grab. hic in disput. cum Manete §. 25. ille init. lib. de Bono Patient. citata D. Pauli verba legit, omisso adverbio *σωματικῶς.* — *Διὰ τοῦ Θεοῦ*] Haec non leguntur in nostris N. T. codicibus graecis, nec in Vulgata. — *Ὃς οὐ βαστάζει* etc.] Verba sunt Luc. 14, 27. excepto quod pro *ἀκολουθεῖ μοι,* codices nostri habeant, *ἔρχεται ὀπίσω μου.* Exstitisse tamen in Irenaei codicibus *ἀκολουθεῖ μοι,* inde coniicio, quod in vetustis quibusdam MSS. in graeca Novi Testam. edit. Oxon. an. 1675 citatis etiamnum legatur, *ἀκολουθεῖ ὀπίσω μου,* quod prope accedit ad Irenaei lectionem. — *Et separata ea*] Sic scripsisse veterem interpretem persuasum habeo. p. 41.
Sed hunc in errorem coniecit copula *καί,* quae in textum graecum perperam irrepsit. Hinc existimavit *ἐξορισθείσης* casum absolutum esse, reddendum per Latinorum ablativum, quem vocant absolutum; quum tamen evidens sit, *ἐξορισθείσης* ab *Ἐνθυμήσεως* divelli non debuisse, ne sententia male suspensa haereat, omninoque pervertatur. Expunge ergo ut in graeco particulam *καί,* sic et in latino particulam *et,* cum voce *ea.* Tum lege, *separatae extra Pleroma,* scilicet Exco gitationis. — *Iis autem, qui salvantur*] Antiquam Italicam versionem p. 43.
secutus est interpres, quam eodem modo habuisse, ex Cypriani lib. III. Testimoniorum adversus Iudaeos, num. 69. et Ambrosiastri Comment. in hunc locum demonstrat Grabius. Graecus autem Pauli et Irenaei textus habet: *Nobis autem, qui salvamur.* Nec procul abest Vulgata: *Iis autem, qui salvi fiunt, id est, nobis.* — *Εἰς πολλὰ ἕλκειν δυνα-* p. 44.
μένων] Auctoritate cod. Regii deleo *καί,* quod praepositioni *εἰς* praemittebatur. Tum legendum censeo, *ἕλκεσθαι δυνάμενον* pro *ἕλκειν δυναμένων.* In omnibus siquidem cum editt. tum MSS. legitur *trahi:* et in cod. Clarom. cuius lectionem latinam sequor, habetur *possit,* in singulari. — *Ἕτεροι δὲ δεινῶς*] Voces *ἕτεροι δὲ* delendas censet Billius, utpote redundantes, et a veteri interpr. haudquaquam agnitas. At non frustra retineas, si modo punctum praecedens, in editis omnibus perperam interpositum deleas, haecque continenter et absque divisione legas: *εἰς πολλὰ ἕλκειν δυναμένων* (leg. *ἕλκεσθαι δυνάμενον*) *τὸ ἀμφίβολον, διὰ τῆς ἐξηγήσεως ἕτεροι δὲ δεινῶς τῷ πλάσματι αὐτῶν, καὶ δολίως ἐφαρμόζοντες* etc. *Sententiae ambiguitatem* (cui multiplex subesse potest sensus) *per expositionem suam alii sollerter et dolose figmento suo accommodantes* etc. Quod vero *δεινῶς* vertit interpres *propensius,* ex latini sermonis imperitia factum est. Quum enim *δεινῶς* aliquando graecis sonet *vehementer, fortiter,* id ille ad animum traducens perperam reddidit *propensius:* vertere debuisset *sollerter.*

CAP. IV.

BILLIUS: *Enimvero gestit animus*] Habuit, inquit Tertull. et p. 51.
falsas et amaras et dulces et frigidas guttas et bituminosas et ferruginantes et sulphurantes et venenatas etc. — *Sibi obduxit*] Malo *sibi* p. 54.
legere, cum Tertulliano, ut ad ipsam Achamoth referatur, quam *ei,*

p. 55. cum vet. interpr. — *Scientiae formam*] Apud Tertull. corrupte hoc loco habetur *confirmavit*, legendum est enim *conformavit*. — *Secretas eas*] Corruptus est hic locus in graeco. Pro *χωρήσει τοῦ* enim *χωρὶς* substituendum est. Non enim hoc vult Irenaeus has passiones minime confusas fuisse, sed contra potius permixtas inter se atque confusas. — *In corpoream materiam*] In graeco pro *ἀσώματον* le-
p. 56. gendum *ἐνσώματον* ex vet. interpr. et Tertull. — *Altera mala*] Tertull. *de vitiis pessima: de conversione passionalis*; graece *ἐμπαθής*. — *Arripuisse*] Locus hic magnopere me torsit. Nam quum *συλλαβεῖν* hoc loco idem esse existimarem quod concipere, non videbam, quaenam esset haec contemplationis angelorum conceptio. Huc etiam accedebat, quod aliquanto inferius Achamoth non contemplationem peperisse, sed *κατὰ τὴν ἐκείνων θεωρίαν* fetum edidisse scribitur. Ne dicam, quod si hic *συλλαβεῖν* idem esset quod concipere, conceptio congressum antecederet. Id quod vel cogitare absurdum est. Denique Tertullianus ipse eam angelicorum luminum contemplatione tantummodo concalefactam esse, ac velut ad Venerem exarsisse scribit, non autem contemplationem concepisse. Quare hoc loco *συλλαβεῖν τὴν θεωρίαν*, nihil mihi aliud significare videtur, quam *θεωρεῖν*. — *Cumque ipsis congressam*] *Ἐγκισσᾶν* hoc loco est ad Venerem admittere. Tertull. vertit *subare*.

p. 45. FRONTO DUCAEUS: *In umbratae vanitatis*] Corrige ex graec. et vestigiis manuscripti: *In umbrae et vacuitatis locis deferbuisse*. Ita paullo post: *quod derelicta sola esset in tenebris, et in vacuo: ἐν τῷ κενώματι*: quod confirmat Billii correctionem et interpret. *in umbras et vacuitatis loca velut aestu quodam abreptam*, sed illud *ἐκβεβράσθαι* simplicius vertit Tert. c. 14. *Explosa est in loca luminis aliena*, quasi nihil aliud velit, quam expulsam et eiectam, addit, *in vacuum et inane illud Epicuri:* cum quo vacuitatem hanc comparat etiam Iren. lib. II. c. 19. *Umbram autem et vacuum ipsorum a Democrito et Epicuro sumentes*. Sed in graec. forte ex manuscr. *ἐν σκιᾶς καὶ κενώματος*. Theod. *Et in umbra quadam et inani degere*.
p. 47. — *Omni parte passionis*] Omni parti passionis succub. in. et v. exsi-
p. 51. stentis. Tert. *Omni genere passionis coepit affligi*. — *Quis enim non eroget*] Pro, quae ex passione Aeonis, graec. ad verbum, qui est passus Aeonis, *τῆς ἐνθυμήσεως τοῦ πεπονθότος αἰῶνος*. Tertull. c. 15. *Nam ex lacrymis eius universa aquarum natura manavit*. Bill. *calamitosi illius Aeonis*. Corn. *afflicti saeculi*. Sed mallem passionis nomen exprimi: nam Tertull. et Iren. omni genere passionis dixerunt affligi: *παντὶ μέρει τοῦ πάθους*. Gallas. *a lacrimis Aeonis cogitatione perturbati*. Non vidit sc. *ἐνθύμησιν* nomen esse Aeonis.
p. 53. — *Praestante ei virtutem*] Lego: praestante ei virtutem omnem Patre. Praeter graeci textus patrocinium ita Tert. c. 16. *Largito ei Patre universorum Aeonum summam potestatem subiiciendis eis omnibus*. —
p. 55. *Habilia et possibilia essent*] *Ἕκτικὰ καὶ δυνατά*. Bill. *quod radices egissent, et robur contraxissent*. Tert. *exercitata et usu vitiosa*. Corn. *quod in habitum iam cessissent*. — *Sed segregantem*] Lege, separatim commiscuisse et coagulasse. Quod Bill. corrigit *χωρίς*, confirmat Tert. *defixit seorsum in materiae corporale paraturam* et The-

odor. *separavit, eaque separata compegit.* — *Altera autem conversionis*] Scribe, conversionis passibilis. Sic enim verti potest ἐμπαθῆ, neque vocem Tertull. usurpare necesse est, ut vult Rhenanus. Ut duplex substantiarum conditio ordinaretur: de vitiis pessima: de conversione passionalis. Hinc tamen disce melius potuisse verti, altera autem ex conversione passibilis, id est, obnoxia passioni.

FEUARDENTIUS: *Quam et Achamoth*] Tertull. lib. cont. Valent. p. 45. apud illos nomen ininterpretabile fuisse dicit. Epiphan. contra Haeresin trigesimam primam, Salvatorem et Terminum et Crucem sic eos vocasse asserit. Theod. lib. I. haeretic. fabularum, fetum informem et Sapientiae cogitationem hoc nomine appellasse putat. Vocis porro huius etymon ab hebr. חכמה deducitur, quod sapientiam significat, a radice חכם, id est sapiens fuit, sapuit. — *Dixisse Iao*] Magno p. 47. consensu Tertull. Epiphan. Theod. *Iao* legunt. At Tertull. (Praescr. c. 49. et cont. Val. c. 14.) quid hoc velit, non aliter explicat, quam si quis exclamaret: *Porro Quirites aut fidem Caesaris.* Epiphanius contra Haeres. vigesimam sextam, principem in primo caelo ab illis collocatum scribit. Macrobius lib. I. Satur. c. 18. inter plura alia et hoc nomen a paganis attributum fuisse Soli probat hoc oraculo Apollinis Clarii: φράζεο τὸν πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν Ἰαώ, id est: *intellige Iao esse omnium summum deum.* Diodorus Siculus lib. V. Biblioth. cap. 5. ignorantia vocis *Iehovae* deceptus, somniat Mosem apud Iudaeos a deo qui vocetur *Iao,* leges acceptas tulisse. Eusebius lib. IV. Demonstrationis evang. cap. 29. *Iaho est salus, hoc est, dei salutare.* — *Quae etiam convenienter* etc.] Quo pacto turpissima p. 51. figmenta sua occuluerint Valentiniani, his graphice explicat Tertullianus: *Si bona fide quaeras, concreto vultu, suspenso supercilio, altum est, aiunt. Si subtiliter tentes; per ambiguitates bilingues communem fidem adfirmant. Si scire te ostendas, negant quidquid agnoscunt. Si cominus certes, tuam simplicitatem sua caede dispergunt. Ne discipulis quidem propriis ante committunt, quam suos fecerint* etc. — *Sed solos illos, qui grandes mercedes* etc.] Duae sunt res, quae maxime homines ad maleficia impellunt, luxuries et avaritia, quia nihil tam sanctum, quod non violari, nihil tam munitum, quod non expugnari, nihil tam purum, quod non foedari pecunia possit. Et quid non mortalia pectora cogit auri sacra fames? Haereticos autem utroque morbo omnibus saeculis laborasse et sectarum nostri saeculi caedes, rapinae, incendia, sacrilegiaque et veterum auctorum istorum lectio indicant. Ignatius Epist. 3. eos vocat *mulierum corruptores, alienorum appetitores, pecuniarum rapaces, et quasi vortices.* Post Optatum Milevitanum, graviter conqueritur Augustin. lib. I. cont. litteras Petil. cap. 64. et lib. III. contra Cresc. c. 42. de tyrannicis rapinis, invasionibus, furtis et depraedationibus Donatistarum, omnino similibus eis, quibus Calvinistae Gallias nostras a triginta annis funestissime devastarunt. — *Volo autem et aliquid* etc.] Ironia est, qua et Tertullianus chimericas istius modi nugas his festive traducit. *Hic aestimandum est, quem exitum duxerit, quantis lacrymarum generibus insudaverit. Habuit et salsas, habuit et amaras et dulces et calidas et frigidas guttas et bituminosas et ferruginantes et sulphurantes, uti-*

que et venenatas, ut et Nonacris (aquam mortiferam in Arcadia scripserunt esse Vitruvius, Pausanias et Seneca) *sudaverit, quae Alexandrum occidit, et Lyncestarum* (de his Livius lib. II. c. 103.) *inde defluxerit quae ebrios efficit, et Salmacis* (lege Vitruvium lib. II. Archi.) *inde se solverit, quae masculos molles facit. Coelestes imbres pipiavit Achamoth.* Ceterum Deum omnipotentem aquarum, ut et aliorum omnium conditorem esse passim explicant scripturae Genes. 1. Exod.
p. 55. 15. Iob. 26. Psal. 78. 103. 148. — *Priores*] Codices excusi *prioris,* sed mutavimus ex codice veteri et graec. lectione. Epiphanii interpres: *Non enim possibile erat ipsas deleri, velut illas priores, propterea quod in habitum iam cessissent et validae essent.*

p. 45. GRABIUS: *In umbrae et vanitatis locis defervisse*] In editt. Erasm. et Gallas. vitiosissime legitur, *in umbratae vanitatis locis deseruisse.* Feuard posuit, *in umbrae et vacuitatis locis deferbuisse;* indeque in notis: *Sic,* inquit, *ex veteri codice, graeca littera, et R. P. Frontonis iudicio lectionem restituimus.* Mallem distinctius eum dixisse, quid ex graeco et coniectura Frontonis Duc. quid vero ex veteri codice emendaverit. Codices Voss. et Merc. II. habent *in umbrae vacuitatis locis deseruisse,* perperam omissa particula *et:* ita quoque Arundel. nisi quod *umbra* pro *umbrae* ibi legatur. Et recte quidem se habet vox *vacuitatis,* male autem *deseruisse* sive potius *deservisse,* ut in textu excudi feci, (*v* enim ut *u* in MSS. exaratum reperiri notum est) male, inquam, scribae hoc substituerunt pro *defervisse,* quomodo interpretem verbum ἐκβεβράσθαι vertisse sum persuasns, accepto scilicet ἐκ in ἐκβράζομαι sensu negativo pro *fervescere desino.* Sed et haec germana versionis lectio sensui Valentinianorum prorsus est adversa: hi enim verbo ἐκβεβράσθαι vel simpliciter *eiectam* in loca umbrosa dicere voluerunt Enthymesin, sive *explosam,* ut Tertullianus reddidit; vel potius significarunt eam ibi *aestuasse,* iuxta illud Iuvenalis Satir. X. v. 169. *Aestuat infelix angusto limine mundi.* Contra, interpres dixit, eam *defervisse,* id est, refrigeratam esse. —
p. 46. *Διὰ τοῦ σταυροῦ ἐπεκταθέντα*] Non *crucem* simpliciter dictam hic accipe, sed cum Tertulliano intellige *Horon,* quem σταυρὸν cognominatum esse, ex superioribus constat. Ita enim ipse Irenaeus lib. III. cap. 20. *Is qui ab illis affigitur sursum Christus, superextensus Horo, id est, fini et formavit matrem eorum.* — *Τῇ ἰδίᾳ δυνάμει*] Hae voces non iungendae sunt participio ἐπεκταθέντα, ut hactenus in editionibus Irenaei et Epiphanii factum legitur, sed sequenti infinitivo μορφῶσαι, ut res ipsa docet, et Tertullianus confirmat, dum reddidit, *ut informet illud suis viribus.* — *Ἰαώ*] Hoc nomine Valentinianos summum Deum designasse exinde constat, quod Gnostici eorum patres, teste Epiphanio Haeres. XXVI. §. 10. summum principem in primo caelo vocarint τὸν Ἰαώ. Et ipse quidem Haeres. XI. Archontic. §. 5. inter varia Dei nomina cum interpretationibus, hoc paullo diversum tradere videtur dicens: *Τὸ Ἰαβέ, ὃς ἦν καὶ ἐστὶ καὶ ἀεὶ ὤν. Iabe, qui erat et est et semper exsistens,* scilicet erit. Sed ista fuit Samaritanorum pronuntiatio, uti certiores nos facit Theodoretus Quaest. 15. in Exod. de nomine Dei scribens: *Hoc apud Hebraeos dicitur inenarrabile. Prohibitum est enim eis hoc lingua*

pronuntiare. Scribitur autem quatuor litteris et propter id tetragrammaton appellant. Samaritani autem vocant illud Iabe, Iudaei vero Aia. Καλοῦσι δὲ αὐτὸ Σαμαρεῖται μὲν Ἰαβέ, Ἰουδαῖοι δὲ Ἀιά. (Quam ultimam vocem corruptam esse quilibet videt: neque enim iste sonus ullo modo ad quatuor divini nominis litteras quadrat.) Ceterum quae a Feuardentio in notis ad hunc locum adducta sunt testimonia Macrobii lib. I. Saturnal. cap. 18. et Diodori Siculi, non quidem lib. V. ut Feuard citavit, sed lib. I. part. 2. p. 84. edit. graeco-latinae, vulgaria sunt, adeo ut recitare ea non sit opus. Addo potius testimonium Sanchoniathonis Berytii sive veri sive ficti, de quo iam saeculo III. aerae Christ. Porphyrius in opere contra Christianos scripsit, quod historiam suam Abelbalo Berytiorum regi dedicaverit, ab illo pariter ac aliis veritatis disquisitoribus approbatam. *Horum porro tempora,* inquit, *priora sunt Troianis temporibus, proximeque accedunt ad Moseos tempora, sicut Phoeniciae regum successiones ostendunt.* Atqui de hoc Sanchoniathone Porphyrius loc. cit. ait: *Narrat de iudaicis rebus quae sunt verissima, quippe et locis et nominibus Iudaeorum maxime consentanea, acceptis ab Hierombalo, Dei Iao sacerdote, commentariis, εἰληφὼς τὰ ὑπομνήματα παρὰ Ἱερομβάλου τοῦ ἱερέως τοῦ Θεοῦ Ἰαώ,* uti legere est apud Theodoretum de curandis Graecorum affectionibus Serm. 2. de Principio pag. 493. Fateor diversam esse lectionem apud Euseb. lib. I. Praepar. evangel. cap. 9. pag. 31. *Ἰενὼ* pro *Ἰαώ.* Sed haec imperitiae scribarum procul dubio deputanda est. Plura forte de nomine *Ἰαὼ* suppeditaret, si superstes esset memoratus a Macrobio loc. cit. liber Cornelii Labeonis, licet ethnici scriptoris, cui titulus fuit: *De oraculo Apollinis;* siquidem in eo numinis nominisque istius interpretationem prolixe exsecutus est. Haec tamen sufficiunt ad probandum dictam vocem *Iao,* quam Horos Valentinianorum proclamasse fingebatur, ipsum summi Dei nomen esse. — *Ἐν ἀγνοίᾳ δὲ τὰ πάντα, καὶ οὐ καθάπερ*] Frustra haec sollicitat p. 48.
Billius, putans legendum, *ἀγνοοῦσα δὲ τὰ πάντα οὐ καθάπερ,* quia vetus interpres reddidit: *Ignorans autem omnia, non quemadmodum mater eius* etc. Verum decepit eum vitiosa Erasmi et Gallasii editio, quam et Feuardentius improvide secutus est, contra fidem MSS. codicum, in quibus antiqua versio exacte graeco respondet. Neque ullum est dubium, interpretem scripsisse vel *in ignorantia* vel *ignorantia autem omnia,* ita ut *ignorantia* sit neutrum plurale participii, eundem tunc fundens sensum. Sed quem? Respondeo breviter, Valentinianos docuisse, quod *omnia,* nempe tam tristitia quam timor et consternatio matris, *in ignorantia fuerint,* id est, cum ignorantia coniuncta. Ita quippe Irenaeus paullo post planissime: *Καὶ τὴν ἄγνοιαν τοῖς τρισὶ πάθεσιν ἐγκεκρύφθαι διδάσκουσι. Et ignorantiam omnibus tribus passionibus* (antedictis) *inabsconsam docent.* Tertullianus cap. 14. *Coepit affligi moerore-metu-consternatione, tum ignorantia. Nec ut mater eius* etc. Unde etiam patet, ab istis verbis: *Καὶ οὐ καθάπερ ἡ μήτηρ αὐτῆς,* novam periodum incipiendam esse, contra quam ex sententia Billii in omnibus Irenaei editionibus factum, ac idcirco particula *et* male omissa fuit. — *Ἐπὶ ἱκεσίαν τραπῆναι τοῦ* p. 52.
καταλιπόντος αὐτὴν φωτός, τουτέστι Χριστοῦ] Et Christum pro ea

intercessisse legimus in Clementis Alex. Excerptis ex orientali Valentinianorum Didascalia pag. 793. col. 1. *Χριστὸς γὰρ καταλείψας τὴν προβαλοῦσαν αὐτὸν Σοφίαν, εἰσελθὼν εἰς τὸ πλήρωμα, ὑπὲρ τῆς ἔξω καταλειφθείσης Σοφίας ἠτήσατο τὴν βοήθειαν· καὶ ἐξ εὐδοκίας τῶν Αἰώνων Ἰησοῦς προβάλλεται Παράκλητος τῷ παρελθόντι Αἰῶνι. Christus enim relinquens eam, a qua ortum acceperat, Sophiam,* (nam et ipse Valentinus Christum a matre foris facta productum dicebat, teste Irenaeo lib. I. c. 5. secus ac illi, quorum sententia supra describitur) *Pleroma ingressus, pro Sophia foris relicta auxilium poposcit. Unde ex beneplacito Aeonum Iesus transeunti,* sive pereunti, *Aeoni consolator mittitur.* Idem mox sequitur apud Irenaeum. — *Ὃς ἀνελθὼν μὲν εἰς τὸ πλήρωμα — ὤκνησεν* etc.] In modo dictis Clementis Excerptis Christus non ad descensum segnis, sed ab Aeonibus et Paracleto detentus fingitur pag. 794. col. 2. *Οὗτος δὲ καταλείψας τὴν μητέρα, ἀνελθὼν εἰς τὸ πλήρωμα, ἐκρατήθη, ὥσπερ τοῖς ὅλοις, οὕτω δὲ καὶ Παρακλήτῳ. Hic vero* (Christus) *relinquens matrem ac ad Pleroma reversus, ab omnibus Aeonibus pariter ac Paracleto detentus est.* Attamen Paracletus, nempe Iesus, loco Christi ad matrem missus mox dicitur. — *Παράκλητον δὲ ἐξέπεμψεν*] Clemens prius citatus p. 793. col. 1. *Τὸν παράκλητον οἱ ἀπὸ Οὐαλεντίνου τὸν Ἰησοῦν λέγουσιν, ὅτι πλήρης τῶν Αἰώνων ἐλήλυθεν, ὡς ἀπὸ τοῦ ὅλου προελθών. Iesu Valentiniani tribuunt nomen Paracleti, quoniam plenus Aeonum venit, utpote e toto* (Pleromate) *progressus.* — *Ἐνδόντος αὐτῷ πᾶσαν τὴν δύναμιν τοῦ πατρός* etc.] Idem dogma, immo eadem fere verba Valentinianorum ex orientali eorum Didascalia vel scriptis Theodoti excerpsit Clemens, apud quem pag. 796. col. 1. haec exstant: *Καὶ δόντος πᾶσαν τὴν ἐξουσίαν τοῦ πνεύματος* (lege potius ex Irenaeo *πατρός*, quae duae voces abbreviatae ab imperitis scribis facile confundi potuerunt) *συναινέσαντος δὲ καὶ τοῦ πληρώματος, ἐκπέμπεται ὁ τῆς βουλῆς ἄγγελος, καὶ γίνεται κεφαλὴ τῶν ὅλων μετὰ τὸν πατέρα· πάντα γὰρ ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη τὰ ὁρατὰ καὶ ἀόρατα, θρόνοι, κυριότητες, βασιλεῖαι, θεότητες, λειτουργίαι. Atque dante omnem potestatem Spiritu* (Patre), *comprobante quoque Pleromate, emittitur angelus consilii,* (ex Esaiae IX. v. 7. iuxta LXX. Interpret.) *et fit caput universorum post Patrem: omnia enim in ipso creata sunt, visibilia et invisibilia, throni, dominationes, regna, divinitates, ministeria* (angelorum).

p. 54. — *Θεότητες*] Haec vox nusquam pro peculiari caelestium Spirituum ordine accepta legitur, licet illi in genere Dii dicti sint. Unde hanc propriam haereticorum notionem fuisse animadvertit Theodoretus, addens pag. 200. *ὡς αὐτοὶ λέγουσιν, ut ipsi dicunt.* — *Τὴν δὲ Ἀχαμὼθ ἐντραπεῖσαν αὐτόν* etc.] Apud Clementem loco citato sequentia Valentinianorum huic loco consona leguntur: *Ἰδοῦσα δὲ αὐτὸν ἡ Σοφία, ὅμοιον τῷ καταλιπόντι αὐτὴν φωτὶ ἐγνώρισεν, καὶ ἠγαλλιάσατο καὶ προσεκύνησεν· τοὺς δὲ ἄρρενας ἀγγέλους τοὺς σὺν αὐτῷ ἐκπεμφθέντας θεασαμένη, κατηδέσθη, καὶ κάλυμμα ἐπέθετο. Διὰ τούτου τοῦ μυστηρίου ὁ Παῦλος κελεύει τὰς γυναῖκας φορεῖν ἐξουσίαν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς διὰ τοὺς ἀγγέλους. Videns igitur ipsum* (Iesum) *Sophia, similem* illum *ei, quod dereliquerat ipsam, lumini,*

cognovit et accurrit et exsultavit et adoravit; masculos autem angelos una cum illo emissos contemplata, reverita est et velamen sibi *imposuit. Propter quod mysterium Paulus mulieres iussit potestatem super caput ferre propter angelos.* (1 Corinth. XI. 10.) Iuxta haec itaque mater Achamoth non tam ipsum Servatorem, quam angelos eius venerata metuisse, seque obvelasse dicitur, occasione ex dicto apostoli loco accepta, qui hunc in finem et postea §. 16. adducitur, ubi vide notas. — *Κἀκεῖνον μορφῶσαι αὐτὴν μόρφωσιν τὴν κατὰ γνῶσιν* etc.] In memoriam revoca quod supra dictum est, *Superiorem Christum formasse formam, quae esset secundum substantiam tantum, sed non secundum agnitionem,* et melius percipies quod hic dicitur, Iesum ad vices Christi supplendas missum *formasse formam secundum agnitionem.* Neque solus Irenaeus, sed et Clemens loco citato istam Valentinianorum sententiam refert his verbis: *Εὐθὺς οὖν ὁ Σωτὴρ ἐπιφέρει αὐτὴν* (forte *αὐτῇ*) *μόρφωσιν τὴν κατάγνωσιν* (ex Irenaeo corrige sine scrupulo *κατὰ γνῶσιν*) *καὶ ἴασιν τῶν παθῶν, δείξας ἀπὸ πατρὸς ἀγεννήτου τὰ ἐν πληρώματι καὶ τὰ μέχρι αὐτῆς. Statim igitur Servator applicuit ei formam, quae est secundum cognitionem et medicinam passionum, ostendens a Patre ingenito, quae sunt in Pleromate et quae usque ad ipsam pertingunt.* Est enim inter Pleroma et VII caelos, supra quos mater Achamoth sedet veluti secunda *ogdoas,* magna intercapedo, quam Servator ipsi conspiciendam praebuisse fingitur. — *Χωρίσαντα δ' αὐτὰ αὐτῆς* etc.] Apud Clementem loco citato haec gemina habes: *Ἀποστήσας δὲ τὰ πάθη τῆς πεπονθυίας, αὐτὴν μὲν ἀπαθῆ κατεσκεύασεν, τὰ πάθη δὲ διακρίνας ἐφύλαξεν· καὶ οὐχ ὥσπερ τῆς ἔνδον διεφορήθη, ἀλλ' εἰς οὐσίαν ἤγαγεν αὐτά τε* (forte *ἅτε*) *καὶ τῆς δευτέρας διαθέσεως. Dissocians vero passiones ab ea, quae passa est, ipsam quidem expertem passionum constituit, passiones vero seorsim servavit: neque illas perinde ut eius, quae intra* Pleroma *est, dissipavit, sed in essentiam* (materiae scilicet, ex qua creaturae factae sunt) *deduxit, utpote quae posterioris essent dispositionis,* id est, quae ex dispositione in habitum cesserint. — *Ἀσώματον τὴν ὕλην*] *Ἀσώματον* in *ἐνσώματον* frustra mutat Billius, provocans ad Tertulliani ac veteris interpretis auctoritatem. Et ille quidem cap. 16. dixit *materiae corporalem paraturam;* vetus autem interpres omnino scripsit ex graeco *in incorporalem materiam,* ut in cod. Arundel. expresse legitur, licet editt. omnes habeant *corporalem.* Confirmant graecam lectionem Excerpta Clementis, quae loco citato ita sonant: *Πρῶτον οὖν ἐξ ἀσώματου πάθους καὶ συμβεβηκότος εἰς ἀσώματον ἐπὶ* (quae praepositio omnino delenda) *τὴν ὕλην αὐτὰ μετήντλησεν καὶ μετέβαλεν. Primum itaque ex incorporali eaque accedenti passione in incorporalem materiam ea transfudit atque commutavit.* Confirmant quoque immediate sequentia Irenaei dicentis, inditam fuisse eis aptitudinem, *ὥστε εἰς συγκρίματα καὶ σώματα ἐλθεῖν, ut in congregationes et corpora venirent,* uti vetus interpres reddidit. Et paullo post ait, Demiurgum hoc confusum chaos discernentem, *ex incorporalibus ἐξ ἀσωμάτων corporalia fecisse. Incorporalis* itaque fuit materia ista, *actu* scilicet, sed *potentia corporalis.* Neque de dicta lectione dubitabit, qui re-

spexerit fontem, ex quo Valentiniani hanc suam hypothesin derivarunt, doctrinam, inquam, Platonis, quem Origenes, in *φιλοσοφουμένοις* nondum editis, dicit tria statuisse principia, *Deum, materiam* et *ideam*; et de materia, ex mente eius, ita inter alia scribit: *Τὴν δὲ ὕλην δυνάμει μὲν σῶμα, ἐνεργείᾳ δὲ οὐδέπω·* (ecce *ἀσώματον ὕλην* Valentinianorum) *ἀσχημάτιστον γὰρ αὐτὴν οὖσαν καὶ ἄποιον, προσλαβοῦσαν σχήματα καὶ ποιότητας γενέσθαι σῶμα,* id est, *Materiam vero potentia quidem esse corpus, actu autem minime: sine figura enim et qualitate ipsam exsistentem, accepta inde utraque, corpus factam esse.* Similiter Diogenes Laertius lib. III. pag. 86. ex sententia Platonis ait: *Εἶναι δὲ τὴν ὕλην ἀσχημάτιστον καὶ ἄπειρον, ἐξ ἧς γίνεσθαι τὰ συγκρίματα* (ecce iterum Irenaei vocem, quae in hac ipsa periodo pag. seq. lin. 1. exstat). *Materiam figurarum expertem atque immensam fuisse, ex ea vero facta esse concreta,* sive composita *corpora.*

p. 44. MASSUETUS: *Σκιᾶς καὶ σκηνώματος τόποις*] Lege cum interprete *σκιᾶς;* et cum eodem ac Theodoreto et Tertulliano pro *σκηνώματος* repone *κενώματος.* Scribit enim Theodoretus lib. I. Haeret. Fab. cap. 7. pag. 199. Matrem Achamoth *ἐν σκιᾷ τινί, καὶ κενώματι διάγειν, in umbra quadam, et inani degere;* Tertullianus, *explosam in vacuum, atque inane illud Epicuri.* Quin et Irenaeus ipse paullo post, *καταλελεῖφθαι μόνην ἐν τῷ σκότει, καὶ κενώματι.* Vide et

p. 45. lib. II. cap. 8 et 14. — *In umbra vacuitatis locis defervisse*] Sic MSS. omnes, nisi quod Ottobon. Pass. Arund. Voss. et Merc. II. vitio scribarum habeant *deseruisse* vel *deservisse* pro *defervisse.* Feuardentius ex veteri codice, graeca littera et R. P. Frontonis indicio restituisse se dicit: *in umbrae et vacuitatis locis deferbuisse.* Sed incertum quid ex graeco et Frontonis Ducaei coniectura, quid vero ex veteri cod. restituerit. In editt. Erasm. et Gallas. vitiose omnino: *in umbratae vanitatis locis deseruisse:* nec multo melius in edit. Oxon. *in umbrae et vanitatis locis deservisse.* Nulli enim MSS. codd. habent *vanitatis;* omnes etiam omittunt particulam *et.* Nostram vero lectionem genuinam esse, demonstratur ex ipso Irenaeo, qui infra lib. II. cap. 8. n. 3. scribit: *falsus autem apparuit, et qui est de umbra cenomatis, id est, vacui, ipsorum sermo. Umbram cenomatis* seu *vacui* dicit, non *umbram et cenoma,* seu *vacuum;* minus adhuc *umbram et vanitatem.* Quod vero spectat ad verbum *fervisse,* non dubitat ipse Grabius quin *ἐκβεβρᾶσθαι* ita verterit interpres, quamvis hunc sequi noluerit. *Defervisse* autem accepit ille in latina lingua haud satis versatus interpres, non pro *fervescere desiisse,* ut accipiunt optimi quique auctores latini; sed pro *efferbuisse* seu *aestuasse.* Quum enim non nesciret simplex *βεβρᾶσθαι* significare *fervisse,* existimavit compositum *ἐκβεβρᾶσθαι* verti posse *defervisse;* perperam ratus particulam *ἐκ,* ut in aliis bene multis compositis verbis, ita et hic vertendam esse *de,* et *defervisse* idem apud Latinos valere ac *fervisse.*

p. 46. — *Διὰ τοῦ Σταυροῦ*] Theodoretus habet *διὰ τοῦ ὅρου καὶ σταυροῦ,* Tertullianus vero *educitur per Horon;* et Irenaeus lib. III. cap. 18. *superextensus Horo, id est, fini.* Quo concludas, *τοῦ σταυροῦ* hic non *Crucem* significare, sed Hori epitheton esse. — *Ἰαώ*] Ipsum

Dei nomen ineffabile tetragrammaton יהוה est, quod Graecos legisse Ἰαώ, res notior est, quam ut argumentis indigeat. — Ἐν ἀγνοίᾳ δὲ p. 48.
τὰ πάντα. Καὶ οὐ καθάπερ etc.] Sic lego, nec legendum censeo cum Billio, ἀγνοοῦσα δὲ τὰ πάντα, οὐ καθάπερ etc., quasi ita legerit vetus interpres. Virum eruditum deceperunt, ut scite observat Grabius, vitiosae Erasmi et Gallasii editiones, quas et imprudens secutus est Feuardentius, contra MSS. codicum fidem. Habent enim, *ignorans autem omnia, non quemadmodum mater eius* etc. Verum haec, ἐν ἀγνοίᾳ δὲ τὰ πάντα, ad praecedentia referenda sunt, λύπην nimirum, φόβον et ἀπορίαν, ut sit sensus, varias illas, quarum aestu iactata est Enthymesis, passiones, *omnes in ignorantia,* seu cum ignorantia coniunctas fuisse. Id ipsemet Irenaeus paullo inferius sic explicat: Καὶ τὴν ἄγνοιαν τοῖς πάθεσιν ἐγκεκρύφθαι διδάσκουσι, *et ignorantiam tribus passionibus* (supra dictis) *inabsconsam docent.* Quare novam periodum ab his verbis incipias: Καὶ οὐ καθάπερ etc. — Πᾶσαν] Καὶ πᾶσαν legi volunt Billius et Petavius, quasi vetus interpres ita legerit. At nulla editio, nullus etiam MS. codex hic particulam *et* ante *omnem* usquam exhibuit: sed nec exhibere debuit; πᾶσα siquidem ψυχὴ hic ad mundum et Demiurgum refertur, sensusque est. *a conversione omnem mundi, et Demiurgi animam genesin accepisse.* Sicque Tertullianus cap. 15. intellexit, expressitque: *Ex hac* (conversione) *omnis anima huius mundi dicitur constitisse, etiam ipsius Demiurgi.* Ceterum quae hic paullo obscurius, quia brevius, de mundi constitutione, ex Valentinianorum hypothesi, tradit Irenaeus, fusiori stilo prosequetur inferius. — *Eam collectionem*] Ea collectio, p. 49.
de qua hic Irenaeus, *passionum,* quibuscum conflictabatur Enthymesis, collectio est, *tristitiae* scilicet, *timoris, consternationis, conversionis* demum *ad eum qui vivificavit* ipsam, quas omnes *substantiam fuisse materiae,* seu a quibus materiae substantiam originem sumsisse dicebant Valentiniani, ut mox explicatur. Ἐκ τῶν δὲ παθῶν, inquit Theodoretus, τόνδε συστῆναι κόσμον φασίν. *Ex his affectionibus mundum hunc conditum dicunt.* — *Separata*] Vocem ἀνακεχωρηκότα p. 51.
melius cum Gallasio vertisset interpres, *abstrusa* vel *abdita, ab hominum notitia semota.* Hunc enim sensum interdum habet ea vox: hic certe habere debet. Apud Suidam ἀνακεχωρηκότα βιβλία dicuntur esse ἀντὶ ἀποκρύφων. — *Quae est ex passione Aeonis*] Verbum *est* in editt. omnibus omissum addidimus ex cod. Clarom. Iam apertus est sensus, *Enthymeseos, quae est ex passione Aeonis,* id est, quae ex passione Aeonis, *Sophiae* scilicet, nata est. Graeca tamen, τῆς Ἐνθυμήσεως τοῦ πεπονθότος Αἰῶνος, simplicius verti potuissent, *Enthymeseos passi Aeonis.* Sed idem est utrobique sensus. Hunc vero funditus evertit Gallasius dum vertit, ἀπὸ τῶν δακρύων τῆς Ἐνθυμήσεως τοῦ πεπονθότος Αἰῶνος, *a lacrimis Aeonis cogitatione perturbati;* quae a graecis et Irenaei mente procul aliena sunt. — Τὴν γένεσιν μὴ ἐσχηκέναι κτλ.] In Basileensi Epiphanii edit. et p. 52.
Gall. et Feuard. Irenaei editt. ut et in cod. Reg. deest δακρύων. Legitur duntaxat ἀπὸ τῶν αὐτῆς. Δακρύων vero addidit Petavius, ut puto, ex cod. Vat., sed graeca hoc loco mendosa esse monet Billius, legendumque censet γένεσιν ἐσχηκέναι ἀπὸ τῶν ἱδρώτων αὐτῆς.

Et quidem sic legisse veterem interpretem certum est. Sic etiam legisse videtur Nilus Asceta epist. 124. ad Carpionem Valentinianum, lib. I. edit. Allat. Quum enim catholicorum quispiam a Carpione quaesisset an aquae omnes, tam dulces quam salsae, a lacrimis Achamothae originem haberent, et hic responsionem cunctaretur; iisdem salibus et tantum non iisdem verbis, quibus Valentinianos Irenaeus, vesanum hominem perfricat Nilus: *Ἐχρῆν σε ἀπαντῆσαι λέγοντα, ὅτι τὰ μὲν πικρᾶ τῆς ἀνυπάρκτου Ἀχαμὼθ δάκρυα τὰς ἁλμυρὰς θαλάσσας ὑπέστησεν, ὡς ἐξ ὀδύνης καὶ δριμυνγμοῦ ἱκανοῦ προχυθέντα. Ὁ δὲ ἱδρὼς τῆς ταλαιπώρου γυναικὸς πηγὰς ἐξηρεύξατο, καὶ ποταμοὺς καὶ φρέατα, λίμνας τε, καὶ τὰ ἐξῆς γλυκέα· ταῦτα πρὸς τὸν σὸν λῆρον γελοιωδῶς λέγομεν. Respondendum tibi erat, amaras Achamothae, quae revera nulla est, lacrimas salsa maria progenerasse, utpote quae ex dolore et magna acerbitate effusae essent; sed ex sudore misellae illius mulieris fontes et fluvios et puteos et lacus et reliquas dulces aquas prorupisse. Haec ad tuas ineptias non sine risu dicimus.* Haec momenta persuadent cum Billio legendum esse *γένεσιν ἐσχηκέναι ἀπὸ τῶν ἱδρώτων αὐτῆς*. Graeca quidem, ut nunc sunt, perfectum fundunt sensum, sed praesenti argumento non aeque conveniens, nec praecedentibus adeo cohaerens. — *Καὶ τῶν Αἰώνων δεόμενος*] Lege cum Billio et Petavio *καὶ τῶν Αἰώνων δὲ ὁμοίως;* sic enim vetus interpres: *et Aeonibus autem similiter,* scilicet virtutem omnem Iesu tradentibus. Haec autem verba, inquit optime Grabius, minus recte Tertullianus ita accepit, quasi Iesu Paracleto suprema potestas omnium, *etiam Aeonum,* non autem *ab Aeonibus* data fuerit; unde cap. 16. reddidit: *largito ei Patre universorum Aeonum summam potestatem, subiiciendis eis omnibus, ut in ipso* etc. Ubi tamen legi mallem, *subiiciendis ei omnibus* etc. —
p. 54. *Θεότητες*] Hanc vocem apostoli verbis addidere Valentiniani. Id satis significat Theodoretus, subiungens, *ὡς αὐτοὶ λέγουσιν, ut ipsi dicunt:* quibus ostendit a solis istis haereticis sic lecta fuisse Pauli verba. Porro *Θεοτήτων* nomine intelligebant tum Demiurgum ipsum, tum angelos et archangelos inferioris ogdoadis, quos quum ad imaginem superiorum Aeonum factos esse vellent, ut infra explicat Irenaeus, et veluti secundarios quosdam Aeonas, illis ei deitatem affingebant. — *Ἀσώματον τὴν ἄλλην*] Legendum vult Billius *ἐνσώματον,* ex veteri, inquit, interp. et Tertulliano. Hunc quidem ita legisse facile concesserim; scribit enim *in materiae corporalem paraturam.* At non ita vetus interpres. Billium deceperunt edita, in quibus habetur, *in corporalem materiam.* Sed restituendum ex melioris notae codd. MSS. *in incorporalem materiam,* ut in notis ad text. lat. diximus. Graecam lectionem confirmant Excerpta Clementis ex or. Did. pag. 796. *Πρῶτον οὖν ἐξ ἀσωμάτου πάθους καὶ συμβεβηκότος εἰς ἀσώματον ἐπὶ* (delenda omnino haec propositio) *τὴν ὕλην αὐτὰ μετήντλησε καὶ μετέβαλεν. Primum itaque ex incorporali, et accidenti passione in incorporalem materiam ea transfudit, atque commutavit.* Confirmat ipse Irenaeus scribens paullo post, Demiurgum, quum separasset duas substantias confusas, ex incorporalibus, *ἐξ ἀσωμάτων,* corporalia fecisse. Nec mirum materiam a Valentinianis dictam fuisse incorpora-

lem: id a Platonicis acceperant, quorum frequens haec erat assertio. Plotinus Ennead. III. lib. VI. c. 7. de ὕλῃ agens, ait, ἔστι μὲν οὖν ἀσώματος, *est igitur incorporea.* Et mox: τοῦ ὀνόματος τετύχηκε τοῦ αὐτοῦ κατὰ τὸ ἀσώματον, *hanc ipsam appellationem secundum incorporeum genus sortita est.* Rationem hanc affert, ἐπείπερ τὸ σῶμα ὕστερον καὶ σύνθετον, καὶ αὐτὴ (ἡ ὕλη) μετ' ἄλλου ποιεῖ σῶμα, *quoniam corpus materia posterius est, atque compositum, et ipsa una cum alio corpus efficit.* Nimirum quum materiam priorem natura et simpliciorem vellent esse, quam ipsum corpus, nec corpus fieri nisi per advenientem formam, qua compleatur; eam a corpore distinguebant, ut partem a toto, incorporeamque dicebant. Uno verbo incorporea est materia, secundum Platonicos, quia suapte natura et secundum se spectata, ἄποιός ἐστι, *qualitatum corporearum expers est,* ut vocat idem Plotinus Ennead. II. lib. IV. cap. 8. Unde concludit, καὶ ὅτι μὲν μὴ σῶμα εἴπερ ἄποιος, δῆλον, *quod si materia qualitatis expers est, corpus non esse patet.* Corpus enim in certa quadam qualitatum congerie consistit, ac proinde σύνθετον, *compositum est;* materia vero ἁπλοῦν καὶ ἕν τι τῇ αὐτῆς φύσει· οὕτω γὰρ πάντων ἔρημος, *simplex est et unum quid suapte natura: sic enim omnium vacua,* quamvis tamen omnium capax. Hinc Plato in Timaeo materiam vocat ἄμορφον καθ' αὑτάν, καὶ ἀσχημάτιστον, δεχομέναν δὲ πᾶσαν μορφάν, *ab omni forma et figura per se immunem et liberam, quaslibet tamen formas recipientem.* Id ipsum est quod ex Valentinianorum hypothesi scribit Irenaeus, Enthymeseos passiones *in incorporalem materiam* translatas, *aptabilitatem et naturam* sortitas fuisse, *ut in concretiones et corpora venirent.* Ex quo enim supponitur ea materia ἀσώματος et ἄποιος, eo ipso ostenditur formarum omnium corporearum capax. — *Γεγονότων*] Sic cod. Reg. et Basileensis Epi- p. 56.
phanii editio, cum Gall. et Feuard. Irenaei editt. Unde mirum, a Petavio et Grabio scriptum γεγονότως, quod longe peius est quam γεγονότων. Neutrum quidem bonum est, sed legendum esset cum vet. interpr. γεγονός. At donec suffragentur MSS. codd. legere praestat γεγονότων. — *Concepisse de gratulatione*] Sic recte Grabius edidit p. 57.
ex editt. Erasm. et Gall. nec non ex MSS. Arund. Voss. et Merc. II. concinit et Clarom. In edit. vero Feuard. male inserta particula *et* ante *de,* quae sensum omnino turbat. Ceterum graeca haud feliciter reddidit interpres, nec mirum, quum Billius ipse, vir graece doctus, fateatur se diutius hic haesisse. Quum enim id primum existimaret, συλλαβεῖν hoc loco idem esse quod *concipere,* non videbat quaenam esset haec *contemplationis angelorum conceptio:* quum maxime Achamoth aliquanto inferius *non contemplationem peperisse,* sed κατὰ τὴν εἰκόνων θεωρίαν fetum edidisse scribatur. Accedebat quod si hic συλλαβεῖν idem esset, quod *concipere,* conceptio congressum antecederet; id quod vel cogitare absurdum est. Sed demum deprehendit vir eruditus, hoc loco συλλαβεῖν τὴν θεωρίαν, nihil aliud significare, quam θεωρεῖν, *videre, contemplari, visu assequi* seu *percipere;* quod verissimum est. Quare interpreti vertendum erat: *Hanc autem Achamoth a perturbatione liberam, prae gaudio* (et non barbare, *de gratulatione*) *lumina ea, quae cum ipso erant, hoc est angelos, quos ipse*

comites habebat, contemplatam seu *visu apprehendentem* etc. — *Quae cum eo sunt*] Sic partim ex graeco, partim ex codd. Clarom. et Arund. restituimus, pro *quaecunque sunt luminum*, ut perperam exstat in omnibus aliis cum MSS. tum editis. In graeco siquidem legendum esse *σὺν αὐτῷ*, ex Billio diximus. In codd. vero Clarom. et Arund. habetur *quae cum sunt*, voce *eo* procul dubio per incuriam scribae omissa. Quare hanc ex graeco supplere non dubitavimus, id exigente sensu. — *Delectatam in conspectu eorum*] Codd. Clarom. Pass. et Voss. pro *conspectu* habent *conceptu*. Sed prior lectio praeferenda videtur. Id enim sibi vult Irenaeus, Achamotham libidinose aspicientem angelos concepisse, *ἐγκισσήσασαν αὐτούς*: quod vertit interpres *delectatam in conspectu eorum;* modeste quamvis non satis *ἐνεργῶς*, nam paullo maior vis verbi *ἐγκισσάω*. Tertullianus cap. 17. *Prae gaudio enim tanti ex infelicitate successus concalefacta, simulque contemplatione ipsa angelicorum luminum, ut ita dixerim, subfermentata, pudet, sed aliter exprimere non est, quodammodo subavit intra se ipsa in illos. Et conceptu statim intumuit spiritali .... Peperit denique. — Secundum illius imaginem*] Vel dele vocem *illius*, cui nihil prorsus in graeco respondet; vel eius loco scribe *illorum*. *Ad imaginem ipsam* dixit Tertullianus.

CAP. V.

p. 59. BILLIUS: *Ac nihil eiusmodi sentiens*] Haec verba addo ex Tertull. perspicuitatis causa. Illic tamen pro *a quo*, reponendum *a qua*. — *Hoc est hylicorum*] Apud Tertull. pro *materiam* legendum *materialium*. Ex ipso procreatos: *τούτου* lego ex veteri interp. et Ter-
p. 61. tull. — *Spirituales*] *Νοητούς*, id est, qui intelligentia tantum comprehenduntur, non autem in aspectum cadunt. Delenda porro hic in graeco est particula negativa, ut apparet ex vet. interpr. et Tertull., qui tamen *νοεροὶς* legit, non *νοητούς*. Quod mihi magis placet. —
p. 62. *Huiusce opinionis*] *Οἰήσεως* enim habet Epiphanii codex. Tamen *ποιήσεως* legit vet. interpr. Vertit enim *operationis*. Prior tamen
p. 64. lectio magis convenire videtur cum his quae antecedunt. — *Quia imbecillior*] Graece *ἀτονώτερον αὐτὸν ὑπάρχοντα*, vet. interpr. *ἀνώτερον αὐτὸν ὑπάρχοντα προγινώσκειν*. Ita enim habet, superiorem ipsum exsistentem praescire. Sed haec lectio parum congruit cum
p. 66. auctoris sensu. — *Metus motionem*] Delenda videntur haec verba in graeco *τῶν δακρύων*. Nec ea agnoscit vetus interpr. — *Insitum esse*] Legendum *ἐμπεφυκέναι*, non *ἐκπεφυκέναι*. Ridet autem hoc loco Tertull. Valentinianos, qui unde ignis exstiterit, minime prodant. Itaqué ait, credibile esse Achamoth in tantis vexationibus febricitasse,
p. 69. ex eoque aestu ignem prodiisse. — *Atque hunc esse*] Graeca ex vet. interpr. ita corrigenda sunt: *καὶ τοῦτον εἶναι τὸν ἐν αὐτοῖς ἄνθρωπον ἀξιοῦσιν*. — *Corpus a terra, carnem a materia*] Haec duo pro uno accipienda sunt. Nam quum paullo post tria genera inducit, hylicum duo haec complectitur.

p. 57. et 59. FRONTO DUCAEUS: *Sed spiritale quidem*] Graec. legendum est *μὴ δεδυνῆσθαι αὐτὴν μορφῶσαι*, non potuisse eam formare. Tert. c. 18. *Sed spiritale quidem non ita potuit attingere*. Hellenismus

porro est, *eiusdem substantiae ei erat, ὁμοούσιον ἦν αὐτ.* Tert. *consubstantiva* dixit. Illud: *quas dextras vocant,* vertendum est e graeco: *quae dextra vocant,* et *quae sinistra dicunt:* nisi intelligas substantias animales, ut loquitur Tert. *quas ad dexteram commendant,* et *ad laevam delegant.* Apud Theod. mendum est: *qui eandem cum ipso habent animam* pro *habent substantiam.* — *Et ipsam quidem* p. 59. *in imagine*] Gr. *ἐν εἰκόνι.* Pamelius in c. 19. Tertull. *εἰκόνα* legi vult, et latine pro *in imagine, imaginem invisibilis Patris conservasse,* corrigendumque utrumque exemplar, quod sequatur, *hunc autem unigeniti Filii,* (sic enim legendum est) *τοῦτον δὲ τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ,* supple *εἰκόνα, imaginem,* non *in imagine.* Ait enim Irenaeus, Salvatorem fecisse Achamoth imaginem Patris, et eundem Salvatorem fecisse hunc Demiurgum imaginem Nu, Unigeniti seu Monogenis filii Propatoris; Demiurgum vero fecisse angelos et archangelos, qui sunt imagines reliquorum Aeonum. Indicat hoc Tertull. *Qui* (Soter) *per illam sit operatus, ut ipsam quidem imaginem Patris invisibilis et incogniti daret.* Idem constare addit ex Iren. lib. II. cap. 5. ubi haec refutat. — *Haec autem Demiurgum*] Haec manca et obscura sic re- p. 63. stituenda sunt. *Haec autem Demiurgum dicunt a semetipso quidem et putasse fabricasse, fecisse autem ea Achamoth producente.* Paullo post in graec. legendum est, *ἠγνοηκέναι αὐτὸν τὰς ἰδέας:* vertit enim vet. *ignorasse eum figuras.* — *De timore autem*] Graec. *omnem ani-* p. 65. *malem substantiam, ut brutorum animalium et ferarum et hominum.* — *Et propter hoc superiorem*] *Ἀνώτερον αὐτὸν ὑπάρχοντα προγινώσκειν* legit pro *ἀτονώτερον* etc. minus recte, ut Bill. monet: melius enim convenit sensui auctoris: *ut propter hoc imbecilliorem eum exsistentem ad sciendum quae sunt spiritalia, se putasse solum Deum.* Ideoque videndum an apud Tertull. cap. 21. commodius legi possit: *Adeo rerum non erat compos, de animali scilicet censu, invalidus spiritalia accedere, ut, se solum ratus, concionaretur: Ego Deus, et absque me non est;* qui locus est Isaiae 45. v. 6. sic c. 19. *animali censui inscriptas,* idem Tertull. dixit. — *Sed Demiurgum quidem*] Delendum est alterum vocabulum *Filium.* Itaque legendum *psychicum, filium matris suae dicunt;* et ita Billio. In graeco tamen est *τῆς μητρὸς αὐτῶν,* unde Cornarius, *matris ipsorum,* non *αὐτοῦ,* ut in margine scripsimus. Sequitur autem: *Habitare autem matrem quidem ipsorum in eo, qui sit caelestis locus:* ubi graece *ὑπερουράνιος, supercaelestis.* Rursus pro eo quod sequitur, *in eo, qui sit in caelo, locus;* graec. *ὑπουράνιον* pro *ὑπερουράνιον* legit Bill. *in eo, qui sit sub caelo, locus.* Videndum tamen num editam lectionem tueatur quod sequitur, *hoc est, hebdomade,* qua voce septem caeli designari videntur. Tertull. c. 23. *subest enim Demiurgus in hebdomade sua, magis diabolus in isto nobiscum communi mundo;* hoc est, ut exponit Pamelius, magis diabolus subest in nostro mundo, qui caelis subest. *Septem quoque caelos fecisse, super quos Demiurgum ipsi dicunt, et propter hoc hebdomadam vocant eum.* Et lib. II. cap. 55. *S. Paulo reliquum fuisse quartum caelum, ut appropinquaret Demiurgo.* Quod si quaeras quid opponatur *τῷ ὑπερουρανίῳ,* sequitur locus Cosmocratoris, sive ut Tertull. Mundi-tenentis, *in eo qui secundum nos*

mundo. Itaque perperam mutavit locum Tertull. Pamelius c. 31. *Et Demiurgus tunc de hebdomade subcaelesti in superiora mutabit:* recte legebatur antea, *de hebdomade caelesti.* Lege igitur, me auctore, hic, *εἰς τὸν οὐράνιον, τουτ' ἔστιν ἐν τῇ ἑβδομάδι.* Est et apud eundem Tertull, locus c. 23. corrigendus ex iis quae hunc sequuntur, *ex Sophiae utilissimis casibus,* melius forte, *vilissimis casibus*; Iren. *de vesaniori materia, ἐκ τοῦ ἀσημοτέρου;* Bill. *velut ex ignobili stirpe.*

p. 69. — *Angelorum qui sunt erga*] Non dubium quin error sit librarii, pro *circa Salvatorem, περὶ τὸν σωτῆρα,* ut alibi eodem hoc capit. *iis qui circa Salvatorem sunt angelis.* Tertull. satellites eius appellat; Iren. *δορυφόρους.* — *Eiusdem substantiae matris suae spiritalis*] Scribe *matri suae spiritalem, ὁμοούσιον τῇ μητρὶ πνευματικόν;* saltem ita solet interpres noster vertere similia verba, ut paullo ante *οὐχ ὁμοούσιον τῷ θεῷ, non eiusdem substantiae esse Deo.* — *Perfectae rationis*] Legit interpres *τοῦ τελείου λόγου,* sed erravit, dum vertit, perfectae rationis, si quidem illi potius, quam Tertulliano assentiendum non est, c. 25. advers. Valent. *Idoneum inveniretur suscipiendo quandoque sermoni perfecto.* Unde et ex aliis eiusmodi colligere quis posset, auctorem huius latinae editionis non esse Irenaeum. Billius certe, etsi eum in emendatione graeci codicis sequitur, non tamen in interpretatione.

p. 61. FEUARDENTIUS: *Hunc autem unigeniti filii*] Sic restituimus ex codic. vet. et lect. graec. delevimus vero: *Hanc autem unigenitum.* Epiphanii interpr. *Illum vero in imagine unigeniti filii. Archangelos autem et angelos ab his factos, in imagine reliquorum saeculorum.* — *Devergentium*] *Demergentium* prius erat; sed cod. vet. et lect. graec. *κατωφερῶν,* cum Tertull. immutare fecerunt. Epiphanii interpres: *et eorum quae sursum feruntur, et eorum quae deorsum subsidunt.* — *Septem autem caelos* etc.] Ex Tertull. Epiphan. et cod. vet. quaedam restituimus. Verba Tertull. sunt: *Caelos autem noeros,* (id est *intellectuales*) *deputant et interdum angelos faciunt, sicut et ipsum Demiurgum, sicut et Paradisum archangelum quartum:* (*archangeli* IV. habebant codd. ex.) *quoniam et hunc supra caelum tertium pangunt, ex cuius virtute sumserit Adam, diversatus illic inter nubeculas et arbusculas.* Porro Paradisum visibilem negare, haeresin Seleucianorum et Hermianorum esse August. lib. de haeres. asserit; et Origenem in Ancorato reprehendit Epiphanius, quod in terris esse negasset. Placuit mihi valde Beat. Theophil. Antiocheni de eodem sententia lib. secundo ad Autolycum. *Condito homini,* ait, *Deus elegit regionem in locis orientalibus amoenitate eximiam, lumine coruscantem et splendido aëre illustrem, plantis variis fecundam; et in hanc collocavit hominem* etc. Et Hieronymus in Danielem iubet eorum deliramenta conticescere, qui flumina et arbores, et Paradisum putant allegoriae legibus subruere; Philonem, opinor, perstringens. Augustinus longe lateque Genesin explicans, nunquam illius situm aut locum indicare voluit: quia ubi sit, ad quaestiones, quae sunt praeter fidem, pertinere

p. 63. iudicat. lib. II. contra Pelag. et Caelest. cap. 23. — *Eam*] Delevimus *eum,* auctoritate vet. cod. et lect. graecae. Epiphanii vetus interpr.: *Habere vero ipsam medietatis locum, et esse quidem supra opificem,*

infra vero, aut extra complementum, usque ad consummationem. — *Cosmocratorem* etc.] Christus quidem diabolum vocavit *τὸν ἄρχοντα τοῦ κόσμου*, Ioan. 12 et 14 et Paulus, *θεὸν τοῦ αἰῶνος τούτου*, 2. Corinth. 4. immo et *κοσμοκράτορα τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου*, Ephes. 6. Sed ut illius impotentem tyrannidem, quam in impios exercet, et superbiam, qua adversus Deum erigitur indicarent. Isti vero tam augusto epitheto illum exornabant honoris gratia; quia huic inferiori mundo illum praeesse, Demiurgoque sapientiorem asserebant. Hinc scite illos vellicat Tertull. *Diabolum opus Demiurgi affirmant et Mundi-tenentem appellant; et superiorum magis gnarum defendunt natura, ut spiritalem, quam Demiurgum, ut animalem. Meretur ab illis praelationem, cui omnes haereses procurantur.* Sed de daemonum et haereticorum *κοινωνίᾳ* inferius dicetur. — *Quum fabricasset*] Tertullianus suo more isthaec sic effert: *Quum talia de Deo vel de deis, qualia de homine figmenta? Molitus enim mundum Demiurgus ad hominem manus confert, et substantiam ei capit non ex ista, inquiunt, arida sed ex invisibili corpore materiae illius, scilicet philosophicae, de fluxili et fusili eius; quod unde fuerit, haud queo aestimare, quia nusquam est etc.* — *Dermatinam tunicam*] Quum graece sit *δερμάτιναν* et Tertullianus vertat *pelliceam tunicam*, de qua Moyses scripsit: *Fecit Dominus Adae et uxori eius tunicas pelliceas, et induit eos* Genes. 3, 21. nihil dubitavimus ita locum restituere, explosis Erasmi, Rhenani, et quorundam aliorum variis coniecturis. Delirium porro horum Gnosticorum est, hanc tunicam esse carnem humanam, quum non sine sensili carne et pelle homo initio conditus fuerit, ut docet Tertullianus lib. de Resur. carnis; Hieronymus quoque Ioannem Ierosolymitanum coarguat, quod per illas tunicas pelliceas humana corpora intellexerit. Sed quia festive magis quam graviter a vulgo circumfertur; Deum inde primum fuisse pellionem: unde pelles illae quibus protoparentum velata fuit nuditas, desumtae fuerint, vide si lubeat, quaest. 49. Iust. mart ad orthod. et Method. Tyri, apud Epiph. lib. II. contra haereses. Quid vero significaverint, tractat Aug. in Psal. 103. — *Matri suae, spiritalem*] Sic docet legendum R. P. Fronto, pro *matris suae spiritalis*, quod est in aliis excusis codicibus.

GRABIUS: *Δεξιὰ καλοῦσι — ἀριστερὰ καλοῦσι*] Ita saepius in sequentibus Valentiniani. Sed et Marcionita apud Origenem (vel Maximum) in Dialogo pag. 37. *Τοῦ ἀγαθοῦ ἡ ποιότης καὶ ἡ ἐνέργεια, φῶς, ἀγαθόν, δεξιόν* etc. *Τοῦ δὲ κακοῦ ἡ ποιότης καὶ ἐνέργεια σκότος, πονηρόν, ἀριστερόν* etc. *Boni qualitas et efficacia est lux, bonum, dexterum. Mali vero operatio tenebrae, pravum, sinistrum* etc. — *Τὰ κατ' αὐτόν*] Irenaeum scripsisse coniicio: *τὰ κάτω αὐτὸν φάσκουσι μεμόρφωκέναι.* — *Ἐν εἰκόνι* etc.] Pamelius in cap. 19. Tertulliani adversus Valentinianos hic *εἰκόνα* legi vult et latine pro *in imagine* poni *imaginem*, quod sequatur: *hunc autem unigeniti filii, τοῦτον δὲ τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ*, supple *εἰκόνα imaginem*, non *in imagine*. Ait enim Irenaeus a Salvatore matrem Achamoth factam imaginem Patris; Demiurgum vero imaginem unigeniti, filii Propatoris; angelos denique et archangelos imagines reliquorum Aeonum. Atque ita etiam Tertullianus loco citato: *Qui* (Soter) *per illam* (Achamotham)

p. 65. p. 67. p. 69 p. 58.

sit operatus, ut ipsam quidem imaginem Patris invisibilis et incogniti daret, incognitam scilicet et invisibilem Demiurgo, eundem autem Demiurgum Νοῦν filium effingeret, archangeli vero, Demiurgi opus, reliquos Aeonas exprimerent. Haec ex Pamelio in Tertull. Fronto Duc. ad hunc locum notavit, nulla ἐπικρίσει addita. Ego istis quidem quoad sensum verborum Irenaei subscribo, utpote quem ipse ita declarat lib. II. cap. 6., ubi has Valentinianorum naenias refutat; correctionem autem textus, quae Pamelio placuit, non admitto, quia latina cum graecis, ipso quoque fatente, hic consonant tam in editt. omnibus quam in MSS. Arund. et Voss. (nisi quod Merc. II. habeant *imaginem.*) Neque mirum si constructio verborum sit aliquatenus anomala; ipse enim auctor noster in Praefatione hac de re se satis
p. 60. excusavit. — Ἀρχαγγέλους] Similiter orientalis Valentinianorum Didascalia apud Clementem pag. 796. col. 2. τοὺς ἀρχαγγέλους dicit τῶν αἰώνων εἰκόνας. Sed quoad reliquas imagines omnino differt. — Οὐκ εἶναι νοητούς] *Noητοὺς intellectuales,* id est, qui intelligentia tantum comprehenduntur, non autem in adspectum cadunt. Delenda porro hic in graeco est particula negativa, ut apparet ex veteri interprete et Tertulliano, qui tamen νοεροὺς legit, non νοητούς, quod mihi magis placet. Bill. cui quoad particulam negativam delendam assentior, quum οἵς, *quos,* uti vetus interpres legit, facile in οὐκ mutari potuerit; ast quantum ad νοερούς, concedo quidem hanc lectionem quoque haud incommodam fore; attamen ab Irenaeo ita scriptum, vel Tertulliano sic lectum esse nego; et in hoc potius *noëtos,* ut editio Lugdunensis habet, pro *noëros* reponerem, quam νοητοὺς Irenaei in νοεροὺς violenter mutarem. — Ἀγγέλους] Hunc locum respexit Andreas Caesariensis in Comment. in Apocalypsin cap. 2. scribens: Ἕπτὰ οὐρανοὺς καὶ ἑπτὰ ἀγγέλους τῶν λοιπῶν προὔχοντας θεόθεν δεδημιουργῆσθαι, ὁ μέγας Εἰρηναῖος γεγράφηκεν. *Septem caelos totidemque angelos ceteris excellentiores a Deo conditos esse magnus scripsit Irenaeus.* Neque enim alibi in his quinque libris septem angelorum et caelorum facit mentionem; unde hanc Valentinianorum sententiam ab Irenaeo relatam, velut ipsius assertionem in bono accepit sensu. Neve suspiceris, Andream alium forsan Irenaei librum citasse, sequentem in Andrea verte paginam et in cap. 3. iterum invenies eum scribentem de ἑπτὰ οὐρανοῖς εἰρημένοις Εἰρηναίῳ καὶ Ἐπιφανίῳ; quo ipso omne dubium tollitur, quia Epiphanius
p. 62. nil aliud Irenaei praeter nostra habet. — Ὡιῆσθαι κατασκευάζειν] Omissa hic videtur vox una vel altera. Nam in latino legitur: *Putasse in totum fabricasse.* Ceterum Clemens in Excerptis pag. 796. col. 2. haec gemina habet: Οὐκ ἐγίνωσκεν τὴν δι' αὐτοῦ ἐνεργοῦσαν, οἰόμενος ἰδίᾳ δυνάμει δημιουργεῖν, φιλεργὸς ὢν φύσει. *Non cognovit eam, quae per ipsum operabatur* (matrem), *putans se propria virtute res condere, quod natura operosus esset.* — Καὶ Κύριον ἀρσενικῶς] Hinc Tertullianus cap. 21., ubi eadem matris Achamoth nomina ex Irenaeo recensuerat, ad ultimum illud *Domini in masculino genere* alludens, festive addit: *Ita omnem illi honorem contulerunt feminae, puto et barbam, ne dixerim cetera.* — Μέχρι συντελείας] Nam *quum universum semen perfectum fuerit, Achamoth quidem ma-*

trem ipsosum transire (transituram) *de medietatis loco dicunt et intra Pleroma introire*, ut infra §. 12. docetur. — Ἐκ δὲ τοῦ φόβου] p. 64. Similiter saepe citata Clementis Excerpta pag. 796. col. 2. habent: ἐκ τοῦ φόβου τὰ θηρία. — Ἐκ δὲ τῆς λύπης] Male in Epiphanii editione Parisiensi legitur λοιπῆς, unde et vitiosa versio ibi nata. Recte vero apud Clementem loco citato: *Καὶ ποιεῖ ἐκ τῶν ὑλικῶν, τὸ μὲν ἐκ λύπης οὐσιώδες, κτίζων πνευματικὰ τῆς πονηρίας, πρὸς ἃ ἡ πάλη ἡμῖν. Et condidit ex materialibus, ex tristitia quidem substantiale, creans spiritualia nequitiae, cum quibus nobis est lucta.* — Ὑπερουράνιον, τουτέστιν ἐν τῇ ἑβδομάδι] Ὑπουράνιον legendum esse, ut opponatur τῷ ὑπερουρανίῳ, in quo mater Achamoth sedem habet, notavit Billius. Recte vero obiecit Fronto Ducaeus, istam correctionem non modo his ipsis verbis repugnare, quibus in hebdomade VII caelorum Demiurgus habitare dicitur, sed et praecedenti §. 9., ubi legimus, *Achamoth septem caelos fecisse, super quos* (ὧν ἐπάνω) *Demiurgum esse dicunt.* Quomodo ergo hic *ὑπουράνιος, subcoelestis*, locus ei assignaretur? Verumtamen quum haud sufficienter Fronto solvere posset quaestionem, qua ratione *ὑπερουράνιος* locus Demiurgi *ὑπερουρανίῳ* Achamothae opponeretur, ipse *οὐράνιον* legere amavit, motus auctoritate veteris interpretationis, *in eo, qui sit in caelo locus*, et Tertulliani cap. 31. ubi in Pamelii editione quidem exstat: *Et Demiurgus tunc de hebdomade subcaelesti in superiora mutabit*; antea autem lectum ait: *de hebdomade caelesti.* Ego tam veterem interpretem, quam recentiores commentatores vocem *ὑπερουράνιος* frustra subterfugisse puto; quippe supracaelestis locus Demiurgi supracaelesti stationi matris Achamoth in eo opponitur, quod haec sit *ἐν μεσότητι*, ut Irenaeus expresse addit, *in medio*, inter supremum scilicet Pleroma et septem caelos; ille vero inferius subsidat *ἐν ἑβδομάδι, in septenario*, ita ut septimo caelo quasi incumbat matremque supra se suspiciat. Hinc Tertullianus cap. 23. *In summis summitatibus praesidet tricenarius, Pleroma, Horo signante lineam. Inferius illam metatur medietatem Achamoth, filium calcans: subest enim Demiurgus in hebdomade sua.* Lege quoque lib. II. Irenaei cap. 55. et haec quae dixi approbabis. — Τὸ δὲ πῦρ ἅπασιν αὐ- p. 66. τοῖς ἐκπεφυκέναι etc.] Emendationem Billii confirmant ista, quae his Irenaei consona legimus apud Clementem loco saepe citato: Ἐν δὲ τοῖς τρισὶ στοιχείοις τὸ πῦρ ἐναιωρεῖται καὶ ἐνέσπαρται καὶ ἐμφωλεύει, καὶ ὑπὸ τούτων ἐξάπτεται, καὶ τούτοις ἀποθνήσκει. *In istis tribus elementis* (aëre, aqua et terra) *ignis quasi suspensus et insitus latet, atque ab illis excutitur et una cum illis interit.* — Πεποιηκέναι καὶ τὸν ἄνθρωπον etc.] Quae Irenaeus hac et sequenti periodo refert Valentinianorum deliria, eadem et Clemens ex orientali illorum Didascalia excerpsit, exacte consona pag. 797. col. 1. Λαβὼν οὖν ἀπὸ τῆς γῆς, οὐ τῆς ξηρᾶς, ἀλλὰ τῆς πολυμεροῦς καὶ ποικίλης ὕλης μέρος, ψυχὴν γεώδη καὶ ὑλικὴ (leg. ὑλικὴν) ἐτεκτήνατο ἄλογον, καὶ τῆς τῶν θηρίων ὁμοιούσιον· οὗτος κατ' εἰκόνα ἄνθρωπος. Ὁ δὲ καθ' ὁμοίωσιν τὴν αὐτοῦ τοῦ δημιουργοῦ, ἐκεῖνός ἐστιν, ὃν εἰς τοῦτον ἐνεφύσησέν τε καὶ ἐνέσπειρεν, ὁμοούσιόν τι αὐτῷ δι' ἀγγέλων ἐνθείς. Καθὸ μὲν ἀόρατός ἐστι καὶ ἀσώματος,

τὴν οὐσίαν αὐτοῦ πνοὴν ζωῆς προσεῖπεν· μορφωθὲν δὲ ψυχὴ ἐγένετο. Accipiens limum de terra, non arida, sed multiplicis et variae materiae partem, animam terrenam et materialem fabricavit, rationis expertem et animae ferarum consubstantialem; atque hic est homo secundum imaginem conditus. *At vero secundum similitudinem ipsius creatoris* factus *est ille, quem isti inspiravit atque inseruit, consubstantiale quippiam ipsi per angelos communicans. Quatenus igitur invisibilis est et incorporeus, substantiam eius spiraculum vitae appellavit; formatum vero anima vivens dicta est. — Ἀπὸ κεχυμένου καὶ ῥευστοῦ τῆς ὕλης*] Similiter in Dialogo contra Marcionitas, qui Origeni adscribitur, sect. V. pag. 131. Marcionita dicit, *Ῥευστῆς οὐσίας ὂν τὸ σῶμα, Corpus fluxae exsistens substantiae.* Alio autem sensu Origenes apud Epiphanium Haeres. LXIV. §. 14. pag. 536. dixit: *Ῥευστὴ ἦν ἡ φύσις τοῦ σώματος, Fluxa est natura corporis*; item: *Οὐ κακῶς ποταμὸς ὠνόμασται τὸ σῶμα, Corpus non male fluvius dicitur.* Neque hac phrasi indigitavit, quod corpus olim ex fluida materia formatum sit, sed quod iam materia corporis in perpetuo, ut dici solet, fluxu sit eiusque particulae aliae aliis succedant, ut ipse semet ibidem explicat, inquiens: *οὐδὲ δύο ἡμερῶν τὸ πρῶτον ὑποκείμενον ταὐτόν ἐστιν ἐν τῷ σώματι ἡμῶν. Ne biduo quidem prior*
p. 68. *materia in corporibus nostris manet eadem. — Τὸν δερμάτινον χιτῶνα*] Similiter in Excerptis Clementis pag. 797. col. 2. legimus: *Τέταρτον ἐπενδύεται τὸν χοϊκόν, τοὺς δερματίνους χιτῶνας. Quartum superinduitur* (Adam) *hominem choicum, per dermatinas tunicas intelligendum.* Marcionita quoque in ante dicto Dialogo sect. V. pag. 137. *Ἐποίησεν ὁ Θεὸς δερματίνους χιτῶνας, ἐνέδυσεν αὐτούς· τουτέστι τὸ σῶμα, Fecit eis Deus pelliceas tunicas et induit illos, hoc est, corpus.* Sed an non ipse Origenes, cui hic Dialogus a quibusdam attribuitur, mysticam hanc pellicearum tunicarum expositionem probavit? Id quidem aliqui Patrum ei obiecere, quos nominat claris. Huetius lib. II. Origenianorum quaest. XII. §. 8. nec non illos, qui tacito Origenis nomine hunc sensum impugnarunt. Quibus addi possunt alii auctores et tractatus a Procopio in Comment. ad Genes. cap. 3. recensiti, superstites partim, partim deperditi, ac inter hos Iustinus martyr in tractatu de Resurrectione, qui loco Pseudo-Iustini martyris in Origenianis ad marginem adnotati poni potest. Verum Origenem ex propriis eius scriptis defendit laudatus Huetius, ex MS. scilicet Catena in Genesin, cui addit alium locum Homil. VI. in Genesin, ubi tamen citata verba non reperiuntur, sed Homil. VI. in Leviticum. Ibi enim diserte: *Illae ergo,* inquit, *tunicae de pellibus erant ex animalibus sumtae. Talibus enim oportet indui peccatorem.* Addit tamen mysticum sensum, non quidem Valentinianorum, sed alium, his expressum verbis: *Pelliceis,* inquit, *tunicis, quae essent mortalitatis, quam pro peccato acceperat, et fragilitatis eius, quae ex carnis corruptione veniebat, indicium.* Atqui huc procul dubio etiam digitum intendit, quando lib. IV. contra Celsum scripsit: *Ὁ ἐκβαλλόμενος ἐκ τοῦ παραδείσου ἄνθρωπος μετὰ τῆς γυναικὸς τοὺς δερματίνους ἠμφιεσμένος χιτῶνας, (οὓς διὰ τὴν παράβασιν τῶν ἀνθρώπων ἐποίησε τοῖς ἁμαρτήσασιν ὁ Θεὸς) ἀπόῤῥητόν τινα καὶ μυστικὸν*

ἔχει λόγον, ὑπὲρ τὸν κατὰ Πλάτωνα. *Homo cum uxore e Paradiso eiectus et pelliceis indutus tunicis, (quas propter transgressionem illis peccantibus Deus paravit) arcanum aliquod mysterium refert, magis serium quam istud Platonis.* — *Εἰς τὴν ἀπ' αὐτοῦ ψυχὴν σπαρέν* etc.] Ita quoque Excerpta Clementis loco proxime citato sonant: *Ἔσχεν δὲ ὁ Ἀδὰμ ἀδήλως αὐτῷ ὑπὸ τῆς Σοφίας ἐνσπαρὲν τὸ σπέρμα πνευματικὸν εἰς τὴν ψυχήν. Habuit autem Adam a Sophia clanculum eius animae insitum semen spirituale.* Et paullo post: *Πρῶτον οὖν σπέρμα πνευματικὸν τὸ ἐν Ἀδὰμ προέβαλεν ἡ Σοφία, ἵνα ᾖ τὸ ὀσιοῦν, ἡ λογικὴ καὶ οὐρανία ψυχὴ μὴ κενή, ἀλλὰ μυελοῦ γέμουσα πνευματικοῦ. Primum itaque semen spirituale, quod in Adamo erat, Sophia emisit, ut os, anima scilicet rationalis atque caelestis non esset vacua, sed spiritualis medullae plena.* Animam enim ossi comparabant Valentiniani, ut in praecedentibus ibidem docetur. Ceterum orthodoxo sensu, haeretica licet voce cecinit Synesius Hymn. III. v. 558 seqq. *Σὸν σπέρμα φέρω Εὐγενέος Σπινθῆρα νόου ἐς βάθος Ὕλας Κατακεκλιμένον. Σὺ γὰρ ἐν κόσμῳ Κατέθου ψυχάν, Διὰ δὲ ψυχᾶς Ἐν σώματι νοῦν. Tuum semen fero Generosae Scintillam mentis In altitudine Hylae* (id est, *materiae*) *Absconditam. Tu enim in mundo Deposuisti animam: Per animam vero In corpore mentem.* Et vers. 596 seqq. *Σπέρμα τὸ βαιὸν Αὖξον ἐν ἐμῷ Κρατὸς ἀώτῳ. Semen illud exiguum Alens in meo Capitis apice.* — *Αὐτὸ ἐκκλησίαν εἶναι*] Hinc Clemens pag. 789. col. 2. ubi ecclesiam nominasset, addit: *ἥτις ἐστὶ τὸ γένος τὸ ἐκλεκτόν, quae est genus electum.* Atqui hoc *semen electum* in antecedentibus dixerat.

MASSUETUS: *Δεξιὰ καλοῦσι — ἀριστερὰ καλοῦσι*] Haec a Py- p. 58.
thagoreis accepta, qui Plutarcho teste in lib. de Isi. et Os. duplex rerum naturalium principium distinguebant; alterum bonum, quod dextrum et lucidum, alterum malum, quod sinistrum et tenebrosum vocabant. Quum enim animalis substantia *ex conversionis motu* ortum duxisset, hanc bonam et dextram putabant Valentiniani, utpote quae ex bono motu initium duceret: quum vero materia *ex passione*, id est, ex anxietate, tristitia et metu orta esset, hanc malam et sinistram existimabant, quod conturbati, nec sui compotis animi motibus originem acceptam referret. Dextera siquidem pars felix et bene ominata, sinistra infelix et infausta a veteribus dicebatur. *Quid tam dextro pede concipis, ut te conatus non poeniteat.* Iuvenal. Sat. X. — *Μητροπάτορα καὶ Ἀπάτορα*] *Μητροπάτορα;* sic rerum omnium opificem vocabant Chaldaei apud Orpheum, citatum a Clemente Al. l. V. Strom. pag. 608. *Ἄφθιτε μητροπάτωρ, οὗ θυμῷ πάντα δονεῖται· Ὃς κινεῖς ἀνέμους* etc. *Incorrupte Matripater, qui cuncta volvis animo: Qui ventos moves* etc. Porro *μητροπάτωρ* Graecis avus maternus est, seu matris pater; et ita dictus Demiurgus, quod naturae omnium matris parens esset. Idem *ἀπάτωρ* a Valentinianis dictus fuit, quod a matre Achamoth sine patre productus esset; in hoc Vulcano poëtarum similis, qui ab iisdem etiam *ἀπάτωρ* dicebatur, quod a Iunone sola productus esset. — *Ἐν εἰκόνι* etc.] Hic *εἰκόνα*, et consequenter in textu latino *imaginem* pro *in imagine*, legi vult Pamelius ad cap. 19. Tertull. adv. Valent. sed frustra. Modo in pri-

ori hoc commate subintelligas, ἑαυτήν, in latino *seipsam,* in sequentibus vero ἐν εἰκόνι τετηρηκέναι, *in imagine conservasse,* apertus est sensus: Scilicet, Enthymesin in imagine invisibilis Patris conservasse seipsam incognitam a Demiurgo; Demiurgum autem conservasse in imagine unigeniti Filii, angelos vero et archangelos conservasse in
p. 60. imagine reliquorum Aeonum. — *Οὐκ εἶναι νοητούς*] Lege *οὓς εἶναι νοερούς;* sic enim legisse videtur interpres: nam vertit, *quos intellectuales* (non *intelligibiles*), *esse dicunt.* Et quidem vocem *νοερούς,* quae Billio prae *νοητοὺς* iure merito arridet, a Tertulliano lectam fuisse perspicuum est: *Caelos autem,* inquit cap. 20. *noeros deputant, et interdum angelos eos faciunt.* Hancque lectionem cum apud Irenaeum, tum apud Tertullianum exigit ipsa Valentinianorum hypothesis. Volebant enim caelos *intellectuales esse,* non eo sensu quod intelligentia tantum comprehenderentur; sed quod sensu et intelligentia praediti essent, utpote qui angeli essent, id est, ab angelis regerentur. Hinc Paradisum *supra tertium caelum exsistentem, virtute archangelum quartum esse* statuebant. Id commentum iterum acceperant a Platonicis, qui caelos anima intellectuali praeditos esse sentiebant. Legantur Plotinus Ennead. II. lib. II. et ea quae in prima Dissertatione
p. 61. nostra de haeresi Valentiniana diximus. — *Virtute archangelum quartum*] Sic ex graeco restitui, id nimirum licere mihi arbitratus, quod non semel in praeced. pagina, improbante nemine, sibi sumsit Feuardentius: quum maxime codices omnes cum editi, tum MSS. depravati sint, nec secum invicem consentiant. Omnes quidem habent *virtutem,* sed manifesto scribarum errato, quorum primi oscitantes quum apice perperam notassent *e* (quod sphalmatis genus non raro occurrit in MSS.) secuti alteri scripserunt *virtutem,* repugnante licet sensu et textu graeco, in quo habetur *δυνάμει,* non *δύναμιν.* In ceteris dissentiunt codd. In Feuard. edit. et MS. Pass. legitur, *virtutem archangelum quartum;* in Erasm. vero peius, *virtutem archangeli Nun,* forte quia in cod. MS. quo usus est Erasmus, scriptum erat IVum, quod perperam legit *Nun.* In Gallas. *virtutem archangeli* IIII. In codd. Clarom. Voss. Arund. et Merc. II. habetur duntaxat, *virtutem archangelum,* deest vero *quartum.* Ceterum haec longe aliter legisse videtur Tertullianus, apud quem transposita vox *virtute* clariorem efficit sensum. *Interdum,* inquit cap. 20., *angelos eos* (caelos) *faciunt, sicut et ipsum Demiurgum, sicut et Paradisum, archangelum quartum, quoniam et hunc supra caelum tertium pangunt, ex cuius virtute*
p. 63. *sumserit Adam diversatus illic etc.* — *Opinationis*] Sic restituo, iuxta graecum *τῆς οἰήσεως.* Neque enim, quod ait Billius, persuadere mihi possum, interpretem legisse *ποιήσεως,* quod verterit *operationis.* Crediderim potius recte legentem eum scripsisse *opinationis;* quod oscitantes scribae mutaverant in *operationis,* tum ob utriusque vocis affinitatem, tum etiam quod statim sequatur *operationis.* Certe legendum esse *opinationis,* non dubitaverit quisquis attenderit ad ea
p. 64. quae praecedunt, *semetipsum autem putasse omnia esse.* — *Εἰς τὸν ὑπερουράνιον τόπον*] Postremam vocem, quam legit interpres, ex cod. Reg. addidi. Sed quod spectat *ὑπερουράνιον,* censet Billius legendum esse *ὑπουράνιον,* ut opponatur *τῷ ὑπερουρανίῳ,* in quo mater Acha-

moth sedem habet. Ast recte observat Fronto Duc. *ὑπουράνιον* repugnare tum verbis immediate sequentibus *τουτέστιν ἐν τῇ ἑβδομάδι, hoc est in hebdomade,* qua voce septem caeli designantur; tum superius dictis, *super septem caelos esse Demiurgum.* Non stat ergo cum Valentinianorum hypothesi, Demiurgum, quem in septem caelis vel super septem caelos habitare fingebant, *ὑπουράνιον* dici: alias confunderetur cum Cosmocratore, qui *in eo qui sit secundum nos mundo,* ac proinde sub caelis degebat. Sed nec etiam *ὑπερουράνιος,* quidquid dicat Grabius, asseri potest: nam *ὑπερουράνιος τόπος* proprius est matris Achamoth, nec ei convenire potest, qui in septem caelis habitabat vel septimo ipsi caelo incumbebat. Quare legendum puto *εἰς τὸν ἐπουράνιον τόπον.* Sic scripsisse Irenaeum nullus dubito; sed festinans scriba praecedentium vocum similitudine deceptus, male legens scripsit *ὑπερουράνιον.* Certe *ἐπουράνιον* legit interpres, vertit enim, *in eo qui sit in caelo locus.* Consentit et Tertullianus scribens cap. 23. *subest enim Demiurgus in hebdomade sua.* Et cap. 31. *Et Demiurgus tunc de hebdomade caelesti in superiora mutabit.* Ubi dum textum emendare studet Pamelius, corrumpit. Auctoritate siquidem Billii abductus, nullis vero codd. MSS. fretus, scribit, *de hebdomade subcaelesti*; quum tamen editiones omnes praecedentes haberent *caelesti,* et sic revera legendum sit. — *Τὴν μέν*] Lege *γῆν μὲν* cum p. 66.
veteri interpr. et Tertull. Similitudine litteram *Γ* et *Τ* deceptus imperitus scriba posteriorem scripsit pro priori. — *Τοῦ φόβου τῶν δακρύων*] *Τῶν δακρύων* deleri volunt Billius et Petavius. Existimat vero Grabius delendum potius *τοῦ φόβου,* quoniam, inquit, *ex metu,* non humida, sed animalis substantia ortum traxisse modo dicebatur: ex lacrimis autem Achamothae omnia humida profluxisse dictum est c. 4. At hic de metu sermo est, non quatenus passio est a tristitia, aporia et conversione distincta: sed quatenus ipsius *ἐκπλήξεως καὶ ἀμηχανίας, consternationis* affectio est. Duae enim hic memorantur passionis huius affectiones, *φόβος* scilicet et *λύπη,* quibuscum nihil commune habent *τὰ δάκρυα.* Quare cum Billio et Petavio, immo et cum vet. interpr. omitto *τῶν δακρύων,* et cum iisdem lego *τὴν τοῦ φόβου κίνησιν.* — *Ἀπὸ τοῦ κεχυμένου*] Legit interpres *καὶ ἀπὸ τοῦ κεχυμένου.* Rectum tamen absque coniunctione *καὶ* habere possunt graeca sensum, si haec, *ἀπὸ τοῦ κεχυμένου* etc. per appositionem accipiantur. — *Ἐκ πνευματικῆς*] Legisse videtur interpres *ἅτε ἐκ πνευματικῆς.* — *Moestitiae fixionem*] Sic ex graeco et Tertulli- p. 67.
ano restituo, pro *materiae fixionem,* quod perperam habent cum editt. omnes, tum MSS. Tertullianus siquidem cap. 23. recte scribit, *si non et istam* (aërem) *Sophiae moestitia colasset.* Existimat Billius *ὕλης* pro *λύπης* perperam legisse interpretem. Ego vero censeo interpretem recte et legisse et scripsisse: sed imperitos vel oscitantes scribas male legentes, *moestitiae,* propter similitudinem litterarum, perperam commutasse in *materiae.* Quare auctoritate cum textus graeci, tum Tertulliani motus, evidens sphalma emendare non dubitavi. — *Psychicum*] Id est, *animalem hominem.* Duas enim hominis partes hic statuunt Valentiniani, alteram terrenam, quam ex *effusibili et fluida materia* condiderat Demiurgus; alteram animalem, quam insufflaverat.

Hinc Tertullian. cap. 24. *Figulat ita hominem Demiurgus, et de afflatu suo animat.* — *Defluitione*] Ita Grab. ex codd. Arund. et Merc. II. Consentit Clarom. In Erasm. et Gall. male *definitione.* In Feuardentio autem ex vet. cod. satis bene *defluxione*; licet prior vox in-
p. 69. terpretis esse videatur. — *Dermatinam tunicam*] Ita ex graeco reposuit Feuardentius, pro *adamantinam,* quod perperam legitur non modo in editt. Erasm. et Gall. sed et in omnibus MSS. Recte vero Tertull. c. 24. reddidit *pelliceam tunicam.* — *Perfectae rationis*] Merc. I. *perfectionis*; Tertull. pro *ratione* dixit *sermonem*; hunc secutus est Bill. Sed praeferenda videtur vet. interpretis lectio, quam habent codices omnes cum editt. tum MSS.

CAP. VI.

p. 77. GALLASIUS: *Quicunque in saeculo est et uxorem non amat*] Locus hic, quia difficilis est, indiget explicatione. Ac primum notanda est illa differentia, quam statuebant Valentiniani inter εἶναι ἐν κόσμῳ et ἀπὸ κόσμου. Dicebant enim se in mundo esse, sed non de mundo, propterea quod spirituales erant, neque corrumpi vitiis et sordibus huius mundi, etiamsi in iis mergerentur, quod interior esset eorum puritas et perfectio, quae non poterat sordibus externis pollui aut inquinari: quemadmodum prius id ex auri similitudine declaratum est. Ceteros vero, qui non erant illius sectae, dicebant ἀπὸ κόσμου sive ex ἐκ κόσμου γίνεσθαι, quia regeniti non erant nec habebant semen electionis. Ideo ψυχικοὺς ipsos vocabant, quod non a spiritu, sed ab anima humana regerentur. Hos ergo negabant ex veritate esse aut posse ad illam pervenire, quoniam vincebantur sua concupiscentia. Atque hic observa non recte legi in aliis exemplaribus graecis, μὴ ἐν ἐπιθυμίᾳ. Est enim tollenda negatio, quae sententiam prorsus conturbat atque evertit. Nam Valentiniani, etiamsi libidinibus parerent, negabant se vinci cupiditate, quia semine interiori se conservari putabant; ceteros vero, qui carebant illo semine, dicebant pollui et a mulieribus superari. Ergo falsa illa persuasione imbuti, vani et impii homines efferebantur, et se tanquam puros iactabant, atque licentiose et effrenate se in omni scelerum et flagitiorum coeno provolvebant. Hic etiam παρέργως notanda transformatio illa verborum, qua gloriam sibi et laudem in stupris et adulteriis tribuunt, ceteris vero in iisdem facinoribus pudorem et ignominiam. Nam quum de suis loquuntur, qui solummodo in mundo sunt, aiunt mulieres quibus foede abutuntur, venire in ipsorum potestatem, αὐτὴν κρατηθῆναι; alios vero qui e mundo sunt, quod semine spirituali careant, per concupiscentiam teneri a muliere ac veluti captivos possideri: ἐν ἐπιθυμίᾳ κρατηθῆναι γυναικός. Hunc locum Tertullianus attigit, quum ait: *Alioqui degenerem nec legitimum veritatis, qui deversatus in mundo non amarit feminam nec se ei iunxerit. Et quid facient spadones, quos videmus apud illos?* Ceterum ex iis, quae dicta sunt, colligere possumus γυναικὸς non esse hic capiendum pro uxore, cuius amor est bonus et legitimus, sed pro quavis muliere, cuius amore quis capiatur. Nam certum est promiscuas apud illos fuisse libidines, ita ut sine delectu cum quavis, modo placeret, miscerentur, atque in omnem intemperan-

tiam, lasciviam et turpitudinem sese effunderent. Illos denique, ait Tertullianus, *de passivitate vitae* (sic enim loquitur), *et diligentia delictorum generositatem suam vindicasse.* Huiusmodi monstra exstiterunt (utinam vero ne iam illi exstent) nostris temporibus, qui ex Anabaptistarum secta prodierunt. Ili Libertini vocati sunt, ob falsam libertatem quam iactabant nomine religionis. At potius quum licentiam omnem scelerum, libidinum atque omnis corruptelae captent, servili nomine insigniendi fuerunt. Sunt enim mancipia ventris, Veneris omniumque flagitiorum. Illorum morem ita describit Irenaeus, ut videantur eius tempore exstitisse. At exstiterunt illorum proavi et maiores, quos perbelle imitantur. Etenim vivam istorum imaginem sic depinxit, ut non dubitemus in eodem ludo edoctos, atque eodem usos magistro, eodemque semine erroris prognatos ab illis maioribus. Iactant enim se, quantumvis indulgeant vino et crapulae, quamvis scortentur, furentur, detrahant, maledicant, occidant, nullius culpae reos esse, nec ullo modo pollui aut contaminari, quia novi sunt homines, liberati a condemnatione Adae, non attingi aut inquinari interiorem ipsorum hominem, nec spiritum ipsorum iis, quae a corpore fiunt, consentire. Ita se manumissos aiunt et liberos, ut quidvis ipsis liceat, ac reliquos qui Dei timore et conscientia retinentur, subsannant ut rudes et idiotas, quod adhuc in Adamo sint, necdum se norint vindicare in libertatem. Verum ut planius intelligas, quid simile aut dissimile cum istis habeant, legito libellum quem a Ioanne Calvino adversus Libertinos gallice scriptum, nos iam a multis annis in latinum sermonem convertimus.

BILLIUS: *Sese inflexerit*] Legendum in graeco *πρόσκλισιν,* non *πρόσκλησιν.* — *Salem*] Alludit ad hunc, ut opinor, locum, Vos estis sal terrae, quo Valentiniani abutebantur. — *Ob eam caussam*] Pro *δι' ὧν* lego *διὸ* cum vetere Int. — *A dispensatione*] *Οἰκονομίας.* — *Et ab Achamoth*] Graeca hoc loco ita emendanda sunt ex vet. interpr. *καὶ ὑπὸ τῆς Ἀχαμὼθ μεμνημένοις τὰ μυσήρια. Ἑαυτοὺς δὲ τούτοις ὑποτίθενται.* — *Nobis adimatur*] His verbis alludit ad illud evangelii, habenti dabitur, ei autem qui non habet, etiam quod habet, auferetur ab eo. — *Quisquis in mundo*] *Degenerem nec legitimum veritatis aiunt,* inquit Tertull., *qui diversatus in mundo, non amaverit feminam nec se ei iunxerit.* Itaque merito *eos de passivitate vitae et diligentia delictorum generositatem suam vendicare* ait. Quo loco, ut obiter id admoneam, passivitas non deducitur ab adverbio passim, ut annotat Rhenanus, sed vocabulum est de graeco redditum. Quod enim *ἐμπάθειαν* Graeci dicunt, id ille passivitatem transtulit. Porro ut ad auctoris nostri verba redeam, haec verba: in mundo, et de mundo, a Valentinianis petita esse videntur ex c. 17. Ioan. ubi Christus discipulos suos in mundo, sed non de mundo, esse ait. Quae quidem verba impurissimi homines falso de se usurpabant. — *Mulieri succubuit*] *Κρατηθῆναι* hoc loco ita verto, ut dilucidior sit sensus. Aiebant enim Valentiniani se ex venereo congressu nihil spurcitiei contrahere, quod spirituales essent; reliquos contra inquinari ac per concupiscentiam a mulieribus, quibuscum rem haberent, victos ac velut constrictos teneri.

p. 70. p. 71. p. 72. p. 77. p. 78.

p. 75. FRONTO DUCAEUS: *In honore eorum*] Gr. *εἰς τιμὴν τῶν εἰδώλων; in honorum idolorum,* vel certe Deorum. — *Apud homines odiosum muneris*] Gr. voces duas expressit *θηριομάχων καὶ μονο-*
p. 77. *μαχίας,* bestiariorum et gladiatorum. — *Insensibilibus, iis sermonibus*] Insensibiles cape homines, non sermones, *ἀνοήτους* stolidos homines appellat. Paullo post verior lectio in marg. *emissum.*

p. 71. FEUARDENTIUS: *Spiritale vero*] Graecus contextus una cum latino vet. cod. sic legendum docuit, pro *in spiritalem.* Pamelius quoque nota 281. in lib. Tertull. adversus Valent. docuit hic legendum esse *spirituale* pro *spiritualem:* et *salem* pro *sole:* sicut et paullo supra, *Quum sint igitur tria* pro *tres,* ut in hactenus excusis codi-
p. 73. cibus. — *Quapropter, et nobis quidem* etc.] Ex hoc loco et c. 20. huius libri liquet, Valentini et Simonis magi impium dogma fuisse, opera bona ad salutem beatamque vitam necessaria non esse. Tertull. lib. Scorp. *Quomodo,* ait, *multae mansiones apud Patrem, si non pro varietate meritorum? Quomodo stella a stella distabit in gloria, nisi pro diversitate radiorum?* Clem. Alexand. 6. Strom. *Proportione habita, sunt variae mansiones pro dignitate et meritis eorum, qui crediderunt.* Et August. serm. 39. de verbis Domini: *Declina a malo et fac bonum, et quum hoc feceris, securus exspecta vitam; et tunc bona fronte dices Domino: feci quod iussisti, redde quod promisisti.*
p. 75. — *Etenim idolothyta* etc.] Ingluviei arguit illos, quodque nullum servarent, pro traditione apostolica, ciborum delectum. Quamdiu stetit gentilismus, tamdiu Christianos ab idolothytis cavisse, testes sunt. Tert. lib. de idolo, et de cibis iudaicis. Orig. lib. VIII. contra Celsum et Cypr. de Lapsis. Abstinentiam vero a certis ciborum speciebus, tempore ieiuniorum, *non propter abominationem eorum, sed ut mens ad cultum pietatis* (ait Canon 50. apost.) *reddatur exercitatior, caroque contra Deum insurgens, inediae tormentis atque suppliciis puniatur,* inquit contra Psychicos Tert. per universas ecclesias tum observatam fuisse contestatur Clem. Rom. lib. Const. apost. cap. 10. Qui et solo pane, sale atque oleribus uti concedit: a carnibus autem et vino abstinere, diebus ieiuniorum; et eiusdem lib. cap. 21. idem pluribus sacrarum litterarum locis confirmat. Huius rei praxin B. Petri conversatione lib. 7. Recog. adfert, qui laboriosis illis suis peregrinationibus, pane solo, cum olivis et raro oleribus fatiscens corpusculum reficiebat. Notae sunt omnibus fortissimorum martyrum, Severo imperante, istae praeclarae voces: *Multum erratis, o viri, putantes humanis visceribus vesci eos, qui ne mutorum quidem animalium carnibus utuntur.* Euseb. lib. V. hist. cap. 1. Tum temporis quoque scribens contra Psychicos Tertullianus, xerophagias diebus ieiuniorum observatas fuisse asserit, siccato cibo ab omni carne et iurulentia. Et lib. de cultu mulierum, quosdam creaturas Dei sibi interdicere, abstinentes vino et animalibus. Hieronymus dicit: *Paulum palmae fructibus; et Hilarionem, paucis massae caricis perpetuo victitasse.* Athanas. et Basilius lib. de Virginitate. Leguminibus, pane et oleo, paucis nonnunquam adhibitis olusculis, ieiuniis carnem spiritui servire cogentes, uti duntaxat volunt. — *In omnem diem festum ethnicorum*] Arguit eos, quod dies vel diis vel imperatoribus pagano-

rum sacros cum illis celebrarent, utique in eorum venerationem, imo nec a spectaculis illis abstinerent, in quibus vel gladiatorio certamine occumbebant, vel ferarum dentibus laniabantur multi. In hoc vero sese audacissimos piarum paternarumque traditionum contemptores manifestabant, quum omnes sive spectacula scenica sive ludos Circenses aut theatrales studiose fugiendos monuerint, ut omnium vitiorum fomenta, malarumque cupiditatum irritamenta ac (ut cum Chrysost. Hom. 8. de poenit. Hom. 62. ad pop. dicam) civitatum pestes, malorum omnium fontes, pestilentiae cathedram, incontinentiae gymnasium, luxuriae officinam, impudicitiae orchestram et fornacem Babylonicam. Turpia enim spectandi consuetudo etiam imitandi licentiam sumit et vitia per oculorum fenestras in animos nostros celerrime convolant, irritant, accendunt et inflammant. *Nihil est nobis dictu, visu, auditu* (ait Tertullianus Apolog. c. 38.) *cum insania Circi, cum impudicitia theatri, cum atrocitate arenae, cum xysti vanitate.* Et solemnia Caesarum irridens paullo superius: *Grande*, ait, *videlicet officium focos et choros in publicum educere, vicatim epulari, civitatem tabernae habitu abolefacere, vino lutum cogere, catervatim cursitare, ad iniurias, ad impudentias, ad libidinis illecebras. Siccine exprimitur publicum gaudium per publicum dedecus? Haeccine solennes dies principum decent, quae alios dies non decent? etc.* Et eo paullo inferior Minucius Felix (in Octavio): *Nos* (inquit) *qui moribus et pudore censemur, merito pompis vestris et spectaculis abstinemus, quorum et de sacris originem novimus et noxia blandimenta damnamus. Nam in ludis curulibus, quis non horreat populi in se rixantis insaniam? In gladiatoriis, homicidii disciplinam? In scenicis, etiam non minor furor, turpitudo prolixior? Nunc enim mimus vel exponit adulteria vel monstrat; nunc enervis histrio, amorem dum fingit, infligit. Idem deos vestros induendo, stupra, suspiria, odio dedecorat etc.* Effundit et eloquentiae suae flumen in theatris insectandis Lactantius lib. VI. cap. 20. Deterret et quantum graviter potest Cyprianus, epist. ad Donatum. Epiphanius, ecclesiam catholicam spectacula, ut equestria certamina damnare, scribit. Et B. Augustinus (lib. de Cons. evang, c. 33.) theatra ut caveas turpitudinum, et publicas flagitiorum professiones aversanda docet. — *Quidam et carnis voluptatibus* etc.] Inferius quoque cap. 8. 9. 20. et 23. scortationum, adulteriorum et variarum libidinum Gnosticos reos facit; quod adeo cunctis haereticis commune fuit, ut scribat Hieron. in 9. cap. Oseae: *Difficile haereticum inveniri, qui diligat castitatem.* Manifesta sunt omnibus Nicolaitarum lenocinia. *Carpocrationos* scribit Clemens Alex. 3. Strom. *ad coenas convenientes viros simul et mulieres, lumine amoto, commisceri quomodo, et cum quibus voluissent.* Paria de Florianis ante Augustinum scriptis mandaverat Philastrius. *Apellem desertorem continentiae et carne lapsum* vocat in praescript. Tertullianus: *ut et Marcionem propter stuprum virgini illatum ecclesia motum fuisse asserit.* Hermogeni exprobrat, quod assidue nuberet et totus adulter esset, praedicatione et carne. Montanum describit apud Eusebium lib. V. cap. 18. Apollonius, quas mulieres, ut prophetissas circumducebat, a viris propriis, ad propriam libidinem abstraxisse. Cyprianus Epist.

decima octava, quosdam suae tempestatis vocat *stupratores virginum,*
p. 77. *et matrimoniorum corruptores ac depopulatores. — Quapropter ex omni modo*] Hic rursum et ex ipsis Gnosticorum verbis et factis indicat Irenaeus, quam lascivi et impuri fuerint, qui omni tempore et loco de syzygiae, id est, carnali cum feminis copulatione sibi meditandum profiterentur. Tertull. (lib. adv. Val. c. 30.) Irenaeo subscribit his verbis: *Nam et honorandorum coniugiorum supernorum gratia, dicitur apud illos meditandum atque celebrandum semper sacramentum, comiti, id est, feminae adhaerendo. Alioqui degenerem nec legitimum veritatis, qui diversatus in mundo non amaverit feminam, nec se ei iunxerit.* Ceterum, ex his post doctum Pamelium, observo Tertull. latine scribentem, coniugium sacramentum appellare, quod Epiphanius, Irenaeus et Paulus apost. (Ephes. 5.) graece vocant *μυστήριον.*

p. 70. GRABIUS: *Ὑλικὸν — κατὰ ἀνάγκην ἀπόλλυσθαι*] Ita et in Clementis Excerptis pag. 798. col. 1. *Τὸ ὑλικὸν φύσει ἀπόλλυται, materiale natura sua corrumpitur. — Τὸ δὲ ψυχικὸν — ἅτε μέσον ὄν* etc.] Apud Clementem loco citato haec legimus clariora: *Τὸ δὲ ψυχικόν, αὐτεξούσιον ὂν* (sicut et Irenaeus paullo post appellat) *ἐπιτηδειότητα ἔχει πρός τε πίστιν καὶ ἀφθαρσίαν, καὶ πρὸς ἀπιστίαν καὶ φθοράν, κατὰ τὴν οἰκείαν αἵρεσιν. Animale, quum suae sit potestatis, aptum est et ad fidem atque immortalitatem, et ad infide-*
p. 71. *litatem ac corruptionem iuxta propriam electionem. — Animale*] Ita ex graeco et codd. Arund. ac Merc. II. reposui pro *animalem*, i. e Salvatorem, ut in omnibus editt. legitur et Tertulliani cap. 26. Confirmat autem priorem lectionem id quod immediate sequitur: *ἐπεὶ καὶ αὐτεξούσιόν ἐστι,* quia suae potestatis est, i. e. libero arbitrio praeditum; neque enim hoc ad aliud quam *τὸ ψυχικὸν* referri potest. Sensus igitur est: ad animale istud, quandoquidem libertate praeditum erat, Salvatorem esse delapsum, qui salutem ei afferret, uti Petavius
p. 72. haec interpretatus est. — *Ἀόρατον καὶ ἀψηλάφητον*] *Ὁρατὸν καὶ ψηλαφητὸν* reponendum esse recte monuere Bill. et Petav., quod non modo vetus interpres ita legerit, sed et Tertull. cap. 26. corpus Salvatoris ita comparatum dicens, quo congressui et conspectui et contactui et defunctui (id est morti) ingratis subiaceret. Accedit Theodoretus lib. I. Haeret. fabul. cap. 7. ubi Valentinianorum de Christo sententiam iisdem fere cum Irenaeo verbis describens ait: *ἀπὸ δὲ τῆς οἰκονομίας περιθέσθαι σῶμα ψυχικὴν ἔχον οὐσίαν, ἀῤῥήτῳ δὲ σοφίᾳ πεποιημένον, πρὸς τὸ ἁπτὸν καὶ ὁρατὸν γενέσθαι καὶ παθητόν. A dispensatione autem circumpositum ei corpus animalem habens substantiam et ineffabili sapientia paratum, ut et tangi et cerni et pati posset. — Διὰ τὸ φύσει πνευματικοὺς εἶναι — σωθήσεσθαι*] Ita et Clemens non solum lib. II. Strom. pag. 363., sed et in Excerptis ex orientali Valentinianorum Didascalia pag. 798. col. 1. *Τὸ μὲν πνευματικὸν φύσει σωζόμενον, Spirituale quidem natura salvatur.* Perstringit saepius hunc errorem in Heracleone aliisque Origenes in Commentariis ad Ioannem; in Basilide vero eiusque sequacibus Clemens, ex quo aliquot loca citavi Tomo II. Spicilegii Haereticorum pag. 40 seq. quibus mox alia eius verba addam. — *Ἀδύνατον φθο-*

ρὰν καταδέξασθαι, κἂν ὁποίαις συγκαταγένωνται πράξεσιν] Ita quoque Clemens lib. III. Strom. pag. 427. ubi Basilidianorum fecerat mentionem, addit: *ὡς ἤτοι ἐχόντων ἐξουσίαν καὶ τοῦ ἁμαρτεῖν διὰ τὴν τελειότητα, ἢ πάντως γε σωθησομένων φύσει, κἂν νῦν ἁμάρτωσι διὰ τὴν ἐμφυτον ἐκλογήν· ἐπεὶ μηδὲ ταῦτα αὐτοῖς πράττειν συγχωροῦσιν οἱ προπάτορες τῶν δογμάτων, ut qui vel peccandi potestatem habeant propter perfectionem, vel omnino quidem natura salvi futuri sint, et si iam peccent, propter innatam electionem, quoniam nec haec quidem eis concedunt facere primi dogmatum illorum parentes.* De Eunomio quoque saeculi IV. haeretico Augustinus de Haeresibus c. 54. Fertur usque adeo fuisse bonis moribus inimicus, ut asseveraret, quod nihil cuique obesset quorumlibet perpetratio ac perseverantia peccatorum, si huius, quae ab illo docebatur, fidei particeps esset. — *Εἰδωλόθυτα* etc.] Crimen, cuius Irenaeus hic accu- p. 74.
sat Valentinianos, iam pridem s. Ioannes Apocalyps. II, 14. 20. in Nicolaitis haereticis et in Iezabele pseudo-prophetissa reprehendit. Decretum enim erat ab apostolis instinctu Spiritus sancti, ut fideles abstinerent ab immolatis simulacrorum Act. XV, 29. Quod praeceptum Paulus quoque ecclesiis, quas obibat, custodiendum tradidisse dicitur V, 41. quumque apud Corinthios aliqui Gnosticorum praelusores sub praetextu maioris scientiae de idolorum vanitate istud negligerent, apostolus 1 Cor. cap. 8. et 10. eos graviter ob id coarguit. Ex Patribus Tertullianum lib. de Idololatria et Cibis iudaicis, Origenem lib. VIII. contra Celsum et Cyprianum de Lapsis adducit Feuard. in notis ad hunc locum, quibus et alii addi possent. Sed nolo hoc loco prolixius de hisce agere, meritoque etiam ea, quae in genere de abstinentia a certo ciborum genere ad edomandam carnem disseruit Feuard. tanquam a proposito aliena omitto. — *Pro voluntate in honore* p. 75.
idolorum etc.] Haec manca atque vitiosa ex parte correxit Fronto Ducaeus notans ponendum *in honorem* et paullo post loco muneris substituendas voces bestiariorum et gladiatorum. Sed duo alia monuit diligentissimus veterum scriptorum emendator Cotelerius in notis ad lib. II. Const. apost. cap. 61. scilicet non *pro voluntate,* sed *pro voluptate* legendum et post *abstineant* addenda *ab eo.* Addo et hoc, quod latinus interpres vitioso codice usus haud legisse videatur duas ultimas huius periodi voces *ἐνίους αὐτῶν.* Ut itaque lector rectum plenumque verborum Irenaei sensum percipiat, sequentem eorum do versionem: Ad omnia festiva gentilium oblectamenta, quae in honorem idolorum instituuntur, primi confluunt, adeo ut nonnulli eorum ne quidem abstineant ab eo, quod Deo hominibusque maxime invisum est, spectaculo eorum, qui cum bestiis pugnant vel cum hominibus duello congressi eos caedunt. — *Τὸ τῆς συζυγίας μελετᾶν μυστή-* p. 76.
ριον] Quae (Feuardentius) de matrimonio tanquam sacramento addit, nihil ad praesentem rem, imo ne quidem ad sententiam romanae ecclesiae probandam faciunt. Quis enim ignorat, vocem *μυστηρίου* et sacramenti in S. Scripturis et Patrum monumentis multo laxiori sensu usurpatam, quam nunc a theologis praecise definitur. — *Ut ei coniungatur,* item p. 77.
mixtus mulieri] Videtur interpres legisse *αὐτῇ κερασθῆναι* et mox *κερασθεὶς* iterumque *κερασθῆναι* a *κεράννυμι.* Atque sic in legendo

quidem, non autem intelligendo Irenaei textu erravit, quia sensus eodem recidit, si retineatur *κρατηθῆναι*, ut ex superiori annotatione patet. Hanc vero lectionem exacte exprimeret talis versio: *Quicunque in saeculo est et uxorem non amat, ut illa victa succumbat* etc. Deinde: *Qui autem de saeculo est et a muliere constrictus tenetur.* Et
p. 78. mox: *Concupiscentia mulieris superatus est.* — *Ἡμᾶς καλοὺς ψυχικούς* etc.] Billius hoc colon corrigit sequentem in modum: *ἡμῖν μέν, οὓς ψυχικοὺς ὀνομάζουσι καὶ ἐκ κόσμου εἶναι λέγουσιν, ἀναγκαίαν τὴν ἐγκράτειαν* etc. Atque sic graeca cum latina versione exacte consonare fateor. Ast haec nulla mihi videntur emendatione indigere excepto uno verbo *καλούς*, quod omittendum est, nisi forte tanquam appositum ad *ἡμᾶς* accipere et ita interpretari velis, quod Valentiniani non omnes promiscue Catholicos, sed probos solum Psychicorum titulo dignati fuerint. Conferatur Clemens Alexandrinus lib. III. Strom., cuius verba citavi in notis ad Tomum II. Spicilegii Patrum pag. 2.

p. 71. MASSUETUS: *Spirationem*] Sic edit. Oxon. ex codd. Arund. et Merc. II. consentiente Clarom. ceteri cum editi tum MSS. *inspirationem.* Prior lectio praeferenda videtur. — *Illuc redigi quocunque* etc.] In Feuard. edit. perperam exstat *illud*; in ceteris recte *illuc.* Sed mallem haec cum Billio clarius vertisset interpres: *eo abire, quocunque se inflexerit.* — *Animale*] In Erasm. Gall. et Feuard. editt. *animalem* i. e. Salvatorem. Sed priorem lectionem confirmat quod immediate sequitur, *ἐπεὶ καὶ αὐτεξούσιόν ἐστιν, quia suae potestatis est,* i. e. arbitrii libertate praeditum: neque enim hoc ad aliud quam *τὸ ψυχικὸν* referri potest. Tertullianus quidem cap. 26. scripsit *animalem,* sed phrasin paullo aliter construxit: *in hoc et veterem animalem in mundo repraesentatum, in salutem scilicet animalis.* Quae paullo obscuriorum veteris interpr. verborum sensum aperiunt, scilicet, *Salvatorem ad hoc animale, utpote arbitrii libertate praeditum, venisse, ut ipsi salutem afferret.* — *Primitias*] Apud Tertull. cap. 26. pro *primitias* legitur *prospicientias.* Sed monet Latinius, aut Petrus Ciaconius, legendum esse *prosicias. Prosicia* autem ex Glossario, ut observat Fronto Duc. quod *ἀκροθίνια; Prosiciae, αἱ τῶν θυμάτων ἀπαρχαί;* quae significationes interpretis nostri *primitiis* respondent. — *A dispositione*] Sic graecam vocem *οἰκονομία* reddere amat interpres, ut passim videre est. Mallem tamen cum ceteris Latinis vertisset *dispensatio.* Hic enim sermo est de iis quae Servator in terris gessit ad procurandam humani generis salutem, quorum caput ac principium est incarnatio; quae Graecis una voce dicuntur *οἰκονομία,* La-
p. 72. tinis *dispensatio.* — *Καὶ τῆς Ἀχαμώθ* etc.] Sic graeca haec ex vet. interpr. emendanda esse censet Billius: *Καὶ ὑπὸ τῆς Ἀχαμὼθ μεμυημένους τὰ μυστήρια· ἑαυτοὺς δὲ εἶναι τούτους ὑποτίθενται.* Grabius e contrario latina ad normam graeci textus corrigenda putat. Sed praeferenda Billii emendatio, utpote quae Valentinianorum haeresi magis accommodata sit. Isti enim spiritales sese iactabant *perfectos* et *semina electionis,* ut paullo inferius scribit Irenaeus, ut qui a matre Achamoth spiritale semen participassent, *καὶ ἰδιόκτητον ἄνωθεν ἀπὸ τῆς ἀῤῥήτου καὶ ἀνονομάστου συζυγίας συγκατεληλυθυῖαν*

ἔχειν τὴν χάριν, *seque gratiam ab ineffabili et omni nomine praestantiori coniugatione caelitus directam proprie possidere,* qua scilicet a matre sua accepta, mysteriis eius initiati fuerant. Hinc subditur: *διὸ καὶ ἐκ παντὸς τρόπου δεῖν αὐτοὺς ἀεὶ τὸ τῆς συζυγίας μελετᾷν μυστήριον, quapropter ex omni modo oportere eos semper syzygiae meditari mysterium,* ut vertit vetus interpres. — *Διὰ τὸ φύσει πνευματικοὺς εἶναι — σωθήσεσθαι*] Utpote qui spiritalem hominem, corruptionis expertem, a matre Achamoth procreatum in seipsis haberent, ut superius dictum est et mox subiicitur. Hinc, Augustino teste lib. de Haeres. cap. 6. Gnosticorum omnium hoc erat perversissimum dogma *animarum substantiam, Dei esse naturam.* Confer Clementem Alex. lib. II. Strom. p. 363. et in Excerptis p. 798. col. 1. — *Ἀδύνατον φθορὰν καταδέξασθαι, κἂν ὁποίαις*] Portentosum dogma, quod sceleribus omnibus viam sternebat. Ex eo principio sponte fluebat, ut recte observat Clem. Alexand. l. III. Strom. p. 427. quod salutem non operibus adscriberent, sed soli *γνώσει* operibus destitutae, seu *seminis electi* privilegio, quae sibi innata esse iactabant; unde sequebatur, eos, quidvis agerent, a salute nunquam excidere posse, *πάντως γε σωθησομένων φύσει, utpote qui natura salvi futuri essent.* Animas enim natura bonas, alias natura malas statuebant, ut inferius scribit Irenaeus: *et immutabilem et irreformabilem naturae naturam pronunciaverunt,* inquit Tertull. cap. 29. Adde quod principium illud, quod Carpocratianis speciatim tribuit Epiphanius Haer. XXVII. post Irenaeum infra c. 25. et Simonianis Irenaeus cap. 24. Gnosticorum omnium fuerit commune, actiones humanas ex se, naturaque sua bonas, aut malas non esse, sed ex hominum opinione duntaxat. Ex quo duplici principio cetera quae hic et cap. 25. seq. refert Irenaeus, opinionum monstra manant. Sed vide Dissert. nostram 1. — *Καὶ γὰρ εἰδωλόθυτα* etc.] Id a Nicolaitis Gnosticorum omnium parentibus acceperant Valentiniani. Illi siquidem, Augustino teste lib. de Haer. cap. 5. *nec ab iis quae idolis immolantur, cibos suos separabant; et alios ritus gentilium superstitionum non aversabantur.* Iam pridem s. Ioannes Apocal. II, 14. 20. id crimen in iis haereticis reprehendit, ut observat Irenaeus infra cap. 27. — *Οἱ δὲ καὶ ταῖς τῆς σαρκὸς ἡδοναῖς* etc.] Turpissima Gnosticorum flagitia fusius describit Epiphan. Haer. XXVI. Si quis miretur in tot facinorum putido coeno altius immersos homines mente praeditos volutari potuisse, illius meminerit quod scribit Hieronymus in cap. 9. Oseae, *difficile haereticum invenire, qui diligat castitatem.* — *Pro voluptate in honore idolorum* etc.] Sic auctoritate graeci textus et clarissimi Cotelerii in notis ad lib. II. Constit. Apostol. cap. 61. iudicio restitui, pro eo quod in omnibus codd. vitiose legitur: *pro voluntate* etc. Haud dubitem enim, quin interpres scripserit *voluptate:* sed quum veteres non infrequenter scriberent *volumptas, volumptate* etc. adeo ut interdum dubites utrum *voluntas, voluntate,* an *voluptas, voluptate,* legendum sit; qui secuti sunt, hanc vocem *volumptate* in Irenaei codd. nacti, imprudenter commutarunt in *voluntate.* In codd. Clarom. et Ottob. pro *in honore idolorum,* legitur *in honore eorum,* fortasse pro *in honore Deorum;* quae postrema lectio Frontoni Ducaeo

p. 74.

p. 75.

magis arrideret. Monet vero laudatus Cotelerius post verbum *abstineant* addendum esse *ab eo*. Quod autem graecas voces duas *θηριομάχων καὶ μονομαχίας*, *bestiariorum et gladiatorium*, unica voce *muneris* reddiderit interpres, latinos auctores secutus est, quibus *munus* non raro significat *spectaculum gladiatorium*, aut *bestiarum* quibuscum homines depugnarent. Sic Sueton. in Caesare: *bestias quoque ad munus populi comparatas trucidaverant.* Et ibid. *edidit spectacula varii generis, munus gladiatorium, ludos etiam regionatim urbe tota.* Hinc *munerarii* dicebantur, qui eiusmodi spectacula exhibebant. Addit denique Grabius interpretem vitioso codice usum, non legisse duas ultimas huius periodi voces *ἐνίους αὐτῶν*. Ut itaque lector rectum plenumque verborum Irenaei sensum percipiat, sequentem eorum dat versionem vir eruditus: *ad omnia festiva gentilium oblectamenta, quae in honorem idolorum instituuntur, primi confluunt: adeo ut nonnulli eorum ne quidem abstineant ab eo, quod Deo, hominibusque maxime invisum est, spectaculo eorum qui cum bestiis pugnant, vel cum hominibus bello congressi eos caedunt.* —

p. 76. *Κρατηθεὶς γυναικὶ — διὰ τὸ ἐν ἐπιθυμίᾳ κρατηθῆναι* etc.] Sic recte Gallas. et Feuard. ediderunt. Ceteri, repugnante tum vet. interpr. tum ipso sensu, *μὴ κρατηθεὶς γυναικὶ — διὰ τὸ μὴ ἐν ἐπιθυμίᾳ κρατηθῆναι*, bis addendo particulam negativam *μή*, quae utrobique delenda erat. Nimirum sensus est, ut probe observat Billius, Valentinianos, licet libidinibus parerent, concupiscentia tamen minime vinci, nec quidquam ex venereo congressu spurcitiei contrahere, quo ipsis aditus ad veritatem intercluderetur; quod spiritales essent, et semina electionis, nec de mundo, quamvis in mundo degerent: reliquos autem, utpote animales, et spiritali semine destitutos, ac de mundo, inquinari, ac per concupiscentiam, a mulieribus, quibuscum rem haberent, victos, ac velut constrictos sic teneri, ut ad veritatem pervenire non possent: his proinde necessarium esse continentiae ac bonarum

p. 77. actionum studium, sibi autem minime, ut mox subiicitur. — *Semetipsos autem proprie possidere* etc.] Haec, ni fallor, melius verti sic potuissent: *semetipsos autem velut suum habere proprium, caelitus ab ineffabili et omni nomine praestantiori devectam gratiam.* — *Meditari*] Graec. *μελετᾷν*, hic accipitur pro *exercere*; quae significatio Latinis haud infrequens est. Sic apud Plautum in Sticho IV, 34. *Simulque ad cursuram meditabor me ad ludos Olympiae.* Et Cicero II. de Divinat. *Multi etiam naturae vitium meditatione atque exercitatione sustulerunt.* Plinius denique lib. XVII. c. 19. de ramo oleae loquens

p. 78. ait: *omni tempore edomari meditatione curvandi.* — *Ἡμᾶς καλοὺς ψυχικούς* etc.] Haec ita emendanda esse censet Billius: *ἡμῖν μέν, οὓς ψυχικοὺς ὀνομάζουσι, καὶ ἐκ κόσμου εἶναι λέγουσιν, ἀναγκαίαν τὴν ἐγκράτειαν* etc. Sic quidem legisse videtur vetus interpres. Ast Grabius existimat nulla haec emendatione indigere, excepto uno verbo *καλοὺς*, quod omittendum est: nisi forte, inquit, tamquam appositum ad *ἡμᾶς* accipere et ita interpretari velis, quod Valentiniani non omnes promiscue Catholicos, sed *probos* solum, psychicorum titulo dignati fuerint. Sed veterem interpr. cum Billio sequi praestat.

CAP. VII.

BILLIUS: *Per sponsum et sponsam*] In iis nimirum evangelii verbis: *Exite obviam sponso et sponsae.* — *Per cubiculum nuptiale*] Alludit, ut opinor, ad hunc locum: *Numquid possunt filii sponsi ieiunare* etc. Illic enim in graeco est *νυμφῶνος*, quae vox *cubiculum nuptiale* sive *thalamum* significat. Hoc porro vocabulo Pleroma suum significari Valentiniani contendebant. — *Sed animalem*] Delendum *καὶ* in graeco et reponendum post *ψυχικόν.* — *Atque hunc quidem*] Sumple, Salvatorem, qui in columbae specie in eum descenderat. Sic enim Tertull. exponit, legendumque est *τοῦτον* ex vet. — *Perstitisse* (nos *perseverasse*)] *Διατετελεκέναι.* Quam lectionem probo. Nam *διατετηρηκέναι*, ut legisse videtur vet. interpr., parum ad auctoris sensum quadrat. Paullo post *Σωτῆρος* cum eo lego, non *Κυρίου.* — *In mundi administrandi munere*] Tertull. dispensationem mundi exsequitur. — *Ut ex his etiam*] In graeco ante haec verba *καὶ ἐκ τούτων*, ponenda haec sunt, *ἵνα ἐπιδείξῃ*, ex vet. — *Conquieturum*] *Ἀναπαύσεσθαι* in futuro legit vet interpr. — *Iustorum animis*] Hoc loco pro *δικαίαις* vet. interpr. legit *διὸ καὶ*, sed male. — *In sponsas*] Haec eleganter irridentur a Tertull. *Distribuentur*, inquit, *angelis Soteris. In filios putas? Non. Sed in apparitores? Ne istud quidem. Sed in imagines? Utinam vel hoc. In quid ergo, si non pudet dicere? In sponsas. Tunc illi Sabinas raptas iure matrimonii plaudent.*

FRONTO DUCAEUS: *Spiritales vero*] Interpungenda haec sunt hoc pacto: *Spiritales vero exspoliatos animas, et spirituales factos etc. intra Pleroma.* Tertull. c. 32. *despoliari est autem deponere animas, quibus induti videbantur.* — *Refrigerare et ipsas*] *Ἀναπαύσεσθαι.* Non aliter solet futura vertere, ut paullo ante *προστεθήσεσθαι* adiici, pro, in refrigerio fore. Bill. *in quiete futuras esse.* — *His autem factis*] Non exprimitur ab interprete *τὸ ἐκλάμψαν*, reddunturque futura praesentibus temporibus, quae et ita restituenda essent: *His autem factis ita, is, qui latet in mundo ignis effulgens et exardescens, comprehendens universam materiam consumit, et ipse simul consumtus abit in id, ut iam non sit.* Tert. c. 32. *Tunc credo ignis ille arcanus erumpet et universam substantiam depopulatus, ipse quoque decineratis omnibus in nihilum finietur.* — *Primogenitae et primae quaternionis*] Primogeniti et primi; graec. *τῆς τετραχτύος*, nisi forte scripsit *quaternationis.* — *Quapropter et in prophetas*] In manuscripto legebatur *eos*, sicut et graec. *αὐτούς*, sed probabilius secutus est Bill. *Quocirca eas in prophetas.* Itaque in graeco scribendum *ἐτασσεν αὐτάς*; simile quid Apo. 5, 10. Tert. 29. *Ex earum ergo laterculo et in reges et in sacerdotes allegere consueverat.* — *Exponunt quippe quum*] Lege, *dicta per prophetas exponunt: quippe id altioris naturae esse.* Semen scilicet; quamquam suspicari quis posset fuisse scriptum, *quippe eas altioris*, quum sit graece *ἅτε ὑψηλοτέρας φύσεως ὑπαρχούσας*; ut referatur ad animas, quae in reges et sacerdotes allegebantur, quod essent naturae sublimioris, et quae de semine adduntur, inserta sint per parenthesin. Paullo post scribe *et*

Iesum quidem aliquid a Salvatore dixisse, ἀπὸ τοῦ σωτῆρος, Salvatoris instinctu. — *Quam spiritus qui prophetat*] Interpres male vertit ἤ, scribe, sive spiritum qui prophetat; et paullo post, conservasse, sic accipe quasi esset dictum *perseverasse.* — *Et in gaudium ei cessisse*] Gr. *καὶ ἄσμενον αὐτῷ προσχωρήσαντα,* ubi commodius fortasse legeretur *προσχωρῆσαι.* Et lat. *in gaudio ei accessisse,* vel *cum gaudio ad eum accessisse.* Tert. c. 28. *propere et ovanter accurrit,*
p. 87. *cum omnibus viribus suis.* — *In loco medietatis refrigeraturum*] Hoc est, *in refrigerio futurum; ἀναπαύσεσθαι* ut postea *refrigeraturis, ἀναπαυσομένων, requieturis.* — *Spiritalia vero*] Haec perturbata sunt, et imperfecte reddita sive a librario, sive ab interprete; melius ita legentur: *Spiritalia vero, quae seminarit Achamoth,* ex illo tempore usque nunc in animabus iustis erudita et enutrita, quia pusilla emittantur, post deinde perfectione etc. Tert. c. 19. *Id ergo granum seminis spiritalis modicum et parvulum iactu, sed erudita huius fides augetur atque movebitur.*

p. 81. FEUARDENTIUS: *Quemadmodum aqua per tubum*] Has blasphemias in Christi Domini incarnationem ex utero B. Mariae virginis validissime prosternit lib. III. cap. 18. 31. et 32. Post eum vero Tert. lib. de carne Christi acerrime in illos pugnavit, et Vigilius martyr toto lib. III. contra Eutychen huic negotio incumbit.

p. 78. GRABIUS: *Τοὺς δὲ πνευματικοὺς ἀποδυσαμένους τὰς ψυχάς* etc.] His et praecedentibus atque sequentibus consona plane habentur in Excerptis Clementis ex orientali Valentinianorum Didascalia p. 799. col. 1. *Τὸ δὲ* (lege *τότε*) *ἐντεῦθεν ἀποθέμενα τὰ πνευματικὰ τὰς ψυχάς, ἅμα τῇ μητρὶ κομιζομένῃ τὸν νυμφίον, κομιζόμενα καὶ αὐτὰ τοὺς νυμφίους τοὺς ἀγγέλους ἑαυτῶν, εἰς τὸν νυμφῶνα ἐντὸς τοῦ Ὅρου εἰσίασι, καὶ πρὸς τὴν τοῦ πνεύματος ὄψιν ἔρχονται, αἰῶνες νοεροὶ γενόμενα εἰς τοὺς νοεροὺς καὶ αἰωνίους γάμου* (pone *γάμους*) *τῆς συζυγίας. Tunc* (post celebratum convivium nuptiale, cuius paullo ante fecerat mentionem) *ibi spiritualia depositis animabus simul cum matre sponsum adepta angelos sponsos suos et ipsa consequentur et in thalamum intra Horum ingredientur, ac ubi Aeonum intellectualium naturam induerint, ad visionem spiritus admittentur,*
p. 80. *ad intellectuale et aeternum coniugationis matrimonium.* — *Πᾶσαν ὕλην*] Universa materia, quam igne perituram dicebant Valentiniani, etiam corpora humana complectebantur. Hinc auctor noster lib. II. cap. 52. de ipsis ait: *Animas in medietatem perseverare dicunt, corpora autem, quoniam materialem habent substantiam, in materiam resoluta ardere ab eo, qui in ea est ignis.* — *Διὰ Μαρίας διοδεύσαντα*] Hallucinatus est (Feuardentius), dum Vigilium, auctorem librorum contra Eutychen appellavit martyrem, quum ille fuerit Vigilio episcopo Tridentino et martyre iam saeculo IV. ante Eutychis ortum defuncto centum fere annis recentior, utpote Tapsensis in Africa Byzacena episcopus saec. V. Ceterum ad Irenaei verba illustranda et Valentini aliorumque haereticorum placita discernenda faciunt, quae Theodoretus scripsit Epist. 145. ad monachos Constantinopolitanos Tom. III. pag. 1073 seq.: *Σίμων μὲν γὰρ καὶ Μένανδρος, Κέρδων καὶ Μαρκίων παντάπασιν ἀρνοῦνται τὴν ἐνανθρώπησιν καὶ τὴν ἐκ*

παρθένου γέννησιν μυθολογίαν ἀποκαλοῦσι. Βαλεντῖνος δὲ καὶ Βασιλείδης καὶ Βαρδησάνης καὶ Ἁρμόνιος καὶ οἱ τῆς τούτων συμμορίας δέχονται μὲν τῆς παρθένου τὴν κύησιν καὶ τὸν τόκον, οὐδὲν δὲ τὸν Θεὸν λόγον ἐκ τῆς παρθένου προσειληφέναι φασίν, ἀλλὰ πάροδόν τινα δι' αὐτῆς ὥσπερ διὰ σωλῆνος ποιήσασθαι, ἐπιφανῆναι δὲ τοῖς ἀνθρώποις φαντασίᾳ χρησάμενον, καὶ δόξας εἶναι ἄνθρωπος, ὃν τρόπον ὤφθη τῷ Ἀβραὰμ καί τισιν ἄλλοις τῶν παλαιῶν. Simon quidem et Menander, Cerdon et Marcion penitus negant incarnationem nativitatemque ex virgine fabulam vocant. Valentinus autem et Basilides et Bardesanes et Harmonius et qui eiusdem sunt notae, virginis quidem conceptionem et partum admittunt, sed nihil ex virgine assumpsisse Deum Verbum dicunt: per eam tantum quasi per canalem quendam traiecisse hominibusque apparuisse, quum speciem solum haberet atque homo esse videretur, quemadmodum visus est Abrahamo et aliis quibusdam antiquis. Confer eiusdem lib. V. Haeret. fabul. cap. 11. ac Tertullianum lib. de Carne Christi cap. 1. et de Resurrectione carnis cap. 2. — *Καὶ διὰ τοῦτο ἦρθαι* etc.] Clemens quoque in Excerptis ex orientali Valentinianorum Didascalia pag. 798. col. 2. hanc eorum amentiam exponit his verbis: *Ἀπέθανεν δέ, ἀποστάντος τοῦ καταβάντος ἐπ' αὐτῷ ἐπὶ τῷ Ἰορδάνῃ πνεύματος, οὐκ ἰδίᾳ γενομένου ἀλλὰ συνταλέντος, ἵνα καὶ ἐνεργήσῃ ὁ θάνατος. Ἐπεὶ πῶς τῆς ζωῆς παρούσης ἐν αὐτῷ, ἀπέθανε τὸ σῶμα; Mortuus est autem* (Iesus) *abscedente eo, qui in ipsum apud Iordanem descenderat, Spiritu non separatim exsistente* (in perpetuum, quippe postea ad ipsum rediit), *sed subtrahente se paullisper, ut mors vim suam in illo exerceret. Quomodo enim corpus mori potuisset, dum vita in eo praesens exsisteret? — Et comprehendens*] p. 81. *Et* ex Voss. ac graeco additum; male vero *ἐξαφθὲν* a veteri interprete redditum *comprehendens*, quasi ex *ἅπτομαι*, tango, et praepositione *ἐξ* esset compositum *ἐξάπτομαι* indeque factum participium *ἐξαφθέν*, quum tamen hoc descendat ab *ἐξάπτω*, succendo. In casibus quoque nominum et temporibus verborum hic hallucinatus est interpres. Tertull. vero cap. 32. *Tunc credo ignis ille erumpet et universam substantiam depopulatus ipse quoque decineratis omnibus in nihilum finietur.* — *Ὑπαρχούσας*] *Ὑπάρχοντος* legendum frustra p. 82. monuerunt Billius et Petav., melius autem Fronto Duc. *ὑπαρχούσας* ad animas refert Quippe ista, *ἅτε — ὑπαρχούσας*, ab Irenaeo ad marginem scripta, male vero a scriba illis *καὶ πολλὰ* etc. postposita videntur, quum post *βασιλεῖς* inseri deberent. — *Ἀνθρώπων δὲ τρία* p. 84. *γένη* etc.] His similia leguntur apud Clementem in Excerptis p. 797. col. 1. *Ἀπὸ τοῦ Ἀδὰμ τρεῖς φύσεις γεννῶνται· πρώτη μὲν ἡ ἄλογος, ἧς ἦν Κάϊν· δευτέρα δὲ ἡ λογικὴ καὶ δικαία, ἧς ἦν Ἄβελ· τρίτη δὲ ἡ πνευματική, ἧς ἦν Σήθ. Ab Adamo tres proseminatae sunt naturae: prima quidem irrationalis, cuius erat Cain; altera vero rationalis et iustitiae dedita, cuius erat Abel; tertia denique spiritualis, cuius erat Seth. — Οὐκέτι καθ' ἕν*] Nam supra cap. 10. tres p. 86. has naturas, spiritalem, animalem et terrestrem in Adamo et consequenter in singulis hominibus reperiri ex Valentinianorum sententia dixerat Irenaeus. — *Spiritalia vero* etc.] Pro *spiritale*, quod perpe- p. 87.

ram in Feuard. legitur, ex Erasm. et Gallas. editt. et MSS. Arundel. Voss. Merc. II. reposui *spiritalia* iuxta graecum *τὰ δὲ πνευματικά*. Reliqua autem in MSS. et editt. omnibus sunt vitiosa, quia vetus interpres pro *δικαίαις* legens *διὸ καὶ* male reddidit *propter quod et animae* etc. alia ut taceam. Neque recentiores Billii, Frontonis Ducaei et Petavii versiones sunt satis accuratae, quod graecum textum haud exacte distinxerint Ego pleraque antiqui interpretis verba retenturus hoc colon ita latine redderem: Spiritalia vero, quae Achamoth ex illo tempore usque nunc iustis animabus inseminaverit, erudita hic et enutrita, quia pusilla emissa fuerint, post deinde perfectione digna habita, sponsas reddi Salvatoris angelis docent.

p. 79. MASSUETUS: *Et hoc esse sponsum et sponsam*] De quibus in Scripturis et speciatim Matth. 25, 6. *exite obviam sponso.* Quotiescunque enim in Scripturis sponsi et sponsae mentio occurrit, id sta-
p. 80. tim ad Salvatorem suum et Sophiam trahebant nugaces isti. — *Διὰ Μαρίας διοδεύσαντα*] Vetus hic error, cuius meminit Ioannes apost. epist. I. cap. 4. et quem in omnibus paene epistolis perstringit martyr Ignatius. Communis is fuit plerisque e veteribus haereticis, de quibus fuse disserit Petavius Tom. IV. Theolog. Dog. edit. Paris. 1650. lib. I. cap. 2. et 4. Lege sis. Horum omnium, aut plerorumque saltem, fundamentum id erat, quod ex Valentinianis superius cap. 6. retulit Irenaeus, materiale corpus malum esse et salutis incapax, ac propterea a Christo assumi non potuisse, qui ea tantum susceperit, *quae salvaturus erat.* — *Ὃ ἦν κατεσκευασμένον*] Hic Grabius subintelligit *σῶμα;* ego indefinitum *πρᾶγμα.* Id enim refertur ad *ἐκ τεσσάρων τούτων,* scilicet *πραγμάτων.* — *Καὶ τοῦτο μὲν ἀπαθῆ*]
p. 81. Legit interpres *καὶ τοῦτον,* scilicet *Σωτῆρα.* — *Quum traheretur*] Feuardentium sequimur, qui sic, monente Frontone Duc. ex graeco *προσαγομένου* emendavit. Emendationi suffragatur Oxtob. cod. In ceteris cum editt. tum MSS. perperam legitur, *quum traderetur,* male transformata a festinantibus scribis *h* in *d.* Hos tamen, errantes licet, sequi Grabio placuit: quamvis tamen in multis aliis locis Feuardentio, ex solo textu graeco-latinum emendanti, adhaerere non dubitaverit. —
p. 82. *Καὶ αὐτὸ τὸ πνευματικόν*] Lege cum vet. interpr. *καὶ αὐτό, ἅτε πνευματικόν.* — *Ὑπὸ τοῦ σπέρματος τούτου*] Legendum vult Petavius, ad marginem Epiphanii p. 192. *ὑπὲρ,* non *ὑπὸ,* deceptus scilicet veteri interpretatione: *multa de hoc semine dicta per prophetas exponunt;* quam interpretationem secuti sunt Billius et Gallasius. Sed genuinam esse lectionem *ὑπὸ,* demonstrant quae mox subiicit Irenaeus: *dividunt prophetias, aliquid quidem a matre dictum* (per prophetas) *docentes, aliquid a semine, τὸ δέ τι ἀπὸ τοῦ σπέρματος, aliquid autem ab ipso Demiurgo.* Adeo ut certum sit, ex mente Valentinianorum, prophetas non de semine locutos fuisse; sed semen, spiritales
p. 83. scilicet animas iis infusas, per eos interdum vaticinia fudisse. — *Per hunc*] Supp. *Demiurgum multa de superioribus dicta esse dicunt, et per eas, quae a Demiurgo factae sunt animae,* spiritales scilicet, et spiritali semine imbutae, ut mox explicatur. Haec tamen non ad Demiurgum, sed ad semen, de quo mentio proxime facta est, refert Cornarius, et minus bene. Ea vero sic exprimit Petavius, ut graecorum

sensum haudquaquam assequatur: *Quia etiam de caelestibus multa disputasse matrem, deque animis, quos vel ille, vel qui ab illo oriundi sunt, produxerunt.* Quae si quis cum graecis contulerit, ab Irenaei sensu aliena esse deprehendet. — *Διατετελεκέναι*] Legisse videtur p. 81. interpr. *διατετηρηκέναι*, sed minus apposite ad auctoris sensum. — *Per Salvatorem*] Particulam *per*, incuria scribarum omissam, aucto- p. 85. ritate graeci textus supplevi, hamulis tamen inclusam. Haud dubium enim, quin *ἀπὸ τοῦ Σωτῆρος* verterit interpres vel *per Salvatorem* vel *a Salvatore*. — *Ignorantem conservasse*] In ed. Oxon. *ignoranter conservasse*, repugnantibus textu graeco, MSS. nostris, et omnibus aliis editt. sed forte typographorum lapsus est. Ceterum interpres verbum *διατετελεκέναι* (si ita legerit, et non *διατετηρηκέναι*) male reddidit *conservasse;* vertendum erat *perstitisse* vel *perseverasse*. — *In gaudium ei cessisse*] Graec. *ἄσμενον αὐτῷ προσχωρήσαντα* (forte *προσχωρῆσαι*), quod vertendum erat, *libenti animo ad eum accessisse*, vel saltem *in gaudio ei accessisse*. — *Perfecturum autem eum* etc.] Hic iterum culpanda interpretis diligentia. Verte ad litteram: *perfecturum autem eum mundi administrationem*, non *creationem*. Sed clarius totam hanc periodum reddidit Billius: *eum autem in mundi administrandi munere, quamdiu par erit, versaturum; idque praesertim, ut ecclesiae commodis cura sua atque diligentia consulat, atque ob id etiam quod quidnam sibi praemii paratum sit, perspectum et exploratum habeat, hoc est, ut ad matris regionem perveniat.* — *Spiritale — animale vero*] Sic ex graeco reposui pro *spiritalem*, quod in omn. cum editt. tum MSS. irrepserat, manifesta scribarum incuria. Interpres enim eadem repetens inferius recte scripsit *animale, spiritale.* — *Iam non secundum unumquemque*] Nam, ut observat Grabius, p. 87. supra cap. 5. tres has naturas, spiritalem, animalem et terrestrem, in Adamo, et consequenter in singulis hominibus (quamvis non in eodem gradu) reperiri dixerant Valentiniani. Hinc Tertull. cap. 29. *Triformem naturam primordio professi, et tamen inunitam in Adam, inde iam dividunt per singulares generum proprietates: nacti occasionem distinctionis eiusmodi ex posteritate ipsius Adae, moralibus quoque differentiis tripartitae.* — *Spiritalia vero*] Sic MSS. omnes, cum editt. Erasm. Gall. et Oxon. iuxta graecum *τὰ δὲ πνευματικά*. Feuard. vero perperam *spiritalem*. Cetera male reddidit interpres, quia male legit: omisit enim *ἃ ἂν*, et pro *δικαίαις ψυχαῖς παιδευθέντα*, legit *διὸ καὶ ψυχαὶ παιδευθήσονται*, ut alia taceam. Nec accuratae sunt recentiores Billii, Frontonis Duc. et Petavii versiones. Haec ego sic redderem: *spiritalia vero, quae ex illo tempore usque nunc animabus iustis inseminaverit Achamoth, hic erudita et enutrita, quod pusilla emissa fuerint, post deinde perfectione digna habita, sponsas redditum iri Salvatoris angelis docent.*

CAP. VIII.

GALLASIUS: *De arena resticulas nectere*] *Ἐξ ἄμμου σχοινία* p. 89. *πλέκειν*. In eos dictum, qui res nullo modo cohaerentes nituntur coniungere. Ac plus quiddam exprimit et vehementius hoc proverbium, quam illud: *arena sine calce* vel *scopae dissolutae*. Nam illis vitupe-

ratur dissolutio rerum vel negligens agglutinatio et compactio eorum, quae coniungi possunt: hoc vero temeraria et impudens aggestio et cumulatio eorum, quae penitus inter se dissident, ut Valentinianorum, qui locos sacrae Scripturae et parabolas suis deliriis et portentis adaptando fucum aliquem inperitis facere nitebantur.

p. 89. BILLIUS: *Argutiam*] *Σοφίᾳ.* Vetus interpres legit *φαντάσματι,* id est, spectro, quod vocabulum optime quadrat in hos detortorum Scripturae locorum consarcinatores, qui non solidum quoddam utilis doctrinae corpus afferunt, sed velut spectrum inane confingunt. — p. 94. *Renuntiare his quae in domo mea sunt*] *Ἀποτάξασθαι τοῖς ἐν τῷ οἴκῳ μου.* Verti etiam potest, *extremum salutare domesticos meos.* p. 97. — *Si radix sancta* (nos: *primitiae sanctae*)] Gallasii oscitantiam non queo non mirari, qui ne hic quoque mendum graeci codicis deprehenderit, sed in apertissimo Scripturae loco tanquam in meridiana luce hallucinatus sit. Vertit enim *et erant primitiae sanctae.* In graeco autem pro ἦν legendum ἦν, quemadmodum cuivis, nisi plane caeco, perspicuum est. — *Atque in se contraxisse* (nos: *in se sursum tulisse*)] *Συνεσταλκέναι.* Mendosum hoc loco fuisse codicem vet. interpr. suspicor, qui *erexisse* vertit, quasi in graeco esset *συναν-* p. 101. p. 103. *νεστηκέναι.* — *Et Nun*] Haec addo ex vet. — *Coniunctior ei est*] *Οἰκειοτέρα, propinquior, familiarior.* Atque hic delenda est praepositio *ἐν.* — *Frugescit*] Tertullianus pro verbo *καρποφορεῖν,* interdum *fruticare,* interdum *frugescere,* reddit ad verbum *fructificare.* — *Hominis nimirum*] In veteri traslatione pro *homines,* legendum *hominem.* Eod. vers. delenda p. 105. sunt haec verba *τῷ ἀνθρώπῳ.* — *Totius Pleromatis*] *Παντὸς τοῦ πληρώματος.* Vetus tamen interpres non *παντὸς,* sed *ἐντὸς* legisse videtur. Vertit enim *intra:* sed priori lectioni magis assentior.

p. 89. FRONTO DUCAEUS: *Fide digna*] *Ἀξιοπίστως, fide digne.* Paullo post *ψηφίδας,* lapillos sive calculos, aut testulas tales intelligere potes, quales ad museum opus sive musivum, ut appellat Plinius, conficiendum adhibebantur, quum vermiculata pavimenta tesserulis, aut emblemata pingebantur, aut variegatis ad effigiem rerum et animalium crustis. Spartianus de Pescennio Nigro imperatore: *Hunc in Commodianis hortis in porticu curva pictum de musivo inter Commodi* p. 91. *amicissimos videmus sacra Isidis ferentem.* — *Anicularum fabulas assumentes* (nos: *adsuentes*)] Gr. *συγκαττύσαντες μύθους,* fabulis consutis. Videtur scripsisse *fabulas assuentes,* et *hinc inde auferentes adaptare volunt.* Iustinus ad Zenam *συναλλάγματα βίαια συν-* p. 93. *καττύοντας.* — *In abortionis partu*] *Ἐν ἐκτρώματος μοίρᾳ,* abortus cuiusdam instar. Vetus scripserat *parte.* — *Quam tristis est anima*] A graeco abest illud *quam,* et *λύπη* melius *tristitia* reddita esset, p. 95. quam *taedium.* — *Dicenti, Sequar te, non habet*] Graec. *ἐν τῷ εἰπεῖν τῷ ἐρωτήσαντι, ἀκολουθήσω σοι; Ei qui interrogaverat, Sequar te? dixerit, Non habet.* Hoc doctiss. Billius vertit, ut est Matth. 8, 19. Sed perperam ista citare potuerunt haeretici, ex quorum myrotheciis ista proferuntur. Recte hoc converterat Cornarius et eum secutus Gallas., sed lacunam ipsius interpretationis male explevit in altero evangelii loco: *Permitte mihi, ut prius constituam de iis, quae sunt domi meae;* melius enim vertitur a veteribus evangelii et Irenaei

interpretibus: *renuntiare domesticis* vel *iis qui domi sunt:* nam altera lectio Vulgatae Lucae 9, 61. hinc confirmatur, et illo Tertulliani 4. in Marcionem 23. *prius suis valedicere parantem prohibet retro spectare.* Iustinus Dialog. *μετανοίας καὶ ἀποταγῆς πρὸς ἀδικίαν.* Quid sit *ἀποτάττεσθαι* et *ἀποταγή*, discat Gallasius ex Isidoro Pelusiota, si quid novum et insolens sibi velit cognoscere. — *De mediis esse*] In graeco legas fortasse rectius *τῶν μέσων*, quam *μέσον*, vel certe *ἐκ τῶν μέσων.* Bill. *hunc mediae classis esse.* — *Conspersiones autem*] p. 97. Verior lectio *conspersionem, φύραμα.* Ceterum in interpret. doctiss. Billii scribendum est, *testatum esse. Et si delibatio sancta, utique et massa.* Quo loco per delibationem, id quod spirituale est significari docent; vide Rom. 11, 16. Plane enim *μνημονικὸν ἁμάρτημα* tanti viri esse censeo vel amanuensis eius: non enim solet a Vulgatae verbis discedere; quae sicut alibi, *ἀπαρχήν, primitias et delibationem,* ita *φύραμα, conspersionem* vertit, aut *massam,* cum veteri interprete Irenaei. — *In evangelio*] Adde e graeco *Prophetissa dicitur septem* p. 99. *annis etc.* — *Quod etiam Nun vocat*] Graeca sonant *quem etiam Fi-* p. 101. *lium unigenitum et Deum vocavit, in quo omnia Pater praemisit* (vel *emisit*) *seminaliter;* et *in eo omnem Aeonum substantiam.* Vocem *Nun* vel *Mentem* non reperio apud Ioannem; neç illius postea fit mentio hoc loco, dum cetera evangelii verba expenduntur. — *Quoniam igitur*] Ita distingue: *Quoniam de prima genesi dicit; bene a principio, hoc est, a Deo et Verbo doctrinam facit.* Billius quoque hoc tantum habet, *a principio, hoc est, a Deo et Sermone doctrinam suam instituit.* Delenda ergo vox *Filio,* quum absit a graeco. — *Quod est formatum et manifestatum*] Interpres fortasse scripsit *quod* p. 105. *est formatum esse et manifestatum* pro *formati sunt et manifestati.* Sic legit postea *εἴρηται* pro *εἰρῆσθαι, lumen dicta est. Quaternionem secundam* paullo post et alibi dicit, familiari soloecismo, nisi *quaternationem* malis ibi fuisse; ut in aliis locis. — *Dicit autem sic:* p. 107. *et Verbum*] Haec verba usque ad *Diligenter igitur,* quum et apud Epiphanium, et apud vet. interpr. reperirentur, miror in Billii interpretatione omissa esse [In hac nova editione addita sunt.] Porro illud *πλήρης,* quum priori loco ita reddidisset Gallasius, ut referret ad *gloriam, plena gratia et veritate;* posteriore ita vertit, ut Cornario sapientior videretur, et repudiata voce *Verbum* novam usurparet: *Et Sermo factus est caro, et habitavit in nobis etc. et contemplati vidimus gloriam ut unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.* Ubi insigniter lapsus est: nam ut eum docere potuit Erasmus *πλήρης* refertur ad *λόγος,* ut sit sensus, *verbum factum est caro, et habitavit in nobis, plenum gratiae et veritatis,* atque ita Vulgatae auctor. Interpres autem Irenaei retulit ad gloriam, et vertit *plena gratia,* posteriore loco, ubi tamen plenam debuit reddere ex eorum sententia, qui putant Theophylactum non *πλήρης* sed *πλήρη* legisse. Cyrillus quoque in Ioan. lib. I. cap. 17. sed si plena est gloria eius gratiae, quo modo gratia profecisse apud Lucam scribitur? Nonnus vero *καὶ χάριτος πέπληθε καὶ ἀρετκίης γενετῆρος.*

FEUARDENTIUS: *Quum sit igitur tale illorum arg.* etc.] Illo- p. 87. rum sententiam reiicit, primo, quod neque propheticis concionibus,

neque Christi doctrina, aut apostolica traditione niteretur. Iisdem telis Florini haeresin sic conficit lib. de Monarchia apud Euseb. l. V. hist. c. 19. *Ista dogmata, Florine, sanae doctrinae et sententiae non sunt. Ista dogmata sunt ecclesiae repugnantia, utpote quae eos, qui illis obsequuntur, in maximam impietatem deiiciant. Ista dogmata ne haeretici quidem, qui erant ab ecclesia exturbati, unquam affirmare audebant. Ista dogmata presbyteri, qui ante nos fuerunt quique erant ipsorum apostolorum discipuli, minime tibi tradiderunt.* Vides quam grave Irenaeo visum fuerit a traditione sumptum argumentum; sed de hoc in sequentibus commodior erit dicendi locus. Secundo loco, quod suas hypotheses ex *ἀγράφοις*, id est, non scriptis, scil. legitimis, sed suppositiiis, nothis et a se ipsis confictis stabilirent, quibus simplices inescatos in retia sua pertraherent, quod apertius infra cap. 17. indicat. *Super haec autem* (ait) *inenarrabilem multitudinem apocryphorum et perperum Scripturarum, quas ipsi finxerunt, adferunt, ad stuporem insensatorum* etc. Et cap. 35. *Evangelium nomine Iudae proditoris proponunt* etc. Addam et Epiphan. qui Marcionem, librum ex evangeliorum, ex apostoli mutilatis et depravatis sententiis concinnatum, quem apostolicum nominabat; Sethianos, libros septem nomine Seth, librum unum nomine Abrahae, aliosque nomine Mosis; Encratitas, scripturas quae dicebantur Andreae, Ioannis et Thomae; Archonticos quoque sibi ipsis libros confictos, quos symphoniae magnae et parvae nomenclatura ornabant, conscripsisse et circumtulisse, in singulos scribens testatur. De psalmis a Valentino magna impudentia confictis conqueritur Tertullian. lib. de Carne Christi. Augustinus quoque lib. de Natura boni, contra Manichaeos cap. 44. indicat scripturam quandam blasphemiis refertam, cui *Thesauri* nomen dabant, eosdem legisse, audivisse, credidisse: sicut et epistolam Matthaei, quam *Fundamentum* nominabant, libro, quo prolixe eam confutat. Idem etiam lib. 14. de Civit. c. 23. multa sub nominibus prophetarum et apostolorum ab haereticis prolata fuisse, quae sub nomine apocryphorum auctoritate canonica diligenti examine remota fuerint, testis est. Hoc quoque stratagema nec saeculi nostri haereticis defuit, qui quendam Bertramum contra eucharistiam; Carolum Magnum, contra imagines; et Huldricum sive Uldaricum, Augustanum, adversus coelibatum, confinxerunt aut depra-
p. 89. varunt. — *De arena resticulas nectere*] Graeca proverbii verba sunt: *Ἐξ ἄμμου σχοινία πλέκειν*, in quibus mira apparet in-explicanda Valentinianorum stoliditate proprietas, qui Scripturarum undique collecta ramenta, nullo pacto inter se cohaerentia, ad sui erroris confirmationem nectere conarentur. Alio postea idem significante usus est Synesius epistola adversus Andronicum, qui civilem virtutem cum sacerdotio, quod est *κλώθειν τὰ ἀσύγκλωστα*, id est, ea nere, quae neri nequeunt, eleganter epistola quinquagesima septima esse dicit Synesius, coniungebat. — *Quomodo si quis regis imaginem* etc.] Hac homoeosi omnium haereticorum artem veteratoriam lepide explicat, qua putres fabulas suas eloquiis divinis operiunt; ac si quis simiam, foedum ac turpe animal, purpura ornaret, asinum exuviis leonis indueret, *et plumbeos enses*, ait Nazianzenus ad Nicobolum, *argenteis vaginis conderet et occultaret;* aut (si ex sacris mavis) lu-

pos rapaces vestimentis ovium, et Satanam in angelum lucis transformaret. Valentinianos istos scortis publicis similes asserit, stringens in illos calamum Tertull. quae ut illito quotidie sibi fuco lascivos irretiunt; sic et illi figmentis, quae in dies comminiscebantur, incautos inescabant; pharmacopolas etiam referre, scribit Vincentius Lirinensis, qui noxia gramina salubribus titulis coronant. — *Ab hoc autem*] Delevimus *adhuc*, quoniam graece est *ὑπὸ δὲ τούτου*. Deinde *omnem*, pro *communem*, tam ex cod. vet. quam graeco reposuimus.

GRABIUS: *Τοιαύτης δὲ τῆς ὑποθέσεως* etc.] Integram hanc sectionem exceptis ultimis verbis *καὶ ὅσα μὲν ἐν τοῖς* etc. cap. 8. tractatus de Virtute inseruit Ephraim Syrus, haud expresso quidem Irenaei nomine, sed indefinito sancti cuiusdam titulo usus sequentem in modum: *Καλῶς καὶ μεγάλως ἀπεφήνατό τις τῶν ἁγίων, οὕτω διδάξας, καί φησιν· Τοιαύτης* etc. Quoniam vero graecus huius libelli textus nondum lucem vidit, ex MS. bibliothecae Bodleianae codice Laud. C. 97. quo plures Ephraemi tractatus graece continentur, varias lectiones observat. dignas excerpsi et hic annotavi. — *Κάλυμμα*] Hic Pauli locus non quoad verba, sed sensum allegatus est, indeque *κάλυμμα* loco *ἐξουσίας* positum. Nam uti Theophylactus in hunc locum ait: *Τὸ τοῦ ἐξουσιάζεσθαι σύμβολον, τουτέστι τὸ κάλυμμα*, symbolum subiectionis est velum. — *Περίλυπος κτλ.*] *Ὅτι περίλυπος* ab Irenaeo scriptum indeque ortum coniicio in veteri versione erratum: *Quam tristis est* etc. pro *quoniam tristis est* etc. Nam ita lib. III. cap. 32. legimus: *Οὐδ' ἂν εἰρήκει, ὅτι περίλυπός ἐστιν ἡ ψυχή μου*. Ex quo loco etiam colligitur hic sive ab Epiphanio sive a recentiori manu additum esse in graeco *ἕως θανάτου*. Quippe in veteri versione utrobique deest *usque ad mortem*. — *Οὐκ οἶδα*] Hae duae voces in s. Ioannis textu non exstant, sed a Valentinianis explicationis ergo additae sunt. — *Οὗτος*] Male Petavius in Epiphanio excudi fecit *οὕτως* indeque latine reddidit: *Sic erat in principio apud Deum*. Valentinianos enim non ipsa haec s. Ioannis verba, sed sensum eorum solum corrupisse constat partim ex veteri huius commatis interpretatione, quae habet: *Hoc erat in principio apud Deum;* partim ex paullo post sequentibus verbis, ubi et in ipsa Petavii editione legitur: *οὗτος ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν Θεόν*. — *Τὸ γὰρ ἐκ Θεοῦ γεννηθὲν Θεός ἐστιν*] Bene notandum hoc sive Irenaei sive Valentinianorum axioma, per quod vera Deitas Christi utpote ex hypostasi Patris geniti probari potest. — *Τοῦ μονογενοῦς* etc.] Nominantur hoc versu primi IV. Aeones: Pater sive Bythos, Charis sive Sige, Monogenes et Alethia. — *Dicens intra Pleroma*] Repone: *dicit omnis Pleromatis* iuxta graeca *φησὶν αὐτὸν παντὸς τοῦ Πληρώματος*, pro quo interpres legit *ἐντὸς τοῦ Πληρώματος*. Atqui licet haec lectio ob praecedens *ἐκτὸς* cuipiam forte arrideret, alteram tamen cum Billio praefero, quia et sequentibus magis congruit et supra §. 4. Irenaeus refert Iesum a Valentinianis dictum *τοῦ Πληρώματος τέλειον καρπόν*, Pleromatis perfectum fructum. — *Πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας*] Hinc liquet, Valentinianos haec verba non ad *λόγον*, sed *δόξαν* retulisse, quam interpretationem et ab orthodoxis quibusdam probatam invenias, Cyrillo nempe Alex. et Theophylacto in Comment. ad hunc locum, quamvis prior in edit. Paris. Tom. IV. pag. 96.

p. 86.
p. 92.
p. 94.
p. 100.
p. 102.
p. 104.
p. 105.
p. 106.

ad alium detorqueatur sensum. Sed si pergas legere pag. 97. mentem Cyrilli clare perspicies. Neque tamen dictum verborum s. Ioannis sensum pro genuino habeo, quum vel ipsa grammatica constructio doceat vocem *πλήρης* in nominativo casu positam non *δόξαν* accusativi casus respicere, sed cum praecedenti nominativo *λόγος* construendam esse.

p. 86. MASSUETUS: *Τοιαύτης δὲ τῆς ὑποθέσεως* etc.] Notat Grabius integram hanc sectionem, exceptis ultimis verbis *καὶ ὅσα μὲν ἐν τοῖς* etc. capitulo 8. tractatus *De virtute* insertam fuisse ab Ephraem Syro, haud expresso quidem Irenaei, sed sub indefinito *Sancti cuiusdam* nomine, sequentem in modum: *Καλῶς καὶ μεγάλως ἀπεφήνατό τις τῶν ἁγίων, οὕτω διδάξας, καί φησι. Τοιαύτης* etc. Quoniam vero graecus huius libelli textus nondum lucem vidisse ait vir eruditus, varias lectiones observatione dignas excerpsit, ex MS. bibliothecae Bodleianae cod. Laud. c. 97. quas annotavit. Idem Ephraemi tractatus exstat in MS. cod. bibliothecae Colbertinae optimae notae, inter varia alia patrum opuscula, cum quo etiam graeca Irenaei contulimus.

p. 89. — *Ex iis quae aptant* etc.] Haec ita construe: *phantasmati* (pro *phantasmate*) *male composito ex iis quae aptant ex dominicis eloquiis,* suae scilicet hypothesi. — *Imaginem bonam fabricatam diligenter*] Legendum iuxta graecum *imagine bona fabricata diligenter,* in ablativo

p. 91. absoluto. — *Per gemmarum phantasiam*] Melius vertisset interpres

p. 92. *per gemmarum speciem.* — *Δεῖ τὴν γυναῖκα κάλυμμα ἔχειν*] In nostris codicibus 1 Cor. 11, 10. legitur *ὀφείλει ἡ γυνὴ ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς.* At Irenaei codices habere potuisse *κάλυμμα,* inde coniicio, quod in quibusdam citatis in edit. No. Test. Oxon. an. 1675. pro *ἐξουσίαν,* legatur *περιβόλαιον;* et Hammondus in annot. in hunc locum scribat, in codicibus quibusdam latinis haberi *velamen.* Sed quidvis legatur, sive *ἐξουσίαν* sive *κάλυμμα,* perinde est ad sensum. Nam, ut post Photium epist. 210. observat Theophylactus in hunc locum, *τὸ τοῦ ἐξουσιάζεσθαι σύμβολον, τουτέστι τὸ κάλυμμα,*

p. 94. *symbolum subiectionis est velum.* — *Οὐκ οἶδα*] Istae duae voces in hodierno s. Ioannis textu non exstant. Forte a Valentinianis Scripturarum corruptoribus ad erroris confirmationem additae fuerant. —

p. 95. *Ire et renuntiare*] *Ire et,* non est in graec. sive Epiphan. sive s. Lucae textu: sed in hoc, ante *ἀποτάξασθαι,* legitur *πρῶτον, primum,* quod omisit interpres. Ceterum graeca huius evangelii loci perperam vertit Gallasius: *permitte mihi ut prius constituam de iis, quae sunt domui meae.* Melius vertuntur a vet. evangelii et Irenaei interpret. *renuntiare domesticis,* vel *iis, qui domi sunt.* Nam, inquit Fronto Duc. altera lectio Vulgatae Luc. 9, 61. hinc confirmatur, et illo Tertulliani lib. IV. contra Marc. c. 23. *Prius suis valedicere parantem prohibet retro spectare.* Si vel vulgata lexica consuluisset Gallasius, didicisset, *ἀποτάσσεσθαι* frequenter significare *dimittere, valere iu-*

p. 96. *bere, nuntium remittere* etc. — *Τὰ τοῦ πνεύματος*] *Τοῦ Θεοῦ* addunt nostri N. Test. codices. Quod omissum est non solum hoc loco, sed et in Syriaca versione ac Chrysost. in Comm. ad 1 Cor. 11. Clemens vero Alex. lib. I. Strom. pag. 297. haec apostoli verba refert, cum vocibus *τοῦ Θεοῦ,* at lib. V. pag. 557. eadem verba commemo-

rans omittit *τοῦ Θεοῦ*. Hinc colligit Grabius has voces priori loco a recentiori forte scriba additas fuisse. Sed non satis firma videtur ea coniectura. Clemens enim lib. V. Strom. apostoli verba non ex professo, sed ex memoria citare videtur, tacito etiam apostoli nomine, et solum quantum ad scopum conducebant, ut scilicet probaret a spiritalibus duntaxat apprehendi posse spiritalia. — *Συνεσταλκέναι*] Suspicatur Billius mendosum hoc loco fuisse codicem, quo usus est vetus interpres, qui *erexisse* vertit, quasi in graeco esset *συνανεστηκέναι*. Suspicarer ego potius cum Grabio mendosum esse nostrum codicem, genuinamque lectionem esse *συνανεστηκέναι*. Id suadere videtur ratio quae continuo subiicitur, *ἐπειδὴ ἦν αὐτὸς ζύμη, quoniam erat ipse fermentum;* fermenti enim proprium est, non *contrahere,* sed potius *inflare* et *erigere.* — *Restituitur secundum eos intra Pleroma*] Quia nimirum Enthymesis, seu Achamoth a medietatis loco in ipsum Pleroma transiens, matri suae, superiori Sophiae, a qua per Horon separata fuerat, denuo coniungitur. Vide cap. 2. et 7. — *In manus suas*] Graec. *εἰς τὰς ἀγκάλας, in ulnas suas.* — *Οὗτος*] Sic recte codex Reg. cum omnibus Irenaei editt. Petavius vero Basileensem Epiphanii editionem perperam secutus scripsit *οὕτως,* indeque latine reddidit: *sic erat in principio* etc. Sed mirum quod vir doctissimus huius editionis mendum hic non deprehenderit, qui paullo post ea ipsa Ioannis verba, prout in eadem recte describuntur, recte ipse scripsit: *οὗτος ἦν ἐν ἀρχῇ;* quamvis aliis intentus iterum verterit: *sic erat in principio.* Nusquam ita vertit vetus Irenaei interpr. nec ea Ioannis verba, sed sensum duntaxat corrumpebant Valentiniani. — *Et omnium generationem*] Istae voces male huc translatae sunt. Cetera quae sequuntur, mutila sunt. Quare sic ex graeco restitue: *Adhuc autem Ioannem discipulum Domini docent, primam Ogdoadem ipsis verbis significasse, ita dicentes. Ioannes discipulus Domini omnium generationem exponere volens, iuxta quam Pater omnia produxit, principium aliquod subiecit* etc. — *Quod etiam Nun vocat et Filium, et unigenitum Domini vocat*] Cod. Clarom. *quod etiam nunc vocat et Filium, et unigenitum Deum vocat.* Quoad vocem *nunc* consentiunt Voss. et Merc. II. quoad vocem *Deum,* Arund. Sed neque sic legendo graecorum sensum exprimes, aut textus latini defectibus medeberis. Lege ergo: *Quod et Nun, et Filium unigenitum, et Deum vocavit.* Quamquam vox *Νοῦς* neque in graeco Irenaei textu, neque in hoc primo evangelii Ioannis capite occurrat. — *Praemisit*] Ita Clarom. Pass. Voss. et Feuard. in marg. procul dubio ex vet. cod. At idem Feuard. in textu, cum Erasm. et Gall. minus bene *dimisit.* Mallem *προέβαλε* hic, ut alibi solet, vertisset interpr. *emisit.* — *Οὐδ' ἓν*] Ab his verbis hanc Ioannis periodum claudebant non Valentiniani modo, sed et Macedoniani, quos refellit Chrysostomus Homil. IV. in Ioan. pro suae quique haereseos scopo. Quin et Catholici plures, sed catholico sensu, sic claudunt, ut auctor noster lib. I. cap. 22. lib. II. cap. 1. lib. III. cap. 8. etc. Cyrillus Alexand. in Ioan. Augustinus Tract. I. in Ioan. et latinorum interpretum plerique, Estio teste. — *Τὴν δὲ ζωὴν ἐν αὐτῷ*] Pravum hunc Valentinianorum sensum deridet Origenes Tom. III. Comment in Ioan. p. 71. Lege sis.

p. 99.

p. 100.

p. 101.

p. 102

Eundem amplectebantur Macedoniani, ut Spiritum sanctum, quem vitam esse dicebant, in rebus creatis annumerarent. Confutat Chrysost.
p.103. loco cit. — *Quoniam infert etc. hominem autem nunc etc.*] Melius ex graeco legas: *Quoniam infert etc. nunc hominem dicens; et ecclesiam eadem voce significavit.* Porro *hominem* pro plurali *homines* (ut in ceteris exemplaribus legitur) ex cod. Voss. et graeco recte reposuit
p.104. Grabius. — *Παντὸς τοῦ Πληρώματος*] Vet. interpres non *παντὸς,* sed *ἐντὸς* legisse videtur. Vertit enim *intra.* Sed prior lectio praeferenda. Salvatorem enim totius Pleromatis fructum esse iam non
p.105. semel dixerunt Valentiniani. — *Plenum gratia*] Codicem Arund. sequimur, ceteris omnibus cum editt. tum MSS. hic praeponendum. Illum quidem postposuit Grabius; quia vocem graecam *πλήρης* ad *δόξαν* cum Billio et Petavio referre maluit, quam ad *Λόγον;* sed doctissimos alioqui viros graecorum sensum hic assecutos non fuisse, in notis ad textum graecum demonstravimus. Quare distinctionis caussa, haec: *cuius gloriam vidimus — data est ei,* parenthesi includi-
p.106. mus. — *Πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας*] Vel lege *πλήρη,* vel subintellige *ὅς ἐστι πλήρης* etc. *πλήρης* enim, non ad *δόξαν,* (quod vult Grabius Billium et Petavium secutus) sed ad *Λόγον,* ex ipsa etiam Valentinianorum mente, hîc referri suadent plura. Quamvis ex memoria duntaxat citari hic videantur Ioannis verba, additis scilicet multis vocibus quas sacer evang. textus non agnoscit, servatur tamen idem regimen verborum, quod Ioannes ipse servavit. Quumque Ioannes in nominativo casu reposuerit *πλήρης,* (ut ferunt melioris notae codd. et legunt omnes fere ss. PP.) et ad *Λόγος* retulerit, non mirum si in eodem casu hic reponatur, (quamvis forte commodior fuisset accusativus, propter praecedens *Λόγον*) et illuc referatur: quum maxime nihil ad Valentinianorum hypothesin referret, an ad *Λόγον,* an ad *δόξαν* referretur *πλήρης.* Deinde quum statim non ex memoria, sed ex codice proferunt haeretici illi ipsa Ioannis verba, recte legunt, *πλήρης χάριτος* etc. Atqui si *πλήρης* ad *δόξαν* retulissent, legere debuissent *πλήρη* in accusativo, non *πλήρης,* uti satis patet. Denique Irenaeus quaecunque hic ex Valentinianorum mente profert evangelii testimonia, eodem modo legit et ipse in aliis locis; sensum enim, non verba corrumpebant illi. At lib. V. cap. 18. eadem, de quibus agimus, verba laudans *πλήρης* ad *Λόγον* refert: vertit siquidem interpr.
p.107. *plenum gratia et veritate. — Dicit autem sic etc.* usque ad *Diligenter igitur*] Billium, alioqui non indiligentem, in nova versione sua haec praetermisisse, cum Frontone Duc. miror. Sed paullo magis stupenda Gallasii hallucinatio: dum enim novis vocibus studet, iis repudiatis, quibus utitur Vulgata nostra, nec evangelico sensui, nec grammaticae legibus consulit. Vertit enim: *et Sermo factus est caro, et habitavit in nobis, et contemplati vidimus gloriam ut unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.* Sive enim *plenum* ad vocem *Sermo,* sive ad *gloriam* referat, soloecismi culpa tenetur. Atqui si vel Erasmum consuluisset, ab eo didicisset vocem graecam *πλήρης* referri ad *Λόγον,* non ad *δόξαν;* ac proinde vertendum erat: *et Sermo factus est caro, et habitavit in nobis etc. plenus gratiae et veritate. — Plenum gratia et veritate*] Sic ex graeco emendamus, immo ex ipso Ire-

naei interpr. qui lib. V. cap. 18. sic reddidit. In ceteris autem omnibus cum editt. tum MSS. legitur *plena*, sed manifesto scribarum lapsu. Si enim ea gratiae veritatisque plenitudo ad gloriam referretur, in graeco scribendum fuisset *πλήρη*, et in latino *plenam*.

CAP. IX.

BILLIUS: *Et non tanto post intervallo*] Delenda sunt in graeco haec verba *τοσοῦτον δειχθῇ τῆς ὀγδοάδος καὶ οὐκ ἂν μετά*. — *Qui ex omnibus ortus est*] Lego cum veteri *ὁ ἐκ πάντων γεγονώς*, non, ut est apud Epiphanium, *ὁ τῆς οἰκονομίας*. His enim verbis fictitium illum Valentinianorum Salvatorem intelligit, qui ex omnibus Aeonibus ortum traxit, ac proinde Sermone illo, qui primae Aeonum classis est, natu posterior est. — *Verba fecit*] In graeco pro *ἐμπε-ποίηται* legendum *πεποίηται*, et seq. vers. pro *λέγουσι δέ, λέγουσι γάρ*. — *Haec ait atque alto*] Tota centonis huius, ex Homeri versibus consuti, gratia in interpretatione latina perit. Sed multa in eodem genere apud Latinos exstant, ac praecipue apud Ausonium. Apte autem Homerocentonibus haereticos confert Irenaeus, qui, ut prodigiosae doctrinae suae gratiam fidemque conciliarent, ex variis Scripturae locis tanquam centonibus quibusdam eam consarcinabant. — *Comitantur euntem*] *Κιόντες* legisse videtur vetus interpr. Sed *κιόντα* mihi magis arridet, ut ad Herculem referatur. — *Versus quidem agnoscet*] In graeco post *ἐπιγνώσεται* haec ex vet. addenda sunt: *μὲν τὰ ἔπη, τὴν δὲ ὑπόθεσιν οὐκ ἐπιγνώσεται*. — *Redemtio*] De Valentinianorum redemtione late postea disseret. Gallasius hic toto caelo errat, quod quid haec redemtio sibi velit non intelligat; idque quum ipsemet hanc fabulam interpretetur. Quod sane flagitiosae est oscitantiae. Hincque mihi fit verisimile, eum versionem suam nunquam relegisse. Alioqui enim haud dubie hunc locum ex 18. cap. huius lib. ubi redemtionis fabula exponitur, emendasset. — *Eorum mimum emensus*] Emetiri autem hoc loco, graec. *περαιῶσαι*, idem est quod *transmeare, traiicere*. Vetus interpres quid legerit, non queo coniicere. Vertit enim *explicans*, quod longe a significatione verbi *περαιῶσαι*.

FRONTO DUCAEUS: *Aut si reliquorum coniugationes*] Graecus *συζύγους* coniuges, ut postea *manifestasset coniugem*, sed corrigendus est graecus liber *συζυγίας*; nam et sic ait postea: *ὅτι δὲ οὐ περὶ τῶν συζυγιῶν*. Ita quoque Billius vertit, non remisisset, hoc est, non permisisset. — *Et alterum Christum*] Expungendum est illud *id est* ut alienum a sententia, videturque superesse ex interpretatione vocis *Χριστόν*, forte erat, *id est unctum*, et ante dixit *Monogenis id est unigeniti*. Sequitur Hellenismus, *memoriam non fecerit, μνείαν οὐ ποιεῖσθαι, mentionem n. f.* et, quod ei in principio dictum est, *τοῦ εἰρημένου αὐτῷ ἄνω ἐν ἀρχῇ λόγου*, hoc est, *quod ab eo dictum est*. Verum haec paullo aliter fortasse vertenda sunt hoc modo: *Recapitulans enim de eo, quod ab eo dictum est in principio fuisse verbum, insuper exponit*. Quasi dicat, illud ipsum Verbum, quod statim antea initio dixerat fuisse in principio, factum esse carnem addidisse. — *Si autem verbum Patris*] Verte *verbum Patris quod descendit*.

p.115. FEUARDENTIUS: *Ab Eurystheo*] Suidas scribit hunc fuisse Stheneli Mycenarum regis filium, qui Iunonis instinctu imperabat Herculi, ut varia monstra superaret, adeoque in ipsum Cerberum inferorum ianitorem invaderet, quo posset perire. Unde durus Eurystheus vocatur a Virgil. lib. I. Georg. quod nullis Herculis laboribus potuerit mitigari. — *Haec ubi dicta dedit*] Hoc centone Homerico, in quo interpres spreta cum quantitate lege carminis, syllabarum tantum numerum servavit, palam facit, quam inepte et impudenter sylvas scripturarum caedant et comportent haeretici ad suas opiniones adstruendas. Porro pari centone Medeam tragoediam ex versibus Virgilii Osidium Getam; et ex eodem quoque poëta vicinum quendam suum Cebetis tabulam expressisse, auctor est Tertull. lib. de praescript. Hier. ad Paulinum, se Virgiliocentonas, Homerocentonasque legisse affirmat, sed auctores non indicat. Probae Falconiae illustris feminae, quae sub Honorio et Theod. iuniore vixisse putatur, nomine feruntur Centones ex Maronis versibus, quibus utriusque testamenti varios locos describit. Legi etiam ex Homeri carminibus mirabili industria consarcinatas plurimas sacrorum Bibliorum historias, Eudociae Theodosii iunioris uxoris nomine conscriptas; etsi Zonaras Patricio cuidam opus tribuat. — *Et in substantivum*] Hac dictione non semel utitur, ut ex capite 10. libri huius liquet, sed diversa significatione. Hîc quum graece sit *ἀνυπόστατον*, nihil aliud significare puto, quam adeo imbecillum et invalidum esse Gnosticorum argumentum, ut stare nequeat.

p.110. GRABIUS: *Ὁ τῆς οἰκονομίας*] Ex veteri interprete legendum vult Billius: *ὁ ἐκ πάντων γεγονώς*, quia Iesum sive Servatorem ex omnium Aeonum symbola compositum supra §. 4. docebant Valentiniani. At vero Epiphanii lectionem pro genuina habeo, ratus hanc, utpote paullo obscuriorem, liberiori interpretationi occasionem dedisse. Quis autem *ὁ τῆς οἰκονομίας Σωτήρ*? Intelliges, si superius §. 11. dicta in memoriam revoces et ea, quae mox §. 20. sequuntur, legas: *λέγουσι δὲ τὸν Σωτῆρα ἐνδύσασθαι σῶμα ψυχικόν, ἐκ τῆς οἰκονομίας κατεσκευασμένον ἀῤῥήτῳ προνοίᾳ. Dicunt enim Sotera induisse corpus animale, de dispositione aptatum inenarrabili providentia.*

p.116. — *Τὸν κανόνα τῆς ἀληθείας ἀκλινῆ*] Symbolum fidei hîc indigitavit Irenaeus, utpote quod Tertullianus quoque eodem appellat nomine lib. de Velandis Virginibus cap. 1. scribens: *Regula quidem fidei una omnino est, sola immobilis et irreformabilis, credendi scilicet in unicum Deum omnipotentem, mundi conditorem, et in filium eius Iesum Christum, natum ex virgine Maria* etc. Ita et alibi passim Tertullianus aliique patres recentiores. Sicut autem Irenaeus symbolo tanquam clypeo adversus noxia haereticorum tela utendum docet, ita et Tertullianus idem saepe inculcavit, praesertim lib. de Praescript. adversus Haereticos, lib. contra Praxean cap. 2. inque ipso etiam Apologetico adversus Gentes cap. 47. — *Ὃν διὰ τοῦ βαπτίσματος εἴληφε*] Iam olim symbolum fidei in Patrem, Filium et Spiritum sanctum eos, qui baptizandi erant, edoctos et ante sacramentum acceptum professos esse praeter Irenaeum hoc loco luculenter confirmat s. martyr Cyprianus epist. LXXVI. Pamel. LXIX. Oxon. sive lib. I. epist. VI.

ita scribens: *Quod si aliquis illud opponit, ut dicat eandem Novatianum legem tenere, quam catholica ecclesia teneat, eodem symbolo, quo et nos, baptizare, eundem nosse Deum Patrem, eundem Filium Christum, eundem Spiritum sanctum, ac propter hoc usurpare eum potestatem baptizandi posse, quod videatur in interrogatione baptismi a nobis non discrepare, sciat quisquis hoc opponendum putat, primum non esse unam nobis et schismaticis symboli legem, neque eandem interrogationem. Nam quum dicunt: Credis remissionem peccatorum et vitam aeternam per sanctam ecclesiam* etc. Gemina his scripsit epist. LXX. sive lib. I. epist. XII. Unde patet, iam tum non solum inter catholicos, sed et schismaticos ritum istum obtinuisse, id quod manifesto indicio est ab ipsis ss. apostolis cum profluxisse. Confer de hoc Hilar. lib. ad Constantium Augustum, Cyrill Hierosol. Cateches. II. Mystagog., Basil. lib. de Spiritu sancto cap. 12., denique Constitut. apostol. lib. VII. cap. 41. — *Ἀπολύτρωσις*] Immerito hic in Gallasium invehitur Billius tanquam ignarum, quid sibi velit *redemtio,* quum tamen Irenaeus cap. 18. huius libri prolixe de ea disseruerit. Sed docere debebat Billius, quomodo redemtio Valentinianorum ibi descripta huic loco quadret, quod sane perspicere haud potuit Gallasius neque Petavius. Unde hic in not. ad Epiphanium *ἀπολύτρωσιν* pro *exodio fabulae,* quod graeci *ἀπόλυσιν* vocant, accipiendum docet, cui assentior, quia in Hesychii lexico *ἀπολύτρωσις* per *ἀπόλυσιν,* nec non *ἀποφυγὴν* explicari video. — *Explicans*] Graec. *περαιῶσαι* p.117. idem est quod *transmeare, traïcere.* Vetus interpres quid legerit, non queo coniicere. Vertit enim *explicans,* quod longe a significatione verbi abit. Bill. Sed recte legit interpres *περαιώσας,* nec male vertit *explicans. Περαιόω* enim non solum significat *traïcio, transmeo,* sed et *termino, ad finem perduco.* Quam significationem non quidem ex lexicis, attamen ex ss. Patrum scriptis, quae alioqui sedula manu versaverat Billius, discere potuisset. Sic Iustinus martyr ad Tryphonem pag. 226. edit. Sylburgii: *διὰ τῶν ἀνερωτήσεων τούτων καὶ περαιωθῆναι σὺν τάχει τὸν λόγον ἀγωνιοῦμαι. Per interrogationes eiusmodi disputationem celeriter ad finem perducere conabor.* Et Trypho ad Iustinum pag. 236: *Περαίωσον οὖν καὶ αὐτὸν ἡμῖν κτλ. Et hunc itaque explicando absolve,* locum scilicet Esaiae in antecedentibus citatum. Apud Clementem Alexandrinum quoque aliquoties haec significatio occurrit, veluti lib. VI. Strom. p. 683: *ἥτε γὰρ κοσμογένεια ἐν ἓξ περαιοῦται ἡμέραις. Mundi creatio sex absolvitur diebus.* Atqui *explicare* eandem inter alias habet significationem tam apud profanos scriptores quam sacros, velut Sulpitium Severum lib. I. Hist. sacrae: *Salomon coeptum templi opus vigesimo anno explicuit.* Et Orosium lib. VII. Hist. cap. ult.: *Explicui adiuvante Christo secundum tuum praeceptum — ab initio mundi usque in praesentem diem.* Unde nota communis formula: *explicit liber,* i. e. absolutus est, de qua Hieronymus ad Marcellam scribit: *Solemus nos completis opusculis ad distinctionem rei alterius sequentis medium interponere,* explicit, *aut* feliciter, *aut aliquid eiusmodi. Mimum* igitur *eorum explicans,* hic idem est ac *fabulam eorum emensus* seu narrando ad finem perducens.

p.107. MASSUETUS: *Constare*] Gr. *συνιστάνειν,* quod vertendum erat *commendare* seu *approbare.* Inde enim Scripturis calumniam struebant Valentiniani, quod fictiones suas ex eis approbare adniterentur.
p.109. — *Quum possent et illa*] Legendum puto: *quum possent et illae,* scilicet feminae coniuges, seu Aeones feminae. — *Alterum Christum*] Duas voces, *id est,* post Christum in praeced. editt. insertas merito delevit Grab. quia in graeco et MSS. Clarom. Arundel. atque Vossio desunt, ac falsum gignunt sensum: sed forte, *id est,* in MSS Erasmi et Gallasii, ex interpretatione vocis *Christum,* supererat: scripseratque quispiam, *id est, unctum,* ut ante scriptum est, *Monogenis, id est, unigeniti.* — *In suam argumentationem*] Graecam vocem *ὑπόθεσιν argumentationem* vertere amat interpr. Mallem reddidisset *institutum,*
p.110. *sententiam.* — *Ὁ τῆς οἰκονομίας*] Pro his legendum vult Billius cum interpr. *ὁ ἐκ πάντων γεγονώς,* quia fictitius ille Valentinianorum Servator ex omnibus Aeonibus ortum traxit. Grabius vero Epiphanii lectionem pro genuina habet, ratus hanc, utpote obscuriorem, liberiori explicationi occasionem dedisse. Sed is certe non est interpres noster, qui tantam sibi libertatem arroget. Quare utrumque textum, graecum scilicet et latinum, hic mutilum esse, alterumque ex altero emendandum esse ratus et Epiphanii et interpretis lectionem amplector, legendumque censeo: *ὁ ἐκ πάντων γεγονώς, καὶ τῆς οἰκονομίας, μεταγενέστερος τοῦ Λόγου, Σωτήρ.* Cur autem Salvator dicatur *τῆς οἰκονομίας Σωτήρ,* ratio in promtu est: quia scilicet humanae salutis procurandae caussa, (quae Graecis *οἰκονομία* est, ut supra diximus) animale corpus induit, ut paullo post subiicitur; quod quidem corpus *ἐκ τῆς οἰκονομίας κατεσκευασμένον ἀῤῥήτῳ προνοίᾳ, ex dispensatione* (id est, salutis nostrae caussa), *constructum inenarrabili arte* di-
p.111. cebant Valentiniani. — *De eo Verbo, quad ei in principio dictum est*] Addendum ex graeco: *de eo Verbo, quod ei supra in principio dictum est.* Quod clarius vertit Billius: *de eo Verbo, de quo supra in principio locutus fuerat.* Quamquam tamen non immerito existimat Fronto Duc. graecis alium subesse posse sensum (quem amplexus est Petavius), scilicet: *recapitulans enim de eo Verbo, quod ab eo supra dictum est in principio fuisse.* Hunc quidem sensum improbat Grabius, *quia,* inquit, *in graeco non est, ἐν ἀρχῇ εἶναι Λόγον.* Nempe
p.116. deest verbum *εἶναι;* sed subintelligi nihil vetat. — *Τὸν κανόνα τῆς ἀληθείας*] Fidem catholicam intelligit, eam maxime, ut explicat ipse, cap. seq. *quae est in unum Deum, Patrem omnipotentem — et in Iesum Christum filium Dei, incarnatum pro nostra salute; et in Spiritum sanctum, qui per prophetas praedicavit dispositiones Dei et adventum et eam, quae est ex virgine, generationem et passionem* etc. Hanc fidem per *baptismum accepisse* nos scribit Irenaeus; ut quam ante baptismum tam accurate edocebantur Catechumeni et quam in ipso baptismo *in legis suae verba profitebantur,* ut loquitur Tertull. lib. de Spectaculis. *Interrogatus es* (ait antiquus auctor librorum *de Sacramentis* inter opera Ambrosii lib. II. c. 62.) *credis in Deum Patrem omnipotentem? Dixisti, credo; et mersisti, hoc est — sepultus es. Iterum interrogatus, credis in Dominum nostrum Iesum Christum et in crucem eius? Dixisti, credo; et mersisti* etc. *Tertio interro-*

gatus es, credis et in Spiritum sanctum? Dixisti, credo; et tertio mersisti etc. Ad hanc fidem in baptismo acceptam solemniterque iuratam omni aevo provocarunt quotquot fere adversus haereticos calamum strinxerunt sancti patres, rati nihil efficacius esse ad refellendam profanorum dogmatum novitatem. *Inter fidei naufragia,* ait Hilarius lib. II. ad Constant. Aug. §. 7., *tutissimum nobis est primam et solam evangelicam fidem confessam in baptismo, intellectamque retinere, nec demutare, quod solum acceptum atque auditum habeo bene credere.* Eo vero fidentius id argumenti genus adversus Valentinianos urgebat auctor noster, quo symboli apostolici, quod baptizandi reddiderant, in omnibus capitibus impie ab ipsis esset temerata fides. — *Insubstantivum*] Gr. *ἀνυπόστατον*, id est, *quod consistere nequeat,* p.117. *quod nihil habeat firmitatis.* Hanc vocem eo sensu non infrequenter usurpant graeci patres, dum Verbum aeternum, cum eo, quod mente fingimus, verbo conferentes, prius *ἐνυπόστατον subsistens*, posterius *ἀνυπόστατον* dicunt. — *Redemtio*] Gr. *ἀπολύτρωσις;* quam quidem vocem a barbaro interpr. hic pessime redditam non miror. Sed quod Billius graece doctissimus interpretis versionem secutus sit, et in Gallasium, quod ab ea desciverit, *flagitiosae oscitantiae* culpam contulerit, mirari satis nequeo. *Gallasius,* inquit, *hic toto caelo errat, quod quid haec redemtio* (Valentinianorum, de qua huius libri capit. 21. late disseritur) *sibi velit, non intelligat.* Sed neque alius quivis, puto, facile intelliget, quid haec Valentinianorum redemtio commune habeat cum hoc Irenaei loco. Billium haud satis attentum decepit vox *ἀπολύτρωσις*, quae plerumque quidem *redemtionem* seu *liberationem* significat; sed quod interdum idem sit atque *ἀπόλυσις dimissio*, docent Hesychii et Phavorini lexica. Irenaeus quippe fusius enarratis Valentinianorum deliriis subdit, peracta iam fabula, completaque scena, nihil superesse, nisi *ἀπολύτρωσιν dimissionem*, i. e. ut spectatores dimittantur, abire permittantur. Id ipsum est quod Tertullianus explicatis pariter Valentinianorum commentis, si non iisdem verbis, saltem eodem sensu scripsit cap. 13. *Quod superest,* inquit, *vos valete et plaudite.* Hac nimirum solemni formula: *vos valete et plaudite,* claudebantur veteres comoediae, ut videre est apud Plautum et Terentium. Eodem sensu Chrysost. Homil. V. de Poenit. Tom. VI p. 792. *Θεάτρου ἀπόλυσιν, theatri solutionem* seu *dimissionem* dixit. *Οὐκ ἔστι μετὰ τὴν τοῦ θεάτρου ἀπόλυσιν στεφανωθῆναι. Nemo post solutum theatrum potest coronari.* Vertendum igitur erat interpreti: *quoniam autem post hanc scenam superest dimissio.* Eodem fere modo, nisi quod paullo liberius, vertit Petavius: *postremo quia iam velut in scena, peracto fabulae exordio, dimittendi tempus est.* — *Mimum*] I e. *fabulam* seu *commentum*. *Mimus* enim et actorem et poëma significat. Actores illi, qui dicta et facta hominum ita imitabantur, ut actionem suam gravitate sententiarum, iocis interpositis, condirent, vocabantur *μῖμοι, mimi;* a Graecis propterea dicti et *ἠθολόγοι.* Sed et *mimus* interdum pro fabula ponitur, quae res obscenas repraesentet. Aristot. lib. I. cap. 1. Poët. ait Sophronem et Xenarchum *μίμους* scripsisse. Iuvenal. Satyr. XIII. *Mimum agit ille Urbani qualem fugitivus scurra Catulli.* Et Martial. lib. II. Epigramm. VII.

Componis belle mimos. Dehinc usurpatum nomen pro commento quolibet. Sic Sueton. in Othone cap. 3. *Id satis visum, ne poena acrior mimum omnem divulgaret.* Posteriori hoc sensu *mimum* hic accipit Irenaeus. — *Explicans*] Vertere debuisset interpres *ut quis explicito eorum mimo.* Porro *explicare* hic idem est atque *absolvere, ad finem perducere.* Quo sensu dixit Cicero lib. XIII. Ep. 26. ad Sulpit. *explicare atque expedire negotia.* Plin. iunior Epist. 154. *explicare iter;* Caesar lib. III. de Bello Civ. *his explicitis rebus.* Et Martial. lib. XI. Epigr. 108. *explicitus liber.* Hinc vulgata formula *explicit liber*, i. e. *absolutus est. Mimum* igitur *explicare*, nihil aliud est quam fabulam absolvere, seu fabulae narrationem ad finem perducere. Id si advertisset Billius, non scripsisset vocem *explicans*, qua usus est interpres, longe a significatione verbi περαιοῦσαι recedere, atque adeo hunc aliud quidpiam in textu graeco legisse. Recte siquidem hîc et legit et vertit interpres, ut probe observat Grabius. Περαιόω enim non solum significat *transmeo, traïcio;* sed et *termino, ad finem perduco:* quam significationem, subdit vir clarissimus, non quidem ex lexicis, attamen ex sanctorum patrum scriptis, quae alioqui sedula manu versaverat Billius, discere potuisset. Sic Iustinus martyr ad Tryph. pag. 228. edit. Sylburgii: διὰ τῶν ἀνερωτήσεων τούτων καὶ περαιωθῆναι σὺν τάχει τὸν λόγον ἀγωνιοῦμαι. *Per interrogationes eiusmodi, disputationem ad finem perducere conabor.* Et Trypho ad Iustin. pag. 236. Περαίωσον οὖν καὶ αὐτὸν ἡμῖν etc. *Et hunc itaque explicando absolve* etc. locum scilicet Esaiae in antecedentibus citatum. Apud Clementem Alexand. quoque aliquoties haec occurrit significatio, veluti lib. VI. Stromatum pag. 683. ἥτε γὰρ κοσμογένεια ἐν ἓξ περαιοῦται ἡμέραις, *mundi creatio sex absolvitur diebus.* Et lib. I. pag. 295. τὴν ζήτησιν εἰς εὕρεσιν περαιοῖ, *inquisitionem ter-*
p.119 *minat inventione.* — *Et ex ostensione*] Gr. πρὸ τῆς ἀποδείξεως, quae vertere debuisset interpr. *et ante demonstrationem* seu *argumentationem.* I. e. vel ipsa Valentinianorum dissidia, haereticae doctrinae falsitatem, catholicae vero sibi semper constantis veritatem perspicue demonstrant.

CAP. X.

p.121. BILLIUS: *Partim iam inde ab initio*] Id est, qui de pietatis ac institiae curriculo nunquam deflexerunt. Quibus eos subiicit, qui quum prius vitiorum lenociniis ac voluptatum illecebris sese dedissent, postea ad meliorem frugem se receperunt. Hîc autem post τοῖς addo μὲν ex vet. — *Acceptam, inquam*] Hoc caput cum praecedenti con-
p.122. necto. Necdum enim absoluta est periodus. — *Exuberat*] Alludit ad illud, quod de manna scriptum est: *Nec qui plus habuit, abunda-*
p.123. *vit; nec qui minus, minoravit.* — *In eo nobis satis praesidii*] Ad verb. quasi non ipse nobis sufficiat. In graec. pro τούτοις legendum τούτῳ, vel certe ἀρκουμένου τούτου: tametsi id minus probem; ἀρκοῦντος enim potius dixisset, si significationem activam exprimere
p.124. voluisset. — *Quodque diuturna lenitate*] Ex his verbis sentire videtur Irenaeus, daemonas ante extremum iudicii diem vindice illo igne minime excruciari: id quod summae Dei longanimitati tribuit. In qua

sententia est Theod. lib. III. Polym. et nonnulli alii. Sed tamen contraria sententia, ut verior, ab ecclesia tenetur. — *Grata oratione* p.125. *complectitur*] Suspectum est mihi hoc loco verbum εὐχαριστεῖν, quod parum aliis his verbis respondeat διδάσκειν, μηνύειν, ἐξερευνᾶν, ἀπαγγέλλειν etc. Itaque sic verti, ut simul cum gratiarum actione, declarationis etiam cuiusdam significationem habeat. — *Potius quam in initio*] In graec. pro ἢ ἀρχὴ lego καὶ οὐκ ἐν ἀρχῇ cum vet. tametsi non negem commode quoque legi posse ἢ ἀρχή, ut hic locus ita vertatur: hoc est, Principium in fine apparuerit. — *Populus factus*] Hoc verbum non agnoscit vet. interpr. — *Quae ipsius parens sit*] p.126. Vet. interpr. legit in gr. μητέρα τούτου καὶ αὐτῶν, ac τούτου quidem ego lubens lego. Insectatur enim Irenaeus eos, qui Demiurgo, hoc est summo illi rerum omnium opifici matrem Enthymesin affingunt. Sed αὐτῶν plane improbo. Ad quid enim referretur? Ac ne αὐτοῦ quidem defendi potest: neque enim Aeonis illius inconsulti parens erat Enthymesis, sed ex eo potius orta, ut quidam stultissimi nebulones fingebant. — *Aut rursus in eo*] Pro τὸ legendum est in gr. εἰς τό.

FRONTO DUCAEUS: *Sic et lumen praedicatio*] Locus ille de p.123. manna est 2 Corinth. 8, 15. *Qui multum, non abundavit; et qui modicum, non minoravit:* sed apertius redditur Exod. XVI, 18. *Nec qui plus collegerat, habuit amplius; nec qui minus paraverat, reperit minus.* Ad hoc exemplum fortasse hîc quoque verba Irenaei latine reddenda fuerunt: nam verba graeca LXX plane eadem sunt, quae apud Epiphanium. — *Nosse quosdam intelligentiam*] Vox *intelligentiam* redundat, ut e graeco apparet, sed substituenda est potius vox φρόνησιν pro *prudentiam;* nam *intelligentiam nosse,* phrasis est scripturae, ut Isa. 56, 11. οὐκ εἰδότες σύνεσιν, Hier. *nescientes intelligentiam.* Rursus *sed in eo quod exquirere,* ἑλληνίζει pro *sed in eo ut exquirat quis et adiungat veritatis argumento,* ἐν τῷ προσεπεργάζεσθαι, sicut vertit ἐν τῷ ἐκδιηγεῖσθαι, *in eo ut factam enarret, et quoniam magnanimus exstitit Deus etc. edisserat, et quare alia etc. fecit, annuntiet,* et cetera eodem modo usque ad *praeconiare.* — *Quasi non ipse sufficiat*] Apud Epiphan. in Basilien. edit. legebatur ὡς μὴ ἀρκουμένους τούτοις; Gallasius edidit ὡς μὴ ἀρκουμένου τούτου et vertit *quasi ipse nobis non sufficiat,* melius quam Coru. *ita ut hoc non sis contentus,* simplicius erit *quasi non sufficiat iste,* hoc est quasi non satis sit, sed alterius adiuvandus sit viribus. Ἀρκεῖσθαι enim valet idem quod ἀρκεῖν, sufficere, satis esse. — *Sed aliis* p.125. *aliter adesse*] Interpres συνιεῖν vertit *adesse,* quum potius ita debuerit, *sed aliis aliter, intelligere* vel *intelligat,* hoc est, ut intelligat cur aliis aliter apparuerit. Paullo post *passum est,* Verbum scilicet, quasi συνεῖναι. — *Neque in eo quod est super hanc*] Graecas voces immutarat pro arbitrio Gallasius, nos ea ut in Basiliensi edit. Epiphanii erant edidimus, et in margine Billii correctiones, ut et in aliis locis addidimus, in quibus fortasse pro τὸ μὲν ἕνα, scribendum νῦν μὲν λ nota tricenarii.

FEUARDENTIUS: *Ecclesia enim*] Hîc duas verae ecclesiae cer- p.119. tissimas notas observo: primam, quod sit catholica, id est per totum

orbem diffusa; secundam, quod una, in summis fidei ac doctrinae capitibus: quae nullis unquam haereticorum sectis acciderunt. Deinde symbolum fidei, quod paullo supra nominabat *regulam veritatis per baptismum acceptam;* iterumque initio sequentis 19. capitis; quamque denominationem ab eo mutuati sunt Tertull. lib. Praescript. de Velandis Virg. et contra Hermog. August. lib. I. de symbolo, et Chrys. Hom. I. in symbolum, ab ipsis apostolis et discipulis Christi editum ac universis terrae finibus traditum esse. Audacter autem hi omnes illud opponunt haereticorum placitis, eaque ad huius amussim examinari volunt, quod nullatenus dubitent apostolos composuisse, praedicasse et universis per orbem ecclesiis tradidisse. Ut vero ab omnibus explodatur et exsibiletur illorum impietas, quia huius auctores apostolos esse pernegant, aliorum patrum testimonia prioribus adiiciam. Clemens Romanus auritus et oculatus testis ep. I. ad Iacobum, ait: *Christo resurgente et ascendente in caelum, misso sancto Spiritu, collata apostolis scientia linguarum, adhuc in uno positi, symbolum, quod nunc fidelis tenet ecclesia, unusquisque quod sensit dicendo, condiderunt, ut discedentes ab invicem, hanc regulam per omnes gentes praedicarent.* Adultos quoque disertis verbis illud idem recitasse quum sacro lavacro tingerentur, praescripto procul dubio apostolorum, idem ipse scribit libro septimo de Constitut. apostol. cap. 41. Subscribunt ei Rufinus expos. symboli: Hieronymus epist. ad Pammachium; Ambrosius epist. 81. et serm. 38. August. serm. 115. et 181. de tempore; Leo Magnus serm. et epistola 13. Isidorus libro secundo de eccles. officiis cap. 23. et Petrus Chrysolog. passim. Quin et apostolos eosdem illud ipsum decantasse dum sacrosancta eucharistiae mysteria celebrarent, facile mihi persuaserim, et maxime quum post verba B. Dionys. Areopag. cap. 3. eccles. Hier. et B. Iacobi Ieros. episcopi sententiam mecum considero huiusmodi: *Diaconus d. Sapienter attendamus. Sacerdos. Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae. Et in unum Dominum Iesum Christum filium Dei* etc. Haec ibi. Quis non videt primam hanc traditionem ad apostolos, et non vel ad concilium Toletanum tertium, vel Constantinop. referendam esse? — *Quae est in unum Deum*] Valentinus gentilis, aliique novi ex Polonia et Transilvania Trinitarii et Ariani hinc perfidiae suae adversus coaeternam et consubstantialem Patri Deitatem Christi praesidia sumere conantur; quasi mens Irenaei fuisset, solum Patrem Deum et creatorem mundi praedicare; non autem Filium ac Spiritum sanctum. Quam vero nequiter ac flagitiose istud colligant, vel inde patet, quod e contrario hîc confirmet, unam fidem habendam esse in unum Deum Patrem, Filium ac Spiritum sanctum, tanquam videlicet in Deum trinum et unum; infra persaepe Filium appellet Deum ac Dominum, eidemque ac Spiritui sancto cunctarum rerum creationem et gubernationem aeque atque Patri tribuat. Hîc ergo beatus martyr formam servans symboli apostolici, vocem Dei in singulis personis sibi repetendam, in tanta praesertim brevitate, minus necessarium existimavit, contentus unum esse Deum creatorem, nimirum Patrem et Filium et Spiritum profiteri. Sic enim et Iustinus martyr (lib. de vera fide) ait: *Unus vere est Deus omnium, qui in*

Patre, Filio, Spirituque sancto cognoscitur. — Praecepta eius ser- p.121.
vantibus etc.] Haec dicta sunt in tetrum errorem Simonis Magi et Valentini, qui bona opera reiiciebant. Proinde vides, quo pacto iustitiam veram coram Deo non sola fide, sed et spe et caritate et operibus bonis consistere docuerunt huius saeculi patres, quod vel ex unius Irenaei colligere peramplius poteris libro secundo, capite quinquagesimo primo; et libro tertio, capite vigesimo; et libro quarto, capite vigesimo septimo, trigesimo secundo, trigesimo quarto et quadragesimo nono. — *Quibusdam quidem ab initio*] Vel parvulos intelligit, qui recens baptizati, nullo proprio interveniente delicto morientes, recta caelum petunt, aeterna claritate circumdati; vel martyres, qui horrendis tormentis pro Christo excarnificati, gloriosissimo functi certamine, mox Christo capiti suo suprema beatitate iunguntur. Ex his autem duo observanda arbitror: primum, beat. hunc martyrem levius aequo a quibusdam annumerari inter illos, qui sanctorum animas ante extremum diem iudicii aperta Dei visione interdicunt, propter obscuriora quaedam eius verba in calce libri quinti, quae facile alio sensu intelligi possunt: quum hîc aperte dicat, quosdam sine poenitentia, ab initioque donari vita et claritate aeterna. Secundum, martyrii privilegio, ante actae vitae admissa peccata adeo emundari et deleri, ut sine laboriosiore satisfactione hîc vel alibi, mox eatur in caelum, quod aliis post baptismum peccantibus neutiquam conceditur. Illustrabitur autem hic locus adiectis Tertulliani et b. Cypriani verbis, quae non obscure favent doctrinae catholicae de purgatorio. Ille libro de Resurrectione carnis sic habet: *Nemo peregrinatus a corpore statim immoratur penes Dominum, nisi ex martyrii praerogativa, scilicet paradiso, non inferis diversurus.* Iste epistola 58. ad Antonianum: *Aliud est ad gloriam pervenire: aliud missum in carcerem non exire inde, donec solvat novissimum quadrantem. Aliud statim fidei et virtutis accipere mercedem; aliud pro peccatis longo dolore cruciatum, emundari et purgari diu igne. Aliud peccata omnia passione purgasse. — Hanc praedicationem* etc.] Ecclesiarum omnium consensum ut inexpugnabilem aeneumque murum merito haereticis omnibus opponit, quia si usquam Christi promissio de iugi Spiritus praesentia, si infernalium portarum profligatio, si apostolicorum laborum fructus, si denique, quam tantis votis efflagitabat Dominus noster in postremo convivio, unio, consensio et pax usquam apparet: omnium maxime erit, quum qui tam variorum idiomatum diversitate, tantorum saeculorum lapsu, tanta terrarum, regnorum, provinciarum, climatum diremtione, tantis vorticibus, fluminibus et aequoreis fluctibus separati patres, ut alium orbem incolere videantur, eadem de eisdem sentiunt, credunt, scribunt, docent: idque tanta animi constantia, ut potius ignes, bestias, cruces, gladios ac mille mortes sustineant, quam ut vel latum unguem ab eis avellantur. Haec procul dubio est unitas spiritus, tantorum populorum unici paedotribae et doctoris, in vinculo pacis, pro qua, ut sarta tecta ab omni incommodo et schismatica dissensione conservetur, omnia potius subeunda tormenta arbitratur praeclarus ille Dionysius Alexandrinus epistola ad *Novatum;* nec minus, sed multo plus commendationis habere martyrium ea de re

susceptum docet, quam illud quod suscipitur, ne idolis omnino immoletur. Hegesippum dum Romam pergeret, refert Eusebius libro quarto histor. capite vigesimo secundo, et multis cum episcopis Asiae et Europae sermonem conferret, unam eandemque invenisse doctrinae formam et institutionem, virginem adhuc ecclesiam exclamasse. Ista etiam consensione populorum et gentium, in gremio ecclesiae se iustissime detentum profitetur Augustinus libro contra epist. Manichaei, capite quarto. Eos vero qui tot tantasque per universum orbem ecclesias errasse putant, vel unius Tertulliani (lib. Praescript.) gravissimi et antiquissimi scriptoris verbis attendere optarem. *Age,* inquit, *nunc omnes erraverint: deceptus sit apostolus de testimonio reddendo quibusdam. Nullam respexerit Spiritus sanctus, uti eam in veritate deduceret, ad hoc missus a Christo; ad hoc postulatus de Patre, ut esset doctor veritatis; neglexit officium Dei villicus etc. Aliquos Marcionitas et Valentinianos liberanda veritas exspectabat; interea perperam evangelizabatur, perperam credebatur, tot millia millium perperam tincta, tot opera fidei perperam ministrata, tot virtutes, tot charismata perperam operata, tot sacerdotia, tot ministeria perperam functa, tot denique martyria perperam et in vacuum.* Miratur Vincentius Lirinensis (cont. profan. novitates) post haec adhuc quosdam superesse, tanta inveteratae frontis duritia, tanta impudentiae incude, tam adamantinae pertinaciae, qui tantis eloquiorum caelestium molibus non succumbant, tantis ponderibus non fatiscant, tantis malleis non conquassentur, tantis postremo fulminibus non conterantur. — *In universum mundum disseminata*] Observa quam longe lateque iam extenderetur ecclesia, adversus illos, qui instar cuiusdam ideae Platonicae, eam inaspectabilem faciunt; vel quibus voluerint angulis terrarum, ut repagulis, coërcitam contendunt. *Ex quo coepit congregatio Christianorum,* ante Irenaeum scripsit Hegesippus (lib. 2. de excid. cap. 12.), *in omne hominum penetravit genus, nec ulla natio romani orbis remansit, quae cultus eius expers relinqueretur.* Dilucidius paullo post lib. contra Iudaeos Tertull. regni Christi multo ampliora pomeria esse convincit, quam unquam *Salomonis, Darii, Pharaonis, Alexandri aut Caesaris; quippe suis limitibus conclusa: Christum autem credebant et audiebant Parthi, Medi, Elamitae, Mesopotamii, Armeni, Phryges, Cappadoces et incolentes Pontum, Asiam et Pamphyliam, immorantes Aegyptum et regionem Africae, quae est trans Cyrenem, Romani, Hierosolymitae, Getulorum varietates, Maurorum fines, Hispaniarum omnes termini, Galliarum diversae nationes et Britannorum inaccessa Romanis loca, et Sarmatarum et Dacorum et Germanorum et Scytharum cet., in quibus omnibus locis Christi nomen et regnum porrigitur, ubique creditur, ab omnibus colitur, ubique regnat, ubique adoratur.* Hactenus ille. — *Neque hae quae in Germania*] Succincta partium enumeratione superiorem thesin confirmat. Porro apostolorum saeculo Germanos iam Christo nomen dedisse, scribit Ioannes Aventinus antiquitatum non segnis investigator, dum Lucium illum Cyrenensem Pauli consobrinum in Vindelicia et Rhetiis; Marcum Pauli eiusdem collegam in Norico; Crescentem Moguntiae et Clementem quendam Metis evangelium primo promulgasse testatur. Maternum,

Eucherium et Valerium a beato Petro missos, ut Treveris et Coloniae Christum annuntiarent, tradunt eorum archiva, illicque illustres ecclesias fuisse sua aetate testantur Athanasius et Hilarius. Arnobius quoque inter varias nationes Christo deditas, Alemannos nominat lib. I. adversus Gentes.*) — *Neque hae, quae in Hiberis*] Non illos, qui iuxta Pontum Caucasios montes incolunt populos, Irenaeum arbitror commemorare, quum imperante Constantino Christum amplexos narrent Rufinus, Socrates et Theodoritus; sed Hispanos, qui Ibero flumine alluuntur, a quo universa regio Iberia, sicut ab Hespero Hesperia et postremo ab Hispali urbe ad fretum Atlanticum sita (quae nunc Sevilia est) Hispalia et iam Hispania nominatur. Europae partibus adnuntiatum iri evangelium praedixerat Abdias ita scribens: *Transmigratio exercitus huius filiorum Israel,* id est, ecclesia discipulorum ex Iudaea, *omnia loca Chananaeorum usque ad Zarpha,* Franciam interpretantur omnes Hebraei; *et transmigratio Ierusalem,* id est, apostolorum, *quae est in Sepharad,* Chaldaeus paraphrastes Hispaniam vertit, *possidebunt civitates Austri,* verbo scilicet et miraculis ad Christum adducendo. Beatum Iacobum primo Hispaniam, et sub occasum mundi partes luce praedicationis illustrasse scribit Isidorus; et Divum illum Paulum assiduum evangelii buccinatorem, cuius unius ore universus fere terrarum orbit resonuit, a Nerone primo dimissum in Gallias, Hispanias aliasque Occidentis regiones, ut antea se in votis habuisse ad Romanos cap. 15. significaverat, profectum, ipsas Christo vindicasse asserunt Athanasius ad Dracontium; Chrysostomus Homil. 7. de laudibus Pauli; Epiphanius; Ado Viennensis et Sophronius. Celebres etiam ecclesias in Hispania Tarraconensi, ad Legionem, Asturicae Caesar-Augustae et Emeritae in Lusitania, commemorat beatus Cyprianus epist. 35. Granatam quoque Christum agnovisse testatur Concilium Eliberinum. — *Neque hae, quae in Celtis*] Celtae Pomponio, Appiano et Plinio populi sunt Galliae Comatae inter Garumnam et Sequanam, quorum etiam meminerunt Manethon Aegyptius et Berosius Chaldaeus libro quinto Antiquit. Vix autem invenire licebit aliquam orbis partem, quae tanta aviditate, tantoque ardore animi evangelium amplexa sit, et quae tot apostolicos viros Deo largitore habuerit, atque Gallia. Paulus enim Hispaniam petens, Trophimum Arelatae; et Crescentem Viennae Galliarum reliquit apostolos, auctore Adone Viennensi. Massilienses et Aquenses industria Lazari, Maximini, Marthae, Magdalenae et Marcellae fidei elementa mox ab ascensione Domini susceperunt. Tholosanos, Burdegalenses, Cadurcenses, omnemque Aquitanorum, Vasconum et Gothorum gentem, totumque tractum illum a Rhodano ad Oceanum usque beat. Martiale ex septuaginta discipulis institutore et doctore, Christi nomine oppletum, tradit eiusdem discipulus Aurelianus. Lugduni ante Irenaeum verbum Dei annunciaverat Photinus martyr: illicque et Viennae illustres ecclesias Christianorum fuisse ante Cypriani epistolam quadragesimam secun-

*) Cf. I. Dav. Koeleri: Diss. illustrans testimonium s. Irenaei episcopi Lugd. de Germanis Christianis sec. II. Gotting. 1742. 4. Equidem hanc disputationem non vidi. A. Stieren.

dam, declarant graves litterae illae martyrum apud Eusebium lib. V. cap. 1. Histor. quae ingentem martyrum multitudinem ex eis locis referunt. Bituriges, Nathanaelem; Cenomani, Simonem leprosum, qui et Iulianus dicitur; Senonenses et Carnotenses, Savinianum et Potentianum, Sixtum et Sinicium, imperante Nerone, Suessionenses; adhucque superstite beato Petro pietatis christianae doctores habuerunt. Dionysius Areopagita beati Pauli discipulus, una cum Eleutherio, Rustico, Luciano et Regulo, apostolorum auditoribus, Parisienses, Meldenses, Silvanectenses et Bellovacos, verae fidei catholicae articulos docuerunt. Superioribus quoque beatus Clemens adiunxerat Nicasium, Taurinum et Exuperium, quos Rothomagenses, Ebroicenses et Baiocenses, ut apostolos et pastores magna alacritate receperunt. Multo plures videre poteris apud Vincentium, Antoninum, Petrum de Natalibus, Fasciculum temporum, Sigebertum, Martyrologia et Chartophylacia. — *Neque hae quae in Oriente*] Christi adhuc in Palaestina agentis pietate, doctrina et miraculis, peractos quosdam etiam Orientis reges, clarum est ex Eusebio, Damasceno et Nicephoro, qui Edessae Toparcham ex Mesopotamiae finibus ad eum misisse narrant. Persarum quoque Satrapam potentissimum, ut illius saltem effigie potiretur misso pictori negotium commisisse, unus refert Nicephorus lib. II. cap. 7. Parthos, Medos, Elamitas, Mesopotamios, Cappadoces, Ponticos, Asianos etc. Ierosolymis interfuisse, quum Spiritus sanctus descendit in apostolos et suis linguis audisse eos loquentes magnalia Dei, Lucas recenset. B. Thomae Parthiam in divisione apostolorum obtigisse scribit Eusebius lib. III. cap. 1. Astipulatur Hieronymus, dicens se traditione accepisse, illum Parthis, Medis, Persis, Hyrcanis, Bactris et Magis praedicasse; imo et ad insulam Taprobanam penetrasse addit Nicephorus lib. III. cap. 1. In Scythiam concessisse b. Andream affirmat Eusebius lib. III. cap. 1. cui Sogdianos et Sacos addit Sophronius; Nicephorus autem lib. II. cap. 39. et lib. III. cap. 1. eum per Cappadociam, Galatiam et Bithyniam in Scytharum solitudines ad utrumque Pontum Euxinum accessisse; Nazianzenus etiam missum in Epirum indicat oratione contra Arianos. Asiae minoris ecclesiae christianae ex Apocalypsi b. Ioannis notiores sunt, quam hîc recensere opus sit. — *Neque hae quae in Aegypto, neque hae quae in Libya*] In celebrioribus Africae partibus Christianos conventus frequentissimos habuisse abunde testatur Tertullianus (lib. cont. Iud.), qui nec interioris Africae incolas Getulos, nec Mauros, nec Carthaginenses, nec Aegyptios evangelicae lucis expertes fuisse sua tempestate scribit. Alexandriam a b. Marco fidei nostrae sacris mysteriis initiatam, et recto inde ordine clarissimos pietatis doctores Abilium, Iustum, Cerdonem, Anianum, Primum, Pantaenum, Clementem, Heraclam etc. habuisse ex histor. ecclesiast. clarum est: illicque ex Thebaide et tota Aegypto innumeros fere martyrum greges, ut oves ad lanienam adductos, epistola beati Dionysii Alexandrini ad Fabium Antiochenum (Eus. h. e. VI, 41.) aperte testatur. Illa siquidem a Ptolemaeis ad Christum usque philosophiae et omnium optimarum disciplinarum officina fuerat; a Christi vero ascensione usque ad furores Mahumeticos peritissimos et facundissimos theologos habuit, qui politiore doctrina et elo-

quentia mire instructi, sacrarumque litterarum studio, ait Eusebius libro quinto, capite decimo, probe exercitati, ecclesiam ampliarunt et propagarunt; quales ex antiquorum monumentis fuisse colligimus Origenem, Pierium, Didymum, Ammonium, Petrum, Alexandrum, Athanasium, Theophilum, Cyrillum. Vae peccatis nostris numinis iram concitantibus, quae florentissimam hanc dudum ecclesiam, immanissimarum belluarum iugo, id est, Turcico imperio tradiderunt. Sed et interior Aethiopia statim Christum agnovit, credidit, adoravit, Candacis illius Eunuchi concionibus, quem Philippus baptizaverat. *Is siquidem post reditum in patriam, primum unius Dei cognitionem et Servatoris Iesu in humanum genus ingressum, praedicavit,* inquit Eusebius (h. e. II, 1.); et eo nomine, *Aethiopum apostolum* eum nominat Hieronymus (in c. 53 Esaiae): illucque postea missum beatum Matthaeum alacri excepisse animo scribit Abdias libro septimo: ac tandem glorioso pro nomine Christi martyrio, vitae finem fecisse testis est Sophronius. Nominatim enim Libyae episcoporum meminit canon sextus Nicaenae synodi, et ex eadem provincia episcopos suo, id est Carthaginensi, concilio interfuisse, testis est beatus martyr Cyprianus. — *Neque hae quae in medio mundi*] Habitabilis terrae medium Hebraei magno consensu Iudaeam constituunt, eam ob rem cor maris, ac umbilicum terrae, non raro a prophetis nominari; quibus ante Vadianum et Lyranum subscribunt Hieronymus (in Ps. 73.) et Gregorius (l. 37. Mor. c. 18.). Ipsam quoque Ierusalem non unius regionis Iudaeae, sed et multarum gentium metropolin vocitat Philo, Legatione ad Caium: quibus fit, ut ecclesias, quae in Iudaea et Palaestina tum exstabant, hîc commemorare beatum Irenaeum existimem. Illic enim primum illucescere debuit evangelii splendor, et hinc radios suos spargere in omnes gentes, quia de Sion legem exituram, et verbum Domini de Ierusalem praedixerat Isaias; et virgam virtutis, qua robur evangelii designatur, emittendam ex Sion, David praecinuerat. Ante excidium Solymorum in omnibus finibus Iudaeae, Samariae et Galilaeae insignes fuisse Christianorum ecclesias constat ex Christi, apostolorum et discipulorum eius concionibus et miraculis in evangeliis et Actis apostolicis, quae fratrum, qui in Azoto, Lydda, Ioppe, Caesarea, Ptolemaide, Pella, Effrem, Damasco, Tyro et Sidone erant, meminerunt. Sed et post horrendam illam vastationem Syriae et eversionem Ierusalem, Iudaeis partim exstinctis, partim per orbem dispersis, regionem eam incolere et conventus ecclesiasticos celebrare Christianos permiserunt imperatores Romani. Ubi enim Iacobus martyrio sublatus est, discipuli, qui adhuc lucis usura fruebantur, una cum iis, quibus cum Domino secundum carnem intercedebat cognatio, convenientes, Simeoni filio Cleophae ecclesiae illius clavum commiserunt, quem ad Traianum usque feliciter rexit. Plurimos autem alios ex Hebraeorum gente recto successionis ordine post istum huic quoque praefuisse docet Eusebius lib. III. Histor. cap. decimo, vigesimo sexto, trigesimo; et lib. IV. cap. 5. — *Sed sicut sol*] Solis exemplo ob varias tribus, p. 125.
provincias et linguas, quibus profertur ecclesia, unitatem fidei et doctrinae nullo pacto dirimi posse apposite ostendit: quod pari schemate, sed uberiore facundia beatus martyr Cyprianus (lib. de unit.

eccl.) imitatus, his explicavit: *Ecclesia una est, quae in multitudinem latius incremento fecunditatis extenditur; quomodo solis multi radii, sed lumen unum; et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum. Et quum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit. A fonte praecide rivum, praecisus arescet. Sic et ecclesia Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit; unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur etc. — Creatura*] Delevimus *creaturae*, auctoritate veter. cod. et lectionis graecae *τὸ κτίσμα*. — *Sic et lumen*] Religio fuit hanc vocem expungere, tametsi eam contextus graecus non habeat. Quid autem si legamus: *sic et lumen et praedicatio veritatis*? etc. Sic enim aptius quadrabit assumtae similitudini de sole: et his sequentibus verbis *ubique lucet et illuminat* etc. Ceterum, his videmus eam unitatem doctrinae et consensionem eiusdem fidei, quam diximus unam esse notarum verae ecclesiae, hic vehementer urgeri ab Irenaeo, et dissectis cunctorum haereticorum sectis apposite obiici: quandoquidem hae nunquam secum, aut cum veritate conveniant. Manifestum est enim, (ut Gnosticos istos praetermittam) Arianos mox in quatuor, deinde in septem, praeterea in decem partes divisos fuisse: nec Donatistae, Manichaei, Pelagiani easdem defenderunt hypotheses. Quanta etiam nunc dissidia sunt inter Turcas, Persas, Tartaros et Mauros de Mahometico Alcorano ac errore? — *Plus autem*] Non est piorum ac sapientum virorum alium Deum aut Christum comminisci, sed quae obscure scripta sunt exquirere; ac inprimis divinam longanimitatem in peccatores, summam in iudicando aequitatem, in Verbi incarnatione ineffabilem gratiam, in gentium vocatione benevolentiam, similiaque mysteria cum pietate atque studio perquirere aliisque manifestare. — *Et quo-*
p.125. *niam magnanimus exstitit Deus*] Sic graecisans vertit *ἐμακροθύμησεν*, vetus interpres, pro: magno animo et multa patientia tulit quorundam angelorum defectionem, concessa illis ad resipiscendum, si voluissent, aliquanta temporis mora: alludens ad Pauli verba Rom. 9. cap. *Sustinuit Deus ἐν μακροθυμίᾳ*, id est *in multa patientia et longanimitate, vasa irae aptata in interitum* etc. — *Et quare testamenta multa*] Vetus Testamentum, quod cum typis suis obsolevit, et recens evangelium, miraculis et utilioribus sacramentis sancitum, longe diversa esse foedera hic et infra quoque disserit et probat lib. IV. cap. 21. 22. et 24. id quod et ante eum abunde convicerat b. Iustinus martyr et philosophus toto fere Dialogo cum Tryphone: et quaest. 97. et 101. ad Orthod. Isthaec autem observare placuit in eos, qui ut iudaicorum sacramentorum umbras, evangelicis sacramentis pares faciant, et nihil amplius istis quam illis, nobis praestari; ex duobus Testamentis unicum esse vociferantur contra apertissimas scripturas. Matth. 26., 2 Cor. 3., Heb. 7. 8. 12. 13., Gal. 4. — *Et quare desperatas gentes*] Vix invenias mysterium abstrusius, quodque Iudaeis et apostolis ab initio maius negotium facessiverit, quam sit vocatio gentium. Tantis enim promissionibus semini Abrahae Messiam pollicitum cernebant, ut huic tantummodo destinatum putarent, quum ad plurimas easque

evidentissimas sponsiones gentibus factas non attenderent. Hinc exorta sunt varia dissidia, quae vix publico concilii decreto postea compescuerunt apostoli. Hincque iudaisantem ut plurimum ecclesiam Ierosolymitanam sub Iacobo legimus. Ergo *desperatas gentes* vocat, quae religionis Christianorum ineundae, fideique excipiendae in desperationem iam venerant: quarum salus ex cognitione evangelii nulla in posterum speraretur. — *Praeconare*] Nimia religione exprimendi p.127. κηρύσσειν, quod est *publicare, voci praeconis subiicere,* interpres vertit *praeconare,* pro annuntiare, promulgare atque praedicare. Hic et passim animadvertas licet, interpretem curare verbum verbo reddere, ut loquitur Horatius, quo fidus appareat, tum mentis, tum verborum Irenaei explanator, quum verba de verbis expressa fidelissime efferat, atque ea legenda et conferenda lectori prodat.

GRABIUS: *Ἕως περάτων τῆς γῆς*] Ita quoque de amplitudine p.118. ecclesiae, a ss. apostolis fundatae, epistola s. Ignatii ad Philadelphenos, licet interpolata, sonat: *Μία ἡ ἐκκλησία, ἣν ἱδρύσαντο οἱ ἅγιοι ἀπόστολοι ἀπὸ περάτων ἕως περάτων ἐν αἵματι τοῦ Χριστοῦ οἰκείοις ἱδρῶσι καὶ πόνοις. Una ecclesia, quam suis sudoribus ac laboribus fundarunt ss. apostoli a finibus terrae usque ad fines, in sanguine Christi. — Ἀοράτου*] *Invisibilis.* Patris mentionem hoc p.120. loco factam puto, ut innueretur ideo erga Filium omne genu curvandum esse, quod is *visibilis* sit appariturus de caelis. Nam *Pater potestatem dedit Filio iudicium facere, quia filius hominis est,* Ioan. 5, 27. — *Ἐκκλησία, καίπερ ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ διεσπαρμένη* etc.] Ecclesiae, licet per longe dissitas orbis partes dispersae, in una tamen fide consensionem atque amicam conspirationem Irenaeus opponit haereticis, qui in uno eodemque loco saepe diversa docent, et vix conveniunt nisi in hoc uno, ut ecclesiae unitatem rumpant et fidem corrumpant. — *Ἕνα οἶκον οἰκοῦσα*] Cyprianus de Unitate ecclesiae pag. 3. edit. Oxon. *In domo Dei, in ecclesia Christi, unanimes habitant, concordes et simplices perseverant. — Αἱ ἐν Γερμανίαις ἱδρυμέναι ἐκκλησίαι*] Sunt quidem, qui de sola Germaniae ora cis Rhenum, Romanorum ditioni subiecta, haec accipi volunt, ac evangelium Francis atque Saxonibus aliisve trans Rhenum ante Irenaei aetatem praedicatum pernegant. Ast auctor noster *ἐν Γερμανίαις,* numero plurali fundatas ecclesias dicens, haud obscure indicat, in diversis Germaniae partibus iam tum fidem evangelii obtinuisse. Et Tertullianus lib. contra Iudaeos cap. 7. diserte memorat, *Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita; et Sarmatarum et Dacorum et Germanorum et Scytharum et multarum abditarum gentium.* Ceterum quae de primis Germaniae apostolis ex Aventino notavit Feuardentius, incerta sunt et pari facilitate ab aliis reiiciuntur, qua a quibusdam acceptantur. — *Ἰβηρίαις*] *Hispanorum,* non Iberorum in Asia, terras intelligendas p.122. bene monuit Feuardentius; minus recte autem fecit, quod fabulam de Iacobi maioris apostoli praedicatione in istis oris sine censura recensuerit. Attamen alii apostolo, Paulo scilicet, non modo propositum fuisse iter in Hispaniam, de quo ipse ad Romanos cap. 15. v. 24. et 28. scribit, sed et reapse susceptum, ubi e primis Romae vinculis evasit, ac ecclesiam ibi fundatam fuisse docent Epiphanius Haeres. 27.

Ioannes Chrysostomus Homil. LXXVI. in Matth. et Homil. VII. de Laudibus Pauli, Hieronymus in cap. 11. Esaiae et cap. 5. Amos, hisque antiquior Hippolytus libello de XII apostolis, (si modo is genuinus eius est fetus) nec obscure confirmat ipse Pauli amicus s. Clemens in epist. ad Corinthios scribens, illum e vinculis Roma dimissum fuisse *εἰς τέρμα δύσεως, in terminum* sive ultimam oram *Occidentis*, ubi Hispaniam sitam esse ex geographicis notum est; quamvis haud desint, qui *τέρμα δύσεως* in *Britanniam* usque extendant, quorum sententiam hîc in medio relinquo. — *Ἐν Κελτοῖς*] *Celtas* esse populos Galliae Comatae inter Garumnam et Sequanam, hoc loco notat Feuardentius, indeque plura de primis Gallorum apostolis cumulat, maximam partem fabulosa, et ab ipsis eruditis Gallis, horumque doctissimo Launoio, confutata. Quinam vero primi et quando lucem evangelii Galliae intulerint disquirere, haud est praesentis instituti; sufficit quod ex hoc Irenaei et Tertulliani loco supra citato: *Gallorum diversas nationes Christo subditas* fuisse constet, eique adeo fideliter adhaesisse, ut magnam martyrum multitudinem ad Deum praemiserit, sicut memoriae est proditum in epistola Viennensium et Lugdunensium, istius aevi Christianorum, ad ecclesias Asiae et Phrygiae apud Euseb. lib. V. cap. 1. — *Κατὰ τὰς ἀνατολάς*] Ecclesias in orientalibus provincias Asiae minoris et maioris nec non apud Parthos, Medos, Persas ipsosque Indos ab apostolis fundatas esse historici sacri testantur, ex quibus aliqua refert Feuardentius, quae prosequi non est huius loci. Vide prolixius de his disserentem Baron. ad A. C. 44. — *Ἐν Αἰγύπτῳ — ἐν Λιβύῃ*] De Africanis ecclesiis plura hîc congessit Feuard. quae utpote satis nota describere inutile, nec non intempestivum foret. Haud opus autem fuisset, ad apostolatum Eunuchi reginae Candacis probandum, plura longe petita afferre testimonia, quum praesto ei fuerit ipsius Irenaei auctoritas lib. III. cap. 12. et lib. IV. cap. 40. — *Ἀρκουμένους τούτους*] Billius monet legendum *τούτῳ* vel *ἀρκουμένου τούτου*, (quomodo Gallasius in sua Irenaei editione posuit) tametsi hoc minus probet. *Ἀρκοῦντος* enim potius dixisset, inquit, si significationem activam exprimere voluisset. Recte quidem, sed nec *τούτους* in *τούτῳ* mutare est necesse, siquidem il-
p.124. lud ad *τινὰς* referri, hoc vero subintelligi potest. — *Πάντα*] Nolim putes corrigendum esse et scribendum *πάντας*. Nam Irenaeum ita verba apostoli legisse ex collatione huius loci cum lib. III. cap. 22. patet. — *Εὐχαριστεῖν*] Suspectum sibi hoc loco verbum istud videri ait Billius, quod parum respondeat praecedentibus *διδάσκειν, μηνύειν, ἐξερευνᾷν, ἀπαγγέλλειν κτλ.* Et verum quidem est *εὐχαριστεῖν* de ea, quae Deo fit, gratiarum actione proprie dici, attamen hîc ad orationem, qua coram hominibus Dei beneficia horumque rationes exponuntur, ab Irenaeo translatum est, quod verba *διδάσκειν, ἀπαγγέλλειν* etc. repetere nollet, quodque orationes eucharisticae, quibus incarnatio et passio Christi celebratur, praecipue quidem in honorem Dei, sed simul ad usum fidelium dirigantur, sicque mors Domini et coram Deo et coram hominibus *annuntietur*, 1 Corinth. 11, 26. — *Ἡ ἀρχή*] *Καὶ οὐκ ἐν ἀρχῇ* ductu veteris interpretis legere amat Billius; neque tamen negare potuit, quod *ἡ ἀρχή, principium*, i. e. Dei

filius, *in fine* temporum apparuisse optime dici potuerit. Ego sane nullus dubito, Irenaeum ita scripsisse, veteri autem interpreti sensum eius haud assecuto libuisse suum hic exprimere. Ceterum ut de caussis tam seri adventus Salvatoris nostri pauca dicam, inter plures, quas s. patres tradiderunt, verissima mihi videtur ea, quam Eusebius in Prooemio lib. VIII. de Demonstratione evangelica et lib. I. Hist. eccles. cap. 2. fusius edisserit. Ait quippe, Adami posteros per universum orbem diffusos olim ferinam magis quam humanam egisse vitam nullis legibus vel iuribus circumscriptam, nulla virtute vel philosophia excultam, adeo ut mutuis stupris et caedibus se contaminarent, humanas carnes vorarent, ipsi Deo vero bellum inferre auderent etc. Necesse itaque fuisse. ut adeo feri hominum mores paullatim corrigerentur, philosophia partim, partim lege Mosaica, ac tum denique in mundo appareret Verbum Dei, perfectam iustitiae legem ac salutem humano generi afferens etc. Legatur Petavius lib. II. de Incarn. cap. 17. — *Μητέρα τούτων καὶ αὐτοῦ*] Veterem interpre- p.126.
tem legisse *τούτου καὶ αὐτῶν* ante Petavium notavit Billius, assensum praebens lectioni *τούτου*, non autem *αὐτῶν*. *Ad quid enim*, inquit, *referretur*? Respondeo ad Valentinianos matrem Achamoth confingentes, quae iccirco supra cap. 1. alibique passim *mater ipsorum* dicitur. Unde graecis nihil mutatis *τούτων* de Valentinianis, *αὐτοῦ* de Creatore accipio, et illos ante hunc ab Irenaeo positos puto, quoniam haeretici illi adeo insaniebant, ut se tanquam spirituales super illum velut animalem efferrent. — *Οὐδὲ τό*] Ita Petavius procul dubio ex MS. codice excudi fecit pro *οὐδὲ τόν*, ut est in Basileensi Epiphanii editione. Ego vel cum Billio *οὐδὲ εἰς τό*, vel potius cum veteri interprete *οὐδ' ἐν τῷ τὸ* legendum puto.

MASSUETUS: *Τὴν εἰς ἕνα Θεὸν πίστιν*] Symbolum apostolicum p.118.
hic indigitat Irenaeus, cuius singulos paene articulos refert, ut ad eorum amussim haereticorum placita deinceps exigat. Idem symbolum iisdem paene verbis, et in eundem finem refert Tertull. lib. de Praescript. cap. 13. et contra Prax. c. 2. Id symbolum bis ab Irenaeo referri, hoc scilicet loco, et lib. II. c. 1. sed diversis plane verbis, scribit vir clarissimus D. Elias Du Pin novae biblioth. Tom. I. p. 32. editionis Parisiensis an. 1686. sed, pace doctissimi viri, dixerim Irenaeum lib. II. cap. 1. symboli aut articulorum eius ne quidem verbo tenus meminisse: adeo ut ex ss. episcopi testimonio concludi non possit symbolum ab uno et eodem auctore diversis omnino verbis interdum fuisse citatum. Nec minus falsum est quod hic ait Grabius, symbolum ab Iren. lib. III. cap. 4. appellari *veterem traditionem*: agit enim eo loco Irenaeus, non de symbolo, sed de verbo Dei non scripto, ab apostolis tradito, cuius auctoritatem commendat, et in haereticos intorquet. — *Dispositiones Dei*] Gr. *τὰς οἰκονομίας, dispensationes*, ea nimirum quae Deus fecit, humanae salutis procurandae caussa. — *Ζωὴν χαρισάμενος*] Nota, inquit Grabius, vitam aeternam p.120.
iustis ac poenitentibus ex gratia dari. Operam ludit vir doctus. Suis nempe persuasum vellet, a Catholicis negari vitam aeternam ex gratia dari, quod falsissimum est. Sic enim asserimus post ipsum Salvatorem Matth. 5, 12. Luc. 6, 23. et 35. vitam aeternam velut *merce-*

dem bonorum operum meritis rependi, ut ipsa bona opera et merita gratiae Christi accepta referamus. *Nullane igitur*, ait August. epist. 194. al. 105. *sunt merita iustorum? sunt plane, quia iusti sunt. Sed ut iusti fierent, merita non fuerunt.* Si iustis hominibus merita sunt, quibus ex iustitia debeatur merces; non igitur in singulis operibus peccant. Porro. prosequitur August. *sicut merito peccati, tanquam stipendium, redditur mors; ita merito iustitiae, tanquam stipendium, vita aeterna. At bonum omne meritum non in nobis facit nisi gratia: et quum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat quam munera sua..... Unde et ipsa vita aeterna, quae utique in fine sine fine habebitur, et ideo meritis praecedentibus redditur; tamen quia eadem merita quibus redditur, non a nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta sunt per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupatur; non ob aliud, nisi quia gratis datur: nec ideo quia non meritis datur, sed quia data sunt et ipsa merita, quibus datur.* Haec, quibus catholicae sententiae summa continetur, si attente meditari voluisset Grabius, ab inutili nota temperasset — *Καὶ γάρ*] *Κἂν γὰρ* ab interprete lectum suspicatur Grab. quia vertit ille *nam etsi.* Sed quum particulam *etsi*, non addiderit, nisi maioris connexionis caussa, nihil impedit quin legerit *καὶ γάρ.* — *Αἱ ἐν Γερμανίαις ἱδρυμέναι ἐκκλησίαι* etc.] Quae hîc de fide iam apud varias occidentis nationes disseminata asserit Irenaeus, liquido confirmat Tertullianus, qui paullo post scribebat. Libro siquidem adv. Iud. c. 7. inter gentes quae iam Christo crediderant, evangelioque colla subdiderant, enumerat, *Hispaniarum omnes terminos et Galliarum diversas nationes et Britannorum inaccessa Romanis loca et Sarmatarum et Dacorum et Germanorum et Scytharum* etc. Sed quis primus fidem apud eas Occidentis nationes invexerit, an Irenaei temporibus latius obtineret, an plures, easque numerosas haberent ecclesias? Si quod res est fateri velimus, satis incertum. Plures quidem tum Galliarum, tum Hispaniarum, tum Germaniarum ecclesiae, se vel ab apostolis ipsis, vel ab eorum discipulis fundatas gloriantur; sed haec tot difficultatibus scatent, ut assensum sustinere tutius sit. Scribit Historiae nostrae scriptorum antiquissimus Sulpitius Severus, Sacr. Hist. lib. II. pag. 150. edit. Antverp. ann. 1574. *sub Aurelio Antonini filio persecutione quinta agitata, tum primum intra Gallias martyria visa, serius trans Alpes religione Dei suscepta.* Consentit et vetus auctor Actorum s. Saturnini episc. et martyr. apud Ruinart. nostrum, Act. martyr. sinc. et select. p. 110. §. 2. scribens: *sensim et gradatim in regionibus nostris* (in Galliis scilicet) *apostolorum praedicationem coruscasse; et ante Decii et Grati consulatum,* i. e ante an. 250. *raras in aliquibus civitatibus ecclesias, paucorum Christianorum devotione consurrexisse; sed nihilominus crebra, miserabili errore gentilium, nidoribus foetidis in omnibus locis templa fumasse.* Quorum auctorum testimonia omni exceptione maiora videntur. Et revera, si in iis regionibus occidentalibus, ante M. Aurelii tempora, altas egisset radices christiana fides, et longe lateque propagata fuisset, qui a tyrannorum vexatione tuta permanere potuisset, nec citius ibidem, ut et alibi terrarum, martyria visa fuissent, non video. At martyres Lugdunenses

primi omnium in Galliis sanguinem pro Christo fuderunt. Nullus in Hispaniis ante s. Fructuosum, qui passus est an. 259. certus et indubitatus martyr legitur. Nulla etiam, puto, in Germania et Britannia maiori explorata proferentur matyria ante Diocletianeam persecutionem. Id ergo duntaxat ex hoc Irenaei loco erui potest, quasdam apud Celtas, Hiberos seu Hispanos (neque enim hîc de Iberis Asiae populis agitur, utpote qui fidem non nisi Constantino Magno imperante susceperint) et Germanos ecclesias tunc exstitisse. Ceteris omnibus celebriores videntur fuisse Lugdunensis et Viennensis, quas anno 177. nobilitavit ingens sanctorum copia, qui Lugduni martyrii coronam adepti sunt. Accessit in cumulum ss. Lugdunensis antistes Irenaeus, qui, dum vixit, pietate ac scientia fidem in Galliis pro virili promovit. Sed eo exstincto, si non penitus exstincta, saltem eo delapsa fuit, ut medio tertio saeculo, quum iam rarae et paucorum Christianorum essent ecclesiae, ut scribit vetus auctor citatus, novis apostolis quibus excitaretur, indigeret. — *Hanc praedicationem*] Longior periodus, p.121.
quae ab initio capitis coepta, hactenus continuatur. — *Κατὰ σύνε-* p.122.
σιν εἰδέναι τινάς] Legendum vellet Fronto Duc. *κατὰ φρόνησιν εἰδέναι τινὰς τὴν σύνεσιν, secundum prudentiam nosse quosdam intelligentiam.* Nam, subdit, *intelligentiam nosse,* phrasis est Scripturae, ut Esaiae 56, 11. *οὐκ εἰδότες σύνεσιν.* Hieron. *nescientes intelligentiam.* Sed ut *intelligentiam nosse,* phrasis sit Scripturae; non sequitur Irenaei phrasin esse. Quare nihil immutandum in textu graeco censerem. Suspicarer potius vocem latinam *intelligentiam,* e margine in textum irrepsisse. Nempe ad marginem codicis sui scripserat quis *intelligentiam,* qua voce *σύνεσιν* melius reddi posse, quam prudentia, non immerito censebat. Imperitus alter scriba utramque textui inseruit. — *Lumen, praedicatio*] *Lumen* vel p.123.
de suo addidit interpres, comparationis elucidandae gratia: (neque enim ea vox legitur in graeco) vel, quod probabilius videtur, ea vox e margine in textum irrepsit. Scripserat quispiam ad oram codicis sui: *Lumen, praedicatio veritatis,* quod alter imprudens in textum transtulit. — *Ampliat*] Alludit Irenaeus ad illud quod de manna scriptum est, Exod. 16, 18. et 2 Cor. 8, 15. Nam verba graeca *τῶν ὁ* plane eadem sunt, quae apud Epiphan. *οὐκ ἐπλεόνασεν ὁ τὸ πολύ, καὶ ὁ τὸ ἔλαττον* (vel ut habet Paulus *ὁ τὸ ὀλίγον*), *οὐκ ἠλαττόνησεν.* — *Sed in eo quod — exquirere* etc.] Hellenismus est. Latine scribendum fuisset: *sed in eo ut — exquirat et adiungat,* sicut recte scripsit interpres *in eo ut — factam enarret:* tum cetera omnia quae in infinitivo ponuntur, usque ad *praeconare,* in subiunctivo reponenda. — *Εὐχαριστεῖν*] Suspectum sibi esse eo loco hoc verbum ait Billius, p.124.
quod parum aliis verbis, quae praecedunt, *διδάσκειν, μηνύειν, ἐξερευνᾶν, ἀπαγγέλλειν* etc. respondeat. Opportunum tamen sensum habere hîc potest, si vertatur, uti recte vertit idem Billius *grato animo complectatur* vel *recolat.* Interdum enim *εὐχαριστέω* accipitur pro *εὐλογέω,* hoc vero pro *celebro.* Adde quod alludere potuit Irenaeus ad eucharistiae sacrificium, quod passionis Christi *memoriale* a patribus vocatur, utpote quo Domini mors, ut ait Apost. 1 Cor. 11, 26. annuntiatur, et grata memoria celebratur. — *Ἡ ἀρχή*] Legit interpr.

καὶ οὐκ ἐν ἀρχῇ. Commode tamen legi potest *ἡ ἀρχή, principium,* i. e. Dei Filius, quem *ἀρχὴν* et *τέλος* non semel dixit Ioannes in Apocalypsi. — *Τὰ ἀπεγνωσμένα ἔθνη*] Eas nimirum gentes, quas, ut ait D. Prosper Respons. ad obiect. VIII. Gallorum: *in praeteritis saeculis dimiserat Deus ingredi vias suas, quando Iacob elegit sibi Dominus, et non fecit taliter omni nationi, et iudicia sua non manifestavit eis:* quarum proinde gentium salus conclamata videbatur humanae prudentiae. — *Πῶς τε ἐρεῖ, ὃ οὐ λαός* etc.] His prorsus affine est quod scribit D. Prosper loco sup. citato: *Cur qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei sit; et quorum aliquando non misertus est, nunc autem misereatur; et ubi dictum est: Non plebs mea vos; ibi vocentur filii Dei vivi: et quare quod quaerebat Israel, non sit consecutus, electio autem consecuta est, ceteri vero excaecati sunt; impossibile est comprehendere, et periculosae curiositatis est*
p.125. *quaerere* etc. — *Magnanimus exstitit Deus*] Gr. *ἐμακροθύμησεν ὁ Θεός,* i. e. *diuturna lenitate* vel *patientia tulit Deus,* tum angelorum, qui ab eo recesserunt, defectionem, tum hominum inobedientiam. — *Adesse*] Perperam legit interpr. *συνεῖναι,* quum tamen in graeco sit *συνιεῖν,* quod vertendum erat *intelligere,* seu potius *ut intelligat,* cur scilicet aliter aliis apparuerit. — *Gratias agere*] Mallem vertisset interpr. *grata memoria recolere.* — *Et quemadmodum factus est*] Graeca hic paullo liberius vertit interpres. Haec *πῶς τε ἐρεῖ,* reddenda erant *quomodo* seu *quo sensu dicit,* scilicet Deus. *Ἐρεῖ* enim hîc non verbum futuri temporis est, ut falso post Petavium existimavit Grabius, sed praesentis. Sic Matth. 7, 4. *ἢ πῶς ἐρεῖς τῷ ἀδελφῷ*
p.126. *σου* etc., *aut quomodo dicis fratri tuo* etc. — *Μητέρα τούτων καὶ αὐτοῦ*] Legit Int. *μητέρα τούτου καὶ αὐτῶν. Τούτου* quidem et Billius lubens legit; insectatur enim Irenaeus eos qui Demiurgo, hoc est, summo illi rerum omnium opifici, matrem Enthymesin affingunt; sed *αὐτῶν* plane improbat; ad quid enim, inquit, referretur? Respondeo, ad Valentinianos, qui *Achamoth* matrem habere gloriabantur, quaeque ea ratione *mater ipsorum,* cap. 7. et alibi passim ab Irenaeo dicitur. Grabius graecis nihil mutatis, *τούτων* de Valentinianis, *αὐτοῦ* de creatore accipit; sed minus bene: pronomen enim *οὗτος* demonstrativum quum sit, ad id quod immediate praecedit, non ad aliquid remotius referri debet. De Demiurgo autem, non de Valentinianis, proxime antea mentio facta. Quare cum vet. interpr. legere satius est *μητέρα τούτου καὶ αὐτῶν.* — *Οὐδὲ τό*] Billius legendum censet *οὐδὲ εἰς τό;* Grabius vero *οὐδὲ ἐν τῷ τό.* Sed nulla additione facta *οὐδὲ τὸ* retineri posse nihil vetat, subintelligendo *ἐν τῷ,* quod mox praecessit. — *Τὸν μὲν ἕνα, νῦν δέ* etc.] Pro *τὸν μὲν ἕνα* corrigit Billius ex vet. interpr. *νῦν μὲν τριάκοντα, νῦν δέ* etc. Melius vero Petavius *τότε μὲν τριάκοντα.* Quod vero *ἕνα* pro *τριάκοντα,* in textum irrepserit, id ex eo factum esse non imperite coniiciunt Fronto Duc. et Grabius, quod quum Irenaeus, vel priores eius scribae, notam tricenarii numeri *Λ* cum lineola transversa, non ipsam vocem *τριάκοντα* reposuissent, qui eos secuti sunt, incaute *Λ* in *Α*, quae monadis nota est, transmutarunt, indeque *ἕνα* scriptum est: quod quidem eo facilius fieri potuit, quod *Λ* et *Α*, in MSS. praesertim,

maxime affines sint. Haec porro dum pro arbitrio distinguit Gallasius, in alienum omnino sensum detorquet. Sic scribit: ὥστε τὸ ὑπὲρ ταύτην πάλιν Πλήρωμα, τὸν μέν, ἕνα, τὸν δέ, ἀνήριθμον φῦλον etc. Quae sic vertit: *Ut supra hanc rursum ementiaris Pleroma, hic quidem unum, ille vero infinitum genus Aeonum.* — *Praeconare*] Ita melius quam *praeconiare*, (ut est in editt.) MSS. Clarom. Ottobon. Arund. et Merc. II. *Praeconare* autem, vel *praeconari*, est *praedicare, extollere, annuntiare.* Sic Martianus Capella lib. 17. *Ingressuros etiam cunctos nominatim vocabat, fama praeconans.* Et lib. I. Memorial. Sanct. *Solvite divinis laudibus ora, summique Redemtoris beneficia extollentes, praeconate et dicite* etc. Et infra: *qui liber vestrorum actuum memoriam gloriosam praeconatur.* Praeconari etiam dixit Honorius Augustodun. lib. III. cap. 1. p.127.

CAP. XI.

BILLIUS: *Veteres doctrinas*] Pro ἀρχὰς διδασκαλείου, repone ἀρχαίας διδασκαλίας, ex vet. — *Ad hunc modum docet*] Gr. ἐξηροφόρησεν, corrupte, ut opinor. Vetus habet *sic definit*, quasi legerit οὕτως ἔφη ὁρισάμενος. — *Ab Ecclesia*] Malo cum veteri interpr. legere ἀληθείας, quam ἐκκλησίας, quod id magis quadret cum eo quod post sequitur *ut veritatis plantas proferant.* Ubi tamen illic quoque annotandum est, veterem interpretem φύλλα legisse, non φυτά, quam tamen lectionem minus probo. — *Quandoquidem figmento suo*] Delendum καὶ in graeco. — *Ex Aorato denique*] Post ἀοράτου in graec. haec verba addo ex vet. interpr. et Tertull. τετάρτῳ καὶ ὀγδόῳ τόπῳ. *Hoc autem*, ait Tertull., *quae ratio disponat, ut singula, et quidem tam intercisis locis nascantur, malo ignorare, quam discere.* — *O nugatores Sophistae*] Ὦ ληρολόγοι σοφισταί. Aliter tamen legisse videtur vet. interpr. Vertit enim *o pepones, Sophistae vituperabiles.* Quae verba occasionem praebent suspicandi in graeco vel esse carmen illud Homericum: ὦ πέπονες, κάκ' ἐλέγχε', Ἀχαΐδες, οὐκ ἔτ' Ἀχαιοί. Iliad. 2. vel certe paullum immutatum. — *Coniugis expertem*] Pudiciores hos vocat Tertull. qui honorem divinitatis recordati, ut etiam unius coniugis dedecus a Bytho avellerent, maluerunt nullum ei sexum deputare: et fortasse hoc Deum, non hic Deus pronuntiant. — *Hermaphroditi naturam*] *Alii*, inquit Tertull., *masculum et feminam eum dicunt, ne apud solos Lunenses Hermaphroditum existimet animalium commentator Funestella.* p.128. p.131. p.131. p.136. p.137.

FRONTO DUCAEUS: *Sed a matre*] Lege *sed a matre foris facta secundum memoriam meliorum enixum esse cum quadam umbra*, vel *foris autem facta enixa est.* Christum scilicet dicit procreatum fuisse a matre foras explosa. Porro vocem τινὸς restituimus ex Basileens. — *Fructificarent folia veritatis*] Interpres legit τὰ φύλλα τῆς ἀληθείας; apud Epiphan. erat: τὰ φυτὰ τῆς ἀληθείας, *plantas veritatis*, quod magis probat Billius. Atque editio quidem Gallasii ex Epiphanio graeca Irenaei hactenus repraesentabat: in hac autem ex eodem in aliis locis eadem ab hoc usque ad caput 9. subiicere placuit. Licet enim non se ipsa verba Irenaei proferre Epiphanius profiteatur, tamen eadem paene verba usurpat cum iis, quae interpres p.129. et131. p.131.

Irenaei convertit e graeco: nam et Theodoretus, ut et ipse, ex eodem
p.133. fonte istas haeresum narrationes hauserunt. — *Iu iu, et pheu*] Ubi superioribus attexuit quaedam Epiphan. de Epiphane ex Clemente Alexandrino, redit ad haec Irenaei, in quibus illud *φεῦ* usurpat: de quo Suidas quidem notat esse *σχετλιαστικὸν ἐπίῤῥημα, ἔστι δὲ καὶ θαυμαστικόν;* sed admirantis notionem habet apud Tertull. adv. Valent. ubi scholastici *φεῦ* acclamant et laudant; hic vero dolentis, ut auctor ipse indicat apertius alio in loco: *ὑπὲῤ τὸ φεῦ καὶ ὑπὲῤ πᾶσαν τραγικὴν ἐκφώνησιν, καὶ σχετλιατισμόν ἐστι;* vel potius
p.135. *σχετλιασμόν.* — *Quam et ipsam*] Lego *quam et ipsam voco henotetem; manifeste quoniam figmenta sunt quaecunque ab eo dicta sunt, confessus est.* — *Quoniam* etc.] Illud *est,* quod aberat a prioribus editionibus, non agnoscit graecus liber, et *σαφέστατα manifestissime* sonat.

p.127. FEUARDENTIUS: *Videamus nunc et eorum inconstantem* etc.] Ecclesiarum omnium concordiae mirabili, quae non nisi a Spiritu s. oriri potest, haereticorum dissidia, pugnas, et quae nunquam coire possunt, sententias subiicit, ut zizaniorum et bellorum satorem, horum auctorem esse nullus nesciat. Etenim sicut ea, quae germana est sponsa et columba Christi, unica est, eaque unitate adversus hostium cuiuslibet generis copias et impressiones invicta permansit: sic haereticorum sectae dissectae, et quasi civili bello pugnantia capita, mutuis vulneribus semper conciderunt. Falsitatum et mendaciorum tesseram hanc certissimam esse, ex antiquissimis patribus ostendere magis libet, quam quidpiam proprio Marte cudere. *Mentior,* ait Tertull. (lib. de Praesc.), *si non etiam a regulis suis variant inter se, dum unusquisque proinde suo arbitrio modulatur, quae accepit, quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille, qui tradidit. Agnoscit naturam suam, et originis suae morem, profectus rei. Idem licuit Valentinianis, quod Valentino; idem Marcionitis, quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innovare.* Et paullo superius: *Unde extranei et inimici apostolis haeretici, nisi ex diversitate doctrinae, quam unusquisque de suo arbitrio adversus apostolos aut protulit aut recepit? Illic igitur et Scripturarum et expositionum adulteratio deputanda est, ubi diversitas invenitur doctrinae.* Haec ille. Iustinum martyrem (Quaest. 4. ad orthod.) adiiciam: *Nunc quum damnent,* ait, *haeretici alii alios ob opinionum dissensiones; perspicuum est, omnes eorum haereses occasionem habuisse ex ambitione, et mutua invidia haeresiarcharum: propter quam caussam lupi graves ab apostolo* (Actor. 20.) *nominati sunt. Immo, fidem nostram, dum sibi adversantur, affirmant,* ut scribit Hilarius libro septimo de Trinitate. *Inconsonae perfidorum sententiae in unum rectae fidei modulum concinunt, trophaeumque nostrae victoriae, eorum cassa certamina gignunt. Sabellii enim perfidia Arii damnat errorem: rursus Ariani dogmatis error Sabellii impietatem excludit,* ait Vigilius martyr (lib. II. cont. Eutychen). Quod si aliquando coire contingat, id demum efficitur, quod Athanasius scribit Orat. contra Arianos: Instar Herodis et Pilati in blasphe-
p.131. mias adversus Christum illos consentire — *Falsi nominis Gnostici*] Hoc nomen Valentinianos sibi ipsis indidisse ex 24. cap. huius libri

patet, idque ex omnium rerum amplissima notione, qua se praeditos prae cunctis mortalibus iactabant, ut ait Clemens Alexand. lib. I. Paedag. cap. 6. Hoc autem, quasi haereditario iure ab omni aevo possident haeretici, ut speciosis titulis se suosque coetus adornent. Simon se *virtutem Dei magnam* affirmabat: Montanus, *Paracletum ecclesiae promissum: Noëtus in eam dementiam delatus est* (ait Epiphanius cont. Noetia.) *ut se Mosem diceret esse et fratrem suum Aaronem.* Manichaeis frequenter exprobat Augustin. (lib. de haer. c. 46 et lib. 19. cont. Faust. c. 22.) quod nomen *Manetis* eorum Patriarchae, ut apud Graecos significatio insaniae vitaretur, geminata littera *Manichaeum*, quasi manna fundentem appellaverunt. *Magna quoque impudentia Novatiani sese Catharos, id est, mundos et puros vocabant*, ait in eos scribens Epiphanius. — *Secundus autem*] Huius meminit Tertull. libro Praescriptionum, dicitque paucis exceptis cum Valentino consentire. Augustinus (lib. de haer.) in hoc tantum distare scribit, quod opera turpitudinis adderet; Epiphanius vero, quod vocibus magis sonoris aures quidem suorum demulceret: sed omni ratione ex seminario diaboli erroris sui ornatum haberet omnium miserabilium miserrimus. Theodoretus libro primo haereticarum fabularum pauciora recitat quam hîc Irenaeus. — *Alius vero quidam*] Epiphanem istum p.133. vocant Theodoretus ac Epiphanius. Sed quam obscoenum monstrum fuerit, et subita morte perierit, audire praestat ex Clemente Alexand. lib. III. Strom. *Hic autem Epiphanes*, ait, *filius erat Carpocratis et matris Alexandriae nomine; ex patre quidem Alexandrinus, ex matre vero Cephalenaeus. Vixit autem solum septemdecim annis, et Samae, quae urbs est Cephaleniae, ut Deus est honore affectus: quo in loco templum ex ingentibus lapidibus, altaria, delubra, musaeum, aedificatum est et consecratum: et quum est nova luna, convenientes Cephalenaei natalem in Deos relationem Epiphani sacrificant, libantque et convivantur et hymnos canunt.* Et paullo ante: *Qui a Carpocrate et Epiphane descendunt, censent oportere uxores esse communes, a quibus in nomen* (christianum) *maximum emanavit probrum.* Id autem luculentius sic exprimit Eusebius (h. e. IV, 7.): *Gentibus copiam et tanquam ansam praebuerunt sacro Dei verbo petulanter impieque obtrectandi: eo plane consilio, ut fama de flagitiosa istorum vitae ratione passim dissipata, turpem ignominiae notam universae Christianorum multitudini inureret. Unde certe accidit, uti nefaria quaedam opinio de nobis excitata per infidelium animos longe lateque pervaderet, quod videlicet nefando concubitu matres et sorores violare, tum etiam scelerato quodam alimenti genere uti non vereremur. — Iu iu! et pheu pheu*] Istas esse indignantium et dolentium, imo et demirantium nonnunquam exclamationes, aliquando solas, aliquando duplicatas pro subiecta affectuum materia, comicis simul et tragicis Graecorum usitatas notum est. In Avibus Aristophanis utramque eadem fere pagina reperias. In Sophoclis Aiace, utramque etiam; apud Euripidem ita frequens est ἰοὺ ἰού praecipue, ut notare supervacuum sit. Ideo autem de tragicis assumere maluit Iren. ut Valentinianorum opinionum portenta tanto maiora ostenderet, quanto personarum et rerum gravitate comoediam tragoedia superat. Nec erit alienum, hîc

Tertullianum appellare: *Cogor*, ait libro contra Valentin., *hîc quid ista nomina desiderent proferre de pari exemplo. In scholis Carthaginensibus fuit quidam rigidissimus rhetor latinus, Phosphorus nomine. Quum virum fortem peroraret, Venio, inquit, ad vos, optimi cives, de praelio cum victoria mea, cum felicitatę vestra ampliatus, gloriosus, fortunatus, maximus, triumphalis. Et scholastici statim familiae Phosphori φεῦ acclamant. Audisti fortunatam et Hedonen et Acinetum et Theletum; acclama familiae Ptolemaei φεῦ. Hoc erit* p.135. *Pleroma illud arcanum, divinitatis tricenariae plenitudo. — Nihil igitur prohibet*] Ridicula et anilia somnia haec et verba haereticorum irrisurus beatus martyr, *etiam a se ipso* (ait Epiphanius cont. Haer. 12.) *aliam nomenclaturam apposuit, velut dignam ad conferendum ipsorum nugacibus deliramentis, nimirum peponum et cucumerum ac cucurbitarum generibus* etc. Urbanis quoque et facetis verbis aliquando haeresin suggillare operae pretium iudicavit Tertullianus (lib. cont. Valent.): *Si ridebitur alicui*, ait, *materiis ipsis satisfiet, multa sunt sic digna revinci, ne gravitate adorentur. Vanitati proprie festivitas cedit. Congruit et veritati ridere, quia laetans: de aemulis suis lu-* p.137. *dere, quia secura est. Ubicunque dignus risus, officium est. — O pepones, sophistae*] Versus est ex secundo lib. Iliados Homeri, quem aequo iure in eos usurpat, quo beatus Paulus Epimenidis, Menandri et Arati verbis aliquando usus est. Pepo cucumeris genus est Plinio, magnitudine caetera excedens, concoctu difficile, sed maxime refrigerans et alvum emolliens. *Πέπων* translatitie Graeci dicunt hominem fractum, effeminatum, dissolutum et mollem, ut in supra scripto versu Homeri. Et alius *μαλθακωτέρα πέπονος σύκον μοι γέγονας*, id est mollior mihi evasisti fico matura. Hi siquidem Gnostici tam foedis libidinibus se ipsos conspurcabant, ut hominis detracto nomine, atrocioribus, dignis tamen, nomenclaturis impositis, patres eorum institutum detestentur. Hinc beati Ioannis auditor Polycarpus Marcionem sibi obvium vocavit *Primogenitum Satanae;* Iren. in sequentibus vocavit *apostatas, et serpentis advocatos; Pandorae sophistas perversissimos; non homines, sed muta animalia, hominum umbras praeferentes* (Iren. III, 3. 39. IV, 2. 60.) Clemens Alexand. 7. Strom. *agrestes et inanes amygdalas, adulterantes veritatem; regulae ecclesiae fures, principes ac duces mysteriorum impiorum, animalia immunda, quae bifidas quidem habent ungulas, minime autem ruminant.* Et his antiquior Ignatius (Epp. ad Trall. Philad. et Antioch.): *vaniloquos, mentis seductores, Christum mercantes, verbi evangelici caupones, sycophantas, fructus mortiferos, progeniem maledictam, inimicos crucis Christi, ramos eorum, qui Dominum gloriae occiderunt, prophetarum interfectores, malas herbas, feras homicidas, sementum diaboli nequam, inimici seminarium, cippos et sepulchra mortuorum, malos operarios, canes mutos, serpentes se contrahentes, dracunculos squamosos, aspides, basiliscos, scorpiones, thoës astutos et simias hominum imitatrices.* Et Clemens Roman. (lib. 2. Const. cap. 24. et lib. 6. c. 10.): *non homines, sed feras crudeles in humana figura, lupos perniciosos, diaboli organa, et irae filios.* Tam obscoenas siquidem et exsecrandas illorum impudentias fuisse refert Epiphan. lib. I. contra Haeres. 26.

ut vix ac ne vix quis legere valeat sine gravi animi indignatione, et ob has tam monstruosa nomina merito sortitos dicit, *ut Borboriani, Coddiani, Stratiotici, Phibionitae, Barbelitae, Barbeliotae* vocarentur: cui facile subscribit Theodoretus lib. I. haeret. fabularum.

GRABIUS: *Ὁ μὲν γὰρ πρῶτος*] Haec verba cum sequentibus *ἀπὸ τῆς γνωστικῆς αἱρέσεως* construxere Blondellus et Dallaeus, ut probarent, Valentinum ex illa Gnosticorum haeresi primum fuisse, qui dogmata hoc capite ab Irenaeo recensita tradiderit, indeque epistolam s. Ignatii ad Magnesianos, qua Sige haereticorum perstringitur, Valentino recentiorem ac spuriam esse evincerent. Sed bene responderunt doctissimi viri, Pearsonius part. 2. Vindiciarum epist. s. Ignatii cap. 6. prope finem, et Cotelerius in not. ad dictam s. Ignatii epistolam, *πρῶτος* non ad proxime sequentes huius periodi voces referendum esse, sed ad praecedentes: *Videamus nunc et horum inconstantem sententiam, quum sint duo vel tres, δύο που καὶ τριῶν ὄντων, quemadmodum de iisdem non eadem dicunt* etc. Unde pergit: *ὁ μὲν γὰρ πρῶτος, qui enim primus est,* nempe Valentinus; post quem sequitur *ὁ Σεκοῦνδος,* item *ἄλλος δὲ Ἐπιφανὴς* et *ἄλλοι δέ. Secundus, Epiphanes, alii etiam* etc. Atque horum *princeps* utique erat Valentinus; at non absolute primus dogmatum illorum inventor, nec Gnosticorum choragus, sed horum potius successor, ut ex hoc ipso et pluribus aliis Irenaei locis probavit laudatus Pearsonius, adducens quoque testimonium Eusebii lib. 2. de ecclesiastica theologia, Simonem facientis *τῶν ἀθέων αἱρεσιωτῶν ἀρχηγόν, ὃς τὰ ἄθεα δογματίζων ἀπεφαίνετο λέγων· ἦν Θεὸς καὶ Σιγή, impiorum haereticorum principem, qui impia dogmatizans pronuntiavit, dicens: Erat Deus et Sige.* Contra quod excepit quidem Laroquanus, ista periphrasi non Simonem, sed Valentinum ab Eusebio indigitatum esse. Sed optimus suorum verborum interpres est ipse Eusebius lib. II. hist. eccles. c. 13. scribens: *πάσης μὲν οὖν ἀρχηγὸν αἱρέσεως πρῶτον γενέσθαι τὸν Σίμωνα παρειλήφαμεν. Sane omnis haereseos ducem primum fuisse hunc Simonem accepimus.* — *Ἀρχὰς εἰς ἴδιον χαρακτῆρα* p. 128. *διδασκαλείου μεθαρμόσας*] Billius ex veteri interprete reponi vult *ἀρχαίας διδασκαλίας.* Sed lectionem Epiphanii egregie defendit clariss. Dodwellus Dissert. IV. in Irenaeum §. 13. Quippe *ἀρχάς,* i. e. *principia* doctrinae Valentinianos a Gnosticis mutuatos esse, utique Irenaeus scripsisse colligitur ex parallelo loco lib. II. cap. 18. *A quibus* (Gnosticis) *et hi* (Valentiniani) *initia emissionum* (*ἀρχὰς προβολῶν*) *accipientes convicti sunt in primo libro.* Similiter *ἴδιον χαρακτῆρα διδασκαλείου,* phrasin Irenaeo usitatam fuisse indicant verba eius de Basilidianis, infra cap. 23. *Illorum* (astrologorum) *theoremata accipientes, in suum characterem doctrinae transtulerunt.* Et de Tatiano c. 31. *Ἴδιον χαρακτῆρα διδασκαλεῖου συνεστήσατο, Proprium characterem doctrinae constituit,* ut iterum vetus interpres haud accurate reddidit, quia vox *διδασκαλείον scholam* proprie, non *doctrinam* denotat. Ceterum et de verbo *μεθαρμόζειν* eiusque sensu plura vide apud laudatos D. Dodwellum §. 12. et Pearsonium loco supra citato. — *Ἐξηροφόρησεν*] *Corrupta vox,* inquit Petavius, *in qua divinationem experiri non vacat.* Experti sunt alii in diversa abeuntes, quo-

rum varias coniecturas recenset, et suam denique subiungit Pearsonius dicto loco ita scribens: Hammondus *legit ἐξεφόρησεν*, Isaacus Vossius *leviori mutatione ἐληροφόρησεν. Sed Billius putat veterem interpretem legisse ἔφη. Ego potius existimo, veterem interpretem eam quam ipse legit, vocem minime intellexisse, ideoque omisisse, quod id salvo sensu fieri posse putavit. Vetustissimam igitur lectionem sentio fuisse ἐξηροφόρησεν, et fortasse ab ipso Irenaeo profectam; nam ξηροφορεῖν idem significare potest, quod aliquid enarrare ξηραῖς λέξεσιν, ut Graeci loquuntur.* Accedit alia Cotelerii sententia, qui *ἐψηφοφόρησεν* loco citato legere amat. Ego aut *ἐξηροφόρησεν* retinendum; aut si hoc nimis durum videatur, *ἐληροφόρησεν* cum Vossio legendum puto, non solum quod haec levissima sit mutatio, sed et quod sub finem huius capitis sequatur: *ὦ ληρολόγοι σοφισταί, o pepones sophistae. — Εἶναι δυάδα*] *Τινὰ* ex veteri interprete addi vult Bill., sed non necesse est, saltem parum refert. Ceterum de Valentino Tertullianus quoque lib. I. contra Marcionem c. 5. *Valentinus ausus est Deos concipere, Bythum et Sigen, quum usque ad triginta Aeonum fetus, tan-*
p.130. *quam Aeoniae scrophae examen divinitatis effudit. — Ποτὲ δὲ ἀπὸ τοῦ Ἀνθρώπου*] Huc respexit Tertull. lib. III. adversus Marc. c. 10. scribens: *Unum potest angustiis tuis subvenire, si audeas aut Deum tuum Patrem Christi hominem quoque cognominare, quod de Aeone fecit Valentinus: aut Virginem hominem negare, quod nec Valentinus*
p.130. *quidem fecit. Christum* vero pro *Iesu* hic dixit Tertullianus. — *Τὴν*
et 132. *μὲν μίαν φῶς, τὴν δὲ ἄλλην σκότος*] Epiphanius igitur Irenaei verba ita accepit, quasi dextra quaternatio a Secundo dicta fuerit *lumen;* sinistra *tenebrarum* nomine indigitata fuerit. Et ita quoque Tertull. lib. contra Valentinianos: *Secundus,* inquit, *ogdoadem in duas tetradas dividens, in dextram et sinistram, in lumen et tenebras.* Unde ex his declaranda obscura satis versio Irenaei, ut et explicanda sive corrigenda verba Theodoreti lib. I. Haeret. Fabul. cap. 8. *Διχῇ τὴν ὀγδοάδα διεῖλε, καὶ τὸ μὲν αὐτῆς ἐκάλεσε δεξιόν, τὸ δὲ εὐώνυμον· καὶ προστέθεικε φῶς καὶ σκότος. Bipartito divisit ogdoadem, et unam illius partem dextram vocavit, alteram sinistram; adiecitque lumen et tenebras.* Primo enim intuitu haec videntur lumen et tene-
p.132. bras a duplici tetrade distinguere. — *Ἄλλος*] (Citata Feuardentii annotatione quam sub lemmate *Alius vero quidam* recepimus, Grabius addit haec:) Sed nihil ibi de subita Epiphanis morte, nec uspiam aliquid memoriae de ea proditum memini. Ceterum Epiphanis nomen non solum a Theodoreto ac Epiphanio, sed ipso etiam Irenaeo hoc loco positum fuit, licet vetus interpres id non expresserit. De ipso Epiphane confer nostri Spicilegii Patrum et Haer. Sec. II. T. I. — *Ἡ ἑνότης, ἥ τε μονότης*] Haeretica voce, orthodoxa autem mente, de vero Deo cecinit Synesius Hymn. I. v. 58 seq. *Ἑνοτήτων ἑνὰς ἁγνή, Μονάδων μονάς τε πρώτη. Unitatum unitas sancta, Monadum monas prima. — Μονάδα καλεῖ*] Epiphanem *μοναδικῆς γνώσεως* auctorem fuisse, testem habemus Clementem Alexandrinum lib. III. Strom. Ecquis est, quin videat, ab hac monotete vel monade *γνῶσιν* illam venisse *μοναδικήν*? *Gnosin* a praeceptore Valentino accepit Epiphanes. *Monotes* vel etiam *Monas,* (haec scilicet nomenclatura) proprium eius

erat inventum: unde ille merito pro *μοναδικῆς γνώσεως* auctore celebratus est. A patre Carpocrate institutus est in *ἐγκυκλίῳ παιδείᾳ* et Platonicis iste filius Epiphanes. Frequens autem est in theologia Platonica mentio vocis istius utriusque et diversa etiam forma, tam *μονότητος*, quam etiam *μονάδος*. Pro linguae tamen graecae genio forma *μονάδος* accuratior est; unde fluxerit *γνῶσις* ista *μοναδική*. Haec supra laudatus D. Dodwellus loco mox citato. — *Alius vero* p. 133. *quidam, qui et clarus* etc.] Hunc Epiphanem fuisse, eiusque dogmata hic ab Irenaeo recensita esse, ei qui textum nostrum bene consideraverit, observare in promtu est. Placet autem hanc observationem proponere verbis doctissimi D. Dodwelli Dissert. IV. in Irenaeum §. 25. ita scribentis: Secundo proximum Epiphanem noster quoque recenset Irenaeus, si tamen graeca eius recte constituantur. Sic habet locus in veteri interprete: *Alius vero quidam, qui et clarus est magister ipsorum* etc. Huius *ἀποσπασματίου* graeca omisit *Epiphanius*. Sic autem reddit in codicis sui margine cl. Pearsonius: *Ἄλλος δέ τις, ὁ καὶ Ἐπιφανής, διδάσκαλος αὐτῶν*. Acutissime simul, et, ut puto, verissime. Ad *hominis* nomen allusit Irenaeus in voce *ἐπιφανής*, quam tamen allusionem quum non intelligeret interpres, nomen hominis ita obscuravit, ut nullum possit ex hoc loco colligi. Quid vero hoc in eo miremur, quum eodem etiam lapsus fuerit errore Tertullianus lib. contra Valentinianos cap. 37. quo loco nostri (*Irenaei*) hunc ipsum etiam locum excerpsit? Sic enim reddidit: *insignioris apud eos magistri*. Corrupto nimirum similiter *proprio* hominis nomine in *appellativum*. Recte vero nostri (*Irenaei*) sententiam accepisse *Cestriensem* non modo inde colligo, quod soleant veteres primariis Valentinianae sectae Haeresiarchis Epiphanem accensere, proximumque Secundo, ut noster fecit Irenaeus, numerare, ut ex Epiphanio discimus: sed et quod quae *claro* illi, quem volunt, *magistro* tribuit Irenaeus, in Epiphanem aptissime conveniant. Haec clariss. Dodwellus.

MASSUETUS: *Ὁ μὲν γὰρ πρῶτος* etc.] Locum hunc a Blon- p. 126.
dello et Dallaeo vexatum egregie ab eorum cavillationibus vindicarunt Pearsonius in Vindic. epist. s. Ignatii, Part. II. cap. 3. 4. 5. 6. et 7. Cotelerius in Observat. ad epist. Ignat. ad Magnes. et alii ss. Martyris epistolarum vindices. Nempe has viri apostolici epistolas, ac in primis eam, quae est ad Magnesianos, iuniorem Ignatio auctorem redolere ex eo contendebant Blondellus et Dallaeus, quod in his eiusdem verbis *αὐτοῦ λόγος ἀΐδιος, οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών*, aperte perstringatur haereticorum *Sige*. Atqui, inquiebant, Valentinus, Irenaeo teste lib. I. c. 5. nunc 11. ex Gnosticorum haeresi primus fuit, qui ex veteribus doctrinis in suum characterem, seu formam translatis et aptatis, quod subiicit dogma tradiderit, ac proinde *Σιγὴν* memoraverit. Plura respondent invictisque muniunt argumentis Ignatii defensores strenuissimi, ex quibus duo duntaxat. quae ad rem nostram faciunt, observabimus. Primo: Falsissimum id esse, Valentinum primum omnium copulationem Bythi et Siges tradidisse; quin potius certissimum esse, ridiculum illud commentum a vetustioribus Gnosticis haustum fuisse, ut ipsi etiam demonstravimus Dissert. I. art. 5. n. 22 seqq. Secundo: Verba haec Irenaei *ὁ μὲν γὰρ πρῶτος*, perperam et dolose a Blon-

dello et Dallaeo referri ad gnosticam haeresin, quasi Irenaei mens esset, Valentinum ex illa Gnosticorum haeresi primum fuisse, qui ex veteribus doctrinis ad suum characterem, sive peculiarem sectae formam translatis et aptatis, quod subiicit dogma tradiderit. Alio quippe referuntur ea verba, ad priorem scilicet sententiam, non ad sequentem: *Ἴδωμεν νῦν καὶ τὴν τούτων ἄστατον γνώμην, δύο που καὶ τριῶν ὄντων, πῶς περὶ τῶν αὐτῶν οὐ τὰ αὐτὰ λέγουσιν, ἀλλὰ τοῖς πράγμασι καὶ τοῖς ὀνόμασιν ἐναντία ἀποφαίνονται. Videamus nunc et horum* (magistrorum scilicet illorum divina sapientia destitutorum, quorum sub finem capitis praeced. meminerat), *inconstantem sententiam, quum sint duo vel tres, quemadmodum de eisdem non eadem dicunt, sed et nominibus et rebus contraria respondent: ὁ μὲν γὰρ πρῶτος, qui enim primus est* (ut satis fideliter reddidit vetus interpres) ex paucis scilicet illis duobus, vel tribus magistris divinae sapientiae exsortibus, *Valentinus* nimirum, *a gnostica haeresi antiquas in suum characterem doctrinas transferens sic definivit.* Tum sequitur *Σεκοῦνδος δέ, ἄλλοι δέ.* Quae perspicue demonstrant, haec *ὁ μὲν γὰρ πρῶτος,* referri, non ad gnosticam haeresin, sed ad duos illos vel tres, quorum *inconstantem* sententiam expositurus est Irenaeus. —
p.128. *Ἀρχὰς εἰς ἴδιον χαρακτῆρα διδασκαλείου* etc.] Legi vult Billius cum veteri interprete *ἀρχαίας διδασκαλίας.* Sed nihil in Epiphanii verbis immutare necesse est. Sensus enim est, Valentinum haustis a gnostica haeresi principiis, ea in proprium scholae suae, *διδασκαλείου,* characterem transtulisse; quod certum esse dixi nota praeced. Porro *ἴδιον χαρακτῆρα διδασκαλείου,* phrasin Irenaeo usitatam esse, probant eius verba de Basilidianis infra cap. 24. n. 7. *Illorum* (astrologorum) *theoremata accipientes, in suum characterem doctrinae transtulerunt.* Et de Tatiano cap. 28. *ἴδιον χαρακτῆρα διδασκαλείου συνεστήσατο, proprium characterem doctrinae constituit.* In quibus locis interpres perperam vertit *διδασκαλείου, doctrinae;* nam *διδασκαλεῖον* proprie *schola* est, non *doctrina.* — *Μεθαρμόσας*] Sensus non est Valentinum principia, quae a Gnosticis acceperat *mutasse,* multo minus in melius *correxisse* aut *emendasse,* quasi nihil iis addidisset. Quamvis enim interdum ea sit significatio verbi *μεθαρμόζειν,* hic tamen, ut et alibi saepe, *transferre* aut *adaptare* significat: quod pluribus probat Pearson. cit. cap. 6. sub finem. — *Ἐξηροφόρησεν*] Quid hic scripserit Irenaeus, haud facile est divinare. Nam *ἐξηροφόρησεν* barbara vox est, quae utrum ab auctore nostro profecta sit, dubium est. Si quid doctissimorum virorum coniecturis addere liceret, legere sat amarem *ἐκενοφώνησεν* vel *ἐληροφώνησεν*: hae si-
p.129. quidem voces paullo magis graecae mihi videntur. — *Antiquas in suum characterem doctrinas transferens*] Vertendum erat: *ab ea quae dicitur gnostica haeresis, principia in proprium scholae suae characterem transferens* seu *aptans:* i. e. in peculiaris sectae formam aptans, quibusdam scilicet additis. Quamvis enim Valentinus doctrinae suae principia a vetustioribus Gnosticis *accepisset,* plura tamen eorum haeresi addiderat, ut Dissert. cit. ostendimus. — *Determinantem*] Legi mallem *disterminantem,* quam *determinantem.* — *Sed matrem foris factam — enixam esse*] Supple *eum.* Sic restituimus partim

ex cod. Voss. partim ex aliis. Ille habet *matrem autem foris factam — enixam esse:* (quam lectionem, corruptae editorum lectioni longe praeponendam, Grabium haud secutum fuisse miramur) expungimus vero particulam *autem,* utpote superfluam, nec in omnibus codd. exstantem, retenta particula *sed,* quam habent omnes editt. cum nostris MSS. — *Γνώμην*] *Μνήμην* legit Billius cum veteri interprete, non *γνώμην*: p.120. ut sit sensus, eam in recordatione beati illius status, quo non sine magno dolore carebat, eiusmodi fetum edidisse. At *γνώμην, notitiam,* eundem habet sensum: quare nihil mutandum censeo. — *Omnipo-* p.131. *tentem eorum*] Melius vertisset interpres *omnipotentem in ea* vel *supremum Dominum eorum.* — *Et lumen et tenebras*] Haec ab interprete paullo obscurius reddita clarius explicat textus graecus: *τετράδα δεξιὰν καὶ τετράδα ἀριστερὰν, τὴν μὲν μίαν φῶς, τὴν δὲ ἄλλην σκότος.* Sensus ergo est, non lumen et tenebras aliud quiddam esse a tetrade dextra et tetrade sinistra; sed primam ogdoadem a Secundo divisam fuisse in duas tetradas, alteram scilicet dextram, alteram sinistram: priorem dictam fuisse *lumen,* posteriorem *tenebras.* Sic accepit Tertullianus cap. 38. scribens: *humanior iam Secundus, ut brevior, ogdoadem in duas tetradas dividens, in dextram et sinistram, in lumen et tenebras.* Hinc explicandus Theodoretus lib. I. Haeret. Fabul. c. 8. *Διχῇ τὴν ὀγδοάδα διεῖλε, καὶ τὸ μὲν αὐτῆς ἐκάλεσε δεξιόν, τὸ δὲ εὐώνυμον· καὶ προστέθεικε φῶς καὶ σκότος. Bipartito divisit ogdoadem, et unam illius partem dextram vocavit, alteram sinistram; adiecitque lumen et tenebras:* i. e. quibus nomen adiecit luminis et tenebrarum. — *Ἰοὺ ἰού, καὶ φεῦ φεῦ*] Exclama- p.132. tiones poëtis graecis, tragicis praesertim usitatae. Interdum admirationis, doloris interdum et indignationis signa sunt. Dolorem hîc significant, ut et cap. 15. n. 4. huius libri: *ταῦτα ὑπὲρ τὸ ἰοὺ καὶ τὸ φεῦ, καὶ ὑπὲρ πᾶσαν τραγικὴν ἐκφώνησιν* (sic lego) *καὶ σχετλιασμόν ἐστι, haec supra iu iu et super pheu, et super universam tragicam exclamationem, et doloris vociferationem sunt,* ut vertit interpres noster. — *Τὸ τραγικὸν γὰρ ὡς ἀληθῶς ἐπειπεῖν ἐστιν ἐπὶ τῇ*] Sic habet Epiphanius. Cur vero Grabius ea verba omiserit: *γὰρ ὡς ἀληθῶς ἐπειπεῖν ἐστιν,* non video; quum latinis satis exacte respondeant, excepta particula *γὰρ* quam non reddidit interpres. — *Alius quidam, qui et clarus est magister* etc.] Recte coniicit sagacis- p.133. simus Pearsonius a clariss. Dodwello Dissert. IV. in Irenaeo §. 25. citatus, quae hic ab Epiphanio omissa sunt graeca, sic ab Irenaeo scripta fuisse: *Ἄλλος δέ τις, ὁ καὶ Ἐπιφανὴς διδάσκαλος αὐτῶν,* ad hominis scilicet nomen alludente. Sed quum allusionem non intelligeret interpres, *proprium* nomen in *appellativum* male commutasse: ita ut iam ex interprete dignosci non possit, in quem conveniat ea haeresis ab auctore nostro hîc descripta. Quo et errore lapsus Tertullianus veterem interpr. secutus scripsit cap. 37. *insignioris apud eos magistri.* Epiphanem tamen hîc intelligi, subdit Dodwellus, non modo inde colligitur, quod soleant veteres inter primarios Valentinianae sectae haeresiarchas Epiphanem recensere proximumque Secundo, ut noster fecit Irenaeus, numerare, ut ex Epiphanio discimus; sed et quod quae *claro* illi, quem volunt, magistro tribuit Irenaeus, in Epi-

phanem apertissime quadrent. — *Maius sublime — est quidem*] Forte legendum *magis sublime*, gr. *ὑψηλότερον;* et *est quaedam*, gr. *ἔστι τις*. Tertullianus vero, qui cap. 37. totum hunc locum ad verbum exscribit, omittit sive *quidem* sive *quaedam*. — *Quum nihil emiserint*] Sic graeca *μὴ προέμεναι*, reddidit interpres noster; absurde omnino, ut quisque videt. Si enim henotes et monotes *principium omnium* emiserint, absurdum est dici nihil emisisse. Longe melius haec expressit Tertullianus: *protulerunt, non proferentes, initium omnium*. Sed quis istorum verborum sensus? Coniicio id discriminis inter *principium omnium* seu *monada*, et ceteros Aeones ab Epiphane positum fuisse, vel quod illud sic proferretur, ut tamen ab auctore non separaretur; eo fere modo, quo Tertullianus lib. contra Prax. c. 8. *prolatum dicit Filium a Patre, sed non separatum:* ceterorum vero Aeonum prolatio cum separatione fieret. Vel quod monas mera esset Proarches *ἐνέργεια* seu *δύναμις ἀνυπόστατος;* ad eum modum, quo Verbum simplicem Patris *ἐνέργειαν ἀνυπόστατον*, hominum verbo similem statuebant Sabelliani: ceteri vero Aeones propriam hypostasin haberent. Favere videtur huic coniecturae, quod Epiphanes suam monada sic emissam esse vellet, ut tamen ingenita esset: quod enim hypostasin non habet, gigni proprie loquendo non potest. Eo sensu dicere potuit, monada sic prolatam fuisse, ut tamen non proferretur.

p.135. — *Qui nisi haec auderet, hodie veritas* etc.] Graeca sonant: *Perspicuum est eum esse, qui primus nomina haec condere ausus fuerit: ac nisi ipse aliquando in mundo exstitisset, hodie veritas* etc., ex quibus patet legendum esse in vet. versione *auderet*, ut habent omnes editt. cum codd. Clarom. et Pass. non *audiret*, ut perperam habent MSS.

p.136. Anglic. *Καὶ πέμπτῳ*] Adde *τόπῳ* ex vet. interpr. et Tertull. cap. 35. *Sed quae ratio dispensat* (addit ibidem Tertull.), *ut singula binis locis, et quidem tam intercisis nascantur, malo ignorare quam discere. Quid enim recti habeant, quae tam perverse proferantur?* Si quis tamen sensus eiusmodi deliriis esse possit, is esse videtur. Scilicet primam omnium emissionem, seu eam emissionem, quae primo loco et ante ceteras omnes facta est, esse a *Proarche*, quae *Archen* protulit quintum ogdoadis locum tenentem: secundo loco, seu secundam emissionem ab *Arche* factam esse, a qua emissus est *Acataleptos*, sexto ogdoadis loco constitutus. Et sic de ceteris. — *Πλήρωμα τῆς πρώτης ὀγδοάδος*] Lego cum vet. interpr. *τοῦτο τὸ Πλήρωμα τῆς πρώτης ὀγδοάδος*, et in his verbis novam constituo periodum. In aliis vero omnibus editt. haec praecedentem claudunt, et *Πλήρωμα* refertur ad *ἀγέννητον*, quasi *ἀγέννητος* diceretur complementum primae ogdoadis. Sed id Valentinianorum omnium hypothesi repugnat, qui Pleroma non de uno singulari Aeone dicebant, sed ex pluribus constituebant. Hoc vero in tres partes dividebant, ut patet ex c. 1. huius libri, in ogdoada scilicet, decada et duodecada. *Pleroma* igitur *primae ogdoadis* nihil aliud est, in eorum mente, quam Pleroma, qua parte constat prima ogdoade, seu prima ogdoas Pleromatis. Et quum Irenaeus hic descriptis ordine et nominibus primae istius ogdoadis, subiungit *τοῦτο τὸ Πλήρωμα τῆς πρώτης ὀγδοάδος*, sensus est: sic

primam Pleromatis sui ogdoada constituunt: nam in ceteris partibus, cum reliquis Valentinianis isti consentiebant.

CAP. XII.

BILLIUS: *Ac propterea adveniente voluntate*] Pro *διὰ τούτου* lego cum vet. *διὰ τοῦτο*. Addo autem *ἐπιγινομένου* (quo verbo superius quoque utitur auctor) quia vetus interpr. habet *adventitiae*. — *Non gradatim*] *Quanto meliores*, inquit Tertull., *qui totum hoc tae-dium amoliti, nullum Aeonem voluerunt alium ex alio per gradus revera Gemonios structum, sed mappa, quod aiunt, missa semel octo-iugem istam ex Patre et Ennoea eius exclusam. — Locutus est homo sermonem*] Addo *ἐλάλησε* in graec. ex vet. int. atque etiam ex ipso Tertull. qui tamen videtur legisse *ἤχησε*. Vertit enim, sonuit. — *Patris gloriam*] Addo in graec. haec verba ex vet. *διὰ τούτου δοξάζειν τὸν πατέρα*.

FRONTO DUCAEUS: *Ennoean et Thelesin*] Apud Epiphanium in Haeres. 33. videmus has voces *θέλημα* et *θέλησιν* usurpari *ἀδιαφόρως*. Tertull. *Cogitationem et voluntatem* latine dixit cap. 33. adv. Valent. — *Qui autem prudentiores*] Haec Epiph. Haeres. 35. Colorbaso cuidam attribuit, et eum secutus Theodoretus libro primo Haereticarum Fabularum, Colorbasiis, et Tertull. cap. trigesimo sexto advers. Valent. *Quanto meliores qui semel octoiugem istam ex Patre et Ennoea eius exclusam voluerunt.* Colorbasum idem nominat de Praescription. capite quinquagesimo cum nostro interprete Iren. cap. 10. lib. I. Multa hic sunt *ἀνακόλουθα*, si ad graecorum sententiam examinentur, quam eleganter expressit Billius, ad verbum dicendum fuisset, emissionem Aeonum simul emissam esse, vel procreatam. — *Qui autem prudentiores* etc.] Non video, cur hic Billius vertat *omnes Aeonas* pro *sex Aeonas*, sic enim graece Epiphanius: *τὴν τῶν ἓξ αἰώνων προβολήν*. Licet enim Tertullianus *octoiugem* nominet, tamen id fit, quia parentes numerat cum liberis. Certe graeca Epiphanii secutus est hoc loco Billius, quum tamen iudicio quidem nostro, ex veteri interprete graeca fuerint emendanda. Plane enim opponi videntur hi Colorbasii Valentinianis: nam illi quidem, ut leges libro primo, capite primo, de Logo et Zoë emissam secundam coniugationem volebant, Hominem scilicet et Ecclesiam: at isti contra inverso ordine ex Anthropo et Ecclesia Logon et Zoën: id adeo quae sequuntur docent, *locutus est Anthropos Logon, hic est primogenitus filius,* subsequitur Logon Zoë. Ac Pamelius quidem in Tertull. corrigendum esse vult Epiphanium, ita ut legatur, *sed velut alii volunt* pro *aut velut alii volunt*: sic enim verterat Cornarius *καὶ ἐξ ἀνθρώπου ὡς οἱ ἄλλοι*: nobis tamen videtur illud *ὡς οἱ ἄλλοι*, scribendum post *καὶ ἐκκλησίαν*, ut Valentiniani designentur, ac deinde *ἀλλ' ἐξ ἀνθρώπου*. — *Vera fuerunt*] In graeco legendum *ἃ προεβάλετο ἀληθῆ ἦν*. Tertull. quoque: *Quum protulit, quia vera protulit, hic veritas appellata est. — Quapropter beneplacitum*] Graec. *εὐδοκητὸν καλεῖσθαι*: unde apud Theodoretum corrigendum est illud Eudochiteon, hoc est, complacendum, et scribendum, Eudocetum, *εὐδοκητόν*, hoc est, beneplacitum vel complacitum. Sed ibidem legimus, ut apud Epiphanium, Servatorem factum

ad Pleromatis stabilimentum: hoc tamen apud utrumque emendandum est, ut ex Tertulliano constat cap. 39. *Alii a Christo et Spiritu sancto constabiliendae universitatis provisis confictum.* Sic cap. 1. sub finem *τὸν Χριστὸν εἰς ἐπανόρθωσιν τοῦ πληρώματος προβεβλημένον.* Denique in graeco videtur legendum *ἑαυτὸν ὁμολογεῖν*, quum vetus habeat, *se confiteri.*

p.139. FEUARDENTIUS: *Hi vero*] Persequens mutuas pugnas et contradictiones Gnosticorum, docet illos Deum verum in poëticum (qui variis coniugiorum, affectuum et mutationum passionibus subiiciatur) transmutare: quum tamen Deus verus ineffabili sapientia cuncta noverit et voluntate immutabili omnia possit atque perficiat. Ad hunc certe locum respexit Cyrill. Ierosol. (Catech. VI.) quum scripsit: *Deus non ex parte videns est, ex parte autem visione privatus: sed totus oculus, totus auditus, et totus mens* etc. — *Ennoea*] Delevimus *Ennoeae* auctoritate vet. Codicis. *Homerici Iovis*] Locus est apud Homerum Iliad. 2. v. 1—4. *Ἄλλοι μέν ῥα θεοί τε καὶ ἀνέρες ἱπποκορυσταὶ Εὗδον παννύχιοι. Ἀία δ' οὐκ ἔχε νήδυμος ὕπνος, Ἀλλ' ὅγε μερμήριζε κατὰ φρένα, ὡς Ἀχιλῆα Τιμήσῃ, ὀλέσῃ δὲ πολέας ἐπὶ νηυσὶν Ἀχαιῶν.* Sic nos utcunque carmine reddidimus: *Iamque alii placida divique hominesque quiete Gaudebant: sed enim vigilans tum Iupiter unus, Mente volutabat clarum qui reddat Achillem, Et cadat ad classem Graecorum multa virûm vis.* Ideo autem ultimum versum ambigue extulimus, quod consultus Eustathius moneat: *ὅρα δὲ τὸ πολέας, σχῆμα γὰρ ἀμφιβολίας ποιεῖ. Ἄδηλον γάρ, εἴτε πολλοὺς τῶν Ἀχαιῶν ὀλέσῃ, ὧν ὀλλυμένων ἐτιμᾶτο Ἀχιλλεύς, εἴτε πολλοὺς Τρῶάς τε καὶ Ἕλληνας, ἐπὶ ταῖς νανσὶν Ἀχαιῶν, ὅπερ κάλλιον.* Id est, Adverte autem ad *πολέας*, quod *multa virûm vis* reddidimus; habet enim figuram amphiboliae: quia incertum multosne Graecorum, quorum nece honorabatur Achilles, an multos Troianorum simul et Graecorum, ad Graecorum naves (quod melius est) perditurus sit. Beatus Irenaeus eum sensum secutus est, qui vel Eustathio ipsi melior videtur, nisi dicas post *perdere* deesse *ad naues,* ut apud eundem etiam Homerica servetur ambiguitas: quod subtilius forsan quam verius excogitatum putem, quum id non doceat vetus Codex et ad Homeri locum allusisse potius, quam eius verba usurpasse videatur. Epiphanius adversus Ptolemaitas, Irenaei sententiam pluribus verbis et apertiori-

p.141 bus explicat. — *Tunc cogitans quum vult*] Concinne quatuor axiomatibus quae de infinita Dei omnipotentia didicerat a Polycarpo et aliis apostolorum auditoribus, explicat, adversus Gnosticorum impia figmenta, quibus illam certis limitibus coërcebant, admittentes Deum quidem omnipotentem esse, sed eorum, quae ei subiacebant: multa eundem subterfugere putantes, ut ex superiori capite colligitur. Sagaciter enim animadvertebat hîc b. martyr, Deum Patribus ne ad promissa eius et iussa capessenda trepidarent, omnipotentiam suam proposuisse, apostolos quoque praetermissis boni, iusti, misericordis, et variis aliis, hoc unum Dei Patris epithetum credendum initio symboli affixisse: demumque huius immensae virtutis fidem, totius religionis christianae basin esse, quae si aliquatenus vacillet, totum corruere evangelium

p.143. necesse sit. — *Multa autem pugna apud eos*] Diversas illorum sen-

tentias de Salvatoris nostri aeterna generatione, quam silentio potius adorare, quam curiosius investigare debuissent, paucis enumerat Observa quam vere dixerint, multifidas falsitatis semitas esse, ubi semel a veritatis regula recesseris: ac eorum qui blasphemiis gaudent, varios cuneos et diversa multum blasphemiarum iacula (Theod. lib. 2. de cura graec. affect. et ser. I. de prov.). Mendacium enim multiplex et varium; sed veritatis gratia simplex est. *Talis est vecordia,* ait ad Cledonium Nazianzenus, *ut secum ipsa, et cum veritate pugnet. — Et propter hoc Logon* etc.] Christum Dominum ea tantum ratione Logon dicebant, quod a decem illis Saeculis, quae Logi et Zoës tertia illa coniugatio genuerat, emissus esset; personam divinam aeternamque una cum Patre fuisse, ut initio evangelii docet b. Ioannes, vel inficiari, vel obscurare satagentes. In hoc autem ut Iudaeorum impietatem sectabantur Gnostici, sic Arianorum et Mahumetis blasphemiis seminaria praebuerunt. — *Propter hoc Filium hominis se confiteri*] Quorum sententias tertio et quinto ordine recitat, circa temporalem Domini ex b. virgine conceptionem et natalem fusius describit et confutat, lib. III. c. 18. 26. 27. 28. 32. etc. ostendens eum ea ratione *Filium hominis,* se fateri, quod iuxta prophetarum oracula, veram carnem ex Maria Deipara Spiritu sancto cooperante assumpserit. Iustini etiam martyris verba (in Dial. et quaest. 66. ad Orthod.) super hoc nomine addere libet. *Filium hominis,* inquit, *seipsum dicebat, vel quia natus de Virgine oriunda a Davide, Iacobo, Isaaco, Abrahamoque; vel quia ipse Abraham etiam reliquorum deinceps pater est, ex quibus Mariae stirps exinde deducitur. Scimus enim patres filiarum, etiam liberorum patres esse, quos illae pariunt. Cur homo Christus,* ait Tertullianus (lib. de carne Christi), *et Filius hominis, si nihil hominis, et nihil ex homine? Nisi si aut aliud est homo quam caro, aut aliunde caro hominis quam ex homine, aut aliud est Maria quam homo.* Ceterum a doctis viris Pamelio ac Frontone moniti, sequenti linea: *iis qui ad firmamentum Pleromatis,* substituimus pro: *eorum qui* etc. — *Et propter hoc Christum vocari eum dicunt*] De Christi appellatione varia istorum somnia infra describit cap. decimo Tertullianus: id nominis non ex natura, sed ex dispositione venire; nec proprium esse, sed appellationem, qua unctus dicitur ut vestitus: ipsumque ad humanam naturam pertinere scribit: *Hinc Christus,* ut idem alibi ait, *dicitur a chrismate, quod est unctio, quae Domino nomen accommodavit, facta spiritalis, quia unctus est a Deo Patre oleo laetitiae prae participibus suis. Esaiae* 61. *Luc.* 4. *Psal.* 44. Heb. 1. Act. 4. *Unctus est autem, non ut Deus, sed ut homo,* scribit Theodoretus, *et post incarnationem Christus nominatus est.* Cui penitus consona habet Vigilius martyr, lib. IV. contra Eutychen. Hoc autem nomen commune regibus, prophetis et sacerdotibus fuisse, idem testatur. Quum igitur Salvator noster horum omnium partes susceperit, et ad has obeundas caelestis Patris virtute uberrima, scilicet Spiritus sancti gratia, in animam eius effusa delibutus fuerit, merito Christus dicitur, non a Pleromate, vel quibusdam Aeonibus, ut isti fanatici perperam somniant.

GRABIUS: Ὁ Πτολεμαῖος] Graeca Irenaei verba haec forte fue- p.138.

runt: *Οἱ δὲ περὶ Πτολεμαῖον ἐμπειρότεροι, δύο συζύγους ἔχειν αὐτὸν τὸν Βυθὸν λέγουσι, ἃς καὶ διαθέσεις καλοῦσιν, Ἔννοιάν τε καὶ Θέλησιν.* Loco vero horum Epiphanius Haeres. 33. §. 1. haec habet: *Οὗτος τοίνυν ὁ Πτολεμαῖος καὶ οἱ σὺν αὐτῷ, ἔτι ἐμπειρότερος ἡμῖν τοῦ ἑαυτῶν διδασκάλου προελήλυθε, δύο γὰρ οὗτος συζύγους τῷ Θεῷ, τῷ παρ' αὐτοῖς Βυθῷ καλουμένῳ, ἐπενόησε καὶ ἐχαρίσατο. Ταύτας δὲ καὶ διαθέσεσιν* (lege *διαθέσεις*) *ἐκάλεσεν, Ἔννοιάν τε καὶ Θέλημα. Hic ille cum suis Ptolemaeus, iis quos praeceptores habuit, sapientior evasit. — Etenim Deo, quem illi Bythum appellant, coniuges duas a se inventas attribuit, Cogitationem videlicet ac Voluntatem. — Τοῦ μὲν Θελήματος* etc.] Haec, perverso ordine in Epiphanio posita, ita lege: *τοῦ μὲν Θελήματος τὸν Νοῦν, τῆς δὲ ἐννοίας τὴν ἀλήθειαν.* Ceterum idem hoc loco est *Νοῦς*, qui *Monogenes*, prout notavit Bill. — *Τοῦ Θελήματος – ὁ δὲ Θῆλυς τοῦ Θελήματος*] *Τοῦ Θελήματος* posteriori loco dele et praecedentia ex veteri versione ita corrige: *Τοῦ Θελήματος ὁ μὲν ἄῤῥην εἰκὼν γέγονεν, ὁ δὲ Θῆλυς τῆς ἀγεννήτου ἐννοίας.* Ita enim legendum, apertissime demonstrat mox addita ratio, quod Voluntas virtutem pariendi Ennoeae dederit. — *Τὸ Θέλημα τοίνυν*] Dele *τοίνυν*, et lege *ὅτι*
p.142. *τὸ Θέλημα.* — *Καὶ ὁ ἄνθρωπος τὸν λόγον*] Addendum *ἐλάλησε.* Mirum tamen, quod in Voss. desit *locutus est;* unde animum subiit suspicio, ipsum veterem interpretem nullum in graeco textu verbum legisse. — *Ηὐδόκησεν*] Hic adde ex Theodoreti lib. I. Haeret. Fabb. c. 12. *δι' αὐτοῦ δοξάσαι τὸν πατέρα.* Quippe negligens scriba integram in Epiphanii textu lineam omisisse videtur. — *Προβεβλῆσθαι αὐτὸν λέγουσι*] Tria ista verba Irenaeus lectori reliquit subintelligenda, addidit autem hoc loco sequentia: *Καὶ διὰ τοῦτο λόγον καὶ ζωὴν λέγεσθαι αὐτόν.* — *Εἰς στήριγμα* etc.] Legendum esse *τῶν εἰς στήριγμα τοῦ πληρώματος προβεβλημένων*, bene monuit Billius, idemque confirmavit Fronto Duc. verbis Tertulliani cap. 39. *Alii a Christo et Spiritu sancto constabiliendae universitati provisis conflictum.* Neque dubitabit ultra, qui supra cap. 1. §. 4. pag. 13. lin. 13. (cap. 2. n. 5. pag. 11.) legerit. Non tamen id scribae, sed ipsius forte Epiphanii, Irenaeum perperam intelligentis, fuit erratum, perinde ut Theodoreti loco citato scribentis: *ἄλλοι δὲ ὑπὸ Χριστοῦ καὶ τοῦ πνεύματος εἰς στήριγμα τοῦ πληρώματος γεγονέναι* etc. Qui idcirco ambo ad rectum revocandi sunt sensum.

p.138. MASSUETUS: *Ὁ Πτολεμαῖος* etc.] Haec verba: *οὗτος τοίνυν* etc. usque ad *πρῶτον γάρ,* quae resecare Grabio placuit, nos edi curavimus, tum ut graecorum series habeatur, tum etiam quia licet Irenaei verbis quaedam addiderit Epiphanius, illa tamen cum vet. versione collata facile deprehenduntur. Ea duntaxat omisimus, quae minus cum latina versione conveniunt. Nempe quod brevius scripsisse videtur Irenaeus, *οἱ δὲ περὶ Πτολεμαῖον ἐμπειρότεροι, δύο συζύγους ἔχειν τὸν Βυθὸν λέγουσιν, ἃς καὶ διαθέσεις καλοῦσιν, Ἔννοιάν τε καὶ Θέλησιν*: haec paullo fusiori stilo prosecutus est Epiphanius. In hoc tamen lapsus esse videtur Constantiensis episcopus, quod Ptolemaeo et discipulis eius eam sententiam adscribit, quam solis eiusdem Ptolemaei discipulis tribuunt Irenaeus et Tertull. Nam paullo aliud

erat magistri systema, quod auctor noster fuse descripsit cap. 1. seqq. — *Θέλημα*] Has voces *θέλημα* et *θέλησιν* promiscue usurpat Epiphanius. Non mirum ergo, si pro *θέλημα* sic reddat interpres *Thelesin*. Sed post eam vocem *θέλημα*, haec addit Epiphanius, quae in veteri Irenaei interpretatione latina non occurrunt: *καὶ τὴν μὲν Ἔννοιαν ἀεὶ συνυπάρξασαν ἐν αὐτῷ, ἐννοουμένην ἀεὶ τὸ τὶ προβάλλεσθαι, τὸ δὲ Θέλημα ἐν αὐτῷ ἐπιγινόμενον. Et cogitatio quidem in illo nunquam non exstitit, semper cogitans aliquid producere: voluntas vero ipsi postmodum accessit.* An vero ista Irenaei sint, an Epiphanii, nemo facile dixerit. — *Φησίν*] Scripsit Irenaeus *φασὶν* vel *ὡς φασίν*, quia de Ptolemaei discipulis; Epiphanius vero *φησίν*, quia de Ptolemaeo ipso in singulari loquitur. — *Τοῦ Θελήματος* — p.138. *ὁ δὲ Θῆλυς τοῦ Θελήματος*] Depravatum hunc locum ita cum doctissimo Grabio ex veteri interpretatione restitue: *τοῦ ἐπιγινομένου Θελήματος ὁ μὲν ἄῤῥην εἰκὼν γέγονεν, ὁ δὲ Θῆλυς τῆς ἀγεννήτου Ἐννοίας.* Ac proinde expunge postremum illud *τοῦ Θελήματος*. Ita restituendum esse mox subdita demonstrat ratio: *Quoniam voluntas velut virtus facta est Ennoeae.* Demonstrat et Tertull. c. 33. *Ad imaginem quidem cogitationis, feminam Veritatem: ad imaginem voluntatis, marem Monogenem.* Tum hanc continuo rationem addit: *voluntatis enim vis, uti quae effectum praestat cogitationi, maris obtinet censum.* Masculum proinde semen ad imaginem voluntatis, femininum vero ad imaginem cogitationis factum est. — *Τὸ Θέλημα τοίνυν*] Delendum vult Grabius *τοίνυν* et pro eo legendum *ὅτι τὸ Θέλημα;* sed frustra: haec enim graeca periodus, prout nunc legitur, rectum efficit sensum, nec a versione latina discrepat: nisi quod interpres, huius connectendae gratia cum praecedenti, addidit particulam *quoniam*. Hic tamen praeterea pro *δύναμις* legisse videtur *ὡς δύναμις* vel *ὡσεὶ δύναμις*. *Ὅλος Θέλημα — ὅλος φῶς*] Has voces vel p.140. addidit Epiphanius, vel omisit interpres. Posteriores quidem exstant lib. II. cap. 12. n. 3. et 28. n. 5. ubi locum hunc fere repetit Irenaeus; sed non priores. At vicissim plura alia illic addit auctor noster, quae hîc non leguntur. Ceterum *ὅλος φῶς* male omittuntur in edit. Oxon. — *Τὴν πρώτην ὀγδοάδα*] Haec ex Epiph. Haeres. 35. §. 1. excerpta sunt, ubi pro his Irenaei verbis: *qui autem prudentiores illorum putantur esse,* solum habet episcopus Constantiensis: *λέγει γὰρ (ὁ Κολόρβασος) τὴν πρώτην ὀγδοάδα* etc. unde discimus haec esse Colorbasi dogmata, quae tacito auctoris nomine perstringunt Irenaeus et Tertull. cap. 36. Eadem Colorbasiis attribuit Theodoret lib. I. Haer. Fab. c. 12. — *Αἰῶνα προβεβλῆσθαι*] Haec perperam omisit editor Oxoniensis. — *Οὐκέτι ἐκ Λόγου καὶ Ζωῆς* etc.] Hic corrupta sunt graeca. Sic ex veteri interprete restituenda censerem: *Οὐκέτι ἐκ Λόγου καὶ Ζωῆς Ἀνθρωπον καὶ Ἐκκλησίαν, ὡς οἱ ἄλλοι, ἀλλ' ἐξ Ἀνθρώπου καὶ Ἐκκλησίας Λόγον καὶ Ζωὴν φασι τετέχθαι αὐτὸς καὶ οἱ αὐτοῦ. Ἀλλὰ ἑτέρῳ τρόπῳ τοῦτο λέγουσιν* etc. Superius enim ex Irenaeo observavimus, Gnosticos fuisse Valentinianorum parentes; ab illis hos tres syzygias aperte sumsisse, sive furatos esse; neque id male tulisse Gnosticos: sed mali furti eos accusasse, quod syzygiam *Hominis* et *Ecclesiae* post illam

Verbi et *Vitae* posuissent, quod absurdum existimabant. Unde post Valentinum multi eius discipuli ac in primis Colorbasii, a Gnosticis admoniti, magistri sui ordinem immutarunt, et *Hominem* et *Ecclesiam* ante *Verbum* et *Vitam* posuerunt. *De ea autem* (inquit Irenaeus lib. II. c. 13. n. 10.), *quae est ex his secunda emissione Hominis et Ecclesiae, ipsi patres eorum falso cognominati Gnostici pugnant adversus invicem, sua propria vindicantes, et malos fures semetipsos convincentes, aptabile esse magis emissioni dicentes, uti verisimile, ex Homine Verbum, sed non ex Verbo Hominem emissum, et esse Hominem Verbo anteriorem.* In hoc igitur Colorbasii ceteris Valentinianis opponebantur, quod hi, ut constat ex lib. I. c. 1., in posteriori tetrade ex *Logo* et *Zoë* emissam secundam coniugationem, *Hominem* scilicet et *Ecclesiam,* vellent; isti vero contra inverso ordine ex *Anthropo et Ecclesia Logon et Zoën.* Hinc paullo post subdit Irenaeus: *Locutus est Anthropos Logon: hic est primogenitus Filius. Subsequitur autem Logon Zoë.* Porro nihil necesse est moneam, Epiphanium, hîc maioris explicationis caussa, pauca quaedam Irenaei verbis addidisse, ut ὡς οἱ ἄλλοι, αὐτὸς καὶ οἱ αὐτοῦ, καὶ ἑτέρῳ τρόπῳ etc. — Ὃ προεβάλετο ἀλήθεια ἦν] Legendum vult Fronto Duc. ἃ προεβάλετο ἀληθῆ ἦν. Sic quidem legisse veterem interpr. et Tertullianum c. 36. negari non potest. Legere tamen sufficiat ὃ προεβάλετο ἀληθὲς ἦν: quamvis et vulgatam lectionem cum Petavio retinere nihil impediat. — *Aeonum*] Scite monet Fronto Duc. legendum esse *sex Aeonum,* quod quidem haud advertit Billius, dum vertit *omnes Aeonas.* Sic enim graece Epiphanius τὴν τῶν ἓξ Αἰώνων προβολήν. Tertullianus quidem *octoiugem* nominat: sed quia parentes numerat cum liberis. Addit vir eruditus multa hîc esse ἀνακόλουθα, si ad graecorum sententiam examinentur. Hanc longe accuratius sic exprimere potuisset interpres: *Dicunt primam ogdoadem non gradatim ita productam esse, ut alius ex alio Aeon fluxerit: verum sex Aeonum emissionem simul et semel a Propatore, et cogitatione eius factam esse non minus certo asseverant, quam si, dum ederentur, ipsi obstetricis munere functi fuissent.* In hoc duntaxat ea versio, quam auctoris nostri menti consentaneam existimo, discrepat a textu graeco, quod Epiphanius de Colorbaso in singulari, Irenaeus vero de Colorbasiis in plurali sermonem faciat. — *Ipsi se obstetricasse affirmant*] Diutius suspicatus sum, ex graeco legendum esse *ipsi quasi obstetricassent, affirmant;* quum maxime lib. II. cap. 28. n. 6. eadem phrasi utatur auctor noster: *hunc, quasi ipsi obstetricaverint, enuntiant.* Sed quum incidissem in lib. IV. cap. 33. n. 3. ubi Valentinianos deridendo iis exprobrat, quod Christi *emissionem .... semetipsos obstetricatos esse affirmant;* non dubitavi quin iisdem salibus, iisdem verbis Colorbaseos hîc, quod ceteros Aeones spectat, defricuerit. Quare vera lectio est, quam modo exhibet textus latinus; et ab Irenaei verbis nonnihil deflexit Epiphanius. — *Hoc Alethia vocatum est*] Hinc emendandus videtur Tertulliani textus cap. 36. et pro *hic veritas appellata est,* legendum *hoc veritas appellata est;* uti antea scripsit *hoc Pater dictus est;* et postea *hoc Homo pronuntiatus est.* — Εἰς στήριγμα etc.] Legendum esse cum interprete τῶν εἰς στήριγμα τοῦ Πληρώ-

p.141.

p.142.

ματος προβεβλημένων, bene monent Billius et Fronto Duc. Lectionem hanc confirmat Tertullian. c. 39. scribens: *Alii a Christo et Spiritu sancto, constabiliendae universitati provisis, confictum.* Et revera superius cap. 2. ex Valentinianorum hypothesi docuit Irenaeus, non Salvatorem, sed Christum et Spiritum sanctum *εἰς πῆξιν καὶ στηριγμὸν τοῦ Πληρώματος* emissos fuisse. Sed iam a quinto saeculo eodem vitio, quo iam laborat Epiphanii textus, laborasse et Irenaei codices, ex eo patet, quod Theodoretus loco cit. eodem prorsus modo legit et scripsit, atque nunc apud Epiphanium legimus. Unde subit suspicio Epiphanium ipsum, mendosis usum codicibus, vitiose scripsisse. — *Iis*] Ita reposuit Feuardentius monitus, ut ipse dicit, p.143. a Pamelio in Tertull. et Frontone Duc. In Erasmi autem et Gallas. editt. et in omnibus prorsus MSS. legitur *eorum,* Unde coniicit Grabius, sic ipsum scripsisse interpretem ex graeco *τῶν,* haud adversentem, latinam constructionem ablativum postulare. — *Et ideo hoc*] p.145. I. e. *propter hoc.* Mallem tamen deleri *hoc,* utpote superfluum.

CAP. XIII.

BILLIUS: *Persuasit*] In graec. pro *προσέχειν αὐτῷ,* desideratur p.144. aliquod verbum, forte *ἐποίησε* vel *ἔπειθε.* — *Invocationis verba*] p.146. *Ἐπικλήσεως,* scilicet Spiritus sancti. Quorsum autem spectet haec Spiritus sancti invocatio ex liturgiis graecis perspicue liquet, in quibus invocatur Spiritus sanctus, ut panem et vinum in Christi corpus et sanguinem vertat. Id quod rursus vel veteratorie, immo impie dissimulat Gallasius, vel turpiter ignorat. Apud Epiphanium corrupte hoc loco legitur *ἐπικλύσεως,* quemadmodum et eodem versu *ποιεῖν* pro *ποιεῖ.* — *Proferens*] In graec. pro *προσενεγκών* legendum est p.147. *προενεγκὼν* ex vet. interpr. — *Oportet nos*] Legendum *δεῖ ἡμᾶς* p.149. *ἓν καταστῆσαι.* Videtur tamen vet. interpr. legisse *εἰς ἓν καταστῆσαι.* — *Ac meras nugas*] Addo *καὶ* ex vet. — *Huiusmodi choro*] p.150. *Θιάσου,* videtur tamen vet. interpr. legisse *Θιασώτου.* — *O quae* p.152. *Deo assides*] Sic vertere placuit, ut perspicuum sit ad quem haec referantur. Non enim ad iudicem diriguntur, ut prima fronte videri queat, sed ad fictitiam quandam matrem, cuius nondum (?) superius facta est mentio. — *Orci galeam*] Vide Erasmum in prov. Orci galea. p.157. — *De vita Dei desperarent*] Verba sunt Apost. p.158.

FRONTO DUCAEUS: *Ad se convertit*] Quum sit graece *προσέ-* p.145. *χειν αὐτῷ,* legendum hic videtur *ad se converti velut ad scientissimum* etc. *locis habentem fecit,* et graec. *προσέχειν αὐτῷ ἐποίησε, ad se converti fecit.* Porro vocem *perfectissimum,* si e graeco vertit, non de suo addidit interpr. legendum est *ὡς γνωστικωτάτῳ καὶ τελειοτάτῳ.* Ita dixit ante cap. 5. [edit. nostra p. 136.] *ἵνα τελείων τελειότεροι φανῶσιν ὄντες καὶ γνωστικῶν γνωστικώτεροι;* vet. interpr. *ut perfectorum perfectiores,* Hellenismo, pro *perfectis perfectiores.* Ceterum haec ad verbum reddita habes apud interpretem Epiphanii sub initium Haer. 34. — *Audet et loquitur deliriosa*] Billius vult addi *καὶ,* quod non p.151. aliter fieri potest, quam si ita efferantur ista: *ἀποτολμᾷ καὶ λαλεῖ ληρώδη* pro *ἀποτολμᾷ λαλεῖν.* Sic ad Rom. 10, 20. *Ἡσαΐας δὲ ἀποτολμᾷ καὶ λέγει.* Fortasse interpres imitari voluit phrasin Scri-

p 153. pturae. — *In coenis sortibus*] Hae coenae, in quibus sortibus utebantur, in memoriam nobis revocant illa apud Horatium: *Nec regna vini sortiere talis,* et *quem Venus arbitrum dicet bibendi*? quum mo-
p.157. dimperatores talorum iactu deligerent. — *Nos imagines illorum*] In graeco immutatam a Gallasio restituimus lectionem Epiphanii, quam tuetur vetus interpr. suadetque addamus *αὐτῶν* post *εἰκόνας*; Billius quoque vertit: *nos imagines earum produxit.* Sed retulit ad formas vel magnitudines, vetus autem ad Aeones, ideoque forte scripsit *illo-*
p.159. *rum.* — *Quae secundum nos regiones*] Tractum intelligit ad Rhodanum sive Rhodanensem: non, ut vertit Gallas. in regionibus Rhodanusiae, quod ita reperisset a Cornario versum apud Epiphanium. *Ῥοδανουσία* fortasse dicta regio, ut et *Λουγδουνησία* Lugdunensis Gallia. Atqui Hieron. in 64. c. Isa. Gnosticos, ait, per Marcum Aegyptium Galliarum primum circa Rhodanum, deinde Hispaniarum nobiles feminas decepisse, miscentes fabulis voluptatem, et imperitiae suae nomen scientiae venditantes.

p.145. FEUARDENTIUS: *Alius vero quidam*] Huius Marci meminerunt Tertullianus lib. Praescript. et Theodor. lib. I. Haeret. Fab. paucis omnes illius praestigias complectentes: fusissime autem omnium Epiphan. lib. I. Tom. 3. Haeres. 34. sectam Marcosiorum ab eo eductam, et eum praeter Valentinum, Secundum, Ptolemaeum et Epiphanem multa mala in Creatorem evomuisse. — *Et ab inenarrabilibus locis*] Delevimus *Logis,* et has quatuor voces ex veteri codice adiecimus, his verbis subscribente Epiphanio lib. I. Haeres. 34. *Ut stupore attonitos rudiores ad sese suspiciendum, tanquam caelitus delapsum doctorem converteret, virtutem maximam ab invisis, caelestibus et innominatis locis se recepisse, sceleratus impostor iactabat.* Simili vesania non tantum virtutem, sed et librum e caelis delapsum se habere et circumferre praedicaverunt, Origenis tempestate, Helcaesaitae: quem qui legisset et credidisset, aliam longe remissionem peccatorum acciperet ab ea, qua Christus peccata remisit. — *Praecursor quasi vere exsistens Antichristi*] Hoc encomio non tantum Irenaeus suos Gnosticos frequenter et iure exornat, sed et quotquot contra Haeresiarchas manibus conseruerunt (Hieron. in cap. 24. Matth.). Sicut enim varia saeculorum revolutione, varii prophetae verbis, scriptis et rebus gestis verum Christum annunciabant, ideoque nuncii et anteambulones illius vocantur; sic filio perditionis viam parant quotquot contra Christum et ecclesiam eius eriguntur et ab apostolo etiam *Antichristi* nuncupantur, 1 Ioan. 2. et 4. Constantium imperatorem, quod haeresi Arianae faveret impensius, Arianisque ecclesias tradi iussisset, apertis verbis *Antichristum* vocant Athanasius epistola ad solitariam vitam agentes; et Hilarius, tribus ad illum libris. Pari constantia eundem illum paucis pagellis plus decies *Antichristi praecursorem, umbram, cervum, satellitem, spiritum et simulacrum* appellitat Lucifer Calaritanus lib. de non parcendo in Deum delinquentibus. Ambrosio quoque *Antichristus* fuerunt Arius, Sabellius et omnes, qui prava interpretatione simpliciores seducunt, quod et aliquot ante eum saeculis scripserat Origenes homil. trigesima in Matthaeum. — *Anaxilai ludicra*] Quis hic fuerit Anaxilaus affirment alii, ego tantum coniectu-

ram meam adiiciam. Epiphanius de eodem loquens, ex Irenaeo arbitror, graece παίγνια eius nominat, quae interpres *ludicra* transtulit. Quae vox latae significationis, nihil hic tamen aliud, quam ea quibus nostris oculis illudunt praestigiatores, si ad Irenaei et Epiphanii verba attendas, significare videtur. Eum ergo ipsum esse suspicor, de quo ita Plinius (lib. 35. cap. 15.): *Lusit et Anaxilaus eo* (sulphure, de quo ibi sermo est) *candens in calice novo, prunaque subdita circumferens, exardescentis repercussu, pallorem dirum velut defunctorum, effundente conviviis, vel* (ut alia lectio habet) *offundente convivis.* Ludendi verbum, unde *ludicra*, ut a παίζειν παίγνια deducas, Plinius usurpavit. Deinde Anaxilaum poculo usum, sicut et Marcum haereticum praestigiarum Anaxilai imitatorem, idem Plinius et proximo cap. Irenaeus aperte docent. — *Virtutes perficere putatur*] Miracula vera et hic impostores istos edere pernegat: sed et multo evidentioribus verbis infra lib. II. cap. 57. Iisdem fere verbis Clemens Rom. impios in doctrinae falsae confirmationem, miracula facere posse inficiatus fuerat, nisi quatenus Antichristo sub finem mundi, permissum iri putat. Quod si omnino aliqua in conventiculis haereticorum peracta vel fuisse vel fieri posse quis contendat: *errorem tamen eorum per illa, nihilo magis confirmari,* argute docet Iustinus martyr (Quaest. 5. ad Orthod.), *quam si impietatem gentium, ideo quod sol oritur in eos, roreque caelesti aspergantur, Deo aliquis gratam putet.* August. quoque (Tract. 13. et 14. in Ioan.) pernegans haereticos edere miracula, illa quae falso tribuebantur Donatistis, scribit meras esse fabulas. Ista de his b. Ignatii observanda est apostolico digna spiritui praecautio: *Quisquis dixerit praeter illa quae statuta sunt, etiam si fide dignus sit, etiam si ieiunet, etiam si virginitatem servet, etiam si signa faciat, etiam si prophetet: tibi lupus censeatur sub ovis pelle ovium corruptionem moliens.* His ergo satis constat, sectas haereticorum semper veris destitutas esse miraculis: ac proinde auctorum ac ministrorum extraordinariam, quam et ipsi profitentur, missionem, non esse a Deo. *Currunt et Dominus non mittit illos* (Ierem. 23.). Atque haec de nullis vel falsis haereticorum miraculis. Contra vero, nullum esse in ecclesia catholica doctrinae vel fidei caput, sacramentum, ritum, quem Deus de caelis per Sanctos suos evidentissimis peractis miraculis non probaverit et asseruerit, omni exceptione maioribus testibus ac scriptoribus efficere facillimum est. Nam huius fidei primi assertores eam praedicaverunt ubique, *Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis* (Marc. 16.). Notum est ex eccl. hist. sanctissimorum concil. Nicaeni et Chalcedonensis decreta, in quibus symbolum fidei nostrae primum locum obtinet, apertis miraculis comprobata fuisse. Baptismi sanctitatem et virtutem signis confirmatam fuisse docet historia Constantini; et quaedam recitat August. l. 22. Civ. c. 8. Confirmationis praestantiam praedicat b. Lucas in Actis, c. 8. 10. et 19. et miraculum in ampulla, qua servabatur sanctum chrisma, describitur ab Optato Milevitano, lib. II. cont. Parm. Eucharistiae adhibitione servatos fuisse Caesarium et Gorgoniam referunt Ambr. et Nazian. aliaque miracula virtute eiusdem patrata recitant Chrysost. Amphilochius, Optatus, Eusebius, Prosper et alii plurimi.

Ad ritus accedo: Crucis dominicae pia consignatione cacodaemones e corporibus et locis fidelium profligatos fuisse testificantur Ignatius, Iustinus, Tertullianus, Cyprianus, Lactantius, veteres omnes. Aquae lustralis vim eosdem nullibi ferre potuisse, ex Clem. Rom. Alex. Pontif. Epiphanii, Theodoreti, Palladii, Nicephori scriptis constanter asseritur. Exorcismis catholicis etiam nunc frequenter illos abigi, notius est quam quis possit ire inficias. Montem e loco suo motum, ut hunc ecclesiae aedificandae cederet, idque Gregorii Thaumaturgi precibus, testes sunt Gregorius Nyssenus, Rufinus, Niceph. Oleo sacrarum lampadum infirmos curatos et mortuos suscitatos esse scriptis mandaveverunt Theodoretus et August. lib. XXII. Civ. cap. 8. Usum sacrae et benedictae cerae, agni figura compactae, Deum multis signis comprobasse docent Paulinus et Greg. Turonens. et disserit integro libro Vincentius Bonardus. Ad sepulcra, vestes, ossa et alias reliquias Sanctorum innumera beneficia mortalibus concessa fuisse praedicant Hieron. Ambros. August. Chrysostom. Theodoret. Damascenus etc. Haec autem et multo plura in ecclesia catholica facta esse adeo certum est, ut etiam praecipue haereticorum ministri, qui iam tredecim centurias annorum a Christo ad nos usque historiae in modum concinnaverunt, in singulis aetatibus haec contigisse signatis auctoribus collegerint, scripserint, vulgaverint. Superest ergo, ut contemtis omnium sectariorum erroribus et blasphemiis, in ea fide et ecclesia cum Augustino nos contineamus, quae tot tantisque miraculis a Deo omnipotente coadunata et hactenus ostensa et probata fuit. Lib. de Util. cred. c.
p.147. 17. et lib. contra epist. Manich. c. 4. — *Pro calice enim vino mixto*] Ne Marcum hunc magicae imposturae peritissimum iniuria superiori capite dixisse videretur, tria praestigiarum illius exempla subnectit. Primum apertius hic narrat post Epiphanium Nicetas Choniates lib. IV. thesauri cap. 6. *Ille, ut divus Irenaeus auctor est, vitrea quaedam albi coloris pocula praeparabat: deinde, carmine nescio quo usus, confestim eorum aliud in rubrum, aliud in purpureum, aliud denique in caeruleum convertebat.* Postea confutans istas praestigias, addit: *Praesentium oculos fascinabat, efficiebatque ut ea, quae conspicerentur, contra se habere viderentur quam eorum natura ferret. Nec enim pellucida vasorum vitreorum corpora in varios mutare colores potuisset* etc. Secundum autem erat, dum ex minore poculo, quod seductis mulierculis porrexerat, multo maius, quod ipse tenebat, adeo explebatur, ut etiam ex ipso supereffundi putarent. Postremum, quando deliria, quae palpitantes et stupentes effutiebant, vaticinia esse sibi persuadebant. Hinc autem primum observa, quantae qualesve sint haeresiarcharum artes et cacodaemonis vires in erroribus propagandis: quippe qui apostolos, prophetas et martyres catholicum dogma innumeris miraculis constabilisse cernentes, illisque hominum mentes facile commoveri; hoc charismate se omnino destitui iniquissimo animo ferunt et tanto livore tabescunt, ut Sanctorum miraculis, quam maxime possunt, detrahant. Ut autem vel illos aequare saltem videantur, ad diabolicas magorum fraudes sese convertunt, quibus incautis imponant, avaritiam suam expleant et gloriae inserviant. Nec deest furoris sui satellitibus technarumque ministris mendaciorum

parens, qui quum exigentibus hominum delictis permiserit aequissimus et supremus iudex, nihil non potest. Hinc stupendae imposturae Apollonii Tyanei, quibus (apud Eusebium cont. Hieroclem) Hierocles illum conatur Christo adaequare. Inde oracula illa Delphica, Pythica, Claria, Dodonaea, quae saluberrimo Christi adventu periisse scribit idem Eusebius (lib. 4. de praepar. cap. 1. 2. et lib. 5. cap. 1—4.). Ex eadem officina prodierunt insignes Simonis magi illusiones, quas fusissime describunt Clemens (lib. 6. de Const. apost. c. 9. et lib. 2. Recogn.), Abdias, Iustinus et hic noster Irenaeus. Similibus artibus grassabitur filius ille perditionis, cuius adventus erit in signis et prodigiis mendacibus. Postremo, et hic observare licet, impios illos priores Gnosticos, relicto Catholicorum ritu, quem Christus per apostolos omnibus ecclesiis tradiderat, celebrandae eucharistiae, recentes formulas cuiusdam coenae finxisse, quod et posteriores nostro hoc aevo sedulo imitati sunt. — *Mulieribus dans calices mixtos*] Augustissimi sacrificii eucharistiae caeremonias illos mutasse, vel hinc clarum est, quod consecrandi, offerendi et integrum sacerdotii munus suis etiam meretriculis concederent: quod Quintiliani, Pepusiani et Phrygae postmodum imitati, eam ob rem, ut putrida membra, ab ecclesia Christi resecti, inter Satanae manus a Damasceno, Augustino et Epiphanio traduntur. *Non permittitur mulieri in ecclesia loqui,* ait ex Paulo Tertullianus (lib. de veland. virg.), *sed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nedum sacerdotalis officii sortem sibi vindicare.* Hoc institutum a Christo et apostolis promanasse his testatur b. Clemens (lib. III. de Const. apost.): *Non permittimus* (verba apostolorum recitat) *mulieres in ecclesia docere, sed tantum orare et magistros audire. Nam magister ipse et Dominus Iesus Christus quum nos duodecim ad docendum gentes misisset, nusquam mulieres misit ad praedicationem, quamquam non deerant. Erat enim nobiscum mater Domini et sorores eius, praeterea Magdalena, Maria Iacobi et Martha et Maria, sorores Lazari, et Salome et quaedam aliae. Si enim caput mulieris vir est, non est aequum reliquum corpus capiti imperet.* Et hanc quoque veterum Gnosticorum impietatem recentes imitantur, adeo verum est proverbium: *Patrem sequitur sua proles:* quum sacerdotium nullum superesse asserunt, quod non etiam ad mulieres porrigatur; easdemque publicis suis coetibus, quos ecclesias putant, non tantum interesse, de sacris disserere, sed et cantitare iubent, licet apostolus illas tacere magna cautione iubeat. 1 Corinth. 14. 1 ad Timoth. 2. et 5. cap. — *Datur autem intelligi* p. 149. *daemonem quendam*] Ut piis ecclesiae Dei pastoribus nunquam non adest Spiritus sanctus, qui eos doceat, dirigat et servet: sic pseudoprophetis Satanam operas suas non denegare, cum hoc loco tum libro secundo capite quinquagesimo septimo, evidentissime comprobat, unam et eandem esse haereticis cum daemoniis conversationem asserens. Atque ut priscorum, scilicet Iudae, Simonis, Manetis, Apellis, Nestorii, Montani, Novati et Berengarii historias praeteream, aliquot nostri saeculi haeresiarcharum obsessiones attingam. — *Pater omnium*] Ita vetus cod. graece quoque *πατὴρ τῶν ὅλων*: expunximus igitur *omnem.* — *Sicut melior nobis* etc.] Licet *meliora* haberent veteres p. 151.

omnes editiones cum codice manuscripto, visum est tamen immutare, quum apertissimum mendum esset: quod ex graeca lectione sic restituimus: sicut et paullo post substituimus, *quod audax et inverecunda est anima* pro eo quod erat *eo quod audax et verecunda anima.* Et post aliquot lineas *hi a Deo* pro *hi ab eo* reposuimus. Cuius autem scriptoris verba sint, si quaeris, memineris superius nos ex Eusebio annotasse, hunc martyrem priscorum verba frequenter adducere, tecto nomine: difficile vero ac pene ἀδύνατον est, ex tam exiguis reliquiis
p.153. scriptorum illius saeculi, quae supersunt, colligere. — *Adhuc etiam et amatoria*] *Pocula* vel deesse vel subaudiendum non dubito. Philtris autem, id est poculis ad illecebras amoris ciendas arte compositis, impuros homines istos usos fuisse; sed et Carpocratis sectatores iisdem artibus pudicitiae mulierum insidiatos cap. 20. huius libri narrat. Verum ab eorum usu etiam profanos abhorruisse his ostendit Ovidius: *Nec data profuerint pallentia philtra puellis; philtra nocent animis, vimque furoris habent.* Attende igitur quam vagis et foedis libidinibus conspurcata erat horum conversatio, quamque propter flagitiosos quosdam nebulones, male audiret nomen christianum interque gentes
p.155. blasphemaretur. — *Omne tempus in exhomologesi consummavit*] Magno consensu graeci et latini patres confessionem illam, qua quis post baptismum se multorum peccatorum reum ingenue agnoscit, non solum coram Deo aut generali facta confessione, sed et coram eis, qui ecclesiae praesunt, et quae apertam distinctamque continet delictorum enumerationem, exhomologesin vocarunt. Hanc vero Christi praescripto, apostolorum usu et universarum per orbem ecclesiarum consensu, ad eluenda peccata necessarium remedium esse et secundam a naufragio tabulam, ex hoc capite apertum est. Qui autem ex sacris litteris hoc comprobari postulaverit, Augustinum (lib. 50. Hom. Hom. 49.) audiat: *Nemo sibi dicat,* ait, *occulte ago, apud Deum ago, novit Deus, qui mihi ignoscit, quia in corde ago. Ergo sine caussa dictum est* (Matth. 18, 18. Io. 20, 23.): *Quae solveritis in terra, soluta erunt in caelo? Ergo sine caussa sunt claves datae ecclesiae Dei? Frustramus evangelium Dei? Frustramus verba Christi?* Non solum apertis illis Iesu Christi vocibus, quibus dicendi iuris in delinquentes pastoribus confertur potestas; sed et Ioannis baptistae et apostolorum praxi haec evidentissime confirmari, ante multa saecula existimavit magnus ille Basilius in Regulis brevioribus (Interrog. 288.): *Necessario,* inquit, *his peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei. Siquidem rationem hanc in poenitentia etiam veteres illos cernimus secutos fuisse, quando et in evangelio scriptum est, quod Ioanni confitebantur peccata sua: et in Actis apostolicis, ipsis a quibus etiam baptizabantur cuncti.* Viri apostolici Tertulliani (lib. de Poenit.) addam suffragium: *Tantum,* ait, *relevat confessio delictum, quantum dissimulatio exaggerat. Confessio enim satisfactionis consilium est, dissimulatio contumaciae. Actus poenitentiae, qui magis graeco vocabulo exprimitur et frequentatur, exhomologesis est, qua delictum Domino confitemur, non quidem ut ignaro: sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione poenitentia nascitur, poenitentia Deus mitigatur. Itaque exhomologesis proster-*

nendi et humilificandi hominis disciplina est etc. Et paullo post: *Ieiuniis preces alere, ingemiscere, lacrimari et mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum, presbyteris advolvi, et caris Dei adgeniculari* etc. Tantum praeceptorem sequatur non inferior discipulus Cyprianus (lib. I. de lapsis): *Videt Deus,* ait, *corda et pectora singulorum et iudicaturus est non tantum de factis, sed et de verbis et de cogitationibus nostris, omnium mentes, voluntatesque conceptas in ipsis adhuc clausi pectoris latebris intuetur. Denique quanto et fide maiores et timore meliores sunt, qui quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti: quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes, exhomologesin conscientiae faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet et modicis vulneribus exquirunt, scientes scriptum esse* (Gal. 3.): *Deus non deridetur.* Graecas etiam per Orientem ecclesias hos docuisse et servasse ritus, evidentissimum est ex divi Clementis Epistola prima ad Iacobum: Dionysio ad Demophilum: Origene in Psalmum 32. Euschio libro quinto Histor. cap. 27. et libro sexto, capite vigesimo septimo, quorum sententias brevitati consulens non adfero. — *Homericam inferorum galeam*] Proverbio isto innuit, non p.157. maioris momenti esse istorum somnia, quam poëtarum figmenta. Desumtum est autem ex Hom. Ili. 5. v. 845. qui finxit Palladem se galea Orci contexisse, ne a Marte conspiceretur. Idem postea usurpat. Naz. I. orat. in Iul. qui rabiem ac furorem in Christianos, externae cuiusdam philosoph. mansuetudinis simulacro operire volebat. *Nulla ratione,* ait theologus, *unquam se ipsum occultabit, ne si in omnem quidem partem se vertat atque in omnes formas consiliorum calliditate atque artificio mutet, atque Orci galeam, ut dici solet, induat, aut Gygis annulo et palae conversione sese suffuretur.* Usus est et eodem Orig. lib. I. contra Celsum, magis convenisse declarans, ut Christus in Aegyptum fugiens, subduceret sese Herodis insaniae, quam si Plutonis galea latitans, eundem fefellisset. — *Cauterizatas*] Alludit ad p.159. hanc Pauli (1 Tim. 4, 1.) sententiam: *In novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinis daemoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, cauteriatam habentium suam conscientiam:* quae ducta metaphora a servis maleficis et bestiis, quae cauterio, ut dignosci queant, notantur: futurorum haereticorum mendacia, hypocrises et imposturas, quibus noctes diesque, reclamante conscientia, orbi imponunt, et tanta obstinatione quasi traducto cauterio indurescunt, ut citius frangas quam corrigas. — *Et iam in manifesto exhomologesin faciunt*] Publicam poenitentiam in prisca ecclesia usitatam fuisse vel ex hoc loco omnibus liquet, cuius hic modus erat: Facta coram legitimo pastore peccatorum tum occultorum tum publicorum, si quae erant, enumeratione, quum ecclesiae aedificationi expediret, sacerdotis auctoritate et poenitentium consensu, multas, satisfactiones, seu mavis poenitentiae fructus palam agere iubebantur. Ritus latissime describit Concilium Agathense, distinct. 20. c. *In capite.* Hoc ita se habere, et Theodosii imperatoris exemplum indicat et disertis verbis testantur Origenes Hom. 2. in Psal. 32. Cypr. lib. de Lapsis, Tert. lib. de Poenit. — *Reverentes*] Ita legen-

dum pro *revertentes,* quum graece legatur *αἱ δὲ ἀνασωπούμεναι,* id est levitatis, defectionis, aliorumque vitiorum, quibus depravatae impostorum fallacia fuerant, pudore affectae et in seipsis erubescentes. — *Neque intus, neque foris*] Graecum proverbium est *μήτε ἔξω, μήτε ἔσω,* eleganter his mulierculis accommodatum, quae quum aperte viderent se a Gnosticis delusas et corruptas mente et corpore fuisse, nec ipsis ultra adhaerebant, nec ecclesiae per exhomologesin reconciliari satagebant. Simile est huic, *Media agina ferri,* quo Tertullianus (lib. cont. Hermogen.) utitur in eos, qui inter bonum et malum, ut inter sacrum et saxum suo arbitrio agitati, in neutram partem feruntur. Ego nostri temporis mediatores, quos *politicos* vulgo appellamus, recte *ἀμφοτερίζοντας καὶ ἀμφιβίους,* mulierculis hisce non absimiles, nominari posse crediderim.

p.145. GRABIUS: *Alius vero quidam* etc.] Graecum huius capitis textum dare nequeo, quia Epiphanius, aliquibus tantum Irenaei verbis retentis, propriis personam Marci describere maluit, nec alius quis auctoris nostri idioma hîc nobis conservavit. — *Praecursor quasi vere exsistens Antichristi*] Propria et praecipua ratio, ob quam Irenaeus Marcum *praecursorem Antichristi* appellat, est magica miraculorum operatio. De vero enim Antichristi praecursore, sive *armigero,* ut eum auctor noster lib. V. c. 28. appellat, eiusque miraculis verba ibidem faciens, haec habet: *Haec ne quis eum divina virtute putet signa facere, sed magica operatione.* — *Anaxilai enim ludicra*] Scripsit iste (Anaxilaus), nisi fallor de arcanis quibusdam naturae ac miris operibus, ut ex eodem Plinio lib. 19. c. 1. lib. 28. c. 11. lib. 33. c. 19. quin et saepius libro I. in Auctorum indiculo citatur. *Petav.* Not. in Epiph. Conferatur de Anaxilai ludicris Marsilius Cognatus lib. III. Variarum Observationum cap. 10., cuius inscriptio est: *De ludi-*

p 146. *cris Anaxilai ad Irenaei locum illustrandum.* — *Ποτήρια οἴνῳ*] Graecum huius et sequentium capitum Irenaei textum nobis conservavit Epiphanius Haeres. XXXIV. §. 2 seqq. ita praefatus: *Ἐγὼ τοίνυν ἵνα μὴ δεύτερον κάματον ἑαυτὸν ἐπιδῶ, ἀρκεσθῆναι δεῖν ἡγησάμην τοῖς ἀπὸ τοῦ μακαριωτάτου Εἰρηναίου κατ' αὐτοῦ τοῦ Μάρκου, καὶ τῶν ἐξ αὐτοῦ ὁρμωμένων, πραγματευθεῖσιν· ἅτινα ἐνταῦθα πρὸς ἔπος ἐκθέσθαι ἐσπούδασα, καί ἐστι τάδε. Φάσκει γὰρ αὐτοῖς* (forte *αὐτὸς*) *Εἰρηναῖος ὁ ἅγιος ἐν τῷ ὑποφαίνειν τὰ ὑπ' αὐτῶν λεγόμενα, λέγων οὕτως. Ego vero ne actum agere videar, satis esse mihi persuasi, si iis uterer, quae contra Marcum hunc eiusque sectatores a beatissimo sanctissimoque Irenaeo disputata leguntur: quae quidem ad verbum hîc adscribenda censui. Sunt autem eiusmodi, quae in illorum dogmatibus recensendis pertexuit.* — *Κεκραμένα*] Vinum aqua mixtum in s. eucharistia haeretici adhibuerunt, perinde ut Catholici: siquidem auctor noster lib. V. cap. 2. diserte *mixti calicis* facit mentionem. — *Τὸν λόγον τῆς ἐπικλήσεως*] [Vide supra annotationem Billii.] In omnibus liturgiis ecclesiae orientalis, quas Tom. VI. et XII. Bibliothecae Patrum Morellianae legere est, sacerdos Deum orat, ut Spiritum s. super proposita dona demittat, cuius virtute et gratia panis fiat corpus et vinum sanguis Domini nostri Iesu Christi. De quibus conferantur doctissimae notae Richardi Simonis

in Gabrielis Philadelphiensis Opuscula pag. 146. usque ad 156 Ceterum Marcum haereticum ab apostolica eucharistiam administrandi formula longe abiisse et propria protulisse deliria, nullum est dubium, ac ab ipso Irenaeo in sequentibus memoriae proditum. — *Gratias* p.147. *agere*] Veterem interpretem perinde ac Gallasium ferit admadversio Billii notantis, verbum *εὐχαριστεῖν* hoc loco *consecrandi* significationem habere, non *gratiarum actionis*. Et sane haud parum confirmatur ista notio verbis sequentibus: *μικροτέρου τοῦ ὑπὸ τῆς γυναικὸς εὐχαριστημένου*, ut et Iustini martyris Apol. II. (sive potius I.) pag. 97. ubi *εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ὕδατος* mentionem facit, et pag. 98. ubi sacrum panem et potum *τὴν δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν* nominat. Accedit Clemens Alexandrinus lib. I. Strom. pag. 317. de haereticis in sacro calice solam aquam offerentibus scribens: *εἰσὶ γὰρ οἳ καὶ ὕδωρ ψιλὸν εὐχαριστοῦσιν*. Alios ut taceam. Neglecta tamen, licet non reiecta, Billii censura, Petavius veterem Irenaei interpretem secutus, *εὐχαριστεῖν* in Epiphanio *gratiarum actionem* interpretatus est, notans distinctionem isto sensu post *ποτήρια οἴνῳ κεκραμένα* apponendam esse; ut scilicet haec non cum verbo *εὐχαριστεῖν*, sed cum sequenti *ἀναφαίνεσθαι* construantur. — *Ἐνίαις τῶν γυναικῶν*] Haec et quae p.152. supra de seductione eximiarum feminarum refert Irenaeus, citavit Hie- et154. ronymus epist. 29. ad Theodoram, quae est Epitaphium Lucinii Baetici, ita scribens: *Refert Irenaeus, vir apostolicorum temporum et Papiae auditoris evangelistae Ioannis discipulus, episcopus ecclesiae Lugdunensis, quod Marcus quidam de Basilidis Gnostici stirpe descendens, primum ad Gallias venerit, et eas partes, per quas Rhodanus et Garumna fluunt, sua doctrina maculaverit; maximeque nobiles feminas, quaedam in occulto mysteria repromittens, hoc errore seduxerit, magicis artibus et secreta corporum voluptate amorem sui concilians: inde Pyrenaeum transiens Hispanias occuparit et hoc studii habuerit, ut divitum domos et in ipsis feminas maxime appeteret, quae ducuntur variis desideriis, semper discentes et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes. Hoc ille scripsit* etc. — *Τῶν ἡμετέρων*] Ex p.154. hac voce colligas forte, tam Irenaeum, quam istum, ad quem hos adversus haereses libros misit, Asiaticos fuisse. — *Ἀπολύτρωσιν*] Per *redemtionem*, quam hic et paullo post memorat, certam orationis formulam intelligendam esse, non modo ipse Irenaei contextus, in quo sequitur: *ὦ πάρεδρε Θεοῦ κτλ.* ostendit, sed et Iudaici ritus ratio plane confirmat, quam ex viri docti, Iacobi Rhenferdii Disputatione de Redemtione Marcosiorum et Heracleonitarum §. 21. explicatam dabo. Habent scilicet Iudaei formulam quandam precationis vel *confessionis* potius quam precibus quotidianis interserunt, qua Deum O. M. vindicem suum et redemtorem celebrant; unde eam גאולה Geulah, id est *liberationem* vel *redemtionem* appellant; cui tantam vim tribuunt, ut si quis ea rite utatur, illi spem certam faciant beatitudinis aeternae. Codice Berachoth fol. 4. col. 2. אמר ר' יוחנן איזהו בן העולם הבא זה הסומך גאולה לתפלה של ערבית *Dixit R. Ioannes: Quis est filius saeculi futuri? quicunque precibus vespertinis subiungit redemtionem.* Ubi voce *redemtionis* vel *liberationis* nihil aliud intelligitur, quam for-

mula de illa *liberatione* agens. Est autem illa duplex, altera quae matutinis precibus additur, altera quae vespertinis. Quae tempore matutino recitatur, inde ab אמת ויציב (*Emet Vejazzibh*) incipit, atque ab his initialibus vocibus appellatur. In qua cum saepius mentio fit liberationis, Deique assertoris et liberatio ex Aegypto satis prolixe narratur; tum tandem hac clausula finitur, quae stricte גאולה appellatur: גואלנו יהוה צבאות שמו קדוש ישראל ברוך אתה יהוה גואל ישראל *redemtor noster Dominus Sabaoth est nomen eius, sanctus Israelis. Benedictus sis tu, Domine, redemtor Israelis.* Vespertinae formulae hoc initium est. אמת ואמונה-(*Emeth Veemunah*) quae tandem sic clauditur: גואמר כי פדה יהוה את יעקוב וגאלו מיד חזק ממנו ברוך אתה גואל ישראל *Et dictum est,* (Ierem. 31, 11.) *Quoniam redemit Deus Iacobum et asseruit illum ex manu potentioris ipso. Benedictus sis*
p.156. *tu, Domine, vindex Israelis.* — *Ὦ πάρεδρε*] Quod [Billius] ait, istius ad quam redemtio sive precatio directa est, matris nullam superius mentionem factam esse, in eo fallitur. Illam enim nullam aliam hîc intelligendam esse, quam Sophiam, quae ultimum inter XXX Aeones tenet locum, et matris Achamoth mater a Valentinianis fingebatur, iuxta cap. 1. huius libri, liquido patet ex fine capitis 18. (21.) ubi de variis Marcosiorum redemtionibus ex instituto agitur, et inter alias hominum in articulo mortis precationes, quibus *incomprehensibiles et invisibiles principibus et potestatibus fiant,* haec animae e corpore discedentis ad eos, qui circa Demiurgum sunt, oratio refertur: *Vas ego sum pretiosum magis quam femina quae effecit vos* (i. e. mater Achamoth). *Si mater vestra ignorat radicem suam, ego novi meipsum, et scio unde sim, et invoco incorruptibilem Sophiam, καὶ ἐπικαλοῦμαι τὴν ἄφθαρτον Σοφίαν, quae est in Patre, mater est autem matris vestrae* scilicet Achamoth; cuius ibi sequitur descriptio: et mox in fine istius precationis iterum dicit: *Ego autem invoco eius matrem, ἐγὼ δὲ ἐπικαλοῦμαι αὐτῆς τὴν μητέρα.* Unde tandem Irenaeus addit: *Et de redemtione quidem ipsorum haec sunt, quae quidem in nos venerunt.* — *Πρὸ αἰῶνος*] Vetus interpres *αἰώνων* legit in plurali. *Bill.* Illius auctoritatem ipse secutus est, ut et Cornarius Epiphanii interpres, qui reddidit: *mystici ante saecula silentii.* Sed parum refert, quomodocunque legatur. Observandum potius, quod vox *Αἰὼν* hoc loco *longum aevum,* non figmentum Valentinianorum, quod *Aeonem* vocabant, significare videatur. Ante omnia enim saecula Sigen una cum Bytho exstitisse fingebant, ut ex initio cap. 1. huius libri patet, ubi nota, istis verbis *ἐν ἀπείροις αἰῶσι,* additum esse *χρόνων.* — *Τὰ μεγέθη διαπαντὸς βλέποντα τὸ πρόσωπον τοῦ Πατρός*] Per *μεγέθη, magnitudines,* intelligendos esse angelos, ex hoc epitheto colligitur, quod a Marco *angelis* expresse adscriptum legitur sequenti pag. 46. lin. 25. ex Matth. 18, 10. — *Ἀναspῶσιν ἄνω τὰς αὐτῶν μορφάς κτλ.*] Quaenam sint illae angelorum *μορφαί,* merito quaeritur. *Petavius* ipsos angelorum istorum *vultus* perperam intellexit, indeque in sua Epiphanii versione posuit: *Vultus suos in caelum subtrahunt.* Significant autem hoc loco *formae* angelorum *imagines,* formam eorum repraesentantes, sicuti mox expresse *εἰκόνας* appellat auctor istius Marcosiorum precationis, designans *spirales,* uti vocabantur, *homines,*

quos matrem Achamoth ex inspectatione angelorum Salvatoris concepisse, iisque similes peperisse docebant haeretici, supra cap. 1. huius libri §. 8. in fine (cap. 4. n. 5.). Atque exinde facile etiam intelligas sequentia verba: *ἃς ἡ μεγαλότολμος* usque ad *ἐχουσα. Attractio autem in superiora* explicatur paullo post, ubi de Sophia ista matre dicitur: *ἀνασπάσασα αὐτούς, εἰς τὸν νυμφῶνα εἰσήγαγε κτλ.* quae si cum ultimis §. 12. capitis 1. (cap. 7. n. 1.) verbis conferas, plenum huius orationis sensum plane percipies. — *Ἀμφοτέρων ἡμῶν*] Aliquantum difficile est dicere, quaenam ambo ista sint, pro quibus communem apud iudicem expetit defensionem. Vix tamen dubito, matrem Achamoth, quam *μεγαλότολμον* ante dixerat et spiritales homines intelligendos esse; ambo enim in thalamum Pleromatis, ubi omnia consummata fuerint, admissum iri docebant supra cap. 1. §. 12. in fine (cap. 7. n. 1.). — *Ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς κλίμασι τῆς Ῥοδανουσίας*] Integra Hieronymi [loci a Frontone Duc. supra laudati] verba habes inter testimonia veterum in principio huius operis. Et quatenus is quidem Irenaeum nostrum sequitur, asserens de Marco, quod tractum Rhodanensem haeresi sua infecerit, haud errat, hallucinatus autem est, dum *Hispaniarum nobiles feminas* addidit, de quibus nihil Irenaeus. Nam fuit quidem Marcus aliquis, Gnosticorum errorum in Hispania disseminator, de quo Sulpitius Severus lib. II. Hist. sacrae cap. 60. scribit: *Primus eam* (Gnosticam haeresin) *intra Hispanias Marcus intulit, Aegypto profectus, Memphis ortus. Huius auditores fuere Agape quaedam non ignobilis mulier, et rhetor Helpidius.* Ast hunc duobus saltem saeculis Marco mago recentiorem fuisse, ex illo ipso Sulpitii loco patet. Nullo enim verbo interposito, citatis subdit: *Ab his Priscilianus est institutus,* quem saeculo IV. sub Gratiano imperatore et Damaso papa vixisse ex progressu historiae apud Sulpitium liquet et notius est, quam ut probari debeat. Memoratum quoque Helpidium et Priscilianum, ambos laicos, damnatos refert Sulpitius cap. 61. in Concilio Caesaraugustano, quod circa annum 380. celebratum esse ex Tomis Conciliorum constat. — *Εἰς φανερὸν ἐξομολογοῦνται*] Publicam poenitentiam et satisfactionem in conspectu ecclesiae ex hoc loco colligit Feuardentius; ego vero et confessionem publicam quandoque factam exin demonstrari puto. Cuius usum satis clare quoque docet Origenes Homil. II. in Psalm. 37. (non 32. ut Feuard. citavit), ubi haec habentur verba: *Si ergo huiusmodi homo memor delicti sui confiteatur, quae commisit, et humana confusione parvi pendat eos, qui erprobrant eum confitentem et notant vel irrident* etc. *Si ergo sit aliquis ita fidelis, ut si quid conscius sit sibi, procedat in medium et ipse sui accusator exsistat* etc. Item: *Si intellexerit et praeviderit* (sacerdos) *talem esse languorem tuum, qui in conventu totius ecclesiae exponi debeat et curari* etc.

MASSUETUS: *Προσέχειν αὐτῷ*] Desideratur hic aliquod verbum, p.144.
forte *ἐποίησε.* Scribit enim Irenaei interpres *ad se converti fecit;*
sic enim legendum, non *convertit.* — *Ad se converti*] Sic restitui- p.145
mus, iuxta graecum *προσέχειν;* sicque restituendum esse dudum monuerat Fronto Duc. In omnibus quidem cum editt. tum MSS. legitur

convertit; sed tam manifesto scribarum errato, ut mirum sit id a Feuardentio vel Grabio emendatum non fuisse. — *Anaxilai enim ludicra*] Anaxilai exstitere plures. Nam praeter Anaxilaum seu Anaxilam Messenium, Rheginorum tyrannum, cuius meminere Pausanias in Messen. Iustinus lib. IV. et Macrob. Saturn. lib. II. fuit Anaxilaus historicus, cuius mentionem facit Dionysius Halicarn. initio Antiq. Rom. Alius fuit Anaxilaus comicus, cuius fabulas plurimas citat Athenaeus, qui Anaxilaus dicitur Suidae et Etymologo. Alius denique fuit Anaxilaus medicus, quem laudat Plinius pluribus in locis. Hunc ipsum esse, de quo hîc Epiphanius et Irenaeus, haud improbabile videbitur ei, qui utriusque verba contulerit cum iis, quae de illo refert Plinius lib. XXXV. cap. 15. *Lusit*, inquit, *et Anaxilaus eo* (*sulphure*, de quo ibi sermo est) *candens in calice novo, prunaque subdita circumferens, exardescentis repercussu pallorem dirum, velut defunctorum, offundente conviviis* (*conviviis* hîc dictum pro *convivis*). Ludendi siquidem verbum, quo Plinius utitur, optime convenit cum Irenaei *ludricris*, et Epiphanii *παιγνίοις*, apprimeque quadrat ad magorum praestigias. Nam ludorum et ludicrorum vox in hac arte propria est. Hinc Minutius Felix, de magis: *quidquid miraculi ludunt, per daemones faciunt*. Deinde quemadmodum Anaxilaus, ut ex Plinii verbis liquet; sic et Marcus eius imitator, poculo ad magicas imposturas utebatur: adeo ut alter cum altero maximam habeat affinitatem. Scripsisse autem videtur iste Anaxilaus de rebus naturalibus, vel, ut existimat Petavius, de arcanis quibusdam ac miris naturae operibus, ut ex Plinio colligere licet lib. XIX. c. 1. lib. XXVIII. c. 11. lib. XXX.
p.146. c. 8. — *Κεκραμένα*] Vult Petavius distinctionem post hanc vocem apponendam esse, ut *ποτήρια οἴνῳ κεκραμένα*, non cum verbo *εὐχαριστεῖν*, sed cum sequenti *ἀναφαίνεσθαι* construantur. Sed malim ego illas voces cum *εὐχαριστεῖν* construi, quam cum *ἀναφαίνεσθαι*. Nam hic *εὐχαριστεῖν* significat *consecrare*, ut recte vertit Billius, non *gratias agere*. Vide Dissertationem nostram III. §. 7. init. ubi fusius expendimus quae hîc de eucharistia tractat Irenaeus. — *Πορφύρεα καὶ ἐρυθρὰ ἀναφαίνεσθαι ποιεῖ*] Observat Feuardentius tria Marci praestigiarum exempla hic ab Irenaeo subnecti. Primum paullo clarius explicat Nicetas Choniates lib. IV. Thesauri cap. 6. *Ille, ut divus Irenaeus auctor est, vitrea quaedam albi coloris pocula praeparabat: deinde carmine, nescio quo, usus, confestim eorum aliud in rubrum, aliud in purpureum, aliud denique in caeruleum convertebat*. Postea confutans istas praestigias addit: *Praesentium oculos fascinabat, efficiebatque ut ea, quae conspicerentur, contra se habere viderentur, quam eorum natura ferret. Nec enim pellucida vasorum vitreorum corpora in varios mutare colores potuisset* etc. Secundum autem erat, dum ex minore poculo, quod seductis mulierculis porrexerat, multo maius, quod ipse tenebat, adeo explebatur, ut etiam ex ipso supereffundi putarent. Postremum, quando deliria, quae palpitantes et stupentes effutiebant, vaticinia esse sibi persuadebant. — *Χάριν*] Non improbabile censuerim cum Grabio, per *τὴν χάριν* Marcum intellexisse coniugem Bythi *Sigen*, quam *Charin* ab haereticis cognominatam esse, ex principio capitis 1. huius libri apparet. Coniecturam

firmat, quod paullo post ea *gratia* dicitur, *ἡ πρὸ τῶν ὅλων, ἡ ἀνεννόητος καὶ ἀῤῥητος χάρις, quae ante omnia est, inexcogitabilis et inenarrabilis.* — *Apparere facit*] *Poculum* addidit Feuard. nos ex- p.147.
pungimus, quia deest ea vox in omnibus cum editis, tum manu exaratis codicibus et in textu graeco. Satis subintelligitur. — *Vocatur*] Pro *invocatur*. Sic Horat. lib. I. Od. 2. *Quem vocet Divûm populus ruentis Imperî rebus?* — *Δαίμονά τινα πάρεδρον*] Daemones pa- p.148.
redri dicebantur, qui hominibus adsistebant et morbos atque infortunia ab illis avertere credebantur. Magos eiusmodi daemones habuisse adsistentes sibi et obsequentes, quorum ope multa portenta ederent, scribit Tertullian. Apologet. c. 28. Quum illi spiritus ad tutelam duntaxat adsistebant, dicebantur *πάρεδροι*: quum hominibus somnia iniiciebant, vocabantur *ὀνειροπομποί*: quum eos ad terram elidebant, ut deinde tanquam ex morbo comitiali excitati, consulentibus futura praedicerent, appellabantur catabolici. Paredrorum et oneiropomporum meminit Irenaeus huius lib. cap. 23. n. 4. paredrorum et catabolicorum Tertull. lib. De an. c. 28. — *Τοῦ μεγέθους*] Hac voce *μέγεθος* designari *Σιγὴν* sive *Χάριν* coniicit Grabius: sed rem acu non tetigit vir eruditus. *Μέγεθος* angelus est, de quo mox dixit Marcus, quod *ὁ Πατὴρ τῶν ὅλων τὸν ἀγγελόν σου διαπαντὸς βλέπει πρὸ προσώπου αὐτοῦ, Pater omnium angelum tuum semper videt ante faciem suam.* Sic enim angelos paullo inferius describit hic haereticus, *τὰ μεγέθη διαπαντὸς βλέποντα τὸ πρόσωπον τοῦ Πατρός, magnitudines semper videntes faciem Patris.* Quod de angelis intelligi fatetur ipse Grabius, probatque ex eo epitheto *semper videntes faciem Patris,* quod a Marco angelis expresse adscriptum ex Matth. 18, 10. legitur pagina 64. legitur et in verbis quae modo versamus. Horum igitur *locus autem tuae magnitudinis in nobis est,* sensus est: *locus angeli tui in nobis est.* Effutiebat enim veterator, ut paullo post refert Irenaeus, se suosque, imagines angelorum, id est, spiritales homines esse, quos mater Achamoth ex inspectatione angelorum Salvatoris conceperat, iisque similes pepererat. — *Honestae*] Id est, p.149.
eleganter cultae, praetextatae, opulentae. Nam, ut observat Asconius Pedianus Ciceronis interpres: *Honesti, pro divitibus; vetuste.* — *Κρείσσων ἡμῶν*] Quis sit ille antiquus scriptor quem saepe laudat p.150
Irenaeus, hactenus deprehendi non potuit. — *Quod incipiat prophe-* p.151.
tare] Vertendum erat *quod prophetatura sit, vaticinia editura sit.* — *Quaecunque evenerint omnia*] Gr. *τὰ τυχόντα πάντα, quidquid temere occurrerit, quidquid in buccam venerit.* In Merc. II. codd. deest *omnia.* — *Vacue*] Melius *inaniter,* et paullo post *inani aëre* pro *vacuo aëre.* — *Calefacta spiritu*] Adde ex graec. *inani.* — *Quae vacuo aëre*] Ita partim ex graeco, partim ex codd. tum editis, tum manu exaratis emendo. In editt. siquidem Erasm. Gall. et Feuard. ac codd. Clarom. Pass. Arund. et Merc. II. legitur *quasi e vacuo,* ubi *quasi e* manifesta scribarum incuria scriptum occurrit pro *quae.* Hoc enim pronomen scribi debuit, tum ut accurate reddatur *ψυχὴ κενῷ ἀέρι θερμαινομένη,* tum ut verbis legitimus subsit sensus; qui profecto nullus est, si legatur *quasi e vacuo,* vel ut edidit Grabius *quasi vacuo aëre excalefacta est.* Ceterum per vacuum aërem intelligitur vanitas. —

p.152. *Ἐπὶ τοῖς δείπνοις τοῦ κλήρου*] Alludit auctor ad veterem conviviorum agendorum morem. In his enim rex convivii unus aliquis sorte eligi solebat, qui modum bibendi poneret. Hinc Horat. Carm. lib. II. Od. 7. *Quem Venus arbitrum Dicet bibendi.* Et Carm. lib. I. Od. 4. *Nec regna vini sortiere talis.* Hunc bibendi arbitrum Varro lib. XX. Rerum human. *Modimperatorem* vocat; Laërtius in Empedocle, et Plutarchus Sympos. I. cap. 4. *συμποσίαρχον* vel *συμποσιάρχην;* ceteri *regem convivii.* Iaciebantur et sortes de loco, in quo quisque accumberet, et de ciborum partibus, quas quisque tolleret; sed hae
p.153. minus faciunt ad Irenaei institutum. — *Insano, qui se divinum spirare simulabat*] Sic unicam graecam vocem *θιάσου* reddit versio latina. Sed vel quidpiam aliud legit interpres, vel male vertit. Neque enim *θίασος insanum, qui se divinum* etc. significat; sed proprie *choream et saltationem actam in honorem Bacchi, turbam Bacchicos choros agitantem;* generaliter, *coetum, societatem, sodalitium* etc. Vertendum proinde erat, legendo *θιάσου, separaverunt se ab illo coetu.* Probabile cum Grabio censuerim, interpretem legisse, non *θιοσώτου* (quod suspicatur Billius), sed quoddam aliud derivatum a *θειάζειν, sui compotem non esse, divinum afflatum sive spiritum alteri immit-*
p.154. *tere.* — *Τῶν ἡμετέρων*] Ex hac voce colligi posse putat Grabius, tam Irenaeum, quam istum, ad quem hos adversus haereses libros misit, Asiaticos fuisse. Sed levior videtur haec coniectura; *τῶν ἡμετέρων* significare diaconum catholicae communionis probabilius est. — *Τῆς γυναικὸς αὐτοῦ*] Nota, inquit idem Grabius, ministris sacrorum in Asia integrum tunc temporis fuisse cum mulieribus (scripsissem ego, cum uxoribus) habitare, iis saltem quas ante susceptos sacros ordines duxerant. Ecquis neget? Dissimulandus non erat quaestionis status. Neque enim in controversiam venit, an ministris sacrorum post susceptos ordines integrum esset cum uxoribus habitare: sed utrum iisdem tota Asia fas esset uxoribus matrimonii iure uti. Prius quidem probat is Irenaei locus: non certe posterius. — *Ἐξομολογουμένη*] Eam exhomologesin, de qua hic Irenaeus, fuse expendimus in Dissert. III. §. 7. init. — *Περιπολίζοντες*] Legendum censerem *περιπολεύοντες* vel *περιπολοῦντες;* vertit enim interpres *circumobversati,* id est, ni fallor, *circumeuntes, circumvagati,* vel potius *circuitorum more explorantes, insidias captantes.* At *περιπολίζω* (sicubi scriptum legatur) significat *urbem circumaedificare, circumstruere* etc., quod significati genus nihil habet cum eo Irenaei loco commune. — *Ἀπολύτρωσιν*] Per *redemtionem,* quam hîc et paullo post memorat Irenaeus, intelligit, non certas duntaxat orationes, ut vult Grabius; sed impium consecrationis genus, quo per signa quaedam sensibilia, vel nuptiale cubiculum studio praeparatum, vel aquam, vel aquam et oleum una permixta, vel balsamum etc. adhibitis profanis quibusdam precum formulis, miseros a se deceptos mysteriis suis initiabant Marcosii. Hocque, veluti soluto pretio, redimendos et potestatum superiorum manibus subducendos spondebant. Quamquam alii repudiatis eiusmodi signis sensibilibus et corporeis, redemtionem in ineffabilis magnitudinis agnitione positam esse censerent. Varias Marcosiorum redemtiones fusius explicat Irenaeus infra cap. 21. Quod

qui legerit, agnoscet has nihil habere commune cum iis redemtionibus, quas ex Rabinorum Cabbalistarumve somniis citatus a Grabio Iacobus Rhenferdus describit Disputatione de Redemtione Marcosiorum et Heracleonitarum §. 21. — *Quidam circumobversati in iisdem*] p.155. Illa verba sic interpretor: quidam in iisdem studiis, vel fraudibus circumeuntes, iisdem vestigiis inhaerentes, cum iisdem dolis insidias captantes. — *Πρὸ αἰῶνος*] Cod. Reg. unica voce *προαιῶνος;* nec p.156. male. Interpres vero legit *πρὸ αἰώνων.* Sed quomodocunque legas, parum refert, modo vocem *αἰὼν* non fictitium Valentinianorum Aeonem, sed *saeculum,* interpreteris: ut sensus sit, *Σιγὴν* ante saecula exstitisse, ut recte vertit Petavius (minus bene Billius *ante aeonas*), quae revera initio cap. 1. una cum Bytho *ante saecula,* seu *ἐν ἀπείροις αἰῶσι χρόνων, infinitis temporum saeculis* fuisse dicitur. — *Ἀμφοτέρων ἡμῶν*] Achamothae scilicet, quae *μεγαλότολμος,* audaci facinore, angelos contuita, eorum species mente effinxerat, et nostrum, quorum solutior fuit vita. Amborum nimirum eadem erat ratio: ambo in thalamum Pleromatis inducendi. — *Τὴν Ὁμηρικὴν Ἄϊδος κυνέην*] *Orci galea, Ἄϊδος κυνῆ,* proverbium ex Homeri Il. ε. v. 845. desumtum, ubi Pallas cum Marte dimicans, *orci galea,* ne ab eo conspici posset, contexisse se dicitur: *αὐτὰρ Ἀθήνη Δῖν' Ἄϊδος κυνέην, μή μιν ἴδοι ὄβριμος Ἄρης.* Plutoni siquidem, ut observat Erasmus in Adag. galea erat, quam qui gestaret, omnes videbat, ipse nemini conspicuus. Id autem ab Irenaeo huc adductum, ut vanas Gnosticorum fabulas derideret, ineptisque poëtarum nugis prorsus similes esse demonstraret. — *Et incomprehensibiles*] *Ἀκρατήτους* melius (quamvis p.157. non minus barbare) reddidisset interpres *inapprehensibiles,* i. e. qui a iudice teneri nequeant. — *O assessor Dei*] Felicius reddidit Billius *o quae Deo assides.* Haec enim non ad iudicem referri, sed ad Sophiam, quae ultimum inter XXX Aeones tenebat locum, et matris Achamothae mater a Valentinianis fingebatur, multo cum iudicio observat Grabius, evidenterque demonstrat ex fine capitis 21. ubi inter varias precationes, quibus animae e corpore discedentes *incomprehensibiles et invisibiles Principibus et Potestatibus fiant,* haec ad eos, qui circa Demiurgum sunt, oratio refertur: *invoco incorruptibilem Sophiam, ἐπικαλοῦμαι τὴν ἄφθαρτον Σοφίαν, quae est in Patre, mater autem est matris vestrae,* scilicet Achamoth, cuius ibidem sequitur descriptio. Tum iterum dicitur: *ego autem invoco eius matrem, ἐγὼ δὲ ἐπικαλοῦμαι αὐτῆς τὴν μητέρα.* — *Imagines illorum*] Lege *imagines illarum,* scilicet *Magnitudinum.* Ad genus siquidem vocis graecae *τὰ μεγέθη* attentus interpres, haud cogitavit vocem latinam *Magnitudines* femininum exposcere. — *Intentionem illorum, quae sunt sursum, quasi somnium habens*] I. e. *superarum rerum, seu angelorum ideam, somnii cuiusdam instar mente volvens.* — *Tu autem, quasi quae scias* etc.] Totam hanc periodum pessime vertit interpres. Primo graeca haec omisit *ἀμφοτέρων, res utriusque nostrum,* vel, ut scripsisset, *res utrorumque nostrorum* (nisi forte vel in mutilos codices, quibus uti potuit, vel in scribas, qui ob recursum earundem vocum, tres praefatas praetermiserint. culpa conferenda sit), ceteris vel contra grammaticae leges, vel repugnante sensu redditis. Sic igitur pe

riodum verto, servatis, quantum fieri potest, interpretis vocibus. *Tu igitur, quasi* (utpote) *quae scias res utrorumque nostrorum; utrorumque nostrorum rationem, tamquam unam* (non *unum*, ut vertit interpres attendens ad *λόγον*) *exsistentem* (i. e. ut quae una sit) *iudici*
p.158. *exhibe* (non *assiste*). — *Ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς κλίμασι τῆς Ῥοδανουσίας*] Lugdunensem tractum intelligit. *Lugdunum* siquidem a veteribus *Rhodanusiam* dictum fuisse, perspicue, ni fallor, colligitur ex Sidonio Apollinari lib. I. epist. 5. *Egresso*, inquit, *mihi Rhodanusiae nostrae moenibus* etc. Atqui Lugduni natus erat Sidonius: nec eo tempore, quo epistolam hanc scribebat, nondum episcopus Arvernensis, aliam urbem, praeter Lugdunum, *Rhodanusiam suam* appellare poterat. *Ῥοδανουσίας* cuiusdam meminit Stephanus, quam *πόλιν ἐν Μασσαλίᾳ, Massiliensium urbem* esse dicit. Id de Rhoda (Gallice *Roses*) quam tenuere Massilienses, interpretantur quidam. Sed repugnat Marcianus Heracleota scribens, Rhodanusiam istam a Rhodano flumine allui: *Οἱ Μασσαλίαν κτίσαντες ἔχον Φωκεῖς Ἀγαθήν, Ῥοδανουσίαν τε, Ῥοδανὸς ἦν μέγας Ποταμὸς παραῤῥεῖ*. Quin tamen affirmem Rhodanusiam hanc Lugdunum ipsum esse, plura deterrent. Viderint eruditi. Sed si alia a Lugduno sit, dicendum erit duas exstitisse super Rhodanum flumen eiusdem nominis urbes: urbem enim Lugdunum dictam fuisse Rhodanusiam negare non sinit Sidonii Apollinaris laudata auctoritas. Paullo iniquius ergo a Frontone Duc. et Grabio castigantur Cornarius et Gallasius, quod graeca Irenaei verba reddiderint: *in regionibus Rhodanusiae*. Perinde est atque si vertissent: *in regione Lugdunensi*. — *Κεκαυτηριασμέναι τὴν συνείδησιν*] I. e. depravatam, perditam habentes conscientiam. Verba apostoli sunt 1 Timoth. 4, 1. ubi alludit Paulus ad servos, qui noxae convicti, candenti ferro inurebantur, inde *στιγματίαι* dicti. Et hinc *κεκαυτηριασμένος* translatum ad significandum perditum quemvis hominem, nefarium, infamem. — *Ἑαυτὰς ἀπηλπικυῖαι*] Alludere videtur Irenaeus ad haec apostoli verba Ephes. 4, 18. *ἀπηλλοτριωμένοι τῆς ζωῆς τοῦ Θεοῦ, alienati a vita Dei*. Volunt Fronto Duc. et Grabius verbum *χωρίζουσιν* post *ἑαυτὰς* addendum esse. Sic quidem legisse veterem interpretem non inficior. At cum Petavio censeam, phrasin, spreto hoc verbo, commodum, immo forte commodiorem habere sensum.

CAP. XIV.

p.160. BILLIUS: *Qui Patris expers est*] Addo ex vet. *ὁ ἀπάτωρ*, et deleo hoc verbum *ὤδινεν*. — *Gigni*] *Τὸ ἄῤῥητον γεννηθῆναι*. Vetus legisse videtur *τὸ ἀῤῥητον ῥητὸν γεννηθῆναι*. Sed malo hoc loco graeca sequi, quod *γεννηθῆναι* aptius quadret cum *μορφωθῆναι* quod
p.161. sequitur. — *Ac syllaba illius*] *Συλλαβή*. Complexionem primo verteram, quod syllaba, ut apud grammaticos usurpatur, hîc quatuor litteris non constaret. Sed propius animum advertenti, aliter postea visum est. Insanus enim Marcus omnia hîc pro libidine sua fingit
p.163. — *Super elementum est*] Vetus interpres legisse videtur *οὐδὲ αὐτὸς*
v. v. *ὑπέρ*, sed male. — *Extremi elementi*] Pro *ἑκάστου* lego *ἐσχάτου* cum vet. Ibidem pro *μονογλωσσήσαντος καταστῆναι* lego *μονογλωσ-*
p.164. *σήσαντα καταθῆναι* cum vet. — *Quorum elementorum*] In graec.

pro *ὡς στοιχείου τὸ ὕστερον*, lego cum vet. *ὧν στοιχείων τὸ τοῦ ἐσχάτου ὕστατον*. Paullo post pro *καὶ τῶν* lego *καὶ τά*. — *Cuius sonus*] Graeca hoc loco ita emendanda sunt: *οὗ τὸ ἦχος ἦν συνεπακολουθοῦν τῷ ἤχει κάτω ὑπό* etc. Vers. seq. pro *λέγειν* substituo *λέγει*. — *Quaternitatem*] Inducitur hîc quaternitas, ea quae a Sige obscurius dicta erant, explanans. — *Dorsum*] Vetus interpres pro dorso hic ventrem habet, ac postea pro ventre, pudenda: sed in litteris error obrepsit. — *Sui ipsius genitorem*] In graeco *ἑαυτοῦ γεννήτορα*, vel unico verbo *αὐτογεννήτορα* lego cum vet. quemadmodum et eodem vers. *πατροδότορα* et *στόματος*. — *Inferiora ad eas referantur*] Legendum in graec. *ὑπὸ αὐτά*, aut aliquid simile; *ἀναφορὰν* opponit *ἀποῤῥοίᾳ*. — *Qui descendit*] Legendum in graec. *τὸν καταβάντα καὶ κραιηθέντα*. — *Et dispositionem*] Hoc loco pro *καὶ* lego *κατά*, ob verbum *πεφηνέναι*, quod in activa significatione nunquam in ullo auctore legisse me memini, sed tantum in neutra. — *Insignem numerum*] *Ἐπίσημον*, id est senarium. Nota autem senarii apud Graecos est ϛ. Proinde quum tres sint duplices litterae, senario aequipollent. — *Rerum inimitabilium*] *Ἀμιμήτων*. *Imitabilium* habet vetus translatio, sed male, ut existimo. — *Membris constat*] Post *δωδεκαμελοῦς*, pone *ὄντος* ex vet. et post *γραμμάτων*, *ἑκάστου*. — *Resolutione*] *Ἀναλύσεως* lego cum vet.

FRONTO DUCAEUS: *Ipsam quidem litteram*] In graeco dele *αὐτὸ τὸ ἦχος τῷ ἤχει*, et lege, ut in margine scripsimus: *τὸ μέν τοι γράμμα, οὗ τὸ ἦχος ἦν συνεπακολουθοῦν*. — *Ex minori autem*] *Λόγος* hîc computatio vel ratio verti potest, non autem sermo, quod scripserat Gallasius. Paullo post: *qui est numeri* VII. intellige, qui est numeri septenarii, virtutem ipsorum octo accepit sive octonarii, sic enim solet interpres vertere articulos graecos *τῶν ὀκτώ*, *eorum qui sunt octo*. — *Quorum elementorum*] Lego in graeco *εἰκόνας*, *εἰκόνων*, et in latina interpretat. verto: *duplices litterae; quas cum XXIIII litteris adnumeraveris, virtute, q. e. s. analogiam, vel, quae adnumeratae faciunt numerum*. — *Quae est in coena pura*] Graec. *ἢ τίς ἐστι παρασκευή*. Hic veteris interpretis locus Ioseph. Scaligeri observationem confirmat in Festum voce Penem, Coena pura est, qua fungebantur, quum in casto essent. Glossarium: Coena pura *προσάββατον*, imitatione gentilium *παρασκευὴν* Iudaeorum ita vocat. Porro in graecis, qui nihil hîc immutandum censebit, verbo medio activi datam significationem contendet: nam *φαίνειν* in activa saepe sumitur pro in lucem edere, vel exhibere, aut proferre, ut apud Philonem *τὴν ἐυσέβειαν ἀπέφηνε*. Quod si placeat legere *κατ᾽ οἰκονομίαν δέ*, hîc vertes, secundum dispositionem autem. — *Usus est diacono*] Apud Graecos nota senarii est ϛ, quae et ipsa duabus lit. *στ* aequivalet; *ἐπίσημον* appellant: Alii *ἐπίσιγμον*, sed minus recte, quomodo et apud Hieronymum legebatur in Psal. 77. in illo loco citato a Sixto Senen. lib. VI. Bibliot. annot. 131. Scriptum est in Matthaeo, quod Dominus noster hora sexta crucifixus sit. Rursum scriptum est in Marco, quia hora 3. crucifixus sit. Error scriptorum fuit: et in Marco hora 6. fuit. sed multi episemum graecum ϛ putaverunt esse *γ* sic enim habet editio Victorii correctior.

p.159. FEUARDENTIUS: *Hic igitur Marcus*] Impurissimus nebulo Unigenitum Dei se mentiebatur, et Quaternationem quandam de caelis descendentem forma muliebri, arcana plurima sibi revelasse, quae syllabis et litteris graecis adumbrarentur. — *Colorbasi silentii*] Colarbasi huius meminit Tertullianus (lib. Praesc.), quem ita cum Marco iungit, ut eadem cum illo senserit, videlicet, alterum Deum esse a creatore; Christum in carnis substantia non fuisse; corporum nullam fore resurrectionem; et Graecorum alphabeti litteris sic veritatem omnem affixisse, ut ineptum, vanum, otiosum, imo et periculosum putet, illorum vanitates omnes afferre. At Augustinus (lib. de Haeres.), Theodoretus (lib. I. haer. fabb.) et Damascenus sectam ei separatim tribuunt. Epiphanius (cont. Haer. 35.), veluti nodum dissolvens, primum quidem Marci opinionem illum secutum, tuncque sectam ipsorum instar bicipitis serpentis fuisse affirmat: sed postea velut maius quid praeter socios novisset, de suo quoque nomine vocatos coetus habuisse. Nicetas in Orthodoxia scribit Colobarsum seu Colabarsum quasdam Ptolemaei, Marci et Valentini sententias refixisse; atque horum quaternitatem ad octonarium numerum perduxisse, scalas perditionis, tam sibi quam factionis suae sectatoribus compingendo, quos errores ibi-
p.161. dem refellit. — *Insubstantivus*] Graece est *ἀνούσιος*, id est, substantiae expers. Si substantiam, quatenus accidentibus substernitur, vel etiam limitibus coërceri potest, Deo haudquaquam quadrare senserint: tantum abest eos errasse, ut etiam suffragantes sibi patres plurimos habeant. Augustinus (lib. 7. de Trinit. c. 4. et 5.) manifestum esse dicit, Deum abusive vocari substantiam. Dionysius (lib. de caelest. Hier. c. 4. et lib. de Divin. c. 1. et 5.), frequenter substantiam, sed ineffabilem, supersubstantialem et omnibus substantiis supereminentem, Deitatem vocat. Damascenus lib. I. c. 8. *ταῖς ὅλαις οὐσίαις ἐπιβατεύουσαν, καὶ πάσης οὐσίας ἐξῃρήμενην*, id est, universis substantiis supereminentem ultra omnia, et ab omni substantia exceptam. — *Tunc et redintegrationem universorum*] Non procul recedere videntur a magno illo anno Platonis, quem bona fide dolet Tertull. (lib. de Anima) omnium haereticorum factum esse condimentorium. Quod vero exclamatione ecclesiastica *Amen* commenta sua confirmari putabant, eiusdem impudentiae est cum eo, quod Aeonum suorum labyrinthos hac coronide, *per omnia saecula saeculorum*, probari volebant. Ceterum *postquam Patri omnium per nomen Filii et Spiritus sancti oblata fuerat eucharistia corporis et sanguinis Christi, Amen, quod hebraica lingua, fiat, significat, totum coetum Christianorum cecinisse*, scripsit ante Irenaeum Iustinus martyr (Apol. II.). Putat vero Augustinus (lib. 2. de Do. Christ. c. 11.), ex iis nominibus esse, quae propter sanctiorem auctoritatem in aliam linguam transfusa non fuerunt. Huiusque, ut *Halleluia*, sacrosanctum usum
p.173. esse affirmat epist. 198. — *Quae est coena pura*] Ita et lib. V. c. 23. sextam diem, qua Dominus cruci confixus est, appellant coenam puram; cuius nominis meminerunt etiam Tertull. lib. V. adv. Marc. c. 4. Augustinus Tractatu 120. in Ioan. et Beda in c. 19. Ioan. Sic autem eam diem appellant, quod iuxta legis praescriptum puros vestimentis, cibis, corporibus et animis eos esse decebat, qui sacrum Pascha es-

sent celebraturi. Unde et Iudaeorum principes non intraverunt praetorium Pilati, ut non contaminarentur (ait evangelista), sed puri videlicet, manducarent Pascha. — *Ostensionem autem*] Quanta caeci- p.177.
tate et stoliditate laborarent praestigiatores, vel inde apparet, quod a vagitu et eiulatu recens editorum parvulorum suorum placitorum demonstrationes peterent et gloriolam sibi venarentur. At longe aliud lacrimas illas portendere monet Tertull. (lib. de Anima). *Vitam nempe vagitu salutant et de prospectu lacrimabilis vitae augurem incommodorum vocem illam flebilem quidam interpretantur,* ait; Platonem, ut opinor, in Axiocho, si Platonis est, Lucretium aut fortasse Plinium (lib. 7. hist. nat.) subindicans. Is enim naturam potius novercae crudelioris nomine quam melioris parentis appellandam censet, quod hominem tantum nudum et in nuda humo natali die abiicit ad vagitus statim et ploratum, ut vitam a suppliciis auspicetur. Alia ratio vagitus puerorum atque hîc recitata est, etiam afferri potest, quam ex verbis Martialis Campani Medici Burdegalensis, latronum vinculis et caede divinitus liberati, libenter subiungam. Vagitus puerorum, inquit, convenienter naturae prodeuntium in lucem ex utero matrum, magno conatu impetuque facultatis expultricis, ea caussa dari potest, quoniam in eo diu inclusi novam tandem ac repentinam loci mutationem facere coguntur. Exclusi expulsique foras, post qualecunque fuerit aëris temperamentum, ratione reliquorum diverse semper affecti, confestim excipiunt, simul et induunt. Quo fit, prout corpora, et ambientis temperies ea circundantis exstiterint, vagitus vel edantur frequentes, vel nulli aut rari fiant. Exoriuntur in summa, propter loci tepidi et plerumque temperati exitum, et propter aëris ambitum intemperie sua cutim puerorum ex tempore vellicantem et acriter mordentem, atque sic vim prorsus alienam calori nativo insinuantem. Natura puerorum iam enatorum rei novitate perterrita, iniuriam quamvis etiam per se aegre ferens queritur; et modo gemitus, modo lacrymas, modo utrumque statim exprimit; at contra, quum nihil mali experitur, tunc quiescit, nec vagit laeta sua sorte.

GRABIUS: Ἀνούσιος] (Repetita Feuardentii annotatione, quam p.160.
sub eodem lemmate supra recepimus, Grabius haec adiecit:) Addo, quod Origenes lib. VI. contra Celsum quaestionem illam movens, utrum Deus habeat *οὐσίαν*, scribit: *Ἀλλ' οὐδὲ οὐσίας μετέχει ὁ Θεός· μετέχεται γὰρ μᾶλλον ἢ μετέχει. Sed neque substantiae particeps est Deus: magis enim participatur, quam participat.* Post pauca subdit quaerendum, num sit Deus potius nominandus *οὐσία οὐσιῶν, ἰδέα ἰδεῶν, substantia substantiarum et species specierum.* Similiter Arianorum effatum erat: *Deus efficit, ut sit substantia, non tamen ut ipse Deus in substantia deputetur. Quippe quum omnis substantia contraria recipiat, Deus qui nihil diversum admittere potest, substantia dici non debet,* uti refert Gregorius Nazianzenus Orat. 49. de Fide et addit: *Ignoscerem tibi, si hoc simpliciter diceres, si rationem velles scire, si rudis ad hanc quaestionem accederes, si non ipse esses, qui semper de alia substantia, vel de nullis exstantibus Dei filium assereres* etc. Unde in sequentibus accurate disputat, probatque Deum recte substantiam dici, licet non talem, qualis in sublunaribus datur.

Lege ipsum, et confer Casauboni Exercit I. ad Apparatum Annalium Baronii num. 10. post medium. — *Μήτε ἄῤῥεν, μήτε θῆλυ*] Ita et superius in fine capitis 5. Ceterum Casaubonus loco citato, allegatis hisce Irenaei verbis, haec sua subdit: *Huc pertinet, quod nonnulli veterum observant, quia nullus in Deo sexus, propterea Spiritum s. qui est tertia s. Trinitatis persona, hebraice feminino genere dici, latine masculino, graece neutro; cuius observationis meminit et Pseudo-Hieronymus de Assumtione Mariae.* — *Τὸ ἄῤῥητον γεννηθῆναι*] Vetus legisse videtur *ἄῤῥητον ῥητὸν γεννηθῆναι*. Sed malo hoc loco graeca sequi, quod *γεννηθῆναι* aptius quadret cum *μορφωθῆναι*, quod sequitur. *Bill.* Licet vero *γεννηθῆναι* retineatur, *ῥητὸν* tamen omnino restituendum videtur, utpote quod incuria scribae ob easdem duas posteriores praecedentis vocis syllabas excidisse non dubito. — *Ἡ συλλαβὴ αὐτοῦ στοιχείων τεσσάρων*] His significatur *prima tetras* Aeonum, de qua cap. 1. §. 1. — *Τὴν δευτέραν*] Subintellige *συλλαβήν*, id est complexionem. — *Καὶ αὐτὴ στοιχείων τεσσάρων*] His *secunda* indigitatur *tetras*, de qua ibidem. — *Δέκα*] Intellige decem Aeones ex Logo et Zoë prognatos, qui loco citato enumerantur. — *Τὴν μετὰ ταῦτα*] Id est *quartam vocem.* — *Δεκαδύο*] Duodecim Aeones Anthropo et Ecclesia oriundos accipe. — *Τοῦ ὅλου ὀνόματος*] Per *ὄνομα* intellige *Pleroma Aeonum.* — *Τριάκοντα*] Iuxta
p.162. numerum triginta Aeonum. — *Τεσσάρων*] Iuxta quadripartitam divisionem in primam et secundam *quaternationem*, ut interpres appellare solet *decada* et *duodecada*. Supra vero cap. 1. §. 1. iuncta utraque tetrade, tripartite divisum dicebatur triginta Aeonum Pleroma. — *Πολιορκεῖ*] Petavius in margine Epiphanii pag. 237. posuit *ἐπίσταται*. Sed infinitivum *γινώσκειν* vel *ἐπίστασθαι* potius legendum esse, ex integro contextu patet. — *Μονογλωσσήσαντος καταστῆσαι*] Lego *μονογλωσσήσαντα καταθῆναι* cum veteri. *Bill.* Sed *καταθῆναι* prorsus reiiciendum, et si quid mutetur, *καταστῆναι* legendum. — *Τότε δὲ καὶ τὴν ἀποκατάστασιν*] Sententia Marci fuit, tunc demum perfectam *ἀποκατάστασιν* futuram, quum omnia, velut unum,
p.164. uni supremo Deo subiecta fuerint, iuxta 1 Corinth. 15, 28. — *Ὡς στοιχείου τὸ ὕστερον γράμμα*] Lego cum veteri: *ὧν στοιχείων τὸ τοῦ ἐσχάτου γράμμα. Bill.* Mihi nihil aliud quam *ὡς* in *οὗ* mutandum videtur. — *Οὗ ἦχος*] Indigitat Enthymesin Sophiae, de qua vide cap. 1. §. 7. (cap. 2. n. 2. 3.) — *Καὶ τῶν*] *Τὰ πρὸ τούτων* vero sunt Demiurgus, septem caeli, aliaeque caelestes creaturae. — *Τὸ μέν τοι γράμμα* etc.] Haec et sequentia intellige de Sophia, trigesimo Aeone, et ut recte intelligas, lege supra cap. 1. §. 2. et 3. (c. 2.) — *Τὸ ἦχος τῷ ἤχει*] Hae quatuor parenthesi inclusae voces, quas merito vetus interpres non agnoscit, in textum irrepsisse videntur e margine, in quo quispiam citra necessitatem Irenaeum correcturus, pro *ὁ ἦχος* notavit legendum *τὸ ἦχος*, prout mox sequitur *τῷ ἦχει*. Et sane miror trigam doctorum virorum, Billium, inquam, Frontonem Ducaeum atque Petavium itidem voluisse, ut *τὸ ἦχος*, indeque *συνεπακολουθοῦν* pro *συνεπακολουθῶν* legeretur, quum tamen *ἦχος* masculini sit generis, et ab Irenaeo in hoc ipso capite ita saepius usurpetur, licet dativum quasi a *τὸ ἦχος* formaverit. — *Τῷ ἤχει, καὶ τό*]

Pro *καὶ τὸ* legendum esse *κάτω*, sequente commate vetus interpretatio docet, et mox sequentia verba: *μεμενηκέναι δὲ εἰς κάτω τὸν ἦχον.* — *Τὸ δὲ στοιχεῖον* etc.] Pleroma triginta Aeonum significat. — *Κεφαλὴν ἄνω, τὸ ἄλφα*] Interpres legisse videtur *Κεφαλὴν αὐ-* p.166. *τοῦ ἄνω, πρῶτον ἄλφα.* Alpha enim prima est littera. — *Τῶν* p.168. *τῆς κλήσεως*] Ita Catholicos appellabant haeretici, semetipsos *σπέρματα ἐκλογῆς, semina electionis* vocantes. Confer Spicil. Patrum et Haereticorum Saeculi II. Tom. I. pag. 91. ubi Heracleonis hanc in rem verba habes. — *Ἅ ἐστιν ἓξ*] Tria *στοιχεῖα* sive tres Aeones, p.170. Pater, Anthropos et Logos, dicuntur sex, propter tres coniuges, Alethian, Ecclesian et Zoën ipsis intime unitas. — *Τὸν αὐτὸν αὐτοῖς* p.170. *ἀριθμόν*] Intellige numerum 24. — *Διπλᾶ γράμματα*] Duplices lit- et172. terae duos in coniugatione iunctos Aeones Marco significabant. — *Ἐκεῖνον τὸν μετὰ τὰς ἓξ ἡμέρας*] Respicit historiam transfigurationis Iesu in monte Thabor, in quem ipse cum tribus apostolis Petro, Iacobo et Ioanne post sex dies adscendisse narratur Matth. 17, 1. et Marc. 9, 2. numero illorum mox aucto, dum Moses et Elias ibidem apparuerunt, adeo ut tunc sex numero essent. — *Τὸν κρατηθέντα καὶ καταβάντα*] *Τὸν καταβάντα καὶ κρατηθέντα* inverso ordine legi vult Billius, veteris interpretis auctoritate ductus. Sed melior mihi videtur Epiphanii lectio; quippe detentus est aliquantum in monte, priusquam descenderet, partim oratione, partim colloquio cum Mose et Elia, partim a Petro dicente v. 4. *Domine, bonum est nos hic esse* etc. Immo totam noctem ibi egisse, mox probabo. — *Ἐν τῇ ἑβδομάδι*] Ad VII. diem alludere, quo Christus in sepulcro iacuit et apud inferos mansit, notavit Petav. ad Epiphan. pag. 72. Et septima quidem dies per hebdomadam videtur intelligenda. Nam uti sabbatum Iudaeorum Graecis dicebatur ἑβδομάς, teste Theophilo Antioch. lib. II. ad Autol. pag. 94. ita et quamlibet septimam diem ἑβδομάδα vocare nihil prohibet. Non tamen septimam diem, qua Servator in sepulcro iacuit, hic accipio, quia de transfiguratione Domini agitur, de passione autem vel sepultura altum silentium; sed istam, qua de monte Thabor post transfigurationem descendit. Dices, unde constat, Christum septima demum die descendisse, non ipsa sexta, qua adscendit? Illud vero patet ex evangelio s. Lucae, qui historiam transfigurationis Domini narrans cap. 9. v. 28. scribit: *Ascendit in montem, ut oraret.* Et ut idem evangelista cap. 21. v. 27. refert: *Erat diebus docens in templo, noctibus vero exiens morabatur in monte, qui vocabatur Oliveti.* Confer cap. 6. v. 12. Et ad has igitur preces in monte Thabor nocturno tempore procul dubio accessit, ut porro evincit somnus discipulorum, de quo iterum Lucas v. 32. *Petrus vero et qui cum illo erant, gravati erant somno, et evigilantes viderunt maiestatem eius* etc. Evigilantes igitur demum, viderunt gloriam Christi et postquam aliqua cum eo verba miscuerunt, nube eos obumbrante, vocem de caelo loquentem audiverunt etc. Quae et alia aperte docent, non ante mane septimae diei Christum de monte descendisse. Videtur autem Marcus septimam istam diem mystice explicasse, sive de Demiurgo, quem *Hebdomadem* appellatum fuisse ex pag. 25. lin. 19. (p. 24. l. 41.) constat; vel de *septem caelis,* infra quos Iesus descen-

dit, quum tamen ipse esset *Ogdoas.* — *Ἐπίσημον ὀγδοάδα ὑπάρχοντα* etc.] Iesus *Ogdoas insignis* (id est, prima et principalis), qua longe inferior est mater Achamoth, *Ogdoas secunda,* uti pag. 25. lin. 20. (p. 24. l. 43.) cognominatur, a Marco dicebatur, quia omnem virtutem octo primorum Aeonum in se continere putabatur, immo non solum horum, sed et omnium triginta Aeonum seu universi Pleromatis, ut cap. 1. § 4. pag. 14. lin. 15 seqq. (c. 2. n. 6.) docebant haeretici. Unde et hoc loco mox sequitur: *Καὶ ἔχοντα ἐν ἑαυτῷ τὸν ἅπαντα τῶν στοιχείων ἀριθμόν.* Ubi per *στοιχεῖα* Aeonas designari ex superioribus constat. — *Ω καὶ α*] Quod Apocalypseos c. 1. v. 8. de vero Servatore Iesu legitur, id ipsi fictitio suo Salvatori, quem dicebant sub specie columbae in Iesum descendisse, attribuebant. — *Καὶ τὴν οἰκονομίαν — πεφηνέναι*] *Κατὰ τὴν οἰκονομίαν* legere amabat Billius, ob verbum *πεφηνέναι,* quod in activa significatione nunquam in ullo auctore se legisse meminerat. Verum *φαίνειν* active sumi pro *in lucem edere* vel *proferre,* probat Fronto Ducaeus, auctoritate Philonis Iudaei, apud quem legitur *τὴν εὐσέβειαν ἀπέφηνε.* Sed et ipsa lexica hoc docent. Praebuit autem oeconomia Servatori *corpus,* de quo supra pag. 29. lin. 16. (p. 70.) *ἀπὸ δὲ τῆς οἰκονομίας περιτεθεῖσθαι σῶμα, ψυχικὴν ἔχον οὐσίαν, a dispositione au-*
p.174. *tem circumdatum corpus, animalem habens substantiam.* — *Διπλᾶ γράμματα τὸν ἀριθμὸν ἐπίσημον* etc.] Quaenam tres illae duplices litterae? Nisi fallor, tria sunt *ἐπίσημα, βαῦ, σὰν πῖ* et *κόππα,* de quibus vide Scaligeri animadversiones ad Euseb. pag. 112. 115. et 116. — *Κέχρηται δὲ διακόνῳ τῷ τῶν ἑπτὰ ἀριθμῶν μεγέθει*] Usus scilicet dicebatur ab haereticis Iesus VII principalium angelorum ministerio, sicut VII spiritus ministri tribuuntur vero Iesu Christo, agno Dei, Apocal. V. 6. — *Ἑπτὰ δυνάμεων, καὶ μίμησιν τῆς ἑβδομάδος δυνάμεως*] Loco *καὶ* auctoritate veteris interpretis repono *κατά;* et per *septem virtutes* septem caelos (de quibus vide pag. 25. lin. 22. (pag. 60.) et notas ad Tom. I. Spicil. Patrum Saeculi II. (pag. 224.) intelligo, ut mox sequentia declarant, quaeque habentur initio c. 14. (17.) Per *hebdomadem virtutum* autem septem principales angelos designari suspicor. Caeterum de voce *δυνάμεων* tam caelos, quam angelos denotante, legantur Clementis Alexandrini Eclogae *ἐκ τῶν προφητικῶν* §. 1. quae graece post alia eius opera, una vero cum latina versione Tom. I Auctarii novissimi bibliothecae Patrum a Combefisio editi, exstant. Confer §. 52. ubi nomine *caelorum* quoque non solum superos orbes, sed et angelorum operationes significari docetur; et §. 58. ubi *δυνάμεις* dicuntur esse *πρωτόκτιστοι ἄγγελοι,*
p.176. *primae conditionis angeli.* — *Εἰς διυλισμόν*] In omnibus edit. hae duae voces cum sequenti verbo *ἐπιφανεῖ* iunctae repraesentantur, et *διυλισμὸς* proprie *percolationem* significans, metaphorice de *relevatione* seu *recreatione* animi post afflictiones a veteri cunctisque recentioribus interpretibus accipitur. Sed cum praecedentibus haec mihi videntur construenda, ita ut anima aerumnis vexata dicatur *εἰς διυλισμόν, ut percolando quasi defaecatior fieret,* id est, ut a vitiis, ex *ὕλῃ* iuxta haereticorum placita ortis animaeque adhaerentibus, per
p.178. afflictiones liberaretur. — *Ἡ ἄνω ψυχή*] Superna scilicet animae

idea, qualem Marcus cum Platone statuisse videtur. — *Ἐπιλύσεως*] *Ἀναλύσεως* legi vult Billius, quia vetus interpres vertit *resolutionem*. Sed *ἐπίλυσιν* eandem significationem *resolutionis* sive *explicationis* habere constat, ideoque nulla opus est mutatione.

MASSUETUS: *Ἅτε μονογενὴς ὑπάρχων αὐτῷ*] Haec ad Colorbasum refert Grabius, quasi Marcus huius unigenitus dicatur. Sed nullus veterum memoriae prodidit Marcum Colorbasi filium exstitisse; immo Colorbasum Marci discipulum ac sectatorem faciunt. Legendum igitur *αὐτῇ* pro *αὐτῷ*, ut haec ad *Sigen* referantur. Tuncque planus evadet sensus. Marcus arcanorum *Siges* conscius, se veluti *μήτραν* et promtuarium esse gloriabatur, in quo speciatim prae ceteris spiritale illud semen, perfectam scilicet agnitionem, qua gloriabantur omnes Gnostici, et secretiora quaeque mysteria recondiderat eadem *Sige*; utpote quae, ut mox subiungitur, rerum omnium ortum, quem nemini unquam nec Deorum, nec mortalium patefaceret, ipsi soli exposuerit. Cur autem Magus ille socius et particeps arcanorum omnium *Siges* exstiterit, haec affertur ratio *ἅτε μονογενὴς ὑπάρχων αὐτῇ*, quia velut unigenitus erat ei. Sic nempe Marcum diligebat *Sige*, quasi unicus eius filius exstitisset, quem nihil celare posset. — *Τὸ τοῦ ὑστερήματος*] Adde cum interpr. *σπέρμα*. Nomina haec *ὑστέρημα, πάθος, σφάλμα* promiscue usurpat Irenaeus, ad significandam Achamotham, quae fetus est passionis Sophiae, quam *ἀποστᾶσιν καὶ ὑστερήσασαν δύναμιν, discedentem et destitutam virtutem* vocat. *Defectionis* ergo, seu, ut plerumque vertit interpres, *Labis* semen, spiritale illud semen est; perfecta scilicet reconditorum Pleromatis arcanorum et mysteriorum agnitio, de qua prae ceteris Valentinianis Marcus sese iactabat. — *Αὐτή*] *Ἑαυτὴν* legit Billius cum veteri: at inutilis emendatio. — *Ὤδινεν*] Addo quidem cum vet. interpr. *ὁ ἀπάτωρ;* sed verbum *ὤδινεν*, licet omiserit interpres, retineo, invito licet Billio: nihil enim habet incommodi, modo addatur *καὶ* ante *ἠθέλησεν*. — *Ἀνούσιος*] Si Deum *ἀνούσιον*, i. e. *substantiae expertem* dixerint haeretici, substantiamque eo sensu supremo numini abiudicarint, quod *οὐσία*, qualis a philosophis describitur, quidpiam accidentibus subiectum certisque circumscriptum limitibus significet, erroris argui non possunt. Eadem enim ratione substantiae ideam a Deo removere quidam e catholicis patribus. *Manifestum est*, inquit Augustinus lib. VII. de Trinit. c. 5. *Deum abusive substantiam vocari.* Essentiam potius illi tribui vult, quam substantiam: quia in Deo nullum est accidens. Idem post Augustinum docuit Anselmus in Monol. c. 35. et 76. et alii quidam. Lege, si vacat, Maximum Pseudo-Dionysii scholiasten, ad cap. 1. et 5. libri de Div. nom. Sed quum substantiae vocabulum ab omni ista faece facile absolvi possit, ideo alii Patres sincerum et expurgatum Deo adtribuere non reformidant. — *Τὸ ἄῤῥητον γεννηθῆναι*] Lege cum interprete *τὸ ἄῤῥητον ῥητὸν γεννηθῆναι*. Legisse tamen videtur interpres *γενηθῆναι* pro *γεννηθῆναι*. — *Ἡ συλλαβὴ αὐτοῦ στοιχείων τεσσάρων*] Allegorica hac syllabarum et litterarum farragine totum Pleroma, quod nominis instar hic exhibetur, eiusque tetradas, decada et duodecada, singulosque, quibus constat, Aeones hic designari, nemo non videt. Ita iis quae paullo simplicius explicabant

p. 158.

p. 160.

ceteri Valentiniani, caliginem offundere satagebat Marcus, ut nugis
p.161. pretium adderet obscuritas. — *Sic*] Pro *hic* (quod in omnibus MSS. et editt. Erasm. et Gall. legitur) ex graeco reposuit Feuard. — *Quod invisibile sibi est, formari*] Praeposterus verborum ordo. Lege *quod invisibile est, sibi formari*, i. e. *ad sui formam, seu similitudinem effingi*, ut mox explicatur. — *Invisibilis*] Genitivus singularis est, ut ex graeco patet. — *Fuit ἀρχή*] Auctoris sensum haud assecutus est interpres. Vertendum erat *fuit id initium*, sermonis scilicet Patris. Neque enim vox *ἀρχὴ* fuit prima syllaba, quam protulit Pater: sed
p.162. primus ille sonus, quem emisit, fuit principium ceterorum. — *Οὗπερ αὐτὸς στοιχεῖόν ἐστιν*] Corrupta lectio, quam sic ex codd. latinis, ipsis licet depravatis, emendandam censeo: *ὃ ὑπὲρ αὐτοῦ στοιχεῖόν ἐστιν*. Nempe oscitans quispiam scriba duas voces *ὃ ὑπὲρ* in unam commiscuit; tum pro *αὐτοῦ* scripsit *αὐτός*: quae quam facile contingere possint, norunt qui in MSS. codd. graecorum lectione versati sunt, in quibus plures non satis ab invicem separatae voces non raro confunduntur ab imperitis, et littera *σ* sic efformata *c* ab iisdem saepe accipitur pro *v*. Quod vero ita, ut dixi, scripserit Irenaeus, praeter textum latinum iam restitutum, demonstrat Marci hypothesis. Id enim volebat, unicuique elemento seu Aeoni ignotam esse superioris elementi, seu Aeonis formam: immo ne quidem vicini elementi enuntiationem scire: seu, ut Irenaei verbis utar: *μηδὲν αὐτῶν εἶναι, ὃ τὴν ἐκείνου καθορᾷ μορφήν, ὃ ὑπὲρ αὐτοῦ στοιχεῖόν ἐστι, nullum eorum esse, quod illius elementi formam videat, quod supra se est, vel quod superius est.* Haec vero nostra emendatio mire confirmatur ex iis quae lib. II. cap. 16. n. 9. ex Valentinianorum sententia (a quibus in hac parte non dissidebant Marcosii) refert Irenaeus: *Hoc autem*, inquit, *dicunt, quoniam emissi sunt unusquisque illorum* (Aeonum), *et illum tantum cognovisse qui se emisit, ignorans autem eum qui ante illum est.* Quum igitur unusquisque Aeonum ignoret eum qui ante se est; dubitare iam non licet quin hîc in graeco legendum sit *ὃ ὑπὲρ αὐτοῦ*, et in latino *quod ipsum super*. — *Γινώσκει*] Contextus sermonis exigit legi cum interp. *γινώσκειν*, in infinitivo. *Αὐτὸν* autem quod sequitur, ut et paullo post *αὐτός*, refer non ad elementum, sed ad rem per elementum significatam, Aeonem scilicet: quamvis utrobique scriptum mallem *αὐτό*. — *Καταστῆσαι*] Legendum vult Billius *καταθεῖναι*; Grabius *καταστῆναι*; ego neutrum. Lego cum interprete *κατέλθωσι*; hic enim vertit *deveniant*. Atqui linea sequenti *κατελθόντα* reddit *devenientia*: adeo ut dubitari non possit quin linea praecedenti legerit *κατέλθωσι*, pro quo imperitus amanuensis scripsit *καταστῆσαι*. — *Τότε δὲ καὶ τὴν ἀποκατάστασιν*] Idipsum est quod supra cap. 7. dicebant alii Valentiniani, consummationem tum futuram, quum spiritalibus hominibus iam perfectis, hi cum Achamoth matre sua in Pleroma migrabunt, ut coniugium exsistat tum Salvatoris et Achamoth, tum angelorum Salvatoris et spiri-
p.163. talium animarum. — *Quod ipsum super elementum est*] Hîc mendosi sunt codd. omnes cum editt. tum MSS. In edit. Feuard. legitur *cuius elementum est*. Grabius *cuius ipsum elementum est*. Uterque ex graeci textus auctoritate sic correxisse sibi videtur. At textum ipsum

graecum depravatum esse ostendi in not. ad graeca. In editt. autem Erasm. et Gall. ac MSS. omnibus habetur: *neque ipsum super elementum est.* Ex quibus levi mutatione facta, restituendo scilicet, *quod* (utpote quod scriptum cum abbreviationis nota, et postremae voci *formam* propius colligatum, proclive fuit festinantibus scribis transmutare in *neque*) vera lectio eruitur, *quod ipsum super elementum est,* i. e. quod super ipsum est elementum, quod supra se est: uno verbo, illius elementi formam non videt quod superius est. Certe longe levior est haec nostra mutatio, et potiori ratione nixa, quam Feuardentiana et Grabiana. Boni ergo consulat lector, si hîc eadem libertate (quamvis non prorsus tanta) usi fuerimus, qua illi; rationesque nostras legat cit. not. — *Cognoscere eum*] Et mox *quod ipse.* Mallem scripsisset interpres *cognoscere illud,* et *quod ipsum,* elementum scilicet. Sed haec ad Aeonem per elementum significatum referre maluit. — *Proximi eius*] Vertendum fuisset *proximi sui.* — *Ita omne quod enuntiat, illud quod est totum nominet*] Sic quidem codd. omnes tum exarati, tum editi. Sed hîc vel mutila versio est, vel pessima. Scribendum erat: *velut si omne enuntiasset, arbitrari totum nominare.* — *Unumquodque*] Sic ex graeco restitui pro *unumquemque,* quod in codd. omnibus exstat; neque enim persuadere mihi possum, adeo sui oblitum esse interpretem, ut *unumquemque* scripserit, qui mox neutro genere utitur, et paullo ante bis scripsit *unumquodque.* Scribarum igitur culpa est, qui *unumquodque* scriptum cum abbreviationis nota commutarunt in *unumquemque.* — *Οὗ ἦχος ἐξελθών*] p.164. His et sequentibus aenigmatis designari Sophiae casum, Achamothae fabulam, rerum omnium tum caelestium, tum sublunarium ortum, ceterasque eiusmodi nugas, advertit quisque. Confer, si lubet, cap. 1. 2. 4. et seqq. — *Τὸ ἦχος τῷ ἤχει οὗ ὁ ἦχος ἦν* etc.] Corruptum hunc locum sic ex veteri versione emendo. Expunctis superfluis quatuor prioribus vocibus, sequentes sic lego: *οὗ ὁ ἦχος ἦν συνεπακολουθῶν τῷ ἤχῳ κάτω, ὑπὸ τῆς* etc. — *Qui formant*] Melius *qui* p.165. *adumbrant, referunt.* — *Contineri et intelligi ait*] Graec. *contenta intelligi ait.* — *Ante haec*] Mallem *supra haec* seu *superiora,* Demiurgum scilicet, caelestesque res creatas. — *Unum*] Contendit Grabius p.167. legendum esse *unus,* quia in graeco exstat *ἕνα,* scilicet *Αἰῶνα.* Sed pace doctissimi viri dixerim, haud peccasse hîc interpretem sive contra sensum, sive contra grammaticae leges, *unum* enim refert, non ad *Aeona,* sed ad *elementum.* Quod prorsus indifferens est: hoc enim signum, ille res significata. — *In caput*] Ita Clarom. cod. melius quam ceteri tum editi, tum exarati, in quibus deest *in.* Ex graeco tamen vertendum erat: *vide igitur caput eius sursum Α et Ω.* — *Cinctum*] Vertendum erat *diaphragma* seu *septum transversum.* Sic medici membranam vocant, quae cor a iecore et liene separat. — *Ventrem Z et T*] Sic Clarom. Arund. et Merc. II. cum editt. Erasm. et Oxon. at in Gall. et Feuard. perperam *X* et *T.* Sed ut latina graecis responderent, vertendum erat: *dorsum Z et T, ventrem H et Σ, femora Θ et P, malleolos Α et Ξ, pedes etc.* — *Συγγενῶν*] p.168. Adde cum interpr. *αὐτοῦ* vel *αὐτῷ.* Sunt autem angeli Salvatori *coaetanei,* de quibus supra c. 2. et 4. — *Locutam esse*] Sic ex graeco p.169.

restituimus, pro *locuta est;* quod manifesto scribarum errato legitur in omnibus tum editt. tum MSS. — *Insigne nomen*] I. e. notandum nomen. Nomina enim sex constantia litteris mysticum quid habere contendebant illi haeretici: quod ἐπίσημον βαῦ, notam senarii numeri, cui plurimum tribuebant, in se continerent. — *Has igitur*] Sic emendavit Feuard. pro *haec igitur,* quod vitiose occurrit in editt. Erasm. Gall. et MSS. omnibus. Sed forte culpa ipsius interpretis est, qui graecum ταῦτα vertit *haec,* non advertens substantivum latinum quod
p.171. sequitur, feminini esse generis. — *Earum, quae*] Scilicet *virtutum.* Ita ex graeco reposui pro *eorum,* quod scribarum oscitantia irrepsit in omnes cum editt. tum manuscriptos. — *Computatione*] Gallasius male vertit *sermone.* Hîc enim λόγος non *sermonem,* sed *rationem*
p.172. vel *computationem* significat, ut probe notat Fronto Duc. — Ἐκεῖνον τὸν μετὰ τὰς ἓξ ἡμέρας etc.] Alludit ad Christi transfigurationem ex Matth. 17. et Marc. 9. Quum Christus *post sex dies* adscendisset in montem, adsumtis secum Petro, Ioanne et Iacobo, *factus est* proinde *quartus;* tum advenientibus Moyse et Elia *factus est sextus.* Quod autem addit Marcus haeresiarcha *qui descendit et detentus est in hebdomade;* id intelligo de Iesu in hunc mundum descensu eiusdemque in eo mora. Quum enim hic mundus *septem virtutibus* constet, *ad imitationem hebdomadis virtutis* conditus, ut sub istius capitis finem dicitur, palam est *hebdomada* a Marco vocari. Eadem igitur hebdomas est, de qua et hîc et illic. Sicque Iesus in hebdomade habitans, hacque superior *insignis octonatio est;* quemadmodum Achamoth, septem caelis a Demiurgo conditis superior, ogdoas dicitur cap. 5. — Ἥτις ἐστὶν Ω καὶ Α] Salvatorem, qui seipsum Apoc. 1. vocat α et ω, in Iesum, tum quum ad baptismum venit, sub specie columbae descendisse fingebant illi haeretici. — Ὁ γὰρ ἀριθμὸς αὐτῆς, μία καὶ ὀκτακόσιαι] Nam ex π, quae est 80 et ε, quae est 5, ex ϱ 100, ι 10, σ 200, τ 300, ε 5, ϱ 100, α 1, invicem additis exsurgunt 801. — Καὶ τὴν οἰκονομίαν] Pro καὶ legit Billius κατά, ob verbum πεφηνέναι, quod in activa significatione nunquam in ullo auctore legisse se meminit. Contendit vero Fronto Duc. verbum istud medium activa interdum significatione gaudere. Sed quod exemplum profert ex Philone Iudaeo, apud quem legitur τὴν εὐσέβειαν ἀπέφηνε, non est ad rem. Nam ἀπέφηνε Aoristus est activus, non Praeteritum medium, de quo solo disputat Billius. Utut sit, melius forte et ad auctoris mentem aptius verba haec: τὸν ἔσχατον ἄνθρωπον εἰς ἀναγέννησιν τοῦ πρώτου, per appositionem acceperis, addita nimirum explicandae oeconomiae gratia, ut sit sensus: *nostrae salutis oeconomiam, novissimum scilicet hominem, ad primi hominis regenerationem mortem obeuntem, in sexta die apparuisse.* Christi siquidem passionem a Graecis dictam fuisse οἰκονομίαν, tam notum est, ut argumenta referre superfluum videretur. Sic immutandae vulgatae lectionis, quam veteris interpr. firmat auctoritas, nulla necessitas erit, et verbo πεφηνέναι
p.173. sua constabit passiva significatio. — *Indui*] Graec. φορεῖσθαι, *ferri, portari.* — *Ea a trib.*] Sic ex graeco corrigimus, ita exigente syntaxi pro *eas,* quod manifestum scribarum sphalma est; nam de clementis hîc sermo est. — *Adnumerantes*] Cod. Clarom. *innumerantes;*

Arund. *adnumeratis*, forte pro *adnumeraris;* sic enim legendum merito censet Fronto Duc. — *Coena pura*] Sic vocem παρασκευὴ reddidit interpres; nec male. Nam *Parasceven*, inquit August. Tract. 120. in Ioan. *Coenam puram Iudaei latine usitatius apud nos vocant.* Et *id est, sexta feria,* Glossarium: *Coena pura, προσάββατον.* Eiusdem nominis meminerunt Tertull. lib. V. adv. Marcion. c. 4. et Beda in c. 19. Ioan. Ideo vero, ut observat Feuard. Iudaei sextam diem, seu Parasceven, qua Dominus cruci affixus est, appellabant *coenam puram,* quod iuxta legis praescriptum puros vestimentis, cibis, corporibus et animis esse deceret. qui Sabbatum sequens celebraturi essent. — *Τῶν ἑπτὰ δυνάμεων — κόσμον*] Per septem virtutes intelligi se- p.174
ptem caelos (qui et angeli dicebantur), a Demiurgo conditos, quibus mundum constare docebant Valentiniani, perspicuum est ex iis quae mox sequuntur. — *Τῆς ἑβδομάδος δυνάμεως*] Hebdomas illa virtutis, ad cuius imitationem mundo huic vita data, forte est hebdomas illa superior virtutum, seu septem virtutes Monogenis administrae, de quibus supra not. c. Quemadmodum enim per septem has virtutes Pleromati velut initium, tutamen et fulcimentum praebet Nus: sic per septem caelos huic mundo vitam impertit Demiurgus, seu per Demiurgum Enthymesis hîc designata. Hanc coniecturam nostram argumentis petitis a capite 11. cum hoc capite et seqq. collato, munire haud arduum foret, nisi in nugis immorari pigeret. Haec conferat cui per otium licuerit. — *Explicuit*] I. e. *absolvit, complevit.* — *In-* p.175.
telligi] Ex graeco leg. *intellige. Siges* enim ad Marcum verba sunt. — *Ὧν ἠχή*] Vetus interpr. legit *ὧν ἡ ψυχή;* sicque legendum esse p.176.
demonstrant quae mox sequuntur: *οὕτως καὶ ἡ ψυχὴ ἐν τοῖς βρέφεσι κλαίουσα* etc. Hinc vocem *ἡ ψυχὴ* in graeco Irenaei textu restituerunt Gallasius et Feuard. Attamen quum vox *ἠχὴ* legatur in omnibus aliis editt. et in cod. Reg. nec incommodum sensum habeat, hanc immutari nihil necesse est. — *Ἑπτὰ — δυνάμεις δοξάζουσι τὸν Λόγον*] Alludit ad illud Psal. 18, 1. mox laudandum: *caeli enarrant gloriam Dei.* — *Εἰς διυλισμόν*] *Διυλισμὸς* proprie *percolatio, expurgatio,* a vet. et recentioribus Irenaei interpretibus transfertur ad *animi recreationem* seu *relevationem* post afflictiones. Sed genuinum loci istius sensum dabit Clemens Alexand. lib. I. Paedag. pag. 96. ubi de Gnosticis agens scribit: *οὐκ ἄτοπον δὲ καὶ τοῖς αὐτῶν ἐκείνων συγχρήσασθαι ῥήμασιν, οἳ διυλισμὸν μὲν τοῦ πνεύματος τὴν μνήμην τῶν κρειττόνων εἶναί φασι, διυλισμὸν δὲ νοοῦσι τὸν ἀπὸ τῆς ὑπομνήσεως τῶν ἀμεινόνων, τῶν χειρόνων χωρισμόν. Ἕπεται δὲ ἐξ ἀνάγκης τῷ ὑπομνησθέντι τῶν βελτιόνων ἡ μετάνοια ἢ ἐπὶ τοῖς ἥττοσιν* etc. *Neque vero absurdum fuerit illorum quoque ipsorum verbis uti, qui meliorum recordationem, percolationem esse dicunt spiritus. Percolationem autem intelligunt, quae ex meliorum fit recordatione, eorum quae peiora sunt separationem. Eum itaque qui meliora revocavit in memoriam, necessario sequitur poenitentia propter deteriora* etc. Anima igitur in doloribus et calamitatibus constituta, ut percoletur dicit Ω, in signum laudationis: quia per dolores monetur recordari illius animae, quae sursum est, et a deterioribus separari. Haecque poenitentis animae percolatio est. — *Iotae vir-* p.177.

tutem] Sic ex codd. Clarom et Merc. II. tollendae ambiguitatis caussa reposuimus. Nam in omnibus editt. *Iota virtutem.* — *Ἡ ἄνω ψυχή*] Demiurgus scilicet super caelos residens, animarum omnium *συγγενής*, vet ut cap. 5. dicitur, psychicorum sibi *ὁμοουσίων* (utpote et ipse animalis) auctor; qui et choïco homine formato, *in hunc insufflavit psychicum*, quique animas diligit. — *Ἐπιλύσεως*] *Ἀναλύσεως* legi volunt Billius et Petavius, quia vertit interpres *resolutione*. At quum eadem sit significatio vocis *ἐπιλύσεως*, hanc retineri nihil obstat.

p.178.

CAP. XV.

p.189. GALLASIUS: *Heri et ante*] *Χθὲς καὶ πρώην*, id est, heri et nudius tertius. De huius proverbii significatione et usu vide Chiliadas Erasmi. Ex hoc autem loco videmus usitatum Graecis fuisse, quum de rebus nuper actis et admodum recentibus loquerentur. Nuper autem acta intelligit Irenaeus, quorum auctores et inventores designari possunt. Quamvis ergo vetustissima sit litterarum inventio, quod ad homines attinet, tamen recentissima est, si aeternitatem ac res divinas spectemus. Ineptissimum ergo et absurdissimum est a rebus inter homines repertis, quarum tempus et auctor notari potest, tametsi dona a Deo profecta sint, quasi aeternae essent, testimonium adducere.

p.180. BILLIUS: *Σιγὴ quinque*] Atqui haec vox quatuor tantum litteris constat. Sed furiosus Marcus, ut in reliquis aliis, sic in subducendis numeris de veritate parum laborat. — *Haec avis*] Ne hîc quidem video quo pacto vox *περιστερὰ* (quae columbam significat) numero his litteris *α* et *ω* respondeat. — *Filiae instar*] *Ἐν θυγατρὸς τρόπῳ*, filiae in modum. Vetus interpr. legisse videtur *τόπῳ*, non *τρόπῳ*, sed male — *Octo et octoginta emergunt*] Delendum in graec. *καὶ ω* et pro *δεκαοκτὼ* reponendum *Ἰησοῦς* ex vet. interpr. Lin. seq. pro *Ἰησοῦ* legendum *Ἰησοῦς*, et delendum *ω*, et pro *ἔχει* substituendum *ἔχεις*. — *Supercaelestis*] *Ὑπερουράνιον* malo, ut est in graeco, quam *ὑπερουρανίου*, ut vetus interpr. Verum ibidem pro *η καὶ τοῦ σ* legendum ex vet. *τοῦ Ἰησοῦ*. — *Octogenarium*] In graeco corrupte legitur *τὸν Ἰησοῦν*. Vetus translatio habet LXXXVIII numerum, sed mendum hîc esse censeo. Neque enim ex octonario et denario inter se ductis hic numerus emergit. — *Iesum igitur*] In graec. haec inversa sunt. Nam pro *οὖν τὸν* legendum *τὸν οὖν*. — *Quum iam a principio*] Sensus rationem potius habui, quam verborum. Hîc enim nec graeca mihi satisfaciunt, nec vetus translatio. — *Marce idolorum architecte*] Haec metrica forma exprimuntur, etiam si pedum ratio non habeatur — *Apostaticae*] *Ἀποστατικὴς* lego cum vet., non *ἀποστολικῆς*. Ead. lin. pro *χορηγεῖς ὡς* lego cum vet. *χορηγεῖ σός*. Ibidem deleo hanc particulam *εἰ*, et lin. seq. *ἐγχειρήματα*, idque adstipulante vet. et pro *ἀντὶ Θεοῦ*, unico vocabulo repono *ἀντιθέου*.

p.181. FRONTO DUCAEUS: *Σιγὴ quinque*] Rationem numeri non constare vidit Billius, nisi huic voci dentur quinque litterae, et reperiri tamen in ea quatuor tantum, verum furiosum Marcum de veritate parum laborare; quod confirmari potest exemplo vocis *Χριστός*, in

qua litteras ait esse octo, neque enim, licet ϛ dividas in σ et τ, plures quam septem reperies: alii alia comminiscuntur. Cornarius apud Epiphanium scripsit *σειγὴ vero quinque;* sed an ex auctoritate manuscripti, an ex coniectura, non monuit. Tantum hoc addam ex Catechesi 6. *τῶν φωτίζομ.* Cyrilli Hierosolymit. *τέκνον γὰρ εἶναι τοῦ Βυθοῦ ἐλέγετο ἡ Σιωπή. Proles enim Profundi dicebatur Silentium.* Ita si diceretur ille *Σιγὴ* Aeon *Σιωπή*, quinque litteras haberet. Verum saepius ab eodem Cyrillo, Epiphanio et aliis Sige dicitur: quamobrem ad illud prius revolvamur necesse est, ut cum illo Terentiano monitore dicamus: *Quae res in se neque consilium, neque modum habet ullum, eam consilio regere non potes. Quid enim,* inquit Tertullianus, *recti habent, quae tum perverse proferuntur. — Quum hunc numerum habeat haec avis*] Quo pacto vox *περιστερά*, quae columbam significat, numero his litteris α et ω respondeat, se non videre, ait vir doctissimus: verum id ostendere perfacile est: π valet 80, ε 5, ϱ 100, ι 10, σ 200, τ 300, ε 5, ϱ 100, α 1, quae omnia collecta efficiunt unum et octingenta; et hunc numerum notae Graecorum designant α et ω, α enim unum, ω valet octingenta. Tertull. de Praescript. cap. 50. et hic noster cap. 10. *Quem manifestavit, quum ipse venisset ad baptismum, columbae descensio, quae est Ω et A. Numerus enim ipsius unum et Dccc. — Et Dccc. quod est Iesus*] Non assentior Billio delenti *καὶ Ω*, sed Feuardentio potius restituenti ex manuscripto *et Dccc.* Nam quod tanto illi viro numeri ratio constare non visa sit, in caussa fuit auctoritas interpretis veteris, aut quod Graecorum notas nimis anxie noluerit excutere: sic enim eae summae possunt explicari: ι efficit decem, η octo, σ 200, ο 70, υ 400, σ 200, ergo collectae hae notae ι, η, σ, ο, υ, ϛ, reddunt 888. atque hoc est, quod postea dicit: *Iesus enim nomen secundum graecarum litterarum computum dat summam* DCCC. LXXXVIII. *Habes manifeste:* sic enim restituendum est e graeco: *τὸ γὰρ Ἰησοῦ ὄνομα κατὰ τὸν ἐν τοῖς γράμμασιν ἀριθμόν ἐστιν Ω ὀγδοήκοντα.* Testis laudari potest Sibylla Cumana lib. I. *Ὀκτὼ γὰρ μονάδας, τόσσας δεκάδας ἐπὶ τούτοις, Ἠδ' ἑκατοντάδας ὀκτώ, ἀπιστοκόροις ἀνθρώποις Οὔνομα δηλώσει. Namque octo monades, totidem decades super ista. Atque hecatontades octo infidis significabit Humanis nomen. — Quapropter et AB Graecorum*] Graec. *τὸν* vel *τὸ ἀλφάβητον, Quapropter et Alphabetum Graecorum habere monadas octo, et decadas octo, et hecatontadas octo,* DCCC. LXXXVIII. *numerum ostendentia* vel *ostendentes.* Ostendi vero haec singula sic possunt: Ab α usque ad ι sunt monades octo, nam senarii nota asciscitur *G*: ab ι usque ad ϱ sunt decades octo, nonam enim exprimit nota alia ϛ: a ϱ usque ad ω hecatontades octo, nonam haec postrema refert π), millenarium vero ,α subscripta virgula. — *A enim et B et Γ*] Graec. *μία γὰρ καὶ δύο καὶ τρεῖς, A* enim et *B* et *Γ* et *Δ* in semetipso composita *X* faciunt, vel remotis notis numerorum, unum enim et duo et tria et quatuor in semetipso, vel, in unum composita. — *Quae eum iota applicita*] Billius in graeco esse corrupte putat *τὸν Ἰησοῦν ἀπεκύησε,* in veteri vero translatione, LXXXVIII. *numerum generavit.* Porro ibi mendum esse censet, quod ex octonario et denario inter se ductis,

p.183.

p.185.

hic numerus non emergat. At postquam haec scripsit ille, restituit ex manuscripto legitimam lectionem Feuardentius: DCCC. LXXXVIII. *numerum generavit.* Sic igitur intelligendum est applicatam esse doadem cum iota sive decade, ut ante expositum est, primum enim adiunctam decadem dixit octonationi, et decuplam eam facientem LXXX. fecisse numerum, et rursus applicatam octuagies decies octingentorum numerum fecisse; nam decies octoginta sunt 800. ac tum demum repetitur ogdoas tertia, ut 888. efficiat. Sane id fuisse in caussa, ut hîc graece scriptum sit *τὸν Ἰησοῦν,* pro DCCC. LXXXVIII., quod litterae vocis Ἰησοῦς notae sint numeri illius. — *Υἱὸς enim nomen*] Litterarum est quatuor, si intelligamus impropriam diphthongum *υι* duas complecti *υ* et *ι* inde illa lectio manuscripti Irenaei ὗιος pro
p 189. *υἱός.* — *Et super universam*] In graeco dele *τὸ,* et lege *ὑπὲρ πᾶσαν*: et paullo post in latino interpr.: *et hoc Alphabeti litteris stigmatam nuper, sicut quod est ab initio, quod dici solet, heri et ante Graeci confitentur a Cadmo se primum sedecim accepisse;* videtur legisse: *ὥσπερ τὸ ἀπ' ἀρχῆς,* non *πρὸς τὸ ἀπ' ἀρχῆς,* hoc opinor sensu, quod heri et nudiustertius, vel admodum nuper actum est, perinde venditant, ac si ab orbe condito coepisset esse. Cornarius apud Epiphanium verterat: *ad hoc quod ab initio est heri ac nudiustertius, quod dici solet;* Gallasius sic immutavit: *ad id quod initio dictum est, Heri ac nudiustertius;* atque ita indicavit se illa, *τὸ δὴ λεγόμενον,* non intellexisse notam esse proverbii: ut ex his aliisque eiusmodi colligi possit, eam propriam illius esse laudem, ut quae non omnino
p.193. male a Cornario reddita erant, deteriora reddidisse videatur. — *Invectus est in te dicens*] Interpres vetus omisit adverbium *ἐμμέτρως,* quod Epiphanii interpres Cornarius ita reddiderat: *ac veritatis praeco concinnus acclamavit.* Gallasius eum secutus, edidit *κήρυξ τῆς ἀληθείας ἔμμετρος.* Nos antiquam lectionem restituimus, quam sequitur Billius; ideoque hîc scribi potest: *praeco veritatis versibus invectus est;* ut apud Platonem: *ἐπέρχεται δέ μοι ἐμμέτρως εἰπεῖν.* Et Plutarchus: *μὴ χρὰν ἔμμετρα τὴν Πυθίαν,* de oratione numeris adstricta: nam hos esse octo senarios iambicos non omnino malos, et excepto sexto, cui sextus pes deest; integros animadvertet, qui expendere volet, quorum primas voces notabo: 1 *Εἰδωλοποιέ,* 2 *Ἀστρολογικῆς,* 3 *Δι' ὧν κρατύνεις,* 4 *Σημεῖα,* 5 *Ἀποστατικῆς,* 6 *Ἅ σοι χορηγεῖ,* 7 *Δι' ἀγγελικῆς,* 8 *Ἔχων σε πρόδρομον.*

p.179. FEUARDENTIUS: *Sic autem*] Confingit Marcus Silentium sibi plurima narrasse de unitate, senario, quaternione, nomine Iesu Christi, Spiritu sancto et columba: quae omnia velut impia et idolatrica figmenta coarguuntur. Hunc locum ita citat Nicetas libro quarto Thesauri: *Prolixam fabulam eam, ut Irenaeus ait, Sigen seu Silentium*
p.181. *vocabat. Nomine sane, quod neutiquam fabulae conveniret.* — *Σιγὴ quinque*] Manifestus error Marci est, nisi aut litteram ultimam *η,* velut compositam ex duplici, pro duabus computet, aut articulum adiecerit *ἡ σιγή,* aut in quodam obliquo *σιγῆς,* aut *σιγήν,* aut denique, ut velle visus est interpres Epiphanii, *σειγὴ* scribendum censuerit. — *Eundem numerum*] Hae de nominis Iesu litteris deliratione refelluntur lib. II. c. 41. — *Inenarrabile autem eius*] Haec Marci figmenta sibi

non constant, quando vix interiecta linea, contra scribit illud ipsum nomen esse litterarum triginta. Quod autem sit nomen illud ineffabile, constans 24 aut 30 litteris, non satis intelligo: quando nec Ἰησοῦς nec Χριστὸς tot continent, nec ineffabilia censentur nomina. Nomen quidem Iehova, a quo fortasse iudicavit nomen Iesu deductum, prisci dixerunt esse ἀνεκφώνητον, id est, ineffabile; non quod effari non posset, sed quod magna reverentia ab eo effando abstinerent. — *Et Χριστὸς litterarum septem*] Hoc quidem verum: sed postea secum pugnans haereticus ait, esse litterarum octo, ex quibus prima octonatio significetur: adeo immemores sunt hi mendaciorum consarcinatores. — *Ut περιστερὰν manifestet*] Antiqua omnia exemplaria *per ista manifeste* habebant, mendum tamen facile indicat Tertull. in calce libri de Praescript. *Denique Iesum Christum, aiebant haeretici, descendisse, id est, columbam in Iesum venisse, quae graeco nomine quum περιστερὰ pronuntietur, habere secundum numerum* DCCCI. Accedit et Epiphanii graeca lectio: *Ἵνα τὴν περιστερὰν μηνύσῃ, ut peristeram, id est, columbam manifestet.* — *Heri et ante Graeci confitentur* p. 189. *ab aestimatione*] Quas firmas putabant demonstrationes ex litteris Graecorum, quasi aeternae fuissent, ineptas et futiles esse ostendit; quum heri et ante, id est, adeo recentem et temporaneam esse illarum inventionem ingenue profiteantur Graeci, quod earum auctores et inventores facile designent. Ceterum *a Cadmo primum*, non *ab aestimatione*, legendum, certissimum est. Hunc enim e Phoenicia in Graeciam primum sexdecim litteras attulisse ferunt (Iust. Mart. orat. para. Herod. lib. V.): *α, β, γ, δ, ε, ι, κ, λ, μ, ν, ο, π, ρ, σ, τ, υ,* idque paullo ante Xerxis tempora, evincit ex Antiquitatibus Iosephi Eusebius l. X. de Praepar. Evang. cap. 2. Simonidem lyricum poetam postea quatuor istas *ζ, η, ψ* et *ω* addidisse scribit Plinius lib. VIII. cap. 58. Palamedem vero tempore belli Troiani *ϑ, ξ, χ, φ,* quae supererant, invenisse. — *Ipse Daedalus fictor*] Recte comparat eum Senior cum p. 193. Daedalo Atheniensi fabro, qui quod sororis filium interemisset, iudicii metu fugit in Cretam, ubi Labyrinthum opus portentosissimum fabricasse dicitur: sic et hîc animorum proditor et perditor inextricabilium errorum labyrinthos exstruebat. — *Idolorum fabricator, Marce*] Non solius idololatriae interioris, qua somnia sua pro Dei vero verbo constituere satagebant, haereticos reos facit; sed etiam quod Dei naturam et proprietates impuris mendaciis immutarent, aliumque, immo et plures Deos alienos fingerent, frequenter convincit infra lib. I. c. 19. lib. II. c. 9. et 47. et lib. III. c. 40. Subscribit Tert. (lib. Praescr. cap. 40.) dicens: *haereses ab idololatria non distare, quum et auctoris et operis eiusdem sint, cuius et idololatria. Deum enim aut fingunt alium* etc. Idem (lib. adv. Praxeam): *Sicut nationes manibus, ita et haeretici verbis idola fabricantur, id est, alium Deum et alium Christum.* Sic Athanasius et Lucifer Calar. Arianorum haeresin idololatriam reputant; Cyrillus Nestorianam, Augustinus Manichaeam, Hieronymus denique in cap. 8. Ezech. in cap. 3. Danielis, in c. 2. Oseae, quaecunque a prophetis adversus idola dicuntur, ad haereses transferens, docet omnem haeresin spiritalem idololatriam esse. Qui et rursus scribit (in cap. 3. Amos.): *Haereticorum unusquisque fingit*

quod voluerit, et adorat figmentum suum, ut Marcion Deum otiosum, Valentinus αἰῶνας triginta, Basilides Deum Abraxas etc. Ita subscribit Aug. (Quaest. 29. in Iosue): *Quisquis talem cogitat Deum, qualis non est Deus, alienum et falsum Deum in corde suo portat.* De seipso vero, quum adhuc Manichaeorum haeresi detineretur, ait (lib. IV. Conf. cap. 7.): *Vanum phantasma et error meus, erat Deus*
p.195. *meus.* — *Azazel*] Nomen unius daemoniorum, qui elementis praesunt, operasque magis impendunt, ex Cabala Hebraeorum putat esse Agrippa (lib. II. de occulta philos.), et meridiei regem esse, *Amaymonque* alias vocari nugatur. Eundem quoque in exercitu Satanae latissime imperare scribit Reuchlinus lib. III. de arte Cabalistica.

p.178. GRABIUS: *Οὕτως οὖν*] Ut pravam hanc verborum Nicetae (v. annotationem Feuardentii ad h. l.) interpretationem corrigas, en graecum textum ex egregio et Nicetae aetatem fere aequante MS. codice biblioth. Bodleianae, Roe 22. *Μακρόν τινα πλασάμενος μῦθον, ἔφησε εἰρηκέναι τοῦτον τὴν Σιγήν, ἀπροσφυῶς τῷ ταύτης ὀνόματι καὶ*
p.180. *ἐπαγγέλματι.* — *Ἡ δὲ Σιγὴ πέντε*] Billius, Fronto Ducaeus et Feuardentius omnes hoc Marci effato offensi, obiiciunt, quod *σιγὴ* quatuor tantum habeat litteras. Sed Marcus sive ex istius aetatis more, sive ex proprio male sano ingenio scripsit *σειγή*, ut ex veteri versione colligitur, de qua vide infra; ut adeo istis, quas Fronto Ducaeus et Feuardentius fecere, ambagibus non sit opus. — *Τὸν δὲ ἄῤῥητον αὐτοῦ, γραμμάτων εἰκοσιτεσσάρων*] Per ineffabile *nominis Iesu* intelligo mysticam quandam illius explicationem sive periphrasin, quam Marcosii commenti sunt ad imitationem Hebraeorum, qui varias nominis tetragrammati יהוה excogitarunt interpretationes, de quibus vide Buxtorfii Lexicon hebraicum in voce יהוה. Quaenam fuerit autem mystica illa nominis Iesu expositio 24 litteris constans, ut et nominis Christi, quam 30 litterarum esse ait, vix quisquam dicere poterit. — *Υἱὸς Χριστός, γραμμάτων δώδεκα*] Loco quatuor horum verborum Billius reponi vult: *καὶ Χριστὸς γραμμάτων ἑπτά*, seductus vitiosa veteris versionis lectione: *et Christus litterarum* VII. Sed hanc aperte repugnare rationibus Marci, ideoque, illa repudiata, priorem lectionem retinendam esse, sole clarius elucescit, ex verbis mox sequentibus p. 73. (76.) *λέγεται δέ, φησί, καὶ υἱὸς Χριστὸς* etc. ubi latina cum graecis bene conveniunt. Si quaeras, unde ergo octo litterae in voce *Χριστός*? Neque enim, ut Fronto Duc. animadvertit, licet ς dividas in σ et τ, plures quam septem reperies. Respondeo, Marcum *Χρειστὸς* legisse, ut Petav. in not. ad Epiphan. pag. 72. coniicit, addens *Christum,* aliquando *Chrestum* appellatam legi. Sic *Σειγὴ*
p.182. eundem scripsisse pro *Σιγή*, modo vidimus. — *Ὑπερουράνιον*] Quia septem a Valentini asseclis statuebantur caeli, ex numero octonario septimum transcendente, supracaelestis nominis Iesu ortus ab haereticis istis colligebatur. Non itaque probanda animadversio Billii, *ὑπερ-*
p.184. *ουράνιον* in *ὑπερουράνου*, mutantis. — *Τούτου τοῦ ὀνόματος*] Subintellige *Christi,* cuius episemon dicit esse nomen *Iesu,* quia *positum est in assimilationem et figurationem eius,* ut sub finem §. sequentis docetur. — *Τῆς ἄνω δυνάμεως*] *Christum* sive *Salvatorem,* quem super Iesum descendisse fingebant, hîc intelligendum esse ex

§. seq. patet. Atqui quum illum *τελειότατον κάλλος, perfectissimum decorem,* statuerent haeretici supra pag. 14. lin. 22. ad eius imaginem hunc Iesum hominem factum esse commenti sunt. — *Ἐγενεσιούργησαν τὸν ἐπὶ γῆς φανέντα Ἰησοῦν*] Hic obiter moneo, latinam versionem Nicetae in Thesauro Orthodoxae Fidei pag. 266. edit. posterioris: *Virtutes praeterea, quae ab iis emanaverant, ab eo Iesu generatas esse, qui visus esset in terra,* corrigendam esse hoc modo: *Virtutes praeterea etc. generasse Iesum, qui visus esset in terra.* Atque hanc correctionem bene admittunt graeca MS. cod. 22. Roe in bibl. Bodlei. *ἀπὸ τούτων δὲ δυνάμεις ἀποῤῥυείσας γενεσιουργῆσαι τὸν ἐπὶ γῆς φανέντα Ἰησοῦν. — Κατελθεῖν εἰς αὐτὸν ὡς περιστερὰν τὸν ἀναδραμόντα ἄνω*] Subintellige Servatorem sive Christum ex omnium Aeonum collatione compositum, de quo modo citata pagina, mox haec habentur: *Καὶ εἰς τοῦτον ἐπὶ τοῦ βαπτίσματος κατελθεῖν ἐκεῖνον τὸν ἀπὸ τοῦ πληρώματος ἐκ πάντων σωτῆρα ἐν εἴδει περιστερᾶς. Et in hunc in baptismate descendisse illum, qui esset de Pleromate ex omnibus Salvatorem in figura columbae. — Σπέρμα φησὶν εἶναι τοῦ Πατρός*] Marcus Virtutem in Iesum sub specie columbae descendentem *semen Patris* dixit; alii Valentini sectatores *spiritum Enthymeseos Patris* appellarunt, teste Clemente in Excerptis ex Didascalia Valentinianorum, pag. 792. col. 1. *Καὶ ἡ περιστερὰ δὲ σῶμα ὤφθη· ἣν οἱ μὲν τὸ ἅγιον πνεῦμά φασιν· οἱ δὲ ἀπὸ Βασιλείδου, τὸν διάκονον· οἱ δὲ ἀπὸ Οὐαλεντίνου, τὸ πνεῦμα τῆς ἐνθυμήσεως τοῦ Πατρός, τὴν κατέλευσιν πεποιημένον ἐπὶ τὴν τοῦ Λόγου σάρκα. Et columbae corporalis species apparuit: quam alii quidem Spiritum sanctum dicunt: Basilidiani vero ministrum: Valentini autem sectatores Spiritum intentionis Patris descendentem super carnem Verbi.* Conferatur auctor noster lib. III. cap. 17. — *Ἔχον ἐν ἑαυτῷ καὶ τὸν Πατέρα – καὶ τοὺς ἅπαντας Αἰῶνας*] Nam ex omni Pleromate compositum fingebant Iesum, ut modo dictum est. — *Ὁμολογῆσαν ἑαυτὸν υἱὸν ἀνθρώπου* etc.] Christus qui in Iesum descendit, se filium Hominis professus est, quia ab Anthropo Aeone et dodecade Aeonum Anthropo oriunda ortum ceperat et ipse. Confer supra pag. 55. lib. XX. — *Ἐγνώρισε δὲ τὸν Πατέρα Χριστόν*] Haud parum difficilis est hic locus, quoniam nulla datur ratio, ob quam Christus in Iesum descendens, huius pater dictus sit. Ne igitur frustra te torqueas, non *Χριστὸν* lege, sed *Χριστός*. Neve hanc lectionem genuinam esse dubites, confer hunc textum cum loco exacte parallelo lib. III. c. 17. *Qui autem a Valentino sunt, Iesum quidem ipsum esse, qui per Mariam transiit, in quem illum de superiori Salvatorem descendisse — participasse autem cum eo, qui esset ex dispositione, de sua virtute et suo nomine, ut mors per hunc evacuaretur, cognosceretur autem Pater per eum Salvatorem, qui quidem desuper descendisset. — Τοῦ ἐκ τῆς οἰκονομίας ἀνθρώπου*] p. 188. Ita nominat ad distinctionem alterius *ἀνθρώπου*, quem mox dicit in ipsum descensurum, nempe Christum. — *Ἀνθρώπου*] Christum *Ἄνθρωπον* ideo nominasse videtur Marcus, quod filium *Ἀνθρώπου* esse statueret. — *Τὸν χωρήσαντα αὐτόν. ἐσχηκέναι δέ* etc.] *Τὸν* in *ὃν* mutari, ac *δὲ* deleri auctoritate veteris versionis vult Billius. Sed puncto distinctionis solum deleto, haec verba, citra ullam mutationem,

interpretis sensui respondent. — *Ἐσχηκέναι*] Subintelligo Iesum, qui Servatorem suscepit, non hunc susceptum. — *Οὐκ ἦν ἀλήθεια*] Haec, vel absolute tanquam absurdum ex figmentis Marci illatum, vel interrogative accipi possunt: unde in latino signum interrogationis in
p.192. omnibus editt. expressum est. — *Ἐμμέτρως*] Iniurius in Coloniensem Irenaei editionem, a Feuardentio curatam, fuit Scaliger in Euseb. pag. 219. dum ibi *ἔμμετρος* legi animadvertit pro *ἐμμέτρως*, et interpretes taxat, quod *ἔμμετρος κήρυξ* eis fuerit *praeco;* quum tamen in illa editione expresse esset *ἐμμέτρως*, ac in latina Billii versione
p.194. legatur: *Veritatis praeco versibus ita in te exclamavit. — Ἐγχειρήματα Ἀζαζήλ*] *Ἐγχειρήματα* dele et nomen *Ἀζαζὴλ* accipe de malo angelo, cuius mentio fit in paraphrasi Chaldaica, Ionathani vulgo adscripta ad Genes. VI, 5. (quamvis ibi corrupte *Uziel* dicatur) nec non apud R. Salomonem Iarchium ad Num. XIII, 34. his verbis latine versis: *Nephilim sive gigantes sunt Anakim ex filiis Schamchazai et Azaël, qui ceciderunt in diebus saeculi Enoch.* Atqui in libro Enochi pag. 348. nostri Spicilegii Patrum saeculi I. decimus ordine, inter XX angelos lapsos, numeratur *Ἀζαζὴλ* sive *Ἀζαὴλ* (nam utroque modo ibi legitur) et pag. 351. Deus ad sanctum angelum Raphaëlem ita locutus fertur: *Vade Raphaël et Azaëlem liga, καὶ δῆσον τὸν Ἀζαήλ, manus et pedes eius vinculis constringe, et in tenebras mitte; aperi desertum deserti Dudaël, et profectus illuc eum conice: et suppositis ei lapidibus acutis et asperis, induc super eum tenebras, quas in aeternum incolat.* Unde deserto, ac asperis montanis locis, nomen istud haesisse videtur, quod nempe Azazel ac mali angeli ibi ligati teneri crederentur. Ita intelligendus textus Levit. XVI, 8. seqq. ubi duorum hircorum alter Domino in sacrificium offerri iubetur, alter vero mitti לַעֲזָאזֵל הַמִּדְבָּרָה vel לַעֲזָאזֵל ut vers. 10. legitur, id est ad *aspera loca deserti.* Liber Sephre: *Ad Azaël, id est, ad locum difficillimum in montibus.* Et Aquila versu 26. hanc vocem graece redddit *ἔρημον.* Vide prater commentatores ad citatum locum, Moynii notas ad Barnabae epistolam pag. 648. seqq. ubi plura congessit, cum iudicio tamen legenda. — *Τὰ πολλῷ χρόνῳ κεκρυμμένα*] Ex his patet, Marcum aliquamdiu ante adultam Irenaei aetatem haereseos virus sparsisse. Nolim tamen omnino cum auctore libri de Haeresibus a Iacobo Sirmondo editi sub titulo *Praedestinati* Marcum ad Clementis Romani aevum referre, atque illum ab hoc damnatum asserere. De quo aliisque istius auctoris parachronismis vide nostrum Spicilegium Patrum et Haereticorum saeculi II. Tom. I. pag. 81 seq.

p.179. MASSUETUS: *Quae duplicatae*] Vertendum erat *quae quum ad*
p.180. *duo accesserint. — Ἡ δὲ Σιγὴ πέντε*] Ex vet. interpr. legendum hîc *Σειγή;* sive Marci aetate quidam ita scriberent, sive a male feriato hominis capite addita fuerit littera *ε*, ut quinque litteris constare posset vox. Id si attendissent Fronto Duc. et Feuard. in hoc aenigmate solvendo, quî *Σιγὴ* quinque litteris constare possit, non adeo laborassent. — *Τὸν δ' ἄῤῥητον αὐτοῦ*] Pro *τὸν* lege *τό.* Quid sit autem illud *Iesu,* quod 24 et mox *Christi* nomen, quod 30 litterarum esse ait Marcus, explicet qui possit; qui vero non possit, leve dispendium existimet. — *Υἱὸς Χριστὸς γραμμάτων δώδεκα*] Legit vetus

interpr. *υἱὸς καὶ Χριστὸς γραμμάτων δώδεκα.* At Billius omissa voce *υἱὸς* legendum vult *καὶ Χριστὸς γραμμάτων ἑπτά*, vitiosam veteris versionis lectionem *et Christus litterarum* VII. male secutus. Nam paullo post iterum scribitur: *λέγεται δέ, φησί, καὶ υἱὸς Χριστός, τουτέστιν ἡ δωδεκάς* etc., quae sat accurate reddidit interpres. At, inquis, qui vox *Χριστὸς* litterarum octo dici potest? Resp ondet Petavius Marcum, quemadmodum pro *σιγὴ* scripsit *σειγή*, sic pro *Χριστὸς* scripsisse *Χρειστός*. Quae doctissimi viri coniectura ex eo firmari potest, quod Graecos quosdam sic interdum scripsisse pateat ex Acrostichide relata in Oratione Constantini M. ad Sanctorum coetum, cap. 18. in qua legitur *Ἰησοῦς Χρειστός*. Forte etiam quum Marcus videret a Latinis litteram graecam χ in duas, *ch*, resolvi, eam veluti duplicem accepit; quum maxime aspirata sit densioremque sonum habeat. — *Τοῦτον ἔχοντος τὸν ἀριθμὸν τοῦ ὀρνέου*] Quo pacto vox *περιστερὰ* (quae *columbam* significat) numero his litteris *α* et *ω* respondeat, non videre se fatetur Billius. Sed id facile vidisset vir doctus, si singulas, quibus constat *περιστερά*, litteras, ut totidem notas numericas accepisset. Vid. supr. pag. 71. not. — *Υἱὸς* p.181. *et Χριστὸς litterarum* XII] Sic probe restituit Grabius ex codd. Voss. consentiente graeco. Consentit et Clarom. In aliis omnibus editt. omissa voce *υἱός*, perperam habetur *et Χριστὸς litterarum* VII. numero XII. in VII. mutato, quod facile fieri potuit. Ad marginem Eras. et Gall. scriptum est *a.* XII. sed id male refertur ad *triginta*, quod mox sequitur: huc enim spectat. — *Primae quaternationis*] Scribendum erat *prima quaternatione.* Sed genitivum pro genitivo reddidit incautus interpres, haud attendens *τῆς πρώτης τετράδος* regi per praepositionem *ἀπό*. — *In filiae locum*] Vertendum erat *in filiae modum.* Sed pro *τρόπῳ* male legisse videtur interpres *τόπῳ*. — *Ω ἐστὶν ὀγδοηκονταοκτώ*] Mallem cum Grabio *καὶ* post *ἔστιν* inseri. p.182. Sollicita eiusmodi numerorum investigatione delectati sunt non modo Marcosii, sed et e Catholicis quidam. Auctor carminum sub nomine Sibyllae Cumanae lib. I. *ὀκτὼ γὰρ μονάδας, τόσσας δεκάδας ἐπὶ τούτοις, Ἠδ' ἑκατοντάδας ὀκτώ, ἀπιστοκόροις ἀνθρώποις Οὔνομα δηλώσει. Namque octo monades, totidem decades super ista, atque hecatontades octo infidis significabit humanis nomen.* Et Beda in cap. 2. Lucae: *Cuius sacrosancti nominis (Iesu) non tantum etymologia, sed et ipse quem litteris comprehendit numerus, perpetuae nostrae salutis mysteria redolet. Sex quippe litteris apud Graecos scribitur Ἰησοῦς, videlicet ι et η et σ et ο et υ et σ, quarum numeri sunt* X *et* VIII *et* CC *et* LXX *et* CCCC *et* CC, *qui fiunt simul* DCCCLXXXVIII. *Qui profecto numerus, quia figurae resurrectionis adgaudeat, satis est supra tractatum.* His, puto, non adeo delectabitur, cui sapiet palatum. — *Ὑπερουράνιον*] Legit interpres *ὑπερουρανίον*. Sed malim *ὑπερουράνιον*. Porro Iesu *γένεσις* dicitur *ὑπερουράνιος*, quia in ipso Pleromate, caelis omnibus superiori, conspirantibus simul Aeonibus facta est. — *Τὸν ἐκ πάντων συνεστῶτα τῶν ἀριθμῶν*] Quia videlicet ex omnium Aeonum collatione conflatus erat. — *Πρόσβασιν*] Cur Billius et Grabius legi velint *πρόβασιν*, non video; quum et *πρόσβασις* aeque verti possit *progressio.* —

p.183. *Factum est* XVIII.] Sic omnino cod. Clarom. cum edit. Oxon. Consentiunt ex parte Voss. et Arund. Prior habet *est;* alter XVIII. ex quibus vitiosam lectionem *factum decimo octavo,* emendavit Grabius, apposita et distinctionis nota ante *decas,* ut ab hac voce nova periodus inciperet. Ceterum ex graeco pro XVIII. legendum esset *decas et ogdoas.* — *DCCC*] Sic codd. Clarom. et Pass. cum editt. Feuard. et Oxon. ac textu graeco. In editt. Erasm. et Gall. eodem recurrente errato *dat:* quod quidem mendum ex solo textu graeco, nullo suffragante MS. correxerunt Feuard. et Grabius. — *Primae quaternationis — compositae*] Ἑλληνίζει interpr. genitivos absolutos Graecorum latine reddit per genitivos; quod barbarum. Vertendum erat *prima*
p.185. *quaternatione composita.* — *DCCCLXXXVIII. numerum generavit*] Verba graeca (si genuina sunt) non reddidit interpres; quamvis a sensu non deflexerit. In graeco siquidem *τὸν Ἰησοῦν ἀπεκύησε, Iesum peperit.* Sed quum Ἰησοῦς sit 888. si nimirum litterae velut notae numerorum accipiantur; has sic accipiens interpres vertit DCCCLXXXVIII. — *Ducatore*] I. e. *duce.* Gloss. vet. *ducator, ἀγός, προηγούμενος; ducatores, ἀγοί, ἡγεμόνες.* Eadem voce utitur Tertull. adv. Iud. c. 31. Iterum occurrit apud auctorem nostrum lib. II. c. 18. n. 7. — *Dictum*] Vertendum est *electum esse;* hancque lectionem confirmant mox sequentia: *ὃν ὁ Πατὴρ τῶν ὅλων διελθόντα διὰ μήτρας ἐξελέξατο, quem Pater omnium transeuntem per vulvam elegit.* Sed pro ἐκλε-
p.186. *χθῆναι* male legit interpres *λεχθῆναι.* — *Τὸν ἀναδραμόντα ἄνω*] Salvatorem, quem in Iesum sub columbae specie descendisse clarius affirmant Valentiniani sup. cap. 7. — *Ἐν ᾧ ὑπάρχει* etc.] In Iesu nimirum, in quo *fuisse et illud quod est ab Achamoth semen spiritale,* cap. mox citato dicunt Valentiniani. Porro semen istud hîc dicitur *σπέρμα τούτων συσπαρέντων αὐτῷ,* id est, semen ab angelis Salvatori *coaetaneis et cum eo prolatis,* individuisque eius comitibus in Achamoth infusum. Haec ergo partim de Iesu, partim de Salvatore explicanda; quae nisi accurate distinguas, sensum non assequeris. — *Σπέρμα φησὶν εἶναι τοῦ Πατρός*] Non una erat Gnosticorum de columba in Iesum delapsa sententia. Alii enim, teste Clemente in Excerptis ex Didascalia Valentinianorum pag. 792. col. 1. *Spiritum sanctum* dicebant; Basilidiani *ministrum, τὸν διάκονον;* Valentini sectatores *τὸ πνεῦμα τῆς ἐνθυμήσεως τοῦ Πατρός, Spiritum intentionis Patris.* Marcus vero semen dicebat esse Patris, quia a Patre per Aeones omnes emissus erat Salvator. — *Ἐγνώρισε δὲ τὸν Πατέρα Χριστόν*] Legendum monet Grabius *Χριστός,* non *Χριστόν.* Hancque lectionem confirmat ex lib. III. cap. 16. n. 1. *Qui autem a Valentino sunt, Iesum quidem, qui sit ex dispositione* (dicunt), *ipsum esse qui per Mariam transierit, in quem illum de superiori Salvatorem descendisse, quem et Christum dici — participasse autem cum eo, qui esset ex dispositione, de sua virtute et suo nomine; ut mors per hunc evacuaretur, cognosceretur autem Pater per eum Salvatorem quidem, qui desuper descendisset.* At quum ex ipso eodem loco constet Gnosticorum quorundam fuisse hanc sententiam, *esse quidem filium Iesum, Patrem vero Christum et Christi Patrem Deum,* probabilius videtur eandem et Marci fuisse, ac proinde legendum *ἐγνώρισε δὲ τὸν*

Πατέρα Χριστόν, non *Χριστός.* — *Descendens quidem in Iesum,* p.187.
unitus est] Melius vertisset interpres: *quique descendens in Iesum, unitus est ei.* — *Τοῦ ἐκ τῆς οἰκονομίας ἀνθρώπου*] Ad distinctio- p.188.
nem superioris Anthropi, qui in Iesum per *nepotem* Christum descendit, dictum est. — *Τὸν χωρήσαντα αὐτόν, ἐσχηκέναι δέ* etc.] Pro *τὸν* legi *ὅν,* ac deleri *δέ,* auctoritate vet. interpretis vult Billius. Ego vero nova periodo ab his verbis coepta legendum censeo: *τὸν δὲ χωρήσαντα αὐτὸν ἐσχηκέναι αὐτόν* etc. Quod autem vetus interpres scripsit *quem,* nec particulam *δὲ* reddidit, ideo fecit quia duas periodos in unam commiscuit. Ceterum haec de *Iesu* intelligas, qui *Anthropon* in se suscepit. — *Ἀπὸ Κάδμου*] Lege sis Eusebium de Praepar. Evangel. lib. X. cap. 5. ac Marium Victorinum, et ex recentioribus Iosephum Scaligerum in Animadvers. citat. pag. 103 et seqq. ac Bochartum in Parte altera Geographiae, *Chanaan* inscripta, lib. I. cap. 20. — *Qui incipit in eum descendere*] Hellenismus est pro *qui* p.189.
descensurus in eum erat. — *Nuper, sicut quod est ab initio*] Sic malae interpunctionis vitio depravatum locum restituimus, periodum novam ab his vocibus incipientes. At male legens interpres *ὥσπερ τὸ ἀπ' ἀρχῆς,* vel quid simile, male et vertit: *sicut quod est ab initio;* quod nullum habet sensum. Scribendum erat: *si ad initium ratio habeatur.* — *A Cadmo se*] Sic ex graeco recte correxit Feuard. Nam in aliis legitur *ab aestimatione.* Quae prava lectio Scaligero et Bocharto locis supra cit. suspicionem iniecit, veterem interpretem pro *ἀπὸ Κάδμου* legisse *ἀπ' εἰκασμοῦ.* — *Ὁμοίως τῷ Ἀλφαβήτῳ* p.190.
αὐτὸν γεγονότα· πάντα] Billius legi vult: *ὁμοίως τῷ Ἀλφαβήτῳ, καὶ αὐτὸν γεγονότα πάντα;* Petavius, in marg. Epiphanii pag. 245. *ὁμοίως τῷ Ἀλφαβήτῳ γεγονότα. Καὶ αὐτὸν τὸν πάντα.* Ego leviori mutatione facta lubens legerem: *ὁμοίως τῷ Ἀλφαβήτῳ αὐτὸν γεγονότα· καὶ τὸν πάντα, quasi ipse Alphabeto similis factus esset: et eum qui omnia* etc. Interpres tamen legisse non videtur *γεγονότα.* — *Cadmos, et ii qui*] *Cadmos* nominativus casus est, iuxta Graecorum p.191.
morem in *os* desinens: idque scribas omnes fefellit, qui arbitrati accusativum esse, imprudenter scripserunt *et eos qui,* ut in MSS. omnibus legitur: quod erratum emendavit Feuardentius a Frontone monitus. — *Addiderunt*] In Erasm. Gall. et MSS. omnibus, post *addiderunt,* sequuntur tres voces: *temporis quam Palamedes* vel *Palamedis;* quas expunxit Feuard. a Frontone monitus. Desunt quidem in graeco hodierno. Sed mutilum esse suspicor, scripsisseque Irenaeum: *μεταγενέστερον δὲ τοῦ Παλαμήδου, καὶ τῶν τὰ λοιπά* etc., quod verterit interpres: *posterius autem temporis, quam Palamedes, et hi qui reliqua* etc. Id suadere videtur contextus. — *Verbosata*] Sic MSS. omnes, et Erasm. et Gall. excepto quod hi male divisa hac voce, scripserunt *verbo sata.* Eam vero Feuardentius non melius intelligens, quam Erasm. et Gallasius, propria auctoritate perperam commutavit in *verbosa.* Hunc secutus est Grabius. Atqui tamen *verbosari* pro *garrire,* verbum est non infrequens apud mediae Latinitatis auctores. Sic in Augustini sermonum Appendice, serm. 265. de Temp. *In ecclesia stantes, nolite verbosari.* Et Augustinus ipse lib. III. oper. imperf. contra Iul. n. 46. *Inaniter verbosaris.* Melius ergo graeca

haec *τοσαῦτα φλναροῦσαν*, reddidit interpres noster *tantum verbosata est*, quam Feuard. *tantum verbosa est.* — *Investigabilis*] Pro *ininvestigabilis*, vox interpreti nostro usitata. Eodem sensu Rom. 11, 33. *Investigabiles viae eius.* — *Simile*] Sic pro *similem* emendavit Feuard. consent. Clarom. et Pass. Sed dele verbum *esse*, quod se-
p.192. quitur, quodque sensum conturbat. — *Αὐτὸς Δαίδαλος ψευδής*] Utpote qui Daedalo similis, errorum labyrinthum construxerit, multiplici et intricata viarum perplexitate irremeabilem. — *Ἐμμέτρως*] In edit. Gall. male *ἔμμετρος* pro *ἐμμέτρως, metrice, carmine.* Hinc *ἐμμέτρως λέγειν*; et Plutarchi Dialogo titulus: *περὶ τοῦ μὴ χρᾶν ἐμμετρα τὴν Πυθίαν.* Recte vero scribit Irenaeus seniorem hunc, de quo loquitur, *ἐμμέτρως ἐπιβεβοηκέναι*, carmine invectum esse in Marcum. Sequuntur enim octo senarii iambici versus, non omnino mali, inquit Fronto; et excepto sexto, cui sextus pes deest, integri.
p.193. — *Praeco veritatis*] *Versibus*, ex graeco *ἐμμέτρως*, addidit Feuardentius a Frontone Duc. monitus. Sed quum ea vox in nullo prorsus occurrat MS. latino, nec in editt. Erasm. et Gall. neque admodum
p.194. necessaria sit, hanc expunxi. — *Ἀζαζήλ*] Angelus malus est, cuius mentio fit, ait Grabius, in paraphrasi Chaldaica Ionathani vulgo adscripta ad Genes. VI, 5. In libro Enochi decimus ordine inter XX angelos lapsos numeratur. De hoc plura somniarunt Rabbini. Lege sis Agrippam lib. II. de Occult. Philos. Reuchlinum lib. III. de Arte Cabalistica, et Moynii Notas ad Barnabae epistolam pag. 648 seqq.

CAP. XVI.

p.194. BILLIUS: *Ovis aberrationem et inventionem*] Graec. *τὴν πλάνην τοῦ προβάτου καὶ ἀνεύρεσιν.* Vide autem quam hîc foede hallucinatus sit Gallasius, hoc est, in loco omnium facillimo, maximeque perspicuo. Vertit enim *πλάνην impostura*, et *ἀνεύρεσιν commentum.* —
p.195. *Si a binario*] Duo enim et quatuor et sex et octo et decem, triginta efficiunt. — *Quod asseclam*] In graec. legendum cum vet. *διὰ τὸ τόν.* Lin. seq. graeca ita legenda sunt, delenda *διὰ τό, συνεπακολουθή-*
p.196. *σαντα αὐτῇ διὰ τὸν ἐπίσημον.* — *In ove undecim*] Falsa est haec supputatio, Nam si undecim legamus, ut habet Epiphanii codex, falsum erit quod hîc dicitur in ove superesse undecim, quum supersint 99. Rursus si legamus cum vet. interpr. undecies IX, haec profecto in novem ducta, non 99 sed 821 efficient. Malui tamen graec. hoc loco sequi, ut numeri ratio constet, ac quae sequuntur his respon-
p.197. deant. — *Demta senarii nota*] Pro *ὑφεξαιρουμένου* lege *ὑπεξαιρου-*
p.198. *μένος.* — *Ex tribus Virtutibus*] *Τριάκοντα*, id est, triginta habet Epiphanii codex: sed *τριῶν* malo cum vet. Intelligit enim meo iudicio ogdoadem, decadem et duodecadem. — *Sursum reliquit*] Pro *τοὺς ἄνω* leg. cum vet. *ἄνω τούς*, et ead. lin. *καταλλήλως.* — *In λόγου figura*] Deest *ἐν* apud Epiph. Nolui autem hîc repugnante non modo graeco codice, sed etiam veteri interprete quidquam immutare. Tantum admonebo lectorem pro *λόγου* legendum mihi videri *λ*. Neque
p.199. et 200. enim hic *λόγος* quidquam ad rem facit. — *Typum fugiant*] *Αὐτοὺς*
p.201. lego cum vet. quemadmodum et seq. lin. — *Non est salus*] Id est
p.202. salutatio, graec. *χαίρειν.* — *Ad suscipiendam fraudem*] *Ὑπέκκρουσιν*

(sic enim legendum, non *ὑπερέκκρουσιν*) ita verto, ut idem significet quod *παράκρουσιν*. — *Ignorantiae spiritum*] Ἀγνοίας lego cum vet. p.203. postulante ita sensu, non *ἀνοίας*, ut in Epiph.

FRONTO DUCAEUS: *Unum enim et duo*] Ut consentiant haec p.195 cum graecis et inter se, ita corrigenda sunt: *una enim et duae et tres et quatuor in unum compositae decem.* — *In ove vero undecies* p.197. IX.] Falsam esse supputationem ait vir doctiss. [Billius] Nam si legamus *undecim*, ut habet Epiphanii codex, falsum erit, quod hîc dicitur in ove superesse undecim, quum supersint 99. Existimavit quippe hîc alludi ad centenarium ovium numerum. Matth. 18, 12. ex quibus una perdita, supererant 99; sed advertendum est, Irenaeum initio capitis huius dixisse, quum circa duodecim numerum labes facta esset, ovem luxuriatam aberrasse, atque ita reliqua esse undecim, ut apud Epiphanium legimus: utique hîc legendum est: *In ove vero undecim perplexos sibimetipsis* XCVIIII *numerum generare: quoniam novies undecim* XCVIIII *fiant. Quapropter et Amen hunc habere dicunt numerum.* — *Ter idem factus*] Graeca dilucidiora sunt et uberiora, sed p.199. ita corrigenda, *τρὶς αὐτὸς γενόμενος τ. ἐ. ἐ. τρὶς γὰρ τριάκοντα, ter idem factus* XC *fecit. Ter enim triginta nonaginta sunt. Et ipsa autem.* — *Quoniam ab Alpha sine episemo*] Restitue: *quoniam ab Alpha sine episemo ipsarum litterarum numerus usque ad λ compositus secundum augmentum litterarum cum ipso λ,* XC *et* IX *facit numerum. Quoniam autem λ, quae est undecimo loco, ad similis sui descendit inquisitionem, ut* etc. — *Non est enim gaudere*] Locus est p.201. Isaiae 40, 22. apud LXX *οὐκ ἔστι χαίρειν, λέγει κύριος, τοῖς ἀσεβέσιν.* Quae cum nostro vertit August. de Civit. 14, 8. vulgata lat. *Non est pax impiis.* Atque ut Hebraei quum salutarent se invicem, dicebant שלום לך Pax tibi; sic et Graeci initio epistolarum scribebant *χαίρειν*: et dum se salutabant *χαῖρε*: ergo allusio in graecis apertior est: *ὁ λέγων αὐτοῖς χαίρειν. Qui dicit illis gaudere.* Et: *Non est gaudere impiis.* — *Ab Ogdoadis nequissimis spiritalibus*] Graeca so- p.203. nant: *ab Ogdoade nequissimorum spirituum.* — *Aut plus rident, et valere*] Interpres legisse videtur ἢ pro ἤ, *quanto plus rident, et valere se putant* etc., *tanto magis male habent.* — *Super tonum sagittantes*] Ὑπέρτονα τοξεύειν, numero multitudinis, ut in proverbio trito, *ἄσκοπα τοξεύειν.* Ὑπέρτονον autem non modo dicitur *νεῦρον*, chorda, quae intenditur, sed et quidvis grande, vehemens aut immodicum: ut apud Aristophanem, *βοάσομαι τὴν ὑπέρτονον βοάν.* Suidas: *μεγάλην, ὑψηλήν, ὑπερέχουσαν;* et Clemens Alexand. 2. Strom. *ὑπέρτονον ᾄδειν,* et 3. Strom. *ὑπέρτονον φθέγγεσθαι.* Porro videant docti, num paullo post legendum sit: *τὸ πνεῦμα τῆς ἀνοίας, Spiritus insipientiae;* ut sub finem capitis *τὴν ὀγδοάδα τῆς ἀνοίας,* etsi utrobique interpretes *ignorantiae* vertunt: dixit enim eos non sapere, quanto plus sapere putantur; et apostolus 2 Timoth. 3, 9. *Insipientia eorum manifesta erit;* denique auctor ipse cap. 1. *φυλάξασθαι τὸν βυθὸν τῆς ἀνοίας, observare se a fundo insensationis.*

FEUARDENTIUS: *Generationem*] Figmenta Marcosiorum de ove p.195. perdita, numero binario et senario, drachma perdita, littera episemo, lambdae figura et virtute, non tam irrisione, quam deploratione digna

p.197. sunt; auctoresque eorum cavendi. — *Cum Episemo*] Id est, cum nu-
p.201. mero senario. — *Sunt autem digni planctu*] Amentiam eorum pia miseratione deflendam existimat piissimus hic martyr, quod prophetarum et apostolorum scriptis tanta impudentia luxatis, ipsa quoque omnium per orbem ecclesiarum apostolica traditione, christianae fidei adoranda mysteria per Pythagoricos numeros et aniles Cabalistarum fabulas violenter distorquebant et gentibus irridenda exponebant. Itaque hoc gravissimi martyris dicto revocamur, ne prolixioribus scholiis in numeris illis supputandis, colligendis et explicandis oleum et operam perdamus. Qui profana sitiunt, habent, unde sitim expleant. Ego tantum praeter ea, quae ad veram theologiam spectant, editiones priores cum veteri codice fideliter conferendi partes suscepi. — *Non est gaudere impiis*] *Οὐκ ἔστι χαίρειν*, graecismus est et similibus singulis fere capitibus abundat, ut semper annotare immensum et taediosum fuerit. — *Exsufflantes et catathematizantes*] Alludit ad sacros illos ritus, quibus in baptismo adulti conversi ad occidentem manibus impingebant, et exspuendo exsufflabant et exsecrabantur daemonem: quod et non minus caute observabant, haereticorum blasphemas sententias postmodum aversantes. Porro, baptizandus antea edocebatur abrenunciare diabolo, ut pluribus in locis testatur Clemens Rom. (lib. I. Const. apost. c. 18. et lib. VII. c. 40. et 41.) et Christo se aggregare. In ipso autem baptismi articulo his profitebantur: *Abrenuncio Satanae et operibus eius, pompis, cultui, angelis et machinationibus eius et omnibus, quae sub ipso sunt.* His adhuc apertiora alius etiam apostolorum discipulus Dionysius Areopag. (lib. de Eccl. Hierar. c. 2.) habet: *Discinctum et ministrorum manibus exutum baptizandum, occidentem versus statuens episcopus, intendentem, manusque impingentem ad eandem regionem conversus, insufflare ἐμφυσῆσαι τῷ Σατανᾷ, et conspuere illum ter Satanam iubet, ac praeterea ter abrenunciationem profiteri.* Non solum enim immunda quaeque cum flatu exspuere consuevisse Christianos ex Tertulliano (lib. 2. ad uxor. lib. de Coron. mil.) constat, verum et aquam baptismi adituros prius sub antistitis manu contestatos esse, se diabolo renunciare et pompae et angelis eius: atque etiam quotidianis exorcismis eundem traduxisse, expulisse, revicisse et respuisse. Quum autem parvulos sacro fonte abluerent, qui aetatis imbecillitate exsufflare et exspuere non poterant, ecclesiae ministros et susceptores, illorum vice isthaec peregisse, ex Augustini scriptis apertum est: libro de Eccl. dog. capite trigesimo primo; libro de Nuptiis et Concup. capite decimo septimo, decimo octavo, vigesimo nono; et libro quinto Hypogno. Haec ex occasione scribere libuit in eos, qui christianos illos ritus
p.203. tantopere criminantur. — *Super tonum sagittantes*] Ostendit ridiculos plane et inanes esse Gnosticorum conatus, sumta metaphora a sagittariis, qui plus quam par sit, arcum extendere nituntur. Iis enim accidit, ut quo longius se iaculaturos putent, eo magis fallantur atque deridendos se praebeant, dum aut frangitur arcus, aut eorum vires enervantur. Putarim vero *ὑπέρτονα τοξεύειν, vehementius quam oporteat intendendo arcu eniti*, significare. Interpres vetus forsan legit non *ὑπέρτονα*, sed *ὑπέρτονον*, vel uno, vel duobus vocabulis,

eodem quidem sensu: nisi quod distincte vix reperias: sed magis placet *ὑπέρτονα*.

GRABIUS: *Διὰ τὸν ἐπίσημον συνεσχηκέναι, διὰ τὸ συνεπακο-* p.194.
λούθησασαν αὐτῇ τὸ ἐπίσημον] Billius haec ex veteri ita corrigenda putat: *διὰ τὸ τὸν ἐπίσημον ἐσχηκέναι συνακολουθήσαντα αὐτῇ, διὰ τὸν ἐπίσημον.* Assentitur Petavius in margine Epiphanii. Sed utrovis modo *ταυτολογίας* crimen vix effugit Irenaeus, nec satis clare, quomodo senarium contineat duodecas, explicat. Mallem itaque, leviori mutatione facta, legere: *διὰ τὸν ἐπίσημον συνεσχηκέναι, διά τε συνεπακολουθῆναι δὶς* (quod imperitus scriba forte per *β* expressit, et alius inde terminationem praecedentis verbi fecit *συνεπακολουθῆναι* in *συνεπακολουθήσασαν* mutans) *αὐτῇ τὸν ἐπίσημον, eo quod senarium numerum contineat, huncque duplicatum habeat asseclam.* — *Τὸ η σὺν μὲν τῷ ἐπισήμῳ ὀγδοάδα εἶναι*] Id est, litte- p.196.
ram *η* octavum locum in Alphabeto tenere, indeque octavum denotare numerum, si *ἐπίσημον βαῦ*, id est *ϛ*, litteris Alphabeti connumeretur. — *Ἀπὸ τοῦ πρώτου ὀγδόου κείμενον τόπου*] Ex veteri interprete patet, legendum esse: *ἀπὸ τοῦ α ὀγδόῳ κείμενον τόπῳ.* — *Ἐννέα*] p.198.
Ἐννενήκοντα ἐννέα legendum ductu veteris interpretis monuere Billius et Petavius. — *Τοὺς ἄνω ἕνδεκα, κατάλληλον λέγουσι*] Lego cum veteri *ἄνω τούς*, et eadem linea *καταλλήλως*. *Bill.* Sed horum parum interest; immo dubium, an non satius sit *τοὺς ἄνω* retinere, et graecis latina adaptare. — *Τὸν τῶν ἐννενηκονταεννέα ποιεῖται ἀριθμόν*] Hoc verum deprehendet quicunque computationem, demto numero episemo, id est, senario, instituerit; licet nugae istae indignae sint, quibus aliquis intendat aut immoretur. — *Ἐπιτήδειον εἰς* p.202.
ὑπερέκκρουσιν] *Ὑπέκκρουσιν* lege cum Billio; *ἐπιτηδείως* autem ex veteri interpretatione reponere non est necesse, dummodo *ἐπιτήδειον*, non tanquam neutrum cum *πνεῦμα*, sed ut femininum cum *γνώμην*, construas.

MASSUETUS: *Ab ea*] Melius *a se.* — *XII numerum*] Sic Cla- p.195.
rom. cod. melius quam editt. om. *duodecim numerum.* Si enim numerus ex integro scribatur, ponendum est *duodecimum numerum.* — *Ἐπὶ μὲν τῆς δραχμῆς ἐννέα*] Mulier enim Luc. 15, 8. dicitur habuisse *drachmas decem*, quarum una perdita, supersunt novem. — *Ἐπὶ* p.196.
δὲ τοῦ προβάτου τοὺς ἕνδεκα] Haec non de ipsis ovibus centum, de quibus in evangelio, sed de Aeonum duodecade, per oves significata, intelligenda sunt. Uno siquidem Aeone aberrante, per *ovem luxuriatam* figurato, supersunt undecim. — *Ἀπὸ τοῦ πρώτου ὀγδόου κείμενον τόπου*] Legi vult Grabius: *ἀπὸ τοῦ α ὀγδόῳ κείμενον τόπῳ.* Sed expungere vocem *πρώτου*, huicque substituere *α*, nihil necesse est. Legere sufficiat: *ἀπὸ τοῦ πρώτου* (*στοιχείου* scilicet) *ὀγδόῳ κείμενον τόπῳ.* — *Undecim*] Sic Feuardentius monitu Frontonis p.197.
Duc. et graeci textus auctoritate correxit. Nam in editt. Erasm. et Gall. ac MSS. omnibus legitur *undecies novem*, quod oscitantia scribarum ex sequenti commate huc perperam translatum est. — *Ab Alpha Beta*] Sic Clarom., ceteri omnes coniunctim *Alphabeta.* Sed melius omisisset interpres *Beta*; adhuc melius, si graeca secutus scripsisset *a prima littera.* — *Τοὺς ἄνω ἕνδεκα, κατάλληλον λέγουσι*] p.198.

Legit Billius cum vet. *ἄνω τοὺς ἕνδεκα, καταλλήλως λέγουσι.* Sed quum graecorum, prout nunc sunt, sanus sit sensus, haud immutanda vellem; mallemque latina graecis, quam graeca latinis aptari. — *Τῷ σχήματι τοῦ λόγου*] *Ἐν τῷ σχήματι* legi vult Billius, sed frustra, si vox *κατάλληλον* retineatur. At recte monet vir eruditus, loco *λόγου* substituendam esse litteram *λ*, in quam solam quadrant quaecunque hic dicuntur; nihil autem in *λόγου*. — *Κεῖται τὸ λ*] Legisse vide-
p.199. tur interpres *κεῖσθαι τὸ λ*. — *Fecit*] Arund. *facit*. Sed post hoc verbum adde ex graeco: *ter enim triginta nonaginta sunt;* quae male omisit interpres. — *Reliquit sursum XI, consequenter dicunt*] Graeca sic vertissem: *reliquit superiores undecim, consentaneum dicunt.* —
p.200. *Τύπον ἀριστερᾶς — εἰς τὴν δεξιὰν αὐτοῦ* (lege *αὐτοὺς* cum vet.) *χεῖρα μετέστησε*] His lucem afferunt quae Cassianus Collat. 24. c. 26. ait: *Centenarius numerus de sinistra transfertur in dexteram; et licet eandem in supputatione digitorum figuram tenere videatur, nimium tamen quantitatis magnitudine supercrescit.* Veteres siquidem utebantur manuum digitis ut numerarent; et laeva indicabant omnes numeros infra centenarium, digitis varie conformatis; dextera vero numeros supra centenarium. Hinc illud Iuvenalis de Nestore, Sat. X. *Atque suos iam dextra computat annos:* id est, vixit iam amplius centum annis. Et Sidonius Apollinaris lib. IX. epist. 9. ad Faustum, in fine: *Quandoquidem tuos annos iam dextera numeraverit:* i. e. iam centesimum annum attigisti vel superasti. — *Οὐκ ἔστι γὰρ χαίρειν*] Hunc Esaiae locum sic accipere videtur Irenaeus, quasi sensus esset, salutem impiis non esse dicendam. Alludit scilicet ad vulgatam illam Graecorum initio epistolarum formulam *χαίρειν*, et dum salutem sibi precabantur *χαῖρε*. At plerique aliter prophetae verba interpretantur, nimirum nulla pace animique tranquillitate frui impios, sed continuam
p.201. eos manere mentis agitationem. — *Pertransiens*] I. e. *legens, legendo percurrens.* — *Vi extortos*] Graeca sonant: *tam frigide et violenter.* — *Non est gaudere impiis*] Sic cum Irenaeo vertit et Augustinus lib. XIV. de Civit. Dei cap. 8. Vulgata vero nostra habet:
p.202. *non est pax impiis.* — *Digne*] Gr. *ὄντως, vere.* — *Πνεῦμα τῆς ἀγνοίας*] Sic quidem legit interpres. Sed malim cum Frontone Duc. pro *ἀγνοίας* legere *ἀνοίας, insipientiae.* Magis enim cohaerere videtur haec lectio cum antecedentibus et consequentibus. Mox dixit Irenaeus, Marcosios *quo magis sapere putantur, tanto magis non sapere.* Tum rationem afferens, statim subiungit: *ἐξελθὸν γὰρ τὸ ἀκάθαρτον πνεῦμα τῆς ἀνοίας* etc. Quasi diceret, ideo minus illos sapere, quia mentem eorum pervasit spiritus insipientiae. Quod paullo post confirmans subdit: *τὴν ὀγδοάδα τῆς ἀνοίας τῶν πονηρῶν πνευμάτων, pravorum insipientiae spirituum ogdoada* in eos immissam esse. — *Ἐπιτήδειον*] Adverbialiter accipio, sicque accepisse videtur interpres, nisi legerit *ἐπιτηδείως*. — *Ὑπερέκκρουσιν*] *Ὑπέκκρουσιν* legere malunt Billius et Petavius, et ita vertunt, ut idem significet quod *παράκρουσιν, fraudem.* Ego vero vocem *ὑπερέκκρουσιν* praeferrem, interpretarerque, *vehementem agitationem:* quae quidem significatio mihi videtur apprime convenire iis, qui a Daemone impulsi, *enervant semetipsos, dum arcu velut acrius intento sagittas emittentes,* nihil

non moliuntur, ut *possint quae sunt super Deum adinvenire.* — *Τῆς ἀνοίας*] Legendum cum interpr. volunt Billius et Petavius *τῆς ἀγνοίας,* sed frustra. — *Porro*] Ut Graecis *πόρρω,* sic et Latinis *porro* pro *procul* dicitur. Hac voce eo sensu utuntur Virgilius, Terentius et Livius. — *Ab ogdoadis nequissimis spiritibus*] Sic Clarom. *spiritibus* nimirum, iuxta graec. *πνευμάτων,* pro *spiritalibus,* ut habent editt. omnes. Sed vertere debuisset interpres: *ab ogdoade nequissimorum spirituum;* ut paullo post scribit: *ogdoadem ignorantiae nequissimorum spirituum.* — *Super tonum sagittantes*] Barbara versio, pro *dum arcu immodice contento iaculantur.* — *Infatuans illorum sententiam*] Melius Petavius: *inflatis vana persuasione eorum animis.* — *In exclusionem compositam*] Vertendum erat: *in excussionem componens.* — *Ignorantiae*] Scribe *insipientiae, ἀγνοίας* enim pro *ἀνοίας* hic, ut et paullo superius, male legit interpres. p.203.

CAP. XVII.

BILLIUS: *Deinde virtutes*] Pro *ἐξῆς* vetus legit *ἐξ ἧς.* Sed prior lectio mihi magis arridet, *ἐξῆς* enim respondet *τῷ πρῶτον.* — *Saturnus sublimiorem tenens locum*] Corruptus est locus hic apud Epiphanium *οὗπερ ὁ χρόνος.* Vetus habet: *quod superpositum est caelum,* quasi in graeco legerit *οὐρανός.* Legendum est autem *ὁ ὑπερών,* vel *ὑπερκείμενος Κρόνος.* De Saturno enim Irenaeum loqui perspicuum est. — *Peragrantem*] Pro *ἐμπεριεχομένην* legendum *ἐμπεριερχομένην.* Nam et vetus transtulit *circumeuntem.* — *Expressisse*] *Ἐκτυπῶσαι* legendum, non *ἐκτυποῦσι.* — *Illustris duodecadis*] *Οὐ φαεινῆς* legit vet. interpr. id est, invisibilis et occultae. — *Ac singularem*] Ante *δύναμιν, ἑκάστην* pono ex vet. Lin. seq. *κατὰ κάθετον* duobus verbis legi debet. p.201. p.205. p.206.

FRONTO DUCAEUS: *Corpora circumdata*] Scripsit fortasse *circulata* vel *circularia, σώματα κυκλοειδῆ,* orbiculari forma. — *Qui ad ipsam concavationem*] Paullo ante legisse videtur *ὁ ὑπερὼν οὐρανός,* dum vertit: *quod superpositum est caelum;* idcirco retulit ad vocem graecam: *qui ad ipsam* pro *quod ad ipsam concavitatem.* Billius legit ut apud Epiphanium; *qui superpositus est Saturnus, qui ad cavitatem ipsam gravat.* Cornarius autem vertit: *qui suo corpore gravat, et vicissim ponderat illorum velocitatem sua tarditate.* Certe *κύτος* Hesychio est etiam *σῶμα, ὄγκος,* corpus et moles. Itaque suspicabamur ita posse verti: *qui praeter ipsam molem adgravat, et ex contrarietate moderatur illor. veloc. sua tarditate;* quasi innuat, non modo suo pondere ac mole caelum retardare, cui incumbit, sed etiam ingenita sibi motus tarditate. — *A signo in signum*] Fortasse, a puncto ad punctum intelligit, nisi malis ad 12 signa referre, de quibus paullo ante. — *Circumeuntem et perficientem*] Legendum in graeco *περιεχομένην,* ut paullo ante de luna *ἐμπεριερχομένην*: nam et hic interpres *circumeuntem* vertit. p.205.

FEUARDENTIUS: *Volo autem*] Recitantur figmenta de quatuor elementorum origine, de zodiaco, sole, luna, caelorum rotatione, climatibus terrae atque mendacii origine, a mendacissimis Marcosiis invecta. — *Et ipsam conditionem*] Sic etiam Tertullianus latine scribens, creaturam et huius mundi creationem frequenter appellat, lib. p.203.

p.205. de Resur. carnis et de Corona militis. — *Diligenter imaginare*] Sic ἐξεικονίζειν reddidit, graecam dictionem nimia religione secutus, pro eo quod alius dixisset *imaginem exprimere.* — *Qui zodiacus*] Sic vocatur circulus intersecans aequatorem sphaerae a figuris animalium, quae in eo imaginantur, ut sunt aries, taurus, leo, cancer etc. — *Et e contrario superiunctum*] Apud Epiphanium haec paullo apertius
p.207. redduntur. — *Adhuc etiam et terram in XII climata*] Climata vocantur terrae partes secundum latitudinem ab austro septentrionem versus, per sensibilem maximorum dierum variationem differentes. Primi climatis, quod dicitur Diameroes, spatium dicunt esse 465 milliarium Italicorum; secundi Diasienes 420, tertii Dialexandrias 370, quarti Diarhodes 320, quinti Diaromis 270, sexti Diaboristenes 225, septimi Diariphaeos 185. Ulteriora climata per astrologos constituta non invenio.

p.204. GRABIUS: *Τριακοντώνυμον μητέρα αὐτῶν*] Pleroma XXX Aeonum hic intelligendum est. Neque enim triginta nomina Achamothae, quam alioqui *μητέρα αὐτῶν* vocare solet, usquam reperio, sed
p.206. septem solum cap. 1. §. 9. (cap. 5. n. 2.) lego. — *Ἐκ τριάκοντα μοιρῶν*] Quod horae XXX *μοίρας* tribuit, sic intelligi potest. Sol diebus singulis, hoc est, XII horis vel XXIV circulum describit, qui in XII partes tricenarius divisus, gradibus constat CCCLX. Quamobrem singulis horis aequinoctialibus XV gradus, duabus horis sive XII diei parte XXX gradus conficit. Grabius sec. Petavium.

p.203. MASSUETUS: *Conditionem*] Sic *κτίσιν,* quae latine loquentibus *creatio* est, seu *res creatae,* reddere amat barbarus interpres *condi-*
p.201. *tionem.* — *Ἀπὸ σημείου εἰς σημεῖον*] I. e. secundum duodecim Zodiaci signa: vel, ita ut ad idem Zodiaci punctum redeat, a quo discesserat. — *Τριακοντώνυμον μητέρα αὐτῶν*] Sophiam, puto, intelligit, Gnosticorum aviam, quia ex ea nata Achamoth. *Τριακοντώνυμος* vero dicitur, quia et nomine et ordine trigesima erat in Pleromate. Sicque accepisse videtur interpres vertens *trigesimam nominis.* Hanc revera Horos veluti vallo circumplectitur, ne iuvenili ardore iterum prorumpens, dispereat. — *Ἐμπεριεχομένην*] Leg. cum interpr. *ἐμπεριερχομένην,* vel, ut mavult Petavius *ἐκπεριερχομένην;* uti et paullo post *περιερχόμενον* pro *περιεχόμενον.* Utrobique enim vertit ille *circumeuntem.* — *Ἐκτυποῦν*] Sic Petavius. Reg. vero cod. et editt. Basil. Gall. et Feuard. *ἐκτυποῦσι,* pro quo Billius legi
p.205. volebat *ἐκτυπῶσαι.* Sed melior est Petavii lectio. — *Diligenter imaginare*] Pro *accurate exprimere.* — *Ex qua*] Perperam legens interpres *ἐξ ἧς* pro *ἐξῆς,* perperam et vertit *ex qua:* quasi decem illae virtutes ex ogdoade ortum ducerent; quod falsum. Lege ergo *deinde, tum.* — *Corpora*] Sic MSS. Clarom. Pass. Voss. et Arund. cum editt. Erasm. Gall. et Feuard. In Merc. II. codd. legitur *corporea:* quam quidem lectionem, quia graeco hodierno consentanea est, Grabio sequi placuit. Sed satius videtur graeca minus bona ex latinis sanis emendare, quam latina bona ex graecis corruptis depravare. — *Circumlata*] Ita MSS. Clarom. Arund. et Merc. II. cum edit. Oxon. Ceterae editt. perperam *circumdata. Circumlata* autem scribit interpres, pro *rotunda, orbicularis figurae.* Nam huius lib. cap. 25. *cir-*

cumlationem ponit pro *circulo:* quod lectionem nostram confirmat, legique *circulata* (ut suadet Fronto Duc.) haud necesse esse probat. — *Quasi per quandam umbram pinxisse*] Melius *adumbrare,* vel *imaginem exprimere,* dixisset interpres. — *Et e contrario superiunctum — quod superpositum est caelum* etc.] Admodum intricata versio, nec accurata. Graeca sic ego redderem: *Et quoniam, inquiunt, velocissimae universitatis conversioni* (non *oneri,* ut male vertit interpres) *desuper oppositus est ceteris orbibus sublimior Saturnus* (non *caelum,* ut male legens vertit noster), *qui propria mole gravans, illorum velocitatem tarditate sua moderatur, ita ut* etc. — *Circumcontinet*] Sic in editt. Erasm. et Gall. melius quam in Oxon. et codd. Clarom. Pass. Voss. et Merc. II. *circumtinet:* quia lib. II. cap. 2. ex codicum omnium tum editorum, tum MSS. consensu scribitur *circumcontinere* et *circumcontineri.* — *Apocatastasin*] I. e. *conversionem,* qua scili- p.207.
cet ad idem Zodiaci signum et punctum revolvitur, unde primum discesserat. — *Secundum demissionem*] Melius Billius et Petavius *κατὰ κάθετον* verterunt *ad perpendiculum.* — *Demiserit distillationem*] *Influxum* mallem, quam *distillationem.* — *Deformare*] Pro *exprimere.* — *Deposuisse*] Mallem *reposuisse.*

CAP. XVIII.

BILLIUS: *Detorquendo accommodant*] In graec. pro *μεταμορ-* p.208.
φάζουσι legendum *μεθαρμόζουσι.* — *In principio creavit Deus caelum et terram*] Haec verba in graeco desiderantur. — *Dispen-* p.212.
sationem quoque] *Οἰκονομίαν* legendum in graeco, non *οἶκον μίαν,* ut Gallasius, cuius hic quoque tanta non dicam oscitantia, sed vecordia exstitit, ut ne illud quidem animadverterit, *μίαν* cum substantivo masculini generis minime iungi. Praestitisset profecto quiescere, quam tam inconsiderate scribere. — *Per id quod Sara*] In graec. post p.213.
τὴν addo *κατὰ* ex vet. et pro *ὡς* lego *πῶς.* — *Hieroboam item*] Vel ex hoc uno loco, quam praecipitanter ac nullo cum iudicio in hac versione se gesserit Gallasius, liquido perspici potest; ubi, dum veterem interpretem consulere gravatur, eiusmodi errorem admisit, qui non dicam sacrae theologiae professori, qualem se esse vult, sed ne ei quidem, qui litteras sacras vel a limine salutarit, condonandus sit. Quae enim est haec metamorphosis, ut de Hieroboam Roboam faciat, quem certum est non decem, sed duas tantum tribus imperio suo ac ditioni subiectas habuisse? In graeco ergo pro *Ῥοβοὰμ* repone *Ἱεροβοάμ.* — *In speluncam*] Delendum in graeco *Ἰσραήλ.* Et cad lin. p.216.
pro *τοῦτο* legendum *τοῦ.*

FRONTO DUCAEUS: *Quaecunque transformantes coaptant*] Recte p.209.
correxit Billius *μεθαρμόζουσιν,* quo verbo saepius utitur alibi: ut cap. seq. *εἰρηκέναι μεθαρμόζουσι,* et c. 17. *εἰς τοῦτον χαρακτῆρα μεθαρμόζουσιν,* et c. 8. *καὶ μεθαρμόσοι, καὶ ποιήσει μορφὴν κυνός.* — *Postquam decadis*] In graeco emenda *μνημονεύοντα φῶς λέγειν* pro *σαφῶς λέγειν;* quod neque Cornarius vidit, qui vertit apud Epiphanium, *ac clare dicere;* neque Gallasius, qui, *dum aperte dicit,* neque ipse demum Billius, apud quem ita scribi potest: *Moxque decadis mentionem facientem lumen et diem et noctem* [in hac nova

editione emendatum est]. Sane haud aliter constare potest ratio: neque enim decimo erit loco lignum, si numerare incipias a die. Atqui Genesi 1, v. 3. post illa: *Et Spiritus Domini ferebatur super aquas;* sequitur: *dixitque Deus, Fiat lux.* Rursus apud vet. interpr. illud *decadis commemorantem, ἑλληνίζει,* pro mentionem facientem. Ita *μνησθήσονται* vertitur Psal. 21. apud Augustinum: *commemora-*
p.211. *buntur et convertentur ad Dominum,* pro recordabuntur. — *Quaternationem ipsorum*] Graeca exigunt: *ipsorum dicunt facta, τοιαῦτα γεγονέναι, talia esse facta.* Paullo post ita distingue in graeco: *πάλιν δεικνύεσθαι οὕτως. ἐν τῇ.* Quod sequitur de Ieroboam apud Epiphanii interpretem Cornarium etiam corrigendum est, qui nimirum auctor idoneus visus est Gallasio, a quo magnam partem in-
p.215. terpretationis mancipio acciperet. — *Et Samuelem declinantem*] 1 Reg. 9, 22.: *Assumens Samuel Saulem et puerum eius, introduxit eos in triclinium, et dedit eis locum in capite eorum, qui fuerant invitati, erant enim quasi triginta viri.* At in graeco LXX: *καὶ ἔθετο αὐτοῖς ἐκεῖ τόπον ἐν πρώτοις τῶν κεκλημένων ὡσεὶ ἑβδομήκοντα ἀνδρῶν, in primis vocatorum circiter LXXV virorum.* Hoc notandum est, hinc colligamus Irenaeum, vel haereticos illos aliam graecam editionem habuisse, in qua ex Hebraeo, ut in vulgata latina legebatur. Porro *declinare* potest etiam retineri bona cum venia Latinorum profanorum, apud quos et somnus declinat ocellos, et agmen duces declinat, etsi reclinantem aptius fuisset, ut Lucae 2, 7. *reclinavit, ἀνέκλινεν,* et 9, 4. *κατακλίνατε, facite discumbere.* Sic autem explendus est hic locus e graeco: *Collocantem Saulem inter triginta vocatos*
p.217. *primum, et per Davidem, qui triginta diebus* etc. — *Qui triginta diebus*] Explendus est locus ex graecis: *declinantem Saul, et per Davidem, qui triginta diebus abscondebatur.* Atqui David 1 Reg. 20, 5. dicit: *ut abscondar in agro usque ad vesperam diei tertiae,* et apud LXX *usque ad vesperam tantum, κρυβήσομαι ἐν τῷ πεδίῳ ἕως δείλης.* Ubi ergo 30 dies? Plane fugit hic ratio istos arithmeticos novos, nisi quem alium scripturae locum forte spectabant. At 2 Reg. 23, 13. *nec non et ante descenderant tres, qui erant principes inter triginta, et venerant ad David in speluncam Odollam.* LXX *καὶ κατέβησαν τρεῖς ἀπὸ τῶν τριάκοντα πρὸς Δαβίδ, εἰς τὸ σπήλαιον Ὀδολλάμ.* Atque ita fortasse legendum est apud Irenaeum, *τὸ σπήλαιον Ὀδολλάμ. Καὶ διὰ τοῦτο* pro *Ἰσραήλ;* sed in aliis exemplarib. LXX *τρεῖς ἀπὸ τριάκοντα ἄρχοντες* legimus, quae cum lat. vulgata conveniunt, ut omnia tres illos viros dicant, non 30 ut haeretici: etsi aliorum triginta septem meminit illud ipsum c. 2. Reg.

p.209. FEUARDENTIUS: *Perfectus enim nemo* etc.] Magisterii summum gradum et perfectionis suae apicem in aggerandis mendaciorum, et recentium nugarum plaustris constituisse, et erroribus priorib. peiores sic addere contendisse, ut de impietatis palma contendere viderentur, post Irenaeum his graviter affirmat Nazianzenus (Orat. 2. de pace): *Certi homines ascensiones in corde suo ponunt, non confessionis, sed abiurationis; nec theologiae, sed blasphemiae. Etenim de liberalitate ac munificentia in profundendis impietatis opibus, inter se certant, perinde atque non id metuant, ne impiis erroribus sese constringant:*

sed ne hac in re levius tolerabiliusque peccent, quam caeteri. — *Taber-* p.211.
naculi quoque] Qui frigidas Gnosticorum allegorias, ut decet, contempserit et horum rituum Mosaicorum, Christo, ecclesiae et sacramentis concinne accommodatas expositiones solidiores desideraverit, ex doctissimis Ruperti, Bedae et Rabani commentariis, Origenisque homiliis in Pentateuchum, Clementis Alex. Strom. 5. et Philonis Iudaei libris Allegoriarum, abunde illi satisfactum iri puto. — *Volunt eum* p.213.
sexto] Delevimus *dicunt eum septimo;* et mox, pro *septimo* reposuimus *sexto,* auct. vet. cod. et graecae lect. — *Sed et arcae*] Sic omnino legendum poscit et sensus, et graeca editio. — *Duodecim tintinna-* p.215.
bula] Horum tintinnabulorum pias quorundam patrum allegoricas explicationes, paucis perstringere, et Gnosticis deliriis opponere placuit. *Duodecim apostolos significabant,* ait Iustinus martyr (Dial. c. Tryph.), *pendentes a potentia Christi aeterni sacerdotis, per quorum vocem gloria ac gratia eius mundus repletus est.* Tertullianus (lib. 4. cont. Marc.) *Cur duodecim* apostolos elegit, et non alium quemlibet numerum? *Nae et ex hoc meum Christum interpretari possem, non tantum vocibus prophetarum, sed et argumentis rerum praedicatum. Huius enim numeri figuras apud creatorem deprehendo: duodecim fontes Elim; et duodecim gemmas in tunica sacerdotali Aaron: et duodecim lapides ab Iesu de Iordane electos, et in arcam testamenti conditos, totidem enim apostoli portendebantur* etc. Clemens. Alexand. (lib. 5. Strom.) *Trecenta autem sexaginta sex tintinnabula, quae pendent a veste talari, est tempus annuum: annus. inquam, Domini acceptus, praedicans et resonans maximum adventum Servatoris. Veste sacerdotali,* scribit Augustin. (Quaest. 119. in Oxod.), *utique significatur ecclesia: per haec autem tintinnabula, ut nota sit conversatio sacerdotis, sicut dicit apostolus, Teipsum praebe exemplum bonorum operum. Moysi praecipitur,* ait Gregorius (lib. 1 Reg. c. 24.), *ut tabernaculum sacerdos ingrediens tintinnabulis ambiatur, ut videlicet voces praedicationis habeat, ne superni spectatoris iudicium ex silentio offendat. Vestimentis autem tintinnabula inhaerent, ut vitae viam cum linguae sonitu ipsa quoque bona opera clament sacerdotis.* Beda (in 28. c. Exod.) *Si Iosephi verbis intendere voluerimus, quibus dicit in tunica pontificis mala septuaginta duo fuisse, et eiusdem numeri tintinnabula, congruit hoc figuris mysteriorum, ut sicut in humero pectore apostolicum ferre numerum iussus est: ita etiam discipulorum septuaginta duorum, qui et ipsi ad praedicandum missi sunt, circa pedes numerum adsignatum haberet.* — *Et per Samuelem*] Hic aliqua deesse in omnibus nostris exemplaribus latinis ostendit tum lectio graeca, tum Bibliorum contextus. Sic ergo legatur: *per Samuelem, qui primum discumbere fecit Saul inter triginta vocatos; et per David, qui triginta diebus abscondebatur in agro* etc. Itaque suspectum est vocabulum *declinantem,* a graeco *κατακλίνοντος,* quod revera de eo dicitur, qui convivas locis certis discumbere facit.

GRABIUS: *Μεταμορφάζουσιν*] Non placet, saltem non neces- p.208.
saria est emendatio Billii et Frontonis Ducaei, qui *μεθαρμόζουσι* legendum volunt; licet negari nequeat, Irenaeum hoc verbo alibi saepius usum esse. Si ex veteri interpretatione hic loci coniecturam

capere licet, scriptum fuit *μεταμορφάζοντες* sive, (ut Basileensis Epiphanii, indeque, cunctae Irenaei editt. habent *μεταμορφόζοντες*) *με-*
p.214. *θαρμόζουσι.* — *Καὶ οἱ στύλοι οἱ δεκαπήχεις*] Diu multumque quaesivi in s. litteris columnas decem cubitorum, donec tandem in editione Francofurtensi 1597. LXX interpretem Exod. 36, 17 seq. inveni haec scripta: *Καὶ ἐποίησε στύλους τῆς σκηνῆς ἐκ ξύλων ἀσήπτων· δέκα πήχεων τὸν στύλον τὸν ἕνα.* In Romana autem Flaminii Nobilii et Waltoni editione haec minime exstant. Totum enim 36 et seqq. capita in codice Romano et Alexandrino immane quantum differunt. — *Τοὺς δώδεκα κώδωνας*] In s. Scripturis Exod. 28 nihil de numero istorum tintinnabulorum legitur. Duodecim autem fuisse per traditionem acceperunt non modo Marcosii haeretici, sed et Catholici quidam, veluti Iustinus martyr, qui in Dial. cum Tryphone Iudaeo pag. 260. ait: *δώδεκα κώδωνας ἐξῆφθαι τοῦ ποδήρους τοῦ ἀρχιερέως παραδεδόσθαι, traditum esse, quod duodecim tintinnabula stolae summi sacerdotis annexa fuerint.* Quae ipse typos facit XII apostolorum, qui Iesu Christo, novi Testamenti pontifici, adhaeserunt. Alii vero 72, alii alium tintinnabulorum istorum numerum tradiderunt, de quibus lege egregium Braunii tractatum de Vestitu sacerdotum Hebraeorum, lib. II. cap. 5. §. 23. Neque enim libet cum Feuardentio hîc digredi.

p.208. MASSUETUS: *Μεταμορφάζουσι*] Sic cod. Reg. Petav. et Grab. Alii omnes editi *μεταμορφόζουσι;* nullus vero *μεταμορφόζοντες,* ut haud satis attentus asserit Grabius. Commutare vero *μεταμορφάζουσι* in *μεταμορφόζουσι* haud necesse videtur. Si quid immutandum esset, legendum foret, uti legisse videtur interpr. *μεταμορφάζοντες μεθαρμόζουσι.* — *Φῶς λέγειν*] In Basil. Epiphan. edit. indeque in Gall. et Feuard. *σαφῶς λέγειν.* Et hinc Billii et Gallasii in vertendo hallucinatio. — *Παρ' αὐτῷ*] Legit interpres *παρ' αὐτοῖς;* sicque scripsisse Irenaeum existimat Grabius; sed, meo quidem iudicio, minus
p.209. bene. Hîc enim non de Marcosiis, sed de Mose sermo est. — *Decadis commemorantem*] Graecismus est, pro *decada commemorantem* vel melius *decadis mentionem facientem.* — *Formatam*] Pro *adum-*
p.210. *bratam.* — *Στοιχείοις*] Legendum censent Billius et Petavius *στοίχοις.* Legi malim ego *στίχοις;* sic enim in Exodo scribitur non se-
p.211. mel. — *Fieri*] Graec. *γεγονέναι, factum esse.* — *Atria*] Lubentius
p.212. legerem *aulaea,* vel, ut habet Vulgata nostra *cortinas.* — *Ῥοβοάμ*] Ex 3 Reg. 11. liquet legendum esse *Ἱεροβοάμ,* non *Ῥοβοάμ.* Hic iterum a Billio vapulat merito Gallasius, qui hunc Scripturae locum, vel veterem Irenaei interpretem considerare gravatus, *Roboam* pro *Hie-*
p.213. *roboam* in versione sua imprudenter omnino scripsit. — *Et arcae autem*] Grabium hîc sequimur. *Et* loco *Seth* in Erasm. et Gall. vel *Geth,* ut in Clarom. Pass. Arund. et Merc. II. legitur, a Feuard. auctoritate graeci textus positum retinemus. *Autem* vero post *arcae,* expuncto praecedente *sed,* addimus, quia omnes MSS. ita habent. — *Et dispositionem autem*] Sic ex graeco emendavi, pro *et dispositio,* quod in textum intrusit in omnibus codd. tum editt. tum MSS. aperta scribarum oscitantia: sicuti paullo superius, pro *arcae dispositionem,* imperiti amanuenses scripsere in codd. Clarom. et Pass. *arcae dispositio.*

— *Καὶ οἱ στύλοι οἱ δεκαπήχεις*] Diu multumque quaesivisse se in sacris litteris dicit Grabius columnas decem cubitorum, donec tandem in editione Francofurtensi an. 1597. LXX Interpretum Exod. 36, 17. seq. invenit haec scripta: *Καὶ ἐποίησε στύλους τῆς σκηνῆς ἐκ ξύλων ἀσήπτων. Δέκα πήχεων τὸν στύλον τὸν ἕνα* etc. Sed rara sit in Anglia oportet, alibi terrarum notissima, Bibliorum edit. Antverpiensis apud Plantinum an. 1569. (ut alias omittam) et apud Anglos ipsos concinnata Cantabrigiensis an. 1665. Utramque si consuluisset vir clarissimus, occurrisset in priori Exod. 36, 20. 21. is ipse locus, quem citat. In utraque vero, Exod. 26, 15. 16. 17. *Καὶ ποιήσεις στύλους τῆς σκηνῆς ἐκ ξύλων ἀσήπτων. Δέκα πήχεων ποιήσεις τὸν στύλον τὸν ἕνα .... οὕτω ποιήσεις πᾶσι τοῖς στύλοις τῆς σκηνῆς.* Verum est autem quod addit vir eruditus, verba quae ex Exod. 36. laudat, in Romana Flaminii Nobilii, et Waltoni editione minime exstare. Totum enim 36 et seq. capita in codice Romano, et Alexandrino, ait, immane quantum differunt. — *Τοὺς δώδεκα κώδωνας*] Nihil de tintinnabulorum numero legitur in Scripturis. Scribit Iustinus martyr in Dialogo cum Tryph. p. 260. *traditum esse quod duodecim fuerint.* Quam quidem traditionem secuti sunt Marcosii. Sed alii 72, alii alium tintinnabulorum istorum numerum tradunt. Lege sis Braunii tractatum de Vestitu Sacerdotum Hebraeorum lib. II. — *Ἐν τοῖς τριάκοντα κλητοῖς*] Hunc convivarum numerum exhibent quidem textus Hebraeus et Vulgata nostra 1 Reg. 9, 22. At in LXX leguntur *circiter septuaginta viri* a Samuele invitati. Hincque merito colligit Fronto Duc. Irenaeum, vel haereticos illos aliam graecam editionem habuisse, in qua ex hebraeo, ut in Vulgata latina, legebatur. — *Decem atria*] Graec. *δέκα αὐλαῖαι,* quod vertendum erat cum Vulgata: *decem cortinae,* non *decem atria.* — *Et duodecim*] *Ut* pro *et* scripsit Feuard. ex solius graeci textus auctoritate. Omnes siquidem MSS. cum editt. Erasm. et Gall. habent *et.* Quam quidem lectionem immutare haud necesse, modo ab hac particula nova periodus incipiatur. — *Logion*] Vulgatus Bibliorum interpres vertit *Rationale.* — *Varium*] Pro *opere vario contextum.* — *Unitatem*] Melius *unionem* vel *coniunctionem.* — *Declinantem*] Scribendum saltem erat *reclinantem;* melius *discumbere facientem.* Neque enim *declino,* quidquid Fronto Duc. dicat, uspiam apud auctores latinos, quod sciam, legitur pro *accumbere facio:* et quae profert exempla vir doctus *somnus declinat ocellos,* et *agmen duces declinant,* id minime probant. — *Saul, qui*] Clarom. Pass. Ottobon. et Arund. *Saul, in;* adeo ut, scite observat Grabius, interpretem *in triginta vocatis* scripsisse, et scribam ob recurrentem vocem *triginta* quaedam omisisse plane pateat. Haec ergo tu ex graeco ita suppleas: *Saul in triginta vocatis primum, et per Davidem, qui* etc. — *Inveniuntur*] Graec. *inveniunt.* — *Ostendunt asseverationes*] Vertendum erat *ostendere acerrime contendunt.* p. 214. p. 215.

CAP. XIX.

FRONTO DUCAEUS: *Ostenditur procedente*] Graec. *δειχθήσεται, ostendetur.* Locus Danielis sic habet in edit. nova Romana: *δεῦρο Δανιήλ, ὅτι ἐμπεφραγμένοι καὶ ἐσφραγισμένοι οἱ λόγοι, ἕως κ. τ.* p. 219.

ἐκλεγ. καὶ ἐκλευκανθῶσι etc., non diversa ab iis quae lat. Vulgata Danielis duodecimo, v. 9. et 10. *Vade Daniel, quia clausi sunt signatique sermones.* At non legimus, ut citant haeretici *καὶ οἱ λευκοὶ λευκανθῶσι.* Nonnihil diversa sunt a prophetae autographo, quae citat ex hoc loco Cyprianus contra Iudaeos, quae tamen conveniunt cum iis, quae apud hunc ipsum Irenaeum lib. IV. c. 43.

p.217. FEUARDENTIUS: *Dominum nostrum*] Ita legendum proponimus ex vet. cod. et graeca lect. Prius erat *Dominum non alterum* etc. — *Et fabricatorem quidem*] Duplici ratione mendacii illos arguit, una, quod creatorem mundi alium a summo et invisibili Deo facerent; altera, quod illum in essentia visum esse a prophetis, idque oculis ipsis carnalibus, putarent. Ac rectius docet Augustinus (lib. II. de Trinit. c. 15. et 16., et lib. III. c. 10.), omnes visiones Mosi, et aliis prophetis factas, per subiectam creaturam exhibitas fuisse ad significandum Deum invisibilem; nec Mosem ipsum aperte unquam Deum vidisse. Variis autem modis creaturam assumi ad Deum nostris sensibus significandum, argute idem postea persequitur. Aliquando videlicet in angelo; aliquando in specie per angelum disposita; aliquando vero et ipsi prophetae verbis et factis personam Dei significarunt. Idipsum quoque multis Scripturae sententiis, et Ambrosii, Hieronymi, Athanasii et Nazianzeni testimoniis confirmat amplissime Epist. III. —

p.219. *Recurre Daniel*] Hunc Danielis locum ita legit Cyprianus (lib. I. cont. Iud. c. 4.): *Muni sermones et signa librum usque ad tempus consummationis, quoad addiscant multi et impleatur agnitio, quoniam quum fiet dispersio, cognoscent omnia haec.* Non autem de Deo aliquo ignoto, ut hi perperam putant: sed de caecitate Iudaeorum, qui Scripturas sanctas intellecturi non essent, donec Christus in novissimis temporibus venisset, qui discipulis verbo et opere explicaret, recte interpretatur.

p.216. GRABIUS: *Ὁ λαός με οὐ συνῆκε*] Ita LXX interpretes, teste Hieronymo ad cap. 1. Esaiae: *Soli* LXX *transtulerunt: Israel autem me non cognovit, et populus me non intellexit.* Atque ita hunc locum allegarunt tam haeretici, quam Catholici; s. Basilius, Cyrillus, Theodoretus in Commentariis suis, hisque antiquior Iustinus martyr Apol. II. (I.) pag. 95. C. Unde et in priori huius Apologiae parte 77. A. legendum videtur *ὁ λαός με οὐ συνῆκεν,* non *μου,* ut est in editis exemplaribus.

p.216. MASSUETUS: *Ὁ λαός με οὐ συνῆκε*] Sic quidem *soli* LXX *transtulerunt,* Hieronymo teste ad cap. 1. Esai. et ita legerunt e Patribus graecis non pauci. Vulgata vero nostra: *Populus meus non*

p.217. *intellexit.* — *Visum dicunt*] Ex graeco lege: *visum, mendacia texen-*

p.218. *tes dicunt.* — *Ἀπότρεχε Δανιήλ* etc.] Locus ab haereticis depravatus. Apud LXX siquidem legitur in codicibus nostris: *Δεῦρο Δανιήλ, ὅτι ἐμπεφραγμένοι καὶ ἐσφραγισμένοι οἱ λόγοι, ἕως καιροῦ πέρας ἐκλεγῶσι καὶ ἐκλευκανθῶσι* etc. Et in Vulgata nostra: *Vade Daniel, quia clausi sunt signatique sermones usque ad praefinitum tempus. Eligentur et dealbabuntur* etc. Paullo aliter Irenaeus lib. IV. c. 26. et Cyprianus lib. I. cont. Iud. c. 4. legunt: *Muni sermones et signa librum usque ad tempus consummationis, quoad addiscant multi et*

impleatur agnitio, quoniam quum fiet dispersio, cognoscent omnia haec. Sed nullibi legimus: ἕως οἱ συνιέντες συνιῶσι καὶ οἱ λευκοὶ λευκανθῶσι.

CAP. XX.

BILLIUS: *Puerili aetate esset*] In graeco pro τὰ διὰ legendum cum vet. παιδὸς ὄντος καὶ τὰ γράμματα μανθάνοντος, καὶ τοῦ διδασκάλου κτλ. — *Per id praeterea quod*] Pro διὰ τὸ vet. legit διὰ τοῦτο; sed male, ut sensus ostendit. — *Dicere recusavit*] In graec. ante εἰπεῖν ponendum μὴ vel οὐκ. — *Abscondita sunt a te*] Addo ἀπὸ in graec. — *Se eos edocturum*] Corruptus est hic locus apud Epiph. ita restituendus ex vet. interpr. ὑπέσχετο διδάξειν. Ἀπόδειξιν δὲ τῆν ἀνωτάτω etc. — *Abscondisti haec*] Addo ταῦτα in graec. p.219. p.221. p.222.

FRONTO DUCAEUS: *Apocryphorum et perperum*] Ἀποκρύφων καὶ νόθων γραφῶν, melius forte: *apocrypharum et perperarum scripturarum.* — *Et propter hoc non respondisse*] Interpres fortasse legit διὰ τό; sed Hellenismum exprimere voluit, sic enim solet articulos reddere. — *Per eum sermonem qui est*] Nimis incommode ῥῆμα vertit sermonem, quod grammatici verbum: sic ergo planius erit, per verbum abscondita sunt, apocryphon Bythi manifestasse: hoc est, dum usus est verbo ἐκρύβη, designasse occultationem sive obscuritatem Bythi. — *Confiteor tibi Pater*] Quum id suadeat vetus interpres, legendum est, ut Lucae 10, 21. ἐξομολογοῦμαί σοι in graeco: tametsi videri potest auctor immutare nonnunquam verba Scripturae, ut quum οὐρανῶν pro οὐρανοῦ dicit, nisi et hoc vitium librarii est. Illud quidem certe in initio capitis sequentis a librario est: διὰ τὸ ἓν ἕκαστον, nam ἕνα ἕκαστον non putavit recte iungi posse cum τό, quod diversi generis sit. Tu intellige διὰ τὸ παραδιδόναι ἓν ἕκαστον αὐτῶν αὐτήν, reposuimus enim ex Epiph. cod. παραδιδόναι pro διδόναι, quod erat in edit. Gallasii. p.219. p.221.

FEUARDENTIUS: *Multitudinem apocryphorum*] *Apocryphum* illud est b. Augustino (lib. IV. de Civ. c. 33.), cuius occulta origo patribus non claruit, κρύπτω enim, a quo ἀπόκρυφον, est condo sive recondo. Porro Gnosticos non tantum libros quorum origo ignota erat, sed et blasphemias spirantes habuisse, et superius dictum est et hoc capite plus satis liquescit; quum Christum ignorantem, et sub cuiusdam paedagogi ferula quasi Alphabetum ediscentem, ex illis ridicule fingunt. Tunc enim a Simone et Cleobio pestilentes sub nomine Christi et apostolorum compositos libros fuisse testatur b. Clemens (v. inf. lib. II. c. 49. Lib. VI. c. 16. de Const. apost.), quos in fraudem simplicium Christianorum circumferebant haeretici. Quod etiam superioribus temporibus factitatum asserit, videlicet nomine Mosis, Enoc, Adae, Isaiae, Davidis, Heliae et trium Patriarcharum, perniciosa et veritati infesta scripta evulgata fuisse. Multos quoque Priscillianorum corruptissimos codices, qui canonici titulati erant, se invenisse scribit Leo magnus (Ep. ad Turib. c. 15.). Quomodo enim decipere simplices possent, nisi venenata pocula quodam melle praelinerent, ne usquequaque sentirentur insuavia, quae essent futura mortifera? — *Sed et in eo*] Sic legendum docuerunt vet. cod. et lectio p.219. p.221.

graeca. Quod vero Christum dixisse referunt, quum in nullo evan-
p.223. geliorum exstet, confinxerant. — *Apocryphum Bythi*] Sic legendum pro *apocryphum Bythum;* et postea *veritatis Patrem* pro *veritatem Patris;* itemque *promisit se* pro *promisisse,* docuit cum veteri codice textus graecus; sicut et superius *ostendisse eum* pro *non ostendisse.* — *Et aptare*] Delevimus *a patre* auctor. vet. cod. et graecae lect.

p.218. GRABIUS: Ὡς τοῦ Κυρίου] Hoc ῥᾳδιούργημα, ut ab Irenaeo merito appellatur, reperitur etiam in Apocrypho, quod Matthaeo perperam adscriptum exstat in MS. cod. 1697. bibliothecae regiae Parisiis, teste Cotelerio in notis ad lib. VI. Constit. apost. Clementis c. 16. et in evangelio infantiae Christi, quod arabice cum latina versione edidit *Henricus Sikius* pag. 144. et 146. nec non, licet paullo diversum, in pseudo-evangelio Leucii, quod MS. hîc Oxonii exstat in bibliotheca Collegii Corporis Christi, ubi cap. *Quomodo Iesus discendus erat litteras,* haec leguntur: *Et coepit magister impiose* (l. imperiose) *eum docere dicendo: Dic Alpha. Iesus vero dixit ei: Tu mihi dic prius, quid sit Beta, et ego dicam tibi quid sit Alpha; et ob haec magister iratus percussit Iesum, et postquam percussit eum, mortuus est.*

p.218. MASSUETUS: Ὡς τοῦ Κυρίου etc.] Haec fabula reperitur etiam in apocrypho libro *De Infantia Salvatoris,* qui Matthaeo evangelistae perperam adscriptus exstat cod. 4316. bibliothecae regiae Parisiis. Exstat et in eadem bibliotheca cod. 2908. alter apocryphus liber sub hoc titulo: *Liber de pueritia et miraculis Domini et Salvatoris nostri Iesu Christi;* in quo eadem paene leguntur. Utriusque meminit Cotelerius, fragmentumque posterioris refert in notis ad lib. VI. Constit. apostol. Clementis cap. 16. Idem commentum, teste Grabio, occurrit et in evangelio infantiae Christi, quod arabice cum latina versione edidit Henricus Sikius pag. 144. et 146. nec non, licet paullo diversum, in pseudo-evangelio Leucii, quod MS. Oxonii exstat in bibliotheca Collegii Corporis Christi, ubi cap. *Quomodo Iesus discendus erat litteras,* haec leguntur: *et coepit magister impiose* (leg. *imperiose*) *eum docere dicendo: Dic Alpha. Iesus vero dixit ei: Tu mihi dic prius, quid sit Beta, et ego dicam tibi quid sit Alpha; et ob haec magister iratus percussit Iesum, et postquam percussit eum, mortuus*
p.219. p.220. *est.* — *Magister eius*] Graec. *magister ei.* — Εἷς ἐστὶν ἀγαθὸς ὁ Πατὴρ ἐν τοῖς οὐρανοῖς] Haec ex memoria citata, nam pro iis tres evangelistae concorditer habent: *οὐδεὶς ἀγαθός, εἰ μὴ εἷς, ὁ Θεός.* Quanquam tamen in quibusdam N. Testam. MSS. codd. legatur: *εἷς ἐστὶν ὁ ἀγαθός* vel *εἷς ἐστὶν ἀγαθὸς ὁ Θεός.* — *Πολλάκις ἐπεθύμησα* etc.] Haec verba frustra quaesieris in Scripturis sacris; nullibi exstant. Ab haereticis istis, vel male feriato quopiam conficta sunt. — Ἐμφαίνοντός φασι δεῖν] Pro *δεῖν* legendum *εἶναι;* sicque reposuerunt in ipso textu Gallasius et Feuardentius; in hoc laudandi, si MS. alicuius faveret auctoritas. Sed male omnino pro ἐμφαίνον-
p.221. τος substituerunt ἐμφατικώτερον. — *Dicunt*] In Feuard. marg. et MSS. Pass. et Voss. *dicit.* Quod consentit cum Basileensi edit. Epiphanii, et Irenaei Gallas. et Feuard. ubi pro *φασὶ* legitur *φησί;* nec male quidem, si ad Marcum referatur: quamvis praeferendus pluralis

numerus. — *Et propter hoc non respondisse eis* etc.] Haud accurata versio. Scribendum erat: *et per hoc quod non responderit eis, sed alia quaestione proposita, eos in angustias adduxerit* etc. — *Non ostendisse*] Sic editt. Erasm. et Gall. et omnes MSS. Feuardentius vero, quem secutus est Grab. male expunxit particulam negativam. Sensus enim est, Christum, in eo quod non responderit, inenarrabile Patris non ostendisse. — *Καὶ οὐδεὶς ἔγνω τὸν Πατέρα* etc.] Verborum p.222. ordinem data opera inverterunt haeretici. Legimus enim: *Καὶ οὐδεὶς ἐπιγινώσκει τὸν υἱόν, εἰ μὴ ὁ Πατήρ· οὐδὲ τὸν Πατέρα τις ἐπιγινώσκει, εἰ μὴ ὁ υἱός, καὶ ᾧ ἐὰν βούληται ὁ υἱὸς ἀποκαλύψαι.* Vide lib. IV. c. 6. — *Patrem Veritatis*] Adde ex graeco: *quem ipsi* p.223. *confinxerunt.*

CAP. XXI.

BILLIUS: *Ad fidei abiectionem*] Graec. *ἀπόθεσιν;* in graec. pro p.224. *εἶδος τοῦ* legendum *εἶδος τοῦτο.* — *Profanorum quorundam*] Addo p.227. *βεβήλων* ex vet. — *In eo qui in Iesum descendit*] *Εἰς τὸν κατελθόντα εἰς Ἰησοῦν.* Vetus editio *in nomine descendentis Iesu.* In codice tamen manuscripto, ex quo infinita loca correcta sunt, non *Iesu,* sed *Spiritus* legitur. Quae quidem lectio eundem sensum habet cum codice graeco. — *Filius autem in eo, qui praeexsistit*] p.234. Graecus Epiphanii codex habet *ἐν τῷ παρόντι* id est *in praesenti,* Sed apparet veterem interpretem legisse *προόντι.* Vertit enim *qui ante fuit.* — *Veni ut*] *Ἦλθον.* In graeco autem codice aliquanto post pro *ἐκ τῶν* legendum *τόν.* — *Quae patris expers*] Sensus hoc loco perspicue postulat, ut cum veteri interpr. legamus *πατέρα,* non, ut corrupte apud Epiphanium, *μητέρα.* — *Hoc autem*] *Τοῦτο* legen- p.235. dum in graec. cum vet.

Finis Scholiorum Billii.

FRONTO DUCAEUS: *Redemtionem autem eius qui in eo est*] p.225. Interpres legisse videtur: *τὴν δὲ ἀπολύτρωσιν τοῦ ἐν αὐτῷ Χριστοῦ κεκομίσθαι,* non ut habet Epiphanii codex, qui tamen sequendus est: non enim in Ioanne, sed in Iesu, Christum esse blaterabant Gnostici, neque hic Christum a Iesu, ut ante, sed Ioannem a Iesu distinguit. Sic ergo corrigere potes: *redemtionem autem Iesu positam esse ad perfectionem,* tametsi hoc est *κεῖσθαι,* non ut graecus *κεκομίσθαι, allatam esse.* — *Cum quibusdam profanis*] Apud Eusebium lib. IV. p.227. c. 10. hist. legitur: *μετ' ἐπικλήσεών τινων τοῖς τελουμένοις* et *εἰς ὕδωρ* et *μητέρα τῶν πάντων* et *εἰς τὸν Ἰησοῦν* et *καταπλήξασθαι τοὺς τελουμένους,* cetera ut apud Epiphanium. In utroque ergo graeco libro omittitur vox *βεβήλων,* quam tamen exprimit Irenaei interpres, et Rufinus, dum vertit: *Etenim quidam eorum thalamum construunt, et nefarium quoddam initiandi celebrant genus, tanquam secretis quibusdam carminibus ac verbis, non tam sacris quam exsecrabilibus eum, qui introducitur, consecrantes.* Christophorsonus etiam: *Et invocationibus quibusdam nefandis abdita mysteria in eos exsequuntur.* Potest tamen hoc interpres noster addidisse de suo, ut postea: *cum quibusdam profanis dictionibus similibus.* Graece tantum est *μετὰ ἐπιῤῥήσεων ὁμοιοτρόπων.* Ubi vox *profanis* omissa

est a Billio. — *In nomine ignoti*] Licet graece legatur *εἰς ὄνομα ἀγνώστου*, rectius tamen vetus interpres et Billius: *In nomine ignoti*; quam Cornar. et Gallas. *in nomen ignoti*; nam et ita Rufinus verterat: *in nomine ignoti Patris omnium, et in Veritate omnium matre, et in eo, qui descendit in Iesu*; et ad exemplum videtur hoc redditum sacrorum verae nostrae initiationis verborum, Matth. 28, 19. *εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρός*. Vulgata: *in nomine Patris*, quomodo et Cyprian. epist. 23. et alii latini Patres: tametsi Tertull. quoque de baptismo 13 dixerit: *Tinguentes eas in nomen Patris*. — *In nomine descendentis in Iesu*] Mirum quam indiligentes hîc fuerint Cornarius et Gallasius, qui vertunt: *in eum, qui descendit Iesum, et in Iesum, qui*
p.229. *descendit*. — *Et Spiritus et Vita*] Graec. *πνεῦμα ἀγαθὸν καὶ ζωή*, *Spiritus bonus et vita*, forte *ἅγιον* ut postea: *per Spiritum sanctum in redemtionem angelicam*. — *In zonis luminis*] Gr. *ἐν ταῖς ζωαῖς τοῦ φωτός*, *in vitis luminis*, et ita Billius noster legit *ἐν ταῖς ζώναις τοῦ φωτός*; nihil muto hîc, sed addendum moneo *τοῦ Χριστοῦ* graeco paullo post ex veteri, qui habet *Christi non divido spiritum*; nam et hoc indicant illa vestigia hebraicarum dictionum *μεσσία οὐ-*
p.233. *φαρεγ*. — *Et incorporalia et insensibilia*] Addendum graeco vocabulum unum ex veteri: *καὶ ἀσωμάτων καὶ ἀναισθήτων*, nisi hoc fortasse ab interprete est, non ab auctore. — *Alii sunt qui mortuos*] Haec quoniam latinitate donarat etiam doctiss. Billius, et apud Epiphanium graece reperiebantur, ex eius libro descripsimus, quum non essent in editione Gallasii: tametsi advertendum est, haec non citari ab Epiph. plane ut erant apud Irenaeum, ne quis miretur verbis sin-
p.235. gulis graecis latina non respondere. — *Ipsos abeuntes* (nos: *abire*) *in sua*] Non assentior doctiss. Billio, censenti haec mendose in plurali legi. Sic enim initio dixit: *Et praecipiunt eis venientibus ad potestates*, et *venire quoque eos*. Epiphanius vero iam inde ab initio dixit: *ἐγκελεύονται δὲ ἐὰν ἔλθῃ ἐπὶ τὰς ἀρχάς*, iubent quum venerit ad principatus; sic autem multis haec praecepta sunt ab illis mystis Gnosticis, ut quid quisque dicere deberet sit expressum; neque profert verba ipsa Irenaei Epiphanius, ut monuimus, sed ab illo ista mutuatus sua pro arbitrio interserit, vel immutat. — *Anima vero eorum proïiciatur*] Haec omissa sunt in interpretat. Billii, etsi apud Epiphanium graece reperiuntur, quae ita Cornarius: *Anima vero ipsorum opifici adstet superne in defectu constituto, ut et illic maneant apud ipsum*: Sic apud Tertull. ex eisdem fabulis Valentin. c. 22. *easque Demiurgo suo reddent*. De his ipsis naeniis plura Theodoretus lib. I. haeret. fab. ubi de Ascodrytis Haer. 15.

FINIS NOTARUM D. FRONTONIS DUCAEI.

p.225. FEUARDENTIUS: *Quanti enim*] Dissidia feralia etiam de praecipuis doctrinae suae capitibus inter haereticorum antesignanos emersisse, et hîc rursus commemorat: ut spiritui vertiginis, qui etiam secum ipse pugnat, eorum opiniones accepto ferendas esse nullus nesciat. *Ista inconstantia*, ait Hilar. (lib. 7. de Trin.), *ostendunt omnia incerta et vana esse apud se. Quomodo enim salutis cupidi*, scribit in simili argumento Iustinus (Orat. ad Graec.), *possent tuto religione vera illis credere, inter quos parum convenit, dissidentes in suis*

opinionibus? Tantis autem dissensionibus funestissimum ovili Christi exitium et fidei christianae propudiosam abnegationem moliri callidissimum Satanam nec ipse Irenaeus dissimulat. Ceterum quod ad lectionem attinet, obscurus est huius primae clausulae sensus, partim interpretis nimia religione, partim malorum codicum vitio. Ergo ut facilior evadat, puta *quanti* pro *quot* poni, quod non ausi sumus immutare, quia id agnoscit vet. cod. Deinde secunda linea *quia* nihil aliud quam *quod* significat. Praeterea *destructionem,* quod habet vet. pro *rectitutionem,* atque adeo *restitutionem,* quae fuerat Erasmi coniectura, reposuimus. Rursus *repromissionem,* nescio qua via in hunc locum irrepserit, sed sensum turbare manifestum est, eam igitur expunximus contra veteris libri auctoritatem. Denique pro *inremisse,* quanquam *remissa* habeat vet. quum graec. *ὑποβέβληται* non respondeat, *immissa* potius legendum censuerim, aut si malis *submissa.* — *Et baptisma quidem a Ioanne*] Etsi plurimis teterrimisque hi veteres Gnostici scaterent haeresibus, nihilominus hac in re catholicam sententiam retinebant, quod non baptismate Ioannis conferretur remissio peccatorum, sed solo baptismo Domini nostri Iesu Christi. — *Qui-* p.227.
dam ex ipsis sponsale cubiculum] Quia haec ad verbum transscripsit Eusebius, verba eius ex recenti eaque emendatissima translatione superius addidimus. Observa autem sacrilegos istorum ausus, quibus sacrum baptisma profanabant; ob eamque rem plerosque antiquorum illud merito damnasse. — *In nomine* (nos: *nomen*) *ignoti Patris*] Lectionem hanc omnium veterum editionum, data opera noluimus immutare; attamen Eusebii (lib. 4. h. eccl. c. 10.), Epiphanii (cont. Sethian. et Cerinth.) et Theodoreti graeca lectio, et ea, quae habentur superius cap. 12. et initio huius cap. sic legendum indicant: *In nomen ignoti Patris omnium, in Veritatem matrem omnium, et in descendentem in Iesum, ad unitionem et redemtionem et communicationem virtutum.* Omnino autem ad textum Irenaei accommodatius sic legitur apud Nicetam Choniatem: *In nomine ignoti Patris omnium, et Veritatis matris omnium, et eius qui descendit in Iesu, ad coniunctionem et redemtionem et communicationem virtutum* etc. Tria vero hic apponunt. Primum, *Patrem,* quem putant omnibus retroactis saeculis ignotum, aliumque a mundi opifice. Secundum, *Alethiam* id est Veritatem illam matrem omnium, cuius idolum viginti quatuor litterarum figuris fictum recensuit cap. 10. Tertium, *Christum* initio alium a Iesu, quem Christum fingebant in specie columbae in Iesum descendisse, dum a Ioanne baptizaretur, tuncque coadunatum eidem fuisse ad perficiendum miracula, quae scripta sunt in evangelio; ipsum quoque annuntiandum usque ad tempus passionis, quo recessit ad superna, unde evolaverat, solum autem relictum Iesum passionem subiisse. Ceterum manifestum est, horum nebulonum in corrumpenda sacramenti baptismi forma sacrilegium optimo iure hîc ab Irenaeo coargui atque damnari. Etenim quum ab aeterno Dei Filio complete et absolute institutum fuerit, ut conferatur aspersione, vel immersione aquae, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti; nullius hominis est propria auctoritate in his quidquam detrahere vel immutare. *Lex namque tinguendi,* inquit Tertullian. lib. de Bapt. cap. 13., *imposita*

est et forma praescripta. Ite, docete nationes, tinguentes eas in nomen Patris et Filii et Spiritus sancti. Et lib. Praescript. cap. 20. *Iussit* (apostolos) *ire et docere nationes, tinguendas in Patrem et in Filium et in Spiritum sanctum.* Cyprianus quoque Epistola vigesima tertia scribit: *Dominus dixit: in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti gentes tingui, et in baptismo praeterita peccata dimitti.* Rursumque Epistola septuagesima tertia: *Post resurrectionem apostoli ad gentes mittuntur, et in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizare gentiles iubentur.* Didymus quoque lib. II. de Spiritu sancto ait: *Qui unum de praeceptis nominibus praetermittit, neque sacramenti perfectionem attingit, nec a peccatis hominem liberat.* Augustinus (lib. 6. de Baptis. cap. 25.) denique scribit: *Certa sunt verba*
p.229. *evangelica, sine quibus non potest consecrari baptismus* etc. — *Basima ea cabasa*] Nicetas in Orthodoxia haec verba paullo aliter refert, scribens: *Quo maiorem ei, qui baptizatur stuporem iniiciant, haec hebraica nomina superaddunt, camosi, bae, anoora, mystadia, rhuda, custaba, phogor, calathi. Quorum interpretatio haec est: O qui es super omnem virtutem Patris, te invocamus, qui lumen et Spiritus bonus et vita nominaris, quoniam in corpore regnasti.* Difficillimum est verborum istorum fontes indicare, accipe tamen, quid de his nobis verisimilius videtur. Impostores istos magicis artibus delectatos, iisdemque multa prodigiosa et portentosa effecisse, ex Iustino, Irenaeo, Tertull., Epiph., Theod. et August. certissimum est. Magos porro monstrosa, ipsoque stridore pronuntiationis etiam horrenda vocabula et carmina ope cacodaemonum invenisse et susurrasse, quibus ad praestigias suas mirabilem energiam inesse asserebant, ex sacris profanisque scriptoribus cunctis est in confesso. Apuleius enim magico susurramine amnes reverti, mare colligari, ventos exspirari, solem inhiberi, lunam despumari, stellas evelli, diem tolli noctemque teneri posse putat. Virgilius etiam ait:

Carmina vel caelo possunt deducere lunam.
Carminibus Circe socios mutavit Ulissis.
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Et Tibullus de quadam incantatrice:

Haec cantu findit que solum manesque sepulcris
Elicit, et tepido devocat ossa rogo.

Et alia apud Ovidium iactat se:

Vipereas rumpo verbis et carmine fauces,
Vivaque saxa, suo convulsa robore terra,
Et silvas moveo, iubeoque tremiscere montes,
Et mugire solum, manesque exire sepulcris.

Nugatur etiam Serenus Samonicus de nomine *Abracadabra,* ut et alii de *Aratitha* etc. Vero igitur simile est, astutos istos praestigiatores isthaec magica et barbara magis portenta, quam nomina finxisse, et magno supercilio inculcasse ad concitandos simplicium animos, ut cum magno stupore augustiora putarent, quae non intelligerent; et daemones ictis pactis adsistentes ad horum vocabulorum pronuntiationes, quae postulabant magis praestarent, ut superius de Marci coena habes cap. 9. Quod si quae hîc habes, hebraea vocari ab Irenaeo urgeas,

responderim non ex suo, sed Valentinianorum sensu esse intelligendum, quum id unum confidenter et vere possim affirmare, ea nempe nec a graeca, nec ab hebraea, chaldaica, syra aut arabica lingua petita esse. — *Ungunt sacratum opobalsamo*] Gradus quosdam esse ad impietatem, nullumque repente pessimum fieri, vel in his Gnosticis apparet. Licet enim multa de sacris litteris corrumperent, infanda perpetrarent horrendaque in Deum evomerent: nihilominus protestationes et illinitiones in baptizando Catholicis usitatas observabant; adeo rituum illorum traditio per universum orbem apostolis tradentibus invaluerat. Nec eo nomine hoc loco vel in sequentibus illos damnat Irenaeus; id certe non segniter facturus, si in hoc ab apostolica traditione declinassent. Qui autem ritum hunc e medio tollendum contendunt, eo nomine, quod ab haereticis iniquo etiam fine usurparetur, praepostere et impie iudicant, quum et aquam et communium nobiscum verborum partem, reliquasque evangeliorum particulas, quibus utebantur, eadem opera auferrent. *Non enim est detestanda Sanctimonialium virginitas,* ait Augustinus (lib. 20. contra Faust. c. 21.), *quia et Vestales virgines fuerunt; nec reprehendenda sacrificia Patrum, quia et sacrificia gentium fuerunt: quia etsi usus quarundam rerum similis esse videtur nobis cum gentibus,* addo, et haereticis, *ut cibi, potus, tectorum, vestimentorum, lavacrorum; longe tamen aliter his utitur, qui ad alium finem earum usum refert: et aliter, qui ex his Deo gratias agit, de quo falsa non credit.* Ceterum sacris olei et chrismatis unctionibus in baptismo ab apostolicis temporibus tripliciter usam esse ecclesiam colligimus. Primo, circa aquas, *quas Pontifex,* auctore Dionysio Areopag. (lib. de Eccl. Hierar. cap. 2.), *sancta prece ac invocatione sanctificabat, καὶ τρισὶ τοῦ παναγιστάτου μύρου σταυροειδέσι χύσεσι τελειώσας αὐτό, i. e. ter in eas ad crucis effigiem, sanctissimum fundens unguentum, illas hoc ritu perficit.* Secundo, post abrenuntiationes et exorcismos, quum vel toto corpore, ut est apud Dionysium et Cyrillum Ierosolymit. (in Catech. 2. mystag.) vel pectore tantum et scapulis baptizandum ungebant oleo, quod inde Catechumenorum vocatur. Postremo, chrismate ex oleo et succo balsami composito ad regiae et sacerdotalis gloriae unitatem exprimendam, ait Cyprianus (Sermo de unctione Chrismatis), in vertice signabantur baptizati. Ab apostolis, Spiritu sancto doctore, universas per orbem ecclesias, in hunc usque diem hos ritus acceptos constanter retinuisse, et ad Spiritus sancti dona significanda his usas fuisse, testes sunt, qui primo saeculo ab apostolis vel cum eisdem vixerunt, Clemens Rom. lib. 3. de Constit. Apost. cap. 15. 16. 17. et lib. 7. cap. 23. 28. 41. 42. 44. et lib. 3. Recog. et Epist. 3. Dionys. Areopag. lib. de Eccles. Hierar. c. 2. et 7. Auctor quaest. apud Iustinum martyrem quaest. 137. Theophilus Antiochenus lib. I. ad Autolycum; et qui postea vixerunt in Oriente, Origen. lib. 5. in epist. ad Rom. Chrysost. Hom. 12. in 1. ad Corinth. et Homil. 6. ad Coloss. Basilius lib. de Spiritu sancto c. 27. Nazianzenus oratione in sanctum Baptisma. Addam et latinae ecclesiae Patres, Tertullian. lib. de carnis resurrectione, lib. I. contra Marc. et lib. de Baptis. Cyprianum epist. 72. ad Ianuarium; Arnobium commentariis in Psal. 4. 22. 82.

p.231.

90. 132. et 134. Optatum Milevitanum lib. 2. 3. et 7. contra Parmenianum; Augustinum lib. 15. de Trin. cap. 16. et lib. 4. de Symb. c. 1. et Tractatu 44. in Ioannem; Ambrosium lib. I. de Sacramentis cap. 1. et 7. Hieronymum Dial. contra Lucifer. Haec paullo fusius annotare libuit, ut omnibus innotescat, quanta pietate et sinceritate ducantur Rhapsodi illi Magdeburgenses, qui istos ungendi sacros ritus haereticorum tantum et non Catholicorum et apostolicorum virorum fuisse audent asserere. — *Quidam autem eorum*] Ergo primum sanctissimumque regenerationis nostrae mysterium, quod est baptisma, per istos Gnosticos Satanas omni ex parte labefactare conabatur; quando illi verba illius formae a Christo tradita corrumpebant; isti vero et proxime sequentes ipsam materiam, id est, aquam omnino negligendam esse censebant. — *Alii haec omnia recusantes*] Seductores homines proficere in peius, et qui in sordibus volutantur, in dies multo magis sordescere, aperte indicat haec classis Gnosticorum, quae caeremonias, aquam et verba sacri baptismi eadem opera reiicit ut indigna, quae mysteria eorum invisibilia significarent. Illi porro sunt, quos Epiphanius vocat Archonticos, Theodoretus et Nicetas Ascodrugos et Ascodrupitas, quibus Euthymius addit Paulicianos. Hi etenim divina mysteria et dona spiritalia rebus visibilibus; et incorporea sensibilibus et corporeis signanda et commemoranda esse negabant: proinde nec baptismatis, nec aliorum spectabilium sacramentorum usum admittebant. In hos acerrime disputant Nicetas et Euthymius. Recentiores Gnosticos, ne a tantis Patribus degenerarent, eadem fecunditate errorem ex errore serere ingemiscit nostrum saeculum. Postquam enim sacrum oleum cum sale, saliva, aquae consecrationem, symboli professionem, abrenuntiationes et exorcismos, quibus arcetur Satanas, e medio sustulerunt: iam parvulis fidelium sine baptismate
p.233. salutem pollicentur. — *Alii sunt qui mortuos*] Huius loci sensum explicat et emendationem ex vet. cod. agnoscit Epiphanius. Theodoretus etiam huius rei meminit in Ascodrytos, sed post mortem, Epiphanius vero ante, fecisse indicat. Ego autem utrumque recte vereque dicere puto, quum duplici unctione Christianos olim usos reperiam. Priore, ante mortem, de qua b. Iacobus (Iacob. 5.) concionatur: *Infirmus inducat presbyteros ecclesiae, qui orent super eum, ungentes oleo in nomine Domini* etc. Eadem, Christo procul dubio auctore, apostoli frequenter unxerant et sanaverant infirmos, Marc. 6. atque hanc olei delibutionem, sacramenti integram rationem habere, stupendosque et mirabiles effectus asserunt Clemens Rom. lib. 8. de Constit. Apost. cap. 35. Hieronymus in vita Hilarionis; Augustin. lib. 2. de Visit. infir. cap. 4. et serm. 215. de Tempore; Innocentius primus Epistola ad Decentium Eugubinum; et Bernardus in vita s. Malachiae. Posteriori, post mortem, quando corpora Sanctorum, antequam darentur sepulturae, in spem, opinor, resurrectionis, oleo perungebantur; idque *iusta mortuis fieri solita* vocat Clemens Alexand. (lib. 2. Paedag. c. 8.) Tertullianus (c. 42. Apol.) Sabaeos testatur scire, pluris et carioris suas merces Christianis sepeliendis profligari, quam paganis Diis suis fumigandis. His omnibus antiquior idemque apostolorum auditor Dionysius Areopag. (lib. de Eccl. Hier. c. 7.) illius unctionis

formam et finem explicat: *Ubi*, ait, *cuncti consalutaverunt*, allatum scilicet defuncti corpus, *ἐπιχέει τῷ κεκοιμημένῳ τὸ ἔλαιον ὁ ἱεράρχης, super defuncto fundit oleum pontifex.* Et post aliquot: *Olei unctio baptizandum quondam evocabat ad sacra certamina. Nunc autem infusum oleum signat eum qui defunctus est, eadem sacra exegisse certamina, sicque fuisse consummatum.* Sed quid? probandine sunt Gnostici, quod vel altera, vel utraque harum unctionum utebantur? Si pari cum Catholicis fide et animi intentione id fecissent; hac in re nec Iren. nec quisquam eos damnasset. At impium finem sibi proponebant, ut apud Irenaeum habes; nec quibus decebat, verbis utebantur; ideoque magis simiarum more, ut de Novatianis scribit Cyprian. (Epist. ad Iubaian.) quae quum homines non sint, humana tamen imitantur: sic quum hi in ecclesia non essent, immo contra ecclesiam, ecclesiae catholicae tamen veritatem et ritus sibi vendicare volebant. Pari stratagemate divinorum sacramentorum res in idolorum mysteriis diabolum quondam aemulatum fuisse argute animadvertit Tertullianus (lib. Praescr.) ut veritatem interverteret. *Tingit et ipse quosdam*, subiungit, *utique credentes et fideles suos: expiationem delictorum de lavacro repromittit, et sic adhuc initiat Mithrae: signat illic in frontibus milites suos, celebrat et panis oblationem et imaginem resurrectionis indicit et sub gladio redimit coronam. Quid quod et summum pontificem in unius nuptiis statuit? Habet et virgines, habet et continentes* etc. Et lib. I. ad uxorem: *Sacerdotium viduitatis et celebratum est apud nationes, pro diaboli scilicet aemulatione. Regem saeculi pontificem maximum rursus nubere nefas est. Quantum Deo sanctitas placet, quum illam etiam inimicus adfectat, non utique ut alicuius boni adfinis, sed ut Dei Domini placita cum contumelia affectans?* Omittam, et quae in hanc rem scripsit in calce libri de Corona militis; ut pauca, sed gravissima, ex Iustino martyre (Apolog. 2.) attexam: *Fabulae poetarum*, inquit, *a malis geniis invectae sunt, ad decipiendos seducendosque homines. Docti enim oraculis prophetarum de Christo venturo, curarunt spargi quaedam de pluribus Iovis filiis, sperantes fore, ut qui haec nugarum portenta audiant, de Christo quoque non plus crederent, quam figmentis poeticis.* Et postea: *Daemones non ignari praedictionum prophetarum, eas parum intellectas conati sunt per errorem a nostro Christo, ad sua figmenta detorquere* etc. Plura quae sequuntur, licet elegantissima, ne paginas onerarem, indicare magis, quam addere libuit, quae tamen, non sine magna voluptate et fructu, nemo Christianus legerit. — *Superascendat*] Et his et sequentibus plurimis locis constat b. Irenaeum septem sacramentorum ecclesiae catholicae constantissimum fuisse propugnatorem. Tametsi enim de illis ex professo disputationem non instituat in his libris, sed Gnosticorum duntaxat haereses refellat; illorum tamen omnium vel obiter meminit, docetque ea per Christum ad hominum iustitiam et salutem instituta et ab apostolis toto orbe tradita, religiose servata et ministrata, ut ex subiectis locis luculenter apparet. Baptismum in primis cum sua forma, materia, ritibus ac effectis hoc loco ab haereticorum corruptelis egregie vindicat. Hunc a prophetis praedictum, a Christo constitutum,

apostolisque mandatum, ut baptizarent omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, omninoque ad salutem necessarium affirmat libro tertio cap. 19. Hoc autem conferri remissionem peccatorum, cum Christo unitionem et incorruptionem, tum eodem tum praesenti confirmat. Circumcisionem spiritualem appellat, lib. IV. cap. 38. Parvulis etiam conferendum asserit lib. II. cap. 39. Catechismi et exorcismi consuetos ritus probat lib. I. cap. 1. 9. 13. et 19. Confirmationem agnoscit, quando non per artes magicas, ut scelestus Simon magus existimabat, sed per impositionem manuum apostolicarum piis dari Spiritum sanctum docet libro I. cap. 20. et lib. IV. cap. 75. Praeterea, insulsos Gnosticorum discipulos arguens, quod illorum oleo aqua permixto profanisque verbis initiatos confirmatosque seipsos reputarent, dicentes: *Confirmatus sum et redemtus sum* etc. quandoquidem non a viris profanis, quales erant Gnostici; nec verbis istis: *In nomine ignoti Patris* etc. adhibetur Confirmationis sacramentum: sed ab apostolorum successoribus et verbis constanti perpetuaque traditione illorum susceptis. Eucharistiae panem et calicem commixtum per invocationis verba corpus et sanguinem Christi vere fieri, et utrumque per Christi ordinationem toto mundo, velut novi Testamenti sacrificium, idque super altare per manus sacerdotum offerri, constanter frequenterque praedicat, et prophetarum apostolorumque disertis verbis confirmat, lib. IV. c. 32. 33. 34. 45. et lib. V. c. 2. Eandem servari solitam docet epistola ad Victorem, quando ad Polycarpum missa est ab Aniceto. Rationes institutionis eius et fructus mirabiles explicat lib. IV. c. 34. et lib. V. c. 2. simulque Praefationis canonis verba et aliquas preces non reticet lib. I. cap. 1. et 9. et lib. IV. cap. 34. Poenitentiae partes, id est contritionem, confessionem et satisfactionem comprobat, quum primum de exhomologesi id est Confessione tam privata quam publica frequenter disserit lib. I. c. 9. et lib. III. c. 4. solutionem Lazari a vinculis symbolum fuisse hominis peccatoris per pastores ecclesiasticos a peccatis solvendi, lib. V. c. 13. Contritionem et satisfactionem asserit clarissimis exemplis Adami et Evae, prae admissi peccati confusione, confugientium ad latebras, indignos se iudicantium conspectu Dei, mordentibus et compungentibus ficulneis foliis corpora sua castigantium, denique inflictas a Deo laborum, taediorum, tristitiarum et gemituum poenas sponte subeuntium lib. III. cap. 35. 36. et 37. Poenitentia quibusdam vitam impetrari scribit lib. I. c. 2. Demum, per poenitentiam nos posse ex gravissimis peccatoribus filios Dei fieri, ac hereditatem incorruptelae consequi lib. IV. c. 80. Ordinationem sacrorum hominum tuetur, scribens, omnes iustos (nam non nisi pii et probati prius viri tum ad sacras functiones assumebantur) sacerdotalem ordinem habere; apostolos fuisse sacerdotes Domini, cui semper in altari servierunt: et in altari persaepe sacrificandum, libro quarto, capite vigesimo. Rursum, sacrificia in ecclesia a liberis hominibus offerri, quod offert ecclesia (nimirum per sacerdotes, et alios in altari ministrantes) purum sacrificium apud Deum deputari, libro quarto, capite trigesimo secundo, trigesimo tertio, trigesimo quarto. Mixtum calicem et panem percipere verbum Dei (sacerdotum videlicet ore ac ministerio) ut fiant

eucharistia corporis et sanguinis Christi lib. V. c. 2. Matrimonium, graecus auctor semel et iterum appellans mysterium (procul dubio Christi et ecclesiae, ut loquitur apostolus) quod Latini sacramentum appellamus, evidenter affirmat. libro primo capite primo; ad humani generis propagationem a Deo institutum praedicat libro IV. cap. 24. et lib. V. cap. 2. Indissolubilem porro viri et feminae consuetudinem habere satis propugnat, quando Gnosticorum promiscuas et vagas libidines tam severe quam sancte redarguit lib. I. cap. 1. 9. 20. 22. 24. 27. et 31. Unctionis denique infirmorum usum catholicum satis adfirmat, quando eum hoc capite vindicat ab haereticorum variis corruptelis. Arguit enim aliquos, quod defunctorum cadaveribus adhibendum censerent: quum tamen apostoli infirmorum tantum, non mortuorum proprium esse perhibeant, Marci sexto, Iacobi quinto. Alios etsi infirmos ungerent, increpandos tamen esse iudicat, quod impia et a se conficta verborum forma, non autem ecclesiae tradita uterentur; alios denique eiusdem unctionis fines ac effectus, ab his quos apostoli tradiderunt, impie comminiscerentur, ut ex hoc capite facile deprehenditur. Ac de his hactenus.

GRABIUS: *Τὴν δὲ ἀπολυτρώσεως αὐτοῖς παράδοσιν συμβέ-* p.222. *βηκεν ἀόρατον εἶναι καὶ ἀκατάληπτον* etc.] Supra pag. 61. not. 1. ex Iacobi Rhenferdii Disputatione de Redemtione Marcosiorum, explicatam dedi significationem vocis *ἀπολυτρώσεως*, qua certam precandi, sive Deo gratias pro redemtione agendi formulam denotat, quae et in hoc capite iterum iterumque occurrit. Sed et alia huius vocabuli notio inter istos haereticos, origine, nisi fallor, Iudaeos, obtinuit, quae Irenaeum fugisse videtur. Scilicet quae Cabalistis dicitur בינה *intelligentia* et *mater superior*, influxum accipiens a Patre (id est *Spiritus s.* unde istud in evangelio secundum Hebraeos dictum: *Modo accepit me mater mea Spiritus s.* de quo vide Spicilegium Patrum Tom. I. pag. 27.) eadem גאולה *redemtio* ab iisdem vocabatur, ut ex Cabala denudata liquet in voce גאולה, ubi haec leguntur: גאולה *redemtio, liberatio, est binah, quippe quae fundamentum est liberationis* etc. Atqui hanc *redemtionem,* sive *intelligentiam* divinam, quum *invisibilem et incomprehensibilem ac incomprehensibilium invisibiliumque matrem* appellarint, Irenaeus haec praedicata minus recte ad redemtionem in priori sensu acceptam retulit. — *Δύνασθε τὸ βάπτισμα βάπτισθῆ-* p.226. *ναι* etc.] Haec Marcosii memoriter allegasse videntur et quidem ex evangelio Marci, uti recte visum Gallasio, non Matthaei, cuius caput 20 in margine suae editionis signavit Feuardentius. In huius enim textum ex illius codice istud comma irrepsisse non solum ex eo colligitur, quod in Vulgata latina desit, indeque ab Hilario, Ambrosio, Hieronymo aliisque latinis Patribus omissum fuerit; sed et ex Origenis XVI Comment. in Matthaeum pag. 415. ubi ita habet: *Ἀποκριθεὶς εἶπε μετὰ τὸ· οὐκ οἴδατε, τί αἰτεῖσθε, τό· δύνασθε πιεῖν τὸ ποτήριον, ὃ ἐγὼ μέλλω πίνειν; ἢ ὡς ὁ Μάρκος ἀνέγραψε· δύνασθε τὸ ποτήριον πιεῖν, ὃ ἐγὼ πίνω, ἢ τὸ βαπτίσμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθῆναι;* Quid enim attinebat s. Marcum in subsidium vocare, si ambo commata in s. Matthaei codice ab Origene fuissent lecta? Accedunt MSS. codices, quos ab honoratissimo fautore meo

Dn. D. Millio inter varias novi Testamenti lectiones diligenter recensitos, brevi unicuique licebit videre. — *Μητέρα πάντων*] *Μητέρα τῶν πάντων* habet Eusebius, sicuti paullo ante *Πατρὸς τῶν ὅλων.* — *Καταπλήξασθαι*] Ita tam apud Epiphanium, quam in editt. Eusebii. Sed notante Valesio ad locum citatum Eusebii, in huius MSS. codd. nempe Cardinalis Mazarini, Medicaeo, Fukeriano, nec non Henrici Savilii, qui modo in bibliotheca Bodleiana asservatur, exstat *κα-*
p. 228. *ταπλῆξαι.* — *Βασέμα*] Missis Croii aliorumque coniecturis et commentationibus in obscuras hasce *redemtionum* formulas, cl. Rhenferdii explicationes in supra laudata Dissertatione traditas breviter referam. Atqui prima haec vox facilis est. Syris quippe dicitur בשמא *in nomine.* Sed pro Scheva quiescente insertum est *ε*, in latino autem *y.* — *Χαμοσσή*] *Χαμωσὶ* in Nicetae Thesauro Orthodoxae Fidei MS. in bibliotheca Bodleiana: a כמם *abscondit,* unde כמם *absconditum,* Deuteronom. 32, 34. Atque ita posterior formula habet *τὸ ὄνομα τὸ ἀποκεκρυμμένον.* — *Βαιανορά*] In Niceta *Βαέ, ἀνωόρα.* Sed aliter dividendum est ac legendum *Βααὶη* vel *Βααιαι νόρα.* Syriace בחיי נוהרא *in vita luminis,* sive ut in altera formula *redemtionis* paullo post redditur *ἐν ζωαῖς τοῦ φωτός.* — *Μισταδία*] Apud Nicetam male per *υ Μυσταδία.* Atqui *δία* ad sequentem vocem pertinet, cum qua in latino textu iunctum est; *μίστα* vero est chaldaeo-syrum משחתא vel משחתא *unctio:* quippe ח Graecis est *ἄφωνον,* uti aliquot exemplis probavit Croius pag. 17. col. 2. iuxta recentem editionem huic operi affixam. — *Ῥουαδὰ Κουστά*] Apud Nicetam peius *ῥούδα κουστάβα.* Ceterum praefixo his vocibus *δία,* quod huc pertinere modo dictum est, *Διαρούα* vel potius *Δαρούα δακούστα* pro *δακούδσα,* est illud Syris receptissimum ורוחא וקודשא *Spiritus sanctitatis* id est *sancti.* Atque hinc in altera formula legitur *διὰ πνεύματος ἁγίου,* in huius autem interpretatione *πνεῦμα ἀγαθὸν* pro *ἅγιον.* — *Βαβοφόρ*] In Niceta *φογὸρ* (sive *βαφογόρ,* si *βα* ex praecedenti voce *κουστάβα* huc referas). Ceterum quum haec vox reddatur *ἐν σώματι,* in altera autem *redemtione* dicatur, *εἰς λύτρωσιν,* iuxta priorem forte legi deberet *βαφαγρὰχ* (quod ad Nicetae lectionem prope accedit) iuxta posteriorem *βαφώρακ* vel *βαφούρκαν,* ut adeo pateat *κα* ex sequenti verbo *καλαχθεῖ* huc retrahendum esse. — *Καλαχθεῖ*] *Κα* ad praecedentem vocem pertinere modo monui; *με* vero vel *μα* eius loco praefigendum esse ex latino textu et interpretatione huius verbi per graecum *ἐβασίλευσας* aperte patet. — *Εἰς λύτρωσιν ἀγγελικήν*] Clemens in Excerptis ex Valentinianorum Didascalia pag. 793. col. 1. B. *Ἐν τῇ χειροθεσίᾳ λέγουσιν ἐπὶ τέλους, εἰς λύτρωσιν ἀγγελικήν, τουτέστιν ἣν καὶ ἄγγελοι ἔχουσιν* etc. *In impositione manuum dicunt:* In redemtionem angelicam, *id est, eam, cuius angeli participes facti sunt.* Vide plura ibidem. — *Ὄνομα τὸ τῆς ἀποκαταστάσεως*] *Ὀνόματα τὰ τῆς ἀποκαταστάσεως* legere amat Rhenferdius §. 35. sicut paullo ante *Ἑβραϊκά τινα ὀνόματα ἐπιλέγουσι.* Intelligit autem per *ὀνόματα τῆς ἀποκαταστάσεως, verba restitutionis,* novam formulam redemtionis, quod redemtio nihil aliud sit, quam restitutio in integrum, ut ex Levitici cap. 25. probat. Ex eius itaque sententia textum aliter distinxi, et ab *ὄνομα* novam incepi periodum. — *Μεσσία*]

Id est Christi. Atque ita interpretatio huius formulae habet: *Christi non divido Spiritum* etc. Ast reliquae voces *οὐφαρέγ* etc. ab interpretatione huius formulae omnino discrepant, ac magis cum ea, quam post haec Irenaeus refert, responsione initiatorum convenit. Unde suspicor, hebraica verba ipsius formulae redemtionis ex Irenaei textu mox excidisse, adeo ut tam Epiphanius, quam vetus interpres mutilatum habuerint exemplar; vel Irenaeum haud integro formularum redemtionis et responsionum codice usum esse. — *Οὐφαρέγ*] Hac voce exprimi videtur istud in responsione initiatorum: *et redimo*. — *Να-* p.230.
μεμψαμάν] Ex Epiphanii Haeres. 36. Heracleonitarum, ubi easdem voces repetit, colligitur, ultimam syllabam *μὰν* cum sequenti voce iungendam esse ac reponendum *ναμεμψαὶ* vel *ναμεμψά*. Quamquam et haec lectio sit corrupta ac nata videatur ex *νεψὶ* vel *ναψί*, iuxta graeca *τὴν ψυχήν μου*. Ista vero *ἀπὸ τοῦ ἀῶνος τούτου* in syriaca formula non comparent, quae graecis litteris ita exprimerentur: *μὲν ἀλέμα ἄνα*. — *Χαλδαίαν*] Epiphanius loco citato melius habet *Μενχαλδία*. Hoc vero, ut respondeat istis: *Καὶ πάντων τῶν παρ' αὐτοῦ*, legendum est: *Οὐ μεν χολ δὶ* vel *οὐ μεν χὸλ δέ*. — *Μεσομηδαέα*] Interpretatio habet *ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Ἰαώ*, quod Syris est בשמהריהוה *Βασμὴ δὲ Ἰαώ*. Unde *αέα* loco *Ἰαὼ* positum et ab initio huius vocis littera *β* in *μ*, ob similitudinem transmutata est. — *Ἀκφραναί*] *Ναι* ad sequentem pertinet vocem. Pro *ἄκφρα* forte legendum *βακαφουρα*, Syris בכפורא *ἐν λύτρῳ*, sive, ut interpretatio habet *εἰς ἀπολύτρωσιν*. Excidisse vero hîc videtur alia vox, forte ipsa radix כפר, qua expressum fuit *ὃς ἐλυτρώσατο*. — *Ψαού*] Ultima praecedentis vocis syllaba huc relata, et reiecto *ουα*, facile oritur vox *νάψα* vel *νάψη*, נפשיה *τὴν ψυχὴν αὐτοῦ*, ut interpretatio habet. — *Ἰησοῦ Ναζαρία*] Iesum Nazarenum denotari quilibet videt. In interpretatione vero legitur: *ἐν τῷ Χριστῷ τῷ ζῶντι*. — *Ἐγὼ υἱός*] Graeca, quae sequuntur, petita sunt ex Epiphanii Haeres. p.232.
36. Heracleonitarum; adeo ut hos esse pateat, de quibus hoc loco loquitur Irenaeus. In iis vero, quae praecedunt, haud stricte quidem eundem verborum tenorem ac ordinem servavit Epiphanius (neque enim in hac haeresi Irenaeum nominatim allegavit) attamen ita vestigia eius legit, ut graeca ipsius Irenaei verba, quae vacuum implerent locum, inde colligere possimus, quae talia fuisse videntur: *Ἄλλοι εἰσὶν οἱ λυτροῦντες τοὺς τελευτῶντας* (sive *ἐξελθόντας*) *ἐπὶ τὴν τελευτὴν ἐξόδου, ἐπιβάλλοντες ταῖς κεφαλαῖς αὐτῶν ἔλαιον καὶ ὕδωρ, ἢ προειρημένον μῦρον μεθ' ὕδατος, καὶ μετ' ἐπικλήσεων προειρημένων, ἵνα ἀκράτητοι καὶ ἀόρατοι ταῖς Ἀρχαῖς καὶ Ἐξουσιαις γένωνται, εἰς τὸ ὑπερβῆναι* (*ἀοράτως* legitur in Epiphanio) *τὸν ἔσω αὐτῶν ἄνθρωπον· ὡς σώματος μὲν τούτων ἐν τῇ κτίσει ... καταλιμπανομένου, τῆς δὲ ψυχῆς παρισταμένης τῷ Δημιουργῷ. Καὶ ἐγκελεύονται αὐτοῖς ἐλθοῦσιν ἐπὶ τὰς Ἐξουσίας τάδε εἰπεῖν μετὰ τὴν τελευτήν*. — *Mortuos*] Vereor ne interpres *τελευτῶντας*, p.233.
aut quodcunque aliud Irenaei fuerit, minus recte transtulerit *mortuos*, quum *morientes* potius reddere debuisset. Epiphanius enim proxime ante obitum ista solemnia ab Heracleonitis, de quibus hîc sermo est, peracta esse perspicue indicat. Quin de Catholicis Pseudo-Dionysius

de ecclesiastica Hierarchia cap. 7. scribit: *Ubi cuncti consalutaverunt,* allatum defuncti corpus, *ἐπιχέει τῷ κεκοιμημένῳ τὸ ἔλαιον ὁ ἱεράρχης, super defuncto fundit oleum Pontifex.* Et post alia: *Olei unctio baptizandum quondam evocabat ad sacra certamina. Nunc autem infusum oleum signat, eum qui defunctus est eadem sacra exegisse certamina, sicque fuisse consummatum.*

p.222. MASSUETUS: *Τῆς ἀπολυτρώσεως*] Quid sit haec Marcosiorum
p.225. *redemtio,* explicuimus cap. 13. n. 6. — *Quanti*] Pro *quot.* — *Remissa*] In Erasm. et Gallas. corrupte legitur *repromissionem inremisse.* In veteri vero Feuardentii codice *repromissionem remissa.* Sed recte priorem vocem expunxit vir doctus, posteriorem retinuit. Favent Clarom. et Pass. in quibus vox *remissa* sine praefixa *repromissionem* legitur. At merito censet Feuardentius verbum graecum *ὑποβέβληται* verti debuisse, non *remissa est,* sed *immissa* vel *submissa est.* — *Nobis*] Haec vox deest in graeco, nec Irenaei esse videtur. Nec incommodum tamen sensum habebit, si eam ad Catholicos non coërceas, ut fecit Grabius, sed de hominibus vel Christianis in genere dictam intelligas. — *Secundum eos*] Vocem *secundum,* quam habent editt. Erasm. et Gall. ac MSS. omnes tum nostri tum anglicani, male meo quidem iudicio expunxerunt Feuardentius et Grabius. Sensus enim exigere videtur, ut servata voce *nobis,* retineatur et *secundum.* Quod vero *κατὰ* desit in graeco, non adeo mirum: festinanti calamo facile excidere potuit ob praecedens *κατάγουσα.* — *Spiritus*] Sic antiquiores meliorisque notae codd. Clarom. Pass. et Voss. In editt. et graeco *Christus.* At idem utrobique sensus: Spiritum enim in Iesum delapsum, Christum esse dicebant haeretici. — *In poenitentiam*] Sic ex graeca lectione et cod. Pass. emendo. Hic enim habet *in poenitentia in.* Procul dubio in codice, quem exscribebat amanuensis, scriptum erat *poenitentiam;* sed litteram *m* male legens, scripsit *in:* quod idem amanuensi Claromontano paullo ante contigit, qui pro *spiritalem* scripsit *spiritale in.* — *Redemtionem autem eius, qui in eo est Christi, positam esse ad perfectionem*] In graeco legit interpres: *τὴν δὲ ἀπολύτρωσιν τοῦ ἐν αὐτῷ Χριστοῦ κεῖσθαι;* sed male. Quare sic construenda versio: *Redemtioncm autem a Iesu obtinendae*
p.226. *perfectionis caussa allatam esse.* — *Δύνασθε τὸ βάπτισμα βαπτισθῆναι* etc.] Paullo aliter in nostris codd. Nam pro *ὃ ἐγὼ μέλλω βαπτίζεσθαι* legitur *ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι.* Verba haec velut ex Matth. 20. desumta citavit ad marginem editionis suae Feuardentius. Exstant quidem in editis N. Testamenti codicibus graecis, et in versionibus syriaca et arabica. Sed quod dudum generatim monuerat Hieronymus in sua in evangelistas ad Damasum Praefatione, quod nimirum *magnus hic in nostris codicibus error inolevit, dum quod in eadem re alius evangelista plus dixit, in alio, quia minus putaverint, addiderunt;* hic speciatim contigisse videtur. Scilicet laudatum comma ex Marci 10, 3. in Matthaei textum translatum fuisse, iam ante nos observarunt doctissimi viri, inter quos Grabius. Idque ex eo colligitur, quod neque in vulgata latina, neque in veteri Italica versione ab erudito Martianaeo nostro paucis abhinc annis publici iuris facta, neque in pluribus antiquioribus, iisque optimae notae MSS. novi Testamenti codd. neque

apud Hilarium, Ambrosium, Hieronymum, aliosque latinos patres legatur. Et hinc est quod nec in citatis monumentis occurrant ea verba versiculi sequentis: *Καὶ τὸ βάπτισμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθήσεσθε.* Accedit et laudatus a clarissimo Grabio Origenes To. XVI. Comment. in Matthaeum p. 415. ubi ita habet: *Ἀποκριθεὶς εἶπε μετὰ τό· οὐκ οἴδατε, τί αἰτεῖσθε, τό· δύνασθε πιεῖν τὸ ποτήριον ὃ ἐγὼ μέλλω πίνειν; ἢ ὡς ὁ Μάρκος ἀνέγραψε· δύνασθε τὸ ποτήριον πιεῖν, ὃ ἐγὼ πίνω, ἢ τὸ βάπτισμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθῆναι;* Nusquam profecto Marcum huc vocasset Origenes, nisi quidpiam amplius in eius textu legisset, quam in Matthaei, quem tunc expendebat. — *Οἱ μὲν γὰρ αὐτῶν* etc.] Haec eadem, usque ad *πρὸς τὸ μᾶλλον καταπλήξασθαι τοὺς τελειουμένους,* ex Irenaeo refert Eusebius lib. IV. hist. Eccles. c. 11. et quidem eodem prorsus modo atque Epiphanius, nisi quod apud illum ista, *εἰς ἕνωσιν καὶ ἀπολύτρωσιν καὶ κοινωνίαν τῶν δυνάμεων,* incuria forte scribarum omissa sint. — *Ἐπιῤῥήσεών τινων*] *Βεβήλων* addi vult Billius ex vet. versione. Sed quum nec eam vocem legerit Eusebius, vero similius est *profanis* de suo addidisse vel interpretem, vel scribam. — *Εἰς Ἰησοῦν*] Hinc Theodoretus emendandus, apud quem lib. I. Haer. fab. c. 9. male omissa praepositione *εἰς,* ante *Ἰησοῦν,* legitur *εἰς κατελθόντα Ἰησοῦν.* — *Καταπλήξασθαι*] Sic quidem et editt. Eusebii. Sed notat Valesius ad hunc Eusebii locum, in quatuor eiusdem MSS. codd. nempe Cardinalis Mazarini, Medicaeo, Fukeriano et Henrici Savilii, haberi *καταπλῆξαι.* Sicque legisse videtur interpres noster, verbo activae significationis usus. — *Baptisma*] Sic reposui ex MSS. p. 227. Clarom. et Pass. iuxta graecum *τὸ βάπτισμα,* sicque vertit paullo superius interpres. In Erasm. Gall. et Feuard. minus bene *baptismo;* paullo melius Grab. ex Merc. II. *baptismum;* quod nomen non raro apud auctores infimae Latinitatis usurpari pro *baptismus,* nemo nescit. — *Mysticum conficiunt – iis qui sacrantur*] Graeca sic ego vertissem: *mysticis quibusdam ritibus initiandos suos consecrant.* — *Βασεμά,* p. 228. *Χαμοσσή* etc.] Hanc formulam aliter descripsit Nicetas in Thesauro Orthod. fid. *Camosi, Bae, anoora mystada rhuda custada, phagor calathi.* Cui haec subnectitur interpretatio: *O qui es super omnem virtutem Patris, te invocamus, qui lumen, et Spiritus bonus, et vita nominaris: quoniam in corpore regnasti.* In cod. Reg. legitur: *Χασιμὴ* pro *Χαμοσσή, βααιανοορὰ* pro *βααιανορά,* et *κουκὰ* pro *κουστά.* Ab Epiphanio longius adhuc recedit interpres latinus. Nec magis secum consentiunt MSS. codd. latini. Nihil mirum. Ut enim ait Ioannes Croius in fine Speciminis coniecturarum in Irenaeum, Tertullianum et Epiphanium, haec et sequentes Marcosiorum formulae ita corruptae et depravatae, ut vestigium aliquod verae lectionis vix appareat. Eas quidem, addit, restituere quidam sunt conati, sed ita infelici successu, ut farraginem potius quandam variarum dialectorum, sine ulla analogia et ratione grammatica, quam germanam proponant restitutionem. Ne vero farraginem farragini addamus, et in re quae tam exiguum ad res Christianas momentum affert, operam ludamus, malumus aliorum coniecturas legi, quam nostras. Consulat ergo, cui per otium licebit, Ioannis Croii Specimen et Rhenferdi Disput. De Redemt. Mar-

cosiorum et Heracleonitarum. — *Εἰς λύτρωσιν ἀγγελικήν*] Clemens a Grabio citatus ex Excerptis pag. 793. col. 1. B. ait verba haec *εἰς λύτρωσιν ἀγγελικήν, hoc est*, inquit, *eam, cuius angeli participes facti sunt, τουτέστιν ἣν καὶ ἄγγελοι ἔχουσιν*, ab haereticis proferri solita *ἐν τῇ χειροθεσίᾳ, in impositione manuum*, ea scilicet quae baptismum excipit. — *Ὄνομα τὸ τῆς ἀποκαταστάσεως*] Legere mavult Rhenferdus a Grabio laudatus *ὀνόματα τὰ τῆς* etc. Sed quidquid sit, non male ab his verbis novam periodum incipit cl. Grabius: videntur enim instar tituli cuiusdam praefigi sequenti formulae. —
p.229. *Christus Dominus viventis*] Male omnino. Graeca sic vertenda cum
p.230. Petavio: *Christi, Christi, inquam, viventis.* — *Ἔπειτα μυρίζουσι*] Ecclesiae catholicae ritum aemulati, in qua neophyti post baptismum inungi solebant. — *Ἄλλοι δέ*] Ascodrutae scilicet seu Ascodrupitae,
p.231. de quibus Theodoretus lib. I. Haer. Fab. c. 10. — *Sacratur*] Melius Billius: *initiatus est* vel saltem *sacratus est.* — *Ab aeone hoc*] Ver-
p.232. tendum erat *ab hoc saeculo.* — *Πατρὸς ὥσπερ οἰκητήριον*] Pro *Πατρὸς* lege cum interpr. *πνεύματος*. Spiritum enim ab anima distinguebant haeretici, illumque ab Achamoth in Demiurgum, eo nesciente, depositum esse asserebant, ut per eum in animam, quam condiderat,
p.233. seminaretur. Vide cap. 5. — *Ea enim quae sunt de ignorantia labis, et passione facta*] Graecorum sensum haud asseculus est interpres. Vertendum cum Billio: *Nam quum defectus et passio ex ignoratione profluxerint.* — *Spiritus*] Praepone *et*, ex graeco. — *Mortuos*] Epiphanius *τελευτῶντας*, quod verti deberet *morientes.* Haec enim imminente obitu peracta fuisse, eiusdem verba perspicue demonstrant. Unde haec Theodoreti lib. I. cap. 11. *ἕτεροι δέ τινες, μετὰ τὴν ἀποβίωσιν, ἔλαιον καὶ ὕδωρ ταῖς τῶν τελευτώντων ἐμβάλλουσι κεφαλαῖς*, male ab eius interprete reddita censeo: *Alii quidam post mortem oleum et aquam mortuorum capitibus iniiciunt.* Vertendum existimo: *Alii quidam, instante interitu, oleum et aquam morientium capitibus iniiciunt.* — *Superascendat super invisibilia interior*] Mallem iuxta graeca Epiphanii legeretur: *superascendat invisibiliter in-*
p.234. *terior* etc. Id magis in haereticorum hypothesin quadraret. — *Μὴ ἐχούσης μητέρα*] Pro *μητέρα* legendum cum interpr. *πατέρα*, ut secum et cum toto Valentinianorum systemate stare queat hoc comma. Achamoth siquidem a Sophia matre genita, sed *sine complexu coniugis Theleti.* — *Ipsos autem abire in sua, proiicientes nodos ipsorum*] Ita om. MSS. et editt. Erasm. et Gall. et Oxon. nisi quod in illis pro *abire* legatur *abeuntes.* Sed Feuard. graeca Epiphanii hic male secutus in singulari numero haec omnia posuit: quum tamen certum sit Epiphanium Irenaei verbis non adeo scrupulose adhaesisse.

CAP. XXII.

p.236. FEUARDENTIUS: *Quum teneamus*] Prioribus et sequentibus haeresibus, partes potiores symboli, quod *regulam fidei* appellat, constanter opponit, praecipue de Dei unitate, eius omnipotentia ac rerum omnium creatione: eadem opera Verbum ac Spiritum sanctum, Patri coniungens in mundi productione et administratione, ut eorum unica sit et inseparabilis operatio, quorum unicam credimus voluntatem, ait

Augustinus. — *Sed per verbum et Spiritum suum*] Opus creationis et gubernationis huius mundi aeque tribuens Spiritui sancto atque Patri et Filio, satis docet eum cum his unius esse voluntatis, potestatis atque Deitatis. — *Hic qui mundum*] Auctoritate vet. cod. delevimus *unum*. — *Hic Deus Abraham*] Non solum ineptus, sed et palam impius fuit Valentinus gentilis, qui ex hoc loco concludere voluit solum Patrem esse verum Deum Israelis, quem patriarchae cognoverunt et coluerunt, non autem Filium ac Spiritum, quoniam his tribus, ut dicebamus, totius mundi creationem et administrationem tanquam uni vero Deo hîc tribuit; figmenta vero Gnosticorum de Propatore, Bytho, Sige et Aeonibus solummodo a Deitate excluduntur, non Filius aut Spiritus sanctus. — *Sed per sententiam malam immutant*] Sic et beatus Hieronymus comment. in 3. cap. Danielis, in 8. Ezechielis et in 3. Oseae, docet omnem haeresin esse idololatriam, olim designatam per idola, quae seu Iudaei seu gentiles coluerunt; quoniam haeretici errorum suorum figmentis verum Deum in simulacrum transmutant, quique maiorem hominum partem destinato creat ut damnet, non possit constituere duo corpora in eodem loco, aut unum eodem tempore in duobus etc. Certe nec prophetae nec apostoli nec martyres nec sancti Patres talem Deum agnoverunt vel docuerunt.

GRABIUS: *Plasma autem Dei*] Id est carnem, quam, ut aeter- p.236.
num viveret, resurrecturam negabant haeretici. Contra quos prolixe disputat lib. V. ac inter alia haec, praesentibus consona habet sub finem capitis 5. *Contradicunt suae saluti impossibile existimantes posse Deum suscitantem corpora in sempiternum perseverationem eis donare.* Unde cap. 6. pergit: *Glorificabitur autem Deus in suo plasmate,* id est carne, de qua post pauca ait, quod sit *plasmata secundum imaginem Dei.* Et mox iterum: *Si enim substantiam tollat aliquis carnis, id est, plasmatis.* Et sic saepius in sequentibus.

MASSUETUS: *Sententia*] Graece, ni fallor, scripsit Irenaeus ἐν- p.236.
νοίας, alludens ad Valentinianorum *ennoeam.* Quare melius vertisset interpres *Ennoea* vel *cogitatione.* — *Plasma*] Arund. *plasmationem* Erasm. Gall. et Feuard. *plasmata.* Plasmatis autem nomine hîc carnem intelligi, quam resurrecturam negabant haeretici, sequentia demonstrant. Lege et lib. V. cap. 5. et 6.

CAP. XXIII.

FEUARDENTIUS: *Magicam exercens artem*] Sic proprie reddi- p.237.
dit ἐν τῇ πόλει μαγεύων, in civitate exercens artem magicam; vetus editio, *in civitate magus.* — *Universam magiam*] Mira sunt et hor- p.238.
renda relatu, quae de isto scripserunt Clemens Rom. (lib. 3. Recogn.) et Abdias (lib. I. hist. Apo.), quod videlicet per aëra volaret, igni commisceretur, statuas loco moveri, animare exanima, lapidesque panem faceret. *Possum facere,* aiebat, *ut volentibus me comprehendere non appaream, rursus volens videri palam sim, si fugere velim montem perforem et saxa quasi lutum pertranseam, vinctus meipsum solvam et eos, qui vincula iniecerint vinctos reddam, novas arbores subito oriri faciam, repentina virgulta producam, in ignem meipsum*

iniiciam, ut non ardeam, vultum meum commuto, ut cognoscar, sed et duas facies habere me possum hominibus ostendere, ut ovis aut capra efficiar, in aëre volando invehar, aurum plurimum ostendam, reges faciam, adorabor ut Dominus publice, divinis donabor honoribus etc. Ad haec nefanda, insana mentis ambitione agitabatur, *ut gloriosus*, ait Irenaeus, id est, quasi ob praeclara facinora eximius, *ab omnibus haberetur;* deinde turpis lucri gratia, cui addictissimum fuisse illum scribit Epiphanius. Hinc observandum, quam recte Augustinus (lib. de util. cred. c. 1.) haereticum definiat, eum esse, *qui alicuius temporalis commodi et maxime gloriae principatusque gratia falsas ac novas opiniones vel gignit vel sequitur.* — *Sub Claudio Caesare*] Ante Irenaeum, b. Iustinus (Apol. 1.) fusius hoc ita descripserat: *Simon Samarita ortus e Gitta oppido sub Claudio Caesare subnixus ope daemonum, et fretus magicis artibus, in hac urbe regia Deus est habitus et quasi Deus honoratus: statua posita in Tiberi inter duos pontes, cum hoc latino titulo* Simoni Deo Sancto, *quem ferme omnes Samaritae, et aliquot etiam in aliis nationibus tanquam primarium Deum adorant una cum Helena quadam, quam tunc circumducebat, antea publice prostitutam, quam ipsi appellant primam intelligentiam.* His subscribunt Tertullianus cap. 13. Apolog. Euseb. lib. II. histor. cap. 12. Cyrill. Ieros. Catech. sexta; Theodoret. libro primo haeret. fabul. Observa autem vilissimorum haereticorum satanicam plane superbiam, qua instar Diaboli pro diis haberi et coli velint. Manichaeis exprobrat Augustinus (lib. cont. epist. Manich. c. 8. et lib. 19. cont. Faust. c. 22.), quod paschati ac passioni Christi solemniter consecratos dies reiicerent, ut diem mortis Manichaei celebrarent, atque per dominum suum Manichaeum iurarent. An non hoc est impurissimo mancipio potius servire, quam supremo omnium Domino et Creatori? — *Hic Selenen* (nos: *Helenam*] Sic post Irenaeum, Augustinus et Cyrillus illam appellant; sed Iustinus, Tertullianus, Eusebius, Epiphanius, Theodoret. Damascen. *Helenam* vocant; quod semel indicasse sufficiat. *Hanc eadem pecunia, quam apostolis obtulerat,* ait Tertullian. (lib. de Anima), *de loco libidinis publice redemit, dignam certe pro Spiritu sancto mercedem.* Ipsam vero circumduxisse et cum natura lascivus esset, in abscondito eidem permisceri solitum scribit Epiphanius (cont. haer. 21). Hic tantum addenda videntur, quae scribit Nicetas lib. IV. Orthodoxiae c. 1. *Simon meretrici cuidam Tyriae genere, Helenaeque nomine, quam secum circumductabat, primae Notionis appellationem indiderat. Et quemadmodum se Deum Patrem, ita et illam aliorum* (Iren. *omnium*) *esse matrem dicebat. In huius gratiam caelo se descendisse subiungebat, ut eam a vinculis quibus detinebatur, assereret; hominibusque in seipsum credentibus salutis auctor esset* etc. In quibus perspicimus quam scelestissimum lasciviae gloriaeque mancipium fuerit Simon
p.239. omnium haereticorum parens. — *Stesichorum*] Lyricus poëta fuit natus 37. Olympiade, qui fertur scripsisse Helenae vituperationem, indeque exoculatum fuisse, rursusque ob palinodiam, Castoris et Pollucis opera, visum recepisse. Huius rei meminit et Tertullian. (lib. de Anima) dicens: *Helenam ut Priamo, sic oculis Stesichori exitio-*

sissimam, quem et excaecavit ob convitium carminis, dehinc reluminavit ob satisfactionem laudis. Ex profanis hanc fabulam tangunt Horatius Ode 17. Epod. Lucianus libro secundo verarum histor. et Philostratus lib. VI. de vita Apollonii. — *Uti eam assumeret primam*] Sic legendum proponimus ex vet. cod. ita indicante etiam Tertulliano (lib. de Anima): *hanc esse ovem perditam, ad quam descenderit pater summus, Simon scilicet, et primum recuperata ea et revecta nescio humeris an feminibus, exinde ad hominum respexerit salutem.* Delevimus vero *poenam.* — *Sed non secundum operas iustas*] Notavi- p.240.
mus ad cap. 1. huius libri Simonianos et Valentinianos in hac fuisse haeresi non bonis operibus, sed sola fide hominem salvari. Adiicimus Eunomianos, imo et pseudoapostolos, de quibus tam frequenter et graviter conqueritur apostolus, eodem errore imbutos fuisse, ut docet b. August. lib. de haer. cap. 54. et lib. de fide et operibus cap. 14. — *Exorcismis et incantationibus utuntur*] Exorcismis id est adiurationibus et imprecationibus, religionis metu obstringunt, etiam magos et a Christo alienos, usos esse ex sacris liquidum est. Apostolos (Luc. 9.) quendam invenisse eiicientem daemonia qui ad eorum consortium non pertinebat; multosque impios supremo iudici dicturos (Matth. 7. et 26.) *in nomine tuo daemonia eiecimus;* imo et larvatum illum pontificem, Dominum validissimo exorcismo adiurasse, referunt evangelia. Quin et ipsum Diabolum Christo dixisse (Marc. 5.) *ὁρκίζω σε, adiuro te per Deum, ne me torqueas.* Quid ergo mirum, si mancipium eius ad tetras imposturas adiurationibus daemones evocaret? — *Amatoria quoque*] Nonnihil de his annotavimus in cap. 9. Reliqua quae ad hunc locum pertinent ita explicat Theod. (lib. I. haer. fabb.): *Qui sectae Simonis erant, se audacter omni libidini et intemperantiae dedebant, et omni incantationum et praestigiarum genere utebantur, amatoria quaedam et pellicientia machinantes* etc. Caeterum *Agogima* superius vertit *adlectantia,* videlicet pocula. Ἀγωγίαι quoque vocantur lenocinia, oblectamenta. *Πάρεδροι* proprie sunt assessores, consiliarii et auxiliarii. Adstabant etenim his impostoribus spiritus immundi, qui eis ad quidvis contra pietatem audendum et aggrediendum auxiliabantur. *Πάρεργον* autem, etsi non unum significet, hoc tamen loco res supervacaneas indicare puto. *Oniropompi* composita vox *ἀπὸ τῶν ὀνείρου,* quod est somnus et somnium, et *πομπεύω,* pompam agito, ostento, glorior: siquidem de insomniis suis tanquam de divinis oraculis gloriabantur atque triumphabant. — *Imaginem quoque*] Disputationem de imaginibus referemus in caput 24. huius libri. — *Habent quoque vocabulum*] Delevimus *vocabula.* Caeterum nec Catholicos, nec Christianos quidem appellandos esse haereticos; sed a principe sectae cognominandos, non solus hîc censet Irenaeus, sed et Iustin. martyr his verbis: *Sunt distincti cognominibus, denominati a quibusdam, ut quisque fuit auctor alicuius novae doctrinae. Ex his alii vocantur Marcionitae, alii Valentiniani, alii Basilidiani, alii Saturniani, alii alio vocabulo, quisque a primo inventore sui dogmatis.* De iisdem et Lactant. (lib. IV. c. 30.) scribit: *Illi daemoniacis fraudibus irretiti, divinum nomen et cultum per imprudentiam perdiderunt. Quum enim Phryges aut Novatiani aut Valentiniani aut*

Marcitae aut Anthropiani seu quilibet alii nominantur, Christiani esse desierunt, qui Christi nomine amisso, humana et externa vocabula induerunt. Antea quoque Tert. (lib. de Praesc. c. 7. et 28.) *Quid haereticis* (inquit) *et Christianis? Si haeretici sunt, Christiani esse non possunt.* Isthaec quoque persequuntur et confirmant Cypr. (lib. de Unit. eccl.), Athanas. (Serm. 2. cont. Arian.), Chrysost. (Hom. 33. in Act.) aliique deinceps Patres, adeo ut etiam legibus suis imperatores prohibuerint haereticis nomen christianum usurpare. C. Lege 6. de haeresibus. — *Huius successor*] Quia huius haeresiarchae originem, dogmata et perditos mores eleganter describit Euseb. (h. e. III. 26.) verba eius addere libuit. *Menander,* ait, *qui Simoni mago successit, seipsum propter sceleratam morum suorum improbitatem secundum diabolicae molitionis propugnaculum illo priore nihilo plane imbecilliorem praestitit. Erat iste etiam Samaritanus, qui, ubi ad summum praestigiarum fastigium, ut facile cum magistro contenderet, pervenerat, maioribus portentis se nobilitavit; et Servatorem ad hominum conservationem ac salutem caelitus e saeculis invisibilibus demissum se praedicavit; docuitque neminem aliter ex angelorum dominatu, qui mundum fabricassent, se posse eripere, quam ut prius experientia magica ab ipso tradita instructus esset, et baptismate, quod ille impertire solebat, ablutus. Quó quidem qui essent dignati, eos perpetuam in hac vita immortalitatem adepturos et non amplius subituros mortem; sed eodem in loco in aeternum commorantes, nulli senio, nullive internecioni aliquando obnoxios fore. Ista certe ex Irenaei scriptis facile licet perspicere.* Huc usque Eusebius, qui et Antiochiae potissimum plurimos illum seduxisse ex Iustini Apol. 2.
p.241. subiicit. — *Et ultra non posse mori*] Tertull. (lib. de Anim.) impudentem hanc pollicitationem digna vellicatione excipiens, e contra *mortem, omnium quaestionum finem, et totius humani generis sententia, naturae debitum pronuntiat. Hoc stipulata est vox Dei, hoc spopondit omne, quod nascitur, ut iam hinc non Epicuri stupor suffundatur, negantis debitum istud ad nos pertinere; sed haeretici magi Menandri Samaritani furor conspuatur, dicentis mortem ad suos non modo non pertinere, verum nec pervenire, in hoc scilicet se a superna et arcana potestate legatum, ut immortales et incorruptibiles et statim resurrectionis compotes fiant, qui baptisma eius induerint.*

p.240. GRABIUS: *Paredri et oniropompi*] Recte quidem [disputat Feuardentius] de paredris, perperam vero de oniropompompis. Hi enim dicebantur spiritus, qui somnia hominibus immittebant, *ἀπὸ τοῦ ὀνείρου καὶ πέμπειν.* Confer de utrisque Valesii notas ad lib. IV. h. e. Eus. c. 7.

CAP. XXIV.

p.241. FEUARDENTIUS: *Ex iis Saturninus*] Hunc *Saturnilium* vocant Epiphanius (cont. Haer. 23.) et Theodoretus (lib. I. haer. fabb.). Porro quum eum ab Antiochea, quae est ad Daphnen, ortum dicit Irenaeus, ab aliis eiusdem nominis urbibus, quas duodecim fuisse narrat Ste-

phanus, secernit; ut ibi suae impietatis organa diabolum praecipue direxisse indicet, ubi maiore animi alacritate apostolorum praedicatio excepta fuerat. Illic enim ministerio Pauli, Barnabae et celebrium aliquot aliorum virorum tanta incrementa ecclesia fecerat, ut ibi primum vocarentur Christiani. Septem annis ecclesiae illi praefuerat Petrus, postea Evodius, dehinc praeclarus ille Ignatius *per magni Petri dexteram*, ait Theodoretus, *pontificatus gratiam suscepit.* — *A septem autem*] Libri huius c. 20. hunc errorem tribuit etiam Simoni; c. 21. Menandro, quibus consentiunt Tertull. Epiphan. Aug. Theodoret. et Philastrius. In eundem autem disputatur infra lib. II. cap. 2. 3. 11. 12. etc. — *Et similitudinem nostram*] Vox *nostram* hoc loco suspecta est, propterea quod Epiphanius scribat, eam a fictitiis angelis Saturnini omissam fuisse: quo videlicet error verisimilitudinem haberet, tanquam alii quidam fecissent hominem, imago vero alterius fuisset. — *Quasi vermiculus scarizaret*] Σκαρίζειν saltare p.242. significat, sed apertius Theodoretus (lib. I. haer. fabb.): *Quum autem figmentum non posset erigi, sed instar vermis serperet, miserta, inquit, divina potentia vitae scintillam immisit.* Epiphanius (cont. Haer. 23.): *Quum factus fuisset homo et propter impotentiam suam non possent ipsum perficere, iacuisse ipsum et se volutasse in terra situm instar vermis reptilis* etc. Tertull. *super terram iacuisse reptantem* etc. — *Salvatorem autem innatum*] Delevimus *ignotum* docente vetere codice, et consentientibus Tertull. (lib. Praescr.) ac Epiphanio, quod hic impostor Christum vere natum et hominem factum negaret; sed solo phantasmate genitum et passum, seu, ut hic additur, putative visum hominem. — *Nubere autem et generare*] Mirum est Gno- p.243. sticos ferme omnes matrimonium honestum non tantum damnasse, sed et ipsum exsecrando, Satanae opus vocitasse, quum promiscuos concubitus et nefarias libidines palam profiterentur. *Sed bellum*, ait Theodoretus (Epit. divin. decret.), *adversus creatorem huius universitatis gerebant, ideo ne per matrimonium opificium eius augeretur, formidabant.* Adversus hunc errorem acerrime disputat toto libro III. Strom. Clem. Alex. et Tertullianus libro I. contra Marcionem; atque lib. V. contra eundem, in cuius sectione 38. etiam quinquies vocat nuptias sacramentum, ut Augustinus lib. I. de nuptiis et concupiscentia, sexies: et libro unico de bono coniugali contra Iovinianum, decies. — *Ab animalibus abstinent*] Hunc locum simulque additam ex vetere codice emendationem ita illustrat Epiphanius (cont. Haer. 23.): *Matrimonium contrahere et generare, idem scurra ex Satana esse dicit. Unde etiam plures ex ipsis ab animatis abstinent, quo per simulatam suam vitam aliquos ad suam fraudem illiciant.* Hos et procul dubio significat b. Clem. Rom. (lib. VI. Const. apost. c. 10.): *Quidam nuptias respuunt; carnem item et vinum in rebus abominandis ponunt; item nubere et liberis operam dare prohibent, ac quosdam cibos capere, scilicet ut hac continentia suae sententiae pravitatem facilius probare possint. Quidam vero ex iis docent abstinendum carnibus, non quod parcant animantibus ratione carentibus, sed quod ea animam rationis participem habere existimant, eosque poenas caedis daturos, qui ea occidere audent.* Hanc vero

doctrinam daemoniorum, cum Apostolo perpetuo damnavit ecclesia, quae nihil natura immundum esse, nihil a Satana, sed omnia a Deo creata, benedicta et valde bona esse credit. Observa autem, quam simulata pietate in Christi gregem graves lupi isti grassarentur, et ecclesiam Dei, ait Clemens Rom. (lib. VI. Const. apost. c. 17.) *veluti vulpeculae vineam labefactarent.* — *Per fictam huiusmodi continentiam*] Ita vet. cod. delevimus vero *perfecta huiusmodi continentia.* — *Basilides*] Hunc Alexandria ortum, in Aegypto autem errorum suorum scholas instituisse Adriano imperante, tradit Eusebius (h. e. l. IV. c. 7.): simulque Castorem Agrippam scriptorem praestantissimum valentissima refutatione subtile captionum illius viri acumen apertissime detexisse. Ceterum polygraphum fuisse, ut qui viginti quatuor commentariorum libros in evangelium scripserit, post Clementem Alex. (lib IV. Strom.) monet idem Eusebius. Tertullianus paullo apertioribus verbis huius haereses ita extulit: *Basilides dicit summum Deum nomine Abraxam; a quo mentem creatam, quam Graeci νοῦν appellant. Inde Verbum, ex illo Providentiam, Virtutem et Sapientiam. Ex ipsis inde Principatus et Potestates et angelos factos. Deinde infinitas angelorum editiones et probolas. Ab ipsis angelis trecentos sexaginta quinque caelos institutos; et mundum in honore Abraxae, cuius nomen hunc in se habeat numerum computatum.* Sic quoque Epiphanius, Theodoretus et Nicetas. — *Deinde a Logo*] His deliriis plures Deos constituere, immo et ex diabolis Deos effingere Basilidem, scribit Clem.
p.244. Alexand. lib. IV. et V. Strom. — *Quod etiam a nobis videtur*] Delevimus *qui a nobis videntur,* auctoritate vet. cod. emendationem probantibus Theodoreto atque Niceta. Ille enim habet *hoc caelum ultimum, quod a nobis videtur.* Iste vero *quod aspectabile nobis est.* — *Reliquae resiluerunt gentes*] Expunximus *residuae ruerunt,* auctor. vet. cod. Locum vero illustrat Epiphanius (cont. Haer. 34.): *Hanc gentem etiam aliae gentes bello impetiverunt, et multa mala ipsi intulerunt propter aliorum angelorum aemulationem, quoniam propulsati velut contemti ab ipso, etiam ipsi proprias gentes contra gentem Israel commoverunt.* Theodoretus (lib. I. haer. fabb): *Iudaeorum administrationem sortito, volenti autem suis gentibus subiicere, alios Principes restitisse.* Tertullian. (lib. de Praesc.): *In ultimis quidem angelis, et qui hunc fecerunt mundum, novissimum ponit Basilides Iudaeorum Deum, id est Deum legis et prophetarum, quem Deum negat, sed angelum dicit. Huic sortito contigisse semen Abrahae atque ideo hunc de terra Aegypti filios Israel in terram Chanaan transtulisse. Hunc turbulentiorem prae ceteris angelis atque ideo et seditiones frequenter et bella concutere, sed et humanum sanguinem fundere.* — *Innatum autem*] Theodoretus: *Ingenitum autem haec videntem, primogenitam mentem suam misisse, quam etiam Christum appellavit, ut servaret eos, qui vellent credere.* Subscribit Nicetas. — *Quapropter neque passum*] Tertullianus (lib. de Praesc.): *Hunc passum apud Iudaeos non esse, sed vice ipsius Simonem crucifixum esse; unde nec in eum credendum esse, qui sit crucifixus, ne quis confiteatur in Simonem credidisse.* Sed eo longe apertius Epiphanius: *Confingit nobis alium fabulae ac dramatis actum, non Iesum passum esse asserens,*

sed Simonem Cyrenaeum. Nam quoniam dum Dominus e Hierosolymis exturbaretur, ut evangelii series habet, coëgerunt quendam Simonem ad portandam crucem; hinc reperit ut nequitiei suae tragoediam confingeret. Et illum, inquit, in eo quod portabat crucem, transformavit in suam speciem et seipsum in Simonem et pro seipso tradidit Simonem, ut crucifigeretur. Quum autem ille crucifigeretur, stabat ex opposito invisibilis Iesus, deridens eos, qui Simonem crucifigebant. Ipse vero discessit ad caelestia, tradito Simone ad crucifigendum, et illaesus processit ad caelum. Verum ipse Simon crucifixus est, et non Christus etc. Nicetas vero sic impietatem istam refellit: *Si Cyrenensis ille passus est, quis alter ille fuit, qui surrexit a mortuis? Vulnera quae in cruce acceperat, ostendit apostolis. Denique cum corpore in caelos ascendit. — Animae autem soli*] Tertull. (lib. de Praesc.) *Carnis re-* p.245. *surrectionem graviter impugnat, negans salutem corporis repromissam. — Prophetias autem*] Theodor. *Prophetias quoque dixit ab angelis esse factas: legem autem fuisse latam a principe Iudaeorum. — Habere autem*] Epiphanius (cont. Haer. 34.): *Sed et hinc omni immunditia profectum capiente, quae a Simone mago initium accepit, omne studium malitiei ac petulantiae discipulos suos perficere praecepit hic erro, et viros, ipsi fidem habentes, cum mulieribus multiplicem quandam mixturam pravi propositi docet. Quare dicit apostolus propter hos et similes ipsis revelari iram Dei et iustum iudicium super eos, qui veritatem in iniustitia detinent. Propter hanc enim caussam voluptatis scilicet multi in haeresin delabuntur, quum reperiant locum licenter perficiendi voluptatem suam in turpibus operationibus. — Utuntur autem et hi magia*] Locum hunc cum emendatione ex vetere codice sic explicat Theodoretus: *Porro autem hi quoque, sicut qui Menandri et Simonis sectam sequuntur, incantationibus et praestigiis et omnis generis imposturis utuntur.* Epiphanius vero: *Quin et magicis artibus ac curiositatibus impostor ille addictus esse non desit.* Itaque pro *imaginibus* reposuimus *magia. — Salvatorem esse Caulaucau*] Theodoretus: *Servatorem autem et divi-* p.246. *num Caulacuam nominant.* Damascenus (lib. de Haer.) de Nicolao Antiochen. d. *Hic in mundum invexit quaedam barbara nomina, ut Caulacauchus et Protonicus, aliaque permulta.* Epiphanius: *Alii χαυλαυχαοχ glorificant, principem quendam hunc sic appellantes, decipere conantes imperitos per hominum terriculamenta et confictam barbaram nominis appellationem.* Et post pauca: *Sed et de Caulaucauch quis legentium non riserit? quod dictiones hebraice probe dictas et graece recte expositas, et nunc apud eos, qui graece norunt manifestas, et nihil obliqui habentes, ipsi in idolorum effictiones et in formas et insubstantivos principatus; et ut ita dicam, statuarum figmenta efformant, apud simplices per imaginationem errorem dispergentes ad turpis et fabulosae artis ipsorum conseminationem. Caulaucauh enim in Isaia c. 28. scriptum est, et est quaedam dictio in duodecima visione, ubi dicit θλίψιν ἐπὶ θλίψιν, ἐλπίδα ἐπ' ἐλπίδα, ἔτι μικρὸν ἔτι μικρὸν προσδέχου.* Id est *afflictionem ad afflictionem, spem ad spem, adhuc parum adhuc parum assume.* Sic enim Septuaginta, quos imitatur, graece reddiderunt verba ista hebraica:

צו לצו צו לצו קו לקו קו לקו זעיר שם זעיר שם. Quae sic de verbo ad verbum vertit Sanctes: *Praeceptum post praeceptum, praeceptum post praeceptum: Linea post lineam, linea post lineam; parum ibi, parum ibi.* Communis translatio: *Manda remanda, manda remanda: exspecta reexspecta, exspecta reexspecta; modicum ibi, modicum ibi.* Porro verbis illis Isaias Iudaeorum impietatem describit, qua prophetarum voces et comminationes cum dicteriis excipiebant et mimesi quadam imitabantur cum contemtu et irrisione. Vel, ut aliis placet, socordiam et ignorantiam populi arguit, qui velut pueri, pedetentim docendus erat, singulis diebus singula praecepta divina tradenda, ut solent institui infantes, quorum captus est admodum exiguus. At impostores isti, ignota sibi, aut saltem rudioribus verba, velut grandia
p.247. mysteria continerent, populo inculcabant. — *Quapropter et parati*] Tertullianus (lib. de Praesc.): *Martyria negat esse facienda.* Epiphanius: *Rursus autem asserit non oportere martyrium subire. Qui enim martyrium subit, mercedis exsors reperietur, quum martyrium sustineat, pro eo, qui hominem fecit. Sustinet enim martyrium pro crucifixo Simone* etc. — *Non autem multos*] Epiphanius: *Iubet autem solum de Patre et suo mysterio, nemini revelare, sed silentio in seipsis continere. Uni vero de mille revelare et duobus de decem millibus.* Theodoretus: *Haec autem dicunt esse ineffabilia, et nec ab omnibus capi aut comprehendi posse, praeterquam ab uno ex mille.* — *Et Iudaeos quidem*] Epiphanius (cont. Haer. 24.): *Quod si ipse et sodales eius interrogentur, Iudaeos quidem seipsos non amplius esse dicunt; Christianos autem nondum factos esse, sed negare semper, habere autem in seipso tacite fidem et nemini ostendere* etc. — *Trecentorum autem*] Hunc locum ita imitatus est Theodoretus: *Dicit autem principem ipsorum esse Abraxax; nominis enim supputatio trecentorum sexaginta quinque numerum significat.* Eadem habet et Damasc. (de Haer.) Augustin. (de Haeres.) vero in partium supputatione diutius immoratur, ita scribens: *Basilides trecentos sexaginta quinque caelos esse dicebat, quo numero dierum annus includitur. Unde etiam quasi sanctum nomen commendabat, quod est ἀβράξας: cuius nominis litterae secundum graecam supputationem, eundem numerum complent. Sunt enim septem α et β et ρ et α et ξ et α et ς, id est, unum et duo, et centum et unum, et sexaginta et unum, et ducenta, quae fiunt in summa, trecenta sexaginta quinque.* Epiphanii (cont. Haer. 24.) prolixior tractatio, in qua etiam Irenaeum nominatim appellat, in idem redit. Porro beatus Hieronymus (lib. I. com. in Amos) asserit *Mithram,* sub eodem numero aliarum litterarum, ethnicis esse, quam Basilides portentoso nomine vocat *Abraxan.* Caeterum Baronius vir doctissimus et lectissimus Appendice ad secundum Tomum Annalium ex inscriptionibus cuiusdam gemnae e ruderibus erutae, contendit legendum potius ABRACAX seu ABRASAX, quam ABRAXAS; et eundem Basilidi loco fuisse summi Dei, cuius et imagines amuleti loco suis exhiberet plane monstrosas, ut ex ea, quae gemma continetur apparet; ac proinde summo iure damnatas fuisse ab Irenaeo. Legit enim ille in hoc Irenaei capite: *Utuntur autem imaginibus:* emendationemque tam veteris codicis,

quam Epiphanii ac Theodoreti non sequitur, sed propriam sententiam.

GRABIUS: *In suum characterem doctrinae transtulerunt*] Non ut ea emendarent, sed ut iis sententiam suam illustrarent. Pearson. Part. 2. Vindic. Epist. s. Ignatii cap. 6. pag. 72. Ceterum graece ab Irenaeo scriptum fuisse *εἰς ἴδιον χαρακτῆρα διδασκαλίας μετήνεγκαν*, ex superiori p. 42. colligitur. p. 247.

MASSUETUS: *Et propter hoc quod dissolvere voluerint Patrem eius omnes Principes*] Existimat Grabius interpretem verba Irenaei, ob amphiboliam ex duobus accusativis ortam, perperam vertisse, quum ita reddere debuisset: *Propter hoc, quod dissolvere voluerit Pater eius omnes Principes* etc. Id quidem, fateor, cum Theodoreti verbis magis conveniret. Sed non propterea ab Irenaei sensu recedit interpres noster: quum maxime scribat Epiphanius §. 2. angelos rebelles factos, a Patre descivisse, quem proinde dissolvere voluerunt. Et hoc sensu, qui forte Irenaei est (cuius ipsa praecise verba referre Theodoreto animus non erat), vertere potuit interpres: *Propter hoc, quod dissolvere voluerint Patrem eius* (Christi) *omnes Principes* etc. Quare verba eius haud sollicitanda esse puto. Consule Epiphanium. — *Resilue-runt*] Sic Clarom. Pass. Voss. et Feuard. pro quo in Erasm. Gall. Merc. II. et Ottob. corrupte legitur *residuae erunt*. In Arund. vero, quem secutus et Grab. *restiterunt;* recte quidem, nisi codicem hunc interpolatum suspicarer. Quidquid sit, *resiluerunt eius genti* hic scripsit interpres, pro *resiluerunt ab eius gente*. — *Corruptibile*] I. e. *non resurrecturum;* negabat enim hic haereticus carnis resurrectionem, ut aiunt Theodoret. et Tertull. lib. de Praescript. cap. 46. — *Hi magia et imaginibus*] Sic iterum restituo partim ex MSS. Clarom. Pass. Voss. et edit. Feuard. partim ex codd. Arund. Merc. II. et editt. Erasm. et Gall. Ex illis addo *hi magis*, ex istis *et imaginibus:* (incuria tamen amanuensis scriptum in Merc. II. *imaginis* pro *imaginibus*) ut enim Erasm. et Gall. perperam omiserunt *hi magia;* sic nec Feuardentius et Grabius expungere debuerunt *et imaginibus*. Nam quum Irenaeus ait quod *utuntur et hi magia* etc. istud *et* respicit procul dubio Simonem magum, a quo hanc doctrinae suae partem mutuati fuerant Basilidiani. Atqui nedum magia, sed et superstitiosis quibusdam imaginibus utebatur Simon: quibus et usos fuisse Basilidianos certo certius evadit ex Basilidianis gemmis, etiamnum superstitibus, in quibus caelatas videmus tot portentosas imagines, apposito saepe famoso illo nomine *ΑΒΡΑΞΑΣ*, quas suis amuleti loco exhibebant. — *Quemadmodum et mundus nomen esse — Caulacau*] In Pass. *quemadmodum et mundus non esse*. Pro *Caulacau* Clarom. et Pass. habent *Caulagau Deum*. Alii *Caulaucau, Caulagau, Caulacava* etc. Genuinam vero lectionem *Caulacau*, ex Esaiae 28, 10. cum Grabio reposui, neglectis vitiosis editis et MSS. Textum autem hic mutilum esse vel corruptum, indeque difficile genuinum elicere sensum, recte notat vir clarissimus. Vult Theodoretus *Caulacau* Salvatoris; Epiphanius vero Haer. 25. principis alicuius fuisse nomen. Id certius, vocabulum istud hebraeum ab haereticis eo fine duntaxat adhibitum, ut vocis insolentia terrorem simplicium pectoribus incuterent. Nam p. 248. p. 244. p. 245. p. 246.

קו לקו Epiphanio significat *spes super spem,* aliis *linea ad lineam,* vel *regula ad regulam:* quae qui Basilidianorum deliriis aptari possint,
p.247. non video. — *Continere*] Post hoc verbum addidit Grabius ex MSS. Arund. et Merc. II. *pertinere,* idemque esse ait, quod *decere.* Sed quum hoc desit in omnibus aliis cum editt. tum MSS. textuique obscuritatem magis, quam lucem afferat, expungendum existimavi. — *Per silentium*] Graece scriptum fuisse putat Pearsonius Parte 2. Vindic. epist. s. Ignat. c. 6. p. 64. non *διὰ Σιγῆς,* sed *διὰ τὴν Σιγήν,* id est *propter Sigen.* Ἔννοιαν enim et *Σιγὴν* vocatam a Basilide putat vir doctissimus. Sed quidquid sit de duplici Ἐννοίας nomine, vulgata lectio, cui etiam favet Epiphanius, praeferenda videtur. — *Esse autem principem illorum* Ἀβράξας etc.] Theodoret. *Εἶναι δὲ τὸν ἄρχοντα αὐτῶν φησιν Ἀβρασάξ. Ἡ γὰρ ψῆφος τοῦ ὀνόματος, τῶν τξέ οὐρανῶν σημαίνει τὸν ἀριθμόν.* Nec abludit Epiphanius. Uterque vero scripsit Ἀβρασάξ, Latini vero plerumque Ἀβράξας, quod satis indifferens esse videtur. Asserunt autem illi Ἀβράξας esse nomen primi ac praecipui caeli, quod numerum CCCLXV. in se contineat. Si enim singulas, quibus constat Ἀβράξας, litteras ut totidem notas arithmeticas accipias, invenies CCCLXV. Aiunt vero Tertullianus lib. de Praescript. c. 46. Hieronymus in cap. 3. Amos et alii, a Basilide sic appellatum esse summum Deum. Addit Hieronymus *Mithran* sub eodem numero aliarum litterarum ethnicis esse, quem Basilides portentoso nomine vocat *Abraxan.* Frequenter ea vox inscripta legitur in Basilidianorum gemmis. Sed ne frustra repetendo quae alii ante nos ea de re scripserunt, erudito lectori fastidio simus, legatur *Ioannis Macarii* Canonici Ariensis *Abraxas,* seu de Gemmis Basilidianis Disquisitio etc. exhibita et commentario illustrata a Ioanne Chifletio Canonico Tornacensi. Antverp. 1657. et doctissimi nostri Domni Bernardi de Montfaucon opus singulare et omni eruditionis genere refertum de *Palaeographia Graeca* lib. II. c. 8.

CAP. XXV.

p.247. FEUARDENTIUS: *Carpocrates*] Hunc genere Alexandrinum fuisse tradit Theodoretus (lib. I. haeret. fab.); magum autem et impurum fornicarium Tertullianus (lib. de Anima); alios vero omnes haereticos morum improbitate eundem superasse: quippe qui ex Simonis, Menandri, Saturnili, Basilidis et Nicolai sententia sordes hauserit, et sectam inde construxerit, quam Gnosticorum nominavit, ut testis est
p.248. Epiphanius (contra Haeres. 27.). — *Circumlatione*] Theodoretus: *Dominum Iesum ex Ioseph et Maria natum esse dicebat, sicut et alii homines; virtute autem fuisse insignem, ut qui puram habebat animam et memorem suae cum Ingenito consuetudinis.* Epiphanius quoque correctiones ex vetere codice adhibitas agnoscens: *Quandoquidem,* ait, *validam prae ceteris hominibus habebat animam, et memoria tenebat ea, quae visa erant ab ipsa superne, quando et in circumferentia ignoti illius Patris erat, demissae sunt, inquiebat Carpocras, ab eodem Patre in animam ipsius virtutes, quo visorum ab ipsa recordata, et potentia corroborata, angelos mundi fabricatores effugeret* etc. Pro *circulatione, circumlatione* reposuimus, ut mox pro *ut in*

mundi fabricatoribus, uti mundi fabricatores. — *Et ea quae*] Epiphanius: *Quin et similes ipsi animas, aequalia ipsi amplexas, eodem modo liberatas, sursum volasse ad ignotum Patrem* etc. Damascenus: *Quod si quis similia, quae Iesus, gereret, eum illius similem esse dicebat.* — *Iesu autem dicunt animam*] Hunc locum ad mediam usque p.249. partem capitis huius, hisdem verbis transscripsit Epiphanius contra Haeres. 27. quae, ne paginas oneremus, adducere non libet. Eius vero auctoritate et veteris codicis consensu pro *peius* reposuimus *poenis* et pro *erant, inerant hominibus.* — *Dignas habitas*] Ita legit vetus codex: Epiphanii interpres, *eadem virtute dignae factae.* Itaque delevimus *dignos habitos.* — *Artes enim magicas*] Hanc sententiam sic exprimit Eusebius (lib. IV. histor cap. 7.): *Isti magicas Simonis praestigias non ex occulto quidem, ut ille, sed iam in apertum iure proferendas censuerunt: et non modo philtris amatoriis curiose ab illis elaboratis, et quibusdam daemonibus, qui eorum animis nefaria iniecere somnia, quique illis assessores exstitere, verum etiam aliis non disparibus ineptiis, se iam tanquam rebus maximi fere momenti et ponderis nobilitarunt.* — *Qui et ipsi ad detractionem*] Epiphanius p.250. (contra Haeres. 27.): *Sunt autem a Satana subornati ac producti, in opprobrium ac scandalum ecclesiae Dei. Indiderunt enim sibi ipsis cognomen Christianorum, ad hoc ut gentes per ipsos offendantur, et sanctae ecclesiae Dei utilitatem et veram praedicationem, propter illorum nefaria facta et incomparabilem improbitatem, aversentur, et ut gentes ipsorum assiduo nefaria opera considerantes, putent etiam sanctas Dei ecclesias tales esse, et avertant, velut dixi, aures a Dei et veritatis doctrina* etc. De iisdem quoque conqueritur Eusebius libro quarto Hist. capite septimo, et longe ante hos Iustin. mart. in Colloquio cum Tryphone, omnium gravissime. — *Si non praeoccu-* p.251. *pans*] Isthaec explicatius narrat Theodoretus (lib. I. haeret. fab.): *Quum Pythagoricas a corporibus in corpora traiectiones admisissent, quod eis connexum a Pythagora dicebatur, non admiserunt. Pythagoras enim dicebat animas quae peccarant, mitti in corpora, ut et poenas darent et rite expiarentur. Dicunt enim animas mitti in corpora, ut omne genus libidinis et petulantiae peragant; eas ergo, quae in uno descensu impleverint, non egere alia missione; quae autem parum peccarunt, et bis mitti et ter et saepius, donec omnia vitiorum genera impleverint.* — *Quae sunt secundum nos civitates*] Septem voculas, quas ex vetere cod. adiecimus, agnoscit Epiphanius (contra Haeres. 27.), et sententiam longe apertius explicat. *Ita habent ipsorum libri,* inquit, *ut si quis prudentia praeditus legat, admiretur, ac stupeat et non credat, quod haec sic ab hominibus fiant, non solum his, qui civitatem nobiscum inhabitant, sed etiam his, qui cum bestiis et similibus bestiis ac pecoribus, ferme dixerim, quae canes ac sues faciunt, facere audent. Aiunt enim, oportere his omnibus penitus uti, ut ne egressae animae aliquo opere relicto, ea de caussa revertantur in corpus rursus ad faciendum ea, quae non fecerunt.* — *Quum es cum adversario*] Hunc evangelii locum et fusissime et praeclare discutit Tertullianus libro de Anima contra huius Carpocratis opinionem. — *Et si quidem fiant haec*] Cum laudis digna praefatione p.252.

haec ex Irenaeo transscripsit Theodoretus (lib. I. haeret. fab.) usque
p.253. ad illud *alii vero ex ipsis signant.* — *Alii vero ex ipsis*] Epiph. *Ceterum signaculum per cauterium aut novaculam aut subulam immittunt ac incutiunt Carpocratiani in dexteram inferiorem auriculam iis, qui ab ipsis decepti sunt.* Symbolis inustionibusque istis externis, opinor, utebantur, ut primo occursu eiusdem secum factionis asseclas agnoscerent, consilia communicarent et promiscuis concubitibus miscerentur. In his vero nec a variarum gentium moribus recedebant, quarum meminit Tertullian. lib. de velandis virginibus, *Garamantes pennis, strobulis Barbaros, cicadis Athenienses, cirris Germanos, et stigmatibus Britones* insignitos fuisse narrans. Signum quoque inter Gnosticos Epiphanius (contra Haeres. 26.) tradit exstitisse virorum ad feminas et feminarum ad viros; in extendendo manum ad salutationem, videlicet subter palmam contrectationem quandam titillationis, per hoc se inducere ostendentes, quod eiusdem religionis esset, qui accessit. Hinc igitur mutua cognitione accepta, statim ad epulationem convertuntur. Ubi compotarunt et venas impleverunt, ad oestrum se convertunt. Et vir quidem concedens uxorem alteri, ad ipsam dicit, *Surge, fac dilectionem cum fratre* etc. Postremo stigmata illa obedientiae et servitutis perpetuae signa erant, quibus sectae illi quasi sacramento nomina dabant, a qua deficere nunquam liceret. Sic dudum servo hebraeo, qui anni septimi beneficio noluisset liber exire, servitutem libertati anteponens, subula aurem ad ostium perforare lex (Exod. 21. Deut. 15.) iubebat. Ceterum, praecursores certe Antichristi agebant Gnostici, quem suos in dextera et fronte signaturum praedicit sacra Ioannis revelatio (Apoc. 13.). An vero recentiores veteribus illis meliores sint, iudicent qui mores eorum melius explorarunt. — *Unde et Marcellina*] Ut apostoli (Clem. Rom. lib. II. const. Apo. c. 32. et lib. III. c. 15.) piarum mulierum opera usi sunt ad ciborum praeparationem, et mulierum infidelium contubernia privatim erudienda, semota omni turpitudinis suspicione, aliisque piis officiis, atque ideo presbyteras et diaconissas illos instituisse constat: sic et pseudoprophetae isti latius virus suum dispergebant, et utrumque sexum corrumpebant impudicarum mulierum ministerio. Marcellinae autem huius meminerunt etiam Epiphan. et Augustin. Hieron. id genus bestiarum catalogum contexuit, quem hic addere libet: *Simon magus haeresin condidit, Helenae meretricis adiutus auxilio; Nicolaus Antiochenus, omnium immunditiarum repertor, choros duxit feminarum; Marcion Romam praemisit mulierem, quae decipiendos sibi animos praepararet; Apelles Philomenen comitem suarum habuit doctrinarum; Montanus immundi spiritus praedicator, multas ecclesias per Priscam et Maximillam, nobiles et opulentas feminas, primum auro corrupit, deinde haeresi polluit. Arius ut orbem deciperet, sororem principis prius decepit. Donatus per Africam, ut infelices quosque foetentibus pollueret aquis, Lucillae opibus adiutus est. In Hispania Agape Elpidium, mulier virum, caecum caeca duxit in foveam; successoremque sui Priscillianum habuit, cui iuncta Galla, ulterius et vicinae haereseos reliquit heredem.* — *Et imagines quasdam*] Augustinus (lib. de haeres.): *Sectae Simonis fuisse traditur socia quaedam*

Marcellina, quae colebat imagines Iesu et Pauli et Homeri et Pythagorae, adorando incensumque ponendo. Theodoretus (lib. I. haeret. fab.): *Qui sectae Simonis erant, quum statuam eius in Iovis figuram construxissent, Helenae autem in Minervae speciem, eis thura adolebant ac libabant, et tanquam Deus adorabant.* Epiphanius (contra Haeres. 27.): *Habent imagines per colorem depictas, quidam etiam ex auro, et argento ac reliqua materia, quas sane imagines Iesu esse dicunt, et sub Pilato factas esse: habent autem eas occulte. Insuperque Philosophorum quorundam, Pythagorae, Platonis, Aristotelis et aliorum, cum quibus etiam alias imagines Iesu collocant, collocatasque adorant, et gentium mysteria perficiunt. Qui vero sunt gentium mores alii, quam sacrificium atque alia?* Plurimas igitur ex patribus et iustissimas rationes audis, quibus permotus Irenaeus Gnosticorum imagines reprobat: siquidem more gentium thure et sacrificiis eis libabant, et tanquam viventes Deos, supremo cultu adorabant, creaturae servientes potius quam creatori. Deinde profanorum et impiorum simulacris illas miscebant, Christo Deo Salvatori nostro illos aequantes. Postremo, dum occulte illas adservabant, quum per ethnicos palam liceret, facile quisque sibi persuadebit monstrosas et propudiosas fuisse; maxime quum talem Christum illis figuris exprimerent, qualem portentosis animi opinionibus eum esse confingebant. Magdeburgenses itaque et Gallasius, qui ex hoc Irenaei loco contendunt, tunc temporis nullum imaginum Christi et apostolorum usum in ecclesia fuisse, nec veterum testimoniis aut exemplis comprobari posse: vel crassissima ignorantia laborant, vel certe impudentissimo mendacio omnibus student imponere. Non dissimili impietate ac inscitia in publico Mompelgartensi colloquio palam Beza clamavit: *ecclesiam veterem picturis caruisse.* Insuper *ecclesiam primitivam trecentis annis usum imaginum non habuisse.* Prorupit rursum in istas, etiam Lutheranis adstantibus, horrendas et exsecrandas voces: *Fateor me ex animo Crucifixi imaginem detestari, ideo eam non possum ferre* etc. Ego autem contra apertissimis et validissimis assertionibus, quod primum asserunt, falsum esse et Christi apostolorumque saeculo pium et publicum usum venerandarum imaginum inter Christianos fuisse evincam. 1. Nicodemum illum, qui noctu primum Iesum convenit et eiusdem postea corpus passionis cruciatibus laniatum de cruce deposuit, *propriis manibus crucifixi imaginem sibi efformasse,* eamque ante mortem Gamalieli tradidisse asservandam, et hunc Iacobo; Iacobum Symeoni; istumque sibi succedenti Zacchaeo; sicque deinceps conservatam, quoadusque Iudaei in Berytho Syriae urbe omnia passionis dominicae probra in eandem renovarunt, pluribus inde consecutis miraculis; elegantissimo libro ante 1260 annos docuit magnus ille Athanasius (lib. de pass. imaginis Domini nostri Iesu Christi): quem perlectum ante annos octingentos, omnium patrum suffragiis excepit universalis Nicaena Synodus. 2. Superstes adhuc cum apostolis peregrinabatur Christus, quum mulier illa, quam a profluvio sanguinis curaverat, in Caesarea Palaestinae in monumentum accepti beneficii illius, *imaginem aeream palam erexit,* quam Eusebius (lib. 7. histor. cap. 14.) illic *adhuc stantem conspexit, simulque alias Petri et Pauli a Christianis*

religiose conservari. Immo testantur (Antipater Bostrensis Episc. orat. de muliere laborante. Sozomenus lib. 5. hist. cap. 20.) historiae Eusebium proxime secutae, illas Christi et Haemorrhoissae statuas ad tempora usque Iuliani Apostatae permansisse; qui, ut Iconoclastarum aevum decebat, sicut Christianae fidei, ita Christi et sanctorum imaginibus bellum indixerat. 3. Accedit apostolorum ipsorum constitutio in synodo Antiochena, cuius summa talis est: *περὶ τοῦ μὴ πλανᾶσθαι τοὺς σωζομένους εἰς τὰ εἴδολα· ἀλλὰ ἀντεικονίζειν τὴν θεανδρικὴν ἄχραντον χειροποίητον στήλην τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ τῶν αὐτοῦ θεραπόντων ἀντικρὺ τῶν εἰδώλων καὶ Ἰουδαίων κτλ.* Id est, *Non debere servatos circa idola errare; sed pro eis incontaminatam veri Dei simul et hominis, Salvatorisque nostri Iesu Christi, et servorum ipsius, manibus efformatam imaginem, contra idola et Iudaeos erigere* etc. Tria vero hic diserte notata habes. Primum, Christi Domini et servorum eius manibus efformandas esse imagines: deinde, idolorum districtam prohibitionem; postremo, gentium idolomaniae et Iudaeorum superstitioni opponendas esse Christi et Sanctorum imagines. Hunc autem apostolicum canonem germanum esse, non recens unus et alter in angulo affirmant; sed prope innumerabiles, qui in publico totius orbis theatro ante octingentos annos convenerunt patres, synodo Nicaena posteriore. Hoc quoque canone innixus Basilius Magnus (Epist. ad Iul. lib. 7. hist. cap. 14.), ante 1270 asseruit, *imaginum usum ab apostolis emanasse;* simulque eo adhuc antiquior Eusebius *a maioribus prodiüsse confirmans;* et Pamphilus martyr utroque superior, hanc apostolorum constitutionem, cum pluribus aliis, se in Origenis bibliotheca reperisse testatur. 4. Subiungam Damasceni (lib. 4. de fide orth. cap. 17.), Evagrii (lib. 4. hist. cap. 26.) et Nicephori (lib. 2. hist. c. 7.) ex archivis Edessae civitatis depromptam narrationem, de rege Abagaro, alias Augaro, qui fama curationum Christi permotus, consequendae sanitatis ergo, Ananiam cursorem expeditum ad eum misit. Sed quum pro votis res minime succederet regi, ut desiderio quo flagrabat, vel ex parte faceret satis, pictorem eximium misit, qui Christi faciem effictam accurate, afferret. At quum pictor ob splendorem vultus opus non posset absolvere; Salvator *textum lineum petiit, in eoque expressam faciei imaginem ad regem misit.* Hanc adhuc sua aetate, non sine populi veneratione Edessae conspexisse, Leo Constantinopotanus lector coram universali synodo Nicaena confirmavit. Persarum etiam regem eadem tempestate Christi et Matris eius figuras accepisse subiicit Nicephorus (Niceph. lib. 2. hist. c. 43. et lib. 6. cap. 16. et lib. 14. caq. 2.). Quin et beatum Lucam evangelistam b. Virginis, quam de facie noverat, simulque beatorum Petri et Pauli imagines depinxisse, quae Pulcheriae imperatricis saeculo adhuc Constantinopoli servabantur, non semel adfirmat. Postremo, quis, si vel a limine venerandam antiquitatem salutaverit, nescit crucis dominicae signum et figuram, usumque eius apostolis ipsis et Christianis omnibus frequentissimum fuisse? Dionysius Areopagita unico libro de Ecclesiastica hierar. octies illius meminit. Nicodemus in histor. de Passione et Resurrectione Salvatoris, ter. Abdias decem et octo locis, eiusdem

expressione apostolos varia perfecisse miracula recenset. Iustinus in Dialogo, ex veteris Testamenti variis figuris, et in calce Apolog. 2. in omnium rerum creatarum ordinibus effictam, accurate docet Quem nunc latent praeclara Ignatii, Martialis, Tertulliani, Cypriani, Origenis, Lactantii, Athanasii de figuratione crucis verba? Apertissimum ergo est Christi et apostolorum aevo sacrarum imaginum usum fuisse. Alterum falsae assertionis caput, quo aiunt nec veteris ecclesiae exemplis nec priscorum patrum testimoniis imaginum usum confirmari posse, ex Calvini officina prodiit; qui annis quingentis a Christo, quibus adhuc florebat religio et sincerior doctrina vigebat, christiana templa ab imaginibus vacua fuisse scribere non erubuit: quo mendacio nihil impudentius dici potest. Siquidem ante 1100 annos scripsit Augustinus (lib. I. de consensu evang. c. 10., lib. 22. contra Faust. c. 73.): *pluribus locis Petrum et Paulum una cum Christo depictos, etiam paganos vidisse; et Abrahae sponte filium immolantis nobile factum, tot linguis cantatum et tot locis pictum, ut aures et oculos dissimulantium feriret. Insuper Adami et Evae foliis contegentium pudenda admisso peccato, picturas prostitisse.* Idem apertissimis verbis (lib. 5. contra Iul. Pelagianum c. 2., lib. 2. de visit. infir. c. 3.), *dominicae crucis figuram, hominisque inibi patientis affixam imaginem, ad crucifixi Domini nostri recordationem et pigritantis fidei excitationem, humiliter complecti, suppliciter venerari* suadet. Idem postremo publica de b. Stephano, martyrium fortissime subeunte, ad populum suum concione dicit (Serm. 2. de s. Steph.): *Passio eius insignis est, multumque mirabilis: hanc modo de libro Actuum apost. quum legeretur audivimus, non solum, sed etiam oculis spectavimus.* Quibus aperte significat non modo historias sanctorum martyrum publice legi solitas in templis; verum in tabellis graphice depictas et expressas, oculis fidelium tum subiectas fuisse. Accedit et Paulinus, ad quem tot Augustini et Hieronymi exstant epistolae. Is Severum extollit (Epist. 12. ad Severum), *quod in loco refectionis humanae, id est baptisterio, b. Martini effigiem depinxisset, ut deponentibus in lavacro terrenae imaginis vetustatem, imitanda caelestis animae occurreret effigies.* Misit praeterea ad eundem hos versus, quos imagini Crucifixi eo loci erectae adscribi curaret:

Cerne coronatam Domini super atria Christi
Stare crucem, duro spondentem celsa labori
Praemia: tolle crucem, qui vis auferre coronam.

Et ad alias crucis imagines in egressu basilicae:

Ardua floriferae crux cingitur orbe coronae,
Et Domini fuso tincta cruore rubet:
Quaeque super signum resident caeleste columbae,
Simplicibus produnt regna patere Dei.

Damasus etiam ea aetate res gestas superiorum Pontificum colligens (de vitis Pontificum): *Ioannis Baptistae confessionem, ex argento auream. Item et crucis imaginem, Hilarium, qui longe eum praecesserat, fecisse narrat.* Hieronymus quoque (in epitaphio Paulae) Paulam magno pietatis ardore montem Calvariae conscendisse narrat, *et prostratam ante crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorasse.*

Veluti malum in navi, crucem erectam in ecclesia esse, qua inter saeculi naufragia servatur incolumis, concionabatur Ambrosius (Ser. 55.). Eximium poëtam christianum Prudentium praeterire non possum, qui certamina martyrum exprimentes imagines in templis collocatas versibus cecinit, quum genibus ad sancti Cassiani martyris tumulum advolveretur (carmine de passione b. Cassiani martyris):

Erexi ad caelum faciem, stetit obvia contra
Fusis colorum picta imago martyris.
Plagas mille gerens, totos lacerata per artus,
Ruptam minutis praeferens punctis cutem,
Innumeri circum pueri, miserabile visu,
Confossa parvis membra figebant stilis.
Aedituus consultus ait, quod prospicis hospes,
Non est inanis aut anilis fabula,
Historiam pictura refert, quae tradita libris
Veram vetusti temporis monstrat fidem etc.

His omnibus superior Lactantius (Carm. de pass. Christi) his lectissimis versibus (quos et Gyraldus et antiqua exemplaria probant esse germana) docet, qua pietate Christi de cruce pendentis imago in templis publice erecta sit contemplanda, quando Christum ita loquentem inducit:

Quisquis ades, mediique subis in limina templi,
Siste parum, insontemque tuo pro crimine passum
Respice me, me conde animo, me in pectore serva etc.

Et paullo post medium:

Cerne manus clavis fixas, tractosque lacertos,
Atque ingens lateri vulnus, cerne inde fluorem
Sanguineum, fossosque pedes, artusque cruentos.
Flecte genu, lignumque crucis venerabile adora
Flebilis, innocuo terramque cruore madentem
Ore patens humili, lacrymis suffunde subortis etc.

Tertullianus (lib. de Pudicitia c. 7. et 10.) denique vir apostolicorum temporum, iam tunc publicum et in sacris conventibus fuisse imaginum usum ostendit manifeste, scribens, etiam in ipsis sanctis calicibus insculptas fuisse Christi instar boni pastoris ovem aberrantem in humeros referentis effigies. Hucusque latinos patres, impudens mendacium Calvini retegentes audivimus; addamus iam, si placet, ut omni ex parte convincatur, eiusdem aetatis et graecos. Imperante Theodosio, b. Theodoretus Cyri Episcopus (in vita Simeonis), Simeonem Stylitem tanta sanctitatis fama nobilitatum scripsit, *ut Romani in omnibus etiam officinarum vestibulis et porticibus eius imagines collocarent, securitatem et custodiam quandam rebus suis praestare arbitrati.* At ipse est Simeon, qui ante Theodoreti tempora, epistola ad Iustinum imperatorem, gravissime fuerat conquestus de Samaritis, *qui in Christi Domini nostri imaginem, eiusque matris, infando facinore grassati fuerant.* Addam pulcherrimum Leontii Neapolis episcopi suffragium (lib. 5. Apol. pro Christ.): *Sicut Iacob,* inquit, *accipiens a filiis vestem Ioseph sanguine conspersam, cum lacrymis eam osculatus est, per eam arbitratus se Ioseph osculari et in manibus*

habere: sic et omnes imaginem Christi aut apostoli aut martyris tenentes, ipsum Christum aut martyrem videmur nobis animo complecti. Basilium Magnum (epist. ad Iul. in Actis Concil. Nicaeni) ante hos omnes, *historias imaginum sanctorum prophetarum, apostolorum et martyrum in omnibus per Orientem ecclesiis erectas sese suscepisse et palam honorasse, ut ab apostolis traditum fuerat,* idem sibi ipse testis est. Eius frater Gregorius Nyssenus (Serm. de Patriar. Abraham in Con. Nic.), *non frequenter passionis Christi figuram cum lacrymis intuebatur,* adeo efficaciter ob oculos historiam pictura ponebat. Istis non inferior Chrysostomus (in encomio Meletii): *b. Meletii imaginem in annulis, poculis, phialis, thalami parietibus et aliis locis multos effinxisse, ut corporis sanctissimi viri formam ubique conspicerent,* et narrat et laudat. Quin et se *ex cera confictam imaginem, pietate plenam amasse* non dissimulat (Orat. quod vet. et nov. Test. unus sit legislator). Athanasius (Orat. 4. contra Arian.) omnem imaginibus exhibitum honorem ad prototypum referri docet. Denique his omnibus superior Eusebius (lib. 3. de vita Constant. c. 48.), imperatorem Constantinum tanto divini amoris ardore incensum refert, *ut etiam in medio foro urbis Constantinopol. Danielem cum leonibus in aere incisum, aurique laminis splendescentem; simulque in ipso palatii introitu, in maxima tabula, salutaris Christi passionis insigne ex lapillis pretiosis cuiusque modi auroque multo polite elaboratis, confectum, figendum curaverit.* Evicimus ergo ex latinae et graecae ecclesiae praestantissimis plurimisque patribus non longius a Christi ascensione, quam quadringentis annis recedentibus, *sub quibus sincerior Dei cultus,* vel confitentibus adversariis, *adhuc viguit,* usum imaginum, Christi et apostolorum tempore, atque deinceps et sacrum et publicum inter Christianos fuisse. Qui illum igitur oppugnant, Manichaei, Iuliani apostatae, impurissimi Mahometis, Turcarum tyrannidis et Iudaeorum propugnatores potius, quam pietatis et veritatis christianae assertores haberi debent. Sed ut etiam proprio iudicio Calviniani et Bezani maneant condemnati, coronidis vice isthaec adiiciam. Beza, ut in Actis colloquii Monpelgartensis refertur pag. 393 et 400, usum picturae et sculpturae in historiis sacris (inter quas et Christi passionem commemorandam nemo Christianus negabit) repraesentandis, per se ἀδιάφορον esse, concessit. Deinde, Paulinum Nolanum episcopum morem pingendorum parietum invexisse simplici zelo: et eundem tam bono consilio instituisse imagines (id vero, ut paullo ante ex eodem audivimus, in locis sacris) ut nemo studium eius reprobare aut reprehendere possit. *Praeterea, nos* (inquit item Beza), *non modo picturas, sed etiam sculpturas nunquam improbavimus: quarum magnus est usus non solum in sacris historiis repraesentandis, sed etiam in rebus civilibus. Quod vero ad imagines sive pictas sive sculptas attinet, earum usum non reiicimus.* Et postea (pag. 421.) *Descriptio Dei in Daniele* (Daniel. 7.) *et Isaia* (Is. 6.) *proposita, si pingatur, ego ἀδιάφορον esse concedo.* Denique se suosque sectatores iconomachos damnans, librum evulgavit, in quo plurimorum haereticorum imagines apprime depictas repraesentat; et cum his, velut adhuc viventibus loquitur, ingentemque consolationem animi

inde capere se profitetur. Igitur idem saltem fieri posse ex Christi patientis imagine, ex apostolorum, martyrum, aliorumque sanctorum iconibus nemo sensus communis et rationis compos negabit.

p.249. GRABIUS: *Ad tantum elationis*] Immanem hanc haereticorum *τυφομανίαν*, uti Theodoretus appellat, pluribus verbis describit Epiphanius p. 103. — *Artes enim magicas — charitesia* etc.] Idem de illis refert Epiphanius dicto loco et Euseb. IV. Hist. eccl. cap. 7. Ceterum de philtris, paredris etc. confer superius notas ad c. 9 et 20. Sola *charitesia*, graece *χαριτήσια* ab auctore nostro in praecedentibus non sunt memorata et vix etiam in aliis scriptoribus aut lexicographis reperiuntur excepto Glossario du Fresne, qui ex hoc ipso loco et

p.253. Epiphanio probat, cum philtris ea coincidere. — *Alii vero ex ipsis signant* etc.] (Allatis Feuardentii verbis ad h. l. Grabius pergit:) Atque de his haereticis accipienda verba Heracleonis in Eclogis propheticis Clementis Alexandrini ante medium: *Ἔνιοι δὲ πυρὶ τὰ ὦτα τῶν σφραγιζομένων κατεσημήναντο, οὕτως ἀκούσαντες τὸ ἀποστολικόν.* Vide quae ad haec dixi Tom. I. Spicilegii Patrum et Haer. Sec. II. pag. 85., in quae tamen quum notas scriberem, hunc Irenaei locum licet aliquoties antehac lectum memoria haud suggerebat.

p.248. MASSUETUS: *Per omnes transgressa*] I. e. ex Epiphanio, per omnes actiones etiam turpissimas (horrendum!) transgressa, omnibusque defuncta, sordidata potius, ascenderet ad Deum. Lege ipsum Epiphanium: fusiori enim et distinctiori stilo prosequitur, quae veluti

p.249. summatim hic refert Irenaeus. — *Eam igitur*] Sic ex Epiphanio, ipsa constructionis lege ita exigente, restituo pro *ea*, ut vitiose legitur in omnibus codd. aperto scribarum sphalmate. — *Charitesia*] Forte legendum *charisteria*. Nam ex Gloss. vet. *χαριστήριον* est *amatorium*, quod huic Irenaei loco apprime convenit. At *charitesia* legatur, per me licet: sed idem erit significatum. Quae enim latine reddidit interpres *incantationes, philtra* et *charitesia*, graece dixit Epiphanius *ἐπῳδάς, φίλτρα καὶ ἀγώγιμα*. Per *charitesia* ergo nihil aliud intellexisse videtur interpres, quam quod Irenaeus seu Epi-

p.250. phanius per *ἀγώγιμα*, quod ille superius vertit *adlectantia*. — *Sed vitam quidem luxuriosam — abutuntur*] Hic Arund. Voss. Merc. II. Feuard. in marg. et edit. Oxon. sequi malim, quam Clarom. Pass. et ceteras editt. in quibus legitur *abutantur*. Sed verba quaepiam e textu excidisse perspicuum est: frustra enim in iis, quae exstant, sensum aut connexionem requiras. Quantum ex Epiphanio colligere fas est, hoc aut quidpiam simile scripsisse videtur Irenaeus: *Sed vitam quidam luxuriosam ducunt; sententiam autem impiam ut tegant, ad velamen malitiae ipsorum Christiani nomine abutuntur.* Scribit enim ille: *Porro isti in luxu atque deliciis assidue versantur, neque ad nos penitus accedunt, nisi forte ut imbecilles animos ad impia sua dogmata pelliciant. Neque enim alia re nobis similes sunt, quam quod solo Christiani nomine gloriantur, ut ementiti huius vocabuli specie improbitatem suam exerceant. Sed eorum, uti scriptum est, iudicium legitimum est* etc. — *In potestate habere et operari se dicant*] Hic ab editt. discrepant MSS. nec secum invicem consentiunt. In Erasm. Gall. et Feuard. legitur: *potestatem habere operandi se di-*

cant. MSS. vero omnes concorditer habent *in potestate,* ac *et operari,* uno excepto Arund. quem secutus est Grabius, in quo omittitur particula *et.* At in aliis legitur *habere,* ut in Arund. et Pass. in aliis *habeant,* ut in ceteris. Priorum lectionem sequi malui, cuius hic sensus: *in potestate habere,* id est *sibi licere, et operari se dicant.* — *In nihilo adhuc minus habeant* etc.] Hic in omnibus editt. pravae p.251. interpunctionis vitio misere pervertitur sensus, dum ab his verbis *ad operandum in eo* etc., quae ad praecedens colon pertinent, nova incipit periodus, quae male protrahitur usque ad *dixisse parabolam.* Sic ergo restituo, legendo consequenter: *In nihilo adhuc minus habeant ad operandum in eo,* i. e. nihil, ne minimum quidem supersit, vel, amplius habeant ad operandum in eo vitae usu. Expungenda vero particula *autem,* quam ideo parenthesi inclusi, quia sensum turbat. Tum praemissis punctis duobus lego: *ne forte* etc. et a *propter hoc* etc novam instituo periodum. Sic distinguendo, caligo huic Irenaci loco offusa facile discutietur. — *Propterea quod deest libertati aliqua res, cogantur* etc.] Sic probe restituit Grabius ex omn. codd. Anglic. iunctim sumtis, singulis in una alterave harum vocum corruptis. Genuinam hanc lectionem haberent vetus Feuard. codex, Clarom. et Pass. nisi oscitantes librarii pro *propterea* scripsissent *propter eam.* Sed in aliis editt. perperam omnino: *propter eam quod deest libertati aliqua re cogantur.* — *Non faciant*] Sic antiquiores tres p.252. codd. Clarom. Pass. et Voss. In aliis *non fiant;* quae recentiorum scribarum emendatio esse videtur, haud advertentium verbum graecum *πράττωσι* (sic enim scriptum fuisse coniicio), *agant, vitam agant, degant* seu potius *operentur* (uti paullo superius scriptum *ad operandum in eo*), perperam ab interprete redditum *faciant.* — *Alii vero* p.253. *ex ipsis signant* etc.] Ut videlicet, quemadmodum optime notat Feuardentius, primo occursu eiusdem secum factionis asseclas agnoscerent, consilia communicarent et promiscuis concubitibus miscerentur.

CAP. XXVI.

FEUARDENTIUS: *Cerinthus autem*] Hunc primum in Aegypto p.253. philosophiae diu operam dedisse, auctor est Theodoretus (lib. II. haer. fabb.), deinde Ierosolymis, Caesareae Antiochiaeque frequenter apostolis ipsis restitisse; atque demum in Asia longe lateque impietatem suam propagasse scribit Epiphanius (cont. Haer. 28.). Cyrillus Ierosolymitan. Cerinthum vastatorem ecclesiae nominat. Eusebius refert eum iactasse revelationes, quasi per angelos sibi dictata fuissent, quae proferebat. Philastrius addit, illum asseruisse Christum a mortuis nondum resurrexisse. Augustin. observationem legis Mosaicae, festorum, victimarum et sacrificiorum iudaicorum necessariam esse. Dionysius Alexandr. lib. II. de promissionibus (Eus. Hist. eccl. lib. III. c. 28., l. VII. c. 25). hunc quoque *regnum Christi terrestre futurum somniasse* docet, *quippe qui invitamentis corporis, et carnis cumprimis obsequeretur illecebris, et quarum rerum cupiditate ducebatur, in eisdem beatam vitam fore asseruit, ut in ventris et earum partium, quae ad Venerem spectant, expletione.* - *Et ignorante eum*] Emendationem ex vet. cod. agnoscit, et sententiam huius loci sic exprimit

Theodoretus: *Docuit esse quidem unum universorum Deum, eum autem non esse mundi creatorem, sed separatas quasdam potestates et eum omnino nescientes.* Itaque *eum* pro *eo* reposuimus, ut mox *Deum*
p.254. pro *Deo.* — *Impossibile enim*] In simili coeno volutatum Marcionem, argutissimo hoc dilemmate premit Tertull. (lib. I. de carne Christi) rationem desiderans, qua non putaverit Filium Dei ex virgine natum esse: *Necesse est,* inquit, *ut aut impossibilem aut inconvenientem Deo existimaveris nativitatem. Sed Deo nihil impossibile, nisi quod non vult. An ergo voluerit nasci (quia si voluit, potuit et natus est), consideremus.* Et post pauca: *Scelestissime hominum, qui interemtores excusas Dei. Quodcunque Deo indignum est, mihi expedit. Salvus sum, si non confundar de Domino meo. Qui me, inquit, confusus fuerit, confundar et ego eius. Alias non invenio materias confusionis, quae me per contemtum ruboris probent bene impudentem et feliciter stultum. Natus est Dei Filius; prorsus credibile est, quia ineptum est. Et sepultus resurrexit; certum est, quia impossibile est.* Observa autem haereticos tutissimum asylum semper putasse, id clamitare Deo impossibile, quod credere renuunt. — *Fuisse autem eum Ioseph* etc.] Tertullianus (lib. de Praesc.) huius quoque erroris illum coarguit. *Cerinthus,* inquit, *Christum hominem tantummodo sine Deitate contendit.* Et libro de carne Christi: *Poterit haec opinio Ebioni convenire, qui nudum hominem constituit Iesum.* Hoc et Ignatius notaverat Epist. ad Philadel. Eusebius libro tertio Hist. et Hieron. in Catalogo, post Iren. lib. III. cap. 3. testificantur b. Ioannem adversus horum blasphemias evangelium conscripsisse. — *Et post baptismum*] Apertius Epiphanius (cont. Haer. 23.): *Ex supernis autem, ex supremo Deo, postquam adultus factus fuit Iesus, ex semine Ioseph et Maria genitus, descendisse Christum in ipsum, hoc est, Spiritum sanctum in specie columbae in Iordane, et revelasse ipsi et per ipsum posteris ignotum Patrem. Et propterea postquam venit virtus in ipsum ex supernis, virtutes perpetrasse: et ubi ipse passus est, id quod ex supernis venerat, a Iesu sursum volasse.* Epiphanius addit superioribus, Cerinthianos usos esse evangelio secundum Matthaeum ex parte, non ex toto; Paulum vero reprobasse, propterea quod non obedierit circumcisioni. Atque hos esse, qui ab eodem Paulo dicti sunt pseudo-apostoli, operatores dolosi, qui se transformant in apostolos Christi. — *Qui autem dicuntur Ebionaei*] Quantum ad nomen huius Ebionis attinet, Euseb. (lib. III. Hist. c. 21.), Epiphan. (cont. Haer. 30.) et Theod. (lib. II. haer. fabb.) illud lingua hebraica, inopem et mendicum significare recte putarunt; quandoquidem אביון pauperem et pauperrimum Hebraeis significat. Hunc vero non solum Romae et in Asia praedicasse, radicesque spinosarum propaginum a Nabathea, Paneade, Moabitide et Cocaborum regione in Basanitide terra, sed et in Cypro egisse, testis est Epiphanius; simulque ex Samaritanorum abominatione, Iudaeorum improbitate, Osseorum et Nazareorum opinione, Cerinthianorum forma, Carpocratianorum impietate, sub Christianorum appellatione, horrendum et perniciosum dogmatis sui monstrum composuisse. — *Ea autem quae sunt*] Tertull. (lib. II. de carne Christi) *Ebion nudum hominem et tantum ex semine David,*

id est, non et Dei filium constituit Iesum: plane prophetis aliquo gloriosiorem, ut ita in nonnullis angelum fuisse dicatur. Epiphanius (cont. Haer. 30.): *Primum quidem Ebion, Christum ex semine viri hoc est ipsius Ioseph esse decrevit* etc. Euseb. l. l. *Eum simplicem, vulgarem et solum hominem censuerunt, et ex concubitu coniunctioneque Ioseph viri cum Maria uxore sua in hanc lucem editum: verum propter progressionem, quam in virtute fecisset, hominem iustum censuerunt at solum hominem tamen.* Addit postea rursum (l. III. c. 27.), Ebionem praedicasse Christum esse filium quidem Davidis, sed non Dei; operibus autem suis iustificatum fuisse. Quosdam etiam eiusdem sectae (ut nunquam sibi consentiunt haereticorum ministri) admisisse Christum natum ex virgine de Spiritu sancto; sed non exstitisse prius quam homo fieret. Hanc impietatem postea suscitarunt Samosateniani et Photiniani, ut tradit Augustinus libro de Haeres. capite quadragesimoquarto. In hanc haeresin disputat Irenaeus libro tertio capite trigesimo et trigesimo primo. — *Circumciduntur*] Qui tunc temporis p.255. se Iudaeum circumcisione et reliquis caeremoniis profitebatur, in primis a gemina persecutione immunis erat. Priore Romanorum, quia imperatores patrio ritu Iudaeos vivere concesserant. Posteriore Iudaeorum, qui in eos, ut asseclas eiusdem observationis, non insurgebant. Qui autem in Christum credebant, deserto Iudaismo, utrorumque tyrannide adeo vexabantur, ut *permulti Iesum esse Christum fateri dubitarent, ne insectationem ferrent eorum qui furiis spiritus impostoris agitati, confessores illius nominis enecare et persequi non desinebant,* ut eleganter scripsit Iustinus martyr in Dialogo. Ebionaeos autem ex prima istorum classe fuisse evidentissimum est. — *Nicolaum*] Hunc Nicolaum Antiochenum genere, proselytum autem professione, atque e septem illis diaconis, electis ab apostolis in ministerium quotidianum, fuisse conveniunt omnes. At Clemens Alexand. (Strom. l. III.) et Theodor. (lib. III. haer. fabb.) admittunt quidem obiurgatum ab apostolis de uxoris zelotypia, illam in medium adduxisse et cui vellet nubere permisisse; sed exinde illum continenter et pudice vixisse; filiasque eius virgines et filium incorruptum consenuisse volunt. Alii (Epiph. cont. Haer. 25. Tert. de Praescr.) porro promiscuos mulierum amplexus, immo et permixtiones obscenas exsecrabilesque tum peregisse tum docuisse scribunt; quod et Irenaeus innuit, dicens sectatores eius indiscrete vivere. Philastrius et Augustinus Nicolaitis tribuunt, quod post Deum plures virtutes finxerint, prodigiosisque luserint nominibus, sicut postea Gnostici. Nicetas lib. I. Thesauri Orthodoxiae scribit eos feminam quandam nomine Prunicum coluisse, et quosdam eorum Caulaucam esse veneratos. *Sunt autem haec,* inquit, *effeminatam mollitiem significantia nomina. Quandoquidem προύνικος coitum significat. Graeci enim si de virginum defloratoribus loquantur, his verbis uti solent ἐπροννίκευσεν τήνδε. Ad Caulaucam quod attinet, honeste quidem ab Hebraeis effertur; a Gnosticis vero ad turpitudinem detortum est.* Eusebius porro testatur hanc sectam parum durasse; Tertullianus vero in Caianam haeresin demutatam dicit.

GRABIUS: *Quae autem sunt prophetica* etc.] Ipsum Ebionem p.255.

ἐξήγησιν τῶν προφητῶν scripsisse, colligo ex fragmentis huius operis, quae ante paucos dies Parisiis accepi ex MS. codice Collegii Claromontani descripto a Viro humanissimo R. P. Michaele Lequien, inter addenda ad Spicilegium Haereticorum seculi I. suo tempore Deo volente addenda. — *Hierosolymam adorent, quasi domus sit Dei*] Quod Irenaeus in Ebionitis iudaizantibus, id in ipsis Iudaeis reprehendit s. Barnabas apostolus in Epistola Catholica §. 16. *Errantes miseri, non in ipsum Deum effectorem eorum spem habuerunt, sed in aedem, quasi domus Dei esset.*

p.254. MASSUETUS: *Non similiter*] Particulam negativam expungendam censet Cotelerius in not. ad lib. VI. Constit. Apost. c. 6. Suspicatur vero Grabius *consimiliter* pro *non similiter* legendum. Sed vereor ne huic coniecturae contradicat Epiphanius. Siquidem Haer. 30. §. 14. postquam dixit *Cerinthum et Carpocratem eodem Matthaei Evangelio fretos, ex eius initio Christique genealogia probare niti, Christum e Iosephi et Mariae semine esse procreatum;* de Ebionaeis statim addit: *οὗτοι δὲ ἄλλα τινὰ διανοοῦνται, illi contra alia quaedam statuunt. Nam omnem illam genealogiam amputant.* Et revera §. 3. docet, principio quidem Ebionaeos Christum e viri semine, nimirum Iosephi, genitum affirmasse: verum postea alia de Christo effutire coepisse, quae a Carpocratis et Cerinthi dogmatibus immensum distabant. Addunt que Theodoretus lib. II. cap. 1. et Euseb. lib. III. Hist. cap. 27. quandam Ebionaeorum classem Servatorem nostrum e virgine natum asseruisse; quod negabant Cerinthus et Carpocrates. Quare quum Irenaeus hîc de Ebionaeis in genere disserat, scribere potuit, immo et debuit, eos non similiter ut Cerinthum et Carpocratem de Domino opinatos fuisse. Itaque haud soliicitanda esse eius verba censerem.

CAP. XXVII.

p.256. FEUARDENTIUS: *Et Cerdon*] Integrum hoc caput, ut Eusebius (lib. IV. Hist. eccl. c. 11.) ex Irenaeo transscripsit, graecum et nova tralatione latinum factum addendum curavimus. Longe porro prolixiorem catalogum blasphemiarum illius recenset Tertull. (lib. de Praesc.) scilicet, quod legem et prophetas repudiarit, Deo creatori renuntiaverit, Christum in substantia carnis non venisse, sed solo phantasmate; nec omnino passum, sed quasi passum; nec ex virgine natum fuisse dixerit. Sed et resurrectionem corporum negavit, solumque Lucae evangelium, nec tamen totum, recepit. Apostoli Pauli neque omnes, neque totas epistolas admisit: Acta apostolorum et Apocalypsin Ioannis quasi falsa reiecit. Eius porro inconstantiam notans Irenaeus lib. II. c. 4. ait, eum saepe in ecclesiam venisse, et exhomologesin faciendo, modo quidem latenter docendo, modo vero traductus in his quae docebat male, donec tandem a communione Christianorum submoveretur. Illum vero venena sua non solum a Simone mago, sed et a Saturnino accepisse; eademque Marcioni discipulo, ut vipera aspidi, impertivisse, docet Epiphanius contra Haeres. 41. — *Succedens autem ei Marcion*] Primae huius sententiae emendationes ex veter. cod. agnoscit Eusebius l. l. Philastrius hunc Ephesum venisse scribit, ibique a Ioannis discipulis convictum atque inde pul-

sum Romam confugisse: ibique noster Irenaeus (lib. III. c. 3.) Polycarpo obvium factum et ab eo primogenitum Satanae vocatum fuisse testatur. Sed et adhuc vixisse, quum adversus illum calamum stringeret Iustinus martyr, indicat ipse Apologia 2. Ceterum quum aliquot seculis ante Epiphanium, quinque libris ortum, patriam, lapsum, superbiam, luxuriam, hypocrisin mortemque eius graphice depinxerit Tertullianus, in his ulterius recensendis non immorabimur. Origenem solum adiiciam, lib. I. Dialog. contra Marc. testificantem, eum tres Deos confinxisse, videlicet Deum Iudaeorum, Deum Christianorum, Deum gentilium. Insuper et duos Christos, quorum alter apparuerit tempore Tiberii, alter a Creatore promittatur: quum alioqui non nisi duos se Deos ponere profiteretur, bonorum auctorem unum, malorum alterum. — *Dissolventem prophetas et legem*] Hoc illi commune fuit cum Simonianis, Basilidianis et Saturnianis, ut ex superioribus liquet. Idem Epiphanius et Augustinus tribuunt Manichaeis; Euthymius et Nicetas Bogomilis, Audeanis et Euchitis seu Sataneanis; Antoninus Albingensibus; Lindanus et Prateolus hodiernis Anabaptistis. Hanc vero haeresin refellit Irenaeus libro quarto, capite vicesimo, vicesimo primo, vicesimo secundo, vicesimo quarto, vicesimo septimo, tricesimo, tricesimo primo et alibi passim; et post hunc Epiphanius contra haeresin sexagesimam sextam. Augustinus denique duobus libris contra adversar. Legis et 33 contra Faustum. Tantum addit Epiphanius, fraudes illius adeo invaluisse, ut sua adhuc aetate Romae et in Italia, in Aegyptoque et Palaestina et in Arabia ac Syria, in Cypro atque Thebaide, quin et in Perside et aliis pluribus locis sectatores haberet. Porro auctoritate Eusebii et veteris nostri codicis pro *adimplevit* restituimus *adampliavit;* et pro *impurate blasphematus, impudorate blasphemans;* et mox pro *Iesum autem qui est a Deo Patre* reposuimus *Iesum autem ab eo Patre qui est.* — *Auferens quaecunque*] Sacrilegam hanc audaciam frequenter arguit Tertullianus, ut libro de carne Christi: *His consiliis tot originalia instrumenta Christi delere Marcion ausus est, ne caro eius vera probaretur. Ex qua, ore te, auctoritate? Si propheta es, praenuntia aliquid; si apostolus, praedica publice; si apostolicus, cum apostolis senti; si tantum Christianus es, crede quod traditum est* etc. Et lib. de Praescript.: *Marcion exserte et palam machaera, non stilo usus est, quoniam ad materiam suam caedem scripturarum confecit.* Idem etiam exprobrat lib. II. IV. et V. quos in eius haereses scripsit. Hinc Cyrillus Ieros. (Catech. 6.) *Marcion ab his quae de lege veteri in novo Testamento redargutus, ausus est ea exscindere testimonia et sine testimoniis relinquere eum, qui annuntiabatur fidei sermonem;* quod et repetit Catech. 16. — *Vere diaboli os accipiens*] Non maledicendi libidine, sed ob exsecrandas, quas evomebat, blasphemias in caelum et totum sanctorum ordinem, digno hoc epitheto Marcionem exornat Irenaeus: eodem iure, quo Paulus Elymam magum *filium diaboli et omnis iustitiae inimicum* vocaverat. Vere enim diaboli et serpentis, quem Apocalypsis describit bellum facere in caelum et habitantes in eo, organum erat. Sanctos siquidem patriarchas, prophetas et iustos omnes, quos Christus pio cruore redemit, damnare; impios vero quoslibet servare, an

p. 257.

non est terram caelo, vel potius paradisum inferno miscere? — *Seorsum contradicemus*] Ex hoc loco Eusebius (lib. V. Hist. cap. 8.) colligit Irenaeum libro quodam separatim edito e Marcionis scriptis Marcionem ipsum refutasse. Porro errores de duobus diis confutat infra libro II cap. tertio et decimo et toto fere libro tertio. Mundi opus indignum esse Deo, refellit libro secundo, capite tertio. Abrahamum salvatum esse probat libro quarto, capite decimo octavo. Quod legis dissolutionem Christum introduxisse cavillabatur, infringit lib. IV. cap. 27. et Clemens Alexand. 2. Strom. Clarissimos alios ecclesiae proceres, Iustinum martyrem, Dionysium Corinthium, Theophilum Antiochenum, Philippum Gortynensem, Modestum, Melitonem, Apollinarium adversus immanem hanc belluam summa industria scriptis depugnasse, testatur Eusebius libro quarto histor. capite decimo septimo, vicesimo secundo, vicesimo tertio, vicesimo quarto, vicesimo quinto, vicesimo sexto, vicesimo septimo. Patet etiam ex Clem. 2. Strom. Marcionitas docuisse, timorem Dei ex lege ortum, malum esse; ex Tertulliano, Deum esse peccatorum auctorem; et in homine post lapsum non esse relictum liberum voluntatis arbitrium. — *Nunc autem et necessario*] Non solus Irenaeus hîc docet, omnes haereticos Simonis magi discipulos esse, licet id non fateantur; sed et Clemens uterque, Cyrillus, Epiphanius, Philastrius, Augustinus et alii passim.

p.256. GRABIUS: *Ἐπὶ Ὑγίνου ἔνατον κλῆρον*] Hunc locum una cum principio sequentis capitis, tacito licet Irenaei nomine, transscripsisse videtur s. Cyprianus Epist. 74. ad Pompeium: *Cuius* (Marcionis) *magister Cerdon sub Hygino tunc episcopo, qui in urbe nonus fuit, Romam venit; quem Marcion secutus, additis ad crimen augmentis, impudentius ceteris et abruptius in Deum Patrem creatorem blasphe-*
p.257. *mare instituit. - Id quod est secundum Lucam evangelium* etc.] Confer lib. III. c. 12. post medium et lege ibi notata. — *In quibus manifestissime conditorem huius universitatis suum Patrem confitens Dominus conscriptus est*] Respicere praecipue videtur haec Salvatoris verba Luc. 10, 21: *confiteor tibi Pater Domine caeli et terrae,* quae Marcion corrupit, demens vocem *Pater,* omittens *et terrae;* ita vero in suo Codice ponens, teste Tertull. lib. IV. c. 25.: *gratias ago et*
p.258. *confiteor Domine caeli* etc. — *Seorsum contradicemus*] Irenaeus lib. III. cap 12. idem promissum repetit.

p.257. MASSUETUS: *Auferens*] Quid ab evangelio Lucae, divique Pauli epistolis effreni audacia resecasset, quid addidisset immutassetque perfidus impostor, fuse satis descriptum reperies apud Epiphanium Haer. 42. §. 11. Hominis facinus frequenter arguit Tertullianus. — *In quibus manifestissime conditorem* etc.] Digitum intendit Irenaeus in ea Christi verba Luc. 10, 21. quae misere ab haeretico depravata leguntur apud Epiphanium loco cit. Nam pro *Confiteor tibi, Pater, Domine caeli et terrae,* legebat Marcion: *Gratias ago tibi, Domine caeli,* ceteris vocibus omissis. — *Qui sunt erga Abraham Patriarcham*] Ita Feuard. in marg. Clarom. Voss. et Pass. ceteri *Patriarchas.* Melius autem vertisset interpres: *eos qui ex Abrahamo Patriarcha orti sunt.*

CAP. XXVIII.

FEUARDENTIUS: *Qui vocantur Continentes*] Hi sunt, qui ex graecis nominibus appellantur Encratitae, quod a coniugiis, vino et carnibus, tanquam rebus natura malis, omnino abstinendum censerent; item Hydroparastatae, quod in conficienda eucharistia aqua solum utendum iudicarent; iisdem et Tatiani, de quibus sequitur caput, quod huic fuisset continuo iungendum, ni confusionem quandam lectoribus, ex tot permutationibus capitum, adferre timuissem. Ceterum Epiphanius contra Haeres. 61. quae est apostolicorum, scribit hos cum Encratitis, Marcionitis et Saturnianis sensisse, non posse salvari eos, qui non caelibes viverent; quod Ignatius Epist. ad Philipp. Clemens 3. Strom. August. lib. de bono coniugali, aliique catholici patres passim refellunt. — *Tatiano quodam*] Integrum hoc caput conseqnenter transscribit Eusebius, cuius verba etiam emendationes ex vetere codice amplectuntur. Quae autem alii scriptores ecclesiastici de hoc Tatiano tradiderunt, non inutile fuerit addidisse. Primo ex Syria ortum asserit Clemens Alexandr. 3. Strom. Dein non parvam sibi gloriam ex arte rhetorica comparasse, testis est Hieronymus (lib. de script. eccl.). At de se loquentem Tatianum (Orat. cont. Graec.), quum se prius idolorum mysteriorum participem fuisse confessus esset, audiamus: *Haec quum viderem,* ait, *et omnes ubique Deorum cultus per effeminatos et androgynos constitui experimento novissem; item apud Romanos Latialem Iovem humano cruore et sanguine per homicidia fuso placari; Dianam vero non procul Megalopoli similibus gaudere, et alium alibi daemonem malorum auctorem facinorum deprehenderem; in me descendens, quomodo tandem potirer inquirebam. Et quum diligenter circumspicerem, in libros quosdam barbaros incidere mihi contigit, antiquiores multo, quam Graecorum philosophia, si spectes aetatem; et augustiores, si illorum errores. His ego fidem adhibui, quod stylus non esset phaleratus, nec ulla scriptorum affectatio et sermo nusquam obscurus; futurorum item eventuum praenotione, et magnitudione promissionum, et quod unum universorum monarcham statuerent impulsus.* Hactenus ille, Romam autem commigrasse, et b. Iustini sectatorem effectum, in ecclesia effulsisse, quamdiu a latere eius non discessit, sed ad fidem propagandam et contra Crescentis Cynici latratus ethnicorumque sycophantias tutandam egregie diuque navasse operam conveniunt omnes. Quin et Eusebius (lib. IV. c. 29,) addit eundem *διὰ τεσσάρων quatuor evangeliorum, et magnum librorum numerum posteris reliquisse, inter quos ille apud multos, quasi pleno ore celebratur, quem contra gentiles edidit.* Sed nihil ex omni parte beatum. *Quum enim Iustinus martyrio functus esset, quasi caecus ductore destitutus,* inquit Epiphanius (cont. Haer. 46.), *per praecipitia lapsus est. Romaque digressus ad Orientem sese contulit, ubi varias sparsit haereses. Mysteriis autem similiter usus est ad imitationem sanctae ecclesiae, hoc uno demto quod solam aquam adhibebat*; indeque Hydroparastatarum superstitionem ortam asserit Theodoretus (lib. I. haer. fabb.). Delevimus autem *doctrina constituta, non quasdam invisibiles;* et reposuimus: *doctrinae constituit. Aeonas*

p.258.

p.259.

quosdam invisibiles. — *Adae autem saluti*] Libellum de Adae poenitentia licet reiiciat Gallasius, ipsum tamen poenitentiam egisse de peccatis, quum salvus sit, necesse est. *Castigatione etiam non vulgari plexus est,* ait Epiphanius (cont. Haer. 46.), *et e regione paradisi in exsilium actus, quo memor esset bonae vitae per poenitentiam in memoriam revocatae.* In hanc autem haeresin disputant Tertullianus in calce libri de Praescript. Epiph. contra Haer. 46. et amplissime hic noster Irenaeus lib. III. cap. 34. 35. 37. et 39. his argumentis eum salvum esse confirmans. Primo, quia Tatianorum sententia contraria, esset inaudita et nova; secundo, quoniam Deus noluit maledicere Adamo vel Evae, sed tantum terrae ac serpenti; tertio, quia fructibus poenitentiae seipsos mox addixerunt; quarto, quod decuerit Christum, pastorem optimum, hanc primam ovem suam aberrantem quaerere et salvare; postremo, ne diabolus adversus Deum gloriaretur, quod adhuc invictus cum primis spoliis suis remaneret. Ceterum Tatiani damnantes nuptias negabant matrimonium esse sacramentum a Deo institutum et probatum. Insuper illi dicebant eucharistiam posse sola aqua confici. — *Multas nuptias*] Ut insanae libidinis suae furores affatim explerent et voluptatum amatores huius licentiae inescarent illecebris, hanc uxorum varietatem inducebant. Paris impudentiae Ebionaeos quoque reos agit Epiphanius, quod videlicet, si quis vellet prioribus nuptiis disiunctis, alteris copulari, usque ad secundas et tertias nuptias, Hermogenem etiam arguit Tertullianus, *quod assidue nuberet.*

p.259. MASSUETUS: *Contradictionem*] Hinc liquet interpr. legisse *ἀντιλογίαν,* et quidem melius forte, quam Eusebius, qui scripsit *αἰτιολογίαν.* Nam paullo ante eodem sensu scripsit Irenaeus: *ἀντιλέγουσι τῇ τοῦ πρωτοπλάστου σωτηρίᾳ.* Vide Valesii notam in hunc locum.

CAP. XXIX.

p.260. FEUARDENTIUS: *Super hos autem*] Omnibus modis confusas Gnosticorum sectas, inter sese dissectas iam subiicit, et deliriones eorum de Barbelone, Patre innominato, Ennoea, Autogene, Harmoge, Ligno, aliisque portentis magis quam nominibus recenset. Ad hunc autem locum attendens Hieronymus Epistola ad Theodoram, laudat insignem Lucini viri eius pietatem, quod vastantibus Hispanias Basilidis haeresibus, nequaquam susceperit Armagil, Barbelon, Abraxas, Balsamum et ridiculum Leusiboram, caeteraque magis portenta quam nomina· quae ad imperitorum et muliercularum animos concitandos, quasi de hebraeis fontibus hausta essent, impudenter iactabant. Idem rursum Com. in cap. 3. Amos, haec subnotans ait: *Et Iberae ineptiae in Balsamo, Barbeloque mirantur.* — *Velut a terra fungi*] Locum hunc explicans Epiphanius (cont. Haer. 31.), nominatim sic Irenaei meminit: *Gnosticorum quidem differentiae sunt decem, in una plaga somnii ipsorum et coniugationibus et octonariis et masculorum ac feminarum saeculis vicissim aequaliter percussis. In uno enim tempore, hi omnes velut fungi e terra eruperunt, et velut abominabilium ac graveolentium herbarum germina, et gramen spinosum, et velut latebra multorum scorpionum ex uno omnes tempore in vitam*

excreverunt. Et sicut antea dixi, instar fungorum sua deformitate sub unum contactum apparuerunt, velut etiam a sancto Irenaeo iam de ipsis dictum est: contemporanei enim hi fuerunt. Fungorum autem Plinio (lib. 22. c. 25.) multa sunt genera, quorum origo a terra et pituita arborum, quos et annumerat inter ea, quae periculose manduntur propter magnam cum venenis cognationem. De quorum veneno inter alios vide Nicandrum in Alexiphar. His vero recte comparantur tot haereticorum examina, quandoquidem instar fungorum temere repenteque prosiliunt et aut nullum, aut inutilem, vel perniciosissimum fructum proferunt. — *Quidam eorum Aeonem*] Haec fere ad verbum transscribit Theodoretus: *Ex Valentini seminibus,* inquit, *Barbeliotarum seu Borborianorum vel Naasinorum vel Stratioticorum vel Phemionitarum qui vocantur, exsecranda secta pullulavit. Ponebant enim Aeonem quendam ab interitu alienum degere in spiritu virginali, quem nominant Barbeloth; Barbeloth autem ab eo petiisse praescientiam. Quum ea autem processisset, deinde rursus petivisset, processit incorruptibilitas, deinde vita aeterna. Laetantem autem Barbeloth concepisse et lucem peperisse. Eam dicunt inunctam spiritus perfectione, Christum fuisse nominatam* etc. — *Super haec emittit* p. 261. *Autogenes*] Theodoretus: *Per se genitum autem dicunt produxisse hominem perfectum et verum, quem etiam Adamantem appellant. Una autem cum eo productam esse coniugem, perfectam cognitionem; hinc rursus ostensam esse Matrem, Patrem et Filium; ex homine autem et cognitione lignum germinasse. Cognitionem autem hoc quoque nominant. Iam vero ex primo angelo productum esse dicunt Spiritum sanctum, quem etiam sapientiam et pronicon appellarunt. Hanc autem dicunt coniugem appetentem, peperisse opus in quo erat ignorantia et arrogantia. Hoc autem opus Protarchonta, hoc est, primum principem appellant, et eum esse dicunt creaturarum opificem. Ipsum autem cum arrogantia congressum, genuisse vitium et partes eius. Haec ergo summatim exposui, figmenti prolixitatem praetermittens. Eorum autem mysteria, quis est adeo infelix, ut vel lingua proferat? Omnem enim improbam ratiocinationem, omnem denique exsecrabilem cogitationem superant, quae ab illis tanquam divina peraguntur. Borboriani ea de caussa cognominati sunt.*

GRABIUS: *Quidam enim eorum*] Theodoretus lib. I. haer. fab. p. 260. cap. 13. eis imponit nomen *Βαρβηλιωτῶν, ἤγουν Βορβοριανῶν, ἢ Ναασινῶν, ἢ Στρατιωτικῶν, ἢ Φηβιωνιτῶν.* Ita enim ex Epiphanii Haeres. 35. §. 2. legendum, loco *Φιμιονιτῶν,* ut perperam in Theodoreto excuderunt. Similitudo enim litterarum *β* et *μ* librario fraudi fuit, ut in hac voce hallucinaretur. — *Ennoeam autem hanc — postulasse Prognosin*] Minus recte itaque Theodoretus Barbeloni eam tribuit postulationem, quam Irenaeus Ennoeae, id est, cogitationi innominabilis Patris, se ipsum Barbeloni manifestare cupientis, adscribit. — *Asseverabat* etc.] Nisi me coniectura fallit, Irenaeus scripsit p. 262. *διισχυρίζετο.* Ita enim veteres glossae: *assevero, διισχυρίζομαι.* Atqui habet quidem istud verbum hanc significationem; sed ea nihil ad praesentem rem facit. In alia itaque, quam Suidas in lexico suppeditat, notione accipiendum, pro *ἀμφιβάλλω, ambigo, animi pendeo.*

Anceps enim ex haereticorum sententia haerebat Sophia ista, nescia quo se verteret, ut coniugem inveniret. Hinc modo *extendebatur*, scilicet in superiora (sicuti supra pag. 11. lin. 8. (pag. 9. lin. 4.) Valentiniani, Gnosticorum filii, suam Sophiam dicebant *ἐκτεινόμενον ἀεὶ ἐπὶ τὸ (τὰ) πρόσθεν*, modo prospiciebat ad inferiores partes etc.

p.260. MASSUETUS: *Quidam enim eorum*] Hos Theodoretus lib. I. haer. fab. c. 13. appellat *Βαρβηλιωτάς, Βορβοριανούς, Ναασινούς, Στρατιωτικούς, Φιβιονίτας;* sic enim legendum, non *Φημιονίτας*, uti ex Epiphanio constat Haeres. 25. §. 2. quanquam tamen ibidem Epiphanius distinguere videatur inter Phibionitas et Stratioticos seu Militares, quasi duae essent distinctae haereticorum species. — *Hanc initium*] Graece, ait Grabius, *ταύτην ἀρχήν*, quod vertendum fuisset *hoc initium* sive *principium*. Sed sequentia demonstrare videntur pronomen *hanc* referendum esse ad Barbelonem, quae, iuxta eorum haereticorum hypothesin, generationis omnium principium erat, potiori iure quam

p.261. Christus. — *Harmogenes*] (Sic omnes MSS. sed editt. Erasm. Gall. et Feuard. *Harmogen.*) Ad id nomen et similia respexisse videtur Hieronymus, quum epist. 53. al. 29. ad Theodoram Viduam de Lucinio scripsit: *Nequaquam suscipiens Armagil, Barbelon, Balsamum et ridiculum Leusiboram, ceteraque magis portenta, quam nomina, quae ad imperitorum et muliercularum animos concitandos, et quasi de hebraicis fontibus hauriunt, barbaro simplices quosque terrentes sono,*

p.262. *ut quod non intelligunt plus mirentur.* — *Prunicum*] De vocis illius significatione id observare sufficiat, obscenam esse, testibus Epiphan. Haer. 25. §. 4. et Niceta lib. I. Thesauri. — *Asseverabat*] Coniicit Grabius Irenaeum scripsisse *διισχυρίζετο*. Quae quidem doctissimi viri coniectura hactenus satis arridet. Sed quod addit *διισχυρίζομαι*, hîc accipiendum pro *ἀμφιβάλλω* (ut interdum accipi patet, non ex Suidae modo, sed et ex vulgatis lexicis), *ambigo, animi pendeo*, ut non contemnendum, non tamen adeo placet. In id magis propendeo *διισχυρίζομαι* vel *ἰσχυρίζομαι*, (quo etiam uti potuit Irenaeus) hîc significare *niti, impetum facere*. Idque colligo ex eo quod statim additur: *quoniam impetum fecerat*. Quod proxime accedit ad *naturalem* illum Valentinianorum Sophiae *impetum*, quo et ipsa *extendebatur*, de quo cap. 11. Eadem enim utrobique fabula esse videtur, nisi quod hîc paullulum immutetur. Itaque vertere debuisset interpres *impetum faciebat*. — *Exsiliit*] Melius forte *resiliit*.

CAP. XXX.

p.266. GALLASIUS: *Ialdaboth*] Ut res istae confictae sunt ab insanis et impiis hominibus, ita ficta et obscura nomina ab ipsis imponi oportuit, ad excitandam admirationem et terrendum vulgus imperitum. Illa autem, quo plus haberent admirationis, et maiorem sanctitatis speciem prae se ferrent, ut plurimum ab hebraea, aut syriaca lingua deduxerunt. Ut hoc nomen *Ialdaboth*, quantum coniicere licet, compositum est ex ילד *Ioled* et אבות *Aboth*, quae significant *genitum a Patribus*. Hoc elegans nomen primo illi filio inditum est. *Iao* unum ex Dei nominibus est, addita tantum ad יה *Iah*, littera *o*. Item Adoneus ab אדון *Adon* et *Eloeus* ab אלהי *Elohe*. Haec nomina sunt

Dei nomina in Scripturis. *Sabaoth* notae est significationis pro exercitibus. Ut *Deus Sabaoth*, id est *exercituum*, vocatur. Nam צבאות *Tsebaoth*, Hebraeis *exercitus* significat. *Oreus* ab *Aor*, אור *Or*, deductum videtur, quod significat *lucem:* quasi diceret: *lucidum ac splendidum. Astapheus inundantem* significat, a verbo שטף *Schataph*, unde שטף *Scheteph*, i. e. *Inundatio;* quasi longe lateque expandens potestatem suam. Quae postea subiungit, egregia sunt deliria, quae ad poëtarum imitationem haeretici confixerunt. Nam ut Homerus invidos, ambitiosos, aemulos atque inter se contendentes Deos describit; ita Gnostici in caelestibus suis potestatibus et Diis idem statui voluerunt. Atque hoc videlicet praeclara ipsorum cognitione et sublimi lumine dignissimum fuit.

FEUARDENTIUS: *Vocare* (nos: *invocari*) *primum hominem*] *In-* p.263.
vocari vet. cod. unde suspicor *vocari* faciendum, quum et Theodoretus id videatur indicare contra Sethianos, ubi paucis, sed apertioribus, totum hoc caput aemulatur. *Sethiani,* inquit, *quos vel Ophianos vel Ophitas quidam nominant, hominem vocant omnium Deum, lucem ipsum rursus cognominantes; eius autem mentis comprehensionem, filium hominis et secundum hominem appellant. Post eum autem esse Spiritum sanctum; infra eos autem quatuor elementa, aquam, tenebras, abyssum, chaos; feminatum autem Spiritum vocant et eum super elementa ferri dicunt, amasse autem primum et secundum hominem, formam Spiritus et progenuisse lucem, quam Christum vocant.* — *Illuminantem*] Putavimus legendum *illuminante:* sicut paullo ante p.264.
exsultante. — *Quum autem non potuisset*] Theodor. (contra Sethianos) *Quum non posset autem mulier ferre lucis magnitudinem, scaturiisse, et Christum quidem una cum matre attractum esse in Aeonem, a corruptione et interitu alienum, quem etiam veram ecclesiam appellant.* — *Virtutem autem*] Theodor. *Rorem autem, qui e luce scaturiit, deorsum cecidisse dicunt, et appellatum esse Sapientiam et Pronycon et masculo feminam.* — *Quae superebullit*] Expunximus *superebullit,* auctor. vet. cod. — *Et descendentem*] Delevimus *descendentes,* auctor. vet. cod. cui consentit his verbis Theodoretus. (cont. Sethianos): *In aquis autem, corpus quidem ex ipsis accepisse, et ne submergeretur in periculum venisse, sed tamen emersisse. Ex corpore autem, quo contectus fuit, caelum esse constitutum. Deinde quum reliquum abiecisset, ad matrem evolasse.* Epiph. (cont. Haer. 37.) *Hanc autem Prunicum dicunt descendisse in aquas, et ipsis permixtam fuisse, et non potuisse ad superna procedere, eo quod gravitati materiae permixta esset.* Haec quoque perstringit Tertull. in calce libri de Praescript. — *Humectationi*] Expunximus *humectationem,* auctor. vet. cod. — *Resiliit, et in sublimitatem* etc.] Epiphan. *Levavit* p.265.
autem seipsam per vim ad superiora, et seipsam extendit, atque sic facta est superius caelum; et sic stabilita, inventa est non amplius potens neque sursum ascendere, neque infra descendere, sed in medio fixa ac extenta permansit. Tertull. *Quum in superiora voluisset eniti, gravitate materiae permixta sibi, non potuisse ad superna pervenire, et in medietate relictum extendisse totum, effecisse sic caelum.* — *Hic quoque tertius*] Theod. *Prunici filius rursus alium filium pro-* p.266.

duxit, et ex illo dicunt alium esse constitutum, et usque ad septenarium numerum processisse productiones. Ab unoquoque autem eorum, unum caelum fuisse fabricatum, et unumquemque proprium habitasse. Haec etiam attingit Tertull. lib. de Praescript. — *Et nomina autem*] Epiphan. (contra Haeres. 26.) *Ceterum maiorum principum haec nomina esse dicunt. In primo quidem caelo esse Iao principem. In secundo vero Saclam principem scortationis. In tertio Seth principem. In quarto vero dicunt esse Daden. In quinto Eloaeum, qui et Adonaeus appellatur. In sexto vero alii Ialdabaoth esse dicunt, alii Elilaeum. Alii etiam septimum caelum constituunt, in quo constituunt esse Sabaoth. Alii hoc negant, et Ialdabaoth in septimo esse pronuntiant. In octavo vere eam, quae Barbelo appellatur. Tradunt autem Sabaoth, alii formam asini habere, alii porci* etc. Theodoretus: *Praedictis autem filiis nomina imposuerunt, usi lingua hebraica, quorum meminisse duxi supervacaneum.* Quia vero his abutebantur ad commovendum imperitum vulgus, quasi maiora sanctitatis sacramenta continerent, illorum originem et interpretationem praeterire non libuit. Ialdabaoth compositum est a ילד Ialad, id est, parere, parturire, generare et nasci, et plurali nomine אבות Aboth, id est, patres; inde Ialdabaoth, id est, qui generavit patres: vel ילד אבות id est, a patribus genitus, filius patrum. Iao ex prava intelligentia nominis Dei Iehova, addita tantum littera o ad יה, efficitur Iaho, de quo et superius annotavimus. Adoneus ab אדון Adon, i. e. Dominus. Eloaeus ab אלאה Alah, a quo אלוה Eloha, id est Dii aut Deus, iudex, angelus. Sabaoth a radice צבא Saba, id est exitus, finis, tempus determinatum, unde plurale femininum צבאות est, exercitus. Ureus deducitur ab אור, quod et nomen, et verbum potest esse, significatque lucem et lucere; inde Oreus, id est lucidus. Astapheus a verbo שטף Schataph, id est lavare, inundare, unde nomen Scheteph, id est inundatio. — *Quibus factis*] Theodor. *Dicunt autem alios, cum primo seditionem agitasse, qui horum quidem erat avus, illorum vero abavus, aliorum tritavus; eum vero animi anxium, in materiae faecem cogitationem defixisse et genuisse ex ipsa filium Ophiomorphon seu serpenti-formem.* Tertull. *Rursum Ialdabaoth istum in indignationem conversum, ex semetipso edidisse virtutem et similitudinem serpentis* etc. Itaque vet. cod. auct. et Theodoreti pro *faciem materiae, faecem* reposuimus. — *Hunc autem ipsum esse Nun*] Haec fuit propria Ophitarum haeresis, de qua scripserunt abundantius Tertull. ad finem libri Praescr. Clemens Alex. 7. Strom. Epiphanius contra Haer.
p.267. 27. Philastrius, August., Theodor., Damascenus. — *Unde exsultantem*] Theodor. *Deinde gloriantem Ophiomorphi patrem, dixisse:* Ego Deus et Pater, et nullus est me superior; *matrem autem aegre tulisse, et acclamasse:* Ne mentire, est enim te superior Pater omnium, primus homo, filius hominis. *Haec autem verba quum audisset serpentis pater, inquit:* Agite, faciamus hominem ad imaginem nostram. *Quin etiam multa alia adiiciunt, quae et impietate plena sunt, et nihil habent iucunditatis.* Hunc etiam locum tangit Epiphan. contra Haeres. 25. — *Sex autem Virtutes*] Tertull. (lib. de Praescr.): *Virtutes illas, et angelos inferiores, hominem fecisse dicunt; et quia ab*

infirmioribus et mediocribus virtutibus institutus esset, quasi vermem iacuisse reptantem. Illum vero Aeonem, ex quo Ialdabaoth processisset, invidia commotum, scintillam quandam iacenti homini immisisse, qua excitatus, per prudentiam saperet et intelligere posset superiora. Epiphan. (contra Haeres. 37.) *Septem ab eo geniti filii, sive saecula, sive Dei, sive angeli (diversis enim nominibus apud ipsos appellantur), iuxta formam patris sui Ialdabaoth, formaverant hominem* etc. — *Mater autem ipsorum*] Tertull. *Ialdabaoth aiunt, in indignationem* p.268. *commotum, conversum ex semetipso addidisse virtutem et similitudinem serpentis: et hanc fuisse virtutem in paradiso, id est, istum fuisse serpentem, cui Eva quasi filio Dei crediderat. Decerpsit, inquiunt, de fructu arboris, atque ideo generi humano scientiam bonorum et malorum contribuit. — Sed et serpentem*] Epiph. (contra Haeres. 37.) *Ialdabaoth vero, aiunt, non voluit commemorare supernam matrem, neque supernum Patrem hominibus. Postea autem serpens et cognitionem intulit, et hominem ac mulierem, omnem supernorum mysteriorum cognitionem docuit. Quapropter Pater, id est, Ialdabaoth iratus, deiecit ipsum de caelo, et hinc regem de caelo serpentem dicunt: qui portionem serpentis, et nihil aliud possident. — Michaël* p.270. *et Samaël*] Theodor. *Ophiomorphum autem illum vocant Michaëlem et Samana.* Vetus cod. habet *Samaël;* quod fortasse retinendum, non iniuria quis ideo putet, quod magiae seduli cultores isti, magicis spirituum nominibus abuterentur, inter quae non sunt postrema isthaec duo nomina (Trithemius ad Max. Caes. Reuchlinus lib. 3. Cabalae). Illi siquidem ab antiquis Hebraeorum patribus accepisse dicunt, septem planetis totidem praeesse angelos, ex quibus Michaël Mercurio, vel secundum alios soli, et vento orientali praesit: Marti vero Camaël, alias Zamaël, qui forte cum hoc Samaële idem est, dominatur. In malis etiam spiritibus, quatuor reges potentissimos; iuxta quatuor orbis partes constituunt, primumque illorum Urieum, et ab Hebraeis Samaëlem vocatum, atque in Oriente regnare putant. Illi rursum in communibus per synagogas precibus (Genebrardo interprete) sic orant: *Accusationis Samuëlis ne recorderis: memento autem defensionem Michaëlis:* quibus indicant se hunc Samuëlem, quem Michaëli opponunt, maligni angeli loco reputare. Quod etiam supra de Norea, quasi Adae filia scribunt, obscurum est. Epiphanius quidem contra Haeres. 26. aliqua tradit de Noria, quam alii dixerunt fuisse uxorem Noë, et non Seth. Ceterum Vincentius in Speculo, Antoninus in Summa, Nauclerus in Generat., Bergomas in Supplemento et Wernerus in Fasciculo scribunt, cum Caino genitam fuisse Calmanam, cum Abele Delboram, quae post necem eius nupserit Seth. Comestor in hist. Scholast. affirmat Methodium martyrem idipsum revelatione accepisse et tradidisse. — *Abraham elegisse*] Epiph. *Et hic Ialdabaoth, inquiunt, est Deus Iudaeorum: sed non est ita, absit; sed iudicaturus est eos Deus omnipotens, qui Deus est et Iudaeorum et Christianorum et omnium et non Ialdabaoth quispiam est, iuxta delirum ipsorum fabulamentum.* Theodor. *Prophetas etiam dividunt et septem filiis, ut volunt, attribuunt. — Iesum autem*] Ita cod. vetus. p.272. excusi vero habebant *omnia autem. — Et hunc maximum errorem*] Theodor. (lib. I. haeret. fab.) *Iesum autem dicunt esse alium praeter*

Christum: et eum quidem, qui Deus est, ex virgine esse natum, Christum autem e caelis ad ipsum descendisse. Dicunt autem apostolos quoque er-
p.274. *rasse, ratos Salvatoris carnem resurrexisse. — Velut Lernaea hydra*] Hydram serpentem ferunt in Lerna palude prope Argos exstitisse, quam alii centum capitum, alii vero tantum octo dicunt, e quibus unum immortale esset. Cum hoc autem monstro multum diuque conflictatum Herculem fingunt, eo quod, uno inciso capite, plura renascerentur. De qua vide Hesiodum in *Θεογ.* et Platonem in Sophista, Athanasius (Serm. 4. contra Arianos) Arianos, ut Irenaeus Gnosticos, cum hoc monstro comparans: *Haereticus*, ait, *ut res ipsa docet, pravum omnino, et undequaque corruptum animum ad impietatem habet. Ecce enim ubique refutati Ariani erubescere tamen nequaquam possunt, sed quemadmodum in fabulis ethnicorum celebrata Hydra, sublatis prioribus serpentibus, aliisque pullulantibus pervicaviter contendebat novo semper obiectu anguium contra eum, qui ipsi suos serpentes tollebat: ita quoque isti exsecrabiles homines, ethnico animo, deiecti ab illis, quae obiiciebant, alia reperiunt, Iudaicas et stultas controversias comminiscuntur, ut ita se magis Christi perduelles et oppugnatores declarent.* Eiusdem etiam fabulae elegantem accommodationem habet Basilius Magnus, in calce libri de vera virginitate. — *Quidam etiam ipsam*] Theod. *Nonnulli dicunt ipsum serpentem cum Sapientia consuetudinem habere et tanquam cum Deo adversario, cum Creatore bellum gerentem Adam decepisse, et cognitionem dedisse, et propterea dictum esse serpentem prudentissimum omnium esse; flexuosam quoque intestinorum nostrorum positionem corpus serpentis imitari.* Hoc attigit et Epiphanius contra Haeres. 37.

p.263. GRABIUS: *Alii*] *Sethianos* eos vocat Theodoretus lib. I. haeret. fabul. cap. 14. eosque ab aliquibus *Ophianos* vel *Ophitas* vocari testatur; contra quam Epiphanius, qui Sethianos ab Ophitis distinguit, et horum haeresin num. 37. illorum num. 39. seorsim recenset. —
p.264. *Ne movisse quoque eas, petulanter agentem usque ad abyssos*] Id est, non potuisse aquas movere, licet ipsa, petulanti motu, ad ima usque
p.268. descenderet. — *Argumentata est*] Graece, ut ex veteri Glossario col-
p.269. ligo, *ἐτεκμαίρετο, machinata.* — *Adversus patrem operantem*] Id est patri Ialdabaoth adversantem, dum Adamum et Evam docuit cognitionem supernorum numinum, quibus inferior sit Ialdabaoth, uti Epiphanius Haeres. 37. et Theodoretus explicant. — *Mundialem habentes*] Subintellige *erant* i. e. habebant, Adam et Eva. — *Magnanimes*] *Μακρόθυμοι.* Bono scilicet animo fuisse dicuntur, ubi cognoverunt, sibi ad tempus solum sarcinam corporis impositam esse. — *Dum fratrem suum Abel occideret* etc.] Inter plurima stulta haereticorum effata hoc sane verissimum est, quod et s. Clemens habet in epist. ad Corinth. §. 5. post memoratum *ζῆλον ἄδικον καὶ ἀσεβῆ* addens: *δι' οὗ καὶ θάνατος εἰσῆλθεν εἰς τὸν κόσμον.* Unde narrata de Caino et Abelo historia subdit: *ὁρᾶτε ἀδελφοί· ζῆλος καὶ φθόνος*
p.272. *ἀδελφοκτονίαν κατειργάσατο.* — *Non autem oblitum*] Subintelligenda vox *Iesu*, cuius haud oblitus esse dicitur Christus.

p.264. MASSUETUS: *Simpliciter*] Graece *ἁπλῶς;* quod hic vertendum erat *temere*, non *simpliciter.* — *Movisse*] Particulam *ne*, quae in

omnibus editt. legitur ante *movisse,* expunxi auctoritate codd. Clarom. et Pass. Repugnat enim Sophiam in aquis petulanter egisse, nec tamen eas movisse. — *Resipisse*] (Pro *resipuisse.*) Ita Clarom. Voss. et Pass. Ceteri omnes perperam vel *repsisse* vel *repisse.* Sensus enim est Sophiam, quum a materia deligatam et valde gravatam se sensisset, resipuisse tandem ac poenituisse, quod in aquas temere descendisset. — *Et nomina autem* etc.] De nominibus istis Theodoretus: Ἐπέθε- p.266.
σαν δὲ καὶ ὀνόματα τοῖς προειρημένοις υἱοῖς, τῇ Ἑβραίων χρησάμενοι γλώττῃ, ὧν ἐπιμνησθῆναι περιττὸν ἄγαν ὑπέλαβον. *Imposuerunt autem praedictis filiis ex Hebraica lingua petita nomina, quae commemorare supervacaneum plane duxi.* Quae vel commemorare supervacaneum duxit Theodoretus, explicare foret inutilius. — *Ialdabaoth*] Sic Epiphanius scripsit Haer. 25. §. 3. et Haer. 37. §. 3. et 4. et Tertull. lib. de Praescript. c. 47. — *Iao*] De hoc nomine vide quae diximus sup. ad cap. 4. pag. 570 seqq. — *Hunc autem esse Nun in figura serpentis* etc.] Id erroris portentum Ophitis adscribunt Epiph. Haer. mox citata, Tertull. lib. de Praescript. c. 47. Clemens Alexand. lib. VII. Strom. Philastrius, August. etc. — *Advexerunt*] Sic ex codd. Clarom. Pass. et Voss. reposui. Ceteri *adduxerunt.* Sed prior lectio magis congruit cum praeced. *scarizante* seu *reptante.* — *Argumentata est*] Forte scripsit interpr. *argutata est,* graeco ἐσοφίσατο, quod vertendum fuerat: *callide molita est, excogitavit.* Sic enim Epiphan. Haer. 37. §. 4. πρὸς ἐπιβουλὴν ἐνήργησεν. — *Valde gratulatam*] Sic Clarom. et Voss. omisso altero *valde,* quod etiam omittunt tres alii Anglic. codd. At in Erasm. Gall. et Feuard. *valde valde gratulatum;* quum alterum *valde* superfluum sit, et *Prunicus* feminae nomen, femininum genus exigat. — *Adversus patrem operantem*] Quia invito Ialdabaoth, supernarum Virtutum notitiam Adami et Evae animis ingeneraverat, eosque ab illo disiunxerat, ut paullo ante dicitur. — *Mundialia oblivione*] In Clarom. Pass. et Voss. legitur *mundialia oblivionem;* in aliis *mundiali oblivione:* ex quibus omnibus genuinam lectionem colligo, quae magis cohaeret cum sequentibus. — *Descendere ad fratrem eius*] Legendum puto: *descendere ad se fratrem eius,* vel potius *suum:* aut expungenda praepositio *ad.* — *Christum*] Praepositionem *in* huic voci praefixam delevi auctoritate Clarom. Pass. et Voss. Falsum enim gignit sensum, Iesum videlicet in Christum descendisse; quod cum haereticorum hypothesi e diametro pugnat. Quidpiam tamen hîc necessario supplendum est, scilicet: *et in hunc,* nimirum Iesum, *Christum perplexum* etc. At donec suffragetur MS. codex, praestat abesse particulam *in.* — *Non autem oblitum suum Christum*] Sensus est *Christum non esse oblitum sui hominis* seu *quod suum erat.* — *Hebdomadali*] Ita Pass. et Voss. quod malim, quam *hebdomadi,* ut in aliis legitur. Sensus enim est, Christum, *incorruptibilem Aeonem,* unitum esse *hebdomadali,* Sophiae videlicet, quae hebdomadis princeps erat. — *Animale*] In Clarom. Pass. Voss. et edit. Oxon. *animalium;* perperam quidem, ut puto. Hic enim de Iesu discipulis sermo est, qui *ne ipsum quidem Iesum cognoscentes,* ut mox dictum est, *mundiale corpus animale dicebant:* id est, animale corpus, quod post resurrectionem gestabat Iesus, mun-

p.267. p.268. p.269. p.271. p.272. p.273.

diale esse errantes dicebant; quum tamen iam *mundialia remisisset in mundo.* — *Remoratum*] Clarom. Pass. et Voss. *rememoratum;* quam pravam lectionem miror elegerit Grabius. Idipsum enim hîc asseritur, quod cap. 3. n. 2. effutiebant Valentiniani: atqui contendebant hi Iesum, *μετὰ τὴν ἐκ νεκρῶν ἀνάστασιν δεκαοκτὼ μησὶ διατετριφέναι σὺν τοῖς μαθηταῖς, post resurrectionem a mortuis, decem et octo mensibus commoratum esse cum discipulis.* Et hîc ergo et illic scripsit Irenaeus *διατετριφέναι, remoratum, commoratum,* non certe *rememoratum.*

CAP. XXXI.

p.274. FEUARDENTIUS: *Alii autem*] Theodor. *Alii autem, quos Cainos nominant, dicunt etiam Cain a superna auctoritate fuisse liberatum, Esau autem, Core et Sodomitas et omnes alios eiusmodi, suos esse cognatos confitentur, et eos odio quidem esse habitos a creatore, sed nihil ab eo noxiae accepisse, sapientia enim ab eis eripuit, quod in eis habebat. Quin etiam Iudam proditorem solum ex omnibus apostolis dicunt hanc cognitionem habuisse, et ideo effecisse proditionis mysterium. Eius autem evangelium proferunt, quod illi composuerunt.* His consona sunt ea, quae scribit Epiphanius contra Haeresin 38. ideo repetere necesse non duximus. Ad tantam Gnosticorum istorum dementiam non possum non obstupescere, quod animis hominum, qui Christo nomen semel dederint, tantas errorum caligines offuderit pater ille mendacii, ut caelum terrae misceant, dum sceleratos iustificant, reprobatos salvant: Abel, Enoch, Noë, Abraham et reliquum beatorum coetum inferis mancipant; eos vero, qui Deo, angelis et hominibus exosi sunt, suspiciunt, mirantur, adorant. — *Iam autem et collegi*] Epiphan. (cont. Haer. 38.) *Sed et alia quaedam scripta, eodem modo confingunt contra uterum, quem Hysteram vocant, eamque Hysteram creatorem universae huius molis caeli ac terrae appellant. Et non posse, aiunt, alios salvari, nisi per omnia processerint, velut etiam Carpocrates dicit. Unusquisque enim ipsorum ob hanc nimirum caussam, nefaria faciens et turpes actiones perficiens et quaecunque peccata faciens, uniuscuiusque nomen angeli invocat, tum eorum, qui sunt angeli, tum eorum qui ficte ab ipsis angeli dicuntur, et unicuique eorum attribuit nefarium quoddam peccatorum in terra opus, propriam actionem ad nomen angeli cuius vult*
p.275. *referens.* Expunximus ab excusis codd. *colligi.* — *Angeli nomine dicere*] Auctoritate vet. cod. delevimus *angeli nomen edicere.* — *Quae ab illis*] Rationem designat, cur haec portentosa plane figmenta tam studiose laborioseque investigarit et scripserit. — *Delectatio autem eorum*] Id est, his nugis, imo exsecrandis et detestandis blasphemiis gloriantur et triumphant, quarum oporteret penitus erubescere ac pudefieri. Nisi contra fidem omnium codicum legere malueris *detectio autem eorum* etc., quam lectionem non temere forsitan quis constabiliret ex eo, quod supra c. 19. legitur. *Quum sit adversus omnes haereticos detectio* etc. et mox Praefatione in lib. secundum: *Quod sit detectio et eversio sententiae ipsorum;* iterumque Praefatione in
p.276. lib. IV. *De detectione et eversione falsae cognitionis.* — *Iam non*

elaboravit] Quid si legeremus *iam non elaborant*, ut conveniat cum his: *videntes quoniam fera est*?

GRABIUS: *Alii autem*] *Καϊανοὶ* ab Epiphanio Haeres. 38. dicti; p.274. a Theodoreto lib. I. haeret. fabul. cap. 13. *Καϊνοί*. Unde patet ante haec cap. 1. pag. 193. pro *Κανισταὶ* legi debere *Καϊνισταί*, uti iam ante me animadvertit Cotelerius in not. ad Tom. I. Monument. eccles. graecae col. 770. B. — *Neminem ex eis male acceptos*] Mallem *malum accepisse*, sicut in Theodoreto legitur: *μηδεμίαν δὲ βλάβην εἰςδέξασθαι, nihil noxae accepisse.* — *Audire — inferre*] Haec pro p.275. *audire — inferentem* accipio, meliora tamen edoceri paratus. — *Adversus eos victoria*] Similiter Hieronymus lib. adv. Pelagianos c. 4.: *Sententias vestras prodidisse, superasse est. Patet prima fronte blasphemia. Non necesse habet convinci, quod sua statim professione blasphemum est.* — *Manifestam omnibus factam*] *Manifesta omni-* p.276. *bus facta* legitur in Merc. I. nec ita male, si pro ablativis accipias. — *Iam non elaboravit*] Quid si legeremus: *iam non elaborant.* Feuard. Sed tunc non congruit cum praecedentibus *segregat, denudat, adduxit.*

MASSUETUS: *Alii autem rursus Cain* etc.] *Καϊανοὺς* vocat p.274. Epiphan. Haer. 38. *Καϊνοὺς* Theodoret. lib. I. haer. fab. c. 15. unde optime monet Cotelerius in not. ad Tom. I. Monumentorum eccles. graecae col. 770. apud eundem Theodoret. eiusdem libri cap. 1. pro *Κανισταὶ* legi debere *Καϊνισταί*. Latini vero *Caïnos, Caïanos, Caïnianos* etc. appellant. *Hysterae*] *Ὑστέρα* graece, latine *uterus, vulva* est. — *Et operantem audire* etc.] Sic codd. Clarom. Pass. p.275. Voss. et edit. Oxon. in aliis editt. *et operantem accidere*; in Arund. *accedere*. Priorem autem lectionem elegi, non quod genuinam, sed quod genuinae propiorem eam esse censeam. Quantum enim ex Epiphanii et Theodoreti verbis coniicere fas est, legendum videtur *audere*. — *Inferre*] Nisi scripserit Irenaeus *ἀναφέρειν*, quod verti debuisset *offerre*, non *inferre*; *inferre* hic accipio pro *attribuere, adscribere*; et sic Irenaei verba interpretor: *operantem audere audaciam* (scelus) *et immunditiam* ei (angelo) *attribuere.* — *Necessarium fuit manifeste arguere*] Sensus est: *a talibus matribus et patribus ortum ducere Valentinianos, necesse fuit demonstrare*; vel *a talibus matribus et patribus repetito argumento, necesse fuit Valentinianos impugnare.* — *Per te*] Sic ex Clarom. Pass. et Voss. reponere placuit, pro *apertum* vel *aperte* vel *a parte*, ut in aliis exemplaribus minus bene scribitur. Amicum enim alloquitur Irenaeus, ad quem libros suos mittit, ut portentosa Valentinianorum dogmata in lucem proferens, facilius everteret.

SELECTAE ANNOTATIONES ALIORUM

IN

LIBRUM II.

PRAEFATIO.

p.277. FEUARDENTIUS: *Praefatio secundi libri*] Magno studio cavisse hunc sanctissimum martyrem, ne libri isti assuetis haereticorum artibus depravarentur, neve argumentorum aut titulorum adiectione eius opus foret, evidentissimum est, tum ex obtestatione ad scribas initio operis praefixa: tum ex praefationibus singulis librorum principiis appositis: quibus ea, quae in superiore proposuit et quae in proximo dicturus est, paucis complectitur. Porro secundi libri huius capita sive sectiones, dissimiles et plures sunt in veteri nostro exemplari, quam in excusis omnibus, quae interdum magis conveniunt, interdum etiam minus, qua de re lectorem hîc monere potius quam quidquam mutare visum fuit, ut et suis locis pro re nata indicabimus. Ceterum postquam superiore libro portentosas Gnosticorum opiniones quasi perniciosa monstra e suis lustris in apertum campum eduxisset, hoc secundo singula acerrime persequitur; quae et propriis illorum placitis, quasi suopte mucrone iugulat, simul et indicat quid quisque illorum ex philosophorum lacunis hauserit: unde veteris philosophiae, atque adeo gnosticorum deliriorum, quae magna ex parte abolevit divina providentia, parum gnaris paullo obscurior liber fortasse videbitur. Nos tamen dabimus operam, ut non sine fructu aliquo aequo et benevolo lectori idem et simile semper haereticorum ingenium fraudesque Satanae retegantur et omnibus patescant. — *Qui sunt a Valentino*] Id est Valentini sectatoribus atque discipulis, sicut et alibi frequenter, qui sunt a Simone, qui sunt a Marcione etc. pro Simoniani et Marcionitae; quod semel notasse sufficiat. — *Minutatim perexivimus*] Iacobus Billius vir graece et latine doctissimus, ac Gregorii Nazianzeni, Damasceni, Isidori Pelusiotae, primorumque decem et octo libri primi Irenaei capitum interpres fidissimus et lectissimus, tres libros conscripsit, qui post eius obitum, nomine Sacrarum Observationum in lucem prodierunt. In his plurimos huius san-

ctissimi martyris librorum locos sollerter expendit, feliciter explicavit, ac magna fide correxit. Huius itaque diligentia et studio (quod semel dictum sufficiat) suffulti, eosdem et alios multos plures pro viribus emendabimus, ab hoc quem nos signavimus incipientes. *Perexire* (inquit) *novo, ac latinis prorsus inusitato more dixit, quod Graeci διεξελθεῖν, id est commemorare, dicunt.* — *Et quia non postremi-* p.278.
tatis] Capite primo libri primi retulit eos Demiurgum, id est, huius mundi Creatorem censere nunc labis, nunc cuiusdam extremitatis fructum. — *Quod sit detectio*] Ex hoc loco, et primis in quartum librum Praefationis verbis, eiusdemque libri ultima clausula; libri deinde quinti principio, verissimam esse apparet horum librorum inscriptionem, quam libro quinto histor. cap. septimo, ponit Eusebius his verbis: *ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως βιβλία πέντε*, id est, ne a veteri interprete discedamus, *detectionis et eversionis falsi nominis scientiae libri quinque.* Et certe videtur vir apostolicus eam sumsisse ex apostoli 1. ad Timoth. verbis, quibus evitandas *ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως* monet. Praeterea, ad eam respexisse putarim etiam Eusebium prima statim praefatione Hist. eccles. ubi eadem fere verba, quae hoc titulo habentur, retinet, dum se de his, qui Christi nomine passi sunt, et qui falsas opiniones scriptis suis everterunt, dicturum proponit. De his quaedam annotavimus initio huius operis.

GRABIUS: *His qui sunt a Valentino*] Intelligit hîc Irenaeus eos, p.277.
quorum sententias l. I. c. 1. exposuit, Ptolemaei scilicet et tenacium doctrinae eius discipulorum, ut ex seqq. patet. — *Falsiloquium*] Ψευδηγορίαν Irenaeum scripsisse ex fineca p. 1. lib. I. colligo, indeque coniicio factum, ut interpres pro praecedente voce (*πᾶσαν*) posuerit *omnem* [quod in nonnullis MSS. legitur].

MASSUETUS: *Eorum qui priores exstiterunt*] Veterum scilicet p.277.
Gnosticorum, Simonis Magi, Nicolaitarum etc. quos lib. I. cap. ult. Valentinianorum *patres* et *proavos* dixit. — *Affirmare*] Billius l. l. observat. sacrar. cap. 33. legendum coniicit *infirmare*. Sed vanam esse coniecturam deprehendet, quisquis legerit lib. I. cap. 15. n. 4. et cap. 16. n. 3. — *Adfationes*] Sic recte cod. Clarom. In Feuard. p.278.
marg. Pass. et Voss. *affectiones;* editt. *factiones*, sed corrupte. Genuinam enim esse nostram lectionem demonstrant quae immediate praecedunt: *et redemtionem eorum, et quomodo initiant eos qui perficiuntur. Adfationes* vero sunt profanae illae haereticorum redemtionis, de qua hîc loquitur, formulae seu invocationes, quas superius retulit lib. I. c. 21. Eadem voce, pro *invocationibus* utitur inferius, hoc scilicet lib. II. cap. 6. — *Eversionem Bythum dissolvere, et quoniam* etc.] Haec ita translocanda esse coniicit Grab. *eversionem dissolvere, et Bythum, quoniam* etc. sed frustra. Sensus est, ni fallor, absconditis ipsorum coniugationibus semel patefactis et eversis, Bythum ipsum dissolvi.

CAP. I.

FEUARDENTIUS: *A primo et maximo*] Primum et maximum p.278.
caput appellat, quod est in hac disputatione summum, nempe Deum esse unicum; quod in hoc capite concluditur, quibusdam de eius

immensitate praemissis. Siquidem tot deos constituebant fanatici isti homines, quot Aeonas et angelos, quotque affectiones et passiones ipsis inesse somniabant, ut acute deprehendit Clemens Alexand. l. V. Strom. quod amplius ex sequentibus patebit. — *Quum sit solus Deus*] Dictio exclusiva *solus*, etiam quinquies hîc repetita, non seiungit Filium aut Spiritum sanctum a Patre conditore omnium, ut blaterant novi Ariani: quandoquidem trium sit unica voluntas, potestas atque Deitas, ut infra plenius dicetur: sed tantum excludit fictitios Aeones, Bythos, Patricos, Matricos et angelos, a quibus omnia facta fuisse hi nebulones fabulabantur. Hoc idem argumentum de immensitate divina pertractant Dionysius lib. de divinis nominibus cap. 9. Athanasius contra gregales Sabellii: Nazianzenus Apologia prima: Augustinus libro primo Confessionum, capite quinto, libro meditationum, capite vigesimo nono et trigesimo: Damascenus libro primo, capite octavo etc. — *Et solus continens omnia*] Vult Deum eminenter ac excellenter omnes omnium creatarum rerum perfectiones in seipso comprehendere; quod et ante eum docuit his verbis Dionysius (lib. de div. nom. cap. 5.): *Cuncta continet Deus secundum superexpansam et simplicem infinitatem suam.* Subscribit Augustinus lib. quarto de Trinitate capite primo et Tractatu primo in Ioannem. — *Quemadmodum*] Primum est argumentum huius capitis, sumtum ab infinitate divinae naturae, quae sua immensitate omnia permeat, omnibus ubique adest, nullis limitibus definiri potest, sed ipsa continet omnia et ambit. Nihil igitur extra Deum, nec Deus ipse extra quidpiam esse potest. Non multum absimili argumento Tertull. utitur lib. I. in Marcionem: *Sicut enim*, ait, *Creator, ex hoc et Deus et indubitatus Deus, quia omnia ipsius, nihil extraneum illi: ita et illius idcirco non Deus, quia omnia non eius, ideoque et extranea. Denique universitas Creatoris est; iam nec locum video Dei alterius. Plena et occupata sunt omnia suo auctore. Si vacat aliquid spatii alicuius divinitati in creaturis, plane false vacabit* etc. De hac porro Dei unitate, ante Irenaeum gravissime disserunt Ignatius Epist. ad Philip. et Philadelph. Clemens in Recognit. Iustinus martyr libro de Monarchia, et Oratione ad Graecos; Athenagoras in Legatione: post eum vero Clemens Alex. in Paraenetico, Arnobius advers. gentes, Cyprianus lib. quod idola non sunt Dii: in primis autem Lactantius lib. I. cap. 3—7. Haec tantum subiicio, quae in hanc rem scripsit lib. de ira Dei cap. 11. *Non possunt in hoc mundo multi esse rectores, nec in una domo multi domini, nec in navi una multi gubernatores, nec in armento aut grege duces multi, nec in uno examine multi reges: sed nec in caelo multi soles esse poterunt, sicut nec animae plures in uno corpore* etc. Ceterum illud *quemadmodum* usurpatur hîc et infra non raro interrogative, pro *quomodo*, quod
p.279. semel monuisse sufficiet. — *Necessitas est omnis*] Graecismus, ut et infra *necessitas ergo erit. Necessitas est omnino*, ἀνάγκη subaudito verbo ἐστί, *necessitas est* pro necesse est. Ut apud Platonem ἀνάγκη τὰς αἰτίας πρώτας μεταδιώκειν, quae Tullius vertit: *Necesse est primas caussas conquirere.* Et πᾶσα ἀνάγκη, *omnis necessitas*, pro: omnino necesse est. — *Et Marcionis bonus Deus*] Libro primo cap.

29. recensuit Marcionem duos longe diversos Deos constituisse, unum huius universi et omnium malorum factorem; alterum autem totius bonitatis fontem, Patremque Domini nostri Iesu Christi. De his et Tertullianus: *Ponticus duos deos affert tanquam duas simplegadas naufragii sui: quem negare non potuit, id est Creatorem, id est nostrum; et quem probare non poterit, id est suum.* Et infra: *Marcion dispares deos constituit, alterum iudicem, ferum, belli-potentem: alterum mitem, placidum et tantummodo bonum atque optimum.* — *In quod et*] Sic legendum existimavimus cum veteri codice, consentientibus quae leguntur libro I. cap. 1. et 13. de Achamoth matre, quam ovem extra Pleroma peregrinatam fingunt. Expunximus *id quod est.* — *Cum Pleromate*] Aliud est argumentum, quo probat vel duos nusquam esse deos, vel infinitum numerum et deorum et mundorum necessario constituendum esse, quod omni fide caret. Simile argumentum, sed vi maiore torquet in Marcionem Tertullianus: *Veritas christiana*, inquit, *districte pronuntiat, Deus si non unus est, non est: quia dignius credimus non esse quodcunque non ita fuerit, ut esse debebit. Deum autem ut scias unum esse debere, quaere quid sit Deus, et non aliter invenies.* Et paullo infra: *Ineluctabilis iste complexus in hoc sententiam constringit, aut negandum Deum esse summum magnum, quod nemo patietur sapiens; aut nulli alii communicandum. Aut quae ratio duo summa magna composuit? Primo enim exigam, cur non plura, si duo, quando locupletiorem oporteret credi substantiam divinitatis, si competeret ei numerus? Honestior et liberalior Valentinus, qui simul ausus est duos concipere, Bythum et Sigen, quum usque ad* 30 *Aeonum fetus, tanquam Aeoniae scrophae examen divinitatis effudit.* Neque valde dissimilia pro Dei unitate leguntur apud Philonem, Athenagoram, Lactantium et Damascenum, quae scite collegisse videtur Thomas Aquinas lib. I. contra Gentes cap. 43. — *Continebuntur*] Expunximus *continebantur enim et cir-* p.280. *cumfiniebantur*, paullo post quoque pro *excitante* reposuimus *excidente*, et pro *aliquantos, aliquando*, eiusdem vet. cod. auctoritate. — *Et quum haec sic se habeant*] Tertium est argumentum, quo ab unico mundo, eiusque per providentiam administratione, unicum Deum esse ostendit. Idem, sed prolixius et apertius post Philonem persequitur Lactantius lib. I. cap. 3. evidentibus etiam adhibitis exemplis, de unico in exercitu imperatore et unica in corpore anima. Cyprianus Tractatu contra idolat. monarchiam divinam probat ex apum rege et gregis duce.

GRABIUS: *Initium*] Ἀρχὴ procul dubio fuit in graeco, quae p.278. vox hic non *initium*, sed *principium rerum*, a quo dependent, denotat. — *Quem videlicet et Proonta et Proarchen vocant*] Vid. supra lib. I. p.279. cap. 1. ab initio. Ceterum ex hoc loco et initio cap. 3. huius libri, ubi *Proarchen* et *Bythum* Valentinianorum et *bonum Deum* Marcionis auctor noster nominat, haud vane colligitur, Marcionem quidem supremum illud ens, quod super creatorem mundi fingebat, *Deum* appellasse; Valentinianos autem ab hoc nomine abstinuisse. Unde Elias Cretensis in Commentar. ad Gregorii Nazianzeni Orat. 23. varia haereticorum de Bytho et Sige somniantium nomina recensens, inter alia scribit: *Quidam ex ipsis Bythum Deum, alii Silentium Deum esse*

dicebant, ut Simon et Marcion. Quasi hi soli Dei titulum usurpassent. — *Cum Pleromate*] Nescio quid Feuardentio in mentem venerit, ut in sua editione ab his verbis: *Cum Pleromate,* non modo cum Erasm. et Gallas. novam inchoarit periodum, sed alteram plane sive novam huius capitis sectionem fecerit, quum semicolon solum illa distinguat. Quo ipso factum, ut et praecedentia et sequentia haud perfectum habeant sensum, ac lectori merae offundantur tenebrae.

p.279. MASSUETUS: *Cum Pleromate*] Hic Feuardentium merito castigat Grabius, quod in sua editione ab his verbis non modo cum Eras. et Gallasio novam inchoarit periodum, sed alteram plane sive novam huius capitis sectionem fecerit; quum semicolon solum illa distinguat. Quo ipso factum, addit vir clariss. ut et praecedentia et sequentia haud perfectum habeant sensum, ac lectori merae offundantur tenebrae. — *Subaudiatur*] In edit. Oxon. *subauditur;* quod quidem mallem, si faveret MS. alicuius codicis auctoritas. Sed non favere coniicio ex cl. Grab. nota. Cod. Voss. inquit, habet *subaudiatur.* Atqui nedum cod. Voss. ita habet, sed et Clarom. Pass. Ottob. et editt. Erasm. Gallas. et Feuard. Quare vulgatam retineo lectionem, quae rectum habet sensum, si *subaudiatur* in imperandi modo intelligatur.

p.280. — *Sic autem ad excogitandum*] Sensus est: *eo autem semel posito, necessario sequitur excogitari posse secundum omnem partem multos Deos* etc. — *Excidente*] Frustra doctissimus Bullus in *defensione fidei Nicaenae* pag. 303. legere mavult *excedente.* Nam praeterquam quod *excidere* melioris notae codicum MSS. auctoritate nititur, et in eundem sensum accipi potest; hic familiaris est Irenaeo, seu potius eius interpreti loquendi modus: *in immensum excidit sententia, sermo* etc. ut

p.281. ex sequentibus patebit. — *Factores et deos*] Supple *esse.*

CAP. II.

p.281. FEUARDENTIUS: *Qui autem ab angelis*] Caput 2. signat hic vetus codex. Ostendit vero nec mundum creatum fuisse ab angelis, ut Simon, Menander, Saturninus, Basilides et Carpocrates dicebant, lib. I. cap. 20—24. nec ab alia quadam virtute separata valde et distante a supremo Deo, ut Marcionem et Cerinthum voluisse scripsit lib. I. cap. 25. 29. Varias autem philosophorum sententias de ortu mundi recenset et refellit Lactantius lib. de ira Dei c. 10. — *Quanto magis Deo?*] Pro: quanto minus, Graecorum more. — *Post deinde*] Dilemma est vehementer eos premens, cuius alterum cornu habes initio capitis secundi, ideoque sectionem veteris codicis convenire magis existimo; sed mutare nolui, ne his sectionibus assuetis negotium facerem. — *Si autem in illius*] Est alterum cornu superioris dilemmatis, quo a plurimis absurdis undequaque sequentibus probat, mundum ab alio fabricari nec debuisse nec potuisse, quam ab unico

p.282. et vero Deo; quod etiam domesticis exemplis confirmat. — *Fabricatorem*] Veteris codic. auctoritate delevimus *fabricatores;* et paullo ante *erunt* pro *erant* posuimus. — *Quemadmodum in regem*] Confirmat mundum a Deo creatum, desumto exemplo a rege, in cuius laudem aut vituperium omnis exercitus ac belli, cui praeest, successus refertur. Proxima linea *conditio huius civitatis* sumitur pro omni

creatione, re creata, hoc universo. Sic namque in his libris frequenter usurpatur, ut cap. 6. *ignis in conditione numeratur*, id est, inter res conditas; et cap. 56. *sunt in caelis spiritales conditiones*, id est, creaturae. — *Sic igitur*] Concludit solum Deum mundi esse conditorem; non angelos, ut Gnostici contendebant; quod, ut et reliquas haereses, ex philosophorum lacunis hauserant. Siquidem angelos creatores esse corporum nostrorum et animalium, sententia fuerat Platonis et Porphyrii, quos ea de re acerrime oppugnat Augustin. 12. de Civit. c. 16. Idem etiam ex Philastrio recitat Proclianitas cum Seleucianis sensisse creatores animarum esse angelos. Sed quaestione 21. lib. II. quaest. in Exod. asserit angelos dici non posse animalium creatores, sicut nec agricolae segetum vel arborum, vel quorumcunque in terra gignentium. Isthaec etiam fusius excutit lib. III. de Trinit. cap. 8. et 9. noster quoque Irenaeus lib. IV. cap. 37. — *Hominibus assimilant*] Divinam potentiam, vires quascunque creatas superare, nec morem artificum in operibus imitari asserit, quippe quae nullis organis, nullo coadiuvante, nulla denique subiecta materia egeat ad quorumcunque productionem. De his et Iustinus martyr (in Confut. dogma Arist.) ita in Aristotelem disserit: *Naturae artique a Deo praescriptum terminum esse novimus, quod si Deus praescriptioni non subest, sed e quolibet facit quidlibet, nullo termino impediente quominus faciat, quae vult: an non exemtus est a necessitate e subiectis creandi?* Athenagoras quoque (Orat. de resurr. mort.) putat eos pessime in Deum contumeliosos esse, *qui vires humanas et divinas, artifices et Deum, inter sese comparant.* Theophilus Antiochenus (lib. II. ad Autolycum) hinc Dei potestatem innotescere credit, *quod ex his, quae non sunt, facit, ut libitum est, quae vult. Quae enim apud homines sunt impossibilia, apud Deum possibilia habentur* etc. Ceterum vet. cod. auctoritate *qui* transposuimus, et *in opibus* pro *in operibus* legendum proposuimus. — *Proprium enim hoc Dei super-* p.283. *eminentiae*] Argumentum est sumtum a divina excellentia et omni sufficientia. Qui suapte natura sufficientissimus est ad omnia, non indiget cuiuscunque alterius ope aut industria ad condendum quodcunque voluerit. Deus autem Pater, Filius ac Spiritus sanctus est istiusmodi, dicentibus scripturis: *Bonorum meorum non eges: Meus est orbis terrae; Deus manibus humanis non colitur indigens aliquo.* Igitur etc. vel sic: Deus coaeterno et consubstantiali Verbo atque Spiritu suo potis fuit satis ad omnia condenda, ut voces prophetarum et apostolorum personant, Gen. 1. Psal. 32. et 138. Ioan. 1. Heb. 1. Nullius itaque alterius a seipso indiguit. — *Et sine ipso factum est nihil*] Ita huic sententiae finem imponit etiam lib. III. c. 8. et 11. alibique non raro; quod et Tertullianus libris adv. Hermogenem, Praxean, de resurrectione carnis, et quinto adv. Marcionem, Cyprianus lib. II. adv. Iudaeos c. 3. Augustinus, Hieronymus, et vulgata editio: ex Graecis quoque Origenes, Nazianzenus, Cyrillus Alexand. non illibenter servant, tametsi aliter videatur locus interpungendus Chrysostomo et Theophylacto, quibus nec Irenaeus noster utramque admittens lectionem lib. III. cap. 11. contradicit. — *Qui est secundum nos mundus*] Graeca phrasis, qualis Act. 17. *τινὲς τῶν καθ' ὑμᾶς ποιητῶν εἰρήκασι,*

quidam vestrorum poëtarum dixerunt. Et apud Nazianzen. *ἡ καθ' ἡμᾶς οἰκουμένη, nostra terra habitabilis.* Sic et proxime dicitur: *omnia quae sunt secundum nos,* id est haec terrena et visibilia. — *Quoniam autem hic Deus*] Concludit ex superioribus, novoque Pauli testimonio, Deum mundi creatorem esse Patrem Domini nostri Iesu Christi; et confictas ab eis fabulas de Bytho, Pleromate, Aeonibus et multis diis omnino stare non posse. [Sunt, qui velint suadere] Irenaeum hoc loco et aliis aliquot similibus, Filium Dei omni divinitate spoliare et solum Patrem verum Deum esse profiteri. Sed non attendunt, praecipuum beati Patris scopum esse, ut confictos a Valentinianis Aeones, Bythos, Propatores et mundi Labes a quibus Christum ortum ac missum comminiscebantur, omnino refellat: probet autem e contrario illum verum esse Filium eius Patris, qui dicitur et est Deus Israëlis, distinctus quidem ab eo secundum personae rationem, sed unius cum eo naturae atque dominii.

p.281. GRABIUS: *Hoc autem*] Similiter contra Ptolemaeum argumentatur Epiphanius Haer. 33, 2: *Τοῦτο οὐκ ἂν οὐδὲ ἐπὶ ἀνθρώπου λαμβάνοιτο παρά τινι τῶν ἐχόντων ἐρρωμένην τὴν διάνοιαν, μήτοιγε ἐπὶ Θεοῦ. Nemo sanae mentis de homine quidem, nedum de*
p.283. *Deo, tale quid audeat statuere. — Ut is, qui inciperet eum cognoscere, homo fieret*] Regeneratio quidem hominis fit per cognitionem Dei: sed qua ratione quis Deum cognoscere incipiens homo primum creetur et fiat, haud capio. — *Dicit*] Sed ubi Scriptura Geneseos dicit: *omnia quae sunt secundum nos, fecisse Deum per verbum suum?* Respondeo Irenaeum forte respexisse prima Mosis verba, mox ab eo citata: *In principio Deus fecit caelum et terram.* Per *principium* enim mystice verbum sive Filium Dei quidam antiquissimorum patrum intellexerunt, de quibus vide Commentatores in Genesin et adde quae Tom. I. Spicilegii Patrum saeculi II. pag. 132. attuli. Vel etiam Irenaeus istud Mosis: *Dixit Deus,* in rerum creatione prolatum ita accepit, quasi Deus per substantiale verbum ab aeterno in Patre exsistens, sed tunc quasi ad extra procedens, omnia produxerit. Quomodo et inter alios Tertullianus lib. contra Praxean cap. 5. philosophatus est, ita scribens: *Ut primum Deus voluit ea, quae cum Sophiae ratione et Sermone (λόγῳ) disposuerat intra se, in substantias et species suas edere, ipsum primum protulit Sermonem — ut per ipsum fierent universa.* Unde mox citat verba Geneseos, ubi dixit Deus:
p.284. *Fiat lux* etc. — *Pater*] In nostris graecis et vulgatis latinis novi Testamenti codicibus legitur: *Καὶ Πατὴρ πάντων, et Pater omnium;* quomodo Firmilianus quoque Epist. 75. inter Cyprianicas hunc apostoli locum citavit. Sed in Irenaei codice tam copulativa *καί,* quam vox *πάντων* defuisse videtur, quia sine utraque verba s. Pauli allegavit, non modo hîc, sed et lib. IV. cap. 37. (Alterum enim locum lib. IV. c. 52. corruptum esse, in notis ibi moneo.) Neque *omnium* ab auctore nostro lectum fuisse, exinde colligo, quia Deum *Patrem* respectu Iesu Christi hîc dictum accepit. Et copula *καὶ* quidem abest etiam a versione syriaca ac aethiopiaca, nec non apud Chrysostomum in Comment. ad hunc locum; sed qui vocem *omnium* omiserit, excepto Irenaeo, novi neminem. Quamquam in loco parallelo 1 Co

rinth. 8, 6. ipse apostolus omiserit, simpliciter ponens: *εἷς Θεὸς ὁ Πατήρ, ἐξ οὗ τὰ πάντα. Unus Deus Pater, ex quo omnia.* — *Nobis*] In graecis nostris codd. est *ὑμῖν*. Sed *nobis* praeter Irenaeum hoc aliisque locis ante dictis, habent Firmilianus in citata epistola, Hilarius in Comment. ad hunc locum, Scholiastes apud Hieronymum; quamvis ipse Hieronymus in Commentario suo neutrum horum agnoscat, sicut et deest in codice Alexandrino aliisque, quos recenset nunquam sine honoris praefatione a me nominandus doctissimus *D. Millius* in sua novi Testamenti editione.

MASSUETUS: *Verisimilis — omnium Deus*] Haec omnia in Feu- p. 282.
ard. edit. per incuriam typographi omissa esse dicit Grabius. Sed semel monuisse sufficiat cl. virum vitiosis omnino Feuard. editionibus usum fuisse. Pleraque enim quae in Feuardentio deesse, vel corrupta esse queritur, sana et integra sunt in iis editionibus quas habeo ad manum, Paris. scilicet, an. 1576. et Colon. an. 1596. Has si per otium consuluisset vir eruditus, pluribus notis abstinuisset. — *Ut is, qui inciperet eum cognoscere, homo fieret*] Regeneratio quidem p. 283.
hominis, inquit hîc Grabius, fit per cognitionem Dei: sed qua ratione quis Deum cognoscere incipiens, homo primum crectur et fiat, haud capio. Id reipsa capi non potest; sed neque is est verborum sensus. At si advertisset vir eruditus *τὸ inciperet eum cognoscere* Graecismum esse interpreti familiarem, pro *cogniturus eum erat*, perspicua ei evasisset Irenaei sententia; scilicet *Deum neque labe, neque ignorantia indiguisse, ut is homo fieret, qui eum cogniturus erat* seu *ad eum cognoscendum destinatus.* — *Consonantiam*] Graece *ἁρμονίαν.* — *Et sine ipso factum est nihil*] Ita huic sententiae finem imponunt non Irenaeus modo hîc, et lib. I. c. 22. ac lib. III. c. 11. n. 7. alibique non raro, sed et Tertull., Cyprianus, Hilarius, Augustin., Hieron. ex Graecis quoque Origenes, Nazianzenus, Cyrillus Alexandrinus etc. tametsi, inquit Feuardent. aliter videatur locus interpungendus Chrysostomo et Theophylacto. Lege sis Ambrosium lib. III. de Fide c. 6. Quod autem addit Feuard. Irenaeum nostrum utramque admittere lectionem lib. III. c. 11. falsum esse apparebit editionem nostram consulenti. — *Qui est secundum nos mundus*] Hellenismus est pro *mundus noster.* Sed eiusmodi phrases graecae et frequentiores et faciliores sunt, ut singulis in locis notari debeant. — *Sicut Scriptura Geneseos dicit, omnia* etc.] Sensum, non verba Geneseos profert Irenaeus. Respicit enim primum caput, cuius initio rerum omnium creatio summatim refertur his verbis: *In principio creavit Deus caelum et terram;* tum postea sigillatim et ordine describitur; ubique vero Dei Verbo facta dicitur. Nam illud *in principio,* et ista *dixit Deus,* de Verbo Dei substantiali intelligenda esse volunt antiquissimi patres, ii potissimum qui contra Arianos scripserunt; et cum Irenaeo probant ex illo Ioannis: *omnia per ipsum facta sunt.* Lege sis Tertull. cont. Praxean, et Hilar. lib. IV. de Trinitate circa med. ut de aliis sileam. — *Unus Deus Pater*] In omnibus nostris sive graecis, sive p. 284.
latinis N. Test. codicibus legitur: *Καὶ Πατὴρ πάντων, et Pater omnium;* sicque legunt omnes ss. patres. Omittunt quidem coniunctionem *καί, et,* Chrysostom. in hunc locum, et interpretatio syriaca:

sed qui *πάντων, omnium,* omiserint, alios vix reperias, praeter Irenaeum. Nec hoc loco duntaxat omittit, sed et lib. IV. c. 20. et lib. V. c. 18. Si vero lib. IV. c. 52. edit. Feuard. (nunc 32.) legatur, hanc vocem addidit Feuard. sed contra praecedentium editt. et maioris partis MSS. codicum fidem, ut ante me observavit Grabius. Nollem tamen cum doctissimo viro hinc inferre tam copulativam *καί,* quam vocem *πάντων* in Irenaei codice defecisse. Id saltem de copulativa dici non potest, quae ex omnium cum editt. tum MSS. consensu legitur lib. IV. cit. cap. 32. Sed nec *πάντων* abfuisse ab Irenaei exemplari demonstrat ab cl. viro allata ratio, scilicet Irenaeum ex hoc loco probare Deum esse Patrem Domini nostri I. C. nullam autem fore consequentiam, si *Πατὴρ πάντων* ibi dicatur. Immo ex eo quod *Pater omnium* dicatur, et *ex quo,* ut dixerat apostolus cap. praecedente, *omnis paternitas in caelis et in terra nominatur,* recte sequitur esse Patrem et Domini N. Iesu Christi: qui enim *omnium* dicit, nullum excipit. — *Qui super omnes*] *Est* in editt. Erasm. Gall. et Feuard. ex latina Vulgata additum merito delevit Grabius, quia abest a codd. Clarom. Arund. Voss. et Merc. I. nec in graeco apparet vox *ἐστί.* Quin et in antiquissimis MSS. novi Test. codd. omittitur verbum *est.* Tres hic asservantur in bibliotheca nostra San-Germanensi, alter graeco-latinus annorum circiter mille, alii duo annorum plusquam octingentorum, in quibus scriptum legitur ut hic *qui super omnes,* absque verbo *est.* — *Nobis*] In graecis nostris N. Testam. codd. ut et apud Chrysost. Hom. XI. in epist. ad Ephes. legitur *ὑμῖν.* Sed *nobis* cum Irenaeo habent, praeter Vulgatam nostram, tres supra citati bibliothecae nostrae codd. MSS. (in eo qui graece scriptus est *ὑμῖν*) aliique graeci plures in Oxoniensi novi Testam. edit. an. 1675. laudati, Firmilianus epist. 75. (edit. Oxon.) inter Cyprianicas, Hilarius lib. IV. de Trinit. n. 34. Hieron. in divina bibliotheca ab eruditissimo Martianaeo nostro vulgata Tom. I. novae edition. Hieronymianae etc., quanquam tamen non desint MSS. N. Test., in quibus neutra vox occurrat, qualis est Alexandrinus, aliique quos recenset clarissimus Millius in sua N. Test. edit. et auctor edit. Oxon. mox citatae.

CAP. III.

p.285. GALLASIUS: *Sed aut aeternum mundum mente concepit secundum eos haereticos Deus, aut temporalem: quae utraque sunt incredibilia*] Ut intelligas hunc locum, qui obscurus alioqui et perplexus est, coniunge priorem sententiam, ad quam postrema istius pars referri debet. Nam docet Irenaeus, haereticos non posse hoc dilemmate iuvari. Nam sive aeternum sive temporalem dicant esse mundum, utroque modo falsum et incredibile esse quod asserunt, ab eo mente conceptum, ab alio vero factum esse. Nam ita sequeretur duos esse Deos, duos conditores, quorum uni velut architecto designatio aut idea, alteri formatio tribueretur. Quoquo igitur modo acciperent, vel aeternum mundum, quod ipsi affirmabant, vel temporalem esse, ut docet Scriptura, neutro modo ipsorum dogma consistere, sed absurdum et impium esse. Quare concludit, unum Deum Patrem univer-

sorum, ut sua ipsius mente concepit, ita eo tempore quo statuerat, nullius ope adiutum, hunc mundum edidisse.

FEUARDENENTIUS: *Instabilis igitur*] Vetus codex tertium ca- p.284.
put ab hoc loco exorditur, et commodius forsan, quum huic sectioni magis conveniant argumenta capitibus praefixa. Concludit autem, Bythum illum, de quo tanta fabulatos fuisse scripsit lib. I. c. 2. 5. et 19. una cum Pleromate mera somnia esse. Deinde pluribus affirmat, nec Deo ignorante aliquos condidisse hunc mundum, quum omnia praesciat et mente complectatur: nec sine blasphemia posse illum Labis et Ignorantiae fructum existimari. Instabilem porro vocat Bythum, id est figmentum adeo infirmum et somnium tam vanum, ut nullo modo stare, nullis argumentis stabiliri valeat. — *Ne quidem caussam reddere habebunt*] Hellenismus *αἰτίαν οὐχ ἕξουσιν ἀποδοῦναι*, non potuerunt causam assignare ac donare, ut *ἔχω εἰπεῖν*, possum dicere. — *Si autem praescius*] Asserit eundem Deum hunc mundum tandem p.285.
aliquando perfecisse, qui eum praescientia mentis ab aeterno conceperat. — *Sed aut aeternum*] Docet hoc dilemmate, sive aeternum sive temporalem dixerint esse mundum, semper falsum esse quod dicebant, ab uno quidem mente conceptum, ab alio vero conditum esse; duos deos inde et mundi fabricatores diversos constituentes. — *Di-* p.286.
gnum esse] Marcionitarum quoque blasphemia erat, mundi opus Deo indignum esse. *Narem enim contrahentes,* ait Tertullian., *convertuntur ad destructionem Creatoris. Nimirum, inquiunt, grande opus et Deo dignum mundus. At quum et animalia rides minutiora, quae maximus artifex de industria ingeniis aut viribus ampliavit, sic magnitudinem in mediocritate probari docens, quemadmodum virtutem in infirmitate. Imitare, si potes, apis aedificia, formicae stabula, araneae retia, bombycis stamina; sustine, si potes, ipsas lectuli et tegetis tuae bestias, cantharidis venena, muscae spicula, culicis et tubam et lanceam. Qualia erunt maiora, quum tam modicis aut iuvaris aut laederis, ut nec in modicis despicias Creatorem?* etc. Hanc haeresin post Irenaeum et Tertullianum passim carpit Clemens Alexandrinus lib. III. et IV. Strom. Origenes quoque Homil. II. in diversos; et Rufinus auctor expositionis symboli apud Cyprianum, inter Manichaeorum insanias adnumerant, quod Deum mundi creatorem negarint, ut ad Diabolum eius conditionem referrent.

GRABIUS: *Instabilis igitur qui est secundum eos Bythus*] In- p.284.
terpres saepe in hoc libro *instabilis* vocabulo utitur non satis proprie. Ἀσύστατον enim dicitur id, quod ita proponitur, ut ne ullo quidem modo esse queat quod fingitur. Sic cap. 54. Valentinianos *instabilia delirare* ait, hoc est eiusmodi deliramenta proferre quae nullo modo constare (*consistere*) atque cohaerere possunt, sed ab omni verisimilitudine abhorrent. Et cap. 56. Valentinianorum matrem *instabilem* esse inquit, hoc est prodigiose confictam, ut verisimilitudinem omnem excedat. Atque ad hunc modum quum aliquid eiusmodi esse vult, ut nulla in id absurditas cadat, *constandi* vocabulum usurpat, ut c. 2. *Bill.* lib. I. Observ. sacr. c. 33. Nota vero, Irenaeum Pleroma *instabile* dicentem hîc respexisse *umbram* et *vacuum,* quibus illud quasi superstruebant haeretici. — *Maius Pleromate*] Ita recte editt. Erasm.

et MSS. Voss. ac Merc. II. Sed Gallasio placuit *maius* in *magis* commutare: hancque lectionem retinuit Feuardentius et Billius loco citato acriter eam defendit altera prorsus reiecta. *Hoc enim vult Irenaeus,* inquit, *vacuum illud, quod Valentiniani inducebant, stultius adhuc absurdiusque esse Pleromate illo, quod iam confutarat,* cap. scilicet 1. huius libri. Quae gratis omnino ab eo dicta sunt. Quod enim Irenaeus *ostensum* sive demonstratum dicit, est id: vacuum nempe a Valentinianis confictum, ipsum Pleromate maius esse. Ita enim supra cap. 1. pag. 107. col. 1. *Quum enim sit secundum eos et aliud quid, quod quidem extra Pleroma esse dicunt, in quod et superiorem erraticam virtutem descendisse opinantur;* (vid. lib. I. c. 1. §. 7.) *necesse est omni modo, aut continere id quod est extra, contineri autem Pleroma* etc. At vero *id quod continet, eo quod continetur maius est,* ut paullo ante pag. 106. ait. *Vacuum* itaque *Pleromate* Valentinianorum *maius* hoc loco ab Irenaeo dictum esse, nullum est dubium. Accedit quod a voce *instabilis* nova inchoanda sit periodus, ut mox dicam: ista vero avulsa, lectionem *magis* consistere haud posse, quilibet videt. — *Reddere habebant*] Haeretici enim interrogati caussam, quare Demiurgus tam diu umbrosum istum locum vacuum permiserit, respondebant, ipsum noluisse productis creaturis
p.285. eum implere, quod supremus Bythus facti foret conscius. — *Aut in praesentia* etc.] Dixerat Irenaeus eundem supremum Deum, qui ideam mundi mente conceperat, eius structuram ad effectum perduxisse. Veritus autem, ne pertinaces adversarii hanc sequelam haud admitterent, sed alteri Deo ideam, alteri creationem mundi attribuere pergerent, alia quoque via eos aggreditur, et urget, a quocunque tandem mundus statuatur creatus, si tamen secundum ideam in mente summi Dei, ipso praesente, vel praesciente, efformatus fuerit, omnino creaturam pro bona habendam esse, aut omne, quod in eam coniicitur probrum, in ipsum supremum Deum redundare.

p.284. MASSUETUS: *Instabilis*] Graece ἀσύστατος. Porro, inquit Billius, loco sup. cit. aliquid ἀσύστατον εἶναι, seu *instabile esse, non constare* etc. ut saepe loquitur interpres noster, quamvis non satis proprie; ast id nullo modo constare posse, ab omni verisimilitudine abhorrere, ita prodigiose et absurde confictum esse, ut omnem verisimilitudinem excedat etc. — *Maius Pleromate*] Ita recte Feuard. in marg. Erasm. Clarom. Voss. Merc. II. et edit. Oxon. Gallas. vero et Feuard. in textu, ac cod. Pass. *magis Pleromate:* quam lectionem genuinam censet Billius, nostramque sensu ipso refelli contendit. Etenim, inquit, Graecismo hoc, *vacuum hoc magis Pleromate ipsorum ostenditur instabile,* vult Irenaeus vacuum illud, quod Valentiniani inducebant, stultius adhuc, absurdiusque esse Pleromate illo, quod iam confutarat. Sed viro doctissimo fucum fecit tum prava editorum interpunctio, in quibus *instabile* periodum claudit; quum tamen ex codd. Clarom. et Voss. et ipso sensu ita exigente, ea vox novam inchoare debeat: tum quod non satis attendit ad argumentum quod Irenaeus huius lib. cap. 1. adversus Valentinianos intorquet: si quid sit extra Pleroma (vacuum et umbram dicebant illi, ut lib. I. cap. 4. videre est) eo Pleroma continebitur: unde iam argumentum breviter resumens

concludit, vacuum hoc maius Pleromate ipsorum fore. — *Infra se*] Pro *intra se.* — *Et visibilem*] Legendum videtur *et invisibilem.* Nisi p.285. forte in graeco scriptum fuerit *θεωρητόν, sola mente percipiendum,* quod male verterit interpres *visibilem.* — *In praesentia Patris voluit*] Sic editt. Erasm. Gall. et Feuard. At MSS. cum edit. Oxon pro *voluit* habent *volunt.* Quam lectionem ex scribarum imperitia profectam esse puto. Quum enim Irenaei argumentationem haud assequerentur, ad haereticos retulerunt, quod ad Marcionis Deum, quem refellit auctor, ipsa orationis series referendum esse demonstrat. Id adeo verum est, ut Grabius ipse, qui MSS. codicum lectionem vulgatae praetulit, fateatur totam hanc periodum vix intelligi posse, nisi pro *in praesentia,* legatur *in praescientia:* quum tamen haec ipsa vox *praesentia,* quam unanimi consensu codices omnes exhibent, alteram *volunt,* cum qua tam male cohaeret, in suspicionem apud cl. virum vocare debuisset. Nostra vero lectio, nulla vi textui illata, apte secum omnia compingit. Quia nempe quispiam e Marcionitarum grege ad angustias redactus respondere forte potuisset, a supremo Patre rerum omnium ideam mente quidem conceptam fuisse, a Demiurgo vero structuram ad effectum perductam; subsumens Irenaeus reponit: non ergo Deo Patre indignam, nec proinde malam, dicendam esse structuram, cuius archetypum, iuxta quod ageret opifex, effingere dedignatus non fuerat. *Aut,* inquit, *in praesentia Patris,* id est conscio, vidente et approbante Patre, *voluit* Demiurgus seu Marcionis Deus, *esse eum secundum mentis conceptionem talem,* talem condere mundum, qualem mente concepit Pater, *compositum* videlicet, *et mutabilem et transeuntem.* Si vero *sit talis, qualem Pater deformaverat apud semetipsum,* sequitur *dignam esse Patris fabricationem,* seu culpandam non esse; nec Patrem dedecere eam fabricationem. — *Dignam esse Patris fa-* p.286. *bricationem*] Ita Clarom. Voss. et Grab. Consentire videntur et Arund. ac Merc. II. habent enim *fabricationem.* In ceteris vero legitur: *dignum esse Patris fabricatione,* mundum scilicet; quae quidem lectio bona est: sed prior melior videtur, et Irenaei scopo et argumento magis consentanea.

CAP. IV.

FEUARDENTIUS: *Caussa igitur*] Concludit mundi opificium soli p.286. Deo adscribendum esse: Pleroma, Bythum, Sigen et Vacuum, quae Valentinianos confinxisse lib. I. cap. 1. et 5. docuerat, una cum professoribus vana esse et inania. Porro hasce fabulas sumserant ab Orpheo et Hesiodo, qui, ut est apud Theophilum et Lactantium, tradiderunt omnium rerum principium, Chaos, quod isti Bythum, Profundum, Aeona, Proarchen et Propatora appellant. Augustinus autem lib. de Genesi contra Manich. non negat mundum ex ea rudi materia factum, quam Graeci *χάος* vocant; sed hoc ipsum a Deo ex nihilo conditum his verbis Mosis intelligit: *Terra autem erat informis* etc. — *Confingenda est. Ceterum unde vacuitas*] Quinque has voculas ex vet. cod. inseruimus, quibus longe evidentius efficitur dilemma, quo probat vacuum quod comminiscebantur, sive a Patre emissum dicant sive a semetipso generatum, omnino inane et fictitium esse.

— *Necessitas ergo erit*] De hoc graecismo et multis similibus dictum
p.287. est superius. — *Ptolemaei et Heracleonis*] Ptolemaeum hunc Praefatione in primum librum vocat *flosculum scholae Valentini;* et sub calcem primi capitis eius adhuc meminit; ut et capite 40. huius secundi. Epiphanius illius epistolam prolixam satis, sed venenis haereseos suae scatentem transscripsit contra Ptolemaitas. Heracleonem vero paria cum Valentino sensisse scribit Tertull. (lib. de Praescr.) at novitate quadam pronuntiationis, alia sentire videri voluisse; eundem plura subinde scripsisse asserit Clemens Alex. 4. Strom. Epiphanius haereses istius 30. loco annumerat et propria disputatione in eas agit. — *Num necessitas est*] Delevimus tria puncta absoluta, ut quinque lineas includeremus parenthesi, quod id sensus omnino po-
p.288. stulare videretur; et sententiam interrogatione clausimus. — *Solvetur autem*] Dissolvit figmenta illorum de vacuo et umbra Pleromatis, ex eo quod intra Patrem et conditorem huius mundi nihil potest inane, informe, erroneum aut tenebrosum esse: quum vel ipsis etiam fatentibus lumen sit clarissimum.

p.286. GRABIUS: *Caussa igitur — huiusmodi dispositionis Dei*] Proximo capite dictum erat, quod *mundus* factus sit *mutabilis* et *transiens.* Huius oeconomiae rationem indagandam, non autem creationem mundi ob id alteri Deo minus perfecto adscribendam esse monet. — *Oportet enim* etc.] Repetit auctor dilemma, ut ipsum Valentinum eiusque sectatores pungat, ambiguitate vocis *κενὸν* ludens sicut et infra c. 8.
p.287. — *Aporiati*] Ita et paullo post initium cap. 6. huius libri: *Quid autem si non plorasset et risisset et aporiata esset mater ipsorum?* Ceterum *aporiati* graece dicti *ἀπορούμενοι* sive *διαπορούμενοι,* i. e. *consternati,* sicut supra pag. 20. lin. 16. (p. 19. l. 21.) *ἀπορίαν* reddidit *consternationem;* et pag. 21. lin. 12. (p. 20. l. 9.) *διηπόρει, consternabatur.* — *Nam necessitas est*] Haec verba parenthesi recte inclusit Feuardentius, sed eam nimium protendit usque ad *in tunica maculam;* quum desinat in istis verbis: *non secundum localem sententiam.* Repetit vero Irenaeus in hac parenthesi absurdum, ad quod haereticos iam supra cap. 1. deduxerat: nempe si Bythus vel Pleroma non omnia intra se complecteretur, sed ab aliquo alio exterius contineretur, hoc illo maius fore; quod quidem ab omni veritatis specie alienum necessario ab adversariis admittendum ait; aut dicendum, quod *intus* et *extra* non de *locali,* verum *intellectuali comprehensione* accipi debeat. Atqui posterius illud tanquam alterum absurdum et improprie dictum haereticis obiicit Irenaeus, atque propriis eorum assertis de Iesu, Servatore matris Achamoth, repugnare, sequenti ca-
p.288. pite ostendit. — *Solvetur*] Dissolvit figmenta illorum de vacuo et umbra Pleromatis, ex eo quod intra Patrem et conditorem huius mundi nihil potest inane, informe, erroneum et tenebrosum esse; quum vel ipsis etiam fatentibus lumen sit clarissimum. *Feuard.* Omittere autem debuisset quatuor voces: *et conditorem huius mundi,* quia Irenaei argumentatio primum solum Patrem atque Pleroma ferit, a quo conditorem huius mundi distinctum faciebant haeretici.

p.286. MASSUETUS: *Et ipsum prolatam — cognatum — antiquius*] Syntaxi pessime consultum hic. *Κένωμα* quidem neutrius generis est

apud Graecos, sed *vacuitas* feminini apud Latinos. Haec igitur omnia in feminino reponenda. — *Vacuus et prolator*] In codd. Pass. et Voss. *cuius et prolator;* in Clarom. *a cuius et prolator.* Sed frustra suspicatur Grabius utraque lectione retenta legendum: *cuius prolator Valentinus, vacuus et prolator est Valentinus.* — *Nam necessitas est*] p.287. Haec verba parenthesi recte incluserunt Feuard. et Grab. Sed eam uterque nimium protendit, hic usque ad *localem distantiam,* ille usque ad *in tunica maculam;* quum desinere debeat in his verbis *ab aliquo maiore.* Quae enim sequuntur, alia sunt haereticorum responsionis membra, ut ex sequenti capite liquet. — *Non secundum localem distantiam*] Genuinam hanc lectionem suppeditat cod. Clarom. ceteri omnes corrupte: *non secundum localem sententiam,* ut in editt. omnibus; vel *localem substantiam,* ut in Feuard. marg. Voss. et Pass. legitur. Et mirum Billio *localem sententiam* arridere potuisse: si enim Graeci quandoque dicant *τοπικὴν ἔννοιαν,* (ut contendit vir eruditus, nullo exemplo probat) eo certe sensu dicunt, qui huic loco repugnet. *Localis distantia,* ut et cap. sequenti *τὸ localiter,* opponitur *agnitioni* et *ignorantiae;* adeo ut sensus sit: si ad angustias redacti haeretici fateantur, supremum Patrem omnia continere, nihilque extra Pleroma esse; et illud *intus* vel *extra Pleroma,* non de locali quadam distantia, seu extensione accipiendum esse, sed ratione agnitionis et ignorantiae: adeo ut esse intra Pleroma, nihil aliud sit quam in agnitione versari; extra Pleroma esse, sit in ignorantia degere, ut cap. sequenti explicatur etc. — *De perfectis*] Quidam *de perfecto.* Hic vero *de* p.288. pro *a* accipitur. — *Fieri eos*] Sic Clarom. et Anglic. cum edit. Oxon. In aliis deest *eos.* Haereticos autem, inquit Grabius, hic more solito salse perstringit Irenaeus. Et quoniam hi aliud *vacuum et tenebrosum* intra Bythum ostendere haud poterant, illos ipsos eiusmodi esse concludit. Ingeniosa quidem explicatio; verum suspicarer graece scripsisse Irenaeum *ποιεῖσθαι αὐτούς,* quod vertere debuisset interpres *fingere eos* seu *efformare eos;* non passiva significatione *fieri;* ut sensus sit: quum *vacuum* aliquid et *tenebrosum* intra Bythum aut Pleroma ostendere non valeant, necesse est, si quidpiam eiusmodi esse velint, ipsimet effingant fabricenturque. Tum vero id in paterni luminis dedecus redundabit etc. Sic Irenaeum explicando, sequens haec periodus: *incusationem quoque* etc. cum praecedenti facile cohaerebit.

CAP. V.

GALLASIUS: *Homericus Iupiter*] Quam profana et impia esset p.291. horum sententia de Deo, aperte ostendit. Deus enim, qualem fingebant, neque omnipotens neque liber erat, ergo neque Deus; sed potius figmentum illi simile, quod ludentes poëtae versibus suis describunt; quemadmodum Homerus sic fatetur Iovem summum esse Deum, ut tamen necessitati et fato pareat. Si ita est, non potest esse summus neque liber, quia non efficit quod vult. Respondetur, illum quidem efficere quod vult, sed nolentem. Quid vero hoc aliud est, quam necessitate cogi ut velit? quemadmodum apud Homerum Iupiter Iliad. δ, 43. *Καὶ γὰρ ἐγώ σοι δῶκα ἑκών, ἀέκοντί γε θυμῷ,* id est: Etenim ego tibi dedi volens nolente animo. At praeterquam quod secum hoc

pugnat, ridiculum etiam et impium est. Hinc merito Lucianus ἄθεος adversus Homericum Iovem Dialogum scripsit, cui titulus est: *Ζεὺς ἐλεγχόμενος*, i. e. *Iupiter confutatus.*

p.289. FEUARDENTIUS: *Adversus eos igitur*] Deum plane poëticum et ridiculum sibi fingere Valentinianos, toto hoc capite ostendit, ob portentosas absurditates in Deum Patrem, quem servum necessitatis, et Christum Iesum, quem ignorantem dicebant: simul et beatos angelos, quos brutis etiam ipsis deteriores esse, ex illorum propositis sequebatur. — *Et reliqua omnia*] Novo dilemmate compellit eos, aut fateri aeterna caelestiaque, temporalia et terrena esse, quod secum manifeste pugnat; aut reprobandum esse Pleroma, Christumque ipsorum ignorantiae caussam et in magna fuisse ignorantia dicendum. — *Sic*[*ut*] *enim dicunt* etc.] Videlicet, ut sub principium capitis primi lib. I. recitavit. Addidimus autem *quum formasset,* et delevimus *eum*
p.290. *formasse,* auctor. vet. cod. — *Quam enim incusationem*] Ostendit omnes illas accusationes, quas nominatim adversus Demiurgum instituerunt, et contra Deum huius universi parentem unicum recurrere.
p.291. — *Non decet autem*] Et hîc initium capitis 7. constituit vetus, non satis apposite. Concludit porro Irenaeus, Gnosticos suis delirationibus Deum totius libertatis fontem, turpissime necessitati ac servituti, ut ethnici Iovem suum, subiicere. Caeterum quod superiori linea dicitur *concedens sistere errorem,* Billius iudicat positum pro *consistere et emergere,* graec. *συνίστασθαι;* et postea *de poenitentia eradicare* idem esse, quod mutare sententiam: *ἐκ μεταβολῆς.* — *Excideret*] Delevimus *excederet;* et mox *tantam* pro *tantum,* ac *pater* pro *mater* auct. vet. cod. reposuimus. — *Homericus Iupiter*] Locus est Iliados primo (l. IV. v. 43.) quo poëta suum Iovem necessitati et fato servire non dissimulat. *Ast nullo modo,* ait noster Augustinus (lib. VII. Confess. cap. 4.), *violat corruptio Deum nostrum, nulla voluntate, nulla necessitate, nullo improviso casu, quoniam ipse est Deus, et quod sibi vult, bonum est et ipse est idem bonum. Nec cogeris ad aliquid, quia voluntas tua non est maior potentia.*

p.289. GRABIUS: *Adversus eos igitur*] Repetit Irenaeus dilemma, quo Valentinianos et Marcionitas vexaverat, ac docet, eos necessario absurda proposita incurrere, sive mundum extra Pleroma et sub bono Deo conditum, sive intra Pleroma et sphaeram boni Dei a Demiurgo vel ab angelis factum dixerint; illos insuper, dum creaturas intra Pleroma dicerent ignorantiae fructus, universo Pleromati labem ignorantiae adspergere ac ipsi Christo huius ignorantiae caussam adscribere, si quidem is matrem rerum omnium, Achamotham scilicet, agnitionis expertem fecerit. Qua occasione obiter praecludit effugium adversariorum, iam praecedenti capite memoratum, nempe *intra* et *extra* Pleroma, non localis subsistentiae, sed *cognitionis* et *ignorantiae* ratione dici, eosque propriis assertis de Iesu Servatore, ad formam cognitionis matri communicandam, extra Pleroma egresso, fortiter prosternit. Novo posthaec dilemmate veritatis hostes aggreditur, ex accusatione creaturis intra Pleroma conditis intentata concludens, supremum Deum aut Demiurgo infirmiorem aut necessitati subiectum fore dicendum, si citra eius concessionem vel approbationem intra

eius sphaeram creaturae cum tanta imperfectione fuissent productae. Tum denique id, quod titulus exhibet, argumentum prolixius prosequitur, angelos, a quibus mundum conditum fingebant haeretici, Deum haud ignorare demonstrans. — *Et reliqua omnia* etc.] Vide quae Feuard. annotavit; contra quem disputat Grabius ita: Sed prius membrum huius dilemmatis in Irenaei verbis haud deprehendo; nec video, quomodo stante eo, collectio procedat. Ceterum Feuardentium turbavit vox *aeterna*, quae vel prorsus delenda, vel in aliam est commutanda. Neque enim haeretici choica dicebant aeterna, immo contra diserte docebant: *Τὸ χοϊκὸν ἀδύνατον σωτηρίας μετασχεῖν· οὐ γὰρ εἶναι λέγουσιν αὐτοὶ δεκτικὸν αὐτῆς κτλ. Choicum impossibile est salutem percipere: non enim esse illum capacem salutis dicunt*, uti cap. 1. lib. I. pag. 30. lin. 4. (p. 29. l. 20.) legimus. Accedit, quod mox pag. 122. col. 1. lin. 22. (pag. seq. n. 3.) Irenaeus scribat: *quam enim incusationem faciunt — de his, quae facta sunt materialia et temporalia, recurret in Patrem.* Sic itaque coniicio legendum: *Et reliqua omnia, quaecunque sunt conditionis* (i. e. quaecunque sunt per creationem producta) *quae accusant, quasi temporalia sint, ac terrena* (pro *aeterna*) *et choica* etc., quomodo cap. 7. p. 128. col. 2. lin. 3. (cap. 8. n. 3.) *terrena et choica* iungit. — *Haec autem adversus* p. 290. *omnes* etc.] Intelligit Saturnini, Basilidis, Carpocratis sectatores, aliosque Gnosticos, ut ex cap. 56. huius libri patet, ubi itidem scribit: *Quanta autem rursus diximus adversus eos, qui dicunt omnia quidem comprehendere Patrem universorum etc. et adversus eos, qui sunt a Saturnino et a Basilide et a Carpocrate et reliquos Gnosticorum, qui eadem similiter dicunt, idem dicetur. — Quam enim incusationem*] Ostendit omnes illas accusationes, quas nominatim adversus Demiurgum instituerunt, et contra Deum huius universi parentem unicum recurrere. *Feuard.* Debuisset dicere: *contra Deum Propatorem haereticorum recurrere. — Siquidem quemadmodum* etc.] *Quemadmodum* pro *quasi* vel *sicut* hîc usurpatum, et graece *ὥσπερ ἐν χοιλίᾳ πληρώματος* scriptum fuisse puto. — *Propria illius*] Subintellige p. 291. *Propatoris* seu *Patris universorum. — De poenitentia*] Id est *mutata sententia*, graece *ἐκ μεταβολῆς. Bill.* loco cit. Sed *ἐκ μετανοίας* potius Irenaeus scripsisse videtur.

MASSUETUS: *Aut aeterno-choica*] Genuinam hanc lectionem p. 289. solus habet cod. Clarom. ceteri omnes cum editt. tum MSS. corrupte *et aeterna choica.* Loci huius corruptionem sensit quidem Grabius, sed restitutionem infeliciter tentavit, legi volens *ac terrena et choica;* quam quidem lectionem totus contextus respuit. Ei vero qui mecum legerit *aut aeterno-choica,* plana evadent omnia. Argumentatur nimirum Irenaeus *adversus eos qui dicunt, in his quae continentur a Patre, ab aliis quibusdam factum esse hunc mundum,* et mala esse ac culpanda quaecunque creata sunt, quia temporalia sunt. Eos vero pro more dilemmate isto premit: quaecunque creata accusant, quia temporalia sunt: *aut aeterno-choica,* seu aeterna simul et choica esse fateantur necesse est, *aut inaccusabilia. Aeterno-choica quidem,* quia *in aeternis, in incorruptibilibus, intra* ipsum *Pleroma,* et *in sinu* ipso *Patris* condita choica et corruptibilia. *Inaccusabilia vero,* alias *in*

universum Pleroma similiter venient incusationes. Hancque Irenaei mentem esse, genuinamque nostram lectionem concedet, quisquis ad id attenderit quod aliquanto post paullo enucleatius repetit s. Doctor. *Iam igitur non est fabricator caussa huius operationis, valde bene putans semetipsum fabricare, sed qui in suis concedit et probat labis prolationes et erroris opera fieri, et in aeternis temporalia, et in incorruptibilibus corruptibilia, et in his quae veritatis sunt, ea quae sunt erroris.* Quae hic dicit: *in aeternis temporalia, et in incorruptibilibus corruptibilia,* ea ipsa sunt quae priori loco, una voce ap-
p.290. pellat *aeterno-choica.* — *Quod est in ignorantia*] Quidam tam hic, quam paullo ante, et paullo post, omittunt *in,* Grabius vero omisit *quod est,* utrique male. Sensus enim est: Salvatorem, si extra Pleroma exierit, extra agnitionem versatum fuisse; Pleroma quippe *agnitio* est, et intra Pleroma esse, est in agnitione degere, ut mox dictum est; ac proinde Salvatorem *in ignorantia factum* seu versatum esse,
p.291. et ideo ignorationi obnoxium. — *Quasi consentiat*] In Erasm. Gall. et Feuard. edit. 1576. *quasi consentiens,* et ita bene. Sed in altera Coloniensi et in codd. Clarom. et Pass. perperam *quasi non consentiat.* — *De poenitentia*] Graece *ἐκ μεταβολῆς,* ait Billius; sed me-
p.292. lius Grabius *ἐκ μετανοίας,* id est *mutata sententia.* — *Secundum igitur* etc.] Male in omnibus editt. ab his verbis nova inchoatur periodus, nondum absoluto sensu praecedentis.

CAP. VI.

p.292. FEUARDENTIUS: *Quomodo autem et ignorabant*] Argui terrorem quo dicebant angelos fabricatores mundi Deum omnipotentem penitus ignorasse; tametsi enim possit non videri propter infinitam eminentiam et incomprehensibilem maiestatem: ignorari tamen nequit propter omnipotentiae ac providentiae cunctis manifestissimos effectus. — *Invisibilis quidem*] Corporeis luminibus Dei maiestatem conspici non posse magno consensu docuerunt patres, tum qui praecesserunt, tum qui secuti sunt aetatem huius praeclari martyris. *Si quis dixerit,* ait Dionysius Areopag. (l. de coelesti Hier. cap. 2), *absque ullo medio, quibusdam sanctorum divinas apparitiones contigisse, intelligat ut secretum ipsum Dei, quodcunque tandem illud est, nemo unquam vidit neque videbit. Ceterum divinae illae apparitiones sanctis viris per signa Deo convenientissima, sacris quibusdam atque intuentium modo ac viribus accommodatis visionibus contigere.* Habet similia idem epist. ad Caium monachum. Quin et Mosem Deum vidisse idem pernegat lib. de Mystica Theologia cap. 1. Subscribit Dionys. Iustin. in Dial. frequenter affirmans Patrem universorum nemini unquam visum. Reliquos omitto. — *Ignotus autem*] Deum ex operibus suis natura omnibus notum esse, et ab imperatore Romano sumto exemplo paullo post confirmat. Idem post alia non minus ad rem accommodata, paullo ante Irenaeum usurparat Theophilus Antiochenus (lib. I. ad Autol.): *Ut anima,* inquit, *in humano corpore non videtur, invisibilis existens, verum ex corporis motu cognoscitur: sic nec Deus humanis et corporis oculis videri potest; ceterum ex providentia, qua singula ordinat, suisque operibus adspicitur et apprehenditur. Quemadmodum si quis cernat*

navem suis armamentis instructam mare sulcare et in portum appellere, certe credit aliquem, a quo gubernetur in ea esse gubernatorem: sic certe nemo sit adeo abiecti animi, quin credat Deum gubernatorem esse omnium, quamvis oculis carnalibus eum non assequamur. Et paullo post: *Imperator terrestris esse praesumitur, quamvis non ab omnibus videatur, oculos vertenti in leges et imperii administrationem. Praeterea esse cognoscitur, si quis oculos in potentatus et potestates nec non imagines eius coniiciat, et Deum ex potentia et operibus suis cognoscere cunctaris?* Et qui utrumque praecessit Dionysius Areop. (lib. de divin. nom. cap. 7.) creaturarum ordinatissimam dispositionem, ut ab ipso productam, imagines quasdam ac similitudines divinorum exemplorum prae se ferre, ut pro viribus ad Deum scanderemus et seorsum ab omnibus et in omnibus agnosceremus, recte affirmavit. Hinc autem concludit Iustinus martyr in Apol. 2. Socratem, Heraclitum et alios quosdam, qui cum ratione inter Graecos vixerunt, Deum unum et verum ita duce natura cognovisse, ut propemodum Christiani dici possint. Tertull. quoque scribit (lib. de spectaculis): *Neminem negare, quia nemo ignorat quod ultra natura suggerit, Deum esse universitatis conditorem.* In Apologet. autem et lib. de testimonio animae, animam rationalem vocat, naturaliter christianam. In hanc rem disserunt Lactantius lib. I. cap. 3. et August. lib. de spirit. et lit. cap. 12. Tractat. 106. in Ioannem lib. VIII. de civit. c. 6. et Serm. 55. de verb Domini. — *Quomodo dicunt*] Cod. excus. habebat *quomodo autem.* — *Salvabantur homines*] His non vult b. martyr, patres a condito orbe ad Christi adventum recta in caelum evolasse, quo aperte Dei visione fruerentur: quum infra doceat Christi animam ad inferna descendisse et tribus diebus conversatam cum animabus defunctorum, quae erant in medio umbrae mortis. Superest ergo, ut de ea salutis specie, quae consistit in remissione peccatorum, profligatione Satanae et spe in Christum venturum loquatur: quod apertius explicat lib. IV. cap. 30. Hîc quoque non obscure, quum ait: *Salvabantur et a spiritibus nequissimis* etc. Recte namque Augustinus non uno loco contendit, priscos patres, qui ante adventum Christi vixerunt, non solum in filiis Israel, sed etiam in gentibus, quales fuerunt Iob et Melchisedech, per fidem cultumque unius Dei et futuri mediatoris, a peccatis potuisse mundari atque iustificari lib. II. de gratia Christi contra Pelag. cap. 24. et lib. I. de peccatorum meritis et remissione c. 28. et 29. — *Iudaei usque nunc*] Christianos sive ex gen- p.293.
tibus sive ex Iudaeis Irenaei saeculo daemonas corporibus hominum exorcismis frequenter eiecisse, amplissimis testibus Tertulliano (Apol. c. 23.), Iustino (in Dialog.), Theophilo (lib. II. ad Autol.) et Cypriano, cuivis facile apparet: Iudaeos vero mordicus adhuc Moysi addictos et Christum Messiam respuentes non ita forsitan omnibus. At non modo hîc Irenaeum, sed et plerosque gravissimos auctores id asserere comperio. Iustinus enim Archisynagogum Tryphonem cum comitiva sic alloquitur: *Si daemonia adiuretis per omnia nomina vestrorum regum, prophetarum, patriarcharum iustorumque, nullum non erit contumax: at si quis vestrum adiuret ea per Deum Abraham, Isaac et Iacob, fortassis obsequerentur. Utuntur tamen vestri exorcistae arte hac, sicut et*

gentes, adhibendo suffitus et adligamenta. Haec ille. Accedit Iosephus (lib. VIII. antiq. cap. 2.), qui Iudaeum quendam nomine Eleazarum praesente Vespasiano imperat. eius filiis, tribunis et universo simul exercitu Romano curasse eos, qui a daemoniis vexabantur, confirmat, exorcismorum formulis, quas rex Salomon quondam ediderat; ad quas etiam Christum Dominum respexisse putat Hieronymus (in 12. Matt. Marc. 9. Luc. 9.), quum Iudaeis diceret: *Si in Beelzebub eïicio daemonia, filii vestri in quo eïiciunt?* Sed omnem nodum dissolvit evangelium, quo aperte scribitur, apostolos quendam meminisse, qui ad christianum contubernium nihil attineret, qui nihilominus in nomine Christi eiiciebat daemonia. His mihi credibilius efficitur, quod ex Talmud Ierosolymitano refert frater Petrus Galatinus: in nomine Iesu Nazareni, quendam Iudaeum qui mortiferum quid deglutierat, ab alio mox sanatum fuisse, lib. VIII. de arcanis fidei cap. 5. — *Quomodo immensus* (Argumenti capitis verba sunt)] Isthaec portentosa figmenta de Aeonum ideis seu imaginibus, Pleromate, Nu et Monogene, quae Gnosticos magna impudentia inculcare lib. I. cap. 1. scripserat, toto hoc capite refellit: unicum evincens esse rerum omnium opificem, qui sine ullius alterius virtutis adminiculo, mundum hunc disposuerit. Haec autem deliria, e Platonicis ideis fabricata fuisse, infra cap. 19. luculenter asserit; quibus subscribit Tertullianus lib. de anima: *In ideis Platonicis Gnosticorum haeretica semina relucere, quae haereticarum idearum sacramenta* nuncupat. Iustinus quoque (orat. ad Graecos) utroque superior, postquam secum pugnare Platonem ostendit, subiicit: *Scripta Mosis nactus Plato, postquam non pensitavit ita ut debuit* (negationem, interpres Gelenius omisit) *existimavit esse quandam antiquiorem speciem separatam ab ista, quae sensu percipitur, illam etiam rerum exemplar nominare solitus.* Et paullo post: *Ad eundem modum de terra, caelo, homine in errorem lapsus videtur, nam et horum ideas esse putat.* Nec solis tribus his antiquissimis patribus, sed et Ambrosio lib. IV. de fide cap. 3. et lib. I. Hexaëm. c. 1. et 2. Nazianz. Orat. 2. de Theologia: August. lib. 83. quaest. q. 46. et Cyrillo lib. II. in Iulian. minus gratam fuisse idearum constitutionem liquet; ne solum Luciani Icaromenippum illas insectari nostri putent. Quanta vero de eis fuerit digladiatio inter summos philosophos Platonem et Aristotelem, et qui deinceps illarum assertores et inficiatores, quibusque rationibus innitantur illi et isti; non paucis referunt earundem acerrimi propugnatores Ios. Franciscus Picus lib. VI. examinis vanitatis gentium et veritatis Christianae cap. 15. et F. Franciscus Venetus, minor. lib. de Harmonia mundi, cantici secundi, quinque capitibus. — *Esse autem imagines*] Probat merum delirium esse quod cum tanto supercilio tradebant, nimirum Salvatorem per quasdam ideas et similitudines Pleroma coluisse, etiam Patre id ignorante, quoniam repugnat aliquid consistere extra perfectam plenitudinem (quam appellant Pleroma) vel si quidpiam fuerit, tam subito periisse. Insuper, blasphemum esse Unigenito Dei ignorantiam tribuere docet.

p.292. GRABIUS: *Apostasia universa*] I. e. ab omni grandi peccato, quod hominem a Deo separat. Sic lib. V. cap. 24. *Dominatus est* (diabolus) *homini per apostasiam.* Et cap. 29. *Sexcenti itaque anni Noë,*

sub quo fuit diluvium propter apostasiam. — *Domini nostri*] Iesu Christi scilicet, cui quum omnia subiecta sint, licet non viderint eum, et Dei Patris imperio angelos subditos esse colligit Irenaeus, licet eum intueri nequeant. — *Latenter Salvatore operato*] Id est inscio p.293. sive ignorante Demiurgo.

MASSUETUS: *Domini nostri*] Haec ad imperatorem refero. Gra- p.292. bius vero de Iesu Christo interpretatur, sed minus recte. Ista enim, quae immediate praecedunt *non viderunt eum,* demonstrare videntur Irenaeum iam coeptam comparationem prosequi, et ex eo quod imperatori Romanorum, cuius dominio tunc parebat Lugdunum, subiecta essent omnia, licet a plurimis visus nunquam fuisset, colligere et Dei Patris imperio subditos fore angelos, quamvis hunc nunquam conspexissent. — *Neque matrem agnovisse eum*] Haec de mundi fabrica- p.293. tore intelligenda, qui nempe neque matrem agnoverit, neque semen eius etc. — *Latenter Salvatore operato sic fieri* etc.] Id est Salvatore Demiurgum inscium, et ignorantem quae faceret, agente et curante, ut per eum sic fierent etc.

CAP. VII.

FEUARDENTIUS: *Primum Deum*] Delevimus *primam.* — *Et* p.293. *sine hoc autem*] Probat non esse verisimile tot tamque varias creatu- p.296. ras ideas esse paucorum atque fictitiorum Aeonum, quum et Aeones dicerent aequales et concordes esse; inferiora vero ista sibi plerumque adversentur et mutuam necem inferant. Rursum, oportere quosdam Aeones natura malos, feros, terrestres et reprobos esse ac e contrario, quum tales homines in terris degere non diffiterentur. — *Et quae-* p.297. *dam quidem*] Delevimus unicam vocem *innocentia.* — *Et ignis aeternus*] Quum ignis aeternus, adeoque ipsa gehenna nullius Aeonum idea sit, falsa est ratio idearum ab eis constituta. Nec angelorum Pleromatis ideae sunt, quum sint specie diversi ac innumerabiles; Aeones vero tantum triginta ac eiusdem sortis et formae. Denique quum idearum progressio evadat in infinitum, in unico et vero Deo creatore consistendum et quiescendum est.

GRABIUS: *Extremae confusionis, non habentis propriam sub-* p.294. *stantiam*] Diu me hic locus torsit, nec potui sensum proposito congruum inde elicere, donec animadverti, interpretem male duos genitivos graecos in latino servasse, qui per ablativos reddendi erant hoc modo: *extrema confusione,* quae scilicet in umbra et vacuo erat, *non habente propriam substantiam,* antequam distinctae materiae per passiones matris Achamoth in ea orirentur. De quibus vide supra p. 21. — *Imaginem mihi dicitis emissam a mundi fabricatore Unigeniti* etc.] Respicit ad id, quod supra p. 25. dictum est: *Demiurgum velut imaginem Unigeniti* a Salvatore conditum esse. Unde textum hic emendandum puto. — *Dena milia* etc.] Haec Danielis verba graece ha- p.297. bentur in s. Clementis epist. ad Corinth. cap. 34: *λέγει γὰρ ἡ γραφή· μύριαι μυριάδες παρειστήκεισαν αὐτῷ, καὶ χίλιαι χιλιάδες ἐλειτούργουν αὐτῷ.* Atque ita etiam apud Gregorium Nyssenum Hom. 8. in Ecclesiasten et Cyrillum Alexandrinum epistola in Symbolum. Ast in illa, quae iam sub nomine LXX interpretum exstat, versione con-

venienter archetypo legitur inverso ordine: *χίλιαι χιλιάδες ἐλειτούργουν αὐτῷ, καὶ μύριαι μυριάδες παρειστήκεισαν αὐτῷ.* Confer de varia huius loci citatione Cotelerii nota's ad laudatam Clementis epi-
p.293. stolam. — *Et manet conditio integra in imagine Pleromatis* etc.] Quis horum verborum sit sensus, dictu aliquantum difficile est. Videtur autem Irenaeus ex eo, quod plurimorum Pleromatis angelorum imagines sint innumerabiles Creatoris angeli, inferre, haud necesse esse, ut reliquae creaturae dictos Pleromatis angelos repraesentarent; sed *integram conditionem, quae* scilicet *secundum nos est,* ut alibi loqui amat Irenaeus, id est, omnes visibiles creaturas, reservari *ad Pleromatis imaginem* exprimendam; quam tamen referre nequeant, *triginta Aeonibus non consequentibus,* i. e. non adaequantibus, *multiformem conditionis* sive creaturarum *varietatem. — Bythus ipsorum unde habuit speciem* etc.] Fingebant enim haeretici, Demiurgum creaturas efformasse secundum ideam, quam Bythus *praeformaverat, et mente conceperat,* uti supra cap. 3. loquitur Irenaeus.

p.294. MASSUETUS: *Extremae confusionis non habentis propriam substantiam*] Hellenismus; genitivi pro ablativis absolutis. Latine scribendum erat: *extrema confusione non habente propriam substantiam.* Respicit Irenaeus ad fabulam illam tristis Achamothae sortis, quae *in umbra et vacuitatis locis* effervescens, iacebat *informis et sine specie,* immo et sine substantia: donec *misertus eius* superior Christus, *formam* ei indidisset, *quae esset secundum substantiam.* Haec proinde ante expertam Christi miserationem, *in extrema confusione* constituta, *propriam non habebat substantiam, per quam honoraret Propatorem.* Vide lib. I. cap. 4. n. 1. — *A mundi fabricatore*] Id est a Salvatore, cui hic adscribitur rerum creatio, quia per Achamoth et Demiurgum ipsum cuncta fabricatus est. Huncque genuinum esse verborum istorum sensum, cuivis legenti demonstrant quae sequuntur: *si enim secundum similitudinem eorum quae sunt sursum, a Salvatore facta sunt haec* etc. Hinc paullo post vocatur: *reprobabilis artifex, malus artifex.* Quid ergo doctissimo Grabio in mentem venit, nescio, dum tam confidenter asseruit, pro *a mundi fabricatore* legendum esse *mundi fabricatorem* vel *a Salvatore mundi fabricatorem.* His lectionibus tantum abest faveat integer contextus; quin potius totus repugnat. Hic igitur ordo verborum est: *imaginem Unigeniti* (Demiurgum scilicet) *mihi dicitis emissam a mundi fabricatore, Salvatore nimirum*
p.295. etc. — *Qui ignorat, huiusmodi ignorantiam exsistere spiritualiter*] Sic cod. Clarom. nisi quod pro *ignorantiam* habeat, aeque ac Voss. et Pass. *ignorantiae.* Sed legendum esse *ignorantiam* demonstrat tum editt. omnium et aliorum MSS. consensus, tum ipsa constructio. In editt. Erasm. Gall. ac Feuard. corrupte omnino legitur: *qui ignorat, huiusmodi ignorantiam, non exstiterit spiritaliter.* In Oxon. vero: *qui ignorat, huiusmodi ignorantia exstiterit spiritaliter.* Recte quidem, quod sensum spectat: sed paullo liberius quoad verba; nullus enim codex habet *ignorantia.* Quare retenta, quam habent plerique codices, voce *ignorantiam,* in ceteris Claromontanum sequi consultius visum est. In Arund. etiam et Voss. deest particula *non. — Imaginem similitudinis*] In Feuard. marg. Pass. et Voss. *imaginum simi-*

litudines; non male, si pluralis numerus sequeretur. — *Similis*] Ita editt. Erasm. Gall. Oxon. et cod. Arund. Feuard. autem veteris cod. (cui consentiunt Clarom. et Pass.) auctoritatem secutus, posuit *simile,* sed minus recte. Subintelligitur enim *imago,* quae praecessit, unde et mox sequitur: *si igitur dissimilis est imago* etc. — *Partis*] Sic p.296.
pro *Patris* bene reposuit Grab. ex cod. Arund. Huic consentit et Clarom. Huius lectionis veritatem confirmant quae mox sequuntur: *quoniam autem in una parte eorum* etc. — *Annumerantes eos*] Sic recte Feuard. in marg. et cod. Pass. Consentiunt Clarom. et Voss. nisi quod *eos* non habent. Lectionem hanc hîc repositurum se fuisse dicit Grab. si *sint,* loco *esse,* praecederet: sed subintelligendo *sint* vel *sunt* post XXX evanescit haec difficultas, et planus evadit sensus; qui, legendo cum editt. omnibus: *esse annumerant eos ostendere* etc. intricatus omnino fit. — *Multae sunt conditionis*] *Multae* pro *multa* ex cod. Arund. reposuit Grab. Suspicor idem habere et Clarom. asserere tamen non ausim, quia *a* propius adhaerens sequenti *s* discerni satis non valet. — *Malarum*] Ita Feuard. in marg. edit. 1576. Cla- p.297.
rom. Pass. et Voss. Sed editt. omnes perperam habent *malorum;* nam de imaginibus sermo est. — *Et corruptibilium*] Feuard. in marg. cit. edit. Clarom. Pass. et Voss. *incorruptibilium,* omisso *et;* sed male, ut videtur. — *Imagines erunt*] Genuinam hanc lectionem unicus habet cod. Clarom. Ceteri omnes cum editt. tum MSS. corrupte *imaginis.* — *Dena millia denum millium*] Haec Danielis verba eodem prorsus modo, atque Irenaeus, citat s. Clemens in epist. ad Corinth. cap. 34. inverso nimirum ordine verborum: *λέγει γὰρ ἡ γραφή· μύριαι μυριάδες παρεστήκεισαν αὐτῷ, καὶ χίλιαι χιλιάδες ἐλειτούργουν αὐτῷ.* Quum, inquit Cotelerius in not. ad hanc epist. a LXX convenienter archetypo redditum fuerit: *χίλιαι χιλιάδες ἐλειτούργουν αὐτῷ, καὶ μύριαι μυριάδες παρεστήκεισαν αὐτῷ.* Consentiunt tamen cum Clemente et Irenaeo, Gregorius Nyss. Homil. VIIIi in Ecclesiasten, et Cyrill. Alexand. epist. in Symbolum. Plura alia de varia loci huius lectione reperies apud cit. Cotelerium, nec consuluisse poenitebit. — *Et manet conditio integra* etc.] Crucem mihi diu fixit obscurissimus p.298.
his locus. Eum tamen etiam atque etiam animo revolventi, sensus hic occurrit. Si tam multae tamque diversae res creatae, quas in hoc mundo conspicimus, angelorum Pleromatis, quos multos esse volunt, imagines sint; praeterquam quod non ea in his animadvertitur contrarietas, quam in rebus creatis videre est, aliud nec minus sequetur incommodum. *Quum enim multi sint et innumerabiles Demiurgi* seu factoris *angeli,* hi soli plusquam sufficient ad exprimendam Pleromatis angelorum imaginem, singulis factoris angelis plus satis respondentibus singulis Pleromatis angelis; ac proinde eadem semper redibit, nec solvetur difficultas: qui scilicet tot et tantae, tamque diversae aliae res creatae manere queant in imagine Pleromatis, seu ad imaginem Pleromatis factae dici: neque enim triginta, qui supersunt, Aeones, quum pauciores sint, consequi possunt, seu adaequare tam multiformem rerum creatarum varietatem, quae ex Enthymesi passi Aeonis ortum accepisse dicuntur. Qui locum hunc melius explicet, lubenter audiam. — *Aeonis in multiformem*] *In* quod est in edit.

ac MSS. nostris, ante *multiformem,* Grabius delevit auctoritate Merc. II. codd. Quod autem *Aeonibus* pro *Aeonis* substituendum vult vir doctus, haud necesse putem. Interdum enim scribit interpres in sexto casu *Aeonis,* quasi ab *Aeonae Aeonarum,* ut patet ex c. 14. sequenti, ubi sub finem scriptum legitur: *Aeonis exsistentibus* pro *Aeonibus ex-*
p.299. *sistentibus.* — *Non secundum figurationem*] *Non* addendum esse, et res ipsa docet, et paullo post sequentia verba: *quae enim nec habitum, nec figuram illorum habent* etc. omnino confirmant. Hanc tamen particulam quia nullo MS. fretus addidi, hamulis inclusi.

CAP. VIII.

p.299. FEUARDENTIUS: *Si autem haec*] Ostendit inferiora ista, supernarum rerum umbras non esse, quum illa corporea sint, continuoque transeant, haec vero spiritalia et sempiterna; sed nec ea, quae sunt sursum, adumbrare quae deorsum visuntur. Fictitium quoque Bythum illorum, non esse omnium Pleroma; neque extra Deum Patrem ullum Pleroma exsistere. Haec vero somnia ex Democriti et Epicuri insanis opinionibus mutuatos esse Gnosticos, pari vanitate cum illis ineptientes, immutatis tantum nomenclaturis, aperte convincit infra c. 19. Quod enim illi *ἀτόμους* et *κενόν,* hoc isti Pleroma et vacuum sive (ut Irenaeo placet) *ea quae sunt, et id quod non est,* nominarunt. Qui de his plura cupit, consulat Plutarchum lib. I. c. 5. et lib. II. cap. 1. de Placitis Philos. Laertium in Epicuro; Lucretium Velleium Ciceronianum; et ex nostris Augustinum epist. 6. Primum autem eius argumentum est. Umbrae non sunt, nisi rerum corporearum et opacarum: Aeones, iuxta horum sententiam, sunt spiritales: igitur hîc nec umbras, nec ideas habent. Deinde, Aeones sunt
p.300. aeterni: umbra res fugacissima etc. — *Si quidem*] Delevimus *qui,* ut mox pro *ut* posuimus *aut;* deinde *praetermittant* pro *permittant,* et *circumscribatur* pro *circumscriptura.* Probat autem hoc loco, extra Deum Patrem omnium, nullum Pleroma, nulla saecula, nullosve an-
p.301. gelos esse posse. — *Aut umbram capiet*] Id est, neque fieri poterit, ut vacuum, aut umbra sit. Sic cap. 16. *Et haec quidem in hominibus capit dicere;* graec. *ἐνδέχεται.* — *Falsus autem*] Quod huius lib. cap. 3. et 4. vacuum et eius umbram vana commenta dixerat, et hîc rursus confirmat; et infra lib. 4. cap. 38. apud Deum nihil vacuum esse asseverans. Ista autem eos confinxisse putarem, ut Mosis verba haec depravarent: *Terra erat inanis et vacua,* quibus duntaxat terrae molem adhuc inanem, inaspectabilem et informem tum fuisse docet, quum illum ornatum, quem postea recepit, necdum haberet. — *Vacui autem et hî*] Ludit in ambiguitate vocabuli *κενόν,* quod initio capitis vacuum significat, hîc autem stultum et inane.

p.300. GRABIUS: *Quae se adumbrant*] Id est: quae hanc umbram efficiunt. — *Multa ab illis separata sunt*] Nam et umbra a corpore
p.301. aliquanto intervallo separata est. — *Neque vacuum* etc.] Graece *οὐδὲ τὸ κενὸν εἶναι ἢ σκιὰν ἐνδέξεται,* id est: neque fieri poterit, ut vacuum aut umbra sit. Sic cap. 16: *et haec quidem in hominibus capit dici.* — *Neque infra Pleroma ipsorum* etc.] Vide cap. 4. et 5., ex quibus patet *intra,* non *infra* hîc legendum esse. Nam c. 4: *Si*

autem aporiati confiteantur, continere omnia Patrem et extra Pleroma esse nihil — in Pleromate autem facta a Demiurgo etc. Et cap. 5: *Adversus eos autem, qui dicunt, in his quae continentur a Patre, ab aliis quibusdam factum hunc mundum* etc. Et mox: *quum sint intra Pleroma — quemadmodum in ventre Pleromatis facta sunt* etc. — *Sed ne quidem secundum illorum imaginem*] Hoc cap. 6. prolixius demonstravit. Notandum autem, Irenaeum in fine huius capitis omnia, quae in praecedentibus huius libri capitibus fusius prosecutus erat, summatim repetivisse. — *Vacui autem et hi*] Pari modo s. Ignatius in Epist. ad Smyrnaeos §. 3. contra Docetas haereticos, qui Christum non revera, sed opinione solum hominum passum esse docebant, ita scribit: *Ἄπιστοί τινες λέγουσι τὸ δοκεῖν αὐτὸν πεπονθέναι, αὐτοὶ τὸ δοκεῖν ὄντες.* Similes argutiae et in aliorum patrum, qui contra haereticos pugnarunt, scriptis occurrunt. — *In profundum*] Alludit ad Bythum Valentinianorum.

MASSUETUS: *Quae se adumbrant*] Pro *quibus adumbrantur*, p.300. seu *quae hanc umbram efficiunt.* — *Illa umbra*] Sic Clarom. et Merc. II. Voss. vitiose *illam — umbram.* Ceteri *illa - umbra,* minus bene, nam de umbra in singulari in toto hoc capite loquitur auctor. — *Definiatur*] Id est *terminetur, desinat.* — *Fabricasse*] Vel lege p.301. *fabricatam esse* vel *fabricasse* passiva significatione accipe. — *Infra Pleroma*] Probare satagit Grabius hic legendum esse *intra Pleroma.* Sed frustra: iam enim monuimus *infra* pro *intra* apud infimae latinitatis auctores passim occurrere. Vide Cangii Glossarium. — *Quum dicuntur*] Ita recte cod. Voss. pro *dicitur,* ut est in editt. Eras. Gall. et Feuard. In cod. Clarom. scriptum erat *dicuntur;* sed imperitus quis emendator reposuit *dicitur.* — *Vacui autem et hi*] Observat Billius ludere hoc loco Irenaeum in ambiguitate vocabuli *κενόν,* quod initio capitis *vacuum* significat, hic autem *stultum et inane.*

CAP. IX.

FEUARDENTIUS: *Et Dominus hunc Patrem*] Nimirum Matth. p.301. c. 5. v. 16. *Glorificent Patrem vestrum qui in caelis est;* v. 45. *Ut sitis filii Patris vestri qui in caelis est.* Matth. c. 6. v. 9. *Pater noster qui es in caelis* etc. — *Nunc autem sufficit*] In quatuor classes distributis hominibus, horum omnium consensione et fide, probat unicum et solum verum Deum esse universorum opificem. Primam, quam ad Mosem usque porrigi puto, asserit Adami traditione et doctrina, unicum Creatorem celebrasse. Eteuim ut crassam illam et immanem idololatriam, non nisi a diluvio quarta decima videlicet hominum generatione, incepisse affirmant Clemens (lib. Recognit.), Cyrillus (lib. IV. cont. Iul.), Epiphanius: sic primum hominem fide in promissum mulieris semen et Deum verum, veram religionem verbis et exemplis posteros docuisse, Deo cruentis mactatis hostiis, constanter affirmant Hebraei (Reuchlin. lib. I. Cabalae). Adstipulatur non semel Athanasius magnus, quum Abelem, prout a patre didicerat, de primogenitis Deo obtulisse confirmat, Epistola, *Quod Nicena Synodus* etc. et in *Omnia mihi tradita sunt* etc. Secunda classe eos complectitur Irenaeus, qui legis paedagogia et prophetarum oraculis a Mose ad Christum usque,

Deum verum agnoverunt et adoraverunt, ut fusius explicat c. ultimo huius; et undecimo lib. III. Tertia, ethnicos commemorat, qui ex ipsa mundi dispositione, unicum numen agnoverunt, de quibus c. 1. et 5. huius dictum est. Postrema ecclesiae iam per totum orbem expansae unanimi voce, omnium evidentissime propositam thesin asseverat. — *Testimonium*] Delevimus *testimonia* et adiecimus *omnibus* auctor. vet.
p.302. cod. atque mox pro *sentientibus* reposuimus *consentientibus*. — *A primoplasti traditione*] Et paullo post: *Hanc accepit ab apostolis traditionem.* Ex quibus perspicitur quanta sit auctoritas visque sanctarum traditionum, quam hîc constanter opponit cunctis haereticis, etiam in summorum capitum totius christianae religionis adsertionem. Sed de his copiose disseremus in cap. 3. lib III. — *Hymnizantibus*] Sic fere semper reddit verbum graecum *ὑμνείουσι* vel *ὑμνολογοῦσι*, pro hymnis celebrant, laudant. — *Ipsa enim conditio*] Non dubito Irenaeum alludere ad ista Pauli: *Invisibilia enim Dei, a creatura* (Irenaeus suo more *conditionem* appellat) *mundi, per ea quae facta sunt intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque virtus et Divinitas* etc. Nam, ut et Sapiens quoque ait: *A magnitudine et specie creaturae potest creator videri.* Hinc Augustinus (lib. 9. Confes. cap. 10. l. 10. c. 6. et lib. Soliloq. c. 33.) eleganter scribit: *Si quis audiat, dicunt haec omnia: Non ipsa nos fecimus, sed fecit nos qui manet in aeternum. Caelum, terra et omnia, quae in eis sunt, undique mihi dicunt, ut te amem; nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles. Interrogavi terram, et quaecunque in ea sunt; interrogavi mare, abyssos et reptilia: et responderunt: Non sumus Deus tuus; quaere super nos. Interrogavi auras flabiles etc. Interrogavi caelum, solem, lunam et stellas etc. responderunt et clamaverunt voce grandi: Non sumus Deus tuus; sed quae fecit Deus tuus. Interrogavi mundi molem: Dic mihi, si tu es Deus meus, an non? Non sum, inquit, ego: sed per ipsum sum ego. Supra me quaere eum, qui fecit et regit me. Interrogatio creaturarum est profunda consideratio ipsarum, quoniam omnia clamant, Deus nos fecit etc.* Nec praetermittere possum, quae in hanc rem fertur magnus Antonius respondisse cuidam suadenti illi, ut libris vacaret (Socrates lib. 4. cap. 18.): *Meus liber,* inquit, *est natura rerum a Deo conditarum: quae quotiescunque animo lubitum sit meo, libros ipsius Dei ad legendum suppeditat.* Ergo apposite dicitur hic ab Irenaeo: *Creatura ostendere Creatorem, factura factorem et mundus conditorem atque rectorem suum.* — *Ethnicis peiores*] Non solum dicit, sed et probat haereticorum ministros ethnicis deteriores reddere suos auditores. — *Et qui dicunt semetipsos*] Recte colligit ex superioribus, opiniones istorum sua absurditate et impietate ethnicorum paradoxa superare, quantumvis omnia se nosse venditarent, quoniam supra verum Deum alius quaerendus non est, nec eius opera alium ostendunt, quidquid de Achamoth somniarent.

p.301. GRABIUS: *Sufficit id quod est ab eis, qui contraria nobis dicunt*] *Illa est enim vera et sine contradictione probatio, quae etiam ab adversariis ipsis singula* (sigilla) *testificationis* profert, prout infra
p.302. lib. IV. c. 14. in simili argumentatione scribit. — *Primoplasti*] Graeca

voce servata integra, *Protoplastus ille Adam* dicitur lib. III. c. 31. — *Quoniam est*; *ille sine dubio* etc.] Ita distincto textu sensus est planus; ast pervertitur prorsus, si non post *est*, sed post *dubio* colon ponatur, ut in omnibus editt. perperam factum est.

CAP. X.

FEUARDENTIUS: *Quia autem parabolas*] Vult probationes Gnosticorum sumtas a parabolis de ove errante, operariis, drachma perdita, fermento abscondito et aliis parabolis evangelicis, de quibus lib. I. cap. 1. 13. 15. et 17., nullius esse ponderis, quum possint in multos et contrarios sensus torqueri; ac ideo in contentionibus non debeant adduci, quandoquidem non sint certae veritatis regulae, ut cap. 46. huius libri apertius dicitur. Plurimum igitur abest, ut ex his efficere possint, supra Creatorem alium Deum quaerendum esse. — *Omnis autem quaestio*] Id retundit quod importune urgebant: *Quaerite et invenietis*: ut alium Deum a vero et Creatore investigandum suaderent; de quo dicetur cap. 18. huius libri. — *Sua voluntate et virtute substantia usus*] Graece τῇ οἰκείᾳ βουλήσει οὐσιώσει χρησάμενος, id est sola sua voluntate ac potentia pro creatis omnibus rebus. — *Quod enim dicunt*] Contendit, figmenta eorum de Achamoth matre et productione materiae potius subsannanda et exsibilanda esse, quam graviori disputatione refellenda: quando constat cuncta ab uno et vero Deo condita esse. — *Attribuere enim*] Materiam illam, ex qua cuncta efformata fuerunt, Deum etiam creasse contendit, contra eos, qui vel ex Achamoth prodiisse putabant, ut Gnostici; vel Deo coaeternam, ut Hermogenes, quem unico libro post Irenaeum mire exagitavit et protrivit Tertullianus. Idem Marcioni quoque acerrimum bellum indixit, quod una cum Valentinianis, materiam nunquam natam opinaretur, lib. Praescript. et lib. V. contra Mar. Eundem errorem postmodum ab orco revocasse Seleucianos et Hermianos, Augustinus testis est lib. de Haeres. — *Quoniam homines*] Lactantius lib. II. cap. 9. refutat Ciceronem et alios dicentes, Deum nihil efficere posse, nisi ex subiecta et parata materia; insuper non esse probabile, materiam rerum a Deo factam: eo quod sic omnipotentem Deum ad imbecillitatem hominum redigerent, nihil aliud quam opificium ei concedentes. Iureque damnat hanc eorum comparationem: Ut faber quum quid aedificaturus est, non ipse facit materiam, sed utitur ea quae sit parata, fictorque item cera etc. Immo vero (respondet Lactantius) *non oportuit. Erit enim Deus minoris potestatis, si ex parato facit quod est hominis* etc. Ceterum, materiam primam et informem ex qua cetera postea condita sunt, etiam Deum ab initio rerum creasse, post Irenaeum testificantur Athanas. lib. de Incarnatione Verbi et Serm. 3. contra Arian. Eusebius lib. VII. de Praeparat. evang. cap. 8. Ambros. lib. I. Hexaem. Nyssenus lib. de Opificio hominis cap. 23. Aug. lib. de Genesi ad litt. cap. 14. lib. XX. contra Faustum c. 14. et lib. XII. Confes. cap. 4. p. 303. p. 304.

GRABIUS: *Alterum Deum fabricaverunt*] Tam Valentinianos quam Marcionitas sub universo haereticorum vocabulo eiusdem criminis arguit, ac quod ex obscuris Scripturis ignotum producant Deum, p. 303.

graviter reprehendit Origenes in Comment. ad Psalm. XL. Tom. I. edit. Huetii pag. 50. sequentibus verbis. *αἱ γραφαὶ αὐτοῦ μεγάλαι μὲν καὶ πεπληρωμέναι νοημάτων εἰσὶν ἀποῤῥήτων καὶ μυστικῶν καὶ δυσθεωρήτων· σφόδρα δὲ καὶ δυσδιήγητοί εἰσι, καὶ αἴτιαι δοκοῦσι τοῦ τὰς ἀπαιδεύτους πλανᾶσθαι τῶν ἑτεροδόξων ψυχάς, ἀπερισκέπτως καὶ παρὰ προπετείας κατηγορούντων τοῦ Θεοῦ ἐξ ὧν οὐ νοοῦσι γραφῶν, καὶ διὰ τοῦτο ἐκπιπτόντων ἐπὶ ἀναπλασμὸν ἄλλου Θεοῦ. Scripturae eius* (Dei) *magnis quidem et arcanis, abstrusisque et difficillimae considerationis sententiis refertae sunt, sed et difficillimam habent explicationem, et videntur ansa erroris fuisse rudibus heterodoxorum animis, inconsiderate et petulanter Deum ex iis quas non intelligunt Scripturis accusantium, indeque ad alium Deum confingendum prolabentium. — Baptismum veritatis*] Ita forte baptismum Ioannis, quo Iesus tingebatur, vocarunt in oppositione ad typicos et carnales Iudaeorum baptismos, de quibus Hebr. 11, 10. — *Sua voluntate et virtute substantia usus*] Graece *τῇ οἰκείᾳ βουλήσει (καὶ δυνάμει) οὐσιώσει χρησάμενος*, id est *sola sua voluntate ac potentia pro creatis rebus omnibus.* Feuard. ex Bill. lib. I. observ. sacr. cap. 33. Sed explico clarius: *sola sua voluntate ac potentia loco substantiae,* sive materiae, ex qua creaturas formaret, *usus.* Confer
p.304. sequens caput. — *Quoniam homines*] Irenaeum hîc, nisi fallor, imitatus est Theodoretus lib. V. haeret. fabul. quo summam catholicae doctrinae contra eos exposuit cap. 5. ita scribens: *Ἐπειδὴ γὰρ πᾶσα τέχνη παρὰ ἀνθρώποις ὕλης ὑποκειμένης προσδεῖται, καὶ κεραμευτικὴ μὲν πηλοῦ, οἰκοδομικὴ δὲ λίθων καὶ πλίνθων, ξύλων δὲ ἡ τεκτονικὴ καὶ ναυπηγική, καὶ ἐρίων ἡ ὑφαντική, καὶ ἡ σκυτοτομικὴ δὲ δερμάτων, καὶ ζωγραφία καὶ γυψοποιητικὴ χρωμάτων, καὶ συλλήβδην εἰπεῖν, ἑκάστη τέχνη τῶν προσφόρων ὑλῶν· ὑπέλαβον οἱ ἀνόητοι καὶ τὸν Θεὸν μὴ δύνασθαι ὕλης δίχα δημιουργεῖν, καὶ οὐ συνεῖδον ὅσον ἀνθρώπου καὶ Θεοῦ τὸ διάφορον, καὶ ὡς οὐχ οἷόν τε τὴν εἰκόνα πάντα ἔχειν ὅσα τὸ ἀρχέτυπον, καὶ ὅτι ἄνθρωπος μέν, ὡς εἰκών, ἐξ ὄντων δημιουργεῖ, θεὸς δὲ καὶ ἐξ ὄντων καὶ μὴ ὄντων. Quoniam enim ars omnis apud homines subiecta materia indiget, et figulina luto, et structoria lapidibus et lateribus, lignis fabrilis et navium aedificatrix, et lanis textoria, et pellibus sutoria, et pingendi gypsandique ars coloribus, atque, ut semel dicam, artes singulae materia convenienti; existimarunt stolidi Deum quoque sine materia creare non posse, nec intellexerunt quantum Dei et hominum sit discrimen, et quod fieri non possit, ut omnia habeat imago, quae archetypum, et quod homo quidem, velut imago, ex iis quae exstant, creet; Deus vero et ex iis quae exstant, et ex non exstantibus.*

p.303. MASSUETUS: *Alius sit Deus*] Textum hîc esse mutilum suspicatus est Billius. Sed frustra: expuncta enim voce *quod,* quae in editt. Erasm. Gall. et Feuard. ante *alius* perperam inserta est, planus evadit. Expungendam autem esse docent MSS. omnes, in quorum nullo comparet. — *Sua voluntate et virtute substantia usus*] Graece, inquit Billius, *τῇ οἰκείᾳ βουλήσει καὶ δυνάμει, οὐσιώσει χρησάμενος,* id est *sola sua voluntate ac potentia pro creatis rebus omnibus usus.*

Sed melius explicat Grabius: *sola sua voluntate ac potentia loco substantiae,* sive materiae, ex qua res creatas formaret, *usus.* Hanc explicationem confirmant sequentia. — *Infidelitatem*] Sic ex codd. Clarom. et Voss. ac Feuard. marg. reposui pro *infirmitatem,* quia mox sequitur: *quoniam quidem his quae sunt, non credunt* etc. p.304.

CAP. XI.

FEUARDENTIUS: *Credentes autem*] Hic Carpocratem et sectatores praesertim refellit, qui, ut signavit lib. I. cap. 24. mundum et cuncta quae in eo sunt, ab angelis facta dicebant. Caeterum, tametsi Epiphanius contra haeresin Samosateni disputans, fateatur Scripturam nusquam tempus indicare quo creati sint angeli: omnino tamen constat ex eadem creatos esse, non creatores: quoniam et Iob et David et socii Danielis eos inter res creatas connumerant, et ad celebrandum Creatorem suum invitant. Hinc et Lactantius scribit: *Deus multos genuit operum suorum ministros, quos Graeci ἀγγέλους nominant* etc. Lib. II. cap 9. Athanas. Serm. 3. contra Arianos de his quoque disserit. — *Similes Aesopi cani*] Hoc eodem apologo utitur Epiphanius contra Cerdonianos: *Contigit,* inquit, *his canis proverbium, qui umbrae intentus non continuit quod habebat in ore, et in aquam intuens et maiorem umbram aquae esse putans, quam cibum quem in ore ferebat, aperto ore etiam eum quem habebat amisit. Sic et hi, quum viam repererint, et umbram assequi velint in suspicione eorum obortam, non solum cibum, qui in ore ipsorum, ut ita dicam, erat ex Deo donatus, amiserunt: sed etiam perniciem sibi ipsis attraxerunt.* Nos adversus huius temporis Gnosticos illo etiam uti iure optimo possumus, qui umbris et metonymiis inhiantes, veri corporis Christi usu excidunt. Nec iniuria Lutherus de huiusmodi Sacramentariis scripsit: *Satanas in mundo haud dubie auctor est eis huius sacramenti Eucharistiae labefactandi ac evertendi: contendens plane, epoto ovo, nobis tantum relinquere putamina. Hoc est, Christi corpus et sanguinem e pane et vino tollere, ut praeter simplicem panem a pistore confectum, nihil reliquum remaneat.* Tomo 7. Serm. de Euchar. — *Bene haec arbitrati sumus*] Duobus argumentorum generibus illos urgere constituit. Priore, crebris et acutis de ratione figmentorum interrogationibus: quas quum non potuerint solvere, ad metam redargutionis cogantur; quod egregie praestat sequentibus usque ad 36. capitibus. Posteriore, apertissimis firmissimisque Scripturarum testimoniis, quibus postea pugnat. p.304. p.305.

GRABIUS: *Docentis autem, et per se — attribuentis*] Christus et verbo docuit et per merita sua *tribuit nobis potestatem filios Dei fieri,* Ioan. 1, 12. quae in veteri Testamento nec ita clare revelata, nec isto modo, quo in novo foedere, fidelibus data erat. Iudaei enim filii Dei dicebantur, quod a Deo creati essent, quodque Spiritum Dei accepissent, sed servitutis et timoris; nos vero libertatis et dilectionis. Unde s. Ioannes Chrysostomus Homil. XIV. in epist. ad Romanos c. 8. considerans ista apostoli verba: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum ad timorem, sed accepistis spiritum adoptionis,* comparatione inter Iudaeos et Christianos instituta, inter alia ait: *Ἐκεῖνοι* p.305.

μὲν εἰ καὶ υἱοὶ ἐκαλοῦντο, ἀλλ' ὡς δοῦλοι· ἡμεῖς δὲ ὡς ἐλεύθεροι γενόμενοι τὴν υἱοθεσίαν ἐλάβομεν, καὶ τὸν οὐρανὸν ἀναμένομεν — κἀκεῖνοι φόβῳ τιμωρίας πάντα ἔπραττον ἀγόμενοι, οἱ δὲ πνεύματος ἐπιθυμίᾳ καὶ πόθῳ. Illi quidem quamquam filii vocabantur, tamen tanquam servi; nos autem ut liberi facti adoptionem accepimus, et caelum exspectamus — Illi poenae formidine ducti omnia agebant, hi Spiritus desiderio et amore. Atqui *omnis qui non amplius sub timore paedagogo degit, sed virtutem propter ipsam elegit, filius Dei est,* ut Origenes scribit lib. I. contra Celsum. Sed de his prolixius dicendi hîc non est locus.

CAP. XII.

p.305. FEUARDENTIUS: *Primo quidem*] Porro ostendit triginta annos aetatis Domini nullo modo patrocinari fictioni illorum de triacontade, id est, triginta Aeonibus, quam descripsit lib. I. cap. 1. et 14. Superstitiosam hanc numerorum applicationem, ex Pythagoricis excerptam, tradit infra cap. 19. Tertullianus (lib. contra Valent.) ista deliramenta ita suo more irridet: *Hoc erit Pleroma illud Aeonum, divinitatis tricenariae plenitudo. Interim in tricenario fecunditas tota deficit; castrata est vis et potestas et libido genitalis Aeonum, quasi non et numerorum tanta adhuc coagula superessent, et nulla alia de paedagogio nomina. Quare enim non et quinquaginta, et cen-*
p.306. *tum procreantur?* etc. — *Triginta annorum*] Hoc argumentum Gnosticorum ita convellit Cyrillus Ierosolym. *Aspice nugas et deliria commentorum. Unde habes probationem triginta Saeculorum? Quum, inquit Valent. scriptum sit, quod Iesus baptizatus sit tanquam annorum triginta. Et qualis est haec demonstratio? Numquid igitur, quia quinque panes divisit in quinque millia, quinque sunt Dii? Quia duodecim habuit discipulos, duodecim debent esse Dii?* etc. Catech. 6. — *Quoniam enim*] Hoc et proximo cap. dissolvit fabulas de triacontade, coniugationibus et Sophia, quas lib. I. cap. 1. recitaverat. Insuper et nugas de Ennoeae sive Siges emissione, quod perinde impossibile sit cogitationem et silentium per se consistere, atque sine humectatione aquam, aut sine duritia lapidem. — *Hoc autem non enumerato*] Sophiae vigesimum locum tribuunt in ea Aeonum enumeratione, quae c. 1. adumbratur. Postea dicunt eam aberrasse ab illa Plenitudine, quae Pleroma vocatur: aut igitur incompletum est Pleroma tricenarium, aut Sophia non aberravit. — *Sed XX et novem*] Codices excusi habebant *XX et VIII.* — *Ex qua rursum Nun et Alethian*] *Nun* nostro iudicio adiicimus, quandoquidem sic confecta est ab illis secunda coniugatio; et paullo post Irenaeus utrumque copulat. Hanc autem emissionem probat impossibilem, ex eo quod Siges, id est, silentii nulla sit actio: mentis autem operationes sint immanentes. Paullo post legimus *ab unita* pro *adunita,* auctoritate vet. cod. — *Hoc autem sic se habente*] Probat emissiones Aeonum indiscretas esse, quandoquidem duos Aeones sibi perpetuo affirment
p.307. cohaerere. — *De passione enim*] Probat coniugationes illas triginta Aeonum disiunctas non esse, quia seiungi non potest Cogitatio a Propatore, nec Mens a Veritate, nec Verbum a Vita. Primigeniam octo-

nationem et duodecadem et triacontadem rursus expugnat. — *Iterum reliquam*] Expunximus *derelinquam*. — *Quemadmodum gallinae*] Ter- p.308.
tullianus (lib. contra Valent.) istiusmodi aniles fabulas irrisione pari excipit: *Sophia*, inquit, *in moerore ex semetipsa sola, nulla opera coniugii concepit, et procreat foeminam. Miraris haec? et gallina sortita est de suo parere, sed et vultures foeminas tantum parere aiunt, et tamen sine masculo mater.* Addere potuisset equas vento concipere in Cappadocia, ut tradit Augustinus (lib. 21. de civ. c. 5.): et in Hispania ad Tagum amnem, si vera scribunt Homerus, Varro, Columella, Plinius et Iustinus. Reposuimus autem *gallinae* pro *gallina*. — *Post demum*] Ostendit incompossibiles ac incompatibiles prorsus esse Aeones Octonarii in eodem Pleromate: quoniam Sermo et Silentium simul stare non possunt: sicut lumen et tenebrae simul esse nequeunt. — *Si autem endiatheton Logon*] Billius graece: ἂν δὲ ἐνδιάθετον λόγον εἴπωσιν, i. e. *Si autem intus conditum Sermonem dixerint.* Ἐνδιαθέτῳ λόγῳ Graeci opponunt προφορικόν, hoc est, ut cap. 16. vertit interpres, *emissibile verbum;* vel ut c. 49. *emissionis verbum;* vel denique, ut cap. 16. *prolativum* etc. Vult ergo Irenaeus etiam Sigen internam esse, si Logos sit interior: et ea propter neutrum posse dici emissum. — *Emissiones*] Expunximus *emissionis*. — *Secundum autem id*] Ostendit plures quam triginta Aeones numerandos esse, si verae sunt ab eis ordinatae coniugationes. Etenim si Monogenes emisit Horon, postea quoque Christus et Spiritus sanctus et Soter prodierunt: iam sunt 34 Aeones in Pleromate, non 30 solum. — *Emissum enim*] Quae hic refellit, habentur lib. I. c. 1. — *Hoc enim manifestum*] Proverbialis hyperbole, sacris et profanis p.309.
scriptoribus frequentissima, qua rem apertissimam et omnibus evidentissimam significant. Eusebius contra Hieroclem: ἀλλὰ γὰρ καὶ τυφλῷ φασὶ δῆλον. *Sed etiam vel caeco perspicuum aiunt esse.* Utuntur quoque eadem Plato in Sophista, Homerus Odyss. octava. Quintil. l. duodecimo, Erasm. in Chiliad. — *Si plus fuerit*] Codices excusi p.310.
habebant *ipsius fuerit*.

GRABIUS: *Haec enim consumtibilia sunt invicem*] Σιγῆς et λόγου p.308.
antithesis omnibus est familiaris. Sic Gregorius Nazianzenus Carm. XII. ad Episcopos: Θύσω καὶ σιγήν, ὡς τοπάροιθε λόγον. Et Orat. XIV. pag. 216. οἱ τοῦ λόγου τοσαύτης ἐσμὲν σιγῆς μεστοί. Confer Pearsonii Vindicias Epistolarum s. Ignatii Part. 2. cap. 4. — *Non est endiathetos*] Haeretici igitur fictitium suum λόγον statuerunt προφορικόν: sed Catholici de vero λόγῳ filio Dei certa ratione negarunt. Sic Clemens Alexandrinus lib. V. Strom. pag. 547. ὁ γὰρ τοῦ πατρὸς τῶν ὅλων Λόγος οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ προφορικός, σοφία δὲ καὶ χρηστότης φανερωτάτη τοῦ Θεοῦ. *Verbum enim Patris universorum non est hoc quod profertur, sed sapientia et bonitas Dei manifesta.* Et Cyrillus Hierosolymitanus Catech. IV. Illuminatorum: πίστευε ὅτι ἑνὸς Θεοῦ μονογενὴς εἷς ἐστιν υἱὸς πρὸ πάντων τῶν αἰώνων Θεὸς Λόγος, οὐ προφορητικὸς εἰς ἀέρα διαχεόμενος, οὐδὲ λόγοις ἀνυποστάτοις ἐξομοιούμενος. *Crede unigenitum atque unicum unius Dei esse filium ante omnia saecula Deum Verbum, non prolatitium, inque aëra diffusum, neque sermonibus hominum non subsistentibus*

simile. Omnino enim tale Verbum naturae Dei haud convenit, uti Ioannes Philoponus observavit lib. VI. de Mundi creatione cap. 4. scribens: *οὐ γὰρ προφορικὸν λόγον, τὸν ἅμα τῷ προελθεῖν λυόμενον, τῷ Θεῷ περιάπτειν θέμις. Neque enim prolatitium verbum, quod*
p.309. *simul ut profertur resolvitur, Deo accommodare fas ess. — Quem et Sotera dicunt*] Istud Hori cognomen auctor noster lib. I. cap. 1. §. 3. et 5. ubi sex eius appellationes ex instituto recenset, prorsus tacuit: unde in notis ibidem id ex hoc loco addidi. Verumtamen animum subit suspicio, ne forte graecus Irenaei textus hic corruptus, aut ab interprete haud recte lectus fuerit, voce *σταυρόν,* quae inter alia Hori cognomina dicto loco exstat, et *σωτῆρα* inter se commutatis, quod per huiusmodi abbreviationem *στρν,* indeque unica solum littera *α* pro *ν* posita vel lecta, facile fieri potuit. Esto penes lectorem de hac coniectura iudicium.

p.306. MASSUETUS: *Hoc autem*] Bytho videlicet; non Aeone errante, ut male interpretatur Feuardentius. — *Quam Sigen*] Pro *quam et Sigen;* supple *etiam vocant:* nisi pro *quam* legere malis *et. — Nun*] Haec vocem, licet proprio iudicio, et citra MS. cod. auctoritatem, recte tamen adiecit Feuard. Eam enim ab Irenaeo, id exigente sensu, scriptam esse, et a scribis, ob affinitatem soni ultimae syllabae vocis praecedentis, perperam omissam esse, quilibet videt. *Nun* siquidem *et Alethiam* in secunda coniugatione copulabant haeretici; et paullo post Irenaeus utrumque copulat. — *Unita est*] Clarom. Ottob. Voss. et Merc. II. *unitus est;* nec male, si de Bytho Ennoiae unito intelli-
p.308. gatur. — *Si autem endiatheton Logon* etc.] Graece, ait Billius, *ἂν δὲ ἐνδιάθετον λόγον εἴπωσιν.* I. e. *si autem intus conditum sermonem dixerint. Ἐνδιαθέτῳ λόγῳ* Graeci opponunt *προφορικόν,* hoc est, ut cap. 13. vertit interpres, *emissibile verbum;* vel ut cap. 28. *emissionis verbum;* vel denique ut cit. cap. 13. *prolativum.* Hactenus Billius. Verborum itaque sensus est, ut bene advertit Feuardentius, talem esse Sigen, qualem et Logon; si hic internus sit, et illam in-
p.309. ternam esse, et ea propter neutrum posse dici emissum. — *Christum et Spiritum sanctum*] Sic pro *Christo et Spiritu sancto* (uti librariorum culpa habent omnes codd. aperte repugnante tum sensu, tum ipsa Valentinianorum hypothesi) restituo ex lib. I. cap. 2. n. 5. ubi dicitur: *Monogenem alteram emisisse coniugationem, Christum et Spiritum sanctum.* Et in hoc ipso capite, paullo post: *Christum a Monogene dicunt emissum. — Quid quod*] In Erasm. Gall. et Feuard. male omissum *quid.* Haec enim interrogando dicta esse, perspicuum est ex contextu. Unde *quid quod* hic scribitur pro *quid est caussae quod? — Sotera*] Mirum, inter varia quae lib. I. cap. 11. n. 4. recenset Irenaeus Hori cognomina, illud *Soteris* omissum fuisse. Hinc suspicatur Grabius vel textum graecum hic corruptum fuisse, vel pro *σταυρὸν* (quod Hori cognomen est), forte per abbreviationem scriptum *στρν,* male legisse interpretem *σωτῆρα.* Sed quum loco mox citato dicatur *λυτρωτής, redemtor,* qui Sophiam ab imminenti ruina liberaverit, *Salvatorem* dici quid vetat? Sic ut duplex Christus, sic et duplex erit Salvator, superior alter, alter inferior. — *Infimiores*] In cod. Arund. et marg. Feuard. *infirmiores.* Sed prior lectio praefe-

enda; mox enim sequitur: *infimi quidem quomodo fient?* Ubi omnes codd. inter se consentiunt. — *Quanto magis tanta?*] I. e. quanto p.310. magis tantus Aeonum excessus, defectusque reprobabilem facient tricenarium ab haereticis confictum numerum? — *Bythum*] Ludit auctor in voce *βυθός*, quae Valentinianis *primum Patrem*, hîc *profundum gurgitem* significat.

CAP. XIII.

GALLASIUS: *Si igitur et in hominibus*] Est propositum Irenaeo p.313. ostendere, nihil separabile esse in Deo neque ab ipso quidquam emitti, quasi aliud ab alio. Ducit argumentum ab homine, id est a minori ad maius, a finito ad infinitum. Si animus, qui in homine est, non emittitur ab ipso neque separatur, dum aliquid promit aut facit, multo magis id de Deo dicendum, qui simplicissimus est. *Animationes* (*motiones*) autem vocat ea, quae proficiscuntur ab animo aut sunt eius indicia. Itaque si animus in iis, quae efficit, non seiungitur ab homine, qui tamen compositus, imperfectus et fragilis est: nullo modo fieri potest, ut Deus, qui simplex ac perfectus est, aliquid a se emittat, quod divisum sit et separatum: alioqui Deus a semetipso separaretur, nec vere Deus esset.

FEUARDENTIUS: *Et ipsum quidem*] Evincit vanam commenta- p.310. tionem esse, quod Profundum et Cogitatio Mentem produxerint: quum ipsa cogitatio quantumvis latens et abdita, potius a mente emittatur: sicut et Enthymesis, quam intentionem alibi et Consilium vocat, aliaeque animi affectiones. Impium deinde ostendit, hominum affectus, motus et perturbationes Deo adscribere. Idem facit Lactantius lib. de ira Dei cap. 15. et 16. quod et antea praestiterat auctor Responsionum ad quaestiones orthodoxorum, apud Iustinum martyrem, quaest. trigesima sexta, et quinquagesima prima. — *Nus enim et ipsum*] Tertullianus libro de anima (cap. 12.). Non separari animus et animum, de Nu seu Mente, ait: *Νοῦς apud Graecos non aliud quid intelligimus, quam suggestum animae ingenitum et insitum et nativitus proprium, quo agit, quo sapit* etc. — *Non capit igitur*] Graeca phrasis, qua non raro utitur, ut paullo post: *Et haec quidem in hominibus capit dici.* Crebro quoque qui extra controversiam latine scripsit Tertullianus, verbum *ἐνδέχεται* sic imitatur, ut lib. de Resurrectione carnis lib. I. III. et V. contra Marcionem: *Corpus animale capit dici,* id est, recipit hanc nomenclaturam, dignum est hoc nomine. — *In cogitatu*] Delevimus *incogitate,* ut mox *sensu manente* pro *sensum a mente* reposuimus. — *Haec autem enthymesis*] Docet porro En- p.311. thymesin seu cogitationem ac inventionem, quum pene eadem sit cum Ennoea, id est, sensatione et consilio; et a Nu, id est, mente producatur, extra plenitudinem non emitti. Igitur stare non possunt tam variae Aeonum emissiones. — *Et haec quidem*] Variae animorum p.312. affectiones, prolationesque successivae et alternantes recte et vere affirmantur de hominibus; Deum his obnoxium confingere, nefas. — *Deum autem*] Codices excusi *Deinde autem,* et paullo post *Patrem* delevimus et *Patri* reposuimus. — *Si autem Scripturas*] Locus insignis, quo docet passiones humanas in Deum non cadere: ac proinde Gnosticos

turpiter hallucinari, quum his eum subiiciunt. In hanc rem legatur Cyrillus Ierosol. Cateches. 8. — *Et simplex*] Affirmat Deum esse omnino simplicem, id est, omni compositione, sive ex materia et forma, sive ex genere et differentia, sive ex ente, modis et passionibus eius, sive ex subiecto et accidente: hoc est, tam physica quam metaphysica carere: quod post Irenaeum latius confirmant Clemens Alexand. lib. I. Paedagogi cap. 8. Origenes lib. VII. contra Celsum: Augustin. lib. VI. de Trinitat. cap. 6. et 7. et Scholastici omnes. Porro *ὁμοιόκωλον similimembrium* reddit pari tralatione, qua Paulus dicitur *seminiverbius:* Deus enim membra, alterius a seipso rationis et formae, non habet. — *Quum sit sensus*] Hanc sententiam frequenter inculcat, infra cap. 18. et 47. huius libri, et lib. III. cap. 8. et lib. IV. cap. 6. Indicat vero ea, quae enumerat, non esse facultates, aut ab eisdem productas affectiones quasdam a natura Dei alienas, quemadmodum in creatis rebus. Recte igitur post Irenaeum, 8. de Civitat. Dei (cap. 6.) Augustinus: *Deo non aliud est esse, aliud vivere: nec aliud illi est vivere, aliud intelligere: nec aliud intelligere, aliud beatum esse: sed quod est illi vivere, intelligere, beatum esse, hoc est illi esse.* Et lib. XI. cap. 10. *Deus Pater qui genuit, simplex est: et Filius qui genitus est, pariter simplex est: et hoc est illud de quo genitus est:*
p.313. *sed ideo simplex dicitur, quoniam quod habet, hoc est.* — *Si autem et in reliquis omnibus*] Ita vet. cod. delevimus itaque *et hominibus.* — *A vivo is*] Expunximus *animus*, et mox *motiones* pro *animationes* restituimus. — *Si enim sensum*] *Προβολὰς* istas, id est, emissiones, proiectiones vel productiones, quas recensuerat initio capitis primi libri primi, Deo neutiquam convenire ostendit, quum partitionibus non subiaceat; nec Logon seu Verbum emittat, quod a se divulsione quadam naturae separetur. Sic et antea de Filio Dei docuerant sanctissimi alii martyres. Ignatius (ad Magnes.): *ὅς ἐστιν αὐτοῦ λόγος, οὐ ῥητός, ἀλλ᾽ οὐσιώδης, οὐ γὰρ ἐστὶ λαλιᾶς ἐνάρθρου φώνημα, ἀλλ᾽ ἐνεργείας θεϊκῆς οὐσία γεννητή.* Id est: *Ille est ipsius* (Patris) *Verbum, non prolatum, sed substantiale: non enim loquutionis articulatae vox est, sed divinae efficaciae substantia genita.* Iustinus (lib. de Trin.): *Intelligimus Filium e Patre prognatum, sicut lumen e lumine promicans. Nam hac imagine refertur et coaeternitas et essentiae identitas et passionis expers nativitas.* Et paullo post: *Non enim decisione, aut defluxu, aut divisione elucescit, sed ex ipsa essentia, sine ulla passione, procedit.* Et Tatianus (Orat. contra Graec.) eiusdem non malus aliquando auditor, *Verbum a Patre genitum* profitetur, *οὐ κατὰ ἀποκοπήν, non per avulsionem, quum genitorem nunquam relinquat.* Accedit Tertullianus contra Praxean: *Protulit Deus Sermonem, sicut radix fructum, et fons fluvium, et sol radium: nec frutex a radice, nec fluvius a fonte, nec radius a sole discernitur, sicut nec a Deo Sermo.* Origenem cum Valentinianis idem sensisse hac in re, quidam dudum voluerunt: at eos falsos esse, multis eius allatis scriptis, dilucide evincit Pamphilus martyr, aut potius Eusebius, in Apologia pro eodem. Innumera istiusmodi Patrum testimonia, quibus cum Gnosticis recentiores Ariani convincuntur, con-
p.314. sulto praeterimus. — *Si autem non emissum*] Demonstrat Logon non

esse extra Patrem emissum, a definitione emissionis sumta ratiocinatione. Deinde si intra Patrem emissus est, nec Patrem ignorare potuit, nec diminutionum passionibus subiacere: quod tamen ab illis affirmabatur. Porro autem *quemadmodum* pro *quomodo,* ut alias frequentissime usurpat. — *Quemadmodum*] Passiones, ignorantiam, va- p.315.
cuum et emissiones in Deum Patrem non cadere rursus confirmat, quod haec mortalium propria sint; Verbi vero divini generatio a prolatione verborum hominum omnium recedat; Vitam quoque Dei aliam non esse a Mente et essentia eius. Infert postremo pugnas, quibus inter se more omnium haereticorum digladiabantur, et quasi mutuis caedibus corruebant. — *Sensus emissione*] Expunximus *sensu emis-* p.316.
sionis; et paullo post pro *coniuncti sunt in primo* restituimus *convicti sunt in primo libro.* — *Sed quoniam*] Refutata prima Aeonum coniugatione ac emissione, qua nugabantur Bythum et Sigen emisisse Nun et Alethiam, nunc secundam coarguit, ostendens passiones ab illis conflictas non cadere in Deum, sed hominibus tantum convenire; et Logon non sic emissum a Nu, ut blaterabant. Initium porro capitis decimi noni hîc constituit codex manusc. cum infra posito argumento. — *Peccaverunt autem*] Asserit Zoën, id est, vitam Dei non esse sexto p.317.
loco constituendam in plenitudine, sed potius primo; nec fingendum extra Deum emissam fuisse, quum ipse sit vita sua. Deinde, sub nomine Dei, omnes eius perfectiones, quales sunt incorruptio, veritas, sapientia, bonitas etc. quum revera sint ipse Deus, omnino significari et comprehendi. Denique insipientissimorum hominum esse putare, aut mentem, aut veritatem, aut Verbum Dei aliquo tempore vita caruisse. — *De ea autem*] His evertit et eam emissionem, qua dicebant, per coniugationem Hominis et Ecclesiae duodecim Aeones prodiisse. Idque facit ex mutuis pugnis et dissidiis Gnosticorum ministrorum, nec in hac re secum, nec cum ipsa veritate convenientium. — *Pugnant adversus invicem*] Mutuas haereticorum pugnas, trophaea ecclesiae catholicae ultro parare, alias annotavimus, fidemque rectam illustrari et confirmari illorum conflictationibus. Nam quum haereses pleraeque ex incauta alterius haereseos evitatione et insectatione oboriantur, ut de Ario apparet, qui Sabellii personas confundentis odio, in naturae distractionem incidit; et Eutyche, qui Nestorii errorem fugiens, in naturarum confusionem incurrit: hinc fit, ut quum ingenio, eloquentia et linguarum peritia aliquando valeant; in ea parte, qua adversam haeresin impugnant, et orthodoxam fidem sequuntur, optimam et utilissimam operam navent Ecclesiae. Haec abunde explicat Vigilius martyr libro secundo et quarto contra Eutychen; et non raro noster Irenaeus.

GRABIUS: *Verbum rectissime appellabitur*] *Λόγος ἐνδιάθετος* p.311.
scilicet dicebatur a philosophis, cuius et praecedenti capite fecit mentionem. — *Ad loquendum eos*] *Πρὸς τὸ λαλεῖν αὐτούς,* i. e. *ut* p.312.
ipsi loquantur, ac verba faciant. Neque enim ea ex hominum ore procedunt, antequam praecesserit cogitatio, vel ubi res requirit, diuturnior deliberatio ac consultatio. — *Similimembrius*] Vocem *ὁμοιόκωλος* in graeco fuisse suspicatur Feuard. mihi *ὁμοιομερὴς* potius ab Irenaeo dictus videtur Deus, utpote cuius pars, si qua dicenda, et totum prorsus eadem sunt. — *Sensus*] *Νοῦς* fuit in graeco, hîc et

postea saepe, uti colligitur ex cap. 18. pag. 138. col. 1. lin. 26. aliisque locis, praesertim ex lib. I. cap. 6. ubi in hac ipsa sententia ὅλος νοῦς ab interprete redditur totus sensus. — *Sensuabilitas*] Vox νόησις
p.314. ab Irenaeo usurpata videtur. — *Emissio enim — manifestatio*] Hinc s. Patres *missionem* Filii et Spiritus sancti quandoque per *manifestationem* explicant. *Nec Filii, nec Spiritus s. missionem localiter factam quisque debet Christianus intelligere; sed illo missionis nomine, opus intelligamus manifestationis indultae,* ait Fulgentius lib. II. ad Monimum cap. 6. Et ante ipsum Severianus in Homilia de aeneo serpente, itemque de s. Trinitate, Tom. VI. operum Chrysostomi, ex editione Frontonis Ducaei pag. 58. *Τί οὖν βούλεται τὸ ἀπεστάλη; ἀντὶ τοῦ, διὰ σαρκὸς ἔλαμψεν. Ἡ γὰρ ἀποστολὴ οὐ τὴν ἀπὸ τόπων εἰς τόπους μετάβασιν σημαίνει, ἀλλὰ τὴν ἐκ τῆς ἀοράτου θεότητος εἰς ἐμφανῆ παρουσίαν. Quid igitur sibi vult illud, missus est? pro eo, ac si dixisset, conspectus est, in carne apparens nobis affulsit. Legatio enim illa non ullam profectionem de loco in locum significat, sed ex invisibili Deitate in adspectabilem praesentiam.*
p.316. — *Addivinantes*] Aut ἐπιθειάζοντες aut μαντευόμενοι vel καταμαντευόμενοι in graeco fuisse coniicio. Nam supra pag. 77. legitur μαντεύονται, *divinant* i. e. de rebus divinis docentes asserunt. — *Lationem* (nos: *generationem*) *prolativi hominum verbi* etc.] Ad hos haereticos quoque quadrat, quod de aliis ait Origenes Tom. I. Comment. in Ioannem pag. 24. *οἰόμενοι προφορὰν πατρικήν, οἱονεὶ ἐν συλλαβαῖς κειμένην, εἶναι τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, existimantes filium Dei esse paternam prolationem, quasi in syllabis positam.* — *Transferunt in Dei aeternum Verbum, et prolationis initium donantes* etc.] Bene notanda Irenaei sententia de aeternitate filii Dei, nullum haben-
p.317. tis initium, e diametro Arianorum haeresi adversa. — *Immo magis ipse Deus, quum sit Verbum*] Hic ὁμοούσιον Verbi sive filii Dei aperte statuit Irenaeus, et ad Ioan. I, 1. alludit.

p.310. MASSUETUS: *Dispositae qualeslibet motiones — accipientes*] Sic Clarom. Arund. et Merc. II. cum edit. Oxon. aliae omnes vitiose: *dispositae qualislibet motionis — accipientis.* Id vero vult Irenaeus ennoian, enthymesin, aliasque mentis cogitantis actiones seu *motiones,* ut loquitur, nihil aliud esse quam seriem quandam unius et eiusdem mentis affectionum, quae varia, habita ratione perseverationis et augmenti, sortiantur nomina; sed inter quas nulla intercedat substantialis et realis, ut loquuntur, diversitas: utpote quae sint tantum cognitionis modificationes, in verbum interius, ἐνδιάθετον λόγον, desinentes.
p.311. — *Verbum rectissime appellabitur*] Hunc igitur ordinem inter mentis de re aliqua cogitantis actiones statuit auctor noster. Praecedit ἔννοια, sequitur ἐνθύμησις, tum νόησις, postea βουλὴ seu βούλημα, deinde βουλήματος ἐξέτασις, ac denique ἐνδιάθετος λόγος, qui si proferatur exterius, προφορικὸς dicitur; quas sic explicat. Quum primum menti sese offert res aliqua, levioreque tum eiusdem perceptio est, ἔννοια dicitur. Si vero intentiori facto animo augeatur perceptio, ἐνθύμησις est. Porro ἐνθύμησις esse non potest, quin menti sapiat sua perceptio, ac sensu intimo noverit, sibive conscia sit percipere se; quod νόησις vocatur. Dum autem νόησις, collatis secum pluribus ideis,

penitius exploratur, fit *βούλημα,* quo videlicet fertur sententia. Iudicium nos diceremus. Id si accuratius perpendatur, aliaque ex eo iudicia, comparatione facta, inferantur, *βουλήματος ἐξέτασις* est. Argumentationem vocant philosophi. Hinc *ἐνδιάθετος λόγος,* internum animi verbum: neque enim expendi possunt *consilia,* resque aliqua animo tractari, quin mens secum veluti colloquatur. Inde et *προφορικὸς λόγος,* si quod intus animo pertractatum fuit, sermone prodeat exterius. Ita se habet, ut quidem arbitror, Irenaei hypothesis, de qua viderint philosophi. — *Emissibilis*] Ita Erasm. Gall. et MSS. omnes. Frustraque Feuardentius correxit *emissibile.* Nam interpres ad substantivi *λόγος* magis quam ad *Verbi* genus attendens, masculinum genus cum neutro passim coniungit. — *Secundum augmentum assumentia appellationes*] Sic recte Clarom. cod. pro *secum augmentum assumentia appellationis,* ut perperam legitur in Erasm. Gall. et Feuard. Consentiunt cod. Voss. Feuard. in marg. edit. 1576. et edit. Oxon. quoad vocem *secundum:* sed male in omnibus *appellationis.* Lectionem nostram confirmant quae paullo ante scripta legimus: *secundum augmentum vocabula accipientes;* et quod mox sequitur: *secundum augmentum accepit appellationes.* — *Capit dici*] Pro *dici fas est.* — p.312. *Ad loquendum eos*] Sic MSS. omnes cum edit. Oxon. melius quam *ad loquendum ei,* ut in Feuard. vel *eis,* ut in Erasm. et Gall. legitur. Graece *πρὸς τὸ λαλεῖν αὐτούς,* i. e. *ut ipsi loquantur.* — *Ut ne quidem pusillus putetur*] Id est, ne infirmus ac impotens existimetur, utpote qui malum a rebus creatis avertere non potuisset. — *Non sic Deus*] Ita pro *non sit Deus,* ex cod. Clarom. et Feuard. marg. reposui; mox enim sequitur: *non sic cogitationes eius quvmodo* etc. Alludit Irenaeus ad verba Esaiae 55, 8: *Non enim cogitationes meae, cogitationes vestrae; neque viae vestrae, viae meae, dicit Dominus.* — *Similimembrius*] Ὁμοιόκωλος in graeco fuisse suspicatur Feuardentius; Grabius vero ὁμοιομερής. Sed alterutrum scripserit Irenaeus, idem sensus est. Scilicet ὁμοιόκωλος vel ὁμοιομερὴς dicitur Deus, quia partes eius, si quas dici fas esset, nihil a toto ipso differunt, seu, ut mox addit Irenaeus, quia *totus ipse sibimetipsi similis et aequalis est.* Idipsum est quod Cyrillus Catech. 6. hunc Irenaei locum imitatus dixit: *ὅμοιον ἀεὶ ἑαυτῷ ὄντα, μονοειδῆ τὴν ὑπόστασιν, οὐκ ἐν μέρει ἐλαττούμενον, ἀλλ' ἐν πᾶσιν ὅμοιον ὄντα αὐτὸν ἑαυτῷ. Sui semper similem, essentia uniformem et uniusmodi, qui non plus habeat ex aliqua parte, ex aliqua minus, sed in omnibus ipse sui similis sit.* — *Totus quum sit sensus*] Lib. I. cap. 12. n. 2. ubi totum hunc fere locum graece scriptum reperies, habet *ὅλος νοῦς. Νοῦν* vero *sensum* passim vertit interpres: *mentem* melius vertisset. Ceterum horum Irenaei verborum partem exscripsit Cyrill. loc. cit. *ὅλος ὢν ὀφθαλμός, καὶ ὅλος ἀκοή, καὶ ὅλος νοῦς, totus quum sit oculus, et totus auditus, et totus mens.* — *Motiones*] Sensus est: si in ho- p.313. minibus ipsa mens non emittatur, haecque proprias actiones, affectionesve sic exterius velut emittendo prodat, ut neque mens, neque mentis actiones a vivente homine separentur: multo minus Dei, qui totus mens est, mens emittetur, eiusque mentis actiones divisae ac separatae ab eo emittentur, ne Deus a Deo separetur. — *In quod emissum*] p.314.

Sic Clarom. cod. ceteri omnes minus bene *in quo:* nam paullo inferius legitur in omnibus codd. *in quod radium emisit.* — *Susceptor*] Sic editt. Erasm. Gallas. et Feuard. MSS. vero omnes, ac edit. Oxon. *susceptior:* sed male, quidquid dicat Grab. Quid sit enim *aër susceptior,* ne quidem vir clarissimus dixerit: nec cum ea lectione sequentia facile composuerit. Id sensit ipsemet: monet enim, ut textus optime cohaereat, delendum esse verbum *erit.* Atqui nihil expungendum; vox una, *susceptor,* duntaxat restituenda, et sensus erit planissimus. *Si autem, velut a sole radium, emissum dicant; sicut subiacet aër hic* radii *susceptor,* seu radium suscipiens, *et* proinde *antiquior erit, quam ipse radius:* sic *et illic ostendant* necesse est *aliquid* etc. — *Minorem esse, quam omnia*] *Quam* pro *quem* recte posuit Grab. ex cod. Arund. Sed frustra putat, aut quatuor has voces in textum irrepsisse, aut plures excidisse. Sat commodus videtur sensus, si quidpiam, nec procul petitum mente suppleatur: *quemadmodum solem* procul a nobis dissitum, *et ideo minorem, quam omnia videmus* etc.

p.315. — *Minus aliquis*] Ita recte Grab. ex cod. Voss. Consentit et Clarom. nisi quod pro *aliquis* imperitus amanuensis scripsit *aliquid.* In reliquis omnibus deest *minus*; et *quis* vel *quid* solum legitur, unde per-

p.316. versus oritur sensus. — *Omnes*] Praeter Irenaei mentem *omnibus* legendum vellet Grabius. Hic enim ordo verborum est: *omnes* (Aeones scilicet) *apparebunt esse corpora inclusa.* — *Alterius*] Sic MSS. quinque. In Ottobon. *alternius,* forte pro *alternis,* quod postremum praeferrem, si auctoritate fulciretur. In aliis *anterius*; sed minus recte. Quemadmodum enim *Deum totum aequalem et sibi similem* hîc dicit Irenaeus, quod *nec aliud antiquius, nec posterius* habeat in se; sic *unum perseverare,* sive simplicem esse asserit, quod *nec aliud alterius,* i. e. nihil diversum *habeat in se.* — *Generationem prolativi hominum verbi*] Sic cod. Claromont. et Feuard. in marg. edit. an. 1576. melius quam ceteri *lationem:* quamquam tamen postremam hanc lectionem praefert Billius. Graece, inquit, *οὗ τὴν φορὰν τοῦ τῶν ἀνθρώπων λόγου προφορικοῦ ἀναφέρουσιν εἰς τὸν ἄϊδιον τοῦ Θεοῦ λόγον.*

p.317. — *Et quae sunt talia*] *Alia* in *talia* auctoritate codicis Voss. cui consentit Clarom. recte mutavit Grab. quia mox iterum sequitur: *omnia talia.* Mallem autem pro *et* legeretur *ea,* vel illa coniunctio expungeretur. — *Coobaudientur*] Ita Voss. Arund. et Clarom. *Coobaudientur* autem hîc positum pro *simul intelligentur* seu *simul intelligenda venient sensus, et verbum* etc., unde sensus est: *appellatione enim Dei simul intelligentur:* et hinc liquet legendum esse *appellatione,* non *appellationi.* — *Eam*] Ordo verborum est: *multo ante oportebat quidem, eam quarto loco emitti.* Cave ergo *ante* hîc ut praepositionem accipias, quae *eam* in accusativo regat: accipitur pro *prius.* — *Semetipsos*] *Invicem semetipsos* habet cod. Arund. Porro *semetipsos* hîc accipio pro *eos ipsos,* ut et paullo antea, *adversus invicem* pro *adversus eos,* Valentinianos scilicet. Id enim exigere videtur sensus,

p.318. et usus interpreti haud infrequens. — *Ex Homine Verbum, sed non ex Verbo Hominem*] Valentinianae hypotheseos hoc in capite absurditatem sentientes Valentini discipuli, a magistro desciverunt; a Gnosticisque moniti, Valentinianarum emissionum ordine inverso, *ex Homine*

Verbum, sed non, ut Valentinus, *ex Verbo Hominem emissum* voluerunt. Tales fuere Colorbasaei, et alii, de quibus lib. I. — *Motiones*] Sic recte solus Clarom. cod. In Arund. Merc. II. et editt. Erasm. Gall. et Feuard. vitiose *monitiones*. Paullo melius in cod. Voss. Feuard. marg. et edit. Oxon. *notiones*. Sed praeferenda vox *motiones,* qua hactenus usus est Irenaeus, ad exprimendas mentis actiones. — *Et Sige, Nus*] Ita Clarom. Consentiunt Arund. et Voss. nisi quod forte *et* ante *Nus* praefixum habeant: neque enim deesse monet Grabius. In editt. vero omnibus *et Sige et Nu.* At lectio nostra cum sequentibus magis cohaerere videtur. Sensus vero est: *qui* (pro *quomodo*) *de Bytho et Sige, Nus et Alethia processerunt.*

CAP. XIV.

FEUARDENTIUS: *Multo verisimilius*] Quia malos fures supe- p.318.
riore capite Gnosticos vocarat, furta illorum a tredecim philosophorum scriptis isto fusissime retegit; in quibus nihilominus multa plura rectius tradita esse, quam in haereticorum libris, pronuntiat. Utrumque frequenter et Tertullianus libro contra Hermogenem, dum *philosophos haereticorum patriarchas* appellat. Et libro *Praescriptionum: Haereses a philosophia subornantur, inde Aeones et formae nescio quae et trinitas hominis apud Valentinum: Platonicus fuerat. Inde Marcionis Deus de tranquillitate a Stoicis venerat. Et uti anima interire videatur: ab Epicureis observatur. Et ut carnis restitutio negetur: de una omnium philosophorum schola sumitur. Et ubi materia cum Deo aequatur: Zenonis disciplina est. Et ubi de igneo Deo allegatur: Heraclitus intervenit. Eaedem materiae apud haereticos et philosophos volutantur, iidem retractatus implicantur.* Et paullo post idem vetustissimus theologus ita scribit: *Quid Athenis et Hierosolymis? quid academiae et ecclesiae? quid haereticis et Christianis? Nostra institutio de porticu Salomonis est etc.* Idem rursus alibi (lib. de resur.): *Discede ab ethnico, haeretice; redde illi suos sensus, quia nec ille de tuis instruitur. Quid caeco duci inniteris, si vides? quid vestiris a nudo, si Christum induisti? quid alieno uteris clypeo, si ab apostolo armatus es? etc.* Nequaquam tamen putandum vel Irenaeum, vel alios quosvis sanctos ac veteres theologos studia prohibere aut damnare philosophica; quum et ipsi peritissimi et acutissimi fuerint philosophi, probeque noverint disciplinas liberales ad caeterarum disquisitionem et tractationem necessarias et commodissimas esse; sed hoc in istis coarguunt et vituperant, quod artibus illis abuterentur ad subvertendam et opprimendam veritatem, quibus eam tutari et propagare debuissent. Sic et Paulus (Rom. 1.) eos severe increpat, *qui veritatem Dei in iniustitia detinent; et quum cognoverunt Deum, non sicut Deum glorificaverunt etc.* Studia porro philosophica et humaniora impense commendant Clemens in Strom. Basilius Epistola ad nepotes, Hieronymus Epistola ad Magnum. — *Antiphanes*] Eius nominis varios refert Suidas, sed nulli eorum Theogoniae descriptionem tribuit. Oportet igitur vel Antiphanem hunc poëtam illum esse, cuius epigrammata exstant in florilegio Planudis et frequentes sententiae apud Athenaeum et Stobaeum; quique natus olympiade 93. comoedias 365 aut (ut alii volunt) 290 scripsisse, terdecies vicisse,

atque in Chio obiisse fertur, annos natus 74. Vel certe pro Antiphane, contra omnium codicum fidem, legendum esset *Hesiodus,* quod Epiphanius indicare videtur de Valentino ita locutus: *Imitator Hesiodi Theogoniae, qui ut fabulosa gentium poësi mundo illusit: sic et Valentinus aliis nominibus in alia transmutatis mundum decipere voluit, Hesiodum habens opinionis suae fundatorem.* Hesiodum certe post Orpheum asseruisse Chaos omnium esse rerum principium, ex eiusdem verbis copiose satis probat Eugubinus lib. I. cap. 10. de perenni Philosoph. Lactantius (lib. I. cap. 4.) scribit: *Homerus nil nobis dare potuit, quod pertineat ad veritatem. Potuit Hesiodus, sed tamen nil dedit; non a Deo conditore sumens exordium, sed a Chao: quum explanare ante debuerit, Chaos ipse unde, quando, quomodo esse coe-*
p.320. *pisset etc.* — *Anaximander*] Thaletis auditor et eiusdem patriae fuit, quo sublato, ut nomine proprio sectam constitueret, multo absurdiora est commentatus; videlicet ipsum infinitum causam esse generationis et corruptionis omnium. *Ex ipso namque,* ait (lib. de praep. cap. 5. et lib. XIV. cap. 5.), *caelos segregatos, caeterosque mundos infinitos* et alia plura, quae fusius descripserunt Plutarchus et Laërtius: ex sacris Eusebius et Iustinus martyr Oratione ad Graecos, Augustin. 8. de Civit. cap. 2. — *Anaxagoras*] Clazomenius fuit, Anaximenis auditor, Socratis et Euripidis praeceptor, olympiade 70. quum Xerxes in Graeciam traiecit, genere, divitiis et philosophia clarissimus. Docebat autem solem candens ferrum esse, Peloponneso maiorem. Hoc universum ita ex parvis similium partium corporibus compositum, ut aurum ex minutissimis ramentis constat. Animantesque primo ex humore, calore terraque manasse, postea ex invicem natas esse, mares a dextris, feminas a sinistris, ut scribit Laërtius, cui post Aristotelem etiam astipulatur Iustinus martyr Orat. ad Graecos. Cur vero ἄθεος et irreligiosus nominaretur ab Irenaeo aliquantulum haesi, quod non consentiret vet. cod. quodque mentem divinam omnia composuisse docuisset, quod atheus non dixisset. At quae subiicit Laërtius, nodum solvunt, videlicet, ipsum a Cleone impietatis accusatum, quod solem laminam candentem; vel, (ut Augustino lib. 18. de Civit. cap. 41. placet) lapidem ardentem, non Deum esse diceret: ideoque *quia non solem, sed Creatorem solis venerabatur* (addit Eusebius lib. 14. de praep. cap. 5.) *parum abfuit, quin sit ab Atheniensibus lapidibus obrutus.* His accedit Plutarchus, qui Euripidem deos gentium Areopagitarum formidine inficiari per se non audentem, Siysphum et Anaxagoram id praestantes recensere fecit. Luciani etiam Timon Iovem fulmina in Anaxagorae caput eiaculatum dicit, quod familiaribus suasisset, nullo pacto esse illos, qui dii vocarentur. His adde Velleium apud Ciceronem de natura deorum, sententiam Anaxagorae istis verbis referentem: *Anaxagoras primus omnium rerum descriptionem et mundum mentis infinitae vi ac ratione designari et confici dicit.* Platonem denique in Cratylo, iustum et pium iudicantem, quod Anaxagoras mentem ex se omnipotentem cuncta condidisse docuerit etc. Ergo non Irenaei, sed quorundam ethnicorum aemulorum iudicio Anaxagoras ἄθεος nuncupatur. — *Umbram autem*] Epicurum anno tertio centesimae nonae olympiadis, septem annis ab obitu Platonis, natum

scribit Laërtius; et lectis Democriti libris, postmodum philosophiae operam dedisse, librosque de Atomis edidisse. *Scripsit etiam,* subiicit Laërtius, *infinita volumina, adeo ut illorum multitudine cunctos superarit; inter quae optima ea putat, quae sunt de Atomis et Vacuo.* Laërtio subscribunt Iustinus orat. ad Graecos et August. 8. de Civit. cap. 5. Democritus, quem Irenaeus subiungit, principia atomos et inane opinatus est, infinitosque mundos generationi et corruptioni obnoxios. Atomos quoque magnitudine et numero infinitos ferri in toto ac rotari, atque ita concretiones omnes gignere. *Laertius.* Eadem ante Democritum Leucippum asseruisse tradunt Aristoteles I. de Gener. Tullius I. de Natura Deorum, Lactantius lib. de Ira Dei. De imaginibus, id est ideis platonicis, superius annotavimus. — *Hoc autem*] p.321. Gnosticos arguit Irenaeus, quia post philosophos, mundi fabricatorem mundum ipsum ex subiecta materia fecisse, dicerent, quod et ante eum fecerant Theophilus Antioch. (lib. 2. ad Autolycum) eo nomine Platonicos damnans; simul et Iustinus (Orat. ad Graecos), Platonem nominatim reum agens, quod Deum non *ποιητήν,* id est factorem, sed *δημιουργόν,* id est conditorem, qui condendi facultatem a materia habuisset, asserebat. Hos secutus Tertullianus, toto orationis impetu eandem sententiam amplexantem Hermogenem obruit, materiam illam affirmans ignotam esse prophetis, apostolis, immo et ipsi Christo. His accedit et Eusebius (lib. 7. de praep. cap. 8.), adductis sententiis Dionysii Alex. Origenis et Maximi, illos absque scelere non esse pronuntians, qui materiam primam ad fictionem totius, Deo subiiciunt. Contra vero nihil frequentius nunc audiunt theologorum scholae, quam Deum ex materia informi, corporea omnia condidisse; in eamque sententiam pedibus et manibus feruntur Dionysius Areop., Tatianus, Lactantius, Augustinus, Theodoretus. Conciliabuntur autem facile, si materiam illam Deo non esse coaeternam nec ingenitam, ut cum philosophis Hermogenes volebat, nec ex Achamoth Aeonis errantis commentatione ortam, cum Gnosticis dixeris; sed a Deo Opt. Max. ex nihilo aliquando creatam, indeque formarum adiectione, omnia ab eodem condita fuisse cum Patribus senseris: quod non obscure indicat Irenaeus cap. 10. et 11. huius libri. — *Hi qui ex porticu*] Zeno, horum princeps, nomen Zenoniorum a principio sectae dederat; at quum in porticum, quae Graecis *στοὰ* dicitur, frequentius ad disserendum convenirent, Stoica secta nuncupata est: quam etiam ad tempora b. Pauli durasse, ex Actorum libro certum est, quando concioni illius de resurrectione Athenis sese opposuerunt. Inter horum paradoxa refert Laërtius, quod unum Deum docerent, ipsumque mentem et fatum et Iovem, variis quoque aliis nominibus appellarent: partes quoque omnia penetrantes haberet, ob idque Graecis *Δία* vocari, quod in aethere distentum sit imperium eius: *Ἥραν* vero, quod in aëre; *Ἥφαιστον,* quod in artificiali igne; *Ποσειδῶνα,* quod in humore; *Δήμητρα,* quod in terra. Laërtio subscribit Euseb. lib. 14. de praepar. cap. 6. et lib. 15. cap. 14. Adversus horum fatalem necessitatem, cui etiam Deum subiectum volebant, disserit Epiphan. contra haeresin quintam; et eo longe antiquior Iustinus martyr Apol. I. et infra non semel Irenaeus. — *Non extra Hesiodi*] Hesiodus li-

bro qui inscribitur, *Opera et dies,* Pandoram fingit omnium primam mulierem, Vulcani artificio, Iovis autem iussione fabricatam; quam singuli Dii donis suis ornaverunt, Pallas sapientiae, Venus formae, Apollo musices, Mercurius eloquentiae, indeque Pandoram dictam, quasi omnium donum, vel ab omnibus donatam, vel omnium rerum genere dotatam. Huius fabulae commentationem eleganter accommodat Nazianzenus adversus mulieres sese ambitiosius excolentes. Perstringit et Fulgentius libro secundo Mythologiarum. — *A Cynicis*] Antisthenis sectatores hoc nomine vocati fuerunt, sive a Cynosarge gymnasio; sive a canina mordacitate, qua nec Diis, nec hominibus parcebant: aut, ut alii volunt, ab eo, quod canum more in propatulo coire non dubitarent, sicut de Cratete et Hipparchia tradit Laërtius (lib. 6.), qui et Diogenem mulieres communes esse oportere, nihilque iniquum quodvis gustare animal, nec iniustum humanis vesci carnibus, asseruisse scribit. Perstringit et Nazianzenus (Orat. in laudem Heronis) Diogenis helluationes et Cratetis de matrimoniorum communitate sententiam. Immunditia impudentiae suae, qua naturali verecundiae reluctabantur, Cynicos nuncupatos affirmat quoque August. lib. de Nupt. et concup. cap. 22. quos et patronos libidinis vocat lib. 4. contra Iulianum Pelag. Gnosticorum porro immunditias retulit Irenaeus, lib. I. cap. 1. S. 9. 20. 23. 24. et 32. — *Et minutiloquium*] *Multiloquium et subtilitatem* habet cod. vet. Aristotelem suis assertionibus ob subtilitatem fidem ab omnibus haberi voluisse, et suae eloquentiae plus aequo confisum, omnibus aliis philosophis bellum indixisse, ante Irenaeum Iustinus quoque notaverat. *Καὶ περὶ τούτων* (ait Orat. ad Graecos) *πιστεύεσθαι ἑαυτὸν διὰ δοκιμότητα φράσεως ἀξιῶν.* Queritur et Nazianzenus, *quod artium Aristotelis pravum artificium et Platonicae eloquentiae praestigiae ut Aegyptiacae plagae in ecclesiam irrepserint.* Orat. de Moderatione in disputationibus servanda. Damnat quoque Theodorus presbyter (Isagoge in Anastasium Antiochenum) Severum haereticum, quod *eum solum agnosceret praestantissimum theologum, qui scite se exercuisset in Aristotelicis categoriis, et reliqua supellectile externorum a Christo philosophorum.*

p.322. — *A Pythagoricis*] Ante Irenaeum Iustinus (Orat. ad Graecos): *Pythagoras Samius,* ait, *Mnesarchi filius, arbitratur principium numeros et mensuras et horum concinnitates, elementaque ex utrisque composita; praeterea unitatem et infinitam dyada.* De his et Laërtius

p.324. fusissime. — *Cognitio, habere*] Vet. cod. *habere gloriam iniquam: Cognitionem habere,* legendum censerem, etsi nulli consentiant codices.

p.325. — *Per pithanologiam*] Id est suadelam, vimque quandam alliciendi

p.326. suadendique. — *Et quemadmodum periclitata est perire*] Similis locutio Ionae I, 4. *et navis periclitabatur conteri, καὶ πλοῖον ἐκινδύνευσε τοῦ συντριβῆναι.* Heb. *navis cogitabat conteri.* Id est, periculum erat, ne contereretur. Ita et Quintilianus, *periclitatur rumpi.*

p.318. GRABIUS: *Antiphanes in Theogonia*] Sine dubio est *Antiphanes* iste, cuius *Ἀφροδίτης γοναὶ* citantur ab Athenaeo pag. 487 et 666

p.319. seq. — *Veterem – inutilem*] Similiter adversus alios haereticos, inveteratarum ac inutilium iudaicarum fabularum sectatores, scribit s. Ignatius epist. ad Magnesianos §. 8. *Μὴ πλανᾶσθε ταῖς ἑτεροδοξίαις,*

μηδὲ μυθεύμασι παλαιοῖς ἀνωφελέσιν οὖσι. Ne seducamini falsis doctrinis, neque fabulis veteribus, quae inutiles sunt. — Plato vero p.320. *rursus materiam dicit* etc.] Apuleius lib. I. de doctrina Platonis: *Initia rerum tria arbitrabatur Plato, Deum et materiam, rerumque formas, quas ἰδέας idem vocat.* Cyrillus lib. II. contra Iulianum ante medium: *Καὶ πάλιν ὁ μὲν δὴ δεινὸς καὶ διαβόητος Πλάτων τρεῖς ἀρχὰς εἶναι τοῦ παντὸς διορίζεται, Θεὸν καὶ ὕλην καὶ εἶδος· καὶ Θεὸν μὲν εἶναί φησι τὸν ποιητήν· ὕλην δὲ τὸ ὑποκείμενον· εἶδος δὲ τὸ ἑκάστου τῶν γινομένων παράδειγμα. Rursus sapiens ille Plato et omnium praedicatione celeberrimus tria principia universi constituit; Deum, materiam et ideam. Deum opificem esse asserit; materiam, subiectum; ideam vero exemplar cuiuscunque eorum, quae fiunt.* Quae descripsit fere ex Iustini martyris Paraenesi ad Graecos pag. 5. edit. Sylburgii. Confer Menagii Notas ad lib. III. Diogenis Laërtii num. 69. — *Propter generositatem*] Se *spirituales* a matre p.321. Achamoth natos et *semina electionis* esse gloriabantur insani isti homunciones. Atque haec erat ipsorum *generositas*, graece *εὐγένεια*, ut ex veteribus glossis colligo. Eadem vox usurpatur a Tertulliano lib. IV. contra Marcionem cap. 5. ubi ecclesias ab apostolis fundatas per successionem episcoporum probari docet: *Sic*, inquit, *et ceterarum* (ecclesiarum) *generositas recognoscitur.* Et lib. de Carne Christi cap. 9. *Quomodo, inquam, comtemni et pati posset, sicut dixi, si quid in illa carne de generositate caelesti radiasset. — Quum sint cum eis eiusdem testamenti*] Graece *διαθήκης*, id est *συνωμοσίας*. Ita enim Hesychius in lexico: *Διαθήκη, συνωμοσίας ἑνικῶς, οὗ πληθυντικῶς τὰς διαθήκας ἔλεγον. Testamentum*, id est, *coniuratio*, vel sodalitium; (Nam et Plato lib. II de Republ. *ξυνωμοσίας καὶ ἑταιρείας* iungit). *In singulari, non plurali διαθῆκαι dicuntur*, in hac scilicet significatione. — *A Pythagoricis*] Ante Irenaeum Iusti- p.322. nus Orat. ad Graecos: *Pythagoras Samius*, ait, *Mnesarchi filius, arbitratur principium numeros et mensuras et horum concinnitates, elementaque ex utrisque composita; praeterea unitatem et infinitam dyada.* De his et Laërtius fusissime. *Feuard.* Ubi obiter notandum, citata Iustini verba, ut et plura, quae praecedunt de variis philosophorum circa rerum principia sententiis, ex Plutarchi lib. I. de Placitis philosophorum cap. 3. quod est *περὶ ἀρχῶν, τί ἐστιν*, petita esse. Ita enim huius verba sonant: *πάλιν δὲ ἀπὸ ἄλλης ἀρχῆς Πυθαγόρας Μνησάρχου, Σάμιος — ἀρχὰς τὰς ἀριθμοὺς καὶ τὰς συμμετρίας τὰς ἐν τούτοις, ἃς καὶ ἁρμονίας καλεῖ, τὰ δὲ ἐξ ἀμφοτέρων στοιχεῖα, καλούμενα δὲ γεωμετρικά. Πάλιν δὲ τὴν μονάδα καὶ ἀόριστον δυάδα ἐν ταῖς ἀρχαῖς.* Quae a Iustini textu pag. 3. edit. Sylburg. in fine nihil fere discrepant, nisi quod hîc *συμμετρίας* et *ἁρμονίας* numerorum distinctas faciat, quum Plutarchus ut synonyma ista acceperit. — *Et initium ipsorum parem et* p.323. *imparem*] Similiter Aristoteles lib. I. Metaphysicorum cap. 5. Pythagoreorum sententiam exponit his verbis: *φαίνονται δὲ καὶ οὗτοι τὸν ἀριθμὸν νομίζοντες ἀρχὴν εἶναι — τοῦ δὲ ἀριθμοῦ στοιχεῖα τὸ ἄρτιον καὶ τὸ περιττόν· τούτων δὲ τὸ μὲν πεπερασμένον, τὸ δὲ ἄπειρον. Videntur etiam isti numerum existimare principium esse —*

numeri autem elementa par et impar, quorum alterum finitum, alterum infinitum faciunt. Par scilicet infinitum, finitum vero impar, ut ex mox dicendis patebit. — *Ex quibus et ea, quae sensibilia et insensata sunt, subiecerunt*] Ἐξ ὧν καὶ τὰ αἰσθητά, καὶ τὰ ἀναίσθητα ὑπετίθεντο. *Ex quibus tam sensibilia, quam ea, quae sub sensum haud cadunt, esse supponunt. Sensibilia* autem sive visibilia ad *parem, insensata* sive invisibilia ad *imparem* numerum referenda esse, patet ex verbis Aristotelis lib. III. Physicorum cap. 4. §. 4. *Pythagorei ponunt infinitum in rebus sensibilibus,* ἐν τοῖς αἰσθητοῖς, *quia numerum haud statuunt separatum; atque asserunt id, quod est extra caelum, esse infinitum,* καὶ εἶναι δὲ τὸ ἔξω τοῦ οὐρανοῦ ἄπειρον. Atqui mox §. 5. subdit: καὶ οἱ μὲν τὸ ἄπειρον εἶναι τὸ ἄρτιον. *Et illi quidem infinitum* aiunt *esse par.* Confer Themistium, Simplicium, Philoponum aliosque in hunc locum commentatores. Quibus accedit Eustratius in lib. I. Ethic. *Δύο συστοιχίας ὁ Πυθαγόρας ἐξέθετο, μίαν μὲν ταύτην πέρας, περιττόν· ἑτέραν δὲ ταύτην ἄπειρον, ἄρτιον. Duos ordines statuerat Pythagoras: unum quidem finitum, impar; alterum vero infinitum, par.* Quum itaque ex Pythagoreorum sententia par ac infinitum coincidant, infinitum autem in rebus sensibilibus exsistat, ex pari sensibilia, ex impari insensibilia ortum duxerint necesse est. — *Et altera quidem substitutionis initia esse; altera autem sensationis et substantiae*] Locum hunc difficillimum sicco pede transiit Feuardentius, nec hisce obscurissimis ullam attulit lucem; an aliquam afferre queam, tentabo. Per *sensationem* et *substantiam* designata mihi videtur *materia;* per *substitutionem* vero *forma* rerum. Nam nullo verbo interposito sequitur: *Ex quibus primis omnia perfecta dicunt, quemadmodum statuam de aeramento et formatione.* Et quidem *materiam* inde *sensationem atque substantiam* dictam patet, quod ea sit sensibilis et subsistens; unde vero *formae* nomen *substitutionis*? Posset forte cuipiam hanc rem cogitanti in mentem venire, quod pro *οὐσίᾳ substantiam* dixerit interpres, pro *ὑποστάσει* vero *substitutionem;* quodque nomen *ὑποστάσεως* formae datum sit, quia illa dat esse rei, uti Scholastici loquuntur, et rem facit proprie *ὑφιστάνειν.* Neque enim, ut Alexander in lib. II. Aristotelis de anima scribit, ἡ ὕλη αὐτὴ καθ' αὑτὴν ὑπόστασιν ἔχειν δύναται, ὅτι μηδέπω εἶδός ἐστιν ἐν αὐτῇ. Sed huic coniecturae obstat, quod interpres *ὑπόστασιν* semper voce *substantiae* expresserit, quodque lib. V. cap. 36. haec verba: οὐχ ἡ ὑπόστασις, οὐδὲ ἡ οὐσία τῆς κτίσεως ἐξαφανίζεται, reddiderit: *Non enim substantia, neque materia conditionis exterminatur.* Et hoc igitur loco *οὐσίαν* ac *ὑπόστασιν* ita latine vertere in promtu erat, nec necesse obscuro *substitutionis* vocabulo uti. Alia itaque opus est coniectura. Suppeditat eam vetus glossarium, quod inspicienti mihi occurrit *substitutio ὑποκατάστασις,* indeque suspicio incidit, in graeco textu loco *substantiae* vocem *ὑποστάσεως,* loco *substitutionis* vero *ὑποκαταστάσεως* exstitisse, ut adeo *παρονομασίᾳ* luserit Irenaeus, vel secta Pythagoricorum. Formae vero rerum materialium sublunarium Pythagoreis ideo forte *ὑποκαταστάσεως* nomine appellatae sunt, quod hae expressae ipsis viderentur, secundum speciem supernarum

καταστάσεων i. e. formarum, sive idearum. Haec enim synonyma sunt, ac proinde Galenus lib. I. de Crisibus ait, Hippocratem τῶν νοσημάτων καταστάσεις vocasse οἷον τὰς ἰδέας αὐτῶν. Meliora si quis afferat, ea hisce missis libenter acceptabo. — *Ex quibus primis*] Id est materia et forma, tanquam primis rerum principiis. — *Hoc autem ii his, qui sunt extra Pleroma aptaverunt*] Haec enim inferiora omnia ex materia et forma componuntur. — *Sensationis autem initia dixerunt, in quem* etc.] Textus hoc loco corruptus, ita videtur corrigendus: *Sensationis autem initia dixerunt, in quantum,* graece ἐφ' ὅσον (pro *in quem;* nam utraque vox eodem fere modo abbreviata in quibusdam MSS. occurrit) *sensus intelligens* (omisso *est;* graece διάνοια συνιεῖσα) *eius quod primum assumtum est, quaerit quoadusque defatigatus,* (pro *defatigata*) *ad unum et indivisibile concurrat. Defatigata* autem ex graeco καταπεπονημένη vel κεκοπωμένη posuit interpres, velut oblitus, quod praecedentem graecam vocem διάνοια latina masculini generis verterit. Ceterum haec Pythagoreorum effata respondere videntur istis haereticorum hypothesibus, quibus originem materiae deducebant ex temeraria inquisitione primi Patris et inordinata Enthymesi, sive intentione magnitudinem illius comprehendendi, qua Sophia laboravit, extra Pleroma eiecta et recepta tandem, nihilominus post se pravam istam intentionem reliquit, ex qua Creatorem mundi et post eum creaturas ab eo conditas prodiisse insani homines fingebant, uti cap. 1. libri I. prolixe expositum legitur. — *Vocum novitates*] An interpres ex Irenaei graeco p.324. καινοφωνίας, vel pro more ex veteri latina Bibliorum versione *vocum novitates* posuerit, ambiguus haereo. De hac fidem abunde faciunt post Tertullianum de Praescript. adversus haereticos cap. 16. Ambrosiaster in Comment. ad 1. Timoth. 6. Augustinus Tract. 97. in Ioannem, aliique Latini. De graeco autem tam s. Pauli, quam Irenaei textu dubium videri posset. Fuere enim graeci Patres, qui καινοφωνίας legerunt, interque hos Chrysostomus, de quo Oecumenius et Theophylactus ambo ad hunc locum Pauli scribunt: ὁ μακάριος Ἰωάννης τὰς νεωτέρας παραινέσεις καινοφωνίας εἶπε, διὰ τῆς αι διφθόγγου τὸ καὶ γράφων, ὡς ἔοικε. *Beatus autem Ioannes* recentiores admonitiones *dixit* vocum novitates, *legens, ut videtur,* καινοφωνίας *per αι diphthongum in prima.* Ac licet apud Chrysostomum loco citato in editis nostris exemplaribus legamus κενοφωνίας, ipsum tamen scripsisse vel legisse καινοφωνίας, praeter citatos auctores, id plane confirmat, quod in loco parallelo 2. ad Timoth. 2, 16. tam in textu, quam in commentario καινοφωνίας expresserit. Fieri igitur potuit, ut et s. Irenaeus ita legerit scripseritque. Quidquid vero de Irenaeo statuatur, in epistola b. apostoli genuinam esse lectionem κενοφωνίας, quam post Clementem Alexandrinum loco mox citando post Oecumenium et Theophylactum, in vulgatis exemplaribus graecis nos agnoscimus, omnes largientur, puto, qui hunc locum contulerint cum altero Coloss. 2, 8: Βλέπετε μήτις ὑμᾶς ἔσται ὁ συλαγωγῶν διὰ τῆς φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπάτης. Ubi licet in Alexandrino codice iterum καινῆς legatur, per errorem tamen librarii id factum patet; ex quo et supra citato in loco variam lectionem ortam esse,

mihi nullum est dubium. — *Falsae agnitionis*] Irenaeum apostolicam phrasin *ψευδωνύμου γνώσεως*, quam alias in ipso huius operis titulo expressit, hoc quoque loco retinuisse existimo, licet vetus interpretatio non *falso nominatae*, sed *falsae* agnitionis habeat, quasi *ψευδοῦς* in graeco fuisset. Confer Praefationes libri IV. et V. Ceterum notatu digna est Clementis Alexandrini observatio lib. I. Stromatum pag. 383. ubi citatis apostoli verbis haec subdit: *ὑπὸ ταύτης ἐλεγχόμενοι τῆς φωνῆς οἱ ἀπὸ τῶν αἱρέσεων, τὰς πρὸς Τιμόθεον ἀθετοῦσιν ἐπιστολάς. Quum ab hac voce redarguantur haeretici, epistolas ad Timotheum abrogant.* Id quod de Marcione constat ex Tertulliani lib. V. adversus hunc haeresiarcham in fine, ex Epiphanii haeres. XLII. Neque mirum: quippe eum aperte feriebat prophetia apostoli 1. Timoth.
p.326. 4, 1 seqq. — *Ex his, qui in labe facti sunt, Aeonibus habuisse substantiam*] Atqui, dices, Soter, sive Iesus ex omnibus Aeonibus substantiam habuit; Christus a Monogene Propatoris originem cepit; ast sola Sophia, ultimum inter triginta Aeones locum tenens, in labe facta est, et poenam inquisitionis incogniti Patris debitam sustinuit: quomodo ergo hîc omnes Aeones, ipseque Monogenes, in labe facti dicuntur? Responsionem suppeditant, quae leguntur supra pag. 10: *Quae* (passio, qua Sophia laboravit) *exorsa fuerat in iis, quae sunt erga Nun et Alethiam; derivavit autem in hunc Aeonem, id est Sophiam.* Confer infra cap. 24. Et Nus itaque cum reliquis Aeonibus,
p.327. huius passionis sive labis quodammodo participes fuere. — *Confusio*] (*Confessio* legit Grab. ita scribens:) Haec Cod. Voss. lectio melius placet, quam *confusio*, ut in reliquis exemplaribus legitur. Dum enim Christum, Soterem, Sophiam nominabant haeretici, errorem atque labem procul ab iis esse confitebantur.

p.318. MASSUETUS: *Antiphanes*] Quis sit iste Antiphanes, vix dici potest. Plures eius nominis leguntur poëtae comici; alter Smyrnaeus vel Rhodius, qui teste Suida vixit Olympiade 93. cuiusque non semel meminit Athenaeus; alter Bergaeus, quem memorat Stephanus in *Βέργη*; alter Atheniensis, Panaetio iunior. Sed nullus eorum memoratur *Theogoniam* scripsisse. Satis verisimilis tamen doctissimi Grabii coniectura, Antiphanem hîc citatum, eum esse, cuius *Ἀφροδίτης γοναὶ* citantur ab Athenaeo p. 487. et 666. quique ab Irenaeo de *Theogonia* scripsisse dictus fuerit, non quod forte librum ullum sub hoc titulo
p.319. vulgaverit, sed quod de *Veneris prosapia* scripserit. — *Finctum superficium*] Sic MSS. omnes, tum nostri, tum Anglic. quoad vocem *finctum*; et quoad *superficium*, saltem Clarom. et Arund. (nam de Voss. et Merc. II. nec affirmare potest Grabius) quoad utramque, margines editt. Erasm. Gallas. ac Feuard. nisi quod pro *finctum* habent, (quod idem est) *fictum*. Sed in textu habent *superficiem*, omittunt vero *finctum* vel *fictum*. Porro ea vox *superficium*, eo saltem sensu, qui huc quadret, mihi hactenus invisa. Legitur quidem in Inscriptionibus Gruteri pag. 138. col. 2. et pag. 608. Inscript. 8. sed, ut notat eruditissimus Cangius in Glossario latino, ibi significare videtur, *ἐποικοδόμημα*. In Glossario Cyrilli, *superficium, ἀνώγεων, ὑπερῷον;* sed haec nihil ad rem nostram faciunt. Perspicuum est enim ex contextu sermonis, *superficium* hic *vestem quandam exteriorem* significare, eam

forte quae a graecis ἐπενδύτης, et in vet. Glossario *superaria* dicitur. Nam in Glossis Isidori dictis, *superaria, est vestis quae superinduitur:* inde ab interpr. Irenaei dicta *superficium,* quod ceteris supereminēret ac superponeretur. In hac significatione *superficiem* usurpari a Tertulliano libr. de Cultu Fem. cap. 11. et 13. existimat Grab. Putem ego, *superficiem* ibi generalius a Tertulliano accipi pro toto corporis habitu exteriori, qui oculis subiicitur. Consule sis loca. — *Subsuta sunt*] In editt. Erasm. Gallas. et Feuard. *subsecuti sunt.* At longe melior lectio *subsuta sunt,* quam ex cod. Voss. expressit Grab. quaeque cum praecedentibus optime cohaeret: *quasi centonem ex multis et pessimis panniculis consarcientes.* In cod. Clarom. scriptum quidem fuit *subsuta,* sed additus postea apex supra primum *u.* Unde videtur emendatoris consilium fuisse, ut legeretur *sumbta* seu *sumpta;* (non infrequenter enim in hoc MS. *b* scribitur pro *p*) quae lectio et ipsa bona est, et cum antecedentibus congruit. Quare utrumvis legas *subsuta* an *sumpta,* bene legas. — *Aquam dixit esse*] Genuinam hanc p.320. lectionem solus suppeditat cod. Clarom. in aliis omnibus cum editt. tum MSS. corrupte *aquam dixisse.* — *Quid esse*] Sic Erasm. Gallas. Feuard. edit. 1576 et codd. Clarom. Arund. et Merc. II. In altera Feuard. edit. Colon. et in Oxon. *quid esset;* male: nam praeterquam quod constructionis ordo sic legi non sinit, mox sequitur: *hi esse quidem illa — vocant — non esse autem haec* etc. — *Materiam — et exemplum, et Deum*] Haec tria sunt Platonis principia omnibus nota, de quibus fuse Dissert. I. diximus. — *Propter generositatem*] Graece p.321. διὰ τὴν εὐγένειαν, i. e. propter generis splendorem; id enim in Gloss. vet. significant εὐγένεια et *generositas.* Sic fere generositatem accipit Tertull. lib. IV. contra Marc. c. 5. ubi ecclesias ab apostolis fundatas esse probans: *Sic,* inquit, *et ceterarum* (ecclesiarum) *generositas recognoscitur.* Ubi *generositas* pro *origine* usurpatur, ut ante me observavit Grab. Vide et lib. de Carne Christi c. 9. Porro *generositatem* suam iactabant Valentiniani, quia ex angelico semine progenitos esse se et semina electionis gloriabantur. — *Quum sint eiusdem testamenti*] Vertendum erat; *quum sint eiusdem societatis, sodalitii, foederis.* Vox enim graeca διαθήκη, qua hic usus est Irenaeus, in singulari accipitur pro συνωμοσία, *coniuratione, sodalitio:* διαθῆκαι vero in plurali pro *testamento,* inquit Hesychius in lexico. Quin et ea voce *foedus, pactum* (quod eodem redit) interdum significari, vel ipsa vulgata lexica docent et Scripturae sacrae usus. — *Primum* p.322. *enim hi initium omnium numeros substituerunt* etc.] Haec eadem ante Irenaeum Plutarchus dixit lib. I. de Placitis philosophorum. c. 3. Verba referre non pigebit: ex iis enim Irenaei sententiae paullo obscuriori lux accedet. *Πυθαγόρας Μνησάρχου Σάμιος, ὁ τρῶτος φιλοσοφίαν τούτῳ τῷ ῥήματι προσαγορεύσας, ἀρχὰς τοὺς ἀριθμοὺς καὶ τὰς συμμετρίας τὰς ἐν τούτοις, ἃς καὶ ἁρμονίας καλεῖ, τὰ δὲ ἐξ ἀμφοτέρων σύνθετα στοιχεῖα, καλούμενα δὲ γεωμετρικά. Πάλιν δὲ τὴν μονάδα καὶ τὴν ἀόριστον δυάδα ἐν ταῖς ἀρχαῖς. Σπεύδει δὲ αὐτῷ τῶν ἀρχῶν ἡ μὲν ἐπὶ τὸ ποιητικὸν αἴτιον καὶ εἰδικόν, ὅπερ ἐστὶ νοῦς ὁ Θεός, ἡ δὲ ἐπὶ τὸ παθητικόν τε καὶ ὑλικόν, ὅπερ ἐστὶν ὁ ὁρατὸς κόσμος. Pythagoras Mnesarchi filius, Samius, is qui pri-*

mus philosophi nomen usurpavit, rerum principia censuit esse numeros, eorumque inter se proportiones, quas et harmonias vocat, et ex utrisque composita elementa, quae geometrica dicuntur. Rursus unitatem et indefinitum binarium in principiis ponit. Tendunt autem principia eius, alterum ad caussam effectricem et formalem, quae mens est, Deus: alterum ad patibilem et materialem, quae est mundus hic adspectabilis. Ex quibus haud obscure colligitur, totum istud Pythagoricorum numerorum mysterium in verbis haesisse, re eandem fuisse cum ceteris philosophis, de rerum naturalium principiis, sententiam. Quod enim hi *materiam et formam* dicebant, illi *numeros, numerorumque proportionem et concentum,* seu *unitatem et binarium* vocabant; per *numeros,* et *binarium,* materiam; per *unitatem, numerorumque proportionem,* formam, seu, quod idem est, materiam certo partium numero, certo ordine et mensura distinctam ac dispositam certoque motu agitatam, designantes. Rem totam, si quid dubii adhuc supersit, explicat Simplicius ad Phys. lib. I. *Εἰ δὲ τὸ εἶδος ἕν, τὴν δὲ ὕλην δύο, κατὰ τὸ Πυθαγόρειον ἔθος, διὰ τῶν ἀριθμῶν σημαίνων πράγματα, εἰκότως ἓν μὲν τὸ εἶδος ἔλεγεν, ὡς ὁρίζον ὅπερ ἂν καταλάβῃ, καὶ περατοῦν· δύο δὲ τὴν ὕλην, ὡς ἀόριστον, καὶ ὄγκου διαιρέσεως αἰτίαν. Si autem formam unum, materiam vero duo, more Pythagorico res significans, merito unum quidem formam dixit, ut quae finiat terminetque quod comprehenderit: duo autem materiam, ut indefinitam, et quae tumoris caussa sit et divisionis.* Clara sunt haec. Binarius materia est, quia quemadmodum binarius iam dividi potest, et multitudinem facere; sic et materiae dividi et extendi proprium est. Indefinitum autem binarium appellant, quod, inquit Themistius lib. I. de Anima, *terminum proprium non habeat, sed ab unitate terminum uniuscuiusque speciei accipiat.* Unum vero forma est, quia sicut unitas numerum finit terminatque; sic et forma materiam definit, et ad certam quandam speciem determinat. Formam etiam, et Deum et mentem appellabant, quod sicuti Deus rebus universis, mens corpori quod regit; sic et forma materiae motum, effi- centiam et vitam inspirat. Haec ad explicationem difficilis Irenaei loc. omissis, non tamen spretis, Grabii notis, praemittere operae pretium duxi. Iam planus evadit, ex dictis, Irenaei sensus. Primo generatim asserit, Pythagoreos rerum omnium principium in numeris reposuisse, quod verum est; tum id accuratius explicans subiungit, *initium ipsorum* esse *parem et imparem,* id est, omnium principium esse binarium numerum (qui par est) seu materiam; et unitatem, imparem scilicet numerum, seu formam: ex quibus cum *sensibilia,* tum *insensata,* i. e. sensu tum praedita, tum destituta constitui volunt. Hic enim *sensibilia* pro *sensu praedita,* nec ita iam semel, posuit interpres. Tum pergit Irenaeus: *et altera quidem substitutionis initia esse: altera autem sensationis et substantiae.* Graece, ni fallor, *καὶ τὰ μὲν ὑποκαταστάσεως ἀρχὰς εἶναι, τὰ δὲ νοήσεως, καὶ οὐσίας.* Quasi diceret: *Et altera quidem principia materiallia esse, altera formalia.* Nempe materiam *ὑποκατάστασιν, substitutionem,* vocat, quia formis omnibus substituitur, seu subiicitur, omnes excipiens, omnium subiectum; formam vero *νόησιν* et *οὐσίαν,* ex Pythagoreorum

mente, qui formam *νοῦν* et *οὐσίαν* passim nuncupabant. Hancque nostram explicationem confirmant, quae subdit Irenaeus: *ex quibus primis omnia perfecta dicunt, quemadmodum statuam de aeramento et de formatione.* Ex materia siquidem et forma, tanquam *primis* principiis *perfecta omnia* dicebant Pythagorici. Et in exemplo allato, quo mentem explicat Irenaeus, statuae materia *aeramentum* est; utpote quod *formationi,* vel formae substituatur, id est, subiiciatur. — *Sensationis autem initia dixerunt* etc.] Locum hunc mutilum esse, et p.323.
quidpiam e textu excidisse puto: nec enim haec quae supersunt, cohaerere videntur vel secum invicem, vel cum praecedentibus et subsequentibus. Sic corrigendum censet Grabius: *sensationis autem initia dixerunt, in quantum,* graece *ἐφ' ὅσον* (pro *in quem;* nam utraque vox eodem fere modo abbreviata in quibusdam MSS. occurrit) *sensus intelligens,* (omisso *est,* graece *διάνοια συνεῖσα*) *eius quod primum assumtum est, quaerit quoadusque defatigatus* (pro *defatigata*) *ad unum et indivisibile concurrat.* Sic ille. Sed haec explicatio textus tenebras non omnino dispellit. Sic igitur locum perobscurum explicari utcunque posse putem. Nempe rationem affert Irenaeus, cur formam *sensationis initium* dixerint Pythagorei. Quia, inquit, sensus, seu mens rei cuiuspiam naturam investigare sollicita, *intelligens id quod primum assumtum est,* materiam scilicet, quae tum primum exploranti sese offert, non illic tamen conquiescit: quum enim materia sit vagum quid et omnino incertum, ea proinde cognita nulla res distincte cognoscitur, aut ad genus aliquod definitum revocari potest. Rursus igitur mens *quaerit,* ac singulas, quae materiae insunt, proprietates, affectiones et qualitates penitius inspicit, donec tandem accuratiori examine veluti *defatigata, ad unum et indivisibile,* formam nimirum *concurrat* seu deveniat. Formam itaque ex Pythagoreorum mente, *sensationis initium* dici vult, quia primarium ac praecipuum mentis, compositi cuiuspiam naturam et partes investigantis obiectum, ac eiusdem inquisitionum et actionum finis et terminus est. Loci huius ambages resolvat melius qui possit. — *Vocum novitates*] Vel p.324.
scripsit Irenaeus, vel saltem legit interpres *καινοφωνίας.* Sic etiam legit Chrysostomus, saltem in 2. ad Timoth. 2, 16. et omnes fere Latini cum vulgato novi Test. interprete scribunt *vocum novitates.* At graecus N. Test. textus hodiernus habet *κενοφωνίας.* — *Semen paternale*] *Vel* ante *semen* ponendum esse, contextus orationis demonstrat. Idque confirmat, quod mox sequitur, *vel mater, vel semen.* — *Paullatim mansueti dissuadentes*] Hic per imperitiam scribarum male p.325.
legentium corruptus est textus. Legendum: *paullatim assuetis his suadentes;* i. e. *paullatim per assueta suadentes.* Hoc ipsum enim est quod superius dixerat: *attrahentes per ea, quae assueti sunt;* et postea: *blandientes per assueta pabula.* — *Per pithanologiam*] Id est, per sermonem quadam vi alliciendi et suadendi pollentem. — *Insenescibilem*] Erasm. et Gallas. perperam *innascibilem;* nec melius p.326.
MSS. omnes *insensibilem.* Genuina lectio est quam Feuard. ex solius Fronton. Ducaei iudicio reposuit: nam lib. I. c. 1. ubi istorum Aeonum graeca nomina referuntur, scribitur *Ageratos* et *Henosis.* — *Aenon*] Billii iudicio *Ainon* hic reposuit Feuard. pro *Aenon.* Hunc

secutus est Grabius, quum tamen uterque lib. I. c. 1. scripserit *Aenos* non *Ainos*. Quum igitur in omnibus aliis codd. tum hîc, tum cap. 1. cit. legatur *Aenos*, et Latini plerumque diphthongum graecam *αι* per *ae* exqrimant, a vulgata codd. omnium lectione recedere superfluum duxi. — *Ex his, qui in labe facti sunt* etc.] Haec ad Christum superiorem, eum quem a No seu Monogene, una cum Spiritu sancto emissum legimus lib. I. c. 2. referri non possunt; neque enim ille *ex his qui in labe facti sunt Aeonibus habuisse substantiam dici potest;* utpote qui ortum ducat a Monogene solo, qui labis particeps nusquam exstitit. Frustraque Grabius contrarium probare nititur ex iis cap. 1. verbis: *quae* (passio, qua laboravit Sophia) *exorsa fuerat in iis, quae sunt erga Nun et Alethiam*; *derivavit autem in hunc Aeonem, id est, Sophiam.* Haec enim illud duntaxat probant, *passionem* in iis, quos genuit Nus Aeonibus, sed non in ipso Nu initium habuisse. Quod ex huius lib. II. cap. 16. n. 7. evidenter confirmatur, ubi conceptis verbis asseritur, passionem *a Logo coepisse.* Itaque de solo Christo inferiori hîc sermo est, quem duplici nomine et *Christi* et *Soteris* designat Irenaeus; quique *ex his qui in labe facti sunt Aeonibus, habuisse substantiam* dicitur, quod ab omnibus Aeonibus simul conspirantibus editus fuerit, ab iis etiam proinde quos labes infecerat, id est Logo, ceterisque inferioribus. Hanc ergo periodum sic construas et explices velim: *Christum autem,* (supple *cum omni diligentia exposuimus*) *quem postgenitum his omnibus emissum esse dicunt, et Sotera; aut ex his qui in labe* etc. Id est: De Christo etiam diligenter egimus, quem veluti ceterorum Aeonum nepotem, aut ceteris Aeonibus iuniorem esse dicunt, et Sotera vocant; aut ex his qui in labe facti sunt Aeonibus,
p.327. habuisse substantiam asserunt. — *Confusio*] In codd. Clarom. et Voss. *confessio,* quam lectionem Grabio sequi placuit, sed minus recte. Vox enim *confusio* magis quadrat ad praecedens *mendacium* et ad id, quod mox sequitur: *ipsi autem detrahunt Aeonibus suis huiusmodi appellationibus multis* etc.

CAP. XV.

p.328. FEUARDENTIUS: *Revertamur*] Urget crebris percontationibus Gnosticos, ut rationem reddant de Aeonum emissionibus, numeris, imaginibus et partitionibus, ut vel huius penuria confusi conticescant, vel absurdiora comminiscentes exsibilentur. — *Prima et archegonos*] Quaerit quamobrem octo tantum Aeones in principali Pleromatis coniugatione ac emissione constituerint, nec plures, nec pauciores, quum et numerus ternarius, quinarius et septenarius suis mysteriis non careant? Deinde, cur non etiam ex coniugatione Logi et Zoës nac plures nec pauciores, quam decem prodierint? Denique, qui fit, ut Anthropos et Ecclesia duodecim tantummodo pepererint? Horum rationes aut solidas probationes quum adferre non possent, concludit plane
p.329. anilia esse deliramenta. — *Qui sunt conditionis*] Hoc nomine hîc et in sequentibus frequentissime omnes species inferne creatas et visibiles intelligit. Ita et Tertull. lib. de Resur. car. *Impii ipsam conditionem colunt adversus Creatorem.* — *Apta est rhythmisatio*] Plura de hoc nomine disserit August. lib. 3. et 5. Musicae: Sed hîc tan-

tum voce ea illam superstitiosam Aeonum et emissionum enumerationem Irenaeum velle significare puto.

GRABIUS: *Rhythmizati*] Pro infinitivo *rhythmizari,* ut in Erasm. et Gall. legitur, Feuard. restituit *rhythmizati,* quomodo et Arund. Voss. et Merc. II. habent. Quaecunque autem eligatur lectio, vitio haud caret versio. Quippe si in graeco fuit: *ὡς καλῶς ῥυθμιζομένου τὴν οὐσίαν, ῥυθμίζομαι* active sumendum, indeque reddendum erat, *utpote bene disponentis* (vel *ordinantis*) *essentiam* sive materiam; sin autem graece scriptum fuit: *ὥστε καλῶς ῥυθμίζεσθαι τὴν οὐσίαν,* vertendum erat: *ita ut bene formaretur essentia.* p.329.

MASSUETUS: *Numerum, nihil tangentes* etc.] Sensus est: *quid utique divisio facta est in tres et non in quatuor vel quinque etc. nihil tangentes,* id est, *solutos ab iis numeris, qui in rebus creatis observantur tam perfecte consonare cum supernis illis numeris? — Dicunt, et oportet ea*] *Habere* ante *dicunt,* et *cum* ante *ea* nullis in MSS. comparent, et sensum prorsus pervertunt. Haec autem, quae parenthesi includuntur, sic explico: *Quum rebus antiquior sit emissionum ordo et numerus, oportet eos propriam a semetipsis habere caussam; non quae a specierum inferne creatarum constitutione repetatur, sed quae hac prior et antiquior sit. — Erga consonantiam*] In aliis perperam *extra.* Porro *erga consonantiam,* graece *περὶ ἁρμονίαν,* scripsit interpres pro *circa consonantiam* vel *de consonantia;* nec ita semel. p.329.

CAP. XVI.

FEUARDENTIUS: *Si autem nulli*] Tam frequens Gnosticorum Pleroma ex propria ipsorum dispositione evertit, ad immensas idearum ideas illos adigens: simul Basilidis de caelis CCCLXV mataeologias et commenta, quae lib. I. cap. 22. et 23. enarraverat, quasi per transennam confutat, pie tandem colligens longe tutius et salubrius esse, in unius et solius Dei confessione permanere, quam tanta impietatum examina confingere. — *Quando*] Quantus sit numerus sphaerarum caelestium, parum inter se conveniunt philosophi et theologi. Unicam vult Chrysostomus; duas Origenes; de tribus non ambigit Damascenus; quosdam quatuor, alios septem, multos octo constituisse testis est Augustinus, 12. de Genesi, cap. 30. nonam addere Ptolemaeo et Alphragano visum est; Alphonsus, Lignerius et Regiomontanus experientia et ratione moti decimam adiiciunt; magna nunc confidentia theologi his undecimam connectunt; quam a lucis fulgore Empyreum caelum appellant. Gnosticis propior accedit Aristoteles, qui 12. Metaphysices, 47. aut 55. caelestes orbes esse per se motos, totidemque motores admisit. Nos interea dum conciliabuntur, Augustino obsecuti, illuc potius satagemus pervenire. — *Etenim hoc quod*] Initium huius capitis est pars dilemmatis praecedentis. Complectitur autem, quid Valentiniani Catholicis, Basilidis sectatores Valentinianis, et utrisque rursus alii obiiciebant. Investigat deinde, uniti, an divisi; eiusdem substantiae participes, an alterius; tempore eodem an diverso; eiusdem formae, an differentes; simplices, an compositi emissi fuerint conficti illi Aeones, responsionum partes omnes eadem opera refellens. p.330. p.331.

p.332. MASSUETUS: *Quae est — ogdoadas*] Ita Clarom. Voss. Merc. II. et Grab., ceteri *ogdoades*. Sed pro *quae est* legendum putat Grabius *quod est*, scilicet Pleroma. Ego vero servata voce *quae*, legerem *ogdoas* pro *ogdoadas*. Forte *ogdoadas* posuerit interpres pro *ogdoas*, quasi alterutram vocem adhibere promiscuum foret. Nam supra cap. 12. n. 5. pro *prima et principalis ogdoas*, cod. Clarom. habet *prima et principalis ogdoadas*; quod et alibi legisse me puto.

CAP. XVII.

p.332. FEUARDENTIUS: *Eius igitur*] Codices excusi omnes habebant *eius*. *Igitur quae sunt secundum* etc. — *Huius rei*] Indicat se pii alicuius haud dubie et catholici pastoris precibus et adhortatione hanc in Gnosticos scribendi provinciam suscepisse: cuius rei quoque meminit Praefatione in librum primum, et apertius initio libri quinti. —
p.333. *Quaeritur igitur*] Iam crebris et acutis interrogationibus Gnosticos urget, quas quum nequeant solvere, recte concludit inania et exsibilanda esse figmenta, quaecunque de Bytho, Pleromate et coniugationi-
p.334. bus Aeonum fabulabantur. — *Si autem velut*] Ex ortu, successione, aetate, substantia et passionibus Aeonum, colligit fictitios esse: proinde illis omissis ad unum omnium rerum principium redeundum. — *Iuvenius*] *Νεώτερον*, recentius, posterius. Comparativis istiusmodi non raro utitur, ut supra cap. 19. *Novius aliquid*. Et proximo capite *iuvenior aliquis*. Et cap. 33. *Qui est decorior*. Homini graeco latine scribenti haec facile condonantur: quanquam etiam apud Columellam lib. IX. cap. 11. legatur *iuvenius examen*. — *Labes igitur eius*] Convincit impia et insana esse deliramenta illa de labe ignorantiae producta a primo Patre, quum in eum ignorantia non cadat; simulque de iunioris Aeonis ementita ab ipsis passione et aporia, quando eiusmodi passionum Deus sit expers, eiusque Verbum et Sapientia, ut Deus est; quin potius ipsa una cum fictitia matre in profundum ignorationis demerguntur et suis ipsi verbis blasphemare convincuntur. —
p.335. *Et si quis stellas dicat eos*] Sensus est: Etiamsi suos Aeones stellas esse dixerint, nihilominus eiusdem erunt genere substantiae: sicque omnes aut patibiles aut impatibiles, lucidi vel obscuri. — *Si autem impium*] Impietatis eos arguit, quod Deum Patrem omnium passionibus et molestiis subiicerent, quam blasphemiam instaurare conati sunt
p.336. Patripassiani. — *Sed Nus Pater*] Lactantius lib. I. cap. 5. Deum puram mentem et esse et dici etiam ab ethnicis probat ex hoc loco Cic.: *Nec Deus, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quaedam, et libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens et movens.* — *Non igitur iam Logos*] Errorem hunc, quo Filium Dei Patrem ignorare contendebant, Origenem postea amplexum esse, citatis eius verbis, ait Epiphanius; quo tamen eum liberare conatur Pamphilus martyr seu Eusebius in Apolog. vultque a sycophantis virus istud in eius opera effusum, ut tanti hominis famam obscurarent, vel haereses suas latius spargerent. — *Quum*
p.337. *sit a tali*] Delevimus *at illi* auct. vet. cod. — *Quacunque*] Expunxi-
p.338. mus *quandocunque*. — *Et quemadmodum*] Perpetuo fere pro *quomodo*. Docet autem vere deliram et stolidam esse eam probationem

ignorantiae Aeonum, quam a caeci nati petebant historia. Insuper, eos omnino perversos et excaecatos esse, qui caussam mali ac supinae hominum ignorantiae, divinae tribuerent voluntati.

GRABIUS: *Habentes*] Legendum, nisi me animus fallit, *habentis.* p.332. Duos enim genitivos graecos *ταύτης ἐχούσης* in latino retinere Interpreti pro more placuisse videtur, quum per duos ablativos *ea habente* reddendi essent. Sed et vulgata lectio retineri potest. — *Et nos de his quae non sunt quaerentes*] Repete *propter;* et ita intelligo: *propter eos, qui nos de his, quae non sunt, quaerunt.* Irenaeus graece scripsisse videtur: *δι' αὐτῶν ἄνοιαν καὶ τοὺς ἡμᾶς περὶ τῶν οὐκ ὄντων ζητοῦντας.* — *Velut a lumine — velut a facula faculae*] p.334. Eadem similitudine Filii Dei a Patre generationem illustrarunt Iustinus martyr in Dialogo cum Tryphone Iudaeo pag. 284. et 358. eumque imitatus est non modo Pseudo-Iustinus in Expositione fidei pag. 380. sed et genuinus eius discipulus Tatianus in Oratione ad Graecos pag. 145. ac Athenagoras in Legatione pro Christianis pag. 27. Unde nihil novi statuerunt Nicaeni Patres, dum Filium Dei dixerunt *Deum de Deo, lumen de lumine.* Merito quoque addiderunt *ὁμοούσιον πατρί,* perinde ut Irenaeus noster ex eo, quod *Aeones a Logo, velut lumina a lumine accensa* dicuntur, collegit, quod *eiusdem substantiae sint cum principe emissionis ipsorum.* — *Quomodo a sole radios*] p.335. Eodem inter alia simili, ad declarandam Filii a Deo Patre generationem, usus est Tertullianus lib. contra Praxean cap. 8. *Nec dubitaverim dicere Filium, et radicis fruticem, et fontis fluvium, et solis radium* etc. — *Et quemadmodum*] (Adnotatione Feuardentiana alle- p.338. gata sic pergit:) Verum Irenaeus hoc loco non probationem ignorantiae Aeonum a caeci nati historia petitam, sed ipsam ignorantiam sive caecitatem Aeonum impugnat.

MASSUETUS: *Efficabiliter*] Clarom. *effugabiliter,* sed scribae p.333. vitio, ut puto, quia paullo post scriptum legitur, ut in aliis omnibus codd. *efficabiliter.* Glossarium Isidori dictum: *efficabilis, in omnibus expeditus,* i. e. solutus, liber. *Efficabiliter* itaque opponitur: *τῷ uniti ei qui emiserit:* ac proinde dum quaerit Irenaeus, utrum emissi fuerint Aeones uniti ei, qui emiserit, an efficabiliter; idem est ac si quaereret, an principio emittenti uniti et coniuncti, an ab eo soluti, seiuncti et distincti emissi sint? — *Partiliter*] Ex cit. Glossario *partiliter* est, *divise, per partes, distribute;* i. e. *divisim, separatim.* — *Id tempus*] Erasm. Gallas. et Feuard. *id temporis.* Porro *id tem-* p.334. *pus* hîc accipit interpres pro *idem tempus:* nisi forte scribae ad abbreviationis notam haud attendentes, imprudenter scripserint *id* pro *idem.* — *Passionis huius*] Feuardentius solius Billii iudicio, nullius p.335. vero MS. codicis auctoritate fretus scripsit *passioni:* quum tamen dubium non sit, quin interpres, pro more, graecam constructionem secutus, *μετασχεῖν τούτου τοῦ πάθους,* verterit, *participasse passionis huius.* — *A Logo quidem coepit, derivatio autem in Sophiam*] Hic p.336. equidem, ait Billius lib. I. observ. sacr. c. 34. *derivavit* emendare non dubitem. Priore enim libro cap. 1. haec Irenaei verba sunt: *ἐνήρξατο μὲν ἐν τοῖς περὶ τὸν Νοῦν, ἀπέσκηψε δὲ εἰς τοῦτον, exorsa quidem fuerat in iis quae sunt erga Nun, derivavit autem in*

hunc. Attamen quum hîc vox *derivatio* rectum habeat sensum, hanc sollicitandam non putem. — *In Logum huius Nun Propatoris*] Loco accusativi *Nun,* genitivum *mentis* ponendum vult Grabius; sed frustra. Sensum haud assecutus est vir eruditus, mala interpunctione deceptus. Hic itaque est: *In Logum, qui huius Propatoris Nus, seu mens est, passionem in Sophiam derivatam revocantes, arguentur et Nun Propatoris, et ipsum Patrem in passione fuisse confitentes.* Id est, convincentur asserere, (graece ἐλεγχθήσονται ἐξομολογούμενοι) et mentem Propatoris, et ipsum Patrem in passione fuisse. Hunc sensum confirmat quod mox sequitur: *immo ipsum Nun, quum sit Logos* etc. Haec ergo: *huius Nun Propatoris,* per appositionem accipienda.

CAP. XVIII.

p.339. FEUARDENTIUS: *Quomodo autem*] Ostendit divinam sapientiam nec ignorantiae, nec diminutionibus, nec passionibus ullo pacto expositam esse, quum haec inter se pugnent; nec Ἐνθύμησιν eius, quam *excogitationem* vocat Tertull. vel *intentionem,* ut habet Irenaei interpres, ab ea separari posse. De hac Enthymesi habes supra lib. I.
p.340. cap. 1. et lib. II. cap. 10. et 11. infra quoque frequenter. — *Quomodo autem*] Docet bonam intentionem, seu, ut Tertull. loquitur *excogitationem,* cum scelerata in eodem animo, et ad idem obiectum simul stare non posse. Item, non posse seorsim ab intellectu consistere. Igitur prorsus delirum et impossibile esse, illud omne quod de Enthymesi sunt nugati. Restituimus vero *ipsa autem* pro *ipsum autem:* quoniam de Enthymesi disseritur, quae quum sit accidens, non potest actu esse nisi in subiecto. — *Quemadmodum igitur*] Probat Enthymesin, id est, cogitationem, vel intentionem separatam τὰ πάθη non recipere. Deinde disserit cur Christus dixerit apostolis: *Quaerite et invenietis,* de quo superius, infra quoque abundantius cap. 28. et 53. — *Quemadmodum*] Ter hoc capite et alias frequenter vo-
p.341. cabulum istud pro *quomodo* vel *quo pacto* usurpat. — *Quemadmodum*] Verba ista iungenda esse superioribus contextus ipse, cum vet. cod. qui vocem *enim* non habet, non obscure indicat. Contendit iuniorem illum Aconem pati non potuisse, quae fingebant, si spiritalis esset substantiae; quod non nisi inter similes fuerit diversatus. —
p.342. *Apud Comicum Menandum*] Hunc a Theophrasto Comicum institutum fuisse Olympiade 114. auctor est Laërtius (lib. V.); mente autem acutum, sed strabum et insani in mulieres amoris addit Suidas; octoginta fabulas, comoedias centum et quinque eum edidisse tradit Apollodorus. Antiquorum autem poëtarum furem insignem vocant Eusebius et Porphyrius; cuius rei gratia ab Aristophane admonitus fuit. Multa ex illius scriptis Iustin. et Clemens Alexandr. suis interserunt. — *Super haec quoque*] Probat Aeonis fictitiam esse ac impossibilem passionem, quum et ipsi super Patrem omnium tam impie quam in-
p.343. aniter inquirentes, perfici se, non pati fateantur. — *Quaerite et invenietis*] Locum hunc ambitiosius iactitabant haeretici, indeque apostolis et ecclesiae, non omnia, quae ad salutarem doctrinam spectabant, aperta esse contendebant; ut quod unusquisque eorum postea somniasset, se iuxta dominicum praescriptum investigasse et compe-

risse venditaret. De hoc annotavimus in primum cap. lib. I. — *In passionem recidisse*] Per Aeonem istum, quem capite primo lib. I. Gnostici dixerunt in tantas angustias et consternationes coniectum fuisse, ut a superno lumine derelictus, et ἀπορίᾳ id est desperatione fractus exclamaverit: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Et: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Christum Dominum procul dubio intelligebant. Id luculenter indicant ab illis ea de re adductae scripturae, quas nullus unquam, nisi Christo convenire ausus est dicere; indicant, et quae tradita sunt capite vicesimo quinto libri huius; ubi Aeonem illum Mentem Patris et Sophiam et Monogenem vocant. Recte igitur antea annotavimus, recentiores Gnosticos a superioribus istis mutuatos horrendas illas voces, quibus Christum aliquando flammas inferni, suppliciaque desperantium et damnatorum hominum perpessum esse blasphemant. — *Dicentes se esse conceptum*] Satanica plane haec est ambitio, qua stemma suum caelestibus illis Aeonibus acceptum ferebant. Nec mirum aut haereticis insuetum, quum eorum parens Simon sese Dei nomine et Montanus Spiritus sancti venditarint. Manichaeus se apostolum Christi; Novatus sectatores suos puros vocitabat.

GRABIUS: *In passionem dicunt recidisse*] Per Aeonem, quem p.343. in tantas angustias recidisse docuerunt haeretici, non Christum Dominum intellexerunt, uti quidem videtur velle Feuardentius, sed fictitiam suam Sophiam, tam a ficto haereticorum quam vero Catholicorum Christo distinctam. Vide lib. I. cap. 1. §. 2. et 3.

MASSUETUS: *Et siquidem perfectos*] Vel lege *et se quidem per-* p.340. *fectos*, vel saltem *siquidem* accipiendo pro *enim*, subintellige postea *se*. *Etenim se perfectos* etc. — *Et cognata*] Cod. Clarom. et Feu- p.342. ard. in marg. *et ex eo nata;* quibus consentiunt Arund. et Merc. I. nisi quod omittant particulam *ex*. Quae quidem lectio non adeo spernenda videtur, modo *ex eo* pro *ex eodem* accipiatur.

CAP. XIX.

FEUARDENTIUS: *Qualis est*] Vanissima esse ostendit quaecunque p.344. fabulabantur de semine tam suo, quam angelorum, quoniam beatis angelis sunt iniuriosa et Deo creatori contumeliosa, denique nulla probatione confirmari possunt. — *Ignorasse fabricatorem*] Divinam unitatem Marcion laceravit; hypostaseon trinitatem Sabellius confudit; simplicitatem labefactarunt Anthropomorphitae; omnipotentiae post Abaelardum detrahunt Sacramentarii, misericordiae Novatiani; Ariani et Eunomiani aequalitati; at divinae maiestatis oculos aliquid subterfugere, ignorantiaque Deum laborare, praeter istos, nescio; si quis deperditae adeo mentis unquam fuerit, ut id cogitarit. A tanto sacrilegio ethnicos etiam abhorruisse, ex praeclaris versibus Philemonis, Menandri et Euripidis, quos in librum suum de Monarchia inseruit Iustinus martyr, clarum est. In hanc impietatem videtur Dionysius Areop. integro capite septimo libri de divinis nominibus disputare. Varia quoque ad hanc rem philosophorum, comicorum et tragicorum testimonia congerit Theophilus Antiochenus libro secundo ad Autolycum; eandem persequitur acerrime et Irenaeus capitibus proximis. —

p.345. *Demiurgum autem*] Contra omnem rationem affirmabant Demiurgum, id est Deum huius universi effectorem, quaedam ignorasse; quorum ipsi scientiam profitebantur, sibi ipsis longe potiora tribuentes, quam Deo omnipotenti. — *Quum ex eadem substantia*] Animam eiusdem esse substantiae cum Deo mundi fabricatore, haeresis fuit Manichaeorum et Priscillianistarum, ut colligitur ex anathematismis Concilii Bracarensis; quam ex Gnosticorum istorum sentina vides haustam fuisse. Licet enim disputationibus gravissimis aliquando dissenserint Patres de origine animae, ut ex Tertulliani, Apollinaris, Arnobii, Luciferi, Tatiani, Origenes et Augustini scriptis, omnibus in confesso est: eo-
p.346. rum tamen nullus Gnosticorum sententiae subscripsit. — *Si enim*] Ex propositis Gnosticorum sequitur tenebras utiliores esse lumine; et filiis perfectionis ac utilitatis fuisse id, quod matri periculosum fuerat, quod valde est ridiculum. Quae porro hic refutantur, late descripsit et recitavit lib. I. cap. 1. — *Adhuc etiam*] Quatuor propositis quaestionibus adiectisque iuxta eorum mentem totidem responsis, falsa convincit esse, quae comminiscebantur de matre sua et eius imagine; de angelorum imaginibus, Demiurgi et spiritalis imperfecti emissione; atque ex his consequi docet, semen illud non angelorum,
p.348. sed animarum figuras debere prae se ferre. — *Adhuc autem*] Damnat fabulas illas de semine et conceptione, quas circa medium capitis primi lib. I. retulerat. — *Qui erant in viis mendici*] Huic simile est illud Tertull. (lib. contra Prax.): *Maior pars credentium simplices, imprudentes et idiotae.* Item Minutii Felicis in Octavio: *Pars vestrum et maior et melior, egetis, algetis, opere, fame, laboratis et Deus patitur* etc. — *Non multi sapientes apud vos*] Verba sunt Apostoli 1. Cor. 1. quae paullo aliter citat, quam habeat aut vulgata editio aut contextus graecus, ὅτι οὐ πολλοὶ σοφοὶ κατὰ σάρκα, atque sic ex Graecis legunt Chrysostomus et Theod. et ex Latinis Ambrosius et Primasius, sed sensum reddidit Irenaeus. — *Nec enim oportet*] Elegans plane proverbium eodem fere sensu usurpatum, quo illud est apud Virgilium: *Et crimine ab uno, disce omnes.* — *Sed quemadmodum*] Asserit, nec alterum Deum supra fabricatorem huius universi constituere, nec unicum in persona Christum in plures distrahere licitum esse; quod ipsos tentare supra dixerat, lib. I. cap. 1.

p.348. GRABIUS: *Nec enim oportet*] Huc quadrat istud Athenagorae, in Legatione pro Christianis ante medium pag. 13. edit. Paris.: *Ταῦτα μὲν οὖν, μικρὰ ἀπὸ μεγάλων καὶ ὀλίγα ἀπὸ πολλῶν, ἵνα μὴ ἐπὶ πλεῖον ὑμῖν ἐνοχλοίημεν. Καὶ γὰρ τὸ μέλι καὶ οἶνον δοκιμάζοντες, μικρῷ μέρει τοῦ παντὸς τὸ πᾶν, εἰ καλόν, δοκιμάζουσιν. Et haec parva quidem de magnis, pauca de multis retulimus, ne nimium molesti vobis essemus. Nam et qui mel aut vinum explorant, ex exigua parte totius de toto iudicant.*

p.345. MASSUETUS: *Inspectionem*] Ita Clarom. Arund. Voss. et edit. Oxon. In Erasm. Gall. et Feuard. male *dispositionem.* Nam tum num. praecedenti, tum lib. I. cap. 5. n. 6. partus ille spiritalis *Achamothae* natus dicitur *secundum inspectationem Angelorum Salvatoris.*

p.346. — *Operabilior*] Id est *efficacior.* Haec lectio quae est Feuard. in marg. ac codd. Clarom. et Merc. II. magis placet, quam *optabilior,*

ut est in aliis omnibus tum editt. tum MSS. Nam hic de efficacia *descensionis* sermo est. — *Superflua est igitur in — homine descensio eius*] Ut nimirum apud eos augescat, formetur, et paratum fiat ad susceptionem perfectae rationis. — *Concepit in eum*] Supple *intuita,* p.347. id est ad eius inspectionem. Porro *in* ante *eum* addimus ex MSS. Voss. et Clarom. — *Et iam si*] Sic Clarom. distinguere videtur; haudque distinctionem exigit sensus. In ceteris una voce *etiam.* — *Quando ipsae animae* etc.] Hinc colligi posse videtur, Irenaeum existimasse animas esse corporeas, utpote figura circumscriptas; quae veterum non paucorum sententia fuit. — *Si tamen incipiet salvari*] Graece, ut optime notat Billius, εἴγε μέλλοι σώζεσθαι: ubi verbum *μέλλειν, futurum esse,* perperam reddit interpres (quod et alibi solet, ut iam non semel observavimus) *incipere.* Vertendum igitur erat: *si tamen futurum sit, ut salutem consequatur.* Nam carnis salutem et resurrectionem negabant haeretici, ut patet ex lib. I. cap. 6. n 1. et evidentius ex Praefat. lib. IV. et lib. V. cap. 2. — *Maxima con-* p.349. *tinentia*] Non dubitare se ait Billius, quin pro *maxima* substituendum sit *maxime.* Nam, inquit, quod in Graeco erat συνεκτικώτατα, id verborum tenacissimus interpres reddidit *maxime continentia:* ego, *praecipua ac maximi ponderis.* Sic enim clarior est sensus. Sed acutiorum iudicio haec discutienda relinquo. Sic ille, loco iam multoties cit. Sed quid si *continentia* substantive accipiatur, pro *complexu, complexione, summa,* vel *capite,* graece τὸ συνέχον vel ἡ συνοχή? Nam in Gloss. vet. συνοχὴ vertitur *continentia.* Sic ordo verborum esset: *ea resolventes capitula, quae sunt maxima continentia regulae ipsorum;* sensus vero: *quae sunt praecipuum regulae ipsorum caput, quod cetera alia complectitur.*

CAP. XX.

FEUARDENTIUS: *Illam enim*] Demonstrat autem vanas et futi- p.350. les esse probationes, quibus Aeonis duodecimi passiones et angustias asseverabant, nec per Iudae apostasiam ac defectionem ipsas posse confirmari. Demum, variis antithesibus ostendit, passionem Domini nostri nihil commune aut affine habere cum ficta Aeonis passione. Quae autem hîc refelluntur, habes lib. I. cap. 1. paullo post initium; et lib. II. cap. 25. 26. 27. 28. — *Uno enim anno*] In hac quoque videtur fuisse sententia Tertullian. lib. advers. Iudaeos cap. 8. et lib. I. advers. Marcionem cap. 15., quod etiam notat Eusebius in Chron. Eandem opinionem amplexantur Lactantius lib. IV. cap. 10. Iulius Africanus lib. de temp. apud Hieronymum Comment. in Danielem; Clemens Alexand. lib. I. Strom., Paulus Orosius lib. VII. cap. decimo, quibus accedere videtur Augustinus lib. XVIII. de civit. cap. 54. et lib. XXII. cap. 15. tametsi contrarium tueatur lib. II. de doctrina christiana capite vigesimo octavo, at vero hunc Gnosticorum errorem tam acriter cap. 38. et 39. huius libri refellit Irenaeus, ut in alium inclinare videatur. De hac re ante me scripserunt viri doctissimi et diligentissimi Pamelius in Paradoxis Tertulliani et Benedictus Pererius Comm. in caput undecimum Danielis. Ilos studiosus lector consulat. — *Dominus autem noster passus est passionem validam*] Id est, non p.351.

modo sponte et confidenter ad passionem accessit, Iudaeisque capiendum, ligandum, conspuendum, denique crucifigendum semetipsum obtulit; verum etiam illa toti mundo inaudita dolorum tolerantia homini assumpto omnem gloriam et exaltationem et generi humano iustitiam et salutem aeternam promeruit. Cyprianus martyr (Serm. de eleemos.) hos fructus passionis Christi post Irenaeum sic attingit: *Christus filius hominis esse voluit, ut nos filios Dei faceret; vulneratus est, ut vulnera nostra sanaret; servivit, ut ad libertatem servientes extraheret; mori sustinuit, ut immortalitatem mortalibus exhiberet. — Illorum autem*] Persequitur institutam confutationem fictitiae Aeonis passionis, docens Iudam illius typum non fuisse, quum duodecimus apostolorum fuerit, Aeonem vero trigesimo loco constituerent; sed neque illius Enthymeseos, quum in Pleroma redierit, hic vero nusquam postea cum apostolis numeratus sit. Tantumdem deinceps facit de duodecim apostolis, septuaginta discipulis, et b. Paulo, ob nullas Aeonum emissiones figurandas, electos fuisse a Christo Domino, ostendens. Postremo figmentum de Salvatore, quem *τὸ πᾶν* nominabant, dissolvit, nihil aliud quam poëticum mendacium esse, confirmans.

p.352. MASSUETUS: *Quod sit duodecimus, apud omnes consonat, duodecim denominatis apostolis in evangelio*] Haec lectio, quae est codd. Voss. et Clarom. ceteris et amplior et melior videtur. Initio enim periodi praecedentis scripsit Irenaeus: *Non ergo Iudas duodecimus discipulus typus erat passi Aeonis.* Tum resumit: *Proditor enim Iudas, quod sit duodecimus,* scilicet discipulus vel apostolus, *apud omnes consonat.* Rationem statim subnectit: *duodecim denominatis apostolis in evangelio:* quum duodecim denominentur apostoli in evangelio. Ceteri omnes codd. inter se dissentiunt. In Feuard. edit. *Quod sit duodecimus denominatus apostolus in evangelio, apud omnes consonat.* Consentiunt quoad primam partem Erasm. et Gallas. sed in his, ut et in Arund. et Merc. II. deest *apud omnes consonat.* Grabius ex cod. Arund. pro *denominatus* scripsit *de nominatis*; de cetero consentit cum Feuard. In Merc. II. una voce *denominatis.* Vox autem *duodecim* in iis omnibus omissa, haud dubito quin incuria scribarum, ob affinitatem cum *duodecimus. — Formata a Christo*] Qui substantiae formam ei indidit. Vide lib. I. cap. 4. n. 1. — *Prudens facta a Salvatore*] A quo agnitionis formam recepit. Ibid. n. 5.

CAP. XXI.

p.354. FEUARDENTIUS: *Hermes*] Hic philosophus in Aegypto post Mosem claruit et *τρισμέγιστος,* id est ter maximus vocatus fuit; quin et Mosem ipsum Hermetem esse, qui propter litterarum inventionem id nomen apud Aepyptios consecutus sit, apud Eusebium lib. I. de praepar. evang. c. 6. putat Eupolemus. Ab ipso conscripta feruntur Pymander, Asclepius et Iatromathematica. Plura de eodem habet August. 8. de civit. c. 23. 24. 26. Notandum autem, Hesiodum poëtam in Operibus totum istud carmen ad verbum transscripsisse, quo loco Mercurii donum in Pandoram proponit his verbis: *Ἐν δ' ἄρα οἱ στήθεσσι διάκτορος ἀργειφόντης Ψεύδεά θ' αἱμυλίους τε λόγους καὶ*
p.355. *ἐπίκλοπον ἦθος Τεῦξε. — Mater enim, hoc est Leto*] Graecis *Λητώ,*

Latona dicitur Coei filia; a Iove dilecta pariter et oppressa est, ex quo geminam concepit prolem, Apollinem et Dianam.

GRABIUS: *Possit ostendere, neque secunda decade*] Hic textus est mutilus, neque ullus MS. codex medelam ei suppeditat. Sententia tamen et argumentatio auctoris satis perspicue elucet, eo nimirum tendens, quod vanum sit, duodecim Christi apostolos typos facere duodecim Aeonum, ab Homine et Ecclesia proseminatorum, quum haud alii dentur apostoli numero decem et octo, quibus vel decas vel ogdoas priorum Aeonum adumbraretur: septuaginta enim discipulos a Servatore postea electos huc trahi non posse, utpote numero longe superiores. — *Hermes*] Haec Hesiodi verba, quibus Mercurium, Iovis filium, iussu patris, virtutem callide persuadendi Pandorae donasse asserit, ad hos haereticos applicat Irenaeus, aitque Mercurium *αἰμυλίους τε λόγους καὶ ἐπίκλοπον ἦθος* his quoque haereticis videri tribuisse, *ad seducendum* vanis sermonibus *stultos hominum, ut credant figmentis eorum.* — *Pelope*] Meminit Pelopis Pindarus Olympiorum Od. I. deque eo, inter latinos poëtas, consona prorsus Irenaeo cecinit Ovidius lib. VI. Metamorph. — *Manibus mox caesa paternis Membra ferunt iunxisse Deos.* p. 353. p. 354. p. 355.

MASSUETUS: *Possit ostendere neque secunda decade*] In Clarom. Arund. et Merc. II. pro *secunda* legitur *secundae.* Sed id loci huius corruptioni, MSS. codicum ope hactenus insanabili, remedium non affert. Crediderim tamen levi mutatione facta sat commode restitui posse, sic nimirum legendo: *possit ostendere quoque secundam decadem.* Tunc planus esset sensus: *quum possit Salvator — et alios decem apostolos eligere — ut possit ostendere quoque secundum decadem.* Proclive fuit festinantibus ac negligentibus scribis, pro *quoque* scribere *neque*; (iam exempla vidimus) et accusativos, omissa abbreviationis nota, commutare in ablativos. — *Αἰμυλίους τε λόγους κτλ.*] Hesiodi verba sunt in Op. et Di. ubi postquam descripsit poëta quid quisque ceterorum Deorum Dearumque in Pandoram contulerit, Mercurii donum referens subdit vers. 77. *Ἐν δ' ἄρα οἱ στήθεσσι διάκτορος Ἀργειφόντης Ψεύδεά θ' αἰμυλίους τε λόγους καὶ ἐπίκλοπον ἦθος Τεῦξε. At in pectore nuntius Argicida* (Mercurii epitheton) *Mendacia, blandosque sermones, et dolosos mores Fecit.* Quae vanis haereticorum sermonibus *ad seducendos stultos hominum* excogitatis applicat Irenaeus. — *Leto*] A verbo *λήθω, lateo,* derivare videtur Irenaeus, derivant et alii, inter quos Eustathius et Natalis Comes. Sed quum a *λήθω* derivata scribantur a Graecis per *θ*, a Latinis per *th*, scribi deberet *Letho,* non *Leto.* p. 353. p. 354. p. 355.

CAP. XXII.

FEUARDENTIUS: *Quia autem*] Probat Irenaeus, nec triginta Aeones illos, quorum de inventione tantopere sibi placebant, alicubi consistere, nec per annum trigesimum, quo Christus adiit baptisma Ioannis, eos repraesentari. Locum autem Esaiae, quo perperam probare nitebantur, Dominum mense duodecimo a baptismate passum, religiose explicat de tempore legis evangelicae et gratiae, dieque extremi iudicii, quem postea Hieronymus et Cyrillus in Esaiae caput p. 355.

sexagesimum primum sunt imitati. Quae hîc refelluntur, enarravit libro primo capite primo, ubî et aliquid de Tertulliano et Clemente Alex. annotavimus. — *Vocare annum*] Quum Septuaginta scripserint *καλέσαι* et vetus codex noster *vocare* contineat: hoc ipsum pro *vocate* substituimus. Atque ita legit Cyprianus lib. II. advers. Iudaeos
p.357. cap. 10. — *Est autem valde*] Probat, Christum plus uno et duobus annis docuisse. Porro, *est valde admirari*, locutio est his similis,
p.358. *videre est, licet videre.* — *Qui per eum renascuntur in Deum, infantes*] (Ioan. 3, 5. Tit. 3, 5.) Renascentiae nomine, dominica et apostolica phrasi, baptismum intelligit, aperte confirmans apostolorum traditionem de baptismo infantium parvulorum, adversus Anabaptistarum impietatem. Illam vero ante Irenaeum asseruerant Dionysius Areopagita capite ultimo eccles. Hier. Clemens libro sexto Const. capite decimo quinto; auctor quaestion. ad orthodox. apud Iustinum martyrem, quaestion. 56. post Irenaeum, Origenes in cap. 6. ad Rom. Cyprianus epist. ad Fidum, Cyrillus Ierosolym. Cateches. mystag. I. Nazianzenus Orat. in sanctum lavacrum, Basilius Exhort. ad baptismum, Chrysostom. homil. ad Neophytos, Hieronymus epist. ad Laetam, Au-
p.359. gustinus, Theodoretus etc. — *Quia autem*] Paullo aliter ex Hippocrate hominis aetates enumerat Philo (lib. de mundi opific.): *In hominis natura*, ait, *septem sunt tempora, quas aetates vocant: Infans, puer, adolescens et reliquae. Infans est, donec intra septennium dentes emittat*; *puer, usque ad geniturae excretionem, ad geminatum septennium*; *adolescens, usque ad barbae hirsutiem, ad annum ter septimum*; *vir usque ad undequinquagesimum, ad septies septimum. Quidquid vero deinceps sequitur, ad senium pertinet.* Et subscribit Macrobius lib. I. in Somnium Scipionis cap. 6. — *Quam habens Dominum*] Disertis verbis affirmat Christum ultra quadragesimum, aut etiam quinquagesimum annum docuisse; idque Scripturis et rationibus, sed imbecillis, confirmare nititur, quod communi ecclesiae iudicio non est receptum. Candide autem de beatissimo martyre sentiendum, quod impetu ipso refellendi Gnosticos, qui annum trigesimum primum illum non excessisse dicebant, in partem contrariam delatus est. Sanctissimis enim et doctissimis hoc non raro contigisse, ipsa luce manifestius est. Itaque hinc apparet, auctorem *Methodi ad facilem historiarum cognitionem* (cap. 7.), quantumvis variae lectionis famam sectetur, Irenaeum nunquam legisse: qui eum ad unum et triginta annos tantum vixisse Christum asserentem facit; quod tam aperte et pertinaciter adversus Gnosticos oppugnat. Praestitisset hominem eo libro (ne dicam cetera) vel sanctis Patribus saltem pepercisse. At Epiphanius contra Haeresin 51. diligenti annorum per Consules supputatione, rectissime colligit passum Christum anno aetatis trigesimo tertio. Quod etiam Ignatius Ioannis auditor, testis omni exceptione maior, diligenter notaverat epistola ad Trallianos: *Annos agens triginta*, ait, *Dominus baptizatus est a Ioanne vere ac non opinione, et tribus annis praedicato evangelio, ac factis signis et prodigiis, tandem a Pseudoiudaeis et Pilato praeside iudicatus est, mortuus et sepultus.* Quod vero a senioribus, qui Ioannem apostolum audierant, profert argumentum, tanti viri bona venia dixerim, nec Ignatius nec Polycarpus

nec Euodius, nec Clemens, nec Dionysius Ioannis, Pauli, Petrique auditores istud affirmant; quinimo ex horum scriptis contrarium facile colligitur. Potuit ergo istud audivisse a Papia, Aristionis et Ioannis presbyteri discipulo, qui (auctore Eusebio lib. IV. hist. cap. 33.) homo fuit pertenuis ingenii, et res quasdam ab apostolis subobscure et parabolice dictas non satis intellexit. Ceterum Augustinus libro secundo de doctrina christiana, capite vigesimo octavo utrumque forsitan id est tam Papiam quam Irenaeum intelligens, refert quosdam dixisse, Christum quadraginta et sex annos vixisse; sed ignorantia historiae lapsos esse affirmat. — *Ne in somniis quidem*] Proverbium est sacris et profanis omnibus frequentissimum. Theocritus in Bucolisco: *μηδ' ὀνείροις*, neque in somniis. Plutarchus libello adversus Stoicos: *οὐδ' ὀνείρατα*, nec per somnia. Chrysostomus adversus Iudaeos: *οὐδ' ὡς ὄναρ*. Indicat autem Irenaeus Ptolemaeum haereticum nulla ratione apostolicam doctrinam attigisse. — *Quinquaginta annos*] Chrysosto- p.360.
mus legit *quadraginta annos*. Theophylactus autem tribuit Iudaeorum insaniae, quod hominem triginta tres annos ferme natum, quinquagenario compararint. Ex quibus satis patet, Irenaei argumentum ex hoc loco sumtum valde imbecillum esse. — *Irrationabile est enim*] Imo vero, quod cum sanctissimi martyris indulgentia dictum sit, Iudaei longe atrociora mentiti sunt in eum, utpote quod esset vorator, potator vini, seductor, blasphemus et in virtute Beelzebub eiiceret daemonia etc. Indeque patet, Irenaeum ex hoc loco nihil probare. — *Homerus poëta*] Locus est Iliados *Δ*. ubi post singulare certamen Menelai et Paridis deos concilia agitasse et ordine consedisse fingit.

GRABIUS: *Alioquin ipsum primum erunt discernentes* etc.] Si p.355.
enim triginta tantum sunt Aeones Pleromatis, Servator, qui praeter istos triginta numeratur, non erit in Pleromate; quod ipsi indecorum putat Irenaeus. Confer supra pag. 134. — *Dies retributionis* — p.356.
iudicium] Ita et Theodoretus *ἡμέραν ἀνταποδόσεως* exponit *τῆς κρίσεως τὴν ἡμέραν*. — *Princeps vitae*] Forte respexit Irenaeus verba p.358.
Petri Act. III, 15, ubi Christum vocat *ἀρχηγὸν ζωῆς, auctorem vitae*, ut Vulgatus vertit. — *Πάντες*] Quod Clementem et Dionysium me- p.359.
morat Feuardentius, *ἀπροσδιόνυσον* est: neque enim hi in Asia apud Ioannem apostolum commorati leguntur; ut nihil de suppositiis eorum scriptis dicam. Ceterum praeter Papiam alios fuisse seniores, qui Irenaeum in istam de seniore Christi aetate induxerunt opinionem, pluralis, in quo loquitur, numerus, addita insuper voce *πάντες*, satis indicat; licet, quinam isti fuerint, dici nequeat.

MASSUETUS: *Nec diem*] Legendum vult Billius *et diem;* quam lectio- p.356.
nem improvide et contra omnium Codd. fidem editioni suae Coloniensi inseruit Feuardent. Sensus enim est: *nec diem retributionis intelligentes.* — *Renascuntur in Deum*] Per baptismum videlicet. — *Et a baptis-* p.358.
mate etc.] Haec non in propria, sed in haereticorum sententia scribit p.359.
Irenaeus. Qui enim postea asserit passum esse Christum aetate iam in senium declinante, quum videlicet quadragesimum aetatis annum excessisset, nec a quinquagesimo procul abesset, sensisse non potuit, eum anno aetatis duntaxat uno post baptismum praedicasse, tum vero passum fuisse; quum maxime tria ab eiusdem baptismo ad passionem

intercessisse velit paschata. Sed de his fusius Dissert. III. art. 6.
p.359. §. 70 seqq. — *Συμβεβληκότες*] Ita Euseb. loco cit. et Niceph. lib. III. cap. 2. At in Georgii Syncelli Chronographia p. 345. edit. Paris. 1652. legitur in textu *συμβεβηκότες;* ad marginem vero *συμβεβιωκότες.* — *Ταῦτα*] Hanc vocem in Eusebio et Syncello omissam, recte ex Nicephoro addidit Grabius, quia latina Irenaei versio habet
p.360. *idipsum.* — *Sive vere scientes*] Ita recte Feuard. in marg. Clarom. et Voss. Ceteri omnes cum editt. tum MSS. minus bene *sive rescientes.* Nam *vere scientes* opponit auctor *τῷ conïicientes,* quod mox sequitur.

CAP. XXIII.

VACAT.

CAP. XXIV.

p.362. GALLASIUS: *Iesus enim nomen*] Ostendit Irenaeus falli haereticos, sibique et aliis impudentissime imponere, quum ex litteris nominis Ἰησοῦς supputationem suam deducunt. Id enim prorsus inane est, nec ulla ratione constare potest, propterea quod nomen hoc graecum non sit, sed hebraeum. Verum in declaranda huius nominis origine et propria significatione, quos auctores secutus sit Irenaeus, plane ignoro. Satis enim conspicuum est, et docti fatentur omnes, deduci a ישע *Iascha,* unde הושיע, quod significat *salvavit;* id quod ipsius angeli Gabrielis interpretatio aperte demonstrat. Nam quum iubet hoc nomen Christo imponi, rationem subiungit: *ipse enim salvabit populum suum a peccatis ipsius.* Qui ergo a יש *Iesch* potius quam a ישע deducunt, necesse est cum angelo, id est, cum Deo ipso, cuius iussu ita locutus est angelus, disputare. Verum de hac origine aut significatione nullum prorsus fit verbum ab Irenaeo. Ac sane videtur, tum in hac dictione, tum in aliis, veterem aliquam Hebraeorum Cabbalam secutus. Quid enim affine habet nomen *Iesu* cum nomine caeli? ישוע cum שמים. Terram etiam, quae nomine ארץ vocatur, eodem nomine *Iesu* comprehendi, qua ratione probari potest? Apud quos etiam *Sura usser* dicatur, nescio. Vestigia quidem nonnulla apparent nominis *Arets,* verum inversi et repetiti; sed ita legisse aut scripsisse nullos audio. Quum de his dubitarem, doctos viros atque in litteris tum hebraicis tum chaldaicis exercitatos consului: qui aut a Cabbala quadam ignota id ortum esse aut ab ignorantia et corruptione linguae profectum esse censuerunt. Idem de nomine *Sion,* de quo paullo post ait in nomine Iesu comprehendi. Dimidias vero litteras existimant esse י et ו, non quod imperfectae sint, sed quod ceteris omnibus minores sint ac breviores; atque ex his etiam reliquas omnes factas esse. Hebraeorum plerique autumant. Nulla enim est littera, quae ex his duabus strui et concinnari non possit. Ideoque decem primas litteras ab א usque ad י praecipuas esse dictas, quod ceterae ex illis, aut ad earum similitudinem efformatae sint. Nomen *Barneth,* quod Deo tribuit, videtur ductum a ברא *Bara,* i. e. *creavit.*
p.362. FEUARDENTIUS: *Iesus enim nomen*] Nam plane hebraicum est, non graecum, significans, Epiphanio auctore, medicum, curatorem et

salvatorem. Ideo et Cyrillus Hierosolymitanus (contra Haer. 29) scribit: *Iesus apud Hebraeos significat salvatorem; in lingua vero graeca medicum sonat: quandoquidem et corporum medicus est, animarum curator.* De numero autem qui ex litteris eius nominis consurgit, ait ven. Beda (Catech. 10): *Huius sacrosancti nominis Iesu non tantum etymologia, sed et ipse, qui litteris comprehenditur, numerus perpetuae salutis nostrae mysteria redolet. Sex quippe litteris apud Graecos scribitur Ἰησοῦς quarum numeri sunt X et VIII et CC et LXX et CCCC et CC, qui fiunt simul DCCCLXXXVIII. qui profecto numerus figuram resurrectionis adauget. Octavus enim numerus in sacris litteris resurrectionis gloriae convenit, quia Dominus octava die, hoc est post septimam sabbati resurrexit. Et ipsi post sex saeculi aetates, et septimam sabbati animarum, quae nunc interim in alia vita geritur, quasi octavo tempore surgemus.* Ferunt etiam Sibyllam Cumanam huius nominis litterarum et numeri meminisse. Quin etiam Constantinus Magnus in Oratione, quam Eusebius libris de vita eius adiunxit, deinde Augustinus lib. 18. de civit. cap. 23. referunt oraculum Sibyllae Erythreae de Christo, acrostichis versibus ita concinnatum, ut initiis litterarum initialium legantur haec verba: *IHΣOYΣ XPIΣTOΣ ΘEOY YIOΣ ΣΩTHP, Iesus Christus Dei Filius Salvator.* De numeris autem et potestate elementorum eiusmodi nominum dictum est supra. — *Haec autem in nullo communicant*] Scopus Irenaei in hoc capite est, ut ostendat, Gnosticos turpiter hallucinari et aliis impudenter imponere, quum ex nominis graeci Ἰησοῦς syllabis, litteris et numeris ipsis respondentibus confirmare figmenta sua nitebantur: propterea quod nomen illud hebraeum sit, cuius litterae hebraicae non conveniunt cum litteris graecis, neque cum earundem numero; atque hoc unum praecipue considerandum et discendum hoc capite existimo. Ceterum, quae de nominis *Iesu* hebraicis litteris, origine et significatione scribit, ipsum videlicet esse duarum litterarum et dimidiae, caelumque significare, non satis assequor. Etenim certissimum est *Iesu,* hebraeum esse, deductum a ישע *Iascha,* quod est, salvavit; et sic scribi ישוע quatuor litteris, quae numerum 366 faciunt. Nam ratione arithmetica, י iod continet 10, ש schin 300, ו vau 6, ע ain 70. Ἰησοῦς autem Graecorum supputatione 886 reddit; quandoquidem ι 9, η 7, σ 200, ο 70, υ 400, σ 200 continet. Ut vero significet Dominum caeli et terrae, oportet illud more veterum per tres litteras scribere ישו et per Notaricon, id est, ex singulis litteris integras dictiones sic colligere, ut Iod, quae prima littera est τοῦ τετραγραμμάτου יהוה, quod Dominum sive *Κύριον* reddunt LXX. Dominum nobis exprimat. Deinde ש prima sit littera vocis שמים quae caelum significat. Postremo, ו sit initium וארץ quod est, et terra: adeo tres litterae illius nominis Iod, Schin, Vau simul per Notaricon reductae, indicent Dominum caeli et terrae. Sed non satis video, quo pacto nomen *Sion* in nomine *Iesu* comprehendatur. Nullo etiam idiomate *Sura Usser* sive *User* dicitur terra. Oportet igitur vel ab aliqua Cabbala mihi adhuc ignota haec desumsisse Irenaeum; vel quod magis mihi probatur, a quibusdam Iudaeorum Rabbinis, quos consuluerit, deceptum fuisse, veluti initio capitis subindicare videtur,

dum scribit: *sicut periti eorum dicunt.* Pro suo enim odio in Christum et nos, qui eius censemur nomine, solent impuri verpi illi multa confingere et audaçter obtrudere, quibus fidem nostram obscurent; quod facile colligas ex locis Esaiae, Ieremiae, Davidis, Esdrae, audaci sacrilegio obtruncatis et mutilatis ab illis, uti probat et convincit Iustinus martyr in Dialogo. Superior porro ex singulis litteris integra nomina colligendi ratio, quam Cabbalae auctores sequuntur, reperitur etiam in oraculis Sibyllinis lib. II.:

Nimirum Deus is finxit tetragrammaton ADAM,
Qui primus fuit et qui nomine complet
Ortus, Occasus, Austrum, Boreamque rigentem.

Istud clarius explicatur apud Cyprianum tractatu de montibus Sina et Sion et Augustinum Tractat. 9. et 10. in Ioan. Oriens Graecis vocatur Ἀνατολή, Occidens Δύσις, Septentrio Ἄρκτος, Meridie *Μεσημβρία;* harum dictionum si litteras initiales simul iunxeris, efficies nomen *ΑΔΑΜ.* Rationem huius assignat Cyprianus, quod Dominus ex quatuor cardinibus orbis terrarum pugno comprehendit terram et finxit hominem ex omni limo terrae; sed de hac re non disputo. —

p.365. *Episemi eorum*] Ἐπίσημον proprie significat umbilicum clypei, notam, signum, maculam; sed his in locis accipitur pro nota numerali, quae

p.366. sex indicat. — *Dimidiam*] Dimidiam litteram appellat י Iod, quod caeteris brevior sit ac minor: atque ex illa reliquas omnes factas esse plerique Hebraeorum opinantur. — *Ruit ergo*] Veteris codicis aliquantum diversa est lectio hoc pacto: *Corruit ergo numerus calculi, quem MDCCCLXXXVIII. et per omnia* etc. — *Antiquiores*] Hebraicas litteras reliquas omnes inventione et usu praecessisse, variis coniecturis permotus post Irenaeum asserit Eusebius (lib. X. de praep. evang. cap. 2). Suidas illarum sicuti aliarum omnium artium inventores facit Adamum, Sethumque filium ipsius. Sethi filios rerum caelestium disciplinas in columnis scripsisse testatur Iosephus (lib. I. antiq. cap. 2.). Enoch deinde quasdam prophetias litteris commendasse non ambigunt Augustinus (lib. I. de civit. cap. 23.), Origenes (Homil. 28. in Numer), Tertullianus (lib. de habitu mul.). Libros de maleficiis et necromanticis artibus Chamo filio Noë tribuunt Comestor, et Io. Cassianus collationis octavae c. 21. Sibyllae Erythreae adscripta oracula in fidei suae confirmationem recitavit Constantinus Magnus orat. ad sanctorum coetum. Hos autem omnes Cadmi, Phoenicum regnum, Palamedis, Simonidis et Carpentae, quos aliarum litterarum repertores volunt, aetate multis saeculis superare nullus nescit. — *Decem quidem*] Illae decem sunt ab א Aleph usque ad י Iod; quae ideo primae et praecipuae dicuntur, quod ceterae ex illis, aut ad illarum similitudinem efformatae sint; et numeri digiti ex ipsis confi-

p.367. ciantur. — *Secundum subsequentiam*] Id est, a sinistra in dexteram more Graecorum et Latinorum. Eo autem modo scribunt Hebraei, dum alienis characteribus suas voces exprimunt; vel alii ab ipsis hebraice quidpiam exarantes, ut de Pilato fertur, qui quum titulum crucis Christi componeret, hebraicas litteras latino more collocaverit.

p.369. — *Calamiscos*] Καλαμίσκος significat praeter alia parvulam arundinem et fistulam; et quia harum formam habebant tres cannae illae, ex

candelabri Mosaici medio stipite prodeuntes, hîc graeca voce *καλαμίσκους* eas appellat. — *Smyrnae*] *Σμύρνα* arbuscula est Arabiae, cuius cortice inciso, liquor quidam pinguis effluit, qui stacte medicis appellatur. Vide Dioscoridem lib. I. c. 78. Theophr. lib. IV. de Hist. plant. Plinium lib. XII. cap. 15. et 16. — *Ireos D.*] Iris multa significat; sed hîc herba suaviter olens et aromatica est; de qua Dioscor. lib. I. Theophrast. de Hist. plant. Plinius lib. XXI. cap. 7. — *Cinamomi CCL*] Nomen cinamomi aut cinnamomi in multa scinditur, quae legendo notes licet. Hîc sqecies fruticis odori esse videtur, de quo Plin. lib. 12. cap. 19. Theophrast. lib. 19. cap. 47. Dioscor. lib. I. Dicitur autem cinamomum, quia in modum cannae subtiles et replicatos habet calamos, cinerei vel nigri coloris, qui fracti, visibile spiramentum reddunt; et subtile quidem carum, grossum vero vile et despectum. — *Calamisci CCL*] Exodi 30. Septuaginta legunt *καὶ καλάμου εὐώδους*, i. e. calami odoriferi. Calamus igitur, a quo calamiscus, hîc frutex est in Arabia, India et Syria, iuxta Libanum montem proveniens, adspectu similis arundini, casiae sapore, tactu mollis; et quum frangitur, locum suavissimo replet odore. Vide Plinium lib. 12. cap. 20. et alios. — *De stacte*] *Σταχτὴ* Graecis vocatur succus quidam sive lacryma emanans inciso cortice myrrhae, de qua supra. Consule Plinium lib. 12. cap. 6. et 14. Dioscor. lib. I. c. 75. et 78. De illa Rabbi David in lib. radicum ita scribit: *Dicunt quod Nataph sit Zari, hoc est, gutta sive stacte sic appellata, quod stillet ex arboribus Ketaph, sicut dixerunt Rabbini nostri* (*benedictae memoriae*) *Zari nihil aliud est nisi succus qui stillat ex arboribus Ketaph, et vulgo balsamum dicitur.* De balsami ortu, irrigationibus, et interitu si plura desideras, consule Petrum martyrem lib. III. de legatione Babylonica. — *Et ungula*] Rabbi Salomon in 30. c. Exodi Paulo Fagio interprete putat radicem esse candentem, tersam ac puram in morem unguis. Rabbi Davidi eodem loco est aroma, quod in Mischnach (sic vocant textum Thalmudicum) Zipporen, id est, onyx, sive unguis vocatur et est lene et lucens ut unguis. Propertius:

Et cronico nares murrheus ungat onyx.

Mihi verisimilius, et huic loco convenientius id esse videtur, quod de onyche seu ungula habet Dioscorides lib. II. cap. 10: *ὄνυξ ἐστί*, inquit, *πῶμα κογχυλίου, ὅμοιον τῷ τῆς πορφύρας, εὑρισκόμενον ἐν τῇ Ἰνδίᾳ ἐν ταῖς ναρδοφόροις λίμναις. Διὸ καὶ ἀρωματίζει, νεμομένων κογχυλίων τὸν νάρδον.* Id est: Unguis conchylii tegmen est, haud ei absimile, quo purpura contegitur, quod in Indiae nardiferis lacubus reperitur. Proin etiam odorem spirat, quoniam conchylia nardum pascantur. Vide etiam Plinium lib. 32. cap. 10. — *Et galbano*] Galbanum inter alia, liquor est cuiusdam plantae, similis ferulae, nascentis in Syria, medicis frequens. Dioscor. lib. I. cap. 7. Theophr. lib. 9. de Hist. plantarum cap. 1. et 7. Plin. lib. 12. cap. 25. et 48. lib. 24. cap. 5. et 13. De hoc Virgilius:

Hinc iam Galbaneos suadebo incendere honores.

Et Lucanus:

Hic ebulum stridet, peregrinaque Galbana sudant.

De illo item Rabbi Kimchi in 30. c. Exod. ait: *Galbanum aroma est,*

cuius odor gravis est, et est succus arboris, quae invenitur in urbibus Graeciae, estque ut mel nigrum, et lingua arabica dicitur Miah. — *Et hedyosmo*] Ἡδύοσμον suavis odor, mentha nominatur; de qua Luc. 11. ἀποδεκατοῦτε τὸ ἡδύοσμον, i. e. solvitis et datis decimas ex mentha. Dioscorides vocat ἡδύοσμον ἄγριον, menthastrum herbam. Vide Plin. lib. 19. cap. 8. et alios. — *Et thure*] Thus, aut tus nomen tritum, sacris suffimentis succensis ignibus maxime conveniens et iam pridem usitatum. Ovidius 14. Metam.

Templa tibi statuam: solvam tibi thuris honores.

Et Tibullus lib. I. Eleg. 3.

Redderet antiquo menstrua thura Lari.

Porro ut thuris sive incensi suffumigationes in sacris Hebraeorum divina iussione frequentes erant; sic eiusdem benedictio et usus in sacris Christianorum ex apostolorum traditione summaque graecarum et latinarum ecclesiarum consensione, religiose observatur, ut videre est ex Ruperto, lib. I. de divinis offic. cap. 29. et 36. et lib. VI. cap. 31. et 32. Stephano Eduensi lib. de Sacramento altar. cap. 12. Germano Constantinop. in Rerum Ecclesiast. cons. Augustino Serm. 98. de tempore: Tertulliano lib. de coron. mil. Dionysio Areopag. lib. eccl. Hier. cap. 3. Iacobo fratre Domini in Liturgia: Canone 3. seu 4. apostolorum. Si praeter hos auctores alios adhuc desideras, ritumque hunc accurate et diligenter comprobatum, consule librum quem adversus anatomen Missae edidit vir in evolvendis sacris auctoribus paucis comparandus D. Iacobus Faber doctor theologus, praeceptor mihi perpetuo observandus, hinc tibi abunde satisfactum iri puto. Ceterum quum Gnostici horum omnium suffimentorum species, quantitates, commixtionesque ad confirmationem suorum placitorum detorquere non possent, quod vel maxime necessum fuisset; argute concludit Irenaeus illos quosdam alios legis veteris ritus insulse et stolide ad-
p.370. duxisse, ut his sua deliria asseverarent. — *Quia autem*] Contendit, Gnosticos nihil somniorum suorum asserere posse ex numero quinario, quantumvis frequenter in sacris occurrat. — *Ipse habitus crucis*] Piam admodum habes figurae crucis, adeoque imaginis eidem affixae speculationem, quam et saepe et libenter imitatur Augustinus, verba ista apostoli: *Ut possitis comprehendere quae sit longitudo et latitudo et sublimitas et profundum, scire etiam superminentem scientiae charitatem Christi,* ad sacramentum crucis referens, *ut in latitudine accipiatur transversum lignum, quo extenduntur manus, propter operum significationem: in longitudine ab ipso usque in terram, ubi totum corpus crucifixum stare videtur, quod significat persistere; in altitudine ab ipso transverso ligno sursum versus quod ad caput eminet, propter expectationem supernorum; in profundo autem pars illa ligni quae in terrae abdito defixa latet.* Haec Augustinus Epistolae 112. cap. 12. Epistol. 119. cap. 41. et Epistol 120. cap. 26. quibus imaginis crucifixi considerationem sanctissimis Patribus longe gratiorem fuisse perspicimus, quam neotericis Gnosticis. Observandum porro quinque extremitates seu fines dominicae cruci hîc aperte tribui; ac de quatuor omnibus constat, de quinta, ubi requiescere dicitur affixi corpus, non ita. Non enim clare dicitur, an pedibus tanquam subiecto scabellulo quiesceret; an

vero media corporis parte quodammodo sederet. Verum Gregorius Turonensis disertis verbis de tabella, alii suppedaneum vocant, in qua et pedes innixi et fixi fuerint, hoc intelligendum tradit (lib. de glor. Martyrum cap. 6.): *In stipite erecto,* inquiens, *foramen factum manifestum est: super hanc vero tabulam tanquam stantis hominis sacrae affixae sunt plantae.* His fere similia sensisse videntur Iustinus martyr in Dialogv: Tertullianus libro tertio advers. Marc. capit. decimo octavo et decimo nono; et venerabilis Beda in Collectaneis, affirmans eandem crucem ex quatuor diversorum lignorum generibus compactam fuisse; quarto haud dubie suppedaneum illud intelligens. Istud denique plurimum confirmant vetustissimae crucifixi Domini nostri in templis servatae imagines, quas etiam eodem anno quo haec scribimus 1595. multis in locis conspeximus, cum dicto scabellulo, in quo pedes etiamnum distincti secretique duobus clavis affiguntur. Quatuor certe clavis confixum cruci Christum fuisse, non tantum ex historica inventionis sanctae crucis narratione satis aperte mihi colligi posse videtur; sed etiam ex certissimis Patrum testimoniis. Cyprianus namque Serm. de passione, plurali numero dicit: *Clavis sacros pedes terebrantibus.* Et supra laudatus Antistes Turonensis apertius scribit: *Clavorum dominicorum quod quatuor fuerint, haec est ratio: Duo sunt affixi in palmis, et duo in plantis.* Eadem quoque est sententia lib. I. cap. 10. S. Brigidae revelationum, quas etiam summi Pontifices probaverunt. — *Unaquaeque tabula*] Diversae fuerunt sententiae Hebraeorum, Grae- p.371.
corum et Latinorum, quot praecepta in quaque tabella reponantur. Iosephus (Antiq. III. cap. 6. et 8.) et Philo (lib. de decalogo) quos hic imitatur Irenaeus, quinque in qualibet collocant. Ex Graecis Origenes, Procopius et Hesychius cap. 20. Exodi enarrantes et Clemens Alex. 6. Strom. 4. in priore, sex in posteriore annumerant, quibus ex Latinis adstipulatur Ambrosius. Latinis fere omnibus valde probatur Augustini (in 6. cap. Ephes. Lib. de decem chordis) partitio, qua tria tantum in prima constituit, quibus Dei cultus explicatur; septem in alia, quibus proximi dilectio iubetur. — *Quis enim concedat*] Contendit, nec dies nec menses nec annos praeterlabentes conflictos a se Pleromatis Aeones significare: ac idcirco desumta ab his argumenta nihil omnino concludere. — *Praefinitive*] Ita vetus cod. Delevimus p.372.
praefinitione.

GRABIUS: *Iesus — litterarum est duarum et dimidiae*] Scien- p.363.
dum veteres dixisse *Iesu* et hebraice ישו pro Iesua; inde manasse puto scripturam graecam Ἰησοῦς; nam a Iesua diceremus Iesuas. Hoc posito quum dicat hoc nomen litterarum esse duarum et dimidiae, quid aliud arbitremur, quam per dimidiam ipsum litteram *Ioth* intellexisse. Quippe is eius litterae character est, ut vix ad medium aliarum litterarum attingat, et quidem si cum illis conferatur, pro dimidia littera iure haberi possit. Haec *Drusius* Centuria I. Miscellaneorum cap. 44. ubi et de interpretatione nominis Iesu, qua *Dominum eum, qui continet caelum et terram,* significare traditur, eadem dixit, quae Feuardentius. — *Decem quidem sunt numero*] Legendum con- p.366.
iicio *XXduae quidem* etc. quot litteras apud Hebraeos esse notum est. — *Scribuntur autem quaeque per quindecim, novissima littera copu-*

lata primae] Haec quid sibi velint, diu multumque cogitavi, sed excogitare haud potui. Textum sane corruptum esse cod. Voss. indicat.
p.368. — *Duas et dimidiam habet litteras*] ך finale pro dimidia littera ה accipitur. — *Et hedyosmo*] Nota Irenaeum Exod. XXX. 34 non legisse *χαλβάνην ἡδυόσμου*, uti nunc in LXX. versione exstat, sed *χαλβάνη, ἡδύοσμον;* adeo ut iuxta hanc lectionem sacrum thymiama, perinde
p.370. ut sacrum unguentum, *ex quinque commixtionibus subsistat.* — *Ipse habitus crucis* etc.] A Iustino martyre haec sane accepisse videtur Irenaeus, utpote qui in Dial. cum Tryphone pag. 318. crucem his descripsit verbis: *ὄρθιον γάρ ἐστι τὸ ἓν ξύλον* (arrectarius stipes), *ἀφ' οὗ ἐστι τὸ ἀνώτατον μέρος εἰς κέρας ὑπερηρμένον* (vertex cui impingitur titulus aut caussa mortis) *ὅταν τὸ ἄλλο ξύλον προσαρμοσθῇ, καὶ ἑκατέρωθεν ὡς κέρατα τῷ ἑνὶ κέρατι παρεζευγμένα τὰ ἄκρα φαίνηται* (transversum tignum, quod quasi brachia crucis facit) *καὶ τὸ ἐν τῷ μέσῳ πηγνύμενον, ὡς κέρας καὶ αὐτὸ ἐξέχον ἐστίν, ἐφ' ᾧ ἐποχοῦνται οἱ σταυρούμενοι.* Quae ultima verba Scaliger in Animadversionibus ad Euseb. p. 118. ita latine transtulit: *et quod in medio stipite impactum est, ipsum quoque instar cornu eminet, cui insidunt et vectantur ii, qui cruci affiguntur.* Unde plura de crucis structura et partibus commentatur; contra quae tamen disputat Fullerus lib. IV. Miscellaneorum sacrorum cap. 12. prolixe ex ipsa Iustini martyris et Irenaei collatione probans, istud, in quo insidere dicuntur, qui supplicium dant, non esse distinctum a scabello, cui pedes inniti
p.371. et infigi solebant. — *Columnas habebat quinque*] *Quatuor* solum Exod. XXVI, 32. memorantur columnae velaminis, quibus Sanctum sanctorum a Sancto distinguebatur; sed ibid. vers. 37. *quinque* dicuntur columnae ante quas ducebatur velum, quod in introitu tabernaculi erat. Illud igitur, pro hoc, accepit Irenaeus memoria lapsus. — *Altitudo*] *Longitudinem* vel *latitudinem* ponere debuisset Irenaeus, quae utraque *erat quinque cubitorum, per quadrum,* uti locis supra citatis
p.373. describitur; altitudo autem *trium* erat cubitorum. — *Sinistrae manus levamen*] Molestum mihi fuit hoc *sinistrae manus levamen,* nec facile est istud dextre interpretari. Nisi me coniectura fallit, *levamen* hîc dicitur a *levare,* id est furari, furto abducere; in qua significatione hoc verbum usurpatum legitur a Gallicis praecipue scriptoribus, qualem Irenaei interpretem quoque fuisse vero est simillimum. Sic Sidonius Apollinaris lib. VII. Epist. 2. scribit: *Levat divitem coniugem pauper adamatus,* id est, furto abducit. In quem locum commentans doctissimus Savaro, plura ex Gregorio Turonensi aliisque attulit. Quid si itaque *sinistrae manus levamen* interpretemur, id quod a dextra ad sinistram manum subductum est, indeque perditum? Integer sane contextus hanc expositionem bene admittere videtur, eamque haud parum confirmat, quod in *dextra* opponantur *oves, quae non perierunt, sed in ovili permanserunt,* non furtiva manu raptae vel perditae.
p.362. MASSUETUS: *Scientiae eorum — demonstrant*] Quamvis in omnibus MSS. legatur *demonstrat,* legere tamen malim cum Erasm. Gall. et Feuard. *demonstrant,* quia clarior inde exsurgit sensus. Porro *scientiae eorum* hîc accipe pro *scientiae suae;* nam *αὐτῶν* frequenter

vertit interpres *eorum,* ubi pronomen possessivum usurpandum erat. — *Quia quinque — MCCCCVIII*] Hanc genuinam lectionem, quam ex editt. partim, partim ex MSS. codd. collegisse se dicit Grabius, totam et integram habet cod. Clarom. Ceteri omnes aliqua parte vitiosi sunt. Porro vocis *Σωτὴρ* litterarum numerus dicitur esse MCCCCVIII, quia littera σ denotat 200, ω 800, τ 300, η 8, ρ denique 100, qui numeri collecti dant MCCCCVIII. — *Iesus — litterarum est duarum* p.363. *et dimidiae*] Iesus enim hebraice scribitur ישע, vel secundum alios ישו, ubi quum littera *Iod* vix ad medium aliarum attingat, ab Irenaeo dimidia littera dicitur. — *Significans Dominum eum qui continet* etc.] Perobscurus locus et aenigmati similis. Solutionem tentavit Drusius cent. I. Miscellan. cap. 44. et post eum Feuardentius, nec, puto, infelici successu, nisi quod vocem *usser* neuter intellexerit. Observat igitur Drusius, *Notaricon* ab Hebraeis dici, quum ex litteris consonantibus colliguntur integrae dictiones; ut quum v. g. dicunt, *Adam* significare *pulverem, sanguinem, amarum,* i. e. עפר, דם, מר. Quae quidem observatio lucem affert huic Irenaei loco. Hic enim nomen *Iesus* significare asserit *Dominum eum qui continet caelum et terram.* Quod verum esse deprehendes, si advertas nomen *Iesu,* prout ab Hebraeis scribitur ישו vel ישע, (ad utrumque enim scribendi modum attendere videtur Irenaeus) litteris tribus, vel, ut ait ille, duabus et dimidia, consonis constare, quarum singulae secundum *Notaricon* significant singulas dictiones. Videlicet י Iod, quae prima littera est, *τοῦ τετραγραμμάτου* יהוה *Iehovah,* quod Dominum, sive *Κύριον* reddunt LXX. *Dominum* nobis exprimit. Deinde ש, quae prima littera est vocis שמים, *caelum* exhibet: postremo, ו initium est וארץ, quod est *et terra.* Vel si Iesus scribatur ישע, littera ע initium erit vocis עפר *pulvis,* quae transferri potest ad significandum terram. Et iam ergo patet quo pacto *Iesus* ex Irenaei mente significet secundum vim hebraicae vocis *Dominum caeli et terrae,* quia tria haec: *Dominus caelum et terra,* virtute quadam in ea voce continentur. Hinc subnectit: *quia Iesus secundum antiquam hebraicam linguam caelum est, terra autem iterum sura user dicitur.* Iesus enim secundum *Notaricon* vocem שמים complectitur, cuius primam litteram in se continet. Sed quid sequentia haec? *Terra autem iterum sura user dicitur.* Nodum sic solvo. *Sura* et *User,* quarum significatum hactenus Irenaei interpretibus impervium exstitit, sunt ipsissimae hebraicae voces ארץ et עפר vel וענפר, *Arets* et *Aphar* vel *Apher,* aut *Vapher, terra* et *pulvis,* sed ex imperitia hebraici sermonis misere deformatae, sive ab Irenaeo ipso, sive ab amanuensibus. Nempe ex voce ארץ inverso ordine, id est a laeva ad dextram more nostro lecta, fit *sura,* ut inspicienti patet. Pro *apher* vero aut *vapher* haud dubito quin scripserit latinus interpres *ufer, f* pro *ph,* imperiti autem scribae *f* commutarint in *f,* unde factum *user.* Iam quid hebraicae istae voces affine habeant cum nomine *Iesu,* ex dictis patet. Si enim utrique praefigas ו, ultimam nominis huius litteram exhibebit. Si demas, ע prior littera vocis עפר postremam dabit nominis ישע, uti et א prima littera vocis ארץ: nec enim probabilitate vacat Irenaeum, hebraice nescientem, existimasse nomen Iesu ab Hebraeis scribi ישא. Planum

hinc evadit quod sequitur: *Verbum quod caelum et terra habet, ipse est Iesus.* Iesus enim vox est quae vi complectitur eas, quae apud
p.365. Hebraeos caelum et terram significant. — *User*] Ex praecedenti nota patet legendum esse aut *apher,* aut *vapher,* aut saltem *ufer.* Interim cum Clarom. et Voss. scribere malim *user* quam cum ceteris *usser.* — *Habet litteras*] *Sion* addunt editt. Erasm. Gall. et Feuard. Sed quid sibi velit, quidve ad rem praesentem faciat ea vox, explicare non possunt. Crediderim quempiam, ut huius Irenaei sententiae, *Iesum secundum Hebraicam linguam duas et dimidiam habere litteras,* veritatem oculis exhiberet, ad marginem codicis sui Hebraicam vocem ישו descripsisse, quam imperitus alter in textum transtulit, sed turbato litterarum ordine corruptam. Nempe pro ישו scripsit שין, unde factum *Σιοῦ, Siou,* ac tandem *Σιόν.* At quum peregrina ea vox desit
p.366. in veteri Feuard. cod. Clarom. et Voss. hanc expunxi. — *Qui est in DCCCLXXXVIII*] Ita cod. Clarom. In codice Voss. scribitur: *quem in DCCCLXXXVIII,* cum quo consentit vetus Feuard. cod. nisi quod post *in* habeat *M.* quasi millenarii notam. Sed in editt. Erasm. Gall. et Feuard. longe peius: *qui est Iudaice LXXXVIII.* Nempe vocem *Iudaice* peperit oscitantia scribarum, qui particulam *in* numeris *DCCC* praefixam male legentes, litterisque numeralibus perperam copulantes, scripserunt *Iudaice.* Genuinam autem esse nostram lectionem demonstrant, quae lib. I. cap. 15. n. 2. dicta sunt. — *Scribuntur autem per XV*] Sic partim ex editt. partim ex MSS. restituo. In illis legitur: *scribuntur autem quaeque per quindecim.* In Clarom. vero: *scribuntur autem quae scribuntur XV.* Consentit et Voss. nisi quod omittat *autem.* Ac proinde ex editt. expungo vocem *quaeque,* quae in MSS. non exstat, sensumque confundit; retineo vero *per;* ac pro *quindecim* scribo ex citatis MSS. *XV.* Quem tamen numerum quum ex integro legeris, exprimi velim non *quindecim,* sed *decem et quinque;* quod postremum a scribis exarandum fuisset; id enim exigit sensus, nec alias Irenaei verba intelligi possunt. Id quippe sibi probandum suscepit, *per omnia Hebraeorum litteras non convenire numero Graecorum*; quod ut conficiat, comparationem instituit inter utrasque litteras: ac proinde sicuti graecas, sic et hebraicas litteras spectat, non absolute prout elementa sunt vocum, (quod omnes Irenaei interpretes fefellit), sed arithmetice, prout notae numerorum sunt. Porro nemo nescit litteras graecas arithmetice spectatas, in tres nonarios seu columnas, singulas ex novem litteris, secundum alphabeti seriem dispositis constantes, sic distribui, ut prior nonarius det unitates, secundus denarios, tertius centenarios. Suas litteras eodem ordine et eadem serie distribuunt Hebraei. Sed id discriminis est Graecos inter et Hebraeos, quod illi nullas in alphabeto arithmetico litteras repetant, sed tribus ad 24 litteras additis episemis, *βαῦ* in priori columna, *Κόππα* in secunda, *Σαμπὶ* in tertia, numerum 27 facile compleant. At Hebraei, quum 22 duntaxat litteras habeant, careantque *episemis,* tres nonarios seu numerum 27 complere non possunt, nisi repetitis litteris quinque. Eae autem sunt finales quinque ךמנפץ, quas in ultimo nonario post ת reponunt. Rem oculis exhibebit schema sequens:

א 1	י 10	ק 100	אּ 1000
ב 2	כ 20	ר 200	בּ 2000
ג 3	ל 30	ש 300	etc.
ד 4	מ 40	ת 400	
ה 5	נ 50	ך 500	
ו 6	ס 60	ם 600	
ז 7	ע 70	ן 700	
ח 8	פ 80	ף 800	
ט 9	צ 90	ץ 900	

His animadversis densa illa auctoris nostri verbis offusa caligo ultro discutitur. *Ipsae,* inquit, *antiquae et primae Hebraeorum litterae decem quoque quidem sunt numero, novissima littera copulata primae.* Id est, in hoc conveniunt Hebraeorum litterae cum graecis, quod et illae quoque in unaquaque columna novem quum sint, desinant semper in denarium, quae prior littera est columnae sequentis: ac proinde si novissima uniuscuiusque columnae littera copuletur primae litterae columnae sequentis, decem efficiunt seu decem sunt numero. Ut v. 9. si ט quae novissima littera est primae columnae copuletur cum י, quae prima est columnae sequentis, decem fient. *Scribuntur autem per decem;* sic enim ordinantur, ut postrema cuiuslibet columnae littera in denarium desinente, litterae omnes in varias columnas divisae *scribantur per decem* seu per decadas; *et quinque,* finales videlicet. Quia enim tertius nonarius, seu tertia columna constaret tantum litteris quatuor, necesse fuit quinque finales addere, ut compleretur decas. Et in hoc differunt litterae arithmeticae Hebraeorum a graecis; quod in his eaedem nusquam repetantur litterae, in illis repetantur. Iam quo tendat ea Irenaei argumentatio facile advertit quisque, nempe varias illas quas ex litteris ducebant Valentiniani, numerorum copulationes omnino ruere, si ad primaevas et omnium antiquissimas, quibus oracula sua ipse Deus edidit, litteras hebraicas exigantur. Quum enim istae eadem serie non disponantur atque graecae, unaque ac eadem littera pro diverso situ diversos denotare possit numeros; hinc fit ut voce ישו vel ישע idem numerus non exsurgat, atque ex voce Ἰησοῦς. Quod et de aliis quibusvis vocibus dicendum. Ignoscat lector si paullo diutius in hoc et praecedentibus Irenaei locis immoratus sim: id brevioribus explicare fas non fuit, quod adeo intricatum videbatur, ut ab aliis inexplicabile, ab aliis depravatum censeretur. Si cui vero probentur allatae explicationes, laudem non mihi, sed doctissimo Martianaeo nostro, viro rerum hebraicarum scientia haud vulgari in republica litteraria notissimo, referri velim. Hic enim, grato animo fateor, in salebrosis tenebrosisque caliganti mihi facem benigne praetulit. — *Quaedam secundum subsequentiam* p.367. *scribunt — quaedam autem retrorsum* etc.] Id est, quasdam litteras a sinistra in dexteram, more Graecorum et Latinorum scribunt, nec a dextra in sinistram partem retorquent. Tales sunt saltem א, et quatuor finales הוך et ץ, alias vero a dextra parte in sinistram retorquent. Et in hoc etiam graecis et latinis dissimiles sunt Hebraeorum litterae. — *Baruch*] Ita vetus Feuard. cod. Clarom. Voss. et Grab. p.368. ceteri perperam *Barneth.* Porro Baruch, *benedictus,* Dei cognomen

esse nemo nescit. — *Duas et dimidiam habet litteras*] Sic enim Baruch hebraice scribitur ברך, ubi Kaph finale pro dimidia duntaxat littera ab Irenaeo computatur, quod extrema eius parte non retorta (uti retorqueri solet quum vocem non terminat), velut imperfectum maneat.
p.369. — *Septem quidem habens calamiscos*] *Καλαμίσκος*, inquit Feuard. significat praeter alia, parvulam arundinem et fistulam; et quia harum formam habebant tres cannae illae ex candelabri Mosaici medio stipite utrimque prodeuntes, hîc graeca voce *καλαμίσκους* eas appellat. Sic ille. Sed quum sex calamiscos duntaxat Moses referat Exod. XXV. 32. et 33., septem vero memoret Irenaeus, necesse est hîc inter calamiscos annumeraverit supremam et extremam candelabri stipitis partem, quae et ipsa desinebat in scyphum, sphaerulamque ac lilium. Et hinc septifidum passim appellatur candelabrum. — *Atria*] Graecam vocem *αὐλαίας* hîc et paullo post vertere debuisset interpres cum Vulgata *cortinas* sive *vela*. — *Latitudo autem unius* etc.] Ita versio LXX. Exodi XXVI, 16. *πήχεως ἑνὸς καὶ ἡμίσους τὸ πλάτος τοῦ στύλου τοῦ ἑνός*. At in hebraeo textu et Latina Vulgata, aliisque versionibus, de *tabulis*, non *columnis* haec dicuntur. — *Ireos*] Gr. *ἴρεως*, in genitivo; quod vulgatus Bibliorum interpres vertit *casiae*. Sed de his et sequentibus aromatibus consule sis Bibliorum interpretes: haec enim explicare nostri non est instituti. — *Ungula*] Graece *ὄνυχος*. *Onycha* vertit vulgatus Bibliorum interpres. Quoddam aromatis genus esse constat; sed quid sit, non liquet. — *Hedyosmo*] *Ἡδύοσμον* herbam odoram esse, quae mentha Latinis dicitur, nemo nescit. Sed hîc lapsus videtur Irenaeus, pro *Χαλβάνην ἡδυσμοῦ*, *Galbanum boni odoris*, uti nunc legitur Exodi XXX, 34. tum in LXX. tum in Vulgata, legens *Χαλβάνην, ἡδύοσμον*: sicque sacrum thymiama, perinde ut sacrum oleum, *ex quinque commixtionibus subsistere* arbitratus est; quum tamen loco Exodi citato quatuor duntaxat aromatici gummi species recenseantur, quibuscum *mentha* nihil affine habet. —
p.370. *Habitus crucis fines et summitates habet quinque* etc.] Haec a Iustino martyre mutuatus fuisse videtur Irenaeus. Ille enim in Dialogo cum Tryphone, de cruce ita disserit: *Μονοκέρωτος κέρατα οὐδενὸς ἄλλου πράγματος, ἢ σχήματος ἔχοι ἄν τις εἰπεῖν, καὶ ἀποδεῖξαι, εἰ μὴ οὗ τύπου, ὃς τὸν σταυρὸν δείκνυσιν. Ὀρθιον γὰρ τὸ ἔν ἐστι ξύλον, ἀφ' οὗ ἐστι τὸ ἀνώτατον μέρος εἰς κέρας ὑπερηρμένον· ὅταν τὸ ἄλλο ξύλον προσαρμοσθῇ, καὶ ἑκατέρωθεν ὡς κέρατα τῷ ἑνὶ κέρατι παρεζευγμένα τὰ ἄκρα φαίνηται. Καὶ τὸ ἐν μέσῳ πηγνύμενον ὡς κέρας, καὶ αὐτὸ ἐξέχον ἐστίν, ἐφ' ᾧ ἐποχοῦνται οἱ σταυρούμενοι, καὶ βλέπεται ὡς κέρας καὶ αὐτό, σὺν τοῖς ἄλλοις κέρασι, συνεσχηματισμένον, καὶ πεπηγμένον. Per Monocerotis cornua nemo dicere, aut ostendere potest rem aliam, seu figuram referri, nisi eam quae crucis speciem adumbrat. Huius enim lignum unum arrectarium est, cuius pars summa tanquam cornu eminet: quum alterum lignum* (transversarium cognominatur) *aptatum est, huius extremitates instar cornuum alteri cornu iunctorum prominentes utrimque videntur. Illud vero, quod in medio defixum est, et ipsum tanquam cornu eminet, quo innixi sustinentur, qui crucifiguntur: et apparet veluti cornu illud quoque cum aliis cornibus conformatum atque compactum.*

Quamvis autem Iustinus quatuor duntaxat crucis *fines*, seu cornua memoret, Irenaeus vero quinque, alter tamen ab altero non differt. Nam ille ad crucis extremitates quae eminent seu apparent, attendit; arrectarii proinde extremitatem infimam terra defossam silentio praetermittit: hic omnes extremitates, illam etiam quae in terram defigitur, sibi commemorandas putavit, ut numerum quinarium expleret. De quatuor quidem extremitatibus sive cornibus, quae ex utroque ligno, arrectario scilicet et transversario exsurgunt, omnibus constat; sed de quinta non item. Alii de suppedaneo sive asserculo seu tabula, cui innixi simul et fixi pedes, interpretantur. Immo Scaliger in animadversionibus Eusebianis non suppedaneum modo, sed et lignum quoddam medio stipiti impactum, cui insideret et velut inequitaret is, qui cruci affigebatur, ex Iustini et Irenaei verbis eruere se posse putat. Reclamant alii. Ac de suppedaneo quidem scripsit Iustus Lipsius lib. II. de Cruce cap. 10. *nimis accuratam eam fabricam, immo delicatam videri.* De pegmate vero medio stipiti infixo scribit Fullerus lib. IV. Miscellan. Sacr. cap. 12. imaginarium esse Scaligeri inventum, quod nullius, nisi forte Iaponensium, testimonio confirmari queat. Lege sis utrumque. — *Praecepta habebat quinque*] Non una est omnium p.371. de divisione praeceptorum sententia. Iosephus lib. III. Antiquit. Iudaic. cap. 6. et Philo Iudaeus in libro de Decalogo, perinde atque Irenaeus, quinque in unaquaque tabula scripta fuisse putant; nisi quod Philo praeceptum de honorandis parentibus, duarum tabularum quoddam vinculum et connexionem esse arbitratur. Alii tria duntaxat in priori, septem in posteriori tabula collocant. Alii communius quatuor priora mandata, quibus Dei cultus explicatur, priori tabulae adscribunt; sex alia, quibus proximi dilectio iubetur, posteriori. De his lege Origenem Hom. 8. in cap. 20. Exodi, Clem. Alexand. lib. VI. Strom. Augustinum lib. Quaest. super Exod. cap. 71. et alios. — *Columnas habebat quinque*] Confundit Irenaeus velum, quod in introitu tabernaculi positum erat, cum eo quod Sanctum sanctorum claudebat: illud enim ante columnas quinque, hoc ante quatuor duntaxat ducebatur, ut constat ex Exodi XXVI, 32. et 37. — *Altitudo eius*] In Clarom. et Voss. deest *eius*. Sed nisi pro *altitudo* legendum *sit latitudo*, memoria lapsus tribuit Irenaeus altitudini, quae longitudini et latitudini adscribenda erant. Nam Exodi XXVII, 1. legitur: *Facies et altare de lignis Setim, quod habebit quinque cubitos in longitudine, et totidem in latitudine, id est, quadrum, et tres cubitos in altitudine.* — *Logium*] Rationale dicit Vulgata nostra. — *Et mensis in duodecim*] p.372. Clarom. *et mensis X in XII*, uterque numerus forte retinendus, et legendum, *mensis in X et XII.* — *Neque iterum dies horum*] Vel subintellige *figura facti sunt*, seu *horum caussa facti sunt;* vel lege: *neque iterum dies horarum duodecim.*

LE CLERC (in *Bibliothèque choisie*, Année MDCCXII. Tome XXV. Seconde Partie. pag. 335): Je dirai *) ici quelque chose d'un passage de *S. Irenée*, qui se moque des Valentiniens, qui cherchoient des mysteres dans des mots Grecs, en épluchant la valeur arithmétique de

*) Veterem doctissimi censoris scribendi rationem emendare nolui.

châque lettre; comme les Juifs ont fait depuis dans leur langue. C'est au Livre II. C. 24. ou 40, et 41, où il les censure de chercher, dans le nom de Jesus, le nombre que font les lettres greques, dont il est composé; parce que ce mot est Hebreu, et qu'il faudroit au moins tirer ce qu'on en dit, de la langue Hébraïque; sur quoi voici comme il raisonne, sur ce qu'il avoit oui dire à quelcun, qui prétendoit savoir l'Hebreu, §. 2. *Iesus autem nomen, secundum propriam Hebraeorum linguam, litterarum est duarum et dimidiae, sicut periti eorum dicunt, significans* Dominum eum qui continet caelum et terram, *quia Iesus, secundum Hebraicam linguam,* coelum *est, terra autem iterum* sura user *dicitur.* On ne pourroit entendre ce passage, sans savoir la langue Hebraïque; par laquelle, on voit, en même temps, que le bon *S. Irenée,* s'était laissé tromper. Le premier, qui l'ait expliqué, est *Jean Drusius,* dans ses Mélanges Liv. I. C. 44. comme le P. Massuet en convient, et il n'a pas été besoin d'ajoûter beaucoup à ce qu'il avoit dit. *Drusius* avoit donc découvert, que *S. Irenée* fait allusion à ce que les Juifs nommoient *Notaricon,* et qui consiste à prendre châque lettre pour un mot, qu'elle commence, et à former de cela un sens, qui ait du rapport à la signification du premier mot. Par exemple, dans אדם *Adam,* qui signifie un homme, on trouve אפר *epher,* poussière (et non עפר *haphar,* comme le dit nôtre Auteur, apparemment après le *P. Martianai,* qu'il dit avoir consulté; car on n'écrit pas עדם *hadam* par un ע, et *Drusius* ne l'avoit pas dit, quoi qu'il écrive en Latin APHER, comme *Abel,* pour *Ebel,* selon l'ancienne manière, qu'il affecte souvent de suivre) דם dam, *sang,* et מר *mar,* amer. De même, dans le mot ישו *jeschou,* comme les Syriens écrivoient en mot, il y a un י, c'est-à-dire יהוה *jehovah,* que les LXX ont traduit *Seigneur;* un ש, c'est-à-dire שמים *schamajim,* ou le Ciel; et un ו, c'est-à-dire וארץ *veerets* ou *et la terre.* Voilà donc, dans le nom de Jesus, par le moyen du *Notaricon,* la signification de ces mots, *le Seigneur du ciel et de la terre.* Le mal est que le mot de *Jehovah* ne signifie point *Seigneur* et que les Septante ne l'ont traduit ainsi, que parce que, dans la lecture, ils lui substituoient, selon l'usage des Juifs, celui *d'Adonai,* qui signifie *Seigneur.* Outre cela, *Jehovah,* étant un nom propre, il n'entre point en *construction:* comme parlent les Grammairiens et comme ceux, qui entendent l'Hebreu, le savent. D'ailleurs S. *Irenée* étoit mal informé lors qu'il disoit que le *Jod* n'était qu'une demi-lettre, car premièrement la petitesse d'une lettre, dans sa figure, n'empêche pas qu'elle n'ait la force d'une lettre entière; outre que sa figure dans l'ancien caractère Hebreu, qui est celui que l'on voit dans le Pentateuque Samaritain, contient trois fois plus de traits, que dans le caractère Assyrien, dont les Juifs se servent; ce qu'il faut remarquer, parce que nôtre Auteur a ensuite recours à ce caractère. D'ailleurs les mots *qui continet,* ne sauroient être renfermez dans le mot *Jehovah.*

Pour l'explication du mot *terre,* en Hebreu *sura user,* on voit qu'elle ne vaut rien, puisqu'on dit *erets,* ארץ. Mais pour l'y trouver, on lit premièrement à rebours *tsura,* ou *sura* ce qui est absurde; et pour faire quelque chose d'*user,* on soupçonne qu'il faut lire *ufer,*

et que c'est la même chose que ופפר *vahaphar* ou *vafer,* comme le P. *Massuet* lit ce mot contre l'Analogie. Il ajoute que, si on ôte le *Vau,* l'Aïn première lettre de עפר fera la dernière de *Jesu,* ישע *jeschah.* Mais pour cela, il faut renoncer à l'explication précedente, qui suppose que le mot de *Jesu* finit par un *Vau.* On ne peut pas retenir en même tems, ces deux manières d'écrire. Il ajoute encore qu'il se pourroit faire, que S. Irenée eut cru qu'il falloit écrire ce nom ישא *jescha,* avec un Aleph à la fin, qui est la première du mot ארץ *erets,* terre. Mais il n'y a pas de l'apparence, que S. *Irenée* pensât à cela; parce qu'il ne savait pas même qu'elle était la figure des lettres Hebraïques, soit Phéniciennes, soit Assyriennes et que cela est incompatible, avec ce qu'il dit d'une *demi-lettre,* qui ne peut quadrer qu'au *Jod* de l'écriture Assyrienne. Il vaut mieux tomber d'accord qu'il a été trompé, par quelque Juif, ou par quelcun d'autre, qui faisait semblant de savoir l'Hebreu, et qui ne le savoit point; et regarder *sura user,* comme des mots, qui ne signifient rien, et dans lesquels on ne doit point chercher de mots Hebreux.

S. Irenée conclut néanmoins de ce qu'il vient de dire: *verbum ergo, quod coelum et terra habet, est Jesus,* et ajoûte encore, un peu après, que ce mot *a deux lettres et demie.* On vient de voir qu'il se trompoit, et un homme habile dans la langue Hebraïque ne le lui pouvoit pas avoir dit, à moins qu'il ne le voulût tromper.

Les Juifs ont une manière mystérieuse d'expliquer les mots, en comptant la valeur numerale des lettres, et en prenant, pour des mots du même sens, ceux dont les lettres ajoutées ensemble font le même nombre. Ils nomment cet art prétendu *Gematrie,* par corruption pour *Géometrie.* Les Valentiniens avoient quelque réverie semblable, qui leur faisait chercher des mystères, dans le nombre qui résultoit de l'addition des lettres d'un mot. Par exemple, le mot Ἰησοῦς fait, selon la valeur numerale des lettres Greques 888, ce qu'ils prétendoient avoir du rapport avec leur *Ogdoade,* ou *Huitaine.* S. Irenée leur dit, avec raison, qu'il ne falloit pas compter les lettres d'un mot Hebreu, selon la valeur des lettres Greques, mais qu'ils dévoient montrer par cette voie, que le mot Σωτὴρ a du rapport à l'Ogdoade, ce qui ne se pouvoit, parce que les lettres de ce mot font 1508. Il remarque aussi que la valeur numerale des lettres n'est pas la même, dans l'alphabeth Hebreu et dans le Grec; après quoi il ajoûte ces paroles, qui sont fort obscures: *Ipsae enim antiquae et primae Hebraeorum litterae et sacerdotales nuncupatae decem quoque quidem sunt numero (scribuntur autem per XV.) novissimâ litterâ copulatâ primae.* Le P. Massuet croit qu'il faut entendre ici les lettres, dont les Samaritains ont conservé l'usage, et auxquelles les Chaldaïques, ou Assyriennes ont succedé, parmi les Juifs. Il croit aussi que le nom de Dieu, qui étoit sur la lame d'or de la Tiare Sacerdotale, étoit écrit en ces premières lettres, et que c'est pour cela que S. *Irenée* les nomme *Sacerdotales.* Je crois aussi qu'il a raison, mais si S. Irenée avoit sû l'Hebreu, ou qu'il eût été bien instruit, il n'auroit point parlé de ces lettres, comme si elles avoient eu quelque chose de particulier, par rapport à leur valeur numerale; puis

qu'à cet égard, il n'y a point de difference, entre elles et les Assyriennes. Pour expliquer les paroles suivantes, le P. *Massuet* après avoir parlé de la manière, dont on dispose les lettres Greques, en arithmétique [1]), où on les met en trois colomnes châcune de neuf figures, sans répeter aucune lettre, parce qu'on y joint trois figures, qui ne sont pas des lettres; remarque qu'il n'en est pas de même des Hebreux, qui n'ont que vint-deux lettres, et qui sont obligez d'en répeter cinq, qui sont celles que l'on peint autrement à la fin des mots et que l'on met à la dernière colomne. Cela étant ainsi, il croit que ces mots: *Hebreoarum litterae decem quoque sunt numero, novissimâ litterâ copulatâ primae,* veulent dire que chaque colomne, ou celles des unitez, des dixaines et des centaines, finissent par une dixaine; qui est la première de la colomne suivante, avec laquelle elles font dix. Pour les mots, *scribuntur quoque per XV.* il les explique comme s'il y avoit *per decem et quinque,* ou par dixaines et les cinq finales. S. *Irenée* a en effet dû dire cela, pour dire quelque chose, mais il auroit mieux parlé, s'il avoit dit *per enneades,* par neuvaines; autrement les Grecs, aussi bien que lex Hebreux, repètent l'*Alpha,* au commencement de la quatrième colomne, qui commence par *mille,* en mettant dessous un petit trait, ou deux traits au-dessus.

S. *Irenée* ajoûte: *Et ideò quidem quaedam secundùm subsequentiam scribunt, sicuti et nos; quaedam autem retrorsum, à dextra parte in sinistram retorquentes litteras.* On voit, par les derniers mots, que *secundùm subsequentiam* veut dire *de la gauche à la droite.* Le P. *Massuet* croit que les lettres, que les Juifs écrivent ainsi, sont l'*Aleph,* le *Jod* et les finales, excepté le *Mem.* Pour moi, il me semble qu'on ne peut écrire ces lettres, même séparées, qu'en les tournant de la droite à la gauche, aussi bien que toutes les autres, et que les traits le font voir. S. *Irenée* parloit, comme un homme, qui n'entendoit point ce qu'il disoit. Les Hebreux n'écrivent que de la droite à la gauche, non plus que les Samaritains. Il ne faut pas oublier, à l'égard de ces derniers, qu'ils n'ont point de lettres finales distinguées par leur figure; de sorte que l'on ne peut pas sauver S. Irenée par là; et quand même on entendroit ce qu'il dit, de l'écriture Assyrienne, on ne l'excuseroit point. Il dit un peu plus bas: *super omne nomen, quod dicitur Deus, quod et ipsum Hebraïcè* Baruch *dicitur, et duas et dimidiam habet litteras.* A parler régulierement, ברוך *Barouch,* a quatre lettres. Ce mot ne s'écrit guère, quand il marque une Epithete, qui appartient à Dieu, c'est-à-dire *beni,* et hors de la construction, sans *Vau.* Le P. *Massuet* croit que le Chaph final est ce que nôtre Auteur appelle une *demi-lettre,* parce que le dessous n'est pas recourbé. Mais en recompense, il est plus long. Il vaut mieux avouer qu'on avoit trompé S. Irenée, qui certainement n'entendoit point l'Hebreu; que de chercher un bon sens, en des expressions, qui n'en ont point, parmi ceux qui entendent cette langue. Il y auroit quelques autres endroits, sur lesquels on pourroit faire de semblables remarques; mais il est tems de finir.

1) On peut trouver cela dans les Grammaires Greques et Hebraïques.

SEMLERUS in Actis Societatis Latinae Ienensis Vol. I. Pag. 77. p.363. haec disputat: *Novissime* doctissimus hebraicae litteraturae vir, *Danzius, in praefatione ad paradigmata nominum et verborum,* quum de nomine Iesu diceret, etiam hunc *Irenaei* locum attigit. Cuius quae de hoc sit sententia, iam proferemus. Ibi post allatam sententiam et iudicium *Irenaei*, de falsitate et instabilitate haereticarum nugarum, ita pergit: *Quae autem probationis loco, ceu solidiora subiungit cap. seq. XLI. quibus falsitatem istorum ad oculum monstrat, tam intricata sunt et luxata, ut quaedam istorum hactenus eruditis omnibus, locum examinantibus, inexplicabilia visa sint, nullius sensus et linguae. Verba venerandi senis, ex versione tamen Latina, quum Graeca dudum perierint, iuxta editionem Feuardentii ita sonant:* „Iesus autem nomen secundum propriam Hebraeorum linguam litterarum est duarum et dimidiae, sicut periti eorum dicunt, significans dominum eum, qui continet caelum et terram, quia Iesus secundum antiquam hebraicam linguam caelum est; terra autem iterum *Sura Usser* dicitur. Verbum ergo, quod caelum et terra habet, ipse est Iesus Falsa est ergo et episemi eorum redditio, et numerus eorum eversus est manifeste. Secundum autem propriam eorum linguam quinque litterarum est, graeco vocabulo *Soter. Iesus* autem iterum secundum hebraicam linguam duas et dimidiam habet litteras *Sion.* Ruit ergo numerus calculi, qui est Iudaice LXXXVIII.“ *Vocem* Sion *nupera celeberrimi* Io. Ern. Grabii *editio Anglicana tanquam ad rem praesentem nil facientem omittit penitus, et pro* ruit *e codice Vossiano substituit:* corruit *ac deleta voce:* Iudaice, *pro* LXXXVIII. *recte adhibet ad mentem Marci, lib.* I. *cap.* 12. *pag.* 72. *et cap. praec. indicatam, approbatamque diu post venerabili Bedae* DCCCLXXXVIII. *ceu ogdoada centenarii, denarii ac monadici numeri plenissimam. Quum locum hunc de sensu eius, post diuturnam inquisitionem, habitamque cum viris in litteratura hebraica claris consultationem, desperans Matth. Launoius, Drusio exhibuisset; hic quidem domi eundem scrutatus exultabundus exclamabat: εὕρηκα. Sed inventum illud quod per notaricon idem sit*[1] *ac Iaho, Samaim, Vaares, unicam saltem periodum elucidat: et verba iuxta ipsum extra orationis nexum posita, nullum sensum pariunt; iuxta Feuardentium autem connexa*[2]*: dominus caeli et terrae, linguae indolem violant, nomine proprio regimini adiudicato. De vocibus hebraeis latine expressis, altum Drusio est silentium. Quod et religiose servat b. Aug. Pfeifferus, istius sine animadversione afferens sententiam; Erasmus, qui in editionibus suis difficiliorum interpretationes margini quandoque apposuit, intacta hic reliquit omnia. Quod et Io. Iac. Grynaeus imitatur. Nicol. vero Gallasius,* „quid, *inquit,* affine habet nomen Iesu cum nomine caeli[3]? Terram etiam, quo nomine *Arets* dicitur, eodem nomine Iesu comprehendi, qua ratione probari potest? Apud quos etiam Sura Usser dicatur, nescio. Vestigia quidem nonnulla apparent nominis *arets,* verum inversi et repetiti; sed ita legisse et scripsisse nullos audio. Quum de his dubitarem, doctos viros, atque in litteris tum hebraicis,

1) ישוּ puta. 2) יהוה שמים וארץ. 3) ישוע cum שמים.

tum chaldaicis exercitatos consului; qui aut ignota a Cabbala quadam id ortum esse, aut ab ignorantia et corruptione linguae profectum esse, censuerunt. Franciscus Feuardentius, *Non satis video*, inquit, *quo pacto nomen Sion in nomine Iesu comprehendatur. Nullo etiam idiomate Sura Usser sive User dicitur terra. Oportet ergo vel ab aliqua Cabbala, mihi adhuc ignota, haec desumsisse Irenaeum; vel quod magis mihi probatur, a quibusdam Iudaeorum Rabbinis, quos consuluerit, deceptum fuisse, veluti initio capitis subindicare videtur, dum scribit: sicuti periti eorum dicunt. Pro suo enim odio in Christum et nos, qui eius censemur nomine, solent impuri verpi illi multa confingere et audacter obtrudere, quibus fidem nostram obscurent.*" Haec sufficiat a celeberrimo Danzio sumsisse. Quod non incommode mihi facere videor, quia tota eius de hoc loco disputatio duarum fere partium est; alterius, ubi aliorum sententias affert et refutat, si ita videtur; quam partem hîc, sat licet fuse, exhibuimus; alterius, ubi suam ipse sententiam profert, quam statim adducemus. Pauca ergo huc tantum monebimus. Primum, doctissimo viro placere, retinere vocem *Sion;* quod an recte faciat, quia ibi melior locus, ad alteram disputationis ipsius partem videbimus. Deinde, Drusii et aliorum sententiam de nomine *Iehovah* [1]) domino caeli et terrae, eum reiicere ideo, quod contra analogiam linguae sit. Qua de re quum in eandem Drusii et aliorum sententiam nos secedamus, item postea agemus. Iam ergo, his notatis ad usum nostrum, videamus ipsam doctissimi viri sententiam. Quam quidem integram, servatis antecedentibus et consequentibus integrisque vocibus, enarrare nimis longum quum sit: ipsius tamen verbis accurate breviterque exponemus. Pergit ergo ita: *Ipse in diversum hîc abeo: nec de loco convenienter explicando cum aliis prorsus despero. Non permittit celebrata λεπτολογοῦντος Irenaei prudentia, ut a Iudaeis turpiter imponi sibi patiatur. Quod si per Hebraeorum peritos, Iudaeos, ut videtur, intelligit: certe hi religionem pristinam cum animo, erga Iesum et Christianos infenso, dudum exuerant, ad Christianorum conversi sacra etc. Et quia Marcus ille Gnosticus nominis Ἰησοῦς sex numerat litteras: falsitatem eius commodius ostendere non potuit, quam vocum recte numerando litteras. Praestat id Irenaeus, nomen illud vel secundum veram eius originem hebraeam considerans, vel iuxta versionem genuinam graecam, qua idem est ac σωτήρ. Iuxta illam autem ex consuetudine Iudaeorum nunc duabus scribitur litteris cum dimidia* [2]*); nunc tribus et dimidia* [3]*) numero vocis Sion. Verumque scribendi modum quoad sensum, continentis caelum et terram convenire putat: nisi quod in altero, qui quatuor litteras exprimit, loco* [4]*) superius expresso, circumscriptione terram aequipollenter denotante, sit utendum. Quam Sura Usser ob necessarium aiin initiale vocis ultimae nominis* [5]*) litterae respondens commode exhibeant. Ut enim* יְשׁוּ *idem sit ac* יוֹצֵר שָׁמַיִם וָאָרֶץ *formans seu creans caelum et terram ita* יְשׁוּעַ *idem ac* יוֹצֵר שָׁמַיִם וְצוּרַת עוֹשֶׁר *formans caelum et rupem divitiarum, hoc est terram; vel* עוֹשֶׁר ושורת *et seriem, sive ordinem divitiarum.* Haec

1) יהוה. 2) ישו. 3) ישוע. 4) ארץ. 5) שוע.

est summa, vel ipsa sententia doctissimi viri. Ad quam quidem, rem paullum contemplatus, video virum doctissimum delatum, per vocem *Sion*, et per ista: *Sura Usser*. Haec, inquam, est occasio huius ipsius sententiae. Iam paullo accuratius haec expendamus.

Primum, cui innititur viri doctissimi sententia fundamentum est vox *Sion*; quemadmodum in hac voce tres sunt litterae [1]) et dimidia [2]), sic et in nomine *Iesu* esse. Hinc in Irenaeo legi vult: *Iesus iterum, secundum hebraicam linguam tres et dimidiam habet litteras, ut Sion.* Iam cogitans, quaenam illae essent, dividit Irenaeum et dupliciter sensisse putat: I. nomen *Iesu* litteris duabus et dimidia scribi [3]), II. tribus et dimidia [4]). Quod iam attinet ad vocem *Sion*, miror virum doctissimum tanquam veram lectionem accepisse, quum ignorare non potuerit, alios vehementer non solum dubitare, sed ut ipse monuit, eiectam velle. Atque hos vere sentire, iam ostendemus. Vox *Sion* eiicienda videtur, et non ab Irenaeo scripta, I. quia intelligere possumus, quare Irenaeus voce usus sit aliqua, ad indicandum numerum litterarum in nomine *Iesu*. Nam satis erat dicere: in nomine *Iesu* tres insunt litterae. II. Nec intelligere possumus, quare hac potissimum voce ad id usus sit, et non sexcentis aliis, quae forte magis aliquam similitudinem habuerint, aut ex quibus ratio aliqua perspici potuerit, cuius rei caussa adduxisset. III. Consentiens Manuscriptorum vox eiici vult, qui: *duas et dimidiam habet litteras;* non vero *tres*, legunt, ut vir doctissimus vult legere sine ullo Manuscripto. Nec turpis est haec repetitio, ubi post enumeratam numeri diversitatem in graeco verbo subiungitur vera verbi ex hebraica lingua ratio. Ita enim opposita iuxta se posita magis elucescunt. IV. Statim occurrit ratio, unde hoc nomen venerit. Quam duplicem dare possumus: alterutram certe veram. Aut adscripsit aliquis in margine, quaenam sint istae duae et dimidia litterae [5]) minuto charactere; quod alium imperitum decepit, ut putarit, *vau* esse *n* abbreviatum; *schin* esse *o* et *i*, apposito praesertim puncto ad dextrum cornu; et *iod* paullo plus curvatum latinum *s* interpretatus fuerit, inde *Sion* in textum venit: Aut ipse Irenaeus, quaenam istae litterae sint, apposuit: — — *habet litteras ισον* graecis litteris hebraicas exprimens. Transposito et tentato ob obscuritatem alio atque alio elemento, natum est 62 et *v* cum *ν* potuit casu mutare, inde *Sion;* aut haec in latino interprete ita acciderunt. Certe alterutra ratio est vera erroris caussa. Cadit ergo primum sententiae novae fundamentum. Adnoto unicum adhuc, doctissimum virum item de *dimidia littera* errasse, quemadmodum cum Massueto alii. — Alterum argumentum, quod virum doctissimum induxit, fuit *Sura Usser*. Has voces leviter tentans invenit istam novam suam interpretationem. Scilicet S sibilus cum graviori *tsade* mutatus peperit *Zurat*, id est rupem; aut *schin, schurat*, id est seriem ordinemque. *Usser*, V. cum *τοῦ vau* altero puncto sollemni, *τῷ* o mutatum, et s cum *schin* peperit *oscher*, seu divitias? inde vero verissima omnia de quatuor litteris opinatus, quod hîc iam sit nomen per *aïn* significatum. Hae quidem erroris caussae. Iam videamus,

1) צרן. 2) scilicet inter ר et צ inserta. 3) רשׁ. 4) ישוע. 5) רשׁ.

cur non approbemus. I. Amovimus iam ista de tribus litteris et quatuor, seu de duplici Irenaei sententia. II. Nulla reddi ratio potest, cur *τῷ vau* adiunctum sit nomen rupis, quum hac ratione non solum mille alia potuissent, sed et ipsum *aretz,* quod notissimum erat. III. Similiter de nomine *oscher* sentiendum. Nihil ad rem pertinebat, hoc potissimum sumi, et multa alia nomina potuissent locum invenire. IV. Ipse interpres talia omnia non patitur, qui simpliciter reddit *dominum caeli et terrae,* seu *continentem caelum et terram.* At scimus, hunc Irenaei interpretem non tam accurate et arcte interpretis limites servare,ut nefas putarit, plura addere; praesertim si iure poterat, aut debebat. Quin potius varie suas glossas interpres noster addit. Cur ergo graeca, quibus Irenaeus ista hebraica exposuisset, si adfuissent, non Latine reddit? Quia nulla erant. Nam videmus ex libro primo, Irenaeum hebraica semper graecis aliis explicare; hinc iure dicimus, hanc coniecturam carere similitudine veri. V. Sine ullo dubio ista: *Sura Usser,* corrupta sunt. Nam licet paullo plus recedant a nomine *Vaarets;* tamen, quum graece scriptum fuerit, ab imperitis non errari non potuit. Videat, cui nondum veri similis est tam levis corruptio, Irenaei lib. I. cap. 21. et varie alibi, quae monstra in versione, immo in graecis extent. Quin qui res criticorum gestas non ignorat, ex aliis auctoribus eorumque fatis solum Irenaeum non eximet, quum eximi nequeat ob excitatum istum librum primum. Haec de celeberrimi Danzii sententia. Omittam iam, quae paullo post ex coniectura adfert; ubi periodos in Irenaeo ad suam sententiam firmandam immutari vult et aliter ordinari. Talis corruptio locum in omnibus manuscriptis invenire nequit; nec suspicari aliquis de ea poterit, quum sensus non incommodus sit.

CAP. XXV.

p.373. FEUARDENTIUS: *Si quis autem*] Praeoccupatione usus dissolvit argumenta, quae poterant ab his obiici; docetque ex solis numeris, litteris et syllabis non esse temere de rebus divinis pronuntiandum;
p.375. quandoquidem incertum et superstitiosum sit. — *Non enim infectus*] Gravis sententia, qua hominem cum Filio Dei comparat, quod ille factus sit, id est ex nihilo, quum prius non fuisset, productus; hic autem non factus, quum sit homoousios et coaeternus Patri. Isthaec postmodum sancti alii Patres apertius concluserunt in Nicaena Synodo adversus Arii blasphemias, ut ex symbolo liquet. Athanasius quoque dicit: *Filius a Patre solo est, οὐ ποιητός, οὐ κτιστός, non factus, non creatus.* Fusius et accuratius Oratione 2. et 3. contra Arianos, negotium persequitur: ut et Basilius lib. II. contra Eunomium. Augustinus Serm. 193. *Factum vel creatum Dei Verbum dici omnino non potest, per quod facta sunt omnia* etc. — *Non enim transibilis est*] Sic lego, pro *transibilis es,* tum quia finis praecedentis capituli, tum inscriptio istius id aperte docet; et mox scribitur *indeterminabilis est* etc. Tradit porro manifestam insaniam esse, supra Deum conditorem huius mundi mentem extollere, ut quid eo maius et superius exquiratur: quum adeo immensus ac natura infinitus sit, ut

nullo intellectu pro dignitate capi possit. Etenim *habitat lucem inaccessibilem.* 1. Tim. 6.

GRABIUS: *Numero XX*] Quid numerus XX sibi velit, dicere ne- p.374.
queo, indeque suspicor, vel XXX vel nullum numerum legendum esse. Sed MSS. codices hîc nos destituunt.

MASSUETUS: *Hodie aeque commentatum*] Sic Ottob. cod. cum p.374.
editt. Erasm. Gall. et Feuard. MSS. vero Clarom. et Arund. *hodieque commentatum*, quam lectionem secutus est Grabius. Sed prior magis arridet, et Irenaei menti magis consonat. *Aeque* hîc accipitur pro *similiter, ex aequo.* — *Et ad omnem quidem facturam bene aptata et bene consonantia*] Ita cod. Clarom. cui consentit et Voss. nisi quod omittit *et* ante *ad omnem*, et *bene* ante *consonantia.* Consentiunt etiam ex parte Merc. II. codd. quorum alter habet *omnem*, ambo autem *facturam* et *consonantia.* In editt. vero Erasm Gall. et Feuard. legitur: *Et omnis quidem factura bene aptata et bene consonans:* quae quidem lectio licet non improbanda sit, prior tamen melior esse videtur, et iis quae sequuntur accommodatior. — *Qui omnium*] Feu- p.375.
ard. *quia omnium*, recte quidem, si legeretur ea particula ante *nondum*, et ante *ex parte.*

CAP. XXVI.

FEUARDENTIUS: *Melius ergo*] Non ignaviae imperitorum pa- p.375.
trocinatur, sed iactantiae et supercilio Gnosticorum occurrit, qui vana persuasione encyclopaediae omnium disciplinarum inflati, simplicibus petulanter insultabant. Non dissimilia scribit August. serm. 20. de Verbis Apostol. *Melior est fidelis ignorantia, quam temeraria scientia.* Et Hieron. (in regula Monach.) *Melius est aliquid nescire, quam cum periculo discere.* Ignavus esse mavult Nazianzenus (de moder. in disput. servanda), quam plus aequo curiosus; ac nimis timidus, quam nimis audax. Corruptos quorundam mores, qui se humanarum disciplinarum apices conscendisse putabant, post Tullium et Senecam graviter persequitur Lactantius, lib. tertio cap. 15. — *Melius itaque est*] p.376.
Memorabiles istiusmodi sunt apud Augustinum et plures sententiae, ut lib. V. Confess. cap. 4. *Infelix homo qui scit omnia, te autem nescit. Beatus autem qui te scit, etiam si illa nesciat.* Et l. Medit. c. 5. *Abs te sapere est desipere; te vero nosse, est perfecte scire.* — *Quae hominem vivificat*] Recte vitam spiritalem, id est hominis iustificationem tribuit caritati; non soli fidei, quemadmodum imponunt ei Centuriatores. — *Quia nihil omnino horum*] Docte ac pie cuncta p.378.
Dei providentia et consilio gubernari, adversus Gnosticam ac Epicuream perfidiam defendit; nihilque aut eius scientiam fugere, aut praeter eius voluntatem in orbe fieri: *quandoquidem attingat a fine usque ad finem fortiter et disponat omnia suaviter* (Sap. 6). Hoc et Iustinus martyr (Dialog. cum Tryph.) ex eo confirmat, quod non frustra pro rebus humanis diu noctuque Deum precamur. Et beatus Areopagita scribit: *Deitas prospicit cuncta providentia, bonitateque mirabili,* lib. de divinis nom. cap. 12. Cetera videre licet apud Theophilum Ant., Lactantium, Augustinum etc. — *Ut arenam enumeret*] Quatuor his paroemiis eleganter ostendit, inanes non minus et ridiculos

esse horum conatus, quam si ciatho mare exhaurire, pondus montium scrutari, flatum venti mensurare, ignem ponderare et diem, quae praeteriit, revocare molirentur. Similes enim superioribus sunt hae, a quibus sacrae litterae non abhorrent.

p.377. MASSUETUS: *Sine Patris vestri voluntate*] Ita legebat Irenaeus in suis Nov. Testamenti codicibus, ut etiam confirmatur ex his lib. V. cap. 22. verbis: *Nolente Patre nostro, qui est in caelis, neque passer cadet in terram.* Sic etiam legerunt Tertullianus non semel, Novatianus de Trinit. cap. 8. Cyprian. Epist. 55. iuxta Pamel. (59. Oxon.) aliique. Nec mirum: nam praeter Arabicam versionem, ita habet antiqua Italica evangelii Matthaei versio, quam publici iuris fecit Martianaeus noster, Paris. 1695. Attamen in hodiernis N. Testamenti

p.378. codicibus vox *voluntate* prorsus deest. — *Et fient*] Has voces a Grabio omissas restituo ex editt. Erasm. Gall. et Feuard. licet desint in MSS. Probabilius enim videtur, Irenaeum omnes temporis differentias complecti voluisse.

CAP. XXVII.

p.379. FEUARDENTIUS: *Sunt autem*] Observandum, quam honorifice de sacris litteris sentiat, quas attente legit, ad eas alios ablegat, ut fontem, quo pietatem hauriant universam. Harum studio et energia Iustinus martyr et Tatianus permoti, sectis omnibus philosophorum eodem saeculo vale dixerunt, ut Christi placitis sese consecrarent. Earundem oracula consulere Autolycum hortatur Theophilus, si poenas evadere et bona perpetua consequi voluerit. Ea denique omnium scriptorum antiquissima et verissima esse non semel postea confirmat lib. II. et III. ad eundem Autolycum. — *Sine periculo absolvit*] Absolvere parabolas, graece *ὑπολύειν* [potius *ἐπιλύειν*], dissolvere, explicare. — *Itaque secundum hanc rationem*] Iterum docet non esse petendam a parabolis certam constantemque regulam fidei nostrae; sed in apertis Scripturis, quae non nisi repugnanter possunt in varios

p.380. diversosque sensus torqueri. — *Quum itaque*] Non vult omnes Scripturas adeo apertas et cuivis obvias esse, ut nulla sit in eis obscuritas, quum hoc alibi frequenter affirmet (lib. II. cap. 47. et lib. IV. cap. 45.); sed eas adeo perspicue et constanter unum et solum Deum mundi creatorem et rectorem praedicare, ut nemo qui his attenderit, ignorare possit. Quid enim apertius, quam istud: *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est?* Et: *Non habebis Deos alienos coram me?* Et sexcenta talia. — *Ipsa dictione, neque*] Tres has voculas desiderat vetus cod., quae vero hic refellit, partim cap. 1. lib. I. partim cap. 16. 17. et 23. recensuit.

CAP. XXVIII.

p.381. FEUARDENTIUS: *Habentes itaque regulam*] Docet quaestionibus vanis et curiosis de Bytho, Propatore ac Aeonibus non esse incumbendum, quum Scriptura perfecte constanterque affirmet, unum esse verum Deum, qui omnia fecit et administrat. — *Si autem omnium*] Sacra scripta, ut a Verbo Dei et Spiritu eius profecta, omnibus numeris perfecta esse, ideoque magna religione ipsis adhaerendum re-

ctissime asserit; sed nec minus pie evincit, ea tantis mysteriis abundare, ut ad eorum intelligentiam revelatione opus sit, quum tanta sit animi nostri caligo, ut ad ea, quae ante pedes sunt, crebro caecutiamus, sicut exemplis propositis confirmat. Errant igitur toto caelo, qui sacras litteras adeo claras, apertas et omnibus pervias clamitant, ut quibusvis liceat illotis pedibus et manibus ad eas tractandas accedere. *Ratio divina,* ait Tertullianus (lib. de Resurrect. carn.), *in medulla est, non in superficie, et plerumque aemula manifestis; nec haereses esse possent, si non et perperam Scripturae intelligi possent.* Multis etiam in locis per obscuras Scripturas *provisum esse non dubitat* Augustin. *ad edomandam labore superbiam et intellectum a fastidio revocandum, cui facile investigata, plerumque vilescunt;* lib. II. de Doct. Chr. cap. 6. Et lib. contra Adimantum: *Aliquando aperte ponitur in Scripturis ipsa divina auctoritas, aliquando autem occultatur, ut et manifestis lector instruatur et exerceatur obscuris,* c. 17. Non possum hoc loco non monere, rem istam fusius a Procopio Gazaeo Praefat. in Isa. elegantissime et gravissime tractari, quam latinam factam percurrendam mihi aliquando dedit Ioannes Curterius, cuius anima pace fruatur, qui totum commentarium iam edidit in ecclesiae utilitatem. — *Quippe a Verbo Dei et Spiritu*] Quando Spiritum sanctum simul cum Filio Dei sacrarum Scripturarum auctorem asserit, plane eum esse natura Deum omniscium et omnipotentem agnoscit. Quod paullo post sequitur: *Non est mirum, si in spiritalibus et caelestibus et his, quae habent revelari, hoc patimur nos* etc. duplicem continet Hellenismum. Priorem *habent revelari* pro *revelatione opus habent;* vel *suo tempore revelabuntur;* posteriorem *hoc patimur nos* pro *hoc nobis usu venit.* — *Quid enim*] De Nili incre- p.382.
mentis et eluvionibus septem diversas philosophorum opiniones recitat Plutarchus lib. IV. de Plac. Philosoph. Easdem examinat Plin. lib. V. cap. 9. Diodorus octo etiamnum refert, quarum postremam solummodo probat, lib. I. cap. 4. Suas coniecturas proponit Herodotus in Euterpe, quem in his garrire putat Strabo in 17. Nec unde crescere incipiat Nilus, nec incrementi eius caussas inveniri, omnium meo iudicio rectissime scripsit Senec. lib. IV. natur. quaest. — *Sed et volatilium*] De hirundinum recessu intelligit, quas viciniora loca petere et apricos montium sequi recessus putat Plin , ubi nudas et deplumes frequenter inventas fuisse asserit lib. X. cap. 24. Exprobrat Dominus Hebraeis stupiditatem, qua iudicia sua non advertebant, propositis ciconiis, turturibus, gruibus et hirundinibus, quae stata tempora recessus sui sagaciter nota nec antevertunt nec praetereunt, Hierem. 8. — *Quid autem possumus*] Plutarchus (lib. III. de plac. phil.) quinque diversas sententias de Oceani fluxu et refluxu referens satis innuit, quam frigide rei nodum solverint philosophi. Illos soli et lunae tribuit Plin. lib. II. cap. 97. quod et Aristoteli placuerat lib. II. Meteorolog. Sacrae litterae isthaec omnia divinae providentiae adscribunt; quae mirabiles elationes maris excitat, turbatque profundum et sonum fluctuum eius. Reliqua, quae subiiciuntur, exempla ex Iobi cap. 38. desumta videntur. — *Si ergo et in rebus*] Colligit non solum sacrarum Scripturarum verba, dialectos, phrases et dicendi

varias figuras obscuras esse, verum etiam res, quae in his continentur et significantur; quod et post Irenaeum etiam approbant Origen. lib. 7. contra Celsum, Ambrosius epistola 44. Hieronymus epistola ad Paulinum, Augustinus lib. 3. Confessionum cap. 5. lib. 11. cap. 2. ac epist. 3. et 119. Hoc ipsum quoque haeresiarcharum ministris tot commentariis secum dissidentibus, adversus propriam de perspicuitate utrius-
p.383. que Testamenti iactantiam, contestantibus. — *Semper enim fides*] Fidem etiam in futuro saeculo permanere, non solus hîc Irenaeus affirmat, sed et Tertull. (lib. de Pat.) his verbis: *Exhauriuntur linguae, scientiae, prophetiae, permanent fides, spes, dilectio* etc. Memineris fidem duo involvere, primo eam obscuritatem, quam Patres scholastici vocarunt *latentiam obiecti;* secundo inconcussam eam certitudinem, quae omnem dubitationem procul repellit; hanc conditionem posteriorem in beatis spiritibus permanere, recte volunt hi auctores; priorem vero minime. Vel remanet quoad habitum et ornatum; non quoad actus et exercitium. — *Antequam*] Origenes lib. 3. de Principiis testatur, ethnicos hac quaestione Christianos exercuisse: Si coepit mundus ex tempore, quid faciebat Deus antequam mundus fieret? Otiosam enim dicere naturam Dei, otiosum simul est et absurdum, vel putare, quod bonitas aliquando nihil fecerit, et omnipotentia aliquando non egerit potentatum etc. Postea vero concludit, eum alios fecisse invisibiles mundos antequam hunc visibilem conderet: quod Iudaeorum fabulas Thalmudicas omnino resipit (Thalmud tract. 4. distinct. 3). Scribunt enim illic, Deum exercuisse se in exstruendis variis mundis; quos ubi condiderat, illico destruebat atque iterum instaurabat, quoad hunc, quem nunc habemus mundum facere didicisset. Augustinus (lib. II. Confess. cap. 12.) rectius censet, quaestionem velut responsione indignam, potius eludendam, ut cuidam illam proponenti respondit: *Alta scrutantibus gehennam parabat.* Serio tamen dici potest: Dei summam bonitatem et potestatem nunquam obtorpuisse cessando. Semper enim divinitas extra omnem locum, in seipsa manens, sui contemplatione perpetuo beata, aeterna immutabilique intellectus ac voluntatis actione operabatur; et mundum, quem mente concipiebat, conspiciens, intelligentia pertractans et voluntate deliberans, eum ipsum in tempore opportuno condere decernebat, atque
p.384. condidit, quum voluit etc. — *Apotelestos*] Id est, omnibus numeris absolutus atque perfectus, quantum videlicet ad species (quae duntaxat de essentia eius sunt) attinet. Inde autem voluerunt Aristot. et Plin.
p.385. *κόσμον* a Graecis appellari, id est ornatum. — *Aliud enim est*] Existimo, eum velle, quoddam esse vérbum internum, quod solo animo concipitur et retinetur; aliud externum, quod ore profertur ac emittitur. Hinc enim Lactantius scribit lib. IV. cap. 9. *Melius Graeci λόγον dicunt, quam nos Verbum. Λόγος enim et sermonem significat et rationem.* Et Hieronymus ait, *λόγον* Graecis significare verbum, orationem, sermonem, rationem, modum, supputationem; nonnunquam et pro libro usurpari, a verbo *λέγω*, quod est, dico sive colligo. — *Deus autem*] Hanc sententiam non semel repetit. Vult autem hoc capite, Deum, quum sit spiritalis, infinita et supercaelestis substantia, omnino simplicem, nullaque ratione compositum esse, quod et supra

notatum est. Eos vero, qui Ennoeam, Nun et Logon, id est, mentem, cogitationem et Verbum eius nunc secernebant ab eo, mox coniungebant, hisque diversas emissiones adscribebant, compositioni illum subiicere, quod impium et insanum est. — *Generationem eius*] Ex vetere codice *enarrabit* pro *enarravit* restituimus. Hoc porro Esaiae testimonium Athanasius ad Epictetum, Alexander ad Alexandrum Constantinop. et alii multo plures ad aeternam ineffabilemque Christi generationem referunt: alii ad temporalem, qua sine viro ex sanctiss. virgine natus est. Hieronymus sapientissime ad utramque his verbis: *Aut enim de divinitate intelligendum est, quod impossibile sit divinae nativitatis nosse mysteria; aut de partu virginis, quod difficulter possit exponi.* Plurima in hanc rem tradunt Eusebius libro quinto Demonstrationis cap. 1. Ephrem lib. advers. eos qui naturam Filii Dei scrutari volunt, Nazianzenus Orat. 3. de Theologia, Basilius Orat. de martyre Mamante, Hilarius libro II. de Trinitate. Ambrosius denique libro de Fide ad Gratianum ait: *Mihi impossibile est huius generationis scire secretum. Mens deficit, vox silet, non mea tantum, sed et angelorum. Licet scire quod Filius natus sit; non licet discutere quomodo natus sit. Illud negare mihi non licet, hoc quaerere metus est.* — *De die au-*p.386. *tem illa*] De hoc dicemus proximo capite. — *Si quis itaque*] Gnosticorum impudentem temeritatem in scrutanda Verbi aeterna generatione, quanto potest rationum et sententiarum pondere, reprimit, quibus et ii absterreri deberent, qui de eadem non Scripturis, sed Aristotelicis ratiocinationibus nixi audacter disserunt, colligunt, definiunt, quae christiano silentio adorare praestaret. Longe maiore religione sacrum hunc montem attigerunt antiquioris et sincerioris Theol. antistites. *De supersubstantiali secretissimaque deitate,* ait Dionys. Areopag. (lib. de divin. nom. cap. 1.), *neque dicere quidquam, neque cogitare praesumendum est aliter, quam sacra eloquia pie admodumque caste nobis tradiderunt.* Et expositor Symboli apud Cyprianum: *Quomodo Pater genuerit Filium, nolo discutias, nec te curiosius inseras in profundi huius arcanum, ne forte dum inaccessae lucis fulgorem pertinacius perscrutaris exiguumque ipsum, qui mortalibus divino munere concessus est, perdas, aspectum.* Ac, ut paucis multa contraham, Clemens epist. 1. ad Iacobum; Iustinus in Dial., Chrysost. hom. 4. in Matthaeum, Cyrillus lib. I. Thesauri cap. 5. Venantius in Symbolum, post hunc nostrum Irenaeum, angelicis etiam mentibus inaspectabile et incomprehensibile mysterium istud omnes constanter affirmant, quod plumbei et vere *σκοτεινοὶ* homunciones quidam explorasse se et explicasse sibi videntur. — *Non ergo magnum*] Colligit nec ingenii, nec reconditi mysterii esse humanas emissiones Deo tribuere; materiam omnium a Deo conditam; multaque divinae sapientiae commendanda esse. Multa porro ex vet. cod. restituimus, quae (ut alibi fere semper) virgulis inclusimus. Ceterum hoc loco praetermittere nec potui, nec debui, Philippum Melanthonem a Schlusselburgio (lib. II. Theol. Calv. art. 6.), aliisque Lutheranis symmistis traduci, quod Basilidis, Marcionis et reliquorum veterum haereticorum, quos Irenaeus superioribus duobus capp. atque praesenti coarguit, stultissima adversus aeternam Filii Dei generationem somnia reparare nisus fuerit, scribens in Mis-

nico corpore doctrinae pag. 310: *Illum esse natum cogitatione Patris.* Non potest ecclesia, inquiunt, hanc opinionem pro articulo fidei tolerare. 1. Quia nullum manifestum Scripturae testimonium pro ea re habetur. 2. Quia est somnium non tantum stultae rationis ac philosophiae, sed etiam veterum haereticorum. 3. Quia in primitiva ecclesia hic error est gravissime damnatus, ut ex Irenaeo apparet. 4. Quia non procul discedit a Samosateni et Serveti impia speculatione, qui dixerunt, Verbum Patris esse cogitationem evanescentem. 5. Ex hoc sequuntur multa impia. Nam si cogitatio Patris est *ὑπόστασις* separata, cur non et Filii et Spiritus sancti? 6. Si separes a Patris persona eius substantiales cogitationes, quid in persona remanebit, nisi inane nomen? 7. Humana ratio non potest certo statuere, quomodo culex aut pulex generetur; quae est ergo temeritas de aeterno Dei Filio sic statuere? Hactenus illi, nec admodum male. Atque utinam sic tam Lutheri sui, quam eiusdem Philippi reliquos omnes errores ad sanctissimae antiquitatis regulam, et primitivae ecclesiae trutinam diligenter et fideliter examinarent: ita enim et seipsos et innumeros alios a foedissimis haeresibus eluerent, et ab aeternis suppliciis, quae pro certo cunctis haereticis et schismaticis parata
p.387. sunt, liberarent. — *Fantasmari*] Locus iste hactenus plurimos torsit, aliis *fastos mori,* aliis *factos morti,* legendum suspicantibus; restitutam nunc puto ex vet. cod. germanam lectionem, *Neque nos fantasmari oportet ex opinionibus propriis:* sic enim vetus interpres graecum *φαντάζεσθαι* reddere studuit. Expunximus *fastos mori,*
p.388. *exponi omnibus,* — *Post deinde*] Quae hic refellit de numeris, litteris et syllabis, recitavit libro primo, capite decimo et undecimo. Docet autem nullum exstare in Scripturis testimonium, quo possint affirmare figmenta sua per litteras, syllabas vel numeros ex his deductos. Paullo post *est autem quando* etc. dicitur graeca phrasi pro *interdum autem.* — *Etenim si quis exquirat*] Existimarunt nonnulli, his verbis beatum Irenaeum Christo Domino ignorantiam simpliciter tribuere, qui certe lapsus esset, magis condonandus ei, qui ardore retundendae impietatis Gnosticorum, qua supra Patres, apostolos, prophetas, immo et Christum ipsum sapere sese iactabant, hoc minus caute dixisset, quam procaciter et odiose exagitandus. At mihi longe aliud videtur. Qui enim fieret, ut Christo nunc ignorantiam affingeret, qui toties in superioribus Gnosticos impietatis reos egit, quod Sophiam et Monogenem Patris, ignorantiae passionibus subiicerent? Aut quomodo hic ignorationis tenebris involveret eum, quem tanto fervore Deum Deorum et Dominum omnium, Patri omnino aequalem et coaeternum, plusquam Salomonem et Ionam, vivorum et mortuorum iudicem passim inculcat? Ergo tantum vult Christum diei postremi notitiam, qua de agitur, ad Patrem referre, sicut opera, vitam, immo et deitatem ipsam ab eodem, aeterna generatione accepisse palam profitetur; ut sapere nos doceat ad sobrietatem, neque erubescamus difficilium quaestionum labyrinthos Deo reservare. Hanc Irenaei mentem esse, mecum, arbitror, iudicabit, quisquis pie, accurate et nullis errorum passionibus in transversum acto animo superiora eius scripta cum praesentibus expenderit. Ceterum, sententiam eam, qua videtur Marcus horam et diem iudicii Christum aeque ac

angelos latere voluisse, Ariani olim torquebant, ut ipsum creaturam esse et neutiquam Patri homoousion assererent, quemadmodum Athanasius (Serm. 4. contra Arian.) et Hilarius (lib. 9. de Trin.) referunt. Photinus quoque apud Vigilium martyrem Christum pernegat Deum esse, quod diem iudicii se ignorare fateretur. Agnoëtas quosdam haereticos inde nominatos tradit Isidorus, quod Christo diei iudicii ignorantiam impingerent. Ne vero a superioribus Gnosticis latum unguem discederent posteriores, Calvinianos eo impietatis progressos legit aetas nostra, ut Christo Iesu, Deo et homini, Salvatori nostro, ignorantiam rerum multarum tribuant. *Ipsum enim ut corpore, sic et animo adolevisse* vult Brentius (Hom. 19. in Luc.). *Fabrum idiotam* Osiander (Coniectura 4. de fine mundi) vocat. *Communi hominum ignorantiae* subiicit Rodolphus Gualtherus (Hom. 112. in Marc.). *Non habuisse omnem scientiam ab initio (ut somniant Papistae) sed per gradus,* blaterat Molinaeus (in Harmon.). *Ita ignorasse, ut disceret ipse, atque erudiretur more hominum,* non erubuit scribere Gallasius, annotationibus in hunc Irenaei locum. Annon hoc est ῥᾳδιούργημα illud, id est, fallax et suppositum commentum Gnosticorum, quo somniabant Christum sub ferula praeceptoris Alphabetum didicisse, ut lib. I. cap. 17. Irenaeus retulit? Sed praestat haec viperarum genimina telis iis conficere, quibus olim Arianos Hilarius (lib. IX. de Trin.): *An credibile,* ait, *ut aliquid ex omnibus nesciat, qui omnibus ad id quod sunt, atque erunt, auctor est? Si omnia per Christum et in Christo, et ita per ipsum, ut omnia in ipso sint, id quod neque extra eum, neque non per eum est, quomodo non etiam in scientia eius sit? Cogitationes humanas non tantum praesenti motu incitatas, sed etiam instinctu futurae voluntatis agitandas, Christus non ignorat, evangelio testante:* Sciebat Iesus ab initio qui essent non credentes, et qui esset traditurus eum (Ioan. 6, 65). *De eo scriptum meminerimus:* Omnia per ipsum, et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnes (Ioan. 1, 3). *Et illud:* Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare et omnia in ipso reconciliari (Coloss. 1, 16). *Christus aderit, et adventus sui diem ignorat? Dies suus est, secundum apostolum* (1. Thes. 5, 3), *et ignoratione eius detineri intelligendus est? Humanae naturae, quod agere definiunt, praesciunt et sequitur gerendorum conditio voluntatem agendi; Deus vero natus, quod in se et per se est, nescit? Non patitur in nobis doctor gentium Paulus hanc impii erroris professionem, ut ignorassee aliquid unigenitus Deus existimetur, ait enim* (Coloss. 2, 3): In eo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi. His Hilarii verbis addo gravissimum Augustini iudicium: *Ignorantiam,* inquit (lib. II. de pec. merit. et remiss. cap. 29.), *nullo modo crediderim fuisse in infante illo, in quo Verbum caro factum est, ut inhabitaret in nobis: nec illam ipsius animi infirmitatem in Christo parvulo fuerim suspicatus, quam videmus in parvulis.* Latinis duobus totidem Graeci aetate superiores, nec pietate aut doctrina inferiores, accedant. Iustinus martyr aperte scribit (Quaest. 8. ad Orthod.): *προσάπτειν τῷ Χριστῷ ἄγνοιάν ἐστιν ἀσεβές, Christo ignorantiam tribuere impium est.* Et Clemens Alexand. *Christus hodie regeneratus, iamne est perfectus, an, quod est*

absurdissimum, ei aliquid deest? Sed si ita est: ut aliquid disceret opus fuit. Sed eum, quum Deus esset, nihil didicisse fuit consentaneum. Lib. I. paedag. cap. 6. et 11. Superest igitur, ut cum beato Petro apud Clementis recog. credamus, Christum ideo se diem et horam nescire professum, ut totum revocaret ad Patrem. Aut cum Hilario (lib. X.), eo sensu, quo ut clamorem Sodomae et Gomorrhae resciret descendisse dudum dixerat. Aut cum Augustino (lib. I. de Gen. cont. Manich. cap. 22.) et Basilio (lib. IV. contra Eunom.) intelligamus, quia hoc utiliter occultabat discipulis, nescientem se dixit, quia non conferret hominibus tunc iudicii tempus audire, quos nescientes occultando faciebat. Hieronymus particulam, *neque filius,* in quibusdam exemplaribus latinis additam fuisse, eamque graeca, maxime Pierii et Adamantii adscriptam non habere testatur, commentar. in 24. Matth. quae ne ab Arianis adiecta fuerit, multis non levem suspicionem forte iniiciat.

p.382. GRABIUS: *Quidve de his, quae ultra eum sunt, enuntiare?*] Sic Hilarius in finem Psalm. 68 ait, quod *mare profunda infinitaque sui obice mentem humanae opinionis excedat, ut neque quid extra se neque quid intra sit, sensu persequente capiamus.* Intellexit vero Irenaeus per ea, quae ultra oceanum sunt, *eos, qui post ipsum sunt, mundos,* quos memorat Clemens Romanus in Epist. ad Corinth. §. 20. In quem locum plura notavit Cotelerius inter alios Irenaeum nostrum

p.385. allegans. — *Velocitati enim sensus hominum* etc.] His gemina iterum habet Cyrillus Catech. 6. pag. 46. *ἡ μὲν διάνοια ὀξύτατα νοεῖ· ἡ δὲ γλῶσσα ῥημάτων δεῖται καὶ διηγήσεως πολλῆς τῶν μεταξὺ λόγων· ἅμα μὲν γὰρ ὀφθαλμὸς χορὸν ἄστρων παραλαμβάνει πολύν· ἀλλ' ὅταν τὸ καθ' ἕκαστον διηγήσασθαι βουληθῇ τις, τί μέν ἐστι φωσφόρος, τί δὲ τὸ ἕσπερος, τί δὲ τὸ καθ' ἕν, πολλῶν ἐπιδεῖται ῥημάτων κτλ. Mens quidem velocissime cogitat, lingua vero multis verbis opus habet et multa intermediorum sermonum enumeratione. Simul enim numerosum siderum chorum oculus comprehendit, verum si quis singula narrare velit, quid lucifer, quid hesperus, quid unumquodque longa opus est oratione.*

p.381. MASSUETUS: *Cedere*] Ita Feuard. in marg. Clarom. Voss. et Grab. Reliqui male *credere.* Nec enim hîc agit Irenaeus de iis praecise quae sub fidem cadunt, sed de iis quae scientiam nostram prorsus fugiunt, ut paullo post loquitur; quaeque proinde *cedere debemus Deo,* ipsique *committere* ac *commendare,* ut mox subnectit, utpote qui *minores simus et novissimi a Verbo Dei et Spiritu eius, secundum hoc et scientia mysteriorum eius indigeamus,* et *eorum* ipsorum *quae*

p.383. *ante pedes sunt* multa ignoremus. — *Haec tunc perseverare, quae sunt fides, spes*] Fidem in altero saeculo perseverare vult Irenaeus, non quoad obscuritatem, sed quoad firmitatem et certitudinem, quae dubitationem omnem procul repellit. Id statim explicat, subiungens: *Semper enim fides, quae est ad magistrum nostrum, permanet firma, asseverans nobis quoniam solus vere Deus.* Spes vero permanet, non quasi absens sit adhuc eius obiectum; sed quia *speramus subinde plus aliquid accipere et discere a Deo,* quo iam fruimur. — *Ostendemus*] Alii *ostendimus.* Sed praeferenda prior lectio: nam ut

idemtidem iam ostenderit Irenaeus, Dominum confiteri proprium Patrem, eum qui caelum et terram condiderit, id tamen ex professo sibi demonstrandum suscipit lib. IV. — *Suffocatur*] Ita Erasm. Gall. Feu- p.385.
ard. et MSS. Arund. Ottobon. et Merc. II. At Clarom. et Voss. *suffugatur*, quam lectionem sequi Grabio placuit: quamquam non satis explicare valeat quis sit barbarae istius vocis sensus, et si quem utcunque ferendum habeat, redeat ad *suffocatur*. Nihil igitur immutandum esse duxi, nec bonam lectionem in malam, aut saltem dubiam esse commutandam. Similitudinem enim ducere videtur Irenaeus ab iis qui confertim exeuntes se invicem suffocant. — *Neque Filius*] p.386.
Addit Marci textus: *neque Angeli in caelo*. Sed id ab Irenaeo consulto omissum videtur, quia nihil ad institutum faciebat. — *Principes*] In cod. Arund. et Grab. *principatus*. Sed hanc vocem alteri substituisse videtur recentior quispiam ex Apostolo 1. Coloss. 16.

CAP. XXIX.

FEUARDENTIUS: *Revertamur*] Quae hîc refellit, recensuit libro p.389.
primo, non longe a medio capitis primi. Tradit autem mera figmenta esse, quae de matre in Pleroma redeunte, et animali Demiurgo nugabantur. — *Iustorum autem animas*] Docet, animas iustorum non p.390.
salvari propterea quod sunt spirituales substantiae, pari etenim iure omnes servarentur, nullaeque aeternis ignibus adiudicarentur. Salvabuntur autem propter fidem iustitiam et operas iustas: quae quoniam cum corporibus et per corpora sua iis incubuerunt, et ipsa quoque servari necesse est, dicente Filio Dei: *Qui bona fecerunt, procedent in resurrectionem vitae* (Ioan. 5). Errat itaque, ut pie docet Augustinus (Epist. 27), qui putat quando ad iudicium Dominus venerit, non iudicari hominem secundum opera sua, qui iam per aetatem uti potuit libero voluntatis arbitrio. Ait enim Scriptura (Rom. 2, 9): *Ira et indignatio, tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum: gloria autem et honor, et pax omni operanti bonum* (2. Corinth. 5, 10). *Referet unusquisque propria corporis sui prout gessit, sive bonum, sive malum* etc. Haec rogo, diligenter observent solius fidei assertores. — *Quia enim*] Corpora Sanctorum eundem p.391.
cum animis locum refrigerii participatura ostendit, eo quod iustitiae operibus et ipsa participarint. Idem argumentum sequitur Tertullianus (lib. de resurr. carn.), ut fusiore sic vehementiore stylo. *Dum caro nostra*, inquit, *ministra et famula animae deputatur, consors et cohaeres invenitur; si temporalium, cur non et aeternorum?* etc. Usum porro huius loci aperit his verbis Cyrillus Ieros. Catech. 4. *Modeste ut tractes corpus hoc te moneo: et cognosce, quod cum corpore resurges ad iudicium.* — *Hi autem*] Quae hoc capite arguit, habentur lib. I. cap. 1.

MASSUETUS: *Animale quare non totum in medietatis locum* p.392.
cedet] Non enim omnes animales animas in medietatis locum cessuras volebant haeretici, sed eas duntaxat, quae *meliora elegissent*, ut aiunt lib. I. c. 7. n. 4. seu solas iustorum animas, ut explicat Irenaeus hoc ipso cap. ceteras, quae *peiora elegissent*, in corruptelam cum materialibus abituras. Hinc probat Irenaeus Valentinianos minime sibi

constare, quum iustorum duntaxat animas in medietatis locum concedere adstruunt. Sic enim, ut iterum observat Billius, disputat. Si iuxta Valentinianos id omne quod est spiritale, intra Pleroma ingreditur, ac rursus id omne quod ex materia concretum est, deorsum residet, ac tandem flammis absumitur; quidnam caussae est, cur non item id omne quod animale est, in medietatis locum cedat?

CAP. XXX.

p.393. FEUARDENTIUS: *Super eos qui fabulis referuntur Gigantes*] Gigantes quidem fuisse convenit inter sacros et profanos universos auctores; sed quia de illorum ortu et proceritate magna est dissensio, paullo altius repetita haec annotare libuit. Fabulatur Hesiodi Theogonia illos e terra Urani sanguine respersa natos, cum ei Saturnus filius verenda abscidisset; cui assentit Diodor. libro quarto. Homines patres, eosdem non habuisse tradere librum nomine Enoch evulgatum, ob idque suppositium recte a prudentibus iudicatum fuisse, 15. de Civitate Dei cap. 23. docet Augustinus. *Igitur secundum Scripturas canonicas,* subiicit idem, *hebraeas atque christianas, multos Gigantes ante diluvium fuisse, terrigenae societatis hominum cives, dubium non est. Nec mirandum quod de filiis Seth nasci potuerint, quum hinc ostendere vellet Creator, non solum pulchritudines, sed et magnitudines corporum, non magni pendendas esse sapienti.* Et quaest. 4. in Gen. facile creditu scribit, grandes et fortes ex mulieribus nasci potuisse, *quia et post diluvium quidem tales reperti fuerint, ad quod quaedam corpora virorum et feminarum, ad incredibilem modum ingentia saeculo suo exstiterint.* His adiicit Cyrillus (lib. 3. in Gen. et 9. contra Iul.), deformitate illa vultus et vastitate monstrosa corporis, iram divinam scelera hominum vindicasse. Theodoretus (quaest. 48. in Genes.) audiens Scripturam divinam dicentem de Enach, quod a Gigantibus oriundus erat; et Og ferreum cubile novem cubitorum longitudinem et latitudinem quatuor habere; exploratores item narrantes instar locustarum se fuisse in conspectu illorum, et dicentem Dominum: *Tradiderunt Amorrhaeum, cuius altitudo erat tanquam cedri et robustus ut quercus:* optimo iure opinatur fuisse quosdam praegrandes homines. Nec puto aberrare Iosephum, quum propter corporum magnitudines atque formas, in nullo aliis hominibus proximas, ceteris ultra modum admirabiles illos exstitisse scribit lib. 5. Antiq. Hebraei alii eos *Nephilim,* id est, cadentes dictos putant, quod homines illorum conspectu timore oppressi, caderent, vel quia in diluvio (quod propter eorum exsecrabiles et nefarias libidines immissum recte asserit Berosus) ceciderunt, ut de illis dicat Iob. 6, 26. *Gigantes gemunt sub aquis;* vel quod ruina magna caderent ob staturae proceritatem. Atque haec de ortu et proceritate eorum, Ceterum, conatus illorum narrant profani scriptores fuisse, ut tres maximos montes, Olympum, Ossam, Pelion aggererent, sperantes se hoc modo facile sibi viam munituros, qua ad aetheream sublimitatem evaderent, superis bellum inferrent Iovemque caelo deturbarent; sed misso fulmine ipsos periisse. Inde natum proverbium: *γιγάντων ἀπόνοια,* gigantum arrogantia, in eos qui temere res non tentandas, ut adversus Deum, pie-

tatem. ius et aequum moliuntur, quod inauspicato semper illis recidit. His igitur admodum apposite Gnosticos similes dicit Iren. ac deinceps haereticos omnes qui Deo rebelles gaudent errore suo, et tunc gloriantur, quando ecclesiae contumeliam fecerint, Origen. homil. 7. in Num. et Hieronym. in 24. Isaiae. — *Elleborum*] Ellebori duo genera faciunt Plin. (lib. 25. c. 5.) et Dioscor. (lib. 4.) candidum, quo vomitiones ciuntur, stomachus et superior venter purgantur; et nigrum, quo alvus inferior diluitur. Utrumque autem adversus melancholiam remedium efficax habere, capitis mentisque levare vitia, antiquis persuasum fuit, indeque insanientes, menteque parum constantes, *ἐλλεβόρου δεῖσθαι,* id est, elleboro opus habere dicti sunt. — *Ab operibus itaque*] p.394. Iure optimo non tantum Demiurgo inferiores, sed ne dignos quidem qui apostolicorum calceorum corrigiam solverent eos esse coarguit, quum nec vitae puritate, nec operatione miraculorum ullo modo eorum dogma fulciretur. Eodem pacto conficit illos postea Tertullian. (lib. Praescr.): *Probent se,* ait, *novos apostolos, eadem signa edant. Volo igitur et virtutes eorum proferre, nisi quod agnoscam et maximam virtutem illorum, qua in perversum apostolos aemulantur. Illi enim de mortuis vivos faciebant; isti de vivis mortuos faciunt.* Hoc pacto et Augustinus Manichaeos alloquitur (lib. 13. contra Faust. c. 6.): *Si nec Scripturarum auctoritatis antiquitas, nec miraculorum potestas, nec morum sanitas, nec rationis veritas vos asserit: abite confusi et redite confessi* etc. — *Erant enim*] Quae hîc refellit, recensuerat p.395. lib. I. cap. 1. Salse autem eos ridet, quod iactarent se conceptionem spiritalem esse illorum Aeonum, qui ad Pandorae formationem sua contulerant, supra cap. 37. quum potius essent abortivi proiecti, ad nihil prorsus utiles, aut commodi. — *Sic autem et hi*] Subsannat p.396. eos, eo quod dicerent se feminas esse, quae supra Demiurgum, id est, huius mundi creatorem Deum adscendere possent ad angelos viros suos. — *Si autem contenderint*] Dilemmate probat, Bythum nihil p.397. prorsus terrenorum aut caelestium condidisse; sed solum Deum omnipotentem. Interim, tam hîc, quam paullo superius enumerantur se ptem ordines angelorum, quibus si addas Cherubim et Seraphim, novem comperies. — *Quoniam enim*] Tradit, spiritales creaturas, ut puta novem angelorum ordines, innumerosque alios beatos spiritus (Apoc. 7.) in caelis esse; Paulumque in raptu audivisse arcana caelestia; universa porro illa subesse Creatori seu Demiurgo. Itaque non esse super eum quaerendam aliam rerum spiritalium dispositionem vel Plenitudinem. Aut si esset aliqua, Paulus procul dubio ad eius contemplationem raptus et admissus fuisset. — *Et vere est*] Confir- p.399. mat, nec Demiurgum esse animalem, qui caelestes spiritus, caelestiaque corpora perfecerit; nec Gnosticos esse spiritales, aliis vi maiore praeditos, quippe qui nec quidem muscam aut culicem possent efformare. — *Quem prophetae praeconant*] *Κηρύττουσιν, praedicant.* p.401. Sic enim *κήρυξ,* id est *praeco,* deducitur a verbo *κηρύττω, praedico, praecono.* Ceterum, veteribus Gnosticis longe se deteriorem et nequiorem praebuit Valentinus gentilis, quando ex hoc Irenaei loco nisus est Filio Dei coaeternam unicamque cum Patre divinitatem suffurari. Hîc enim tantum asseritur, unicum esse Deum creatorem omnium,

utriusque Testamenti auctorem, qui per Christum cunctis innotuit. Tantum abest vero, ut Filii divinitas infirmetur, ut e contrario evidenter et constanter confirmetur, quando omnia per ipsum facta et aptata esse, ut per virtutem et sapientiam Patris, ex Paulo probatur; et semper coëxstitisse eidem Patri, verbis clarissimis praedicatur; quibus efficitur Filium esse eundem natura cum Patre Deum aeternum et consubstantialem. Virtus namque et sapientia Patris non est ei accidens, quod cum tempore contigerit; sed Deus ipse, cui iuxta August. non est aliud sapere, posse et intelligere, quam esse. Vox autem *solus,* aliquoties repetita, excludit fictitios Aeones, Bythos, Achamothas etc. non Filium aut Spiritum sanctum, ut cuivis legenti pervium est.

p.395. GRABIUS: *Conceptio spiritalis*] Ita et supra pag. 24: *κύημα πνευματικὸν καθ' ὁμοίωσιν — τῶν δορυφόρων τοῦ Σωτῆρος.* Et pag. 28: *τὸ δὲ κύημα τῆς μητρὸς αὐτῆς τῆς Ἀχαμώθ, ὃ κατὰ θεωρίαν τῶν περὶ Σωτῆρα ἀγγέλων ἀπεκύησεν, ὁμοούσιον ὑπάρχον τῇ*
p.397. *μητρὶ πνευματικόν.* — *Si autem contenderint dicere*] Errat Feuardentius, dum hîc notat, dilemmate ab Irenaeo probari, Bythum nihil prorsus terrenorum aut coelestium condidisse. Neque enim hoc loco ullum de Bytho verbum habetur, sed de spiritali matris Achamoth partu, pro quo semetipsos venditabant haeretici, ideoque se animali Demiurgo meliores iactabant; quorum insolentissimam insaniam hîc redarguit auctor noster. — *Et rursum delatum esse in Paradisum*] Nota, Irenaeum duos Pauli raptus facere, alterum in tertium caelum, in Paradisum alterum. Quam distinctionem etiam innuit Iustinus martyr, de quo vide notas ad Spicil. Patrum sec. II. T. I. p. 244. et Clemens Alex. lib. V. Strom. p. 586, prolixius vero edisserit Methodius apud Epiphanium Haeres. LXIV. Origenianorum §. 47. Prisci quoque haeretici Paradisum a tertio caelo diversum statuerunt, praecipue Valentiniani, qui supra pag. 25. aiunt: *τὸν παράδεισον ὑπὲρ τρίτον οὐρανὸν ὄντα· τέταρτον κτλ.* Ex recentioribus theologis huic sententiae calculum adiecit pietate et eruditione praestantissimus Ieremias Taylor Episcopus Dunensis in Historia vitae et mortis Iesu part.
p.398. III. sect. 16. — *Restabat enim ei* etc.] Haud meminisse videtur Irenaeus, haereticos, contra quos praecipue disputabat, pro quarto caelo accepisse Paradisum, in quem apostolus raptus dicitur, ut ex modo citata pag. 25. liquet. Argumentatio tamen s. Patris manet valida: siquidem tres adhuc restabant caeli Demiurgo subiecti, quos Paulus haud conscendisse memoratur. Septem quippe statuebantur caeli, quos *septenationis* nomine mox indigitat Irenaeus. — *Et propter hoc — perspicere spiritalia*] Ad praecludendum quasi haereticorum effugium, quibus in proclivi erat excipere, interiorem Pauli hominem haud ultra Paradisum adscendere potuisse, quod pondere corporis deprimeretur, apostolum expresse addidisse observat: *Sive in corpore, sive extra corpus, Deus scit.* Quibus partim innuit fieri potuisse, ut ipsum quoque corpus divina potentia eo fuerit raptum, quo spiritus adscendit, ac supernarum revelationum per visus atque auditus organa particeps factum; partim in incerto relinquit, an tunc in corpore fuerit, quum in tertium caelum atque in Paradisum assumeretur, adeo ut dicta

haereticorum obiectio duplici telo repellatur. — *Uti neque corpus* p.399.
non particeps] *Uti neque* pro *utique ne* reposuit Feuardentius, consentientibus MSS. nostris. *Non* vero post *corpus* egomet addidi auctoritate Codd. Arund. et Voss., sicque ex negante affirmantem feci Irenaeum, quod corpus particeps sit visionis; expresse enim addit: *quippe quasi et ipsum participaturum* etc. Neque solum particula *quippe* hunc suadet sensum, sed et quae paullo post sequitur *rursus,* utpote qua innuitur, in isto posteriori colo proponi diversum quid ab eo, quod in praecedenti dixerat. At si particula *non* omittatur, idem in utroque inculcatur et ab inanis *ταυτολογίας* crimine haud immunis est auctor noster. — *Hunc Demiurgum* etc.] *Praeter hunc Demiurgum* etc. coniicio legendum. Sine hac enim praepositione textus nullam habet connexionem, neque plenum sensum; cum ea vero perfectum e sententia haereticorum, qui supra pag. 24 de hac matre asserebant: *πρῶτον μεμορφωκέναι αὐτὴν ἐκ τῆς ψυχικῆς οὐσίας — τὸν πατέρα — καὶ βασιλέα πάντων.* — *Nullius operationis — sunt aut domini*] p.400.
Mihi haec verba proprie accipienda videntur, ita ut homines ullius creaturae absoluti Domini pariter ac fabricatores esse negentur, ac soli Deo dominium in universa iure creationis asseratur; sicuti enim expresse *universae operationis Demiurgus et Dominus* hoc loco iterum iterumque dicitur. — *Et est substantia omnium voluntas eius*] Pro *sola ipsius voluntate homines in ortum producti sunt.* Billius lib. I. Observat. sacr. cap. 33. Debuisset autem ponere: *omnia in ortum producta sunt.* Neque enim *hominum,* sed *omnium* facta mentio. Ceterum lege cap. 2. huius libri et haec perfecte intelliges. — *Sed solus unus Deus fabricator*] (Repetita Feuardentii adnotatione addit:) Satis bene, excepto quod tam per sapientiam, quam verbum vel virtutem Patris intelligat Filium. Ubi enim Irenaeus Verbum et Sapientiam Patris nominat, ibi illo quidem Filium, hac Spiritum s. designavit, ut ex locis parallelis, maxime ex lib. IV. cap. 37. ab initio clarissime patet.

MASSUETUS: *Qui fabulis referuntur Gigantes*] Alludit ad no- p.393.
tissimam vel ipsis pueris fabulam Gigantum, quos poëtae fingunt in campis Phlegraeis cum Diis congressos; sed partim Iovis fulmine, partim Apollinis et Dianae telis confixos cecidisse, aliosque sub Aetna monte, alios sub Mycono et Lipara insulis sepultos esse; nonnullos etiam in Tartara detrusos impietatis suae poenas luere. — *Et rur-* p.397.
sum, delatum esse in paradisum] Ex his verbis concludit Grabius; *Irenaeum duos Pauli raptus facere, alterum in tertium caelum, in paradisum alterum.* Sed gratis ita concludit vir eruditus: nihil enim in Irenaei verbis occurrit, ex quo erui possit, eum ita sensisse. De Pauli raptu refert quae scripsit ipse Paulus, nec quidquam amplius. Immo toto hoc capite satis aperte supponit, raptum in tertium caelum esse ipsummet raptum in paradisum. Sed Grabium fefellit vox *rursum,* quam cadere existimavit in *delatum;* quum tamen ab hac interposito colo distinguenda sit, ut sit sensus: *Et rursum addens, delatum esse in paradisum. — Restabat enim ei adhuc — quartum caelum*] p.398.
Legendum puto: *Restabant enim ei adhuc quatuor caeli.* Id enim exigere videtur Irenaei argumentationis scopus. Probat siquidem,

Paulo nihil profuisse eius in paradisum introitum, aut usque in tertium caelum assumtionem, si in tertio illo caelo stiterit, utpote qui *ne ipsa quidem universa perspeculatus* fuerit, nec proinde *eorum, quae super Demiurgum dicuntur, mysteriorum speculator et auditor* fuerit. Qui enim mysteriorum eorum particeps esse, aut universa *perspeculari* potuit, qui ne quidem usque ad Demiurgum ipsum pervenit? Nam quum Paulus in tertio caelo constiterit, Demiurgus vero non illic degat, sed super septimum caelum, (ex hypothesi haereticorum explicata lib. I. cap. 5. n. 2.) restabant illi adhuc quatuor caeli conscendendi, *uti appropinquaret Demiurgo, et subiectam ei septenationem,* id est, septem caelos, et omnia quae sub eius potestate constituta sunt *videret.* — *Iactitatum*] Ita Feuard. in marg. Clarom. Voss. et Grab. Reliqui *iactatum.* At Billius legere mavult *actitatum,* quia praecessit, inquit, *ex operibus arguentur.* Sed non advertit vir doctissimus, praemissum antea fuisse: *Quoniam autem ille velut magnum aliquid et praeclarum, eam quae fuit usque ad tertium caelum assumtionem enarravit:* et ad id *iactitatum* referri. Alludit enim Irenaeus ad ea d. Pauli verba: *Si gloriari oportet, veniam autem ad visiones et revelationes Domini etc. Pro huiusmodi gloriabor.* Unde consequenter subdit: Valentiniani apostolo longe inferiores esse, *ex operibus arguuntur:* nihil enim tale *ab ipsis iactitatum est;* id est, se ad tertium usque caelum raptos esse gloriari non possunt, ut Pau-
p.399. lus. — *Uti neque corpus particeps putaretur*] *Uti neque* pro *utique ne* reposuit Feuard. consentientibus omnibus MSS. Sed praeterea *non* post *corpus* addidit Grabius auctoritate codd. Arund. et Voss. (quibus in hoc consentit et Clarom.) sicque ex negante affirmantem fecit Irenaeum; perperam sane, pace doctissimi viri dixerim. Id enim est Irenaeum sentientem inducere, Paulum per corpus, seu per visus atque auditus organa participem factum fuisse mysteriorum spiritalium, seu, ut superius loquitur, *spiritalium conditionum inenarrabiliumque verborum, quae non licet homini loqui:* quod certe non est Irenaeum emendare, sed depravare et in absurdum errorem agere praecipitem, vel invitum. Quasi vero existimare potuerit sanctissimus antistes, acerrimi iudicii homo, res spiritales et divina mysteria corporeis sensibus apprehendi posse? At, inquit Grab. particula *quippe,* quae sequitur, hunc suadet sensum. Sed si hunc suadeat sensum particula *quippe,* hunc prorsus abiicit huic adnexa altera particula *quasi,* nec propterea *ταυτολογίας* criminis reus erit auctor noster; quamquam mallem *ταυτολογίας,* quam absurdi erroris crimine devinctum. Quis igitur Irenaei sensus? Rem paucis explico. Probandum sibi suscepit, *spiritales* quasdam *conditiones,* seu res creatas esse, sive *sacramenta spiritalia,* quorum sit auctor Deus, ut inde concludat Demiurgum haec operatum, non animalem, sed spiritalem esse. Id vero probat ex raptu divi Pauli in tertium caelum, qui illuc delatus audivit inenarrabilia verba reconditaque mysteria percepit, quae homini loqui fas non est; eaque proinde mysteria spiritalia esse, utpote quae hominum sensus tanto superent intervallo. Sed quia excipere forsitan potuissent Valentiniani, Paulum in corpore raptum fuisse, nec proinde mysteria spiritalia, quae sensus fugiant, apprehendere valuisse; vel ultra

tertium caelum ideo ascendere non potuisse, nec consequenter *usque ad medietatem, id est, ad matrem* Achamoth pervenire, *uti ab ea disceret quae sunt intra Pleroma,* quod pondere corporis deprimeretur: utramque responsionem hîc occupat Irenaeus. Ait enim, apostolum in incerto relinquere volentem, an tunc in corpore, vel extra corpus esset, adiecisse, *sive in corpore, sive extra corpus, Deus scit:* ut hinc nullus sibi fingeret *corpus particeps* exstitisse *visionis eius, quasi et ipsum* participare potuisset *eorum quae vidisset et audisset,* quod neque forte tunc aderat: illinc vero nullus existimaret, *propter pondus corporis eum* ultra tertium caelum *non esse assumtum,* quum incertum esset an tunc in corpore esset. Uno verbo, ex eo quod incertum esset, an in corpore, an extra corpus raptus fuerit Paulus, demonstrat Irenaeus non nisi temere asseri posse, aut corpus mirabilis istius visionis exstitisse particeps, aut illud obstitisse quin ultra tertium caelum conscenderet: quae membra sibi invicem satis opposita sunt, ut ταυτολογίας criminis expers dicatur auctor noster. — *Est substantia omnium voluntas eius*] Id est, a sola voluntate eius omnia habent, non tantum quod sint, sed quod talia vel talia sint. p.400.

CAP. XXXI.

FEUARDENTIUS: *Destructis itaque*] Porro elegantissima ἀνακεφαλαίωσει ea fere omnia perstringit, quae hactenus toto hoc secundo libro effuse disseruit, nominatim contra Valentinianos; eadem in reliquos etiam haereticos dici posse confirmans. — *Nec enim caecis*] Non levis est disputatio inter theologos, an haeretici aliquando vera miracula edere possint, quod hîc diserte negat Irenaeus. Auctor quaestionum apud Iustinum, Quaestione 100. aperte negat, per haereticos vivos aut mortuos, gratiam divinam donis illis fungi. Simoni mago praestigias ostentanti sic respondentem Petrum Apost. facit Clemens Rom. lib. III. Recog.: *Ut Magi Pharaonem dementabant, arte daemonum Mosi resistentes: ita et tu mihi. Sed vera miracula semper hominibus prosunt, ut dum curantur infirmi; falsa vero tantum ostentui sunt, ut canes aeneos latratus edere. Malignus autem miracula, quae hominibus prosunt, facere non potest, nisi in fine mundi tantum.* Manichaeis exprobrat Augustinus (lib. 13. cont. Faust. c. 5.): *Miracula non facitis, quae si faceretis, etiam ipsa in vobis caveremus, per instruentem nos Dominum et dicentem: Exsurgent multi Pseudo-Christi, et facient signa et prodigia* (Matth. 24). Ferunt quosdam conatos esse miracula edere, ut his errores suos comprobarent; sed Deo impietatem eorum reprobante et patefaciente illorum consilia, in confusionem et perniciem auctorum conversa sunt; sicuti ministrorum Baalis, et Magorum Pharaonis, et filiis Scevae, ut in Sacris refertur (Actor. 19. Exod. 7. 3. Reg. 18.). Simon magus enitens in caelos volando conscendere, sic in terram allisus est, ut fractis cruribus iam ambulare non posset (Epiph. contra Haeres. 21.). Polychronius coram Constantinop. Synodo in Trullo coacta (Conc. Act. 15.), recipiens se mortuum suscitaturum, quum multis horis id frustra tentasset, a cunctis explosus est. Manes pollicitus se regis Persarum filium letali morbo correptum sanitati restituere posse, eodem exstincto, graves, p.401. p.403.

dignas tamen poenas exsolvit. Ariani filium imperatoris Valentis infirmitate gravi decumbentem, relevare non potuerunt. Cirola pseudoepiscopus eorundem Arianorum hominem 50 aureis inescatum, ut caecum simularet et publice ab eo sanari posceret, quum id facere tentavit, magno sui et aliorum Arianorum dedecore penitus excaecavit. Simile facinus parique fraude tentavit et alius Arianus episcopus, regis Lewildi inductus imperio; sed eodem prorsus eventu, haereticis ignominioso, piis vero ridiculo (Cyril. Ieros. Catech. 6. Sozom. lib. 6. cap. 16. Gregor. Tur. lib. 2. histor. Franc. cap. 3. et lib. 2. de gloria sanct. cap. 12. et 13.). — *Esse autem resurrectionem*] Explicatius Tertullianus (lib. de resurrect.): *Resurrectionem mortuorum manifeste annunciatam, in imaginariam significationem distorquent, asseverantes mortem etiam ipsam spiritaliter intelligendam. Non enim hanc esse dissidium corporis et animi, sed ignorantiam Dei, per quam homo mortuus Deo non minus in errore iacuerit, quam in sepulcro. Itaque et resurrectionem eam vindicandam, qua quis adita veritate redanimatus et revivificatus Deo, ignorantiae morte discussa, velut de sepulcro veteris hominis eruperit. Hoc denique ingenio, etiam in colloquiis saepe nostros decipere consueverunt, quasi et ipsi resurrectionem admittant. Vae, inquiunt, qui in hac carne non resurrexerit. Tacite autem sentiunt, vae qui nondum in hac carne est, cognoverit*
p.404. *arcana haeretica, hoc est enim apud illos resurrectio. — Quapropter etiamsi observaverit quis*] Magnam esse *κοινωνίαν* inter haereticos et cacodaemonas annotavimus in caput primum libri primi: hîc tantum addere libet quae Tertullianus (lib. praescript.) habet: *Notata sunt etiam commercia haereticorum cum magis quampluribus, cum circulatoribus, cum astrologis, cum philosophis curiositati deditis. Adeo et de genere conversationis, qualitas fidei aestimari potest, doctrina index disciplinae est* etc.

p.402. GRABIUS: *Ea quae sunt extra veritatem transferentes ad characterem suae doctrinae*] Graece: *τὰ ἔξω τῆς ἀληθείας μετενέγκαντες εἰς χαρακτῆρα διδασκαλίας ἑαυτῶν.* Intelligit vero per ea, quae sunt extra veritatem, mathematicas vel alias philosophicas a doctrina christiana alienas hypotheses, uti patet de Basilidianis ex superiori pag. 99. col. 2. lin. 7. (pag. 102. col. 2. l. 18.) seqq. Ita etiam mox pag. seq. ait: *quae sunt veritatis*, id est quae ad sacram doctrinam pertinent vel ex s. Scripturis sunt petita. — *Draconis*] Antichristum venturum in dicto Apocalypseos loco intellexit Irenaeus, quem et alii postea Patres sunt secuti.

p.402. MASSUETUS: *Affingere*] Interpres sui oblitus infinitivum graecum reddidit infinitivo latino. Scribendum erat in coniunctivo *affin-*
p.404. *gant*, sicut *blasphement*. — *Faciet — et deiiciet eas*] Clarom. longe aliter atque cetera omnia exemplaria habet: *Faciunt — et deiecere eas.* Ex parte tamen consentire videntur Anglic. in quibus legitur *deiicere*, procul dubio pro *deiecere*. At veterem lectionem immutandam esse non duxi. Ex Clarom. restitui duntaxat *eas* pro *eos*, quia et ita legitur Apocal. 12, 4. — *Quam prophetiam si observaverit quis*] Ita Clarom. cod. ceteri omnes: *Quapropter etiam si observaverit quis.* Sed prior lectio magis ad Irenaei institutum facere videtur. Probat

enim eam, quae de dracone legitur loco cit. Apocal. prophetiam, ad praestigiatorum illorum *diurnam conversationis operationem* exacte quadrare: quod iisdem artibus atque praestigiis, quibus draco seu daemonia, utantur ad seducendum universum orbem.

CAP. XXXII.

FEUARDENTIUS: *Et haec autem* cett.] Quae hoc capite refelluntur, p. 406. recitaverat lib. I. cap. 24. de Carpocratis sectatoribus loquens; simul et cap. 35. de Ophitis et Cainaeis. Ostendit autem veteres Gnosticos enixissime laborasse, ut omni specie libidinis se commaculerent; at bonis artibus, seu liberalibus seu mechanicis, aut etiam virtutibus nullam operam collocasse. — *(Non) Iesum*] Vetus codex caret negatione, p. 407. sed affirmative legit: *Iesum magistrum gloriantur;* dolet enim b. martyr, sub nomine beato tam infelicia monstra latere. — *Dicentes autem se*] Collatione operum illorum cum operibus D. N. Iesu Christi, retundit perversam eorum iactantiam evincitque illos magis similes esse Simoni mago nebuloni perditissimo, quam Domino, cui tamen se praeferebant. — *Sed Simoni mago*] Huius praestigias attigit lib. I. cap. 20. sed eas fusius antea descripserunt Abdias lib. I. histor. Apost. et Clemens Rom. lib. III. recog. ut isthaec ex illis videatur Irenaeus desumpsisse. — *Si autem et Dominum*] Etiam locum hunc trans- p. 408. scripsit Eusebius (lib. V. hist. cap. 7.), usque ad illud infra: *Nec invocationibus angelicis* etc. Porro quatuor Spiritus sancti charismata enumerat, quibus tunc temporis floruit ecclesia; de his quoque multa et ea praeclara leguntur in illius saeculi et sequentibus scriptoribus, quae paucis perstringere non erit inutile. De daemonum eiectione Iustinus scribit (in Dialog. cum Tryph.): *Vim Christi nominis timent daemonia trementia, et hodie adiurata per nomen crucifixi Iesu Christi sub Pontio Pilato Iudaeae praeside, imperata faciunt.* Idem rursus priore Apolog. *Multos arreptitios per totum orbem, et in hac ipsa civitate,* Romana, *multi ex nostris Christianis, adiuratos per nomen Iesu Christi sub Pontio Pilato crucifixi, sanarunt; quos nec adiuratores alii, nec incantatores expiatoresve sanare potuerant.* Pulchra hac de re habet et Tertullianus cap. 23. Apol. quae consulto omittimus. Donum autem prophetiae maximum illum Quadratum Athen. habuisse, testis est Eusebius lib. IV. hist. Revelationes et visiones de futuris rebus, frequenter factas Polycarpo et Cypriano (Serm. de mort.), ipsi sibi idonei testes sunt. Sed et b. Carpo visionem plane mirabilem contigisse scribit Dionysius Areopag. Epistol. 8. Mortuum eo saeculo suscitatum fuisse, Papiae testimonio confirmat Eusebius lib. 3. histor. cap. 39. — *Perficiunt*] Virtutes videlicet curationum, de quibus scribit apostolus, 1. Cor. 12, 10. — *Non est numerum dicere*] p. 409. Hellenismus, pro gratiarum numerus iniri nequit. — *Nec invocationibus angelicis*] Malignorum videlicet spirituum, quos Simoniani, Marcitae, Carpocratiani aliique malefici ad suas praestigias exercendas in opem evocabant. Bonos porro angelos ut coram Deo patronos pie invocandos esse plurimis ostendimus, Appendice contra haereses, titulo Angelus; et Com. in lib. Esther, Digress. de oratione, art. 6.

GRABIUS: *Non solum qui moechatur* etc.] Gemina prorsus do- p. 404.

cuit non modo Iustinus martyr Apolog. II. (I.) pro Christianis pag. 62 seq. sed et Basilides haeresiarcha lib. XXIII. Commentariorum in evangelium, cuius verba vide Tom. I. Spicilegii Haereticorum saeculi II. pag. 40. — *Sine caussa*] Ex hoc loco et lib. IV. cap. 31. forte colligeret quispiam, Irenaeum Matth. 5, 21. legisse *εἰκῇ*, quod aliqui ex latina versione, in qua iam Cypriani aevo lectum fuisse ex scriptis eius colligitur, in sacrum N. T. Codicem irrepsisse putant. Obstat tamen huic argumento, quod auctor noster lib. IV. cap. 27. scribat: *Dominus praecepit pro eo quod est, Non occides, neque irasci quidem.* Unde et aliis in locis latino Irenaeo ab interprete vel scriba quodam istud *sine caussa,* insertum videri posset. Sed vix quidpiam certi citra temeritatis notam affirmari potest, neque plura hac de re
p.409. dicere est huius loci. — *Nec invocationibus angelicis*] Malignos tantum spiritus hoc loco intelligendos notat Feuardentius, quos scilicet Simoniani, Marcosii, Carpocratiani aliique malefici ad suas praestigias exercendas in opem evocabant. Ast ne bonos angelos ab ecclesia ad virtutem miraculorum edendam in auxilium vocatos uspiam legimus; immo id non factum esse ex hoc ipso Irenaei loco haud inepte colligitur. Quippe *invocationibus angelicis* opponit *orationes ad Dominum, qui omnia fecit et invocationem nominis Domini nostri Iesu Christi,* nulla sanctorum spirituum Dei mentione facta.

p.405. MASSUETUS: *Magistrum*] Iesum hic intelligit Irenaeus, quem praeceteris hominibus *anima firma donatum, ut mundi fabricatores effugere*
p.407. *posset,* dicebant Carpocratiani, sup. lib. I. cap. 25. n. 1. — *Stillicidio temporis*] Suspicor interpretem pro *στιγμῇ χρόνου, momento* seu puncto *temporis,* male legisse *σταγμῇ χρόνου,* unde perperam reddiderit *stillicidio temporis.* Quidquid sit, *stillicidium temporis* hic pro *momento temporis* accipi debet. — *Firmum est*] Ita Erasm. Gall. et Feuard. In edit. Oxon. *firmum esse,* incertum qua auctoritate, nulla enim citatur; forte codicis Voss., nam Clarom. ita habet. Sed prior lectio praeferenda. Mallem quidem duas istas voces omnino abesse: incommodum tamen sensum non habent, si parenthesi includantur. Sensus enim est: *Ex hoc quod Dominus surrexit a mortuis tertia die, (quod firmum est, verum, non phantasticum et apparens; qualia erant falsa haereticorum miracula) et discipulis se manifestavit* etc.
p.409. — *Invocationibus angelicis*] Malignorum videlicet spirituum, ut recte notat Feuardentius, quos Simoniani, Marcitae, Carpocratiani aliique malefici ad suas praestigias exercendas in opem evocabant. Hic enim, ut et capite praecedenti, vera ecclesiae miracula haereticorum praestigiis opponit: aliaque puris et mundis orationibus, et invocatione Domini nostri Iesu Christi; alia *fraude universa et adinspiratione apostatica,* (malorum scilicet angelorum, quos angelos apostatas vocare solet) *et operatione daemoniaca, et phantasmate idololatriae* fieri probat. Mirum ergo cl. Grabium tam immaniter sui ipsius oblitum fuisse, ut in suis in hunc locum notis scribere non dubitaverit, *bonos angelos ab ecclesia ad virtutem miraculorum edendam in auxilium vocatos nuspiam legi: immo,* inquit, *id non factum esse, ex hoc ipso Irenaei loco haud inepte colligi:* addideritque in Indice generali, istum Irenaei locum indigitando, *angelorum invocationes in ecclesia*

inusitatas fuisse. Quasi vero ex eo quod probet auctor noster, ecclesiam apostatarum angelorum invocationibus nihil facere, concludi possit, bonorum angelorum invocationes huic inusitatas fuisse? Sed de his lege Dissert. III. art. 9. §. 109.

CAP. XXXIII.

FEUARDENTIUS: *De corpore*] Quam hîc refellit metempsychosin, asseruerunt Simon magus, Carpocrates horumque sectatores, ut scripsit libro primo capite vigesimo et vigesimo quarto. Hanc porro animarum transmigrationem Lactantius (lib. III. cap. 18.) acceptam fert Pythagoricis et Stoicis. Qui quum timerent argumentum illud Epicureorum, quo concludebant, necesse esse ut occiderent animae cum corporibus, quia cum corporibus nascuntur: dixerunt, non nasci animas, sed insinuari potius in corpora et de his in alia et alia migrare. Lactantio subscribit Nicetas libro primo Thesauri Orthodoxiae, capite quarto. Est quoque in Phaedone Platonis manifesta huius assertio. Iustinus martyr in Dialogo tradit, Iudaeos in hunc tandem errorem incidisse. Nec iniuria sane; nam in Thalmud, Ordine quarto, Tractatu secundo, affirmant animam Abelis migrasse in Seth, et hanc postea in Moysem. Hieronymus quoque (Com. in Mat.) sentit, Iudaeos illos, qui opinabantur Christum esse aut Ieremiam aut Heliam etc. eodem fuisse errore detentos: adeoque ipsum Herodem existimantem illum esse Ioannem, quem decollaverat etc. Illa vero multis exploditur etiam a Luciano aliquot in locis, praesertim in Gallo, ab ecclesiasticis vero scriptoribus post Irenaeum, coarguitur a Tertulliano in Apolog. et libro de Anima, Tatiano Orat. adver. Gentes, Clemente Alexandrino libro quarto Strom., Origene libro primo contra Celsum; Lactantio libro 3. cap. 18. et lib. 7. cap. 23. Hieronymo adversus Rufinum; Augustino lib. 10. de Civitate, cap. 30. Cyrillo Alexandrino lib. 7. contra Iulianum etc. — *Ad haec*] Quod asserit, Platonem primum p.411. induxisse *μετεμψύχωσιν,* parum convenit cum Epiphanio (contra Haeres. 7.) et Lactantio, qui Pythagoram, ante Platonem, eandem asseruisse scribunt. Plutarchus hanc etiam Empedocli tribuit, Tractat. secundo de esu carnium. Mercurium Trismegistum emigrationes huiusmodi poëtico ritu descripsisse; quin et Zoroastrum omnibus his antiquiorem, in libro cui titulus est, *Μαγικὰ λόγια τῶν ἀπὸ Ζωροάστρου μάγων,* illam ipsam docuisse, testis est Rhodiginus lib. 9. cap. 21. Ergo vel apud Athenienses, vel recens excogitatis rationibus, Platonem primum eandem invexisse, intellige. *Atheniensis* pro *adveniens* restituimus auctor. vet. cod. — *Potantur oblivione*] Platonicum hoc somnium acerrime post Irenaeum impugnant Tertullian. libro de Anima, cap. Adversus Platonis *μαθήσεις καὶ ἀναμνήσεις;* Augustin. lib. 12. de Trinitate cap. 15. et lib. 1. Retractation. cap. 4. et lib. 7. de Genesi ad litt. cap. 9. 10. 11. et lib. 10. cap. 4. Denique et Lactantius lib. 7. cap. 22. Letheum porro fluvium vocant, quod *ἡ λήθη* oblivionem significet. Est enim, ut idem Plato censuit, *τῆς μνήμης ἔξοδος.* De eodem flumine canit Virgilius in 6. Aeneidos; explicat vero eiusdem mythologiam Macrobius lib. I. de somnio Scipionis. — *Et latuit semetipsum*] Graecismus, pro *Imprudens in alteram maiorem*

difficultatem incidit. — Si enim oblivionis poculum potata est] Alius rursum Graecismus, pro *oblivionis poculo potata est. — Adversus autem eos*] Refellit eorum sententiam, qui volebant ipsum corpus humanum caussam oblivionis esse, quum e contrario eiusdem organis ac ministeriis memoria sensibilis potius nascatur et foveatur, prout etiam somnia rerum praeteritarum, quas oculorum vel aurium beneficiis novimus, recordatio satis arguit. Denique prophetae quum vere in corpore versarentur, caelestium visionum memores, aliis quoque patefecerunt. Non est ergo corpus nostrum praecisa rerum oblivio. Qui prolixam de memoria humana disputationem requirit, consulat Augustin. lib. X. confess. a capite octavo usque ad vigesimum. —

p.412. *Sed simul*] Duas has voces *oculis auferretur*, quae nihil ad rem faciebant, veteris cod. auctoritate delevimus, ut sit apertior et planior lectio. — *Non enim est fortius*] Probat ab effectis animae, ipsam corpori dominari, habereque rationem artificis: ipsum autem organi. Hinc vero Cyrillus Hierosolymitanus animam sic describit: *Cognosce animam esse sui iuris seu voluntatis liberae, opus Dei pulcherrimum, secundum factoris imaginem immortale.* Et facta corporis altera descriptione subiicit: *Quum ergo non peccat per se corpus, sed per illud anima peccat; instrumentum quoddam est animae corpus, et tanquam vestis et stola animae* etc. Catech. 4. — *Corpus enim*] Locum hunc illustrat similis Cypriani: *Corpore sic nititur anima, sicut faber malleo, vel incude, in qua format omnium turpitudinum idola, et fabricantur quaelibet quarumcunque voluptatum simulacra.* De hoc abundantius habes apud Augustinum 14. de Civit. cap. 3. —

p.413. *Si itaque*] Transmigrationes porro animarum sensus evertit ex eo quod, quemadmodum unusquisque proprio corpore donatus est, sic et propria anima; ac in utroque resurgent omnes, ut recipiant, prout gesserunt, sive bonum, sive malum.

p.410. GRABIUS: *Subvertamus ex eo* etc.] Eodem argumento metempsychosin subvertit Clemens Alex. in Eclogis propheticis § 17. scribens: *ἐχρῆν γὰρ καὶ εἰδέναι ἡμᾶς ὅπου ἦμεν, εἰ προῆμεν. Nam scire quoque oportebat ubi eramus, si ante fuissemus. — Et maxime ad hoc venientes*] Hoc comma ad proxime praecedentia non quadrat, ideoque referendum videtur ad illa: *uti ea, quae deerant, implerent, et non circa eadem semper volutantes continuatim, miserabiliter laborarent;* ita ut intermedia, quasi in parenthesi posita, sint accipienda. Eo enim fine animas ad alia corpora venire docebant Carpocratiani, ut quod deest flagitii, ab ipsis ante non perpetratum, dehinc operap.413. rentur, sicque pensum suum plene absolverent. — *Ἰδίας ἔχοντες ψυχάς*] Nota, Irenaeum reprobis hominibus solam cum corpore animam tribuere, non spiritum. Qua de re lege lib. V. cap. 8.

p.411. MASSUETUS: *Primus sententiam hanc introduxit*] Si arctius premantur haec Irenaei verba, vix a lapsu liberari poterit. Hunc enim errorem Epiphanius et Lactantius Pythagorae, Plutarchus Empedocli, alii Zoroastro aut Mercurio Trismegisto adtribuunt. Eos vero omnes Platone antiquiores esse nullus dubitat. Nec credibile est Irenaeum, in lectione veterum philosophorum non mediocriter versatum, fugere potuisse metempsychosin ab aliis Platone vetustioribus

propugnatam fuisse. Quare probabilius id tantum voluisse s. antistitem, Platonem primum omnium apud Athenienses, vel potius recens excogitati oblivionis poculi commento munitam eandem invexisse. Huicque sensui favere videntur auctoris nostri verba. Plato siquidem *sententiam hanc excusare* moliebatur, et ab *aporia,* ut loquitur, id est, ab impeditissimis ambagibus, quibus implicabatur, eximere. Non igitur eam invenerat primus; sed iam inventam explicare studuit, addito oblivionis poculo, quod primus invexit, ut male cohaerenti dogmati fidem conciliaret. Quod omnino consentaneum est sententiae Tertulliani de Platone scribentis, lib. de Anima cap. 23. *Novum elaboravit argumentum, μαθήσεις ἀναμνήσεις, scientias reminiscentias esse: venientes inde huc animas oblivisci eorum, in quibus fuerint; dehinc ex his visibilibus edoctas recordari.* Ad hanc sententiam accedens doctissimus noster Domnus Nicolaus le Nourry in suis eruditis in Irenaei libros Dissertationibus, Dissert. 6. §. 2. existimat, corruptum esse ab interprete aut librario hunc Irenaei textum, ac voces *primus,* et *introduxit,* ad oblivionis poculum ita esse referendas, ut is illius sensus sit: Plato quum sententiam hanc excusare non posset, primus introduxit oblivionis poculum. At supposita doctissimi viri coniectura, quae certe a verosimili haud recedit, textum paullo aliter restituerem. Expungerem voces *qui et,* ac *introduxit;* et sic facilis esset sensus.

CAP. XXXIV.

GALLASIUS: *Animas habere hominis figuram, ut etiam cognoscantur*] Quum figuram tribuit animae Irenaeus, videtur etiam iis aliquid corporeum affingere. Nec enim figuram aut formam concipere possumus, nisi in iis, quae sub aspectum cadunt. At spirituales creaturae a nobis non cernuntur, nec qualis sit earum figura, a nobis dici aut cogitari potest. Habent quidem suam ut hypostasin atque essentiam, ita qualitates et accidentia. Sed de iis, ut de corporibus imaginari, aut eadem illis, quae corporibus tribuere, a ratione alienum et absurdum est. Expendamus ergo quid sibi velit Irenaeus. Propositum illi est ostendere unicuique homini propriam a Deo animam datam esse, ita ut etiam post mortem non minus distingui animae possint aliae ab aliis, propriisque et peculiaribus notis secerni solutae a corporibus, quam quum iis indutae erant. Quod certe verum est. Nisi enim anima Iudae discerneretur ab anima Petri, anima Lazari ab anima divitis epulonis, non dignosceretur diversa utriusque conditio. Si vero ex aliquo corpore decedens in aliud corpus migraret, ut fanatici illi asserebant, nihilo magis huius, quam illius anima dici posset. Ergo decedens ex hac vita habebit proprium characterem, ita ut illius, cuius antea fuit, etiam postea esse sciatur. Quod igitur vocat Irenaeus eundem characterem corporis, ne tamen putemus corporeum, sed ad totum hominem, hoc est, ad individuum ipsum, cuius charactere anima etiam post mortem insignietur, referamus, p.414.

FEUARDENTIUS: *Plenissime autem*] Quae hîc et proxime sequenti cap. tradit de charactere et figura animarum, quae iam corpora p.414.

posuerunt, referenda sunt ad inclinationem eam, qua pronae sunt ad ea olim resumenda; nisi id sensisse quis voluerit, quod postea Tertullianus apertius dixit: Animam scilicet non omnino materiae et corporeae compositionis expertem esse, ideoque effigiem humanam eius corporis, quod unaquaeque circumtulit, servare lineas corporales, coloremque aërium et lucidum; libro de Anima, capite de effigie animae. Quod autem ex narratione de Lazaro et divite asserit spiritus hinc discedentes eorum meminisse, quae hîc egerunt, et a quibus recesserunt, constans est Patrum sententia. Cyprianus tradit (Sermone de mort.), magnum nos carorum numerum in caelis exspectare, parentum, fratrum, filiorum, copiosam turbam nos desiderare, de sua incolumitate securam, de nostra adhuc sollicitam. Augustinus (Epist. 6.) viduam Italicam consolaturus, in caelo coniugem suum notissimum ei fore audet polliceri. Hieronymus hoc solatio adversus mortis duritiem et crudelissimam necessitatem nos erigi pie existimat, quod brevi visuri sumus eos, quos dolemus absentes; epist. ad Theodoram. — *Per haec enim*] Brevissimum hoc caput plurima observatione dignissima ex superiori Lazari ac epulonis evangelica relatione comprehendit. Primum, animas de corporum humanorum ergastulis emigrantes non evanescere, sed in altero saeculo immortales perseverare, ut Abrahae, Lazari ac epulonis, qui iam hîc vivere desierant, certissimis exemplis demonstratur. Idem comprobat Iustinus martyr in Dial. ex anima Samuelis, quae post suam e corpore migrationem, cum Saule rege collocuta est. His addere potuissent Mosis ac Heliae spiritus in transfiguratione Domini; insuper, Ieremiae ac Oniae animas, a Iuda summo Iudaeorum pontifice ac duce conspectas; innumerasque sanctis postea viris factas spirituum, postquam hinc discesserant, apparitiones ab Eusebio, Nysseno, Basilio, Metaphraste, Nicephoro, Theodoreto, Ambrosio, Orosio, Hieronymo, Gregorio, Augustino aliisque summis viris relatas; quibus animarum nostrarum immortalitas adversus veteres novosque Sadducaeos, Epicureos et Satanicos animicidas constanter asseritur. Secundum, quod notatu dignum existimo, est. Animas hinc recedentes, non de corpore in corpus transire, seu hominum, seu brutorum, ut cum Pythagoricis et Platonicis senserunt Simoniani, Carpocratiani, et alii, de quibus hîc disseritur, et paullo superius diximus. Tertium, animas corporibus exutas hominum retinere figuram: hoc est (quantum pie iudico) instar hominum aliquando apparuisse; sicque describi per Scripturas, ut in narratione Lazari ac epulonis, per anthropopathiam cum oculis, lingua et digitis figurantur: quamquam reipsa corporeis organis careant, tantumque spiritalibus facultatibus suis ad videndum et audiendum, id est intelligendum, utantur. Quartum, huiusmodi animas in alio saeculo se invicem nosse ac discernere, ut epulonis anima eas novit, quae fuerant Abrahae et Lazari: et vicissim ab Abrahami spiritu cognita fuit. De hoc diximus ad finem superioris capitis. Quintum, easdem meminisse, atque sic probe nosse, quae hîc geruntur: atque hoc satis indicasse spiritum Abrahae, referentem epulonem in superiori vita recepisse bona, Lazarum vero mala, id est adversa: insuper, divitis fratres habere Moysen et prophetas: eundem praeterea epulonem fratrum suorum memo-

rem, et quodam, vel commodi, vel naturae affectu, pro eis intercedentem, ne secum venirent in locum tormentorum: insuper, propheticum donum inesse Abrahae, asserenti, nec pios ad damnatorum sortem, nec reprobos in locum consolationis unquam venturos. Postremum, animas etiam ante postremum diem, dignam operibus suis, aut felicitatis, aut miseriae sempiternae habitationem percipere, quando semel hinc discesserint. Quae omnia certe hominis Christiani, praesertim Theologi consideratione digna esse nemo negabit. — *Si qui autem*] Nihil vero absurdi habet, quod toto hoc capite contendit animam rationalem beneficio Dei perdurare, vitamque ex sese non habere; quandoquidem ut eius essentia, sic et iugis immortalitas a divina voluntate perpetuo dependet, quae ut eam ex nihilo produxit, sic et in nihil redigere valeret, si opportunum videretur. Atque hoc sensu interpretandas esse Tatiani (Orat. contra Gentes) et Arnobii toto sexto libro adversus Gentes sparsas ea de re sententias existimo. — *Solus est Deus*] His primum docet, Deum esse prorsus immutabilem; deinde, hoc adeo illi proprium esse, ut nulli omnino rei creatae conveniat; quod et Augustinus comprobat ex eo, quod de Deo scribat apostolus (1. Tim. 6.): *Qui solus habet immortalitatem,* id est, immutabilitatem. Lib. I. de Trinit. cap. 1. et lib. III. contra Maximinum cap. 12.

GRABIUS: *In ea enarratione, quae scribitur de divite et Lazaro*] p.414. Similiter Clemens Alexandrinus in Excerptis ex Theodoto et Orientali Valentinianorum Didascalia pag. 792. col. 1. A. *Ἄντικρυς δὲ ἀπὸ τοῦ Λαζάρου καὶ τοῦ πλουσίου διὰ τῶν σωματικῶν μελῶν σῶμα εἶναι δείκνυται ἡ ψυχή.* Eodem argumento utitur quoque Tertullianus lib. de Anima cap. 7. — *Ut sint*] Id est, ut exsistant et durent per aliquod tempus, sicut ex antecedentibus et consequentibus patet. — *Si in modico fideles* etc.] Haec verba tanquam ipsius Servatoris ab p.415. Irenaeo prolata in nostris evangeliis ita non leguntur; referuntur tamen eodem fere modo ab auctore epist. 2. Clementi Romano vulgo adscriptae, ubi graeca ita sonant: *λέγει γὰρ Κύριος ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ· εἰ τὸ μικρὸν οὐκ ἐτηρήσατε, τὸ μέγα τίς ὑμῖν δώσει; λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι ὁ πιστὸς ἐν ἐλαχίστῳ καὶ ἐν πολλῷ πιστός ἐστιν.* Ex evangelio autem secundum Aegyptios ea deprompta coniicio, quia alia quoque inde allegavit illius epistolae vel homiliae Clementinae auctor, de quibus vide Spicilegium Patrum saeculi I. pag. 35. Accedit quod istis gemina habeantur in evangelio s. Lucae c. 16. v. 10. seq. Atque hoc illi secundum Aegyptios hinc inde consonare nihil est mirum, si vera sunt, quae in dicto Spicilegio pag. 32 sqq. dixi. Nolui tamen ibidem haec verba una cum aliis inter fragmenta evangelii secundum Aegyptios referre, quod res incerta sit ac fieri potuerit, ut ex ipsius s. Lucae codice paullisper mutato Pseudo-Clemens pariter ac Irenaeus illa citaverit. Unde et Lucae 16, 11. supra signare placuit. — *Anima ipsa quidem non est vita* etc.] Haec descri- p.416. psisse videtur e Iustini M. Dial. cum Tryph. p. 224. ubi de anima ait: *οὐ ζωὴ οὖσα ζῇ, ἀλλὰ μεταλαμβάνουσα τῆς ζωῆς. Ἕτερον δέ τι τὸ μετέχον τινὸς ἐκείνου οὗ μετέχει, ἐπεὶ ζῆν αὐτὴν ὁ Θεὸς βούλεται. Anima non quod vita sit, vivit, sed quod vitae particeps sit. Aliud vero est, quod participat quidquam ab eo unde participat. Vi-*

tam vero anima participat, quoadusque eam Deus vult vivere. — Propheticus sermo] Iterum imitatur Iustini m. phrasin Apol. 2. p. 93. *Διὰ Μωσέως προεμήνυσε τὸ προφητικὸν πνεῦμα.*

p.414. MASSUETUS: *Characterem corporis — custodire eundem*] Paullo post addit, *animas habere hominis figuram, ut etiam cognoscantur.* Haec vero Feuardentius refert ad inclinationem eam, qua pronae sunt animae ad corpora olim resumenda; sed gratis. Nec melius, ea explicatione haud satis contentus, exponit de effigie humana; quasi eius corporis quod circumtulit anima, servet lineas corporales coloremque aërium et lucidum; quae Tertulliani opinio fuit in lib. de Anima. Sed hunc errorem Irenaeo affingere nihil hactenus cogit. Recte explicari potest de certis quibusdam characteribus et notis, quibus a ceteris spiritibus, ad informandum corpus haudquaquam destinatis, distinguantur, et quibus animae humanae potius quam angeli constituantur. In hoc enim animas humanas ab angelis distingui putant multi, quod illae ad informandum et regendum corpus a Deo destinentur; isti minime: de cetero eandem esse utriusque spiritus naturam. Necesse est ergo in mentibus humanis, etiam in caelo degentibus, certos quosdam characteres, et certum quendam ordinem ad corpus superstites manere, quibus ab aliis spiritibus distinguantur. Idipsum est quod vocat Irenaeus *characterem corporis* et *hominis figuram:* hinc consulto addit, *ut cognoscantur;* ut inde merito concludas illum *corporis characterem,* seu *hominis figuram,* in eo duntaxat situm esse voluisse, ut anima *cognoscatur,* et ab angelis, qui nullum habent ordinem ad corpus, distinguatur. Sed de his in Dis-

p.415. sert. III. art. 11. — *Perseverant autem — secundum voluntatem factoris Dei*] Quod hîc statuit Irenaeus, animas hominum non diutius perseverare, quam Deus eas et essè et perseverare voluerit, vitamque ex sese non habere, nullum earum immortalitati detrimentum infert. Longe enim aliter de Deo, atque de mentibus creatis sentiendum esse, tam vere, quam pie asserit auctor noster. *Is sine initio et sine fine, vere et semper idem, et eodem modo se habet,* solus habens immortalitatem, ut loquitur apostolus, a seipso videlicet, nulli obnoxiam et immutabilem. Illae vero quidquid habent immortalitatis et vitae, Dei beneficio sortiuntur. *Non enim ex nobis, neque ex nostra natura vita est, sed secundum Dei gratiam datur.* Aeternum quidem perseveraturae sunt, sed in hoc longe inferiores Deo, quod ab eo *initium facturae suae habeant,* nec *extendantur in longitudinem saeculorum,* nisi secundum voluntatem factoris Dei, quae ut eas e nihilo produxit, sic et in nihilum redigere posset; immo redigeret, si conservare desineret. Uno verbo Irenaei scopus est verissimum istud principum statuere: *Principari debere in omnibus et dominari voluntatem Dei; reliqua autem omnia huic cedere, et subdita esse, et in servitium dedita. — Si in modico fideles non fuistis* etc.] Haec ex memoria citavit Irenaeus. Nam paullo aliter habet evangelii textus Luc. 16, 11. *Qui fidelis est in minimo, et in maiori fidelis est: et qui in modico iniquus est, et in maiori iniquus est. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis: quod verum est quis credet vobis?* Unde ad sensum magis quam ad verba attendisse videtur auctor noster. Idem

dicendum de auctore epist. 2. s. Clementi Romano vulgo adscriptae, qui haec eadem verba ita refert: *λέγει γὰρ ὁ Κύριος ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ· εἰ τὸ μικρὸν οὐκ ἐτηρήσατε, τὸ μέγα τίς ὑμῖν δώσει; λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι ὁ πιστὸς ἐν ἐλαχίστῳ, καὶ ἐν πολλῷ πιστός ἐστιν.*

CAP. XXXV.

GALLASIUS: *Eloe secundum vocem iudaicam*] Aperta est huius p.417. vocis significatio. Sed in aliis divinatione utendum fuit. Qua in re usus sum iudicio doctissimi viri et in his linguis valde exercitati B. B. Cornelii professoris linguae hebraicae in ista academia Genevensi. Mihi certe videtur Irenaeus iudaicam linguam accipere pro genuina illa et incorrupta hebraea, qua vetus Testamentum scriptum est; nam et ita vocatur ab Ezra, Nehem. 13, 24. et Isa. 36, 11. et 13. Hebraicam vero, ut passim apud Evangelistas pro vulgari, qua populus utebatur, quae chaldaica seu syriaca primum fuit, sed postea hierosolymitana dicta est, quum aliae linguae, syra, arabica, persica, graeca et latina illi permixtae fuerunt. Quod igitur attinet ad alteram expositionem vocis *Eloe*, quam ille hebraicam vocat, vix certe adhuc bene constat apud grammaticos hebraeos de etymo nominis אֱלֹהַּ. Nec vero procul petitum erit, si illud derivemus ab אָלָה, quod est *deieravit*, interposita videlicet imprecatione. Nam antiquitus ita usurpabatur nomen Dei in concipiendo iureiurando, ut etiam illa formula prae aliis fuerit usitata: *Hoc mihi Deus faciat et addat.* Atque ex hoc usu, qui etiam lege praescriptus erat, hoc nomen ita dictum fuisse videri possit. אוּלַי certe apud Hebraeos dictio est consignificativa, quae affirmanti tribuitur, sed dubitanti, et sonat fortasse, אוּלָם i. e. *profecto, omnino,* affirmat. Hinc fieri potuit, ut vel haeretici in nominibus mysteria et res perscrutantes, vel etiam Iudaei ipsi sub posteriora tempora, quibus iam vigebat dialectus hierosolymitana, nomen *Eloe* pro *vero* sumserint, quod Deus sit verax et acerrimus vindex veritatis. *Elloeuth*, ut habeat significationem, quae hîc designatur, explicandum est ex Arabum idiomate. Nisi quis malit nomen divinum apud illos אַלַּהּ esse ab hebraeo אֱלֹהַּ. Potest autem compositum dici ex articulo arabico *al,* quod est *ὁ,* et ex pronomine *lah,* i. e. *ei;* quasi sit *cuius,* subaudi *sunt omnia,* ut etiam ipsi Septuaginta legentes apud Mosem Gen. 49, 10. pro שִׁילֹה i. e. *fetus eius,* שְׁלוֹ i. e. *cuius,* idem ferme subaudierunt. Nam habent *ᾧ τὰ ἀποκείμενά, ille cui reposita sunt* [omnia]. Nisi malis dicere, eos ita ex vulgari Dei attributo designare voluisse Christum Deum futurum. Huc etiam pertinere videtur quod Deut. 33, 27. Deus vocatur — מְעוֹנָה *Mehonah,* et מָעוֹן aliquot locis in Psalmis, i. e. *habitatio,* et apud Rabbinos הַמָּקוֹם, i. e. *locus,* quod (ut interpretantur Hebraei) ipse omnia, ut locus, complectatur, et omnem locum impleat, a nullo vero contineatur. *Adonai* vocat *nominabile,* quod substituatur ab Hebraeis loco nominis *Iehova,* quod non solent nominare. Quod addit etiam exponi posse *admirabile,* ex eo forsitan ortum est, quod dicitur ab angelo Iud. 13, 18. *Cur quaeris nomen meum, quod est admirabile?* *Adonai* vero, quo *praefinientem* significari dicit, videri possit deduci a דוּן *dun,* quod significat *decernere, dirimere litem* aut *determinare;*

et componi cum nomine Dei, qui omnia statuit, dirimit, separat et dirigit in ordinem. Sed quum agatur de aqua disterminanda a terris, videri etiam possunt auctores istius interpretationis allusisse ad illud Iobi 38, 6. *Super quod* אַדְנֵיהָ, i. e. *bases eius defixae sunt;* ita ut Deum auctorem harum basium, disterminantium terram ab aquis, אֲדוֹנָי *Adonai,* dictum accipiant ab אדן i. e. *Basis. Sabaoth* per *ω.* Quum nullum sit *ω* apud Hebraeos, oportet intelligi Cholem plenum, quod respondet ei pronuntiationi. Ut autem *Sabaoth voluntarium* significet, necesse est deduci non a צבא, sed a צבה i. e. *percupivit.* Quae radix in ipso primitivo Chaldaeis usitatissima est in hac significatione; Hebraeis pro caelo autem in ipsis derivatis. — *Sabaoth, primum caelum*] Certe hoc nomen nusquam reperitur. Sed quia insignis ille et illustris ordo stellarum exercitus vocatur in Scripturis et militia caeli, ideo caelum, in quo numerus illi infinitus stellarum, praeclaro ordine, ut in exercitu, locatus est, *Sabaoth,* i. e. *exercitum* vocatum esse verisimile est. Primum autem caelum vocat, non nostri respectu, ut astrologi, quoniam alii caeli sunt nobis propinquiores; sed summum, a quo reliqui omnes altitudine et magnitudine superantur. *Iaoth* primum, simplex dici potest, ita ut sit a chaldaico יאות vel יאות i. e. *congruentia, decentia, decorum,* seu modus bene observatus, ut fuerat praescriptus; et, ut adverbialiter aliquando sumitur, *optime, et ex modo praescripto.* Compositum etiam dici potest ex יאה *congruens,* et אות i. e. *signum,* quasi sit signum convenienter praescriptum. Ut autem significet *fugam malorum,* oportet deduci יעה, quod significat *mundare, purgare, quod malum et noxium est tollere.* Haec sunt, quae sollertis et periti illius viri perspicacia adiutus, de his nominibus coniicere potui; quae nisi pio lectori satisfaciant, sollertiam tamen ipsius ad rem indagandam nonnihil excitabunt. Quamquam sufficit praecipuum auctoris tenere scopum, qui demonstrat diversis unius Dei nominibus diversos tamen Deos non notari.

p.416. FEUARDENTIUS: *Basilides*] Quae hîc refelluntur, descripserat lib. I. cap. 23. et lib. II. cap. 21. Nimirum, ex defluxu primi caeli, nasci secundum; et secundi, tertium; et tertii, quartum; sicque consequenter. Nam ita pergeretur in infinitum, quod manifeste absurdum et insanum est. Restituimus porro ex vet. cod. *secundi* pro *secundum*; et *aliud* pro *illud.* De Basilidis impietatibus lege Eusebium lib. IV. hist. cap. 7. Clementem Alex. lib. III. et IV. Strom. Tertull.
p.417. lib. Praescr. Iren. lib. I. cap. 23. Ignatium epist. ad Trallianos. — *Et reliqui*] Confutat quae recensuerat libro primo cap. 22. 23. et 34. Ostendit autem veteres prophetas ab uno eodemque Deo afflatos et missos fuisse; nec propter varia illius nomina, seu hebraica seu graeca sint, plures deos confingendos esse. Ceterum, quia Nicetas Choniates (lib. II. orthodoxiae cap. 29) hoc Irenaei caput brevioribus et apertioribus verbis expressit, ea subiicio. *Quoniam vecordes illi nominum divinorum interpretationem ignorantes, Adonai, Eloi et Sabbaoth diversos esse deos arbitrati sunt, operae pretium mihi facturus video, si rudibus et ignaris aperiam quid hoc nominum unumquodque graecis et latinis auribus sonet, Eloth itaque Θεόν, Deum interpretantur: Eloî autem ὁ Θεός μου, Deus meus: El* quoque si tenui spiritu profera-

tur *Θεόν,* Deum: si aspero *ἰσχυρὸν* fortem significat: *Adonai autem Κύριον, Dominum. Ceterum, Dominum Sabbaoth, idem sonat quod Κύριος δυνάμεων, Dominus virtutum; vel Κύριος στρατιῶν, Dominus exercituum. Saddai porro ἱκανὸν καὶ δυνατόν, idoneum et potentem. Aia vero τὸν ὄντα, eum, qui est significat: quod nomen ineffabile quoque ab Hebraeis censebatur. — Quod enim dicitur Eloe secundum iudaïcam vocem*] Iudaïcam vocem hîc mihi accipere videtur Irenaeus pro germana illa et incorrupta lingua, qua vetus testamentum scriptum fuit: quandoquidem ita vocatur Isaïae 36, 4. Reg. 18. et Nehemiae 13. eandem paullo supra, et non ita multum post hebraicam linguam nominat, quando de Eloae loquitur. Ceterum אלה Eloah, sive chaldaice אלהא Elaha, inter decem Dei nomina, tertium ordine collocat D. Hieronymus, Deumque significat, et per metathesin litterarum in Cabala idem est, quod אהל Ohel, id est tabernaculum: dicuntque secretiores nomen Elcha eodem modo se habere ad nomen tetragammaton יהוה quod est nomen essentiae sicut, se habet luna ad solem. — *Et Eloe Verum*] אלהי Elohae idem quod Eloah, fieri autem potuit, ut nomen *Elohae* pro *Vero* sumserit, quod Deus sit verax et tam severus veritatis vindex, ut veritas frequenter in sacris nominetur. Aut certe ad vocem affirmantem אולם quae profecto, omnino, significat, alludere voluit. — *Et Elloeuth*] אלהות Elohut sive אלהות Elahut Rabbinis et Chaldaeis commune est, et significat proprie numen seu divinitatem. Ut autem habeat significationem, quae hîc designatur, fortasse desumetur ex arabico articulo Al, id est, ὁ et pronomine Lach, i. e. ei; quasi sit, ille cuius, subaudi, sunt omnia. — *Quod autem ait Adonaï*] אדוני Adonai, cui septimum locum inter divina nomina tribuit D. Hieronymus, significat Dominos meos: a singulari אדון Adon, id est dominus, herus. Asserit autem illud significare Nominabile, fortassis quod ab Hebraeis substituatur loco nominis Iehova, quod non solent nominare: et Mirabile, quia angelus divinam maiestatem referens dixerit: *Cur quaeris nomen meum quod est mirabile?* Iudicum 13. — *Aliquando autem duplicata littera delta*] Addhonai, quo Praefinientem significari dicit, forsan a דון don, quod est iudicare, et lites iudicio dirimere; et nomine Dei componit: quod ipse cunctis elementis et speciebus rerum creatarum locum ordinemque praefinierit, constituerit et decreverit. — *Ne possit aqua insurgere in eam*] Ita hunc locum emendavimus, id sensu postulante: expunximus autem *nec postea quam,* quod erat in omnibus tam impressis quam manuscriptis, etiam Vaticanis codicibus. Sic et superiori linea pro *perfinientem, praefinientem* reposuimus. — *Sabaωth per ω*] Hoc quartum inter nomina Dei Hieronymus enumerat; intelligit autem Irenaeus Vaucholem, per *ω,* quod pronunciatio similis sit utriusque. Notum est vere vel mediocriter in lingua sancta versatis, nomen צבאות Tschebaoth plurale esse, a singulari צבא quod exercitum, virtutem, militiam, cuneum militum significat. Deduxit autem Irenaeus a radice צבא quae maxime syriace, significat velle, desiderare; unde verbale hebraïcum צבי desiderium, voluntas; quin et lingua chaldaïca sive syra *Zeva* et *Zove* significant bene placere et gratum esse. — *Ut puta*] Expunximus *ut a,* auctoritate veter. codicis. — *Primum caelum ma-*

p.418.

nifestat] Quia insignis ille et concinnus ordo planetarum, stellarum et caelestium orbium per ordines suos dispositus, solisque instar regis splendore illustratus et militia dicitur in sacris litteris, Deut. 17, 4., exercitus Reg. 17. Nehemiae 9. Isa. 24. et 34. Hier. 19. Sopho. 1. ideo firmamentum, in quo praeclarum illum ordinem maxime conspicimus, Sabaoth, id est exercitum vocare potuit. Nam Hebraei exercitus appellant stellas fixas; unde Dominum exercituum exponunt uno sensu, Dominum stellarum. — *Eodem modo et Iaωth*] Vaticanus cod. *Iacob.* Ceterum, Iaoth licet habeat terminationem hebraïcam pluralis numeri, venit nihilominus a radice babylonica יאי Iae, quae pulchrum, speciosum et elegantem significat; et impersonaliter יאות Ieoth, convenit, congruit, decet. יאות Iauth autem est pulchritudo, elegantia, decor; et aliquando adverbialiter ponitur pro congrue, decenter, ornate et bene. Ut autem iuxta Irenaeum significet: *fugam malorum,* oportet deduci a יצה id est mundare et purgare; a quo יעים quod Hebraei pro scopis exponunt. Hoc autem est mala et noxia tollere ac sordes procul ablegare. Haec peritissimis viris communicavi, quibus si meliora adferantur, mihi ac studiosis bene consultum fuerit. Interim satis erit id observare, quod, ut diximus, admodum evincere nititur Irenaeus, diversitatem nominum sive hebraeorum sive graecorum sive latinorum, quibus Deum nuncupamus, eius perfectiones, proprietates et innumera circa nos beneficia, at nunquam plures Deos, designare. Hieronymus epist. ad Marcellam, decem nomina divina explicat, sed plures deos pernegat. Dionysius Areopag. (cap. 2. divin. nom.) triginta duabus nomenclaturis Deo convenientibus enumeratis, infert, et nominis privationem, et omnia subsistentium nomina Deo unico congruere. Augustinus postquam octoginta epithetis Deum interpellavit cap. 29. lib. Meditationum, subiicit: *Si totum mundum libri repleant, tua scientia inenarrabilis explicari non potest: quoniam vere indicibilis es* etc.

SELECTAE ANNOTATIONES ALIORUM

IN

LIBRUM III.

PRAEFATIO.

FEUARDENTIUS: *Pro sola vera*] Haec verba impie torquet quidam Hermannus Hamelmannus, l. quem inscripsit: *De unanimi consensu patrum de sola fide iustificante*, ut et alia verba quae habentur infra lib. 2. cap. 22. et lib. 4. cap. 13. quibus contendit Irenaeum iis suffragari, qui nuda solaque fide, operibus omnibus seclusis, iustos coram Deo homines constituunt: non advertens impostor, quam graviter hoc Simonis magi commentum beatus hic martyr redarguat, lib. 1. quamque frequenter doceat piorum operum necessitatem, lib. 2. cap. 50. lib. 4. cap. 27. 32. et 49. ipsisque ingentem apud Deum mercedem esse repositam, lib. 2. cap. 56. lib. 4. cap. 28. et 34. Quis namque non videt, Irenaeum hoc loco non de iustificatione loqui, sed tantum hominem hortari, ne haereticorum unquam cedat conatibus, imo vero constanter eis reluctetur? Hoc annotandum fuit, ut sanctum martyrem hac iniuria liberaremus et impiorum sycophantias pro viribus aperiremus. p. 421.

CAP. I.

FEUARDENTIUS: *Non enim per alios*] Docet apostolos sanctissimi evangelii primos buccinatores, nonnisi Spiritus sancti virtutibus ac donis instructos illud constanter praedicasse, deinde ad futuram posterorum memoriam illud ipsum scriptis mandasse; ac proinde nonnisi impie ab haereticis aut illos ignorantiae accusari, aut Scripturas reiici. Praeterea, illum Deum unicum coeli ac terrae conditorem ab his toto orbe annunciatum fuisse, qui a lege et prophetis fuerat praedicatus. — *Gloriantes emendatores se esse apostolorum*] Marcionem et eius sectatores perstringit, quos lib. 1. cap. 29. recitavit evangelium secundum Lucam circumcidisse, et omnia quae de generatione dominica conscripta fuerant, abstulisse, semetipsos veraciores dicentes iis, qui evangelium nobis tradiderant. Eosdem de evangelii contextu erasisse sententiam, qua Deus dicitur pluere super iustos et in- p. 422.

iustos, auctor est Tertullianus (lib. 2. contr. Mar.), qui et multo plures mutilationes scriptis apostolorum illatas ab eisdem, toto lib. 5. contra Marcionem describit; sed copiosiore manu Epiphanius contra Haeres. 42. — *Et induti sunt supervenientis Spiritus sancti*] Sic pro *superveniente Spiritu sancto,* cum ex vet. nostro cod. tum maxime ex textu libri Actorum (Act. I. 8.) *Accipietis virtutem supervenientis Spi-*
p.423. *ritus sancti in vos,* legendum proponimus. — *Ita Matthaeus*] Id ipsum ante Irenaeum scripserat quoque Papias, apud Eusebium lib. 3. Historiae, cap. 33. et Pantenum in India illud litteris hebraïcis scriptum reperisse, opera Bartholomaei illic relictum et illud ipsum custoditum constare, idem Eusebius affirmat lib. 5. cap. 10. Quod et in Cypro, in tumulo Barnabae, et ipsius manu exaratum postmodum repertum fuisse Theodorus lector (lib. 8. collect.) asserit. Idem quoque hebraicum mansisse suo tempore in bibliotheca Caesariensi, quam Pamphilus martyr confecerat, auctor est Hieronymus, qui et describendi sibi factam potestatem a Nazaraeis Berrhoënsibus, qui eo utebantur, litteris tradidit. Prodiit hoc nostro saeculo opera Sebastiani Munsteri quoddam evangelium hebraicum nomine Matthaei, cui quantum deferendum sit, pronunciet ecclesia. Ceterum in his videmus huius antiquissimi martyris, imo totius ecclesiae sententiam, quatuor duntaxat evangelia etiam ab initio probata et recepta fuisse, ut et infra cap. 11. huius libri copiosius docebit. Igitur reliqua pseudo-evangelia, veluti Petri, Thomae, Matthiae, Bartholomaei ac duodecim apostolorum nominibus inscripta, deinde Hebraeorum, Nazaraeorum, Ebionitarum, Encratitarum, Aegyptiorum et quorumcunque aliorum titulis circumlata et venditata, iure optimo reprobantur. Signat porro Theophylactus (praef. in Matth.) tempus quo quisque quatuor evangelistarum scripserit, nimirum, Matthaeum post octo annos assumti in coelos Christi; Marcum post decem annos, id est biennio post Matthaeum; Lucam post quindecim annos, denique Ioannem post triginta duos annos. — *Post vero horum excessum*] Huic lectioni consentiunt omnes codices; Rufinus quoque sic latine loquentem Eusebium fecit: *Post quorum exitum* etc. quibus subindicaret Irenaeus, Marcum nonnisi vel martyrio sublatis, vel alio evangelii caussa peregrinantibus sanctis apostolis Petro et Paulo, manum calamo admovisse; quod certe aperte pugnat cum iis, quae ex Papia et sexto ὑποτυπώσεων Clementis recitat Eusebius, nempe beatum Petrum Spiritu sancto revelante, ut intellexit opus editum a Marco, auctoritate sua ratum fecisse, quo in ecclesiis passim praelegeretur, quibus clarum efficitur, Petro adhuc superstite Marcum evangelium conscripsisse. Accedit quod hunc Irenaei locum subscribens Eusebius lib. quinto, capite octavo, nihil meminit exitus apostolorum. Haec potius indicare, quam quidquam immutare visum est. — *Postea et Ioannes*] Eusebius lib. 5. cap. 8. *Deinde Ioannes discipulus Domini, qui supra pectus eius recubuerat, dum Ephesi in Asia versabatur, evangelium in lucem extulit.* Id fecisse rogatum ab Episcopis Asiae tradit Hieronymus, adversus Ebionis, Cerinthi et Gnosticorum exorientes blasphemias, quod et Irenaeus indicat cap. 11. huius libri.

p.422. GRABIUS: *Fundamentum et columnam fidei*] Sicuti ab apostolo

1 Tim. III, 15 ecclesia vocatur *στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας*, ita et evangelium hoc titulo hîc ornatur ab Irenaeo; qui et inferius cap. 2. post medium iterum evangelium appellat *columnam et firmamentum ecclesiae.* — *Τοῦ Πέτρου καὶ τοῦ Παύλου* etc.] Haec Ire- p.423.
naei de tempore editorum IV evangeliorum traditio a Papia aliisve senioribus procul dubio accepta praeferenda videtur opinioni multo recentioris Theophylacti, qui Praefat. Comment. in Matth. ait, Matthaeum scripsisse post octo annos assumti in coelos Christi; Marcum post decem annos, id est biennio post Matthaeum, Lucam post quindecim annos, denique Ioannem post triginta duos annos. Quae aera fide MSS. quorundam codicum nititur, sed nimis fluxa. Ut enim de aliis taceam, convenit fere inter omnes, s. Ioannem valde senem circa annum a nativitate Christi 98. evangelium scripsisse, ac proinde non post 32 ab ascensione eius annos, sed duplo plures, nempe sexaginta quatuor; nisi ex sententia Irenaei Christum 50 propemodum annis in terra moratum esse credideris. Ceterum traditio Irenaei de scripto s. Matthaei evangelio isto demum tempore, quo Paulus Romae fuit, in mentem mihi aliquando veniebat cogitanti, quid caussae subsit, ob quam apostolus Ephes. IV, 11. scripserit: *Ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores;* ast in loco parallelo 1 Corinth. XII, 28: *Quosdam quidem posuit Deus in ecclesia, primo apostolos, secundo prophetas, tertio doctores;* omissis plane *evangelistis.* Atqui si per *evangelistas* cum Oecumenio *scriptores s. evangeliorum* accipias, plana iuxta dictam traditionem datur ratio. Scripserat nempe Paulus ad Corinthios, priusquam Romam venisset, nulla adhucdum a quoquam apostolorum, vel apostolicorum, evangelii scriptura edita; ast epistolam ad Ephesios ex carcere dedit, paullo antequam Roma discederet, ubi iam s. Matthaeus evangelium exaraverat; Marcus vero et Lucas in procinctu huius operis erant. Cui tamen meae coniecturae non adeo multum confido, sed doctiorum iudicio eam lubens submitto. — *Θεμελιούντων τὴν ἐκκλησίαν*] Dices, ante Pauli in urbem adventum ecclesiam ibi fuisse, cuius fides per universum orbem innotuerat, teste ipso apostolo Rom. I, 8. Quomodo ergo hîc Irenaeus ait, fundatam ab ipso et Petro Romanam ecclesiam? Ast optimus suorum verborum interpres est ipse Irenaeus, istis quae sequuntur cap. 3: *Θεμελιώσαντες οὖν καὶ οἰκοδομήσαντες οἱ μακάριοι ἀπόστολοι τὴν ἐκκλησίαν Λίνῳ τὴν τῆς ἐπισκοπῆς λειτουργίαν ἐνεχείρισαν.* Licet igitur fideles ante haec Romae exstitissent, nondum tamen erat formata ecclesia, quia nondum episcopus ipsis erat praefectus. Sine episcopo enim et presbyteris atque diaconis *ἐκκλησία οὐ καλεῖται, ecclesia non vocatur,* teste s. Ignatio in epistola ad Trallianos §. 3. Et sane observatione haud indignum est, apostolum 1. et 2. ad Corinthios epistolam inscripsisse: *ecclesiae Dei quae est Corinthi* etc. nec non *ecclesiis Galatiae;* similiter his *ecclesiae Thessalonicensium;* ad Philippenses denique: *omnibus sanctis in Christo Iesu cum episcopis et diaconis;* ast epistolam ad Romanos misisse: *omnibus qui sunt Romae, dilectis Dei, vocatis sanctis,* nulla *episcoporum* (id est summi sacerdotis ac minorum sacerdotum) *atque diaconorum* vel *ecclesiae*

facta mentione. Unde haec differentia? nisi quod prioribus in locis esset hierarchia, episcopo, presbyteris et diaconis constans, ideoque formata ecclesia; in urbe vero hactenus talis haud exstiterit. Sed plura hac de re dicere et obiectiones removere nolo, ne annotationis modum excedam. — *Μετὰ δὲ τὴν τούτων ἔξοδον*] *Excessum* non e vita, sed urbe Roma hîc intelligendum esse patet ex iis, quae ex Papia et lib. 6. Hypotyposeon Clementis Alex. affert Eusebius lib. 2. Hist. eccles. cap. 15. nempe b. Petrum apostolum auctoritate sua s. Marci evangelium ratum fecisse, quo in ecclesiis passim praelegeretur. S. Lucas quoque post Pauli exitum ex urbe, non e mundo, evangelium litteris consignasse, inde colligitur, quod narrationem Actorum apostolicorum, quam quasi appendicem historiae de Christo edidit, in biennio, quo Paulus primo Romae fuit, finiverit, eam procul dubio ulterius continuaturus, si diu post discessum ab urbe aut post martyrium b. apostoli scripsisset. Nam iterum ei haud diu post iunctum fuisse eique ad finem usque vitae adhaesisse, ultima b. apostoli epistola, nempe 2. ad Timotheum cap. IV, 11. satis testatur, ubi scribit: *Lucas mecum est solus.* Immo vero apostolus 1. ad Timoth. V, 18. verba quaedam Lucae ex cap. X. evangelii v. 8. allegasse videtur. Neque enim alia scriptura istud habet dictum: *Dignus est operarius mercede sua.* Ceterum quod aliqui vocem ἔξοδος hoc loco pro *vitae fine* perperam acceperint, occasio procul dubio fuit mutationis in textu Irenaei, ab auctore Catenae Patrum in evangelium s. Marci, quam Petrus Possinus evulgavit, vel ab alio ante eum factae. In illa quippe Irenaei verba ita expressa sunt pag. 5: *Μετὰ τὴν τοῦ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγελίου ἔκδοσιν, Μάρκος ὁ μαθητὴς καὶ ἑρμηνευτὴς Πέτρου, καὶ αὐτὸς τὰ ὑπὸ Πέτρου κηρυττόμενα ἐγγράφως ἡμῖν παραδέδωκε. Post editionem evangelii secundum Matthaeum, Marcus discipulus et interpres Petri, quae a Petro praedicabantur, scripto nobis tradidit.* Eandem lectionem ex coniectura in Eusebio substituit Christophorsonus, vapulans idcirco Valesio in notis ad Euseb. lib. 5. cap. 8. qui tamen et ipse in eo animadversionem meretur, quod ἔξοδον in Irenaeo *interitum* interpretatus sit, indeque sanctos Patres commiserit inter se pugnantes.

p.422. MASSUETUS: *Gloriantes, emendatores se esse apostolorum* etc.] Marcionitas perstringit, qui Scripturas novi Testamenti, et in primis evangelium Lucae foede mutilaverant atque depravaverant. Lege Ter-

p.423. tull. lib. 2. contra Marcion. et Epiphan. Haeres. 42. — *Ἐν τοῖς Ἑβραίοις τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ αὐτῶν*] Non Irenaei modo, sed et veterum omnium ea est sententia, Matthaeum hebraico sermone evangelium suum conscripsisse. Eorum testimonia, notissima quum sint et passim obvia, referre supervacaneum foret. Legi possunt apud doctissimum D. Eliam Du Pin Tom. 2. Dissertat. Praelimin. in sacra Biblia cap. 2. Sed ex Irenaei verbis concludere merito possumus, hebraicam illam linguam, qua scriptum fuisse Matthaei evangelium asserunt antiqui Patres, fuisse non veterem illam librorum antiqui Testamenti, sed syriacam, seu potius syro-chaldaicam, quae Christi et apostolorum temporibus in Iudaea vulgaris erat quaeque in novo Testamento hebraica passim vocitatur. Perspicua sunt haec: *ἐν τοῖς*

Ἑβραίοις τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ αὐτῶν γραφὴν ἐξήνεγκεν εὐαγγελίου, apud Hebraeos propria eorum lingua conscriptum edidit evangelium. Constat vero propriam Iudaeorum tunc temporis linguam fuisse syrochaldaicam. Cum Irenaeo consentiunt qui ex veteribus affirmant, Matthaeum hebraice scripsisse. Id enim ab eo praestitum asserunt in gratiam Iudaeorum recens ad Christi fidem conversorum, ut absente Matthaeo evangelium, quod sibi ab ipso nuntiatum fuerat, privatim legere possent. Eo igitur sermone scriptum erat, quo et nuntiatum fuerat, quique a Iudaeorum vulgo facile intelligeretur. Sed haec fusius prosequi, nostri non est instituti. Lege D. Eliam Du Pin loco cit. — *Τοῦ Πέτρου καὶ Παύλου ἐν Ῥώμῃ εὐαγγελιζομένων*] Communis est veterum sententia, Matthaeum primum omnium evangelium scriptis consignasse. Idque ipse Irenaeus significare videtur, dum hunc primo ordine inter ceteros evangelistas recenset. Sed quî haec conciliari possint cum iis quae subiungit, editum illud evangelium, *quum Petrus et Paulus Romae evangelizarent et fundarent ecclesiam,* nemo facile dixerit. Hinc siquidem concludendum erit, Matthaei evangelium scribi non potuisse ante annum Christi 63 vel 64 neque enim prius Romae *evangelizare* potuit Paulus. Vel ergo deserendus Irenaeus, vel vulgata ceterorum Patrum reiicienda sententia. Paria utrimque incommoda. Nodum forte secuerit, qui dixerit, in re tam obscura nihil certi definiri posse, vanasque proinde coniecturas esse eorum, qui quo praecise anno scriptum fuerit Matthaei evangelium, statuere se posse putant. — *Μετὰ δὲ τὴν τούτων ἔξοδον, Μάρκος κτλ.*] Hîc nova emergit difficultas. Obscurum siquidem quae sit illa apostolorum *ἔξοδος*, seu, ut vertit interpres, *excessus*. An excessus e vita? an urbe Roma duntaxat? Gravia utramque sententiam premunt incommoda. Si enim Marci evangelium scriptum dicatur post apostolorum Petri et Pauli interitum, consequenter asserendum erit, his superstitem vixisse Marcum, quod vix conciliari poterit cum Eusebio scribente lib. II. Hist. cap. 24. anno 8. imperii Neronis Annianum Marco in sede Alexandrina successisse: ex eo enim inferri posse videtur (intulit saltem Hieronymus), Marcum eo anno vita functum fuisse. Levius forte istud; sed gravius quod sequitur. Si excessum non e vita, sed urbe Roma interpretemur; nec hac explicatione minuetur difficultas. Paulus enim Roma discedere non potuit ante annum 63. Atqui tamen e veteribus plerique referunt, Marcum longe antea scripsisse evangelium suum in ipsa urbe Roma, Petro ibi tum degente auctoritateque sua confirmante. Quod incommodum ex aequo, immo multo magis, militat adversus priorem sententiam. Utrumque facile declinaret qui pro *μετὰ τὴν τούτων ἔξοδον, Μάρκος* etc. in Eusebio et Irenaeo legeret cum Christophorsono, *μετὰ τὴν τοῦ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγελίου ἔκδοσιν, Μάρκος κτλ. Post editionem evangelii secundum Matthaeum, Marcus* etc. Nulla siquidem erit, ita legendo, in verbis Irenaei difficultas. Verum Christophorsonum castigat Valesius, quasi ille ex mera coniectura Eusebii textum interpolarit. Sed insontem castigat. Veterem enim codicem exstitisse in quo legeretur ut edidit Christophorsonus, refert testis omni exceptione maior Grotius Synop. in Marc. p. 711. Et Petrus

Possinus in Catena Patrum in Marcum, praefata Irenaei verba ex veteri Catena MS. Vaticana, cum pluribus aliis veterum fragmentis descripta, edidit eodem prorsus modo atque Christophorsonus. Certo argumento, Christophorsoni lectionem in veteribus quibusdam MSS. codd. exstitisse; nec proinde usque adeo indubitatam esse Valesii lectionem, quin lis de ea moveri possit. Hanc tamen loco movere nolui, quia evidens est, veterem Irenaei interpretem eodem modo legisse. Sed, ea servata lectione, ingenue fatebor, Irenaeum vix ac ne vix quidem cum aliis Patribus in concordiam adduci posse, nisi forte dicamus, Marcum paullo ante Petri martyrium scripsisse quidem evangelium suum, quod in Aegyptum post apostoli mortem secum detulerit ibique primum publicaverit. Sic defendi posset quod ait Irenaeus, Marcum post apostolorum interitum evangelium suum tradidisse: quamvis enim viventibus illis scriptum fuisset, non tamen vulgatum. Sed neque ea opinio vacat incommodis. — *Excessum*] Hîc Feuardentium temeritatis arguit Grabius, quod contra codicum omnium fidem *discessum* pro *excessum* excudi fecerit. Sed immeritus arguitur, nostrae siquidem editiones recte habent *excessum*.

CAP. II.

p. 424. FEUARDENTIUS: *Quum enim ex Scripturis arguuntur*] Valentinianorum et consimilium priorum Gnosticorum, quos his libris impugnabat, incredibilem malitiam et pervicaciam exponit. Enimvero apertis certisque tam prophetarum, quam apostolorum scriptis convicti, ea velut apocrypha vel depravata vel suspectae fidei praefracte reiiciebant, ut superius de Ebionitis, Cerinthianis, Carpocratianis, Marcionitis aliisque scriptum est. Quum vero traditionibus apostolorum premerentur, incredibili temeritate ac impudentia, cunctis apostolis et Patribus sapientiores se esse autumabant. — *Sapientiam autem loquimur*] Augustin. scribit, etiam Manichaeos hoc testimonio fuisse abusos, ut suaderent apostolum plurima his, quibuscum disserebat, verbis aliter tradidisse, quam scriberet in epistolis. *Sed absit ut tantus Christi apostolus, vas a Deo electum, Spiritus sancti organum, alius docendo, alius scribendo; alius clam, alius palam fuerit. Factus est quidem omnibus omnia, non fallentis astu, sed compatientis affectu: diversis animarum morbis, diversis misericordiarum affectibus subveniens: dans scilicet parvulis parva, non falsa; perfectis vero grandiora mysteria, cuncta autem vera, consona et divina.*

p. 425. — *Fuit autem et in illo*] Marcionem denotat, quem lib. 1. cap. 20. nominavit *os diaboli*. — *Quum autem ad eam traditionem*] Hîc primum observa, quid proprie sit et dicatur traditio apostolica, nimirum, doctrina seu ad fidem, seu ad ritus sacros, sive ad bonos mores pertinens, quae non expressis Scripturis veteris aut novi Testamenti, sed viva voce aut exemplo praxique a primis ecclesiae pastoribus, id est, apostolis data, et a posteris ad nos usque in populo Dei servata. De quibusdam istiusmodi disserens Tertullianus (lib. de cor. milit.) ait: *Si legem postulas Scripturarum, nullam invenies: traditio tibi praetendetur auctrix, consuetudo confirmatrix et fides observatrix.* Videatur de iisdem August. Epist. 118. et 119. et quod ad

initium proximi capitis annotamus. Observa deinde, fortissimos et antiquissimos istos religionis christianae athletas, ductis a traditionibus apostolorum argumentis, adversus infestissimos illius hostes constanter decertasse: has illis ut firmissimos muros opposuisse, ut omnes illorum impetus non modo retardarent, sed molitiones funditus subverterent. Nec illas tantum, sed et consensum omnium ecclesiarum, Romanae praesertim auctoritatem et successionem apostolicam fidenter obiecisse; quin etiam veterum testimoniis eorundem errores solide refutasse: ut hîc et in sequentibus Irenaeus Clementis ad Corinthios epistolam, Polycarpi martyris scripta et gesta, Gnosticis opponit. Ex quibus apertissimum est Erasmum Roterod. toto caelo aberrasse, quum in epistola libris istis ad hunc usque diem praefixa, scribit ipsum Irenaeum solis Scripturarum praesidiis adversus haereticorum catervam pugnasse. Ad haec Iustini martyris scripta ab eodem Irenaeo lib. 4. c. 14. et lib. 5. citata, Erasmum falsae et temerae assertionis alligant; insuper Hermae sive Pastoris testimonium lib. 4. cap. 37. Ignatii etiam martyris lib. 5. et cuiusdam senioris apostolorum discipuli verba in medium frequenter adducta Praefatione lib. 1. et eiusdem lib. c. 12. lib. 3. c. 19. et 35. lib. 4. c. 45. 47. 49. 50. 52. et lib. 5. ex quibus omnibus planum et conspicuum est, Irenaeum non solis Scripturarum praesidiis, sed et traditionibus et Patrum sermonibus ac scriptis Gnosticos devicisse. — *Sed etiam ipsum Dominum*] Gnosticos Dominum nostrum Iesum Christum et ignorantiae accusasse supra retulit (lib. 1. c. 17.); et ex hoc loco quorundam etiam errorum insimulasse manifestum est.

MASSUETUS: *Lubricos*] Sensus enim est: *adversus tales cer-* p.426
tamen nobis est, qui more serpentum lubrici, undique effugere conantur.

CAP. III.

FEUARDENTIUS: *Traditionem itaque apostolorum*] Insignem p.427.
locum hunc suis scriptis inserere, et ut ignitum telum in haereticos contorquere iure optimo dignum duxerunt omnes fere, qui nostro saeculo in eos calamum strinxerunt orthodoxi. Ut sicut b. hic martyr praecipuum fidei nostrae caput, videlicet unum esse Deum caeli et terrae opificem, adversus Gnosticorum impietates; traditionis eius, quae continua episcoporum per universas ecclesias successione, doctrina et voce asservabatur, munimento tutatur: sic de fide, sacramentis et ritibus variis controversos articulos, longe maiore saeculorum, ecclesiarum et doctorum unanimi consensu, ab apostolis instituta, et a successoribus conservata traditione confirmarent et custodirent. Quin et omnibus retro saeculis quotquot Christiani et Catholici unquam habiti sunt, quoties de dogmatibus ecclesiae exorta est disputatio, ad Patrum priscorum et apostolicarum ecclesiarum traditiones, ut ad sacram anchoram confugerunt, ut pro aliis innumeris locis, infra scripta testimonia patefacient. Doctrinam sacram, quae apostolicarum constitutionum chartis traditur, *gloriosis Salvatoris nostri vocibus aequiparandam,* ideoque ab omnibus amplectendam esse, eiusdem Salvatoris mandato, docet Clemens Rom. (lib. 1. Constit. cap. 1.). Celebriores totius Asiae ecclesias, inter varios haereseon fluctus tre-

pidantes, traditionum apostolicarum crebra repetitione, ut aeneo muro, confirmat Ignatius (epist. ad Philad. et epist. ad Her.). Pueros sacrae regenerationi initiandos, divinorum praeceptorum suorum, id est apostolorum, sine scriptis traditae doctrinae innixus censet Dionysius Areopag. (lib. de eccl. Hierar.). Nutantes et dubios Philippenses atque Marcionitarum et Valentinianorum imposturis fascinatos plurimos Romae agens tum Polycarpus, a traditionibus apostolorum ducta demonstratione, primae fidei restituit (Iren. lib. 3. cap. 3.). Non tam scriptis, quam apostolorum vel discipulorum sermonibus se fidei sacramenta didicisse narrat Papias (Euseb. lib. 3. Hist. cap. 33.), et viva praesentique voce magis quam lectione sese adiutum. Saeculi sui passim ingruentium haereseon nimbos, traditionum apostolicarum fulgore potenter dissipat Tertull. (lib. de cor. milit.) et baptismi ritus omnes, eucharistiae pro vita functis oblationes, crucisque ad omnem Christianorum conversationem consignationes, sartas tectasque manere contendit. Haereticis, quantumvis Scripturas canonicas proferentibus, nunquam credendum, ut a paterna doctrina, et ecclesiastica traditione exeamus, censet ille post apostolos ecclesiarum magister Origenes (Homil. 29. in Matth.). Duplicem in ecclesia Dei agriculturam agnoscit Clemens Alex. (lib. 1. 2. 4. 5. 6. et 7. Strom.) unam, quae non scriptis; alteram, quae scriptis continetur: idemque rerum multarum cognitionem, per successionem ex apostolis absque scriptis ad posteros pervenisse docet. Dominica traditione, quem offerimus eucharistiae calicem, aqua temperandum didicit Cyprianus (epist. ad Caecilium et Ser. de ablut. pedum): simulque non minus ratum esse, quod, dictante Spiritu s. apostoli tradiderunt, quam quod ipse Christus, quum utriusque par sit divinitas. Maxima sacratissimaque confessorum Christi corona, insignis synodus prima Nicaena, Filium Dei *ὁμοούσιον,* id est consubstantialem esse Patri, etsi nusquam scriptum exstaret, sanctorum Patrum traditionibus inhaerens, contra Arianos sanxit. Constantinopolitana, Spiritus sancti divinam naturam a Macedonianorum blasphemiis asseruit. Ephesina, beat. Mariam *Θεοτόκον,* id est Dei matrem; etsi huius vocis nullam mentionem sacrae litterae faciant, quod hanc fidem divini tradiderant discipuli, et a Patribus ita sentire edocti essent, summa fide praedicandam definivit. Chalcedonensis, impermixtas Dei et hominis substantias, in unica Christi hypostasi, iuxta Patrum placita, Eutychis spretis captionibus, confirmavit. Adiicere libet, ut in seriis, adeoque summis fidei nostrae capitibus confirmandis, Aurelius Augustinus, quem unice mirari ac suspicere se fingunt haeresiarchae, ad ecclesiasticas traditiones, tanquam ad asylum, confugerit. Evangelium secundum Matthaeum, vere ab ipso conscriptum esse, contra Fausti Manich. inficiationem credit, traditione nixus, quae ab apostolicis sedibus, usque ad praesentes episcopos certa successione pervenerat, libro vigesimo octavo, contra Faustum cap. 2. Patrem ingenitum, Filiumque eidem consubstantialem, etsi in sanctis paginis non inveniatur, fidei assertione defendendum dicit, epist. 174. Integra fide credendum beat. Mariam Dei Christi matrem et virginem concepisse et virginem genuisse et post partum virginem permansisse, lib. De eccles. dogm. cap. 69. Baptisma ab

haereticis collatum, repetendum non esse, ex apostolorum traditione, etsi in eorum litteris non inveniatur, libro secundo De Bapt. cap. 7. et lib. 1. cap. 23. et lib. 4. cap. 6. Consuetudinem matris ecclesiae in baptizandis parvulis, ut traditionem apostolicam nequaquam spernendam, libro decimo De Genesi capite vigesimo tertio. Domini passionem, resurrectionem, ascensionem in caelum et adventum Spiritus sancti de caelo, anniversaria solemnitate, non scripta, sed tradita observatione celebrandam, epist. 118. cap. 1. Baptizatos esse apostolos, etsi ne verbum quidem de hoc Scriptura habeat, non ambigendum, epist. 108. Serie traditionis, quaedam facta esse, et nunc in baptismi ritibus facienda, quae in Scripturis, gratia brevitatis tacentur, lib. De Fide et operibus capite nono. Eucharistiam corporis et sanguinis Domini apostolos non accepisse ieiunos; placuisse tamen Spiritui sancto, in honorem tanti sacramenti a ieiunis semper accipi; moremque hunc per universum orbem servari, epist. 118. c. 6. Antiquitus tradito et retento firmo ecclesiae ritu, in baptismate parvulos exorcizari, exsufflari, et renuntiare Satanae, ut a potestate tenebrarum, in regnum Christi transferantur, lib. 1. De nuptiis et concup. cap. 20. et lib. 6. contra Iul. cap. 2. Et quamvis denique nusquam in Scripturis veteribus legeretur oblatum pro mortuis sacrificium; non parvam tamen universae eccles. quae in hac consuetudine claret, auctoritatem esse, ubi in precibus sacerdotis, quae Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum, lib. De cura pro mortuis agenda cap. 1. et 4. et Sermone 34. de verbis apostoli. Aliis locis innumeris et auctoribus sacris recensendis consulto supersedeo. — *Sed quoniam valde longum est*] Multis p. 428. iisque gravissimis verbis hoc loco totoque capite docet beat. martyr, Romanam ecclesiam caput esse et regulam omnium aliarum; proindeque illius dogmata unice suspicere et amplecti, ac successionis seriem omnium haereseon fluctibus, ut firmam et immobilem petram, nos opponere debere, et ad illius traditiones, decreta, fidemque adversus omnium eorum fraudes, qui in salutis publicae et pietatis christianae perniciem nihil non machinantur, tanquam ad tutissimam arcem et sacrosanctam aram confugere: quod singillatim explicabimus. Primo igitur praetermissis totius Orientis et Meridiei, immo universi orbis clarissimarum ecclesiarum, quas alii apostoli discipulique Domini doctrina plantaverant, sanguine rigaverant et stupendis miraculis confirmaverant, episcoporum catalogis; huius unius, tanquam ceterarum praecellentissimae, ab apostolorum coryphaeis ad suam aetatem usque continentem et nunquam intermissam successionem contexit. Deinde eam vocat *maximam*, ut quae omnem sacrorum potestatem iure sibi vendicet, ceterasque omnes sibi inferiores habeat, quas sua auctoritate regat. Postea *antiquissimam* appellat, non propter tempus, nisi de Latinis et Occidentalibus intelligas, quum Hierosolymitana, Samaritana, Caesariensis et Antiochena prius fidem Christi susceperint; sed propter dignitatem, et quod aliis potior sit, ipsamque omnes ut matrem suspiciant. Postmodum *omnibus cognitam* esse asserit, sicut ea, quae inter omnes caput extolleret, et cuius rectores veluti in altissima pharo et clarissima specula collocati, aliarum navigationes

inter tot naufragia dirigerent; observarentque, quemadmodum unaquaeque in retinenda religione se gereret; quippe quae tyrannorum et haereticorum procellis agitata et nutantia corda fratrum, confirmandi praeceptum simul et potestatem a Domino accepisset. Subiicit, *a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo,* quorum nimirum prae ceteris tam sunt eximia charismata, tam singulares dotes, tam magni in mystica hac navi fabricanda labores; quorum, inquam, conversatione, voce et institutis velut sacris anchoris inter tot fluctus et aliarum ruinas tuta salvaque hactenus permansit; quorum denique miraculis, vinculis, sanguine et martyrio clarius prae ceteris et dilucidius ipsa Roma fulget, quam sideribus caelum. *Romae* sequitur, quae ut suis dictatoribus, consulibus, imperatoribus, exercitibus mortales omnes gravissima servitute olim presserat; contra apostolicis nunc institutionibus eosdem in libertatem filiorum Dei asserere debebat. *Romae* deinde, ut illic praesidia defensionis christianae reipublicae collocaret, et regni sui metropolin construeret Christus, ubi idolomaniarum receptaculum, officinam turpitudinum, sanctorum carnificinam, ipsissimamque Babylona, Satanas condiderat, *fundatam et constitutam ecclesiam.* Huius igitur, pergit Irenaeus, tantae ecclesiae *traditionem, quam* viva voce *ab apostolis* Petro et Paulo, adhuc clavum eius regentibus, accepit, acceptam conservat, *et annuntiatam* in universo mundo *hominibus fidem* constanter *indicantes,* et palam praedicantes, *confundimus* et convincimus nefariae defectionis a Christi communione, et apostolorum doctrina, *eos omnes, qui* philautia, gloriolaeque inutilis, vel primatus appetentia, animi caecitate vel quacunque alia occasione ducti, contra ius et hierarchicum ecclesiae ordinem coetus et conventicula *colligunt.* Hanc esse beatissimi martyris sententiam, quam paraphrastικῶς explicamus, omni luce clarius indicant quae sequuntur. *Ad hanc,* subjungit, *ecclesiam,* Romanam videlicet, non ad urbis amplitudinem, populorum frequentiam, censorum gravitatem, Senatusve statuta; non ad fortissimos eius exercitus, gloriosos de toto orbe triumphos, imperii culmen; non denique ad Caesarum maiestatem, ut inepta sceleratque impudentia interpretatur Smidelinus; sed *ad hanc ecclesiam,* in qua sedit vertex apostolorum, cuique successerunt *Linus, Anacletus, Clemens, Evaristus, Alexander* et alii ordine omnes; *necesse est,* quia a Deo Opt. Max. constitutum, non tantum Europeam, Africanam, Alexandrinam, Hierosolymitanam, Antiochenam, Constantinopolitanam, Asiaticam et Orientalem ecclesiam; sed *omnem, hoc est, eos, qui sunt undique fideles,* ut membra cum capite *convenire,* nec latum unguem ab eius communione discedere. Est vero id *necesse,* ait, duplici de caussa: altera *propter potentiorem principalitatem,* seu locum, gradumque principem in iurisdictione et auctoritate, quem prae ceteris omnibus obtinet. Altera, quia *in ea semper conservata est ea, quae est ab apostolis* verae fidei et pietatis sincerae *traditio.* — *Petro et Paulo*] Huius libri cap. 1. disertis verbis testatur Petrum et Paulum Romae evangelizasse et fundasse ecclesiam: quod quum et ipso superiores Hegesippus, Caius, Linus, Clemens, Anacletus, Papias; et quotquot postea sive in Oriente, sive in Occidente, sive in Meridie, sive in Septemtrione secuti sunt or-

thodoxi et clari scriptores, miro consensu confirment: non possum non mirari Velini, Illyrici, Funccii, Molinaei, Gallasii et quorundam aliorum Hugnosticorum profligatam impudentiam, qua Petrum nunquam Romae fuisse audeant blaterare. Praesertim quum etiam Lutherus, quemadmodum ex Colloquiis eius scribit Rebenstock (Tom. 2. pag. 63.), sponte fassus sit: *Omnes historias affirmare, Petrum fuisse primum papam Romae;* et Calvinus profiteatur: *Propter Scriptorum consensum se nolle pugnare, quin illic mortuus fuerit.* Lib. 4. Instit. cap. 6. sect. 15. Observandum quoque hoc loco, Petrum Paulo praemitti, quod ille Romanis longe prius annuntiasset, quam iste ad eos vel scriberet vel accederet. Etenim ipsemet Paulus ad Romanos, quos nondum viderat aut docuerat, scribens, testatur fidem Illorum annuntiari in universo mundo, seque ingenti desiderio eos visendi et in eadem fide confirmandi teneri. Ergo iam illic, Petri laboribus coaluerat amplissima et florentissima ecclesiae christianae atque catholicae facies; quod etiam alii ab Irenaeo primae notae scriptores testificantur. Eusebius (lib. 2. histor. cap. 14.) namque ait: *Salutaris praedicationis verbo Petrus primus in urbe Roma evangelii sui clavibus ianuam regni caelestis aperuit.* Consentiunt Epiphanius cont. Haeres. 27. Chrysostomus in Ps. 48. Nicephorus lib. 2. et ut Graecis Latinos iungamus, Leo Magnus ser. 1. de natali apostolorum, Orosius lib. 1. cap. 6. Arnobius lib. 2. contra gentes, aliique plurimi. — *Per successiones episcoporum*] Continuam episcoporum successionem, praesertim Romanorum, quos postea ad aetatem suam usque numerat, per cunctas ecclesias esse veram, manifestamque sponsae Christi notam, ex qua Scripturarum interpretatio, legitima sacramenta, veritasque fidei petenda sit, cum Irenaeo senserunt, ac haereticis ut firmissimum murum obiecerunt Tertull. lib. Praescr. Cyprianus lib. 1. epist. 6. Optatus lib. 2. contra Parmen. Epiph. contra haeres. 27. August. Tom. 7. Ps. contra partem Donati, et alii deinceps omnes orthodoxi. — *Lino episcopatum*] Quod non conveniant omnes, quis primus beato p.431.
Petro successerit in sede Romana, parum refert, quum constet eam ecclesiam nunquam pastore caruisse; sed a principe apostolorum successionem suam manifestam iugemque retinere. Irenaeus primum a Petro enumerat Linum, quod Hieronymo, Epiphanio, Chrysostomo, Dorotheo, Optato et Augustino probatur. Adstipulatur Eusebius libro tertio Hist. cap. 2. et 4. lib. 5. cap. 6. in Chronico quoque sub anno Domini 70 Neronis 14 post Petrum Romanam ecclesiam rexisse Linum 12 annis asserit. Contra, Clemens se a beato Petro successorem constitutum scribit libro septimo Const. Apost. cap. 45. et epist. 1. ad Iacobum, quam ante mille et ducentos fere annos latinam fecit Rufinus; ei subscribunt Epiphanius, Damasus, Marianus, Sabellicus. Mihi perplacet Sanderi doctissimi theologi conciliatio, Petrum quidem Clementem ordinasse, sed huic Linum et Cletum in catalogo episcoporum Romanorum praeponi, quod eos Petrus sibi coadiutores adscivisset. Ergo, ut Epiphanius ex priscis etiam recte colligit, primus a morte s. Petri Romanae ecclesiae praefuit Linus, secundus Cletus, tertius Clemens; qui christiana raraque moderatione sedem Petri capere recusavit, dum viverent Linus et Cletus summi aposto-

lorum Petri Romae cooperatores, quum hîc urgente proximorum salute in aliis provincias excurreret, tametsi fuisset ab eodem Petro designatus. Ceterum, ex hac etiam Irenaei sententia notandum, apostolorum et successorum eorum esse, episcopos legitimos ecclesiis praeficere; non regum, magistratuum civilium, minus autem popularium. Quam ergo monstrosum ac propudiosum, mulierem, cui nec in ecclesia quidem loqui divina iura permittunt, verbi Calviniani ministros, decanos, episcopos, archiepiscopos in ecclesiis alicubi constituere? *Purpura certe facit imperatores, non sacerdotes,* inquit Ambrosius (epist. 33.). Idemque ad Valentinianum: *Noli te gravare, imperator, ut putes te in ea quae divina sunt, aliquod imperiale ius habere. Publicorum tibi moenium ius commissum est, non sacrorum* (Theodoret. lib. 5. histor. cap. 17.). — *Succedit autem ei Anacletus*] Hunc plerique post Clementem constituunt, et in epistola eidem inscripta, Clementem suum praedecessorem vocat; sed et Epiphanius, Rufinus, Damasus, Sabellicus Cletum, non Anacletum, Lino subiungunt; at huic Irenaei enumerationi, quae Cletum nescit, nisi cum Anacleto eundem faciat, subscribit Eusebius lib. 3. cap. 13. Histor. *Titi,* inquiens, *altero imperii anno, Linus Romanae ecclesiae ministerium, quum in eo duodecim annis praefuisset, Anacleto tradidit.* Similia habet lib. 5. cap. 6. ac demum in Chronico: Ignatius quoque epistola prima, Clementem scribit Anacleto successisse. — *Clemens, qui et vidit apostolos*] Barnabae concione primum fidei elementa didicisse, et eius ministerio se ad Petrum apostolum adductum fuisse; ac deinceps variarum peregrinationum et certaminum comitem se adiunxisse, locupletissimus sibi ipse testis est, in libris Recognitionum. Hunc esse, cuius Paulus in quadam epistola meminit, putant Clemens Alex. Eusebius, Epiphanius. — *Sub hoc igitur Clemente, dissensione non modica*] Si exstaret Clementis epistola, qua schisma hoc compescuit, et Corinthiorum nutantem fidem confirmavit; tantae divisionis occasiones facile explicarentur; sed nec Eusebius, nec Nicephorus plura quam hîc Irenaeus tradiderunt. — *Potentissimas litteras*] Hinc observa Romanam ecclesiam, etiam ab initio auctoritatem suam interposuisse in moderandis quoque Graecorum ecclesiis, quod adeo gratum fuit illarum episcopis, ut hîc commemoratam epistolam, non tam Clementis quam Romanae ecclesiae nomine, sua ipsius memoria, plurimis in ecclesiis publice lectam scribat Eusebius lib. 2. cap. 12. Hist. Porro fragmenta non contemnenda huius epistolae reperias apud Iustinum martyrem Quaest. 47. ad Orth. Clementem Alex. lib. 1. Strom. et lib. 4. et lib. 6. Basilium Magn. lib. de Spiritu sancto cap. 29. Athanasium in disput. contra Arium in Synodo Nicaena: Epiphanium contra Haer. 27. Eusebium lib. 3. Hist. cap. 16. et 37. Hieronymum lib. 1. cont. Iovin. et Commentariis in 1. et 4. cap. ad Ephes. quo-
p.432. rum lectorem tantum admonere visum est. — *Huic autem Clementi succedit Evaristus*] Augustinus epist. 165. Optatus Milevitanus lib. 2. Evaristum Anacleto successisse scribunt, quos secuti sunt Damasus et Platina; sed quum hîc reclamet Irenaeus, eique subscribat Eusebius plurimis in locis, illi potius credendum. Totum hunc locum transcripsit Eusebius lib. 5. Hist. cap. 6. — *Qui etiam gloriosissime*]

Eusebius, Damasus, Metaphrastes, Nicephorus, Platina aliique rerum ecclesiasticarum scriptores huic consentiunt: adeoque antiquissimus scriptor Tertullianus (lib. 3. Carm. advers. Marcionem) his versibus:

Post expleta sui qui lustri tempora tradit
Telesphoro; excellens hic erat, martyrque fidelis.

— *Multum enim perseveravit*] Eusebius in Chronico tradit Polycarpum coronam martyrii suscepisse circa annum Christi 169 imperii autem Antonini Veri septimo; insuper, illum instante morte dixisse Proconsuli, se iam octoginta sex annos Christo inservivisse: quibus eum revera grandaevum fuisse, ac ecclesiae Smyrnensi multis annis praefuisse constat. — *Is enim est, qui sub Aniceto*] Peregrinationis huius rationes, ex Irenaei epistola ad Victorem Papam abundantius refert Eusebius lib. 5. Hist. cap. 24. Hinc vero observandum, quanti Romani pontificis auctoritatem fecerint totius orientis ecclesiae, quarum primas, apostolorum auditor, ab ipso Ioanne evangelista Smyrnae pastor constitutus Polycarpus, confecta iam aetate, Romam pergit, successorem Petri variis de rebus consulit; pacis communionem postulat et assequitur. — *Et sunt qui audierunt eum*] Isthaec transcripserunt ex Irenaeo Eusebius lib. 4. Histor. cap. 13. Epiphanius cont. Haeresin 30. Theodoret lib. Haeretic. fab. Nicephorus lib. 2. Plurimos autem et sanctissimos praeter Irenaeum discipulos et auditores Polycarpum habuisse in ecclesiasticis libris refertur, qui tum adhuc ét in Asia et in Gallia supererant: inter quos numerant Andochium, Tyrsum, Felicem et Benignum, qui in Galliis martyrio consummati sunt. — *Cerinthum*] Epiphanius contra Haeresin 30 semel et iterum istud de Ebione, non de Cerintho, refert. Quid si uterque, id est, Cerinthus ac Ebion, ut eiusdem ferme impietatis professores, tum in balneum aut ex condicto, aut praeter spem, simul convenissent? Hieronymus advers. Luciferianos asserit, post Ioannis recessum, balnei ruina Cerinthum cum asseclis oppressum fuisse. Ac Eusebius quidem lib. 4. Hist. cap. 22. Nicephorus lib. 4. cap. 22. et Theodoretus lib. 2. Haereticarum fabularum, Ioannis accessum et recessum cum Irenaeo referunt, sed balnei ruinae ac haeretici oppressionis non meminerunt. — *Post unam correptionem*] Tertullian. lib. de Praescript. Cyprianus lib. 3. ad Quirinam cap. 78. item epist. 55. Lucifer Calar. et Ambrosius Com. in hunc Pauli locum, hanc Irenaei vet. cod. lectionem sequentes, non habent: *Et alteram:* habent vero Athanas. orat. 5. contra Arian. orat. ad Max. epist. ad Serapionem, Leo magnus serm. contra haeresin Eutychetis, Hieronym., Theodoretus, Primasius. — *Est autem et epistola Polycarpi*] Hanc agnoscunt Euseb. lib. 5. histor. capite vigesimo: Hieronym. in Catalogo: Nicephorus lib. 2. cap. 39. Prodiit autem nostra aetate in lucem, ut multorum aliorum priscorum monumenta, quae temporum iniuria diu latuerant. Quin etiam testis est Irenaeus epistola ad Florinum, cuius egregium fragmentum notat apud Eusebium lib. 5. Hist. cap. 18. et Nicephorum lib. 4. cap. 30. eundem beatissimum et apostolicum virum, alias quoque epistolas vel vicinis ecclesiis confirmationis gratia, vel fratribus quibusdam, ut eos admoneret et hortaretur, scripsisse: ex quibus puritas doctrinae eius colligi potest. Harum porro quinque non asper-

nanda fragmenta, a me superioris Quadragesimae tempore, Virduni, in quadam vetustissimis characteribus manu descripta super quatuor evangelistas Catena, inventa, ut a Victore episcopo Capuano, ante mille et centum annos ibidem laudantur, hoc loco inserere operae pretium visum fuit. Haec itaque ibidem leguntur: *Victor episcopus Capuae ex responsione capitulorum sancti Polycarpi Smyrnensis episcopi, discipuli Ioannis evangelistae.*

Divi Polycarpi Smyrnensis episcopi et martyris b. Ioannis evangelistae quondam discipuli, responsionum fragmenta. *Matthaeus* (19, 5.) *Dominum dixisse testatur, quod Moyses* (Gen. 2, 24.) *scribit Adam locutum fuisse hoc modo. Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro ex carne mea: propter hoc relinquet homo patrem et matrem etc. Sed concordant Domini verba cum Moysi sermonibus, qui Adam praebens officium inspiratione divina prophetavit, ipse a Moyse hoc dixisse refertur. Deus vero qui per inspirationem divinam in corde Adam ista verba formavit, ipse Pater a Domino recte locutus fuisse refertur. Nam et Adam hanc prophetiam protulit: et Pater qui eum inspiravit, recte dicitur protulisse.* Idem ad haec verba Christi, *Calicem meum bibetis etc.* Matth. 20.: *Per huiusmodi potum, significat passionem. Et Iacobum quidem novissimum martyrio consummandum, fratrem vero eius Ioannem transiturum absque martyrio; quamvis et afflictiones plurimas, et exilia tolerarit: sed praeparatam martyrio mentem Christus martyrem iudicavit. Nam apostolus Paulus* (1 Cor. 15, 31.) *quotidie (inquit) morior; dum impossibile sit quotidie mori hominem ea morte, qua semel vita haec finitur. Sed quoniam pro evangelio ad mortem iugiter erat praeparatus, se mori quotidie sub ea significatione testatus est. Legitur et in dolio ferventis olei pro nomine Christi beatus Ioannes fuisse demersus.* Idem de initio evangelii secundum Marcum: *Rationabiliter evangelistae principiis diversis utuntur, quamvis una eademque evangelizandi eorum probetur intentio. Matthaeus ut Hebraeis scribens, genealogiae Christi ordinem texuit, ut ostenderet ab ea Christum descendisse progenie, de qua eum nasciturum universi prophetae cecinerant. Ioannes autem ad Ephesum constitutus, qui legem tanquam ex gentibus ignorabant, a caussa nostrae redemtionis evangelii sumsit exordium: quae caussa ex eo apparet, quod Filium suum Deus pro nostra salute voluit incarnari. Lucas vero a Zachariae sacerdotio incipit, ut eius Filii miraculo nativitatis, et tanti praedicatoris officio, divinitatem Christi gentibus declararet. Unde et Marcus antiqua prophetici mysterii competentia adventui Christi declarat: ut non nova, sed antiquitus prolata eius praedicatio probaretur. Aut per hoc evangelistis curae fuit, eo uti prooemio, quod unusquisque iudicabat auditoribus expetere. Nihil ergo contrarium reperitur, ubi licet diversis scriptis, ad eandem tamen patriam pervenitur.* Idem in illud: *Noli vocare amicos tuos, sed pauperes et debiles etc.* Luc. 14, 12: *Praecepit non amicos, sed infirmos quosque vocandos ad prandium. Quod si claudus, aut quilibet eorum sit amicus, sine dubio talis pro amicitia minime est rogandus: unde ipsa quasi videntur se impugnare mandata. Nam si non amici, sed claudi et caeci sunt invitandi, ipsosque quo-*

que amicos esse contingat, nequaquam rogare debemus. Sed amicos, arbitror, intelligi hoc loco debemus illos, quos pro mundi huius terrena consideratione diligimus, non pro divinae contemplationis intuitu. Hi sunt igitur amici relinquendi. Denique, ideo debilium exempla proposuit, quos pro nullius possumus appetere necessitate negotii, nisi tantum pro fructu retributionis aeternae. Idem in illud: *Opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam* (Ioan. 17, 4.): *Quomodo opus salutis humanae adimplesse commemorat, cum necdum crucis vexillum conscenderat; sed definitione voluntatis, de qua cuncta venerandae passionis insignia adire decreverat, iure se opus perfecisse significat etc.* Haec Victor Capuanus vir graece et latine doctus circa annum Dom. 480. ex graeco responsionum capitulorum b. Polycarpi, quem nactus erat, codice, a se latina facta recensuit: et in supra nominata Catena manuscripta, quam penes me habeo, et quum per typographos licebit, studiosis communicabo, citantur: quae in hunc locum inserere atque publicare visum est, quod hactenus nondum evulgata fuisse noverim.

GRABIUS: *Maximae et antiquissimae et omnibus cognitae*] In falsas horum epithetorum explicationes a Feuardentio hoc loco allatas animadvertit Chamierus Tom. 2. Panstratiae catholicae lib. 13. de Oecumenico Pontifice cap. 18. Ut breviter ea exponam, *maxima* dicitur, quia populosissima; *antiquissima*, graece *ἀρχαιοτάτη*, quia *ἐν ἀρχῇ τοῦ εὐαγγελίου* sive primo evangelii per orbem propagati tempore fidem suscepit. Vide Spicilegium Patrum saec. I. p. 256 seqq. *Omnibus* denique *cognita*, quia in arce imperii sita; unde iam inter prima eius initia fides illius in universo mundo laudibus celebrabatur, teste ipso apostolo Rom. I, 8. — *Ad hanc enim ecclesiam propter potentiorem principalitatem* etc.] Haec omnia (quae Feuardentius disputat ad hunc locum) discutere, non est praesentis instituti: Irenaeum tamen non possum quin a prava verborum eius detorsione vindicem, eaque reiecta verum eorum sensum tradam. Ad veteris Romae ecclesiam undique fideles ex cunctis ecclesiis convenisse scribit Irenaeus; sicuti post duorum seculorum decursum de nova Roma, i. e. Constantinopoli Gregorius Nazianzenus Orat. XXXII. in praesentia concilii Constantinopolitani I, oecumenici II. habita ante medium pag. 517. edit. graeco-latinae ait: *εἰς ἣν τὰ πανταχόθεν ἄκρα συντρέχει, καὶ ὅθεν ἄρχεται ὡς ἐμπορίου κοινοῦ τῆς πίστεως, ad quam extremi totius terrae fines concurrunt, et a qua velut communi fidei emporio incipiunt.* Quod vero *convenire ad ecclesiam Romanam,* interpretatur, *nec latum unguem ab eius communione discedere,* idque *necesse* ait, *quia a Deo optimo maximo constitutum,* in eo et verbis, et sententiae Irenaei vim facit. Aliud quippe est, *cum ecclesia convenire,* id est consentire; aliud *ad eam convenire,* id est propter necessitatem vel negotia aliqua ad illam concurrere, sive apud illam congregari. Sic Antiocheni concilii Canon 9. decernit, *ἐν τῇ μετροπόλει πανταχόθεν συντρέχειν πάντας τοὺς τὰ πράγματα ἔχοντας.* Nec tamen ideo ad metropolitanae ecclesiae communionem reliquae ita adstrictae erant, ut si illa a fide vel traditione apostolica aberraret, cum ea consentire et communionem servare tenerentur. Sane

p. 428.

ecclesiae Romanae tantum abest ut Irenaeus semetipsum aliosque fideles adeo obstrictos existimaverit, ut publico facto contrarium monstraverit, eo ipso falsam hanc suorum verborum interpretationem plane evertens. Quid nimirum eius aevo acciderit, post alios bene narrat Nicolaus I. papa sec. IX. Epist. 9. his verbis: *Quum Asiani omnes inter caeteros, Ioanne evangelista auctore, quartadecima luna cum Iudaeis putarent pascha celebrandum; hos praesul meritis et nomine Victor* (papa Romanus) *a communione collegii separavit. At illi omnes cum nonnullis ecclesiarum praesulibus non solum huic manus minime praebuerunt, verum etiam pertinaciae redarguerunt.* Quid tum Irenaeus? anne Asiaticarum ecclesiarum praesules ob id redarguit, *necesse* esse dictitans, id est, a Deo O. M. *constitutum,* ut ab ecclesiae Romanae communione se nulla ratione divelli patiantur, sed ei in ista de paschali festivitate controversia morem gerant. Minime gentium; imo vero Victorem per epistolam *decenter admonuit, ne integras Dei ecclesias morem sibi a maioribus traditum custodientes a communione abscindat,* teste Euseb. lib. V. Hist. eccles. cap. 24. Id tamen negari nequit, communionem cum cathedra Romanae ecclesiae, veluti Petri apostolorum principis sede, iam priscis temporibus magni habitam esse; siquidem s. Cyprianus Epist. 55. contra schismaticos quosdam scribit: *Navigare audent ad Petri cathedram atque ad ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est.* Atque hinc factum, ut de hac ecclesiae Romanae *principalitate* ac praerogativa *prae ceteris ecclesiis,* non tamen *potestate* sive iurisdictione *super easdem,* ipsa Irenaei verba plurimi Protestantium doctores acceperint, ac cum his Salmasius lib. de Primatu papae pag. 65, ubi non solum *convenire ad ecclesiam Romanam,* interpretatur, communione cum ea iungi; sed et *potiorem,* ut ipse legere amat, *principalitatem,* sive ἐξαίρετον πρωτεῖον, uti Graece ab Irenaeo scriptum coniectat, ipsi ecclesiae adscriptum autumat. At vero quidquid de re ipsa statuatur, quae hoc loco exacte ventilari neque debet neque potest; de hac nostri Irenaei sententia aliter sentio, ac per *conventum omnis ecclesiae, id est eorum, qui sunt undique fidelium, ad ecclesiam Romanam propter potentiorem principalitem,* intelligo confluxum eorum, qui ab omni ecclesia Romam mittebantur, ut caussam Christianorum agerent apud imperatores, quorum *potentior* erat *principalitas,* id est suprema potestas, graece ἱκανωτέρα forte ἀρχή, sive αὐθεντία. Quippe ἱκανωτάτην γραφὴν sequ. pag. 102. lin. 14. Interpres transtulit *potentissimas litteras;* utramque autem vocem ἀρχῆς et αὐθεντίας *principalitatem* vertisse patet ex superiori pag. 112. not. 6. et pag. 185. col. I. lin. 4. ubi verba Irenaei, sive potius apostoli Eph. I, 21. ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς, latine sonant *super omnem principalitatem;* quum contra πρωτεῖον reddidisset *primatum,* sicuti supra pag. 161. col. I. lin. 16. de Christo ex Coloss. I, 18. legitur: *ipse primatum tenens in omnibus,* graece ἐν πᾶσι πρωτεύων. Neque ἐξαίρετον latine *potentiorem* fecisset vetus Irenaei vel alius quispiam Interpres; unde ipse *Salmasius* non *potentiorem,* sed *potiorem* contra omnium impressorum et plurimorum MSS. Codd. fidem reposuit. Ob *potentiorem itaque principalitatem,* ἱκανωτέραν αὐθεντίαν, sive δυνατωτέραν

ἀρχὴν Romanorum contingebat, ut ad *Romanam* urbem, et proinde *ecclesiam*, ab omnibus undique ecclesiis convenirent fideles, defensionem suae fidei et ecclesiae suscepturi, ad exemplum Iudaeorum, qui legatos eo fine Romam mittere solebant; ut *legatio Philonis ad Caium* pro *Iudaeis*, et Athenagorae ad imperatores pro *Christianis*, liquido ostendit. Atqui de hoc conventu ad locum urbis atque ecclesiae Romanae, non de communione fidei ac caritatis cum ea, multo minus de subiectione obedientiae Irenaeum hoc loco scripsisse, ipse plane demonstrat, addens, *eos qui sunt undique fideles. Undique*, bis ait, non *ubique*, adeo ut necesse sit, fideles locis suis motos, ac apud Romanam ecclesiam commorantes intelligere. *Ab his igitur, qui undique erant* fidelibus, in ecclesia Romanae urbis *conservata* erat *ea quae est ab apostolis traditio* fidei, ne ab ea deflecteret. Si enim dicta ecclesia a fide declinare coepisset, aliarum ecclesiarum praesules atque legati haud illico cum ea errassent, quin potius eam de errore monuissent; et si monitis obtemperare detrectasset, a communione illius abstinuissent. At vero id Irenaei aevo Dei gratia haud erat factum, sed apostolica fides in ecclesia Romana ab eius membris et omnibus, qui undique ad eam confluebant, hospitibus fidelibus per omnia conservabatur intemerata. Atque haec erat ratio, quare quum *traditionem apostolorum in omni ecclesia omnibus perspicere, et omnium ecclesiarum enumerare successiones* integrum fuerit, ut Irenaeus hîc loquitur; Romanae tamen ecclesiae traditionem per episcoporum in ea successiones derivatam haereticis opponere maluerit, quod in hac omnium ceterarum ecclesiarum fides simul audiretur, dum apud eam undique fideles convenirent. — *Λίνῳ*] Hac de re lege longe doctissimam Pearsonii dissertationem 2. de successione primorum Romae episcoporum cap. 2 sqq. Id solum moneo, Feuardentium male in hac et sequenti annotatione tanquam Eusebii testimonium allegasse, quod lib. V. Hist. eccles. cap. 6. habetur; quum ibi non nisi hic ipse Irenaei textus legatur. p.431.

MASSUETUS: *Maximae et antiquissimae* etc.] Verba haec, multo magis sequentia, *ad hanc enim ecclesiam* etc. iis omnibus qui Romanae ecclesiae simul et catholicae fidei iugum excusserunt, molestissima, nihil non agit Grabius, ut in alienum sensum detorqueat. At vanas illius cavillationes in Dissert. III. §. 4. dissolvimus, ubi liquido probavimus, adeo desperatam esse hîc Protestantium caussam, ut agi a Grabio non potuerit nisi absurdissimos sensus Irenaeo tribuendo, qui in sanctissimi antistitis caput, nisi prorsus desiperet, adscendere non potuerint. — *Quam habet ab apostolis traditionem*] Et his Irenaei verbis vim inferre nititur Grabius. Quum enim traditionis apostolicae pondus, quo haereticos tam feliciter opprimit Irenaeus, declinare non valeat eius editor, angustioribus saltem limitibus, ne adeo premat, concludere conatur. *Symbolum fidei apostolicae intelligit*, inquit. Cur ita? Quia mox addit: *et annuntiatam hominibus fidem.* Quasi vero annuntiata hominibus fides tota symbolo apostolico contineatur? Quasi vero plura alia fidei dogmata, quae nobiscum profitentur ipsimet Protestantes, non tradiderint apostoli, quibus adstruendis symbolum per se non sufficiat, nisi adsciscatur ecclesiae auctoritas? Praecipua p.428.

quidem fidei dogmata paucis comprehensa capitibus in symbolo, velut in breviario quodam, ecclesiae consignaverint apostoli, non repugnabo; quamvis symbolum quod apostolicum dicitur, ab apostolis ipsis editum fuisse, non usque adeo certis demonstrari possit argumentis, ut omnis praecidatur dubitandi ansa. At apostolos multa alia, et ipsa maximi momenti dogmata, quae a Christo acceperant, quaeque symbolum haud expresse complectitur, viva voce fidelibus non tradidisse, nec dicit Irenaeus, nec probabit unquam Grabius: immo si necesse foret, contrarium ex Irenaeo facile erui posset. An a symbolo habet doctissimus editor, nasci homines peccati originalis labe maculatos, baptizandos esse infantes, tot nec plura esse sacramenta? Ut omittam alia non pauca. Sed ad controversias digredi, praescripti annotationum fines non sinunt. Cetera quae in hoc capite misere detorquet in notis suis Grabius expendi in Dissert. III. cit. — *Sibi placentia*] Sic Clarom. et Anglic. nisi quod in his incuria scribarum legatur *placentiam;* quod sphalmatis genus, male superposita abbreviationis nota, in MSS. frequentissimum. Eadem etiam super- posita fuerat in MS. Clarom. sed postmodum expuncta mihi videtur. At in omnibus editt. habetur, *sui placentiam malam;*
p.429. quae postrema vox desideratur in omnibus MSS. — *Potiorem*] Sic Clarom. cod. Scripserat librarius *pontiorem,* sed eadem, vel certe antiqua manu expuncta postea *n,* ut legatur *potiorem.* Quae lectio magis placet, quam *potentiorem,* ut habent ceteri codd. Nam *principalitati,* quam in ceteras ecclesias obtinebat, obtinuitque semper Romana ecclesia, vox *potior* magis convenit, quam *potentior.* Salmasius etiam lib. de Primatu papae pag. 65. *potiorem principalitatem* legere amat, graeceque scriptum ab Irenaeo coniicit *ἐξαίρετον πρωτεῖον.* Scri-
p.431. ptum ego coniicio *ὑπέρτερον πρωτεῖον.* — *Λίνῳ*] Difficultates, quibus scatet primorum Petri successorum tum chronologia, tum successio, evolvere nostri non est instituti; quum maxime plures eruditione praestantissimi homines sedulam eam in rem operam contulerint. Legi prae ceteris possunt viri clarissimi Tillemontii in Historiam eccles. Commentarii Tom. II. in notis in s. Clementem pag. 587 et seqq. Ob-
p.433. serves duntaxat velim, Irenaeum Cleti haud meminisse. — *Συναναστραφεὶς πολλοῖς τοῖς τὸν Χριστὸν ἑωρακόσιν*] Cum Ioanne nominatim familiarem Polycarpo consuetudinem intercessisse, scribit Irenaeus in epistola ad Florinum, cuius fragmentum habes ad calcem huius operis. Nec dubium quin Philippum etiam apostolum viderit; quandoquidem Polycrates Ephesiorum episcopus, qui eodem tempore scribebat atque Irenaeus, ipsum recenset inter eos quorum exemplo muniebatur consuetudo celebrandi paschatis die 14 lunae. — *Ἐπιπολὺ γὰρ παρέμεινε*] Si Polycarpus sit angelus ecclesiae Smyrnensis, ad quem Christus Apoc. II, 9. 10. scribi iubet, egerit necesse est 70
p.434. annos in episcopatu, ac proinde obierit centenario maior. — *Ἐπὶ Ἀνικήτου ἐπιδημήσας τῇ Ῥώμῃ*] Eiusdem adventus Polycarpi in urbem meminit in epistola ad Victorem papam. Iter illud a Polycarpo susceptum fuisse initio pontificatus Aniceti, anno scilicet 157 aut 158 potissimum *ob quaestionem quandam quae de pascha inciderat,* scribunt Eusebius lib. IV. Hist. c. 14. et Hieronymus De Viris illustribus

cap. 17. quasi ex Irenaeo, quamvis hic huiusce peregrinationis causam non memoret. — *Κήρινθον*] Haec de Ebione, non de Cerintho refert Epiphanius Haer. 30. Sed Irenaeo potior adhibenda fides. Quod addunt quidam, balnei ruinis statim post Ioannis egressum oppressum fuisse Cerinthum cum asseclis, fabulam olet. Neque enim ruinae illius meminere antiqui. — *Καὶ αὐτὸς δὲ ὁ Πολύκαρπος Μαρκίωνι κτλ.*] Id Romae contigisse scribit Hieronymus De Vir. ill. cap. 17. Sed neque Irenaeus, neque Eusebius locum designant. — *Ἐπιγινώσκω*] Pronomen *σε* addit Chronicon Alexandrinum, ubi haec historia narratur, pag. 257. nuperae edit. Paris. Addidit quoque in versione sua vetus Irenaei interpres. Hinc et in textu graeco addendum esse vult Grabius. Sed haud necesse putem: satis subintelligitur. Huic vero s. Polycarpi responso: *Cognosco te primogenitum Satanae:* geminum est quod ait in sua ad Philippenses epistola: *ὃς ἂν μεθοδεύῃ τὰ λόγια τοῦ κυρίου πρὸς τὰς ἰδίας ἐπιθυμίας, καὶ λέγῃ μήτε ἀνάστασιν, μήτι κρίσιν εἶναι, οὗτος πρωτότοκός ἐστι τοῦ Σατανᾶ. Qui eloquia Domini traduxerit ad desideria sua, dixeritque neque resurrectionem, neque iudicium esse; hic primogenitus est Satanae. — Percepisse se*] *Se* quod post hoc verbum in editt. Erasm. Gall. et p. 435.
Feuard. ac in MSS. omnibus, exceptis Clarom. et Voss. legitur, a Grabio minus provide deletum reposui. Quamvis in textu graeco non exprimatur, subintelligi tamen debet; et ea propter versioni suae, uti necessarium, ne male suspendatur sensus, inseruit Valesius. Idem dicendum de voce *dicentem* post *audierunt eum,* quam etiam perperam, et cum dispendio sensus, expunxit Grabius. Omittitur quidem in MSS. Clarom. et Arund. sed librariorum culpa. In Graeco vero adeo subintelligitur, ut Valesius Irenaei verba latine reddere non potuerit, nisi addendo *narrantem:* et Grabius ipse agnoscat verti ab interprete debuisse *audierunt ab eo.* Quasi *audierunt dicentem* diversum quid exprimeret? — *Quod timeat* etc.] Graeca ferunt: *Fugiamus hinc, ne forte balneum corruat, in quo est Cerinthus veritatis inimicus. — Ut ne verbo tenus communicarent*] Sic editt. Erasm. Gall. et Feuard. et MSS. Ottobon. et Merc. II. Quae lectio, quum optima sit, et Valesio probata, a Grabio partim ex Arund. partim ex Voss. in peiorem, *ut nec verbo communicarent,* commutanda non erat. In Cod. Clarom. legitur: *ut ne verbo bonos communicarent,* forte pro *ut ne verbo bono* aut *verbo tenus;* ex quo, ut et Voss. retinui particulam *ut,* quam omittunt editt. cit.

CAP. IV.

FEUARDENTIUS: *Tantae igitur ostensionis quum sint haec*] p. 436.
Colligit Irenaeus, quae supra dixit, de Scripturis, successionibus episcoporum, maxime in ecclesia Romana, et traditionibus apostolorum, vim habere manifestissimae ac firmissimae demonstrationis adversus omnes haereses. Infert autem, non esse veritatem fidei quaerendam a tam impuris et dissectis Gnosticorum sectis; sed a sola ecclesia catholica, cui ut sacrum ac caeleste pignus, servanda ab apostolis commissa est. Confirmatio prima est ex eo quod obortis novis disceptationibus semper ad antiquiores ecclesias, velut ad puriores

fontes recurritur. Secunda, quod si nullae essent Scripturae nobis relictae, ad earum ecclesiarum traditiones omnino confugiendum esset. Tertia, multas per orbem gentes, viva solum voce traditam sibi veram fidem christianam constanter tenere et servare. Quarta, Spiritum sanctum, ut a prophetis praenuntiatum fuit, in cordibus fidelium potius quam in chartis veram et salutarem pietatem inserere ac infigere.

p.437. — *Quid autem si neque*] Vehemens certe telum in eos, qui nihil credendum clamitant, quod non dilucide et aperte Scriptura dicat. Num ergo Deum unum esse, universaque suo Verbo condidisse credidissent, si Mosis aetatem praecessissent? Atheismumve professi fuissent, si universa Biblia sacra Babylonicis flammis exuri vidissent? Neque igitur Domini nostri incarnationem, mortem, resurrectionem et universam oeconomiam peractam ab eo vere existimassent, antequam Matthaeus, Marcus, Lucas, Ioannes haec scriptis mandassent. Et quid ad hanc rationem Irenaei respondebunt, si tantum et solum apertis scriptis credunt, traditione omni abnegata? — *Multae gentes barbarorum*] Divinis iussionibus, quibus Christus apostolos et discipulos delegavit, ut euntes in universum mundum, felix faustumque evangelii verbum profiterentur omni creaturae, incipientes a Iudaea usque ad ultimum terrae, tanto fervore paruerunt, ut omnem terrarum orbem intra 40 aut 50 annos peragrarint. Hoc plane Paulus indicat, Romanorum fidem dicens annuntiari in universo mundo; et Apocalypsis, inter eucharistias beatorum referens eos dicere: *Redemisti nos ex omni tribu, lingua, populo et natione.* Non fuerunt autem scripta apostolorum evulgata statim per tot linguas et provincias; quae tamen recta in Deum fide, solo verbo Dei tradito, non autem scripto innixae

p.439. credebant, uti docet Irenaeus. — *Ante Valentinum enim*] Eisdem argumentis, ab origine scilicet recentiori tum haeresiarcharum, tum haereseos, validissime pugnat Tertullianus adversus hosce Gnosticos lib. Praescript. et lib. I. contra Marcionem. — *Valentinus enim venit Romam*] Sectam Valentinianorum ortam sub tempore Antonini Pii et Telesphori papae, qui Hyginum praecesserat, memoriae tradiderunt Teodoretus et Sabellicus. — *Modo quidem latenter docens*] Observandum quam incerta, vacillante, et ad omnem flatum fluctuante, immo et repugnante, et perpetuo verbere flagellante eos misera conscientia, errores suos adinveniant, retineant et spargant veteres haeresiarchae.

p.439. GRABIUS: *Octavus — saepe*] Interpreti sive librario *saepe* addere et ἔννατον in *octavum* vertere placuit, quia praecedente cap. 3. Hyginus octavus ab apostolis in sede Romana numeratur. Contra lib. I. quoque cap. 28., ubi Hygini mentio fit, expresse additur, ἔννατον κλῆρον τῆς ἐπισκοπικῆς διαδοχῆς ἀπὸ τῶν ἀποστόλων ἔχοντες. Sed facillime haec conciliantur, siquidem apostolis Petro et Paulo primis ecclesiae Romanae fundatoribus simul computatis, utique *nonus* recte dicitur; illis vero demtis, *octavum* sortitur locum.

p.439. MASSUETUS: Ὃς ἦν ἔννατος ἐπίσκοπος] Legendum puto Ὃς ἦν ὄγδοος, non ἔννατος ἐπίσκοπος. Sic certe legit interpres, et meo quidem iudicio, recte: nam praecedenti cap. 3. Irenaeus pontifices Romanos ordine recensens, Hyginum octavo loco numerat: et

hic et illic Aniceto decimum locum tribuit; quod non quadrat, si hic ἔννατος legas. Nec manifestam contradictionem emollieris dicendo, modo Petrum inter Romanos Episcopos ab Irenaeo computari, modo excludi. Nam et praecedenti cap. 3. et lib. I. cap. 28. Romanos pontifices enumerat *ἀπὸ τῶν ἀποστόλων, ab apostolis:* quibus verbis Petrum a Catalogo suo perspicue removet. Vide quae lib. I. cap. 28. annotavimus. — *Λαθροδιδασκαλῶν, ποτὲ δὲ πάλιν ἐξομολογούμενος*] In tribus Eusebii codd. Mazarin. Medic. et Fuker. Valesio teste, scriptum est *λαθροδιδάσκων*. Nicephorus tamen et Regius cod. vulgatam lectionem tuentur. Sed ex his Irenaei verbis concludit doctissimus Eusebii editor, primis saltem illis ecclesiae temporibus in haereseos crimine secundae confessioni locum fuisse; et haereticos, qui post confessionem et abdicationem erroris sui ad pristinum dogma iterum rediissent, quos nunc relapsos vocamus, tunc temporis ad secundam confessionem et poenitentiam admissos fuisse. Scribit enim Irenaeus, Cerdonem haereticum post confessionem haereseos in ecclesiam admissum fuisse ab Hygino Romano pontifice, ac deinceps in urbe Roma mansisse; nunc occulte doctrinam suam spargentem; nunc rursus confitentem errorem suum; nunc convictum pravae haereticaeque doctrinae, eoque nomine ab ecclesia segregatum. Nimirum haereticos, etiam in sinu suo baptizatos, ceteris peccatoribus mitius semper excepit ecclesia, nisi nota aliorum criminum gravitas obstaret. Sed de his consule Morinum *De administratione sacramenti poenitentiae,* lib. IX. cap. 7. 8. et seqq. — *Abstentus est a religiosorum hominum conventu*] Vertendum erat: *abstinuit a fratrum conventu.* Neque enim, ut observat Valesius, Cerdonem ex ecclesia eiectum fuisse dicit Irenaeus; sed ipsum, convictum tandem, quod post toties iteratam exhomologesin pestiferum virus erroris sui occulte spargeret, se ab ecclesia penitus segregasse. Ex quo apparet, Cerdonem suo ipsius iudicio condemnatum, praevenisse ecclesiae sententiam.

CAP. V.

FEUARDENTIUS: *Traditione igitur*] Expleto argumento a tra- p.440.
ditionibus, nunc ex apertis Scripturis adversus Gnosticos disputationem instituit; hisque unicum Deum universorum creatorem, eundemque Patrem Domini nostri Iesu Christi esse demonstrat. — *Veritas de terra*] Locum hunc post Irenaeum Arnobius sic interpretatur: *Veritas qui est Christus, de terra, id est, de Maria orta est.* Lactantius autem libro quarto capite duodecimo: *Veritas,* inquit, *de terra orta est, quia Deus in quo veritas est, terrenum corpus accepit, ut terrenis viam salutis aperiret.* Et Augustinus: *Veritas de terra orta est, Christus de femina natus, Filius Dei de carne Christi processit.* Nec ab hac interpretatione dissentiunt Hieronymus comment. in Psalm. Fulgentius lib. 3. ad Trasimundum; et lib. de incarnatione et gratia Domini nostri Iesu Christi cap. 6. — *Dilatans Iaphet*] Alludit ad p.442.
benedictionem eam, qua Noë Iaphet filium primogenitum honestavit ac decoravit. Locum hunc illustrabit amplior haec Iustini interpretatio (in Dialog. cum Tryph.): *Praedixit Noë, posteros Semi occupa-*

turos agros Chananaeorum et habitacula, eiiciendos mox a Iapheti progenie, quod ita factum docebo. Vos enim (Iudaeos alloquitur) *qui a Semo ducitis originem, occupastis Dei iussu terram filiorum Chanaam, deinde filii Iaphet aeque iusto Dei iudicio tenuerunt eam, et vos illinc profligaverunt,* Romanos intelligens.

CAP. VI.

p.442. FEUARDENTIUS: *Neque igitur Dominus*] Ex multis clarisque Scripturarum locis demonstrat unicum solum esse Deum et Dominum huius mundi creatorem et rectorem; et hoc nomine non solum Patrem, sed et Filium et Spiritum sanctum, id est, tres simul divinas hypostases comprehendi. Hinc emanavit ista non modo Augustini (lib. 6. de Trinit. cap. 9.), sed et omnium veterum theologorum regula: *Quoties in Scripturis Deus absolute ac indefinite nominatur:*
p.443. *tres simul divinas personas toties significari. — Patrem enim Filio collocutum*] Hunc locum de Patre ac de seipso interpretatur Christus Matth. 22. v. 44. quod et Paulus constanter praedicat 1 Cor. 15, 25. et Hebraeor. 1, 13. hincque probant Patrem et Filium duas esse distinctas inter se personas, sed in una prorsusque eadem divinitate et coaeterna maiestate venerandas. Ac idcirco Iustinus martyr in Dialogo Tryphonem et similes Iudaeos iure optimo reprehendit, quod hunc Psalmum non de Patre et Filio, sed de Ezechia rege intelligendum contenderent: quandoquidem nec iste ad dexteram Dei Patris sedet, nec est aut fuit unquam sacerdos secundum ordinem Melchisedec, nec denique ante luciferum a Patre genitus. Subscribunt Iustino ac Irenaeo Tertull. lib. adver. Praxeam lib. 4. et 5. adv. Marcion. Cyprianus lib. 2. adv. Iudaeos cap. 26. Athanasius Orat. contra Arianos etc. — *Et pluit Dominus super Sodomam*] Ex hoc loco cum Irenaeo gravissimi et antiquissimi auctores, Iustinus in Dialog. Tertullianus contra Prax. Cyprianus libro tertio ad Quirinum; Cyrillus libro primo in Ioannem; Hieronymus in quadragesimum quintum Isaiae; Hilarius libro de Synodis; Athanasius contra gregales Sabellii; et Epistol. de Synodis; Ambrosius libro primo de fide cap. 2. Chrysostomus homil. de sancta et consub. Trinitate, probant plures esse hypostases divinas, adversus pervicaciam Iudaeorum. — *Et de his qui adoptionem perceperunt*] Tertull. lib. adv. Praxeam cap. 13. hinc post Irenaeum ostendit et Christum vere naturaque Deum esse; simulque pios omnes per ipsum effectos adoptione filios Dei. *Recordare,* inquit, *scriptum esse: Ego dixi dii estis, et filii altissimi.* Et: *Stetit Deus in ecclesia deorum,* ut si homines per fidem filios Dei factos, deos Scriptura pronunciare non timuit, scias illam multo ma-
p.444. gis vero et unico Dei Filio Dei nomen iure contulisse. — *Et iterum*] Sex hasce voculas ex veteri codice adiecimus, verbum *descendit* in *descendi* mutantes: ut Filius ipse sit, qui loquatur ad Mosem, sicut legendum indicat textus Bibliorum, Exod. 3. consentiente vet. nostro cod. — *In ambabus suffraginibus*] Locus est 3. Regum 18. ubi vet. translatio: *Usque quo claudicatis in duas partes?* Sanctes ex Hebraeo: *Usque quo claudicatis in duas cogitationes?* Graeci ἐπ' ἀμφοτέραις ἰγνύαις, in duobus poplitibus: atque poplites vertit interp.

Theod. q. 55. in lib. Reg. Suffragines, sinus curvaturarum dicuntur Rhodigino lib. 4. c. 11. Plin. lib. 8. c. 45. *Aves et quadrupedes alas in priora curvant, suffragines in posteriora.* Idem lib. 30. cap. 6. *Aquilae pedes evellunt in adversum a suffragine.* — *Et ego igitur* p.445. *invoco te*] Ut certe fervens ac memorabilis est haec beatissimi martyris oratio, qua lectoribus horum librorum in vera fide constantiam perpetuam bene precatur: sic impia simulque exsecranda Valentini gentilis sententia, qua ex hoc loco constituere voluit, solum Deum Patrem esse Deum Israëlis, non autem simul Filium ac Spiritum sanctum. At non videt homo nequam, sic se tres deos ethnico plane more confingere. Nec attendit Irenaeum initio huius capitis asserentem, unum tantum esse definite et absolute Deum ac Dominum omnium, nimirum Patrem et Filium eius. Deinde paullo post inferentem, Patrem et Filium vere esse illum unum Dominum; Filium Abrahae conlocutum; a Davide quoque appellatum Deum et Deum deorum; Filium esse Deum, qui ecclesiam per semetipsum collegit; Filium Deum venturum ad iudicium; Filium locutum esse ad Moysem: ex quibus manifestissimum et clarissimum evadit, hunc una cum Patre vere esse atque vocari Deum Israëlis, Deumque Abrahae, Isaac et Iacob. De Spiritus sancti eadem et consubstantiali divinitate et superius diximus, et infra quoque opportunis locis dicetur. — *Bene sensisti in nobis*] *Τὸ εὐδοκεῖν* vertit Interpres *bene sentire,* quod alibi redditur *sibi complacere,* quasi dicat: *Nos gratos et acceptos habuisti.* — *Dominatione*] Vetus codex *Dominationem quoque donas Spiritus sancti;* Fortasse dicendum esset *donationem.* Ceterum, sive hoc, sive illud legas, confirmatam semper habes Spiritus sancti aeternam ac consubstantialem Patri ac Filio divinitatem, maiestatem et dominationem contra veteres ac novos Arianos.

GRABIUS: *Neque igitur Dominus*] Iisdem Scripturae dictis ad p.442. propositum suum utitur, quibus Iustinus in Dialogo cum Tryphone pag. 277. edit. Paris. adeo ut hunc locum Irenaeo prae oculis fuisse, quum haec scriberet, mihi nullum sit dubium. — *Utrosque enim Dei* p.443. *appellatione significavit Spiritus etc.*] Ita et Iustinus m. in Dial. cum Tryph. p. 277. citatis iisdem Davidis verbis subdit: *εἰ οὖν καὶ ἄλλον τινὰ θεολογεῖν, καὶ κυριολογεῖν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον φατὲ ὑμεῖς, παρὰ τὸν Πατέρα τὸν* (leg. *τῶν*) *ὅλων καὶ τὸν Χριστὸν αὐτοῦ; utrum ergo aliquem alium vos asseritis a Spiritu s. Deum et Dominum dictum, praeter Patrem universorum et Christum eius?* — *Omnium Deus et Dominus*] Mirari subit, Irenaeum versum 14 capitis 3 *Exodi* Deo Patri tribuere, sed versum 8 Deo Filio; quum tamen integer contextus planissime ostendat, eandem esse personam, quae utrobique loquitur.

MASSUETUS: *Filium enim hic significat*] Non Irenaeus modo, p.443. sed et plures alii ex antiquis Patribus de Filii divinitate et a Patre distincta eius hypostasi argumentum ex illo Genesis loco sumserunt, ut Tertullian. cont. Prax. cap. 13. et 16. Iustinus in Dial. cum Tryph. Prudentius in Apotheosi etc. Atqui horum ratio ut apud Catholicos propter illorum auctoritatem valere debet; sic ab Iudaeis ex linguae suae proprietate solet eludi; in qua saepius nomen proprium repeti

solet, et pronominis usurpari loco. — *Omnium Deus et Dominus*] Miratur Grabius, Irenaeum versum 14 capitis 3 Exodi Deo Patri tribuere, sed versum 8 Deo Filio; quum tamen integer contextus planissime ostendat, eandem esse personam, quae utrobique loquitur. Sed mirari desiisset, si attendisset, eam esse Irenaei aliorumque e veteribus non paucorum sententiam, ex divinis personis solum apparuisse Verbum; Patrem vero invisibilem semper perstitisse, nec hominibus manifestatum esse, aut cum iis collocutum, nisi *per Filium*, ut hîc loquitur auctor noster et fusius disserit lib. IV. cap. 37. Vide quae in Dissert. III. art. V. §. 57 et seqq. eam in rem observavimus.

CAP. VII.

p.446. FEUARDENTIUS: *Quod autem dicunt*] Vel ex unico Pauli loco demonstrat, haereticos nec Paulum recte legere, nec intelligere: quandoquidem propter impetum Spiritus s. in se loquentis, aliquando hyperbatis utatur et obscurus sit. Ceterum ex citata eiusdem Pauli sententia plurimum negotii exhibuerunt Patribus haeretici, ut post Irenaeum indicat Tertullianus lib. 5. contra Marcion. *Distinguebat Marcion* (inquit ille) Deus huius aevi, *ut suggereret Deum alterius aevi; nos contra sic distinguendum dicimus:* In quibus Deus; *dehinc,* aevi hujus excaecavit mentes infidelium. Subinde admittit etiam alteram lectionem, ut dicere possimus huius aevi Deum, id est, diabolum. Priorem lectionem testatur August. (lib. 22. contra Faust. cap. 2. et 9.) multis placuisse, et iis praecipue, qui contra Manichaeos, vel Marcionitas rem habuerunt; at idem aliquanto post, negat absurdum videri debere, si diabolus dicatur Deus huius saeculi, id est, hominum impiorum; ut Paulo illud dictum est: *Quorum Deus venter est.* Placet et ea prior lectio per hyperbaton Chrysostomo, Theophylacto et scholiis Graecis; posteriorem amplectuntur Cyrillus et Ambrosius. —

p.447. *Ut non nunc in multum avocemus mentem*] Sic vetus codex legendum docuit: excusi legebant, *et non nunc in multum mutemus etc.* Et nos obiter dicimus, ex multis beati Augustini locis, Deum improbos excaecare, non immittendo caecam malitiam; sed non impertiendo gratiam, cuius scipsos reddunt indignos. August. epist. 105. Comment. in Psalm. 71. Lib. de Praedest. et gratia cap. 4. — *Quoniam autem hyperbatis*] Hyperbaton describit Quintilianus verbi transgressionem, quam frequenter ratio comparationis et decor poscit. Origenes explicans epist. ad Rom. non semel conqueritur, graecam Pauli dictionem esse perplexam, hyperbatis obscuratam, et e Cilicum idiomate quaedam parum graeca peregrinitatem resentire.

p.447. GRABIUS: *Lex factorum posita est usquequo*] Interpres videtur Italicam versionem potius quam graecum Irenaei textum hoc loco, ut et infra lib. V. cap. 21. secutus esse. Irenaeum enim Galat. 3, 19. non *πράξεων,* sed *παραβάσεων χάριν,* perinde ut nos, legisse puto, quia nullus datur graecus codex, qui priorem lectionem habeat; posteriorem autem confirmat Irenaei coaevus Clemens Alexand. lib. I. Strom. pag. 350. Origenes Comment. in Ioan. pag. 427. alios ut taceam. De diversa quoque huius textus distinctione, qua alii interro-

gationem post *ergo* claudunt, alii ulterius differunt, vide doctissimi D. Millii notas ad hunc locum.

MASSUETUS: *Lex factorum*] Quo codice usus sit Irenaeus, p. 447. nemo facile dixerit. Legit procul dubio: *Τί οὖν ὁ νόμος τῶν πράξεων; προσετέθη ἄχρις οὗ* etc. Nostri vero graece habent: *τί οὖν ὁ νόμος; τῶν παραβάσεων* (in MSS. quibusdam *τῆς παραβάσεως*) *χάριν προσετέθη ἄχρις οὗ* etc. Latine vero: *Quid igitur Lex? Propter transgressiones posita est, donec* etc. Attamen asservatur in Bibliotheca nostra San-Germanensi praeclarissimus D. Pauli epistolarum MS. codex graeco-latinus, annorum saltem nongentorum, in cuius graeco legitur quidem, ut in aliis, *τῶν παραβάσεων χάριν;* at in latino habetur *factorum gratia*, forte iuxta veterem Italicam versionem, quam exhibere videtur hic codex: certo argumento codices quosdam olim habuisse *τῶν πράξεων*, uti legit Irenaeus. Sed qui omiserint vocem *χάριν, gratia*, quam non hîc modo, sed et lib. V. cap. 21. prorsus omittit Irenaeus, nullos novi.

CAP. VIII.

GALLASIUS: *Mammonas autem — a gula se continere*] Hanc p. 419. dictionem *mammona* syriacam esse, variis locis testatur Hieronymus. Primum in Matthaeum, cap. 6. deinde ad Algasiam, quaestione sexta. *Mammona*, inquit, *non Hebraeorum, sed Syrorum lingua, divitiae nuncupantur, quod de iniquitate collectae sint.* Item ad Eustochium: *Nam gentili Syrorum lingua mammona divitiae nuncupantur.* Huic interpretationi quum docti omnes Hebraei consentiant, miratus sum hîc ab Irenaeo pro cupido et avaro, item pro guloso capi, atque existimari *μετωνυμίαν* fieri oportere. Dubitabam etiam quid illud sibi vellet, *secundum hebraicam adiunctive dicitur mam.* Tali enim voce Hebraei in hac significatione non utuntur. Samaritana porro lingua haud dubie intelligit syriacam et chaldaicam, qualis tunc vulgo usitata fuit; hebraica vero, puram illam et genuinam, qua sacrae litterae scriptae sunt, ut iam antea in cap. 67. lib. 2. observavimus. Minime ergo dubium est initium huius dictionis *mammon*, nempe *mam*, adiunctum esse, ideoque dici ab Irenaeo adiunctive, hoc est, *μετὰ προσθέσεως*, vel *προσθετικῶς*. Vocant enim Graeci *πρόσθεσιν*, qua additur aliquid initio syllabae aut dictionis. Haec vero quum me torquerent, nec mihi satisfacerem, Cornelium nostrum (de quo antea mentionem fecimus) non vulgariter in his linguis versatum, rogavi ut locum istum expenderet. Quem quum attente diligenterque examinasset, hanc sententiam protulit, quam doctis omnibus spero probatum iri. Quod dicit Irenaeus *mammonam* significare *cupidum*, id longius petitum esse. Proprie enim apud Chaldaeos idem denotare, quod apud Latinos *pecunia*. Sed quoniam paraphrastae Chaldaei interdum hebraicam vocem בצע per ממון reddunt, בצע vero proprie *quaestum*, item *πλεονεξίαν* seu *φιλοκερδίαν* atque etiam *αἰσχροκερδίαν* significat, inde factum esse, ut ממון seu ממונה non solum acceptum sit pro quaestu, sed etiam pro lucri atque adeo pro turpis lucri cupiditate, neque in abstracto solum extensam esse illius nominis significationem, sed etiam in concreto pro cupido et avido ac-

ceptum esse. Quod autem ait secundum Hebraeos adiunctive dici *mam,* hoc quidem obscurum esse, vixque aliter intelligi posse, quam dictioni הון vel etiam און, quae hebraea est, adiici מם, atque ita vocem effici chaldaicam ממון. Adiectione ergo syllabae מם, atque una iunctae cum hebraea voce און, composita fuit haec dictio. הון vero et און idem significare apud Hebraeos, quod Chaldaeis ממון, satis notum est, praesertim ex XII cap. Hos. 8. Ac proprie אין divitias illas denotat, quae partae sunt iniquis artibus; de quibus Christus Matth. 6. et Luc. 16. quas exprimit hac voce *mammonae.* Nec certe desunt etiamnum, qui dictionem אין deducunt a verbo אוה, i. e. *concupivit.* Idque spectasse videri possit Irenaeus, quum dixit ממון significare cupidum et gulosum, sive avidum et voracem. Nam et Grammatici hebraei aliquot locis hanc vocem אין nomen Toar, i. e. adiectivum, esse volunt.

p.448. FEUARDENTIUS: *Soluta igitur*] Pergit porro tam ex ipsius Christi, quam prophetarum et apostolorum verbis comprobare, Deum verum solum absolute et simpliciter Deum et appellari ac revera esse.

p.449. — *Mammonas autem*] Mammona vocem hebraicam proprie non esse, sed syriacam, in 6 cap. Matth. et quaest. 6 ad Algasiam, affirmat Hieronymus, idemque significare, quod Graecis *πλοῦτος,* quem poëtae Deum finxerunt. Consentit Tertull. lib. 4. contra Marcion. Ceterum, quod D. Irenaeus dicit in hac dictione mere syriaca *mam* esse adiectitium illud, vix linguae utriusque, hebraïcae nempe et syriacae perito persuaderi potest. Notum est enim, vel mediocriter in Chaldaeis versatis, ממונא mammona vocabulum esse primigenium, non deductum ab ullo themate hebraeo. Quod si quis hoc in loco liberius vellet ludere, et vocabulum syrum ex duobus integris hebraeis conflare, forsan non longius aberraret a scopo, deducendo ממונא mammona a מם mam vel mum, quod maculam sonat, et הון hon potentiam, sive divitias, ita ut per syncopen pro ממהון mamhon, dicatur mamon, resecta littera ה. Fortassis Irenaeus metonymi*κῶς* accepit *mammonam,* videlicet caussam pro effectu, id est, pecunias et opes, pro earum desiderio. — *Sed nec quicquam*] Probat tam ex evangelio, quam ex psalmis, omnia per Verbum condita esse, adeoque cunctos ordines angelorum; solum autem non factum, et sine ullo aut fine aut principio creante; quibus satis docet Patri coaeternum et consubstantiale omnino credendum et confitendum esse.

p.449. GRABIUS: *Secundum autem hebraicam*] Per hebraicam linguam intelligere videtur non puram illam et genuinam, qua s. Litterae scriptae sunt, uti quidem hoc loco notat Gallasius, sed syriacam, qualis tunc vulgo usitata fuit, quae et a sacris N. Test. scriptoribus hebraica dicta est. — *Adiunctive dicitur Mamuel et significat gulosum*] Irenaeo hebraeae linguae ignaro certe quidam imposuit; neque enim dicta significatio ad vocem *Mamuel* ullo modo quadrat. Quando vero Irenaeus ait adiunctive dici *Mamuel,* id ita accipio, quasi *mammon* cum *προσθέσει* et dictum velit. — *Vasa autem eius et domus nos eramus* etc.] Ita et s. Barnabas in Epistola cathol. §. 16. cuius verba ex antiqua solum latina versione apponam: *Antequam crederemus Deo, erat habitatio nostra corrupta et infirma, sicut templum quod*

per manus aedificatur, quia pleni eramus adorationibus idolorum, et erat domus daemoniorum. Quae Barnabae citans Clemens Alexand. lib. II. Strom. plura ad eorum explicationem addit. Valentino quoque haeretico cor eorum qui negligenter vivunt, dicitur *πολλῶν δαιμόνων οἰκητήριον.* Verba eius ex dicto Clemente citata et emendata vide Tom. I. Spicilegii Patrum et Haereticorum saec. II. pag. 59 seq.

CAP. IX.

FEUARDENTIUS: *Ostenso hoc igitur*] Docet apostolos unum p.451.
eundemque Deum atque Dominum universorum per orbem praedicasse; et eum ipsum quem veteres prophetae quondam celebraverant; quos et nos imitari oporteat. — *Fructum dignum poenitentiae*] Vetus codex: *fructum dignae poenitentiae.* Graeci codic. *καρποὺς ἀξίους τῆς μετανοίας,* id est, fructus dignos poenitentiae. — *Et vocabunt*] *Κα-* p.452.
λέσουσιν, id est, vocabunt, habet graecus Matthaei contextus, ut hîc legit Irenaeus; quem imitantur Origenes, Chrysostomus, Theophylactus. Vetus editio *vocabitur.* — *Non dispernet*] Septuaginta *καὶ οὐ μὴ ἀθετήσῃ,* id est, non reprobabit, spernet, repellet, reiiciet. — *Cuius* p.453.
et stellam] Hoc vaticinium de Christo editum fuisse, cum Irenaeo interpretantur Basilius homil. de humana Christi generatione; Auctor ser. de Stella et Magis apud Cyprianum; Hieronymus comment. in 2. cap. Matth. Tertullianus porro lib. 4. advers. Marc. nihil cunctatur Balaam semel et iterum prophetam appellare, inquiens: *Balaam prophetes in Arithmis, accersitus a Balac, spiritu implebatur, non ad quam venerat maledictionem: sed quam illi ipsa hora Spiritus suggerebat, benedictionem pronunciabat.* Et longe postea, de Spiritu sancto disputans, subdit: *qui et Balae quod non cogitaverat, suggessit, imo contra quam cogitaverat, suggessit etc.* De eodem quoque, ait Origenes homil. 13. in Num. Si a Moyse prophetiae Balaam sacris insertae sunt voluminibus: quanto magis descriptae sunt ab his qui habitabant Mesopotamiam, apud quos magnificus habebatur, quosque artis eius constat fuisse discipulos? Ex illo denique fertur magorum genus et institutio in partibus Orientis vigere. Qui descripta apud se habentes omnia quae prophetaverat Balaam, etiam hoc habuerunt scriptum, *quod orietur stella ex Iacob, et exsurget homo ex Israël etc.* Haec et ampliora ex Origene accepta, etiam videre licet apud Auctorem operis imperfecti in Operibus Chrysostomi ad cap. 2. Matthaei. — *Myrrham quidem*] Mirum in modum haec mystica donorum intelligentia Patribus universis placuit, Iustino, Tertulliano, Cypriano, Origeni. Celebrat Hieronymus pulcherrimum Iuvenci presbyteri versiculum, quo munerum istorum sacramenta comprehendit his verbis:

Tus, aurum, myrrham, regique hominique Deoque.

Huic unico duos alios ex Sedulio adiungere non erit iniucundum:

Aurea nascenti fuderunt munera regi,
Tura dedere Deo, myrrham tribuere sepulcro.

— *Non enim Christus*] Probat adversus fabulas Gnosticorum, quas recensuit lib. I. non esse alium Iesum et alium Christum; nec Christum descendisse in Iesum dum baptizaretur. Quod et Cyrillus Hierosolym. (Catech. 10.) his verbis attingit: *Multae sunt Salvatoris appel-*

lationes; et ne propterea multos putemus esse Filios, et propter errores haereticorum dicentium alium esse Christum, alium Iesum, profitere bene: Credo in unum Dominum Iesum Christum. Quamvis enim multae sunt appellationes, sed unum tamen subiectum etc. — Non secundum gloriam] Vulgata editio, *non secundum visionem oculorum,* quae conformis est veritati hebraicae. Septuaginta, quos sequitur ut plurimum Irenaeus: *Non secundum gloriam iudicabit, neque iuxta sermonem arguet. — Nam secundum id*] Docet, Christum non secundum id quod Deus est, unctum esse in tempore oleo spiritali, id est, omnis scientiae et gratiae plenitudine; verum, secundum id quod homo est. Unde et Tertull. lib. de Baptismo: *Christus dicitur a chrismate, quod est unctio, quae Domino nomen accommodavit, facta spiritalis, quia Spiritu unctus est a Deo Patre etc.* De hoc rursus infra capite 20.

p.451. GRABIUS: *Fructum dignum poenitentiae*] In vulgatis quidem s. Matthaei codd. graecis nunc legimus *καρποὺς ἀξίους.* Olim autem in singulari numero scriptum fuisse *καρπὸν ἄξιον,* praeter hunc Irenaei locum et varias versiones aperte docet Origenes Tom. VII. Comment. in Ioannem pag. 119. ubi postquam dixerat a s. Matthaeo Ioannem baptistam introduci loquentem ad Pharisaeos et Sadducaeos; a Luca vero narrari, quod turbis ad baptismum confluentibus poenitentiam praedicaverit, porro id quoque observat: *πρὸς μὲν τοὺς Φαρισαίους καὶ Σαδδουκαίους, ποιήσατε, εἴρηται ἐνικῶς, καρπὸν ἄξιον τῆς μετανοίας· πρὸς δὲ τοὺς ὄχλους πληθυντικῶς, ἀξίους καρποὺς τῆς μετανοίας. Ad Pharisaeos quidem et Sadducaeos* (apud Matthaeum) *numero singulari dictum est: Facite fructum dignum poenitentia; turbis vero* (apud Lucam) *numero plurium: fructus dignos poenitentia.* Vide Huetii Annotationem ad hunc locum.

p.452. MASSUETUS: *Et vocabunt*] Sic nostri N. T. codd. et D. Leo cit. Origenes, Chrysostomus, Theophylactus et alii. In MSS. quibusdam, iuxta Graecum LXX. *καλέσεις, vocabis.* Vetus Italica *vocabit.* Cyprianus loco cit. *vocabitis.* At, Hieronymo teste in cap. 7. Esaiae. vera Matthaei lectio est *vocabunt,* ut et paullo ante *in utero habebit. In multis testimoniis,* inquit, *quae evangelistae vel apostoli de libris veteribus assumserunt, curiosius attendendum est, non eos verborum ordinem secutos esse, sed sensum. Unde et in praesenti loco pro* concipiet in utero, *Matthaeus posuit,* in utero habebit; *et pro* vocabis, vocabunt. — *Ab evangelio*] Sic iterum Clarom. cod. et Feuard. in marg. melius quam ceteri omnes *ab angelo.* Nam post citata evangelii testimonia ita concludit Irenaeus. Et cap. seq. n. 6. post laudata Marci et Lucae testimonia, sic iterum concludit: *Sic quidem unus et idem Deus et Pater est, qui a prophetis quidem annuntiatus,*
p.453. *ab evangelio vero traditus etc. — Bene complacui*] *Bene* non exstat in codd. Clarom. et Voss. neque forte scripsit interpres, secutus veterem Italicam, in qua nec legitur.

CAP. X.

p.454. FEUARDENTIUS: *Ante Deum*] Scopus totius huius loci est, b. Lucam affirmare unicum et solum esse utriusque Testamenti Deum

ac Dominum, qui sit Pater Domini nostri Iesu Christi: sicut idem supra probatum est ex b. Matthaeo. — *Pro ecclesia prophetans*] Nihil insolens est, quod donum simul ac exercitium prophetandi b. Deiparae hoc loco tribuat Irenaeus; quum omnibus modis sanctitate et et donorum Dei copia superaverit Moysi sororem, Deboram, Iudith, Elizabetham, Annam et Philippi quatuor filias, quibus in populo Dei prophetare datum fuit. Deinde, angelus affirmans eam *gratia plenam et inter omnes mulieres benedictam,* hoc quoque donum Dei haudquaquam ei defuisse satis indicat. Adde quod in sancta pentecoste sacro coetui intererat, in quem Spiritu sancto abunde effuso repleti sunt omnes divinis illius charismatibus, utpote donis linguarum, interpretationis sermonum, sanitatum, prophetiae, sapientiae, fortitudinis ac caeteris, quae per apostolum (1 Cor. 12.) enumerantur. Postremo, idipsum quoque tam ex hoc Isaiae loco, *Accessi ad mulierem prophetissam,* quam ex verbis illius Cantici solide comprobat Basilius Magnus (in cap. 8. Isaiae). *Si animum accommodaveris universis verbis eius,* inquit, *non contentiose negaveris, eam fuisse prophetissam.* Cui subscribens Ambrosius, ait: *Quo maior persona, eo plenior prophetia.* Nec dubitant Hildephonsus et Rupertus illam, sancto Luca exscribente, dictasse canticum Magnificat: eumque iisdem apicibus ac verbis, quo ipsam proprio ore loquentem audivit, collegisse, ac evangelio suo illud inseruisse. In hoc autem et difficillima et plurima veterum prophetarum loca clarius explicari; et hoc saltem versu, *Beatam me dicent omnes generationes,* illustrissimam prophetiam contineri etiam pugnacissimi quique fateri compelluntur. — *Populo suo*] Graeca Lucae τῷ λαῷ αὐτοῦ in dandi casu, id est, populo suo. Valla sic maluit, quod populus universos civitatis ordines complectatur; plebs autem infima pars sit. — *Uti det nobis*] Graecam lectionem imitatur τοῦ δοῦναι ἡμῖν, ἀφόβως ἐκ χειρὸς τῶν ἐχθρῶν ἡμῶν ῥυσθέντας λατρεύειν αὐτῷ. — *Aufert*] Annotat Chrysostomus dictum esse *tollit,* verbo praesentis temporis, non *tulit* aut *tollet,* quod ab eo semper proficiscatur omnis ablutio criminum, itaque *aufert* reposuimus pro *auferet.* — *Peccatum*] Τὴν ἁμαρτίαν κόσμου, id est, peccatum mundi, placet singulariter legendum esse post Irenaeum Orig. hom. 10. in Numeros; Theoph. Augustino lib. 10. contra Faustum cap. 30. Cyprian. lib. de dup. martyrio. — *Bonae voluntatis*] Ut Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, genitivo casu post Irenaeum constantissime legunt: sic Epiphanius, Chrysostomus, Andreas Hierosolymitanus, Eusebius lib. 4. Demonst. evang. cap. 10. et Theophylactus, graeci auctores, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία, in hominibus bona voluntas, recte. Erasmus residuum cantici huius a Telesphoro adiectum putat, et plus habere verborum quam sententiae; sed eum ab omni veritate deflexisse et prorsus aberrasse constat, quum ad verbum illud complectatur b. Iacobi apostoli Liturgia; et Clemens Pauli collega Petrique successor Constitut. Apol. lib. 4. cap. 47. et lib. 8. cap. 20. Auctores igitur apostolos habuit, ex quorum officina, nisi pietatem et virtutem Spiritus sancti spirans, prodire potuit. — *Hoc idem*] Quod hactenus ex verbis Zachariae, Deiparae et Ioannis ostendit, unicum esse legis ac evangelii auctorem et Deum,

p.455.

p.456

p.457.

p.459.

hoc idem nunc verbis angelorum, pastorum, Simeonis et Annae pro-
p.460. phetissae confirmat. — *Nunc dimittis*] Ἀπολύεις, in praesenti, non ἀπολύσεις, in futuro, habet evangelium; Vetus cod. *dimittit*, inde suspicor *dimittis*, Irenaei litteram olim habuisse, quum infra cap. 18. ita scribat; atque nunc sic constituimus. — *Ierusalem*] Latini codices habent *Israël;* sed graeci omnes cum Irenaeo *Ierusalem* legunt, quod in annotationibus suis signavit Erasmus, hunc Irenaei locum adducens.
p.461. — *Quapropter et Marcus*] Aliquot ex Marci evangelio sumtis testimoniis unum Deum utriusque Testamenti comprobat, eumque Patrem Domini nostri Iesu Christi et a prophetis nominibus ac titulis multis praedicatum. Vocat autem Marcum comitem ac interpretem Petri, secutus Papiam, cuius verba recitantur ab Eusebio lib. 3. histor. cap. ultimo. Attingit et Hieronymus in Catalogo. — *In prophetis*] Sic Graeci ἐν προφήταις. Vulgata lectio *Esaia propheta*, quam et in fine huius capitis agnoscit quoque Irenaeus: ut videatur gratam habuisse utramque lectionem.

p.458. GRABIUS: *Bonae voluntatis*] Feuardentius in h. l. notat, graecos quidem Patres Epiphanium, Chrysostomum, Andream Hierosolymitanum, quique primo loco nominari debebat, Eusebium, una cum aliis Luc. II. v. 14. citare: ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία, contra vero *Hieronymus,* inquit, *Ambrosius, Augustinus genitivo casu post Irenaeum constantissime.* Sed multum vereor, ne graecus Irenaei textus habuerit εὐδοκία in nominativo, perinde ut omnibus antedictis graecis antiquior Origenes Tom. I. Comment. in Ioannem pag. 14. neve latinus interpres, vel potius scriba quispiam, latinae Vulgatae auctori-
p.461. tate ductus, posuerit in genitivo, *bonae voluntatis. — Marcus interpres et sectator Petri*] Similiter Papias ex relatione Presbyteri sive Aristionis sive Ioannis, scripsit apud Euseb. lib. III. Hist. eccl. cap. 39.: *Μάρκος μὲν ἑρμηνευτὴς Πέτρου γενόμενος, ὅσα ἐμνημόνευσεν, ἀκριβῶς ἔγραψεν. — Οὔτε γὰρ ἤκουσε τοῦ Κυρίου, οὔτε παρηκολούθηκεν αὐτῷ, ὕστερον δέ, ὡς ἔφην, Πέτρῳ. Marcus, utpote Petri interpres, quaecunque memoriae mandaverat, accurate perscripsit. Neque enim ipse Dominum audierat, vel sectatus fuerat, sed postea, uti dixi, Petrum.* Lege, si placet, de *interpretis* hoc in loco notione, *Nourrii* Apparatum ad Bibliothecam Patrum Tom. II. pag. 641. — *Viam tuam*] Nota, Irenaeum non legisse ἔμπροσθέν σου, *ante te,* quod additum exstat in modernis vulgatis graecis, nec non latinis Bibliorum Codicibus, quum contra duae hae voces desint in Syr. Copt. Persic. Aethiop. versionibus. Neque Origenis Codicem eas habuisse, ex ante dictis Tomis in Ioannem patet, praesertim ex posteriori, ubi non solum pag. 117. verba Marci sine istis allegat, sed et sequenti pag. 118. de evangelista addit: *Ἐπιτομὴν πεποίηται καὶ ἐπὶ τοῦ, ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω τὸν ἄγγελόν μου πρὸ προσώπου σου, ὃς κατασκευάσαι τὴν ὁδόν σου ἔμπροσθέν σου. παρέθετο γὰρ τὸ προκείμενον τὸ ἔμπροσθέν σου. Compendium fecit illorum quoque verborum: Ecce, ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te; additum quippe erat* (a propheta scilicet) *quod positum est: Ante te.* Unde, ut id obiter moneam, corrigenda omnino est, quandoquidem a Clariss. *Huetio* non fuit correcta,

versio *Ambrosii Ferrariensis,* ita sonans: *Addens* (nempe evangelista *ante te), quod positum non fuerat a propheta.* Res contra se habet: addidit quippe propheta, iuxta LXX Interpretum versionem; omisit evangelista, ex sententia scilicet Origenis, et fide Codicum, quos vidit. Nescio autem, utrum revera omissae fuerint ab evangelista voces *ἐμπροσθέν σου,* an potius a scribis, ob recurrens pronomen *σου.* Quare absit, ut e Codice s. Marci eas delendas censeam. Auferendas tamen puto ex textu Origenis lib. II. contra Celsum pag. 60. utpote quem eas non agnovisse, ex citatis ipsius verbis sole clarius elucet. — *Semitas ante Deum nostrum*] *Τὰς τρίβους αὐτοῦ* vulgati Codices graeci et latini habent, ac olim quoque habuerunt, uti patet ex Origene, qui loco supra citato pag. 117 seqq. scribit: *ὅπερ δὲ ἐποίησεν ὁ Ἰωάννης ἐπιτεμνόμενος ο παρέθετο ῥητόν, τοῦτο ἐπ' ἄλλης λέξεως ὁ Μάρκος καὶ αὐτὸς ἐξέφηνεν· ὁ μὲν γὰρ προφήτης φησίν· ἑτοιμάσατε τὴν ὁδὸν Κυρίου, εὐθείας ποιεῖτε τὰς τρίβους τοῦ Θεοῦ ἡμῶν. Ὁ δὲ Μάρκος· ἑτοιμάσατε τὴν ὁδὸν Κυρίου, εὐθείας ποιεῖτε τὰς τρίβους αὐτοῦ. Quod autem fecit Ioannes abbrevians textum a se citatum, id Marcus etiam ipse in alio dicto repraesentavit; quandoquidem dicente propheta: Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri, scripserit ipse: Parate viam Domini, rectas facite semitas eius.* Irenaeus autem, vel saltem eius interpres, in suo evangeliorum Codice ita fere legit, prout nunc in MS. Cantabrigiensi exstat: *τὰς τρίβους τοῦ Θεοῦ ὑμῶν,* loco *ἡμῶν,* quod errori scribae imputandum.

MASSUETUS: *Et venit uti sacrificaret*] Haec explicationis gratia addidisse videtur Irenaeus: neque enim apud Lucam leguntur. — *Omnes dies nostros*] Procul dubio Irenaei codex habebat *πάσας τὰς ἡμέρας ἡμῶν,* nam sic habent codex Alexand. et plures alii MSS. codd. graeci citati in Oxon. N. T. edit. 1675. cum Vulgata nostra et pluribus aliis versionibus. At in hodiernis codd. excusis legitur *πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς ἡμῶν.* — *Ogdoados*] Legendum videtur *ogdoadas,* in nominativo singulari, vel melius *ogdoas,* quo nomine vocabatur Achamoth, ex lib. I. cap. 5. n. 2. et 3. quamquam tamen aliquo sensu dici possit mater ogdoados, quia Demiurgi mater erat, a quo conditi septem caeli. — *Bonae voluntatis*] Nisi interpres, vel librarius quispiam Vulgatam secutus ita scripserit, legit Irenaeus *εὐδοκίας* in gignendi casu. Nec mirum, nam codex Alexand. Cantabrigiensis, aliique citati in Oxon. N. T. edit. habent. *εὐδοκίας;* et ita legunt, Feuardentio teste, Hieronymus, Ambrosius et Augustinus. Graeci vero Patres plerique cum excusis Lucae codd. legerunt *εὐδοκία,* in nominativo. — *Ipsum*] Ita Feuard. in marg. Clarom. et Voss. Alii minus recte *Spiritum.* Nam supra lib. I. cap. 7. n. 2. *in Iesum in baptismate descendisse illum, qui esset de Pleromate ex omnibus, Salvatorem, in figura columbae,* dicebant haeretici. — *Qui est mundi fabricatoris, in quem*] Ita recte Clarom. cod. ceteri omnes perperam: *qui est mundi fabricator, is in quem.* Nam infra cap. 19. de Iesu dicitur *qui est Demiurgi.* A Demiurgo enim, mundi fabricatore, corpus animale accepisse dicebant haeretici lib. I. cap. 8. n. 2. — *Hi qui ab ogdoade*] Ita vetus Feuard. cod. et MSS. Clarom. Arund. et

p.454. p.456. p.457. p.458. p.459.

Voss. nisi quod hic scribae incuria habeat *et* anti *hi*. Reliqui: *et hi iniqui erant ab ogdoade.* Sed priorem lectionem praetuli, quod clariorem sensum pariat arctiusque cum praecedentibus cohaereat. —
p.460. *Dimittis*] Sic ex coniectura reposuit Feuard., quia ἀπολύεις in praesenti, non ἀπολύσεις in futuro habet evangelium. Sed legitimam fuisse coniecturam probat Clarom. cod. in quo legitur *dimittis*, non
p.461. *dimittes* aut *dimittit*, ut habent alii. — *Scriptum est*] Alii minus bene *dictum est;* quia s. Marci textus habet *γέγραπται.* — *In prophetis*] Sic cum Irenaeo habent excusi novi Test. codd. graeci. In MSS. vero quibusdam graecis, ut et in versionibus Vulgata latina, syr. copt. persic. arab. et goth. legitur *in Ezaïa propheta.* Iam ab Irenaei temporibus variasse Marci evangelii codices inde liquet, quod in sequenti capite eadem evangelii verba citans legat, *in Esaia propheta;* nisi quis dicere malit haec a librario quopiam ex Vulgata latina scripta fuisse, quod non abhorret a verosimili. Siquidem Irenaeus infra cap. 16. eadem verba repetens, iterum scribit *in prophetis.* Et quemadmodum hic subiungit: *Manifeste initium evangelii esse dicens sanctorum prophetarum voces;* sic et illic addit: *unum et eundem sciens Filium Dei Iesum Christum, qui a prophetis annuntiatus.* Quibus firmatur coniectura, Irenaeum constanter legisse *in prophetis;* haec vero *in Esaia propheta,* a quopiam addita; quum nihil subiungat, ex quo coniici possit eum hoc posteriori modo legisse. — *Viam tuam*] Addunt vulgati novi Test. codd. tum graeci, tum latini, ἔμπροσθέν σου, *ante te.* An vero haec verba defuerint in Irenaei codice, certo definiri non potest. Id certum, ea deesse in MSS. quibusdam codd. graecis, ut et in versionibus syr. copt. persic. et aethiop. Nec Origenes Tom. VII. in Ioan. p. 117. ea legit. Quinimmo pag. sequenti scribit evangelistam, compendio prophetae verborum facto, omisisse ἔμπροσθέν σου. — *Ante Deum nostrum*] Nostri codices habent τὰς τρίβους αὐτοῦ; et ita scripsisse evangelistam existimat Origenes pag. 117. mox cit. MSS. vero quidam, iuxta Esai. XL, 3. ferunt, τὰς τρίβους τοῦ Θεοῦ ἡμῶν; quod ab Irenaei lectione non procul recedit.
p.462. — *Multus enim et dives Pater, quemadmodum*] Sic auctoritate cod. Clarom. restitui, nisi quod pro *multus* incuria scribae habeat *multos.* Favet et cod. Voss. in quo legitur: *Multo enim et dives Pater.* Alii omnes corrupte et sine sensu habent: *Multis* (Merc. I. *multum*) *enim et diversis.* Genuinam autem esse nostram lectionem demonstrat tum contextus, tum locus huic geminus infra cap. 16. n. 7. ubi eadem verba repetuntur: *Dominus noster unus quidem et idem exsistens, dives autem et multus. Diviti enim et multae voluntati Patris deservit. Multum* autem *et divitem* appellat Patrem, de quo hic sermo, quia infinitus et omni perfectionum genere cumulatissimus est; nec proinde mirum, si licet *unus et idem,* sub *variis significationibus et multis appellationibus annuntietur a prophetis.*

CAP. XI.

p.462. FEUARDENTIUS: *Hanc fidem*] Iam per quartum evangelistam, id est, divum Ioannem, idem asserit quod ex aliis tribus paullo ante praestitit, nimirum, unicum verumque Deum annuntiari a prophetis et

apostolis. — *Qui a Cerintho*] Nicolaum, Ebionem et Cerinthum vivis ipsis apostolis ab ecclesia defecisse eamque nefandis erroribus perturbasse, certum est. Ac de Nicolao referunt Acta et Apocalypsis; de Ebione supra lib. I. cap. 28. et lib. III. dictum est. Cerinthum autem ex iis fuisse aestimat Epiphanius, qui coram apostolis turbationem operati sunt, quando Iacobus scripsit ad Antiochenam ecclesiam: *Novimus quosdam ex nobis ad vos venisse, et turbasse sermonibus, quos non narravimus.* Ex eorum etiam numero cum facit, qui b. Petro restiterunt, quando rediit e domo Cornelii, Actor. 12. et 15. Hos Ioannes etiam in epistolis atro carbone notare certum est, sicut prius evangelio suo in eosdem dimicarat. Porro eorum falsas opiniones habes supra lib. I. cap. 25. 26. 27. — *Sine ipso factum est* p.463. *nihil quod factum est*] Puncto istiusmodi sententiam hanc terminare post Irenaeum placet Chrysostomo et Theophylacto, ut sensus sit: nihil omnino creatum, quod non sit creatum a Patre per Filium. Consuetam vero distinctionem sequuntur ex Latinis Tertullianus adversus Praxeam, Hilarius, Augustinus, Hieronymus, quam Irenaeus quoque paullo post conservat; ex Graecis Origenes, Cyrillus et Nazianzenus Latinorum lectionem probant. — *In sua propria venit*] Pronomen *sua* p.464. habent post Irenaeum Cyprianus lib. I. advers. Iud. cap. 3. et de Orat. Domin. graec. εἰς τὰ ἴδια ἦλθε, quod etiam August. Tract. 2. in Ioann. reddit: *in sua propria venit.* — *Quoniam enim quatuor*] Pia p.467. admodum et erudita est haec speculatio, qua evangelia quatuor adumbrari philosophatur per quatuor mundi plagas; quatuor principes spiritus; Cherubim quadriformia quatuorque Testamenta; idque adversus Marcionitas, qui unicum duntaxat evangelistam volebant esse, ut indicat Origenis (Prooem. in Matth.) primus contra eosdem Dialogus. Irenaeo astipulatur Hieronymus epist. ad Paulinum, Matthaeum, Marcum, Luc. et Ioan. vocans *quadrigam Domini, et verum Cherubim. Rursus per illos quatuor ecclesiam instar paradisi quatuor flumina eructare; quatuorque angulos et annulos habere, per quos, quasi arca testamenti et custos legis Domini, lignis immobilibus vehitur: insuper quatuor haec evangelia Ezechielis volumen, in quatuor animantibus, Apocalypsinque probare.* — *Imagines sunt*] Christi Domini mysteriis p.469. has quoque animalium formas eleganter accommodat Hieronymus Comm. in 1. cap. Ezechielis: de eisdem copiose disserit, et Dionys. Areopag. lib. de Caelesti Hier. cap. 1. 2. 13. 15. et lib. I. de eccles. Hierarch. cap. 4. itemque Andreas Cappadox in Apocal. Ad idem pertinent ii non inelegantes Sedulii presbyteri versus, quibus Christum ita alloquitur:

Hoc Matthaeus agens, hominem generaliter implet,
Marcus ut alta fremit vox per deserta leonis,
Iura sacerdotii Lucas tenet ore iuvenci,
More volans aquilae verbo petit astra Ioannes.
Quatuor hi proceres una te voce canentes,
Tempora ceu totidem latum sparguntur in orbem.

GRABIUS: *Eius quae falso cognominatur scientiae*] Ex hoc textu p.462. Pearsonius loco citato recte probat, iam apostolica tempora peste Gnosticorum infecta fuisse. Si enim s. Ioannes ad retundendum Ce-

rinthi errorem promulgavit evangelium, et si eundem multo prius tenuerunt Nicolaitae, horumque parentes fuere Gnostici; certe apostolis
p.463. coaevi fuerint, necesse est. — *Quod factum est, in ipso vita erat*] Ita s. Ioannis textum iuxta Codd. Arund. ac Voss. distinguere placuit, ex mente non solum Tertulliani, Origenis, Hilarii, Gregorii Nazianzeni, Cyrilli, Augustini, Hieronymi, sed et ipsius Irenaei: quam satis expressam vides supra lib. I. cap. 19. et lib. II. cap. 2. prope finem, nec non infra in hoc ipso capite. Unde non recte in editt. periodus istis clauditur verbis, *quod factum est;* ac frustra est Feuard. qui utramque distinctionem Irenaeo adscribit in Notis ad hunc locum. — *Non enim concedetur eis,* omnia *dici ea, quae sunt infra Pleroma ipsorum*] Sic Heracleon, *γνώριμος* Valentini, in suo ad haec Ioannis verba Commentario, voce *omnia* exclusit *τὰ τοῦ κόσμου καὶ τῶν ἐν αὐτῷ διαφέροντα, ista quae mundo, inque eo exsistentibus sunt praestantiora,* teste Origene in Comment. ad Ioannem; vel, ut ipsius Heracleonis verba sonant, *τὸν αἰῶνα ἢ τὰ ἐν αἰῶνι, saeculum et quae in saeculo sunt,* id est Bythum cum Sige et Nun cum Alethia. Plura tam Heracleonis, quam Origenis eum perstringentis verba habes in nostro Spicilegio Patrum et Haereticorum Saec. II. Tom. I. pag. 86.
p.464. — *Hic enim operabatur similitudines tales fieri etc. — Demiurgus autem perficiebat* etc.] Videtur Irenaeus respexisse Heracleonis, in citatum s. Ioannis locum commentantis, verba in dicto Spicilegio p. 87. recitata: *Οὐχ ὡς ὑπ' ἄλλου ἐνεργοῦντος αὐτὸς ἐποίει ὁ Λόγος — ἀλλ' αὐτοῦ ἐνεργοῦντος ἕτερος ἐποίει, Non faciebat ipsum Verbum tanquam alio operante — sed ipso operante, alius faciebat;* nempe Demiurgus. Ibidem enim affirmabat Heracleon, *τὸν τὴν αἰτίαν παρασχόντα τῆς γενέσεως τοῦ κόσμου τῷ δημιουργῷ, τὸν λόγον ὄντα, Verbum illud esse, quod caussam generationis mundi praebuerit opifici.* Confer notas Spicilegio subnexas pag. 234. et ipsum Irenaeum
p.465. lib. I. cap. 1. §. 8 et 9 (cap. 4 et 5). — *Ioannes quemadmodum poterat testificari* etc.] Similem in modum argumentatur Origenes in Comment. ad Ioannem pag. 14., cuius verba latine solum adscribere placet: *Subit mihi admirari,* inquit, *quomodo qui ab ecclesiae decretis dissentiunt, duorum Testamentorum duos asserant Deos — Qui enim fieri potest, ut Ioannes evangelii sit initium, ad alterum, ut ipsi putant, pertinens Deum, opificis mundi homo, et ignorans, ut asserunt,*
p.466. *novam Deitatem? — A quo et Nathanaël discens cognovit — A quo et Petrus edoctus, cognovit* etc.] Nathanaëlis et Petri cognitionem, atque confessionem Christi Filii Dei inter se compararunt post Irenaeum Tertullianus et Augustinus; ille lib. contra Praxeam cap. 21. hic Tract. 7. in Ioannem. Verba huius sunt: *Talem vocem protulit: Tu es Filius Dei; qualem tanto post Petrus, quando ei Dominus ait: Beatus es Simon Bar-Iona.* Quae observanda sunt contra eos, qui cognitionem Christi, tanquam Filii Dei, s. Petro propriam faciunt ac peculiarem. — *Ecce Filius meus dilectissimus* etc.] Irenaeus hanc Esaiae prophetiam eodem tenore allegat, quo s. Matthaeus cap. 12, v. 18 seqq. Sed hodie aliter in LXX interpretum versione legitur; immo iam Irenaei aevo, ea isto loco corrupta fuisse videtur. —
p.467. *Ebionaei etenim eo evangelio, quod est secundum Matthaeum, solo uten-*

tes] Quum Eusebius lib. III. Hist. eccles. cap. 27. de Ebionitis testetur, eos *solo evangelio secundum Hebraeos dicto uti;* quumque Hieronymus itidem in cap. 12. Matthaei scribat: *In evangelio* (secundum Hebraeos) *quo utuntur Nazaraei et Ebionitae, quod nuper in graecum de hebraeo sermone transtulimus;* hinc in Spicilegio Patrum Saec. I. pag. 21. conieci, Irenaeum fraude haereticorum deceptum, istud apocryphum pro canonico s. Matthaei evangelio accepisse, quod hoc eadem lingua scriptum esset, prout ipsemet cap. 1. huius libri memoriae prodidit, et quod plerique istud pro s. Matthaei authentico iactarent, teste Hieronymo, loco ante dicto, et lib. III. contra Pelagianos cap. 1. Verum sicut coniecturae mortalium incertae, et quandoque falsae esse solent; ita et hanc meam, aliorumque de Irenaeo suspicionem talem esse, iam deprehendo. Re quippe iterum iterumque considerata, non tam Irenaeum, quam Eusebium, saltem Hieronymum, omnesque modernos scriptores in errore versatos deprehendo, dum evangelium secundum Hebraeos, quod Nazarenos habuisse Hieronymus saepius perhibet, et istud quo Ebionei abusi sunt, pro uno eodemque habuerunt: ac miror, me non olim hunc errorem animadvertisse, dum fragmenta apocrypha colligerem; quorum uno alteroque inter se comparato diversitas utriusque sole clarius elucet. Nam in Historia baptismi Servatoris evangelium Nazaraeorum ita sonabat: *Factum est autem, quum ascendisset Dominus de aqua, descendit fons omnis Spiritus sancti, et requievit super eum, et dixit illi: Fili mi, in omnibus prophetis exspectabam te, ut venires, et requiescerem in te. Tu es enim requies mea, tu es Filius meus primogenitus, qui regnas in sempiternum*; prouti haec verbatim descripsit Hieronymus lib. IV. Comment. super Esaiae cap. 11. v. 2. Sed nihil fere horum profert evangelium Ebionitarum apud Epiphanium Haeres. XXX. §. 13. Ibi enim vox de caelo bis sonuisse dicitur: *Tu es Filius meus dilectus, in te mihi complacui;* additis priore vice ex Psalm. 11. his: *Ego hodie genui te.* Quae propius ad s. Matthaei verba accedunt. Huius itaque evangelio Ebionitas usos esse, iam cum Irenaeo censeo; non tamen incorrupto atque integro, sed variis interpolationibus factis, et resecta inprimis geneologia, ac historia nativitatis Christi, ut ex Epiphanii loco citato apparet. Atque id ipsum Irenaeus forte subindicavit, dum simpliciter eo, *quod est secundum Matthaeum, evangelio utentes* illos dicit, non addens *plenissime,* uti mox de Valentinianis. Nazaraei vero evangelium secundum Hebraeos legerunt: quos ipsos forte indigitavit, loco ante dicto, Eusebius, siquidem Ebionitas duorum generum memorat, ac posteriores Christum ex Spiritu s. et virgine natum credidisse ait, quod et de Nazaraeis Epiphanius Haeres. 29. haud abnuit. Plura hac de re, Deo volente, dicam in addendis ad Spicilegium Patrum. — *Qui autem Iesum separant a Christo* etc.] Cerinthum eiusque sequaces indicat; adeo ut hos Marci evangelium recepisse constet. — *Neque autem plura numero, quam haec sunt* etc.] Ut haec Irenaei argumentatio de quaternario s. evangeliorum numero haud in sinistram accipiatur partem, observandum, priscos tam ethnicorum, quam Iudaeorum et Christianorum philosophos, nixos isto Sapientiae XI, 21. effato, quod Deus *omnia in mensura et*

numero disposuerit, rationes numerorum, quibus quaecunque res determinarentur, inivisse: adeo ut integri de mysteriis numerorum libri ab antiquis et recentioribus viris doctis exarati sint, superstites partim, partim deperditi; atque inter hos Philonis Iudaei Tractatus de numeris, qui loco mox citando et alibi passim ab eo allegatur, sed iniuria temporum periit. Praesertim vero Iudaei in ista fuere opinione, structuram sancti tabernaculi, instinctu Dei, ita comparatam fuisse, ut integram totius mundi, et praesertim hominis fabricam repraesentaret, quemadmodum partim ex Iosepho lib. III. Antiquit. cap. 5. 7. 9. magis autem ex Philonis lib. III. de Vita Mosis patet, ubi generatim pag. 667. hanc in rem ait: *ἦν γὰρ ἀναγκαῖον, ἱερὸν κατασκευάζοντας* (sive ut in MS. Lincolniensis Collegii legitur *κατασκευάζοντα,* ita ut ad Mosen, velut architectum referatur) *χειροποίητον τῷ πατρὶ* (Lincoln. addit *τῶν ὅλων*) *καὶ ἡγεμόνι τοῦ παντός, τὰς ὁμοίας λαβεῖν οὐσίας, αἷς τὸ ὅλον ἐδημιούργει. Nam necesse erat, ut qui sanctum manufactum, parenti rerum omnium et principi huius universi pararent, materias iis, ex quibus mundus conditus est, similes* ad id opus *sumerent.* Unde in sequentibus hoc argumentum per singulas partes prolixe prosequitur, ac inter alia pag. 670. de nomine Dei, laminae aureae pontificis quatuor litteris insculpto, disserens, quaternarii, quem Irenaeus hîc tractat, numeri dignitatem extollit, deque eo *ἐν τῇ περὶ ἀριθμῶν πραγματείᾳ, in tractatu de numeris* se accurate egisse ait. Sed et ulterius processere, ac tabernaculum istud manufactum res caelestes adumbrasse persuasi fuere. Cui rei fidem facit ipse apostolus in epist. ad Hebraeos cap. 8. ubi vers. 5. sacerdotes in templo Hierosolymitano ministrantes *deservire* scribit *ὑποδείγματι καὶ σκιᾷ τῶν ἐπουρανίων, exemplari et umbrae caelestium;* et vers. 2. mentionem facit *tabernaculi veri, quod Deus fixit, et non homo.* Quod sequenti cap. 9. vers. 11. vocat *amplius et perfectius tabernaculum, non manufactum, id est, non huius structurae.* Et vers. 24. *χειροποίητα ἅγια, manufacta sancta,* appellat *ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν, exemplaria verorum,* id est, *ἐπουρανίων,* uti praecedenti vers. 23. loquitur. Neque solum tabernaculum supernum, sed et *Hierusalem caelestem* memorat cap. 12. huius epistolae vers. 22. illam scilicet, *quae sursum est Hierusalem, quae est mater omnium nostrûm,* prout scribit Galat. 4. 26. quam s. Ioannes in spiritu vidit *descendentem de caelo, a Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.* Apocal. XXI, 2. Nihil itaque mirum, si prisci quoque Christiani suam ecclesiam, quaeque ad eam pertinerent, ex una parte cum caelesti Hierusalem rebusque supernis, ex altera parte cum mundo eiusque conditione compararint; rati tam inter opera, quam operationes Dei in regno potentiae, gratiae et gloriae, uti theologi nunc loqui amant, mutuam intercedere similitudinem et altera alteris apte repraesentari. Hac itaque hypothesi nixus Irenaeus, congruum esse statuit, ut quatuor numero essent evangelia. Quippe evangelium pro *columna* et *firmamento ecclesiae* atque fidei habebatur, sicuti non modo hîc, sed et cap. 1. huius libri testatur, dicebatur quoque *Spiritus vitae,* quod scilicet verba Christi recenseret, de quibus ipse Ioannes 6, 63. ait, quod *Spiritus et vita sint.* Quemadmo-

dum igitur aedificia quatuor habent columnas, et mundi machina quatuor cardines, ac quatuor etiam principales spiritus sive ventos, quibus perflatur; ita ecclesiam quoque, tanquam amplam Dei domum, per totum orbem diffusam, quatuor evangeliis, tanquam quatuor sacris columnis inniti, ac quadripartito hoc divinitus inspirato codice, veluti quadruplici spiritu recreari decebat. Neque Catholici solum, sed et haeretici hac similitudine delectabantur, ipsique horum antesignani, Simonis magi sectatores; de quibus auctor praefationis Arabicae ad concilium Nicaenum, quam ex Arabicis Orientalium Codicibus descriptam latine vertit Abrahamus Ecchellensis Tom. 2. concil. Labbei col. 386. haec habet verba: *Sibi autem perfidi isti evangelium effinxerunt, quod in quatuor Tomos secantes, librum quatuor angulorum et cardinum mundi appellarunt.* Neque tamen Irenaeus haec instar demonstrationum proposuit, sed εἰκότως, id est, *merito, convenienter,* evangelia quaternario numero contineri dixit: item, *non capit,* id est, *non congruum erat,* plura aut pauciora esse evangelia. Si vero et plus iusto eiusmodi speculationibus indulsissent atque tribuissent s. Patres, absit tamen, ut instar Chami propterea eos rideamus, sed tempori, quo illi vixere, ac consuetudini tunc receptae talia demus. Saepe una aetas postulat, quae altera repudiat: unde vel intra unius saeculi spatium, in uno eodemque loco, scribendorum librorum, perorandarum homiliarum, et aliorum huiusmodi ratio adeo diversa initur, ut quae prius admirationi erant, postea contemtui habeantur. Atque christiana insuper modestia requirit, ut haud nimium nostro tribuamus iudicio; sed cogitemus, aliquando accidere, ut sapientia Dei stultitia videatur mundo ac mundanis, quum tamen *quod stultum est Dei, sapientius sit hominibus.* 1 Corinth. 1, 25. Cui vero haec non sufficiunt, sed nihilominus Irenaeus aliique Patres, velut simplicissimi idiotae spernuntur, is illud Irenaei lib. V. cap. 20. dictum sibi putet, quod *pluris sit idiota religiosus blasphemo et impudente sophista.* — *Alii vero* etc.] *Cataphryges* sive *Montanistas* procul dubio per- p.478.
stringit, qui docuerunt, *in apostolis quidem Spiritum s. fuisse, Paracletum non fuisse, et Paracletum plura in Montano dixisse, quam Christum in evangelio protulisse*; *nec tantum plura, sed etiam meliora atque maiora,* prout auctor Appendicis ad Tertulliani lib. de Praescript. adversus haereticos cap. 52. scribit. Isti itaque Paracletum eiusque praecipuam virtutem, quae erat *futura annuntiare* Ioan. 16, 13. in apostolis atque ecclesia fuisse negabant, sed Montano demum, ac Priscillae atque Maximillae datum falso iactabant, adeo ut in pseudo-prophetarum numerum merito referantur, tam hic, quam infra lib. IV. cap. 61. ubi aliqua de his addam. Hoc vero loco notandum, istos evangelium s. Ioannis, in quo Servator aliquoties se Paracletum apostolis missurum pollicitus est, repudiasse: siquidem vix a quoquam alio id memoriae proditum reperias.

MASSUETUS: *Infra Pleroma*] Sic omnes MSS. In editt. Eras. p.463.
Gall. et Feuard. *intra Pleroma.* Sed quidvis legas, parum interest, modo *infra* accipias, non pro *subter,* ut perperam accipit Grabius, sed pro *intra,* more scriptorum infimae latinitatis. Hunc enim sensum, non illum, habere hic eam vocem demonstrant tum contextus

opponens *τὸ infra Pleroma τῷ extra Pleroma;* tum ipsa Valentinianorum hypothesis, eorum duntaxat, quae extra Pleroma, non quae intra Pleroma sunt, creationem Demiurgo attribuentium; tum denique
p.464. ea quae fusius explicat Irenaeus lib. II. primis capitibus. — *Per Verbum Dei*] Ita pro *Verbo Dei* reposui ex Clarom. Voss. et Merc. II. nisi quod in his male omissum sit *per*. Nam statim subiungit Irenaeus, iuxta evangelii phrasin, *non per eum factus est;* quod et paullo ante praemiserat. —
p.467. *Ebionaei etenim eo evangelio, quod est secundum Matthaeum, solo utentes*] Non integro, inquit Epiphanius Haer. XXX. §. 13. sed prioribus duobus capitibus mutilo aliisque in locis depravato. Hebraicum vocabant, quia Hebraico, seu potius Syro-Chaldaico idiomate scriptum erat. Idipsum erat quod *secundum Hebraeos* vocat Eusebius lib. III. Hist. ecclesiast. cap. 27. quodque Nazaraeis et Ebioneis commune exstitisse asserit Hieronymus in cap. 12. Matthaei. At non idem utrisque evangelium fuisse contendit Grabius, indeque Hieronymum id asserentem erroris arguit: quia, inquit, historiam baptismi Servatoris non eodem modo refert evangelium Nazaraeorum atque Ebioneorum. Sed id probat duntaxat, evangelium *secundum Hebraeos* ab Ebionitis interpolatum fuisse multisque in locis depravatum, quod cum Epiphanio consentit; non vero absolute et omni parte diversum fuisse ab evangelio Nazaraeorum. Non proinde viro erudito adeo dolendum, quod et ipse aliquando in Hieronymi modernorumque scriptorum sententiam abierit: hanc facile cum sua conciliare potuisset, et a praecipiti
p.470. censura temperare. — *Λόγος*] Verba s. Ioannis haud integra descripsit Anastasius nec *Germanus*. Quum vero hic addat *καὶ πάντα δι' αὐτοῦ,* quae a Grabio omissa supplevi; operae pretium visum fuit ad complendam periodum et intermedia, ab Irenaeo procul dubio scripta, substituere, hamulis tamen inclusa, ne a Germano descripta esse viderentur. Duas nihilominus voces *ὃ γέγονεν,* quas hic addit, resecui: quia ab Irenaeo haud scriptae, utpote ex ipsius sententia ad sequentem versum pertinentes. Desideratur autem in graeco et se-
p.472. quens Irenaei periodus: *Propter hoc .... persona eius. — Marcion totum reiiciens evangelium*] Non totum absolute reiiciebat, qui evangelio Lucae decurtato utebatur. Sed totum reiicere censebatur, qui quibus partibus vellet, fidem denegabat, quasdam admittens, ceteras resecans vel corrumpens. Eadem enim partium omnium auctoritas, quam qui in his pro libito non agnoscit, nec in aliis reveretur. —
p.473. *Alii vero* etc.] Observat doctissimus Tillemontius, Cataphryges sive Montanistas hîc ab Irenaeo perstringi, qui, Augustino teste Haer. 26. Christi de mittendo Spiritu sancto promissa in seipsis plenius atque uberius, quam in apostolis adimpleta fuisse delirantes effutiebant. Isti itaque *prophetiae gratiam ab ecclesia repellebant*, ut sibi solis, seu potius pseudoprophetis suis vindicarent. Hinc Catholicorum coetum, quod novas prophetias reiiceret, ecclesiam psychicorum nuncupabant; suam vero sectam *ecclesiam Spiritus* dicebant, quod Spiritum sanctum in prophetis novis, Montano et Priscilla, loquentem haberet, *spiritalemque merito dici faceret agnitio spiritalium charismatum,* ut misere delusus scribit Tertullianus in libris De Monogamia et De Pudicitia, quos iam Montanista factus edidit. Eo vero probabilius est, Irenaeum

in Montanistas digitum intendere, quod iam Eusebio teste lib. V. Hist. cap. 3. martyres Lugdunenses, quibuscum idem Irenaeus tum presbyter versabatur, epistolis e carceribus ad ecclesias Asiae et Phrygiae, et ad Eleutherium papam scriptis, sententiam, utique damnationis, de novis prophetis tum emergentibus tulissent. Illi ergo dum tertium saltem adversus Valentinianos librum scribebat, ignoti esse non poterant Montanistarum errores: nec enim ante martyrum necem, id est, ante annum M. Aurelii 17 Christi vero 176 aut 177 hunc elucubravit. At iam ab anno 171, ut tradit Eusebius in Chronico, orta erat Montanistarum haeresis. Quod vero asserit Grabius, velut ex Irenaeo, Montanistas evangelium s. Ioannis repudiasse; ad Irenaei verba haud satis attendit vir doctissimus. Neque enim Irenaeus totum ab iis repudiatum fuisse evangelium secundum Ioannem dicit (nisi ad summum eo sensu quo Marcionem totum reiecisse evangelium paullo ante affirmavit), sed *illam* duntaxat *speciem* evangelii Ioannis ab illis *non admitti, in qua Paracletum se missurum Dominus dicit.* Quod ne quidem ad omnes Montanistas extendi potest. Siquidem Tertullianus in suis contra Catholicos libris non tantum evangelium Ioannis citat, sed et hunc ipsum locum cap. 16, 7. allegat, in quo de Spiritu sancto a se mittendo Servator loquens ait: *Quum venerit Spiritus sanctus, ille vos ducet in omnem veritatem;* ut inde probet hoc Christi promissum in Montano adimpletum fuisse. — *Similia patien-* p.474.
tes etc.] Sensus est, istos pseudo-prophetas Spiritum sanctum, de cuius donis gloriantur, amittere: quemadmodum Schismatici, qui, ne peccatorum occultorum communione polluantur, ab ecclesiae communione abstinent, sanctitate, quam aemulantur, excidunt.

CAP. XII.

FEUARDENTIUS: *Petrus igitur apostolus*] Decenti librorum novi p.474.
Testamenti servato ordine, nunc ex Actorum apostol. libro persequetur institutam contra Gnosticos, de Deo uno et vero mundi creatore, ac Patre Domini nostri Iesu Christi disputationem. — *Eligere* [nos *allegere*]] Vet. cod. *allegere* vocabulum iurisconsultis usitatum, quo in coetum adiungere, ascribere, et quasi cooptare significant. Nam et legi dicebantur, qui in senatorum numerum ascribebantur. Suetonius: *Instanti saepius ut civitate donatum in Decurias allegeretur, Tiberius negavit se allecturum.* Ulpianus de Decur. lege Generaliter: *Allegi per electionem in ordinem assumi.* Utitur eodem Lucifer Calaritanus libro primo pro s. Athanasio. — *Oportebat*] Cum graece p.475.
sit ἔδει, melius redditur ab Irenaeo *oportebat* vel *oportuit,* ut est in nostro vet. cod. quam *oportet,* cum vulgari. Nam de re iam peracta loquitur Petrus. — *In caelos*] Hanc vet. cod. emendationem p.476.
lubentius secuti sumus, quod graecus Lucae contextus εἰς τοὺς οὐρανοὺς habeat. — *Saliens*] Quum sanus factus fuit, semel exsiliit, postea p.477.
vero identidem saliit, illud graece dictum est ἐξαλλόμενος, hoc autem ἁλλόμενος, quod recte animadvertit Irenaeus, ut etiam observat illic Erasmus. — *Deus vester de fratribus vestris*] Expunximus *noster* p.478.
et *nostris,* docente latina graecaque Actorum lectione, cum vet. cod. Ceterum hoc Moysis testimonio Christum promissum fuisse, cum apo-

stolis et Irenaeo docent Iustinus resp. ad quaest. 101. Orth. Tertull. lib. IV. advers. Marc. c. 22. Cyprianus lib. I. advers. Iudaeos cap. 18. Clemens Alex. lib. I. Paedogogi cap. 7. paullo diversis licet translationibus. — *Imperfectus igitur secundum hos Petrus*] Expende quo pacto paullo superius asseruit, apostolos post ascensionem Domini per adventum Spiritus sancti perfectos factos fuisse; hîc quoque tanquam absurdum et impium Gnosticis obiiciat, quod Petrum inperfectum et ceteros apostolos censerent imperfectos. — *Philippus autem*] Hunc volunt diaconum fuisse, non apostolum. Reginam vero Aethiopum, quae nomine publico regni eunuchum Hierosolymam miserat, proprio nomine (nam Candaces Aethiopibus, ut Caesares Romanis commune nomen fuit), Lacasan appellatam, Baazenae regis filiam, quae quatuor annis Christo supervixerit, et christianam religionem istius eunuchi opera publice receperit; quae ad hoc usque tempus illic utcunque perseveret, ut ex legationibus regum Aethiopiae ad summos pontifices, Clementem, Leonem et reges Portugalliae, librisque Damiani a Goes, Osorii, Alvari, Iovii et Maffaei certissimum est. — *Missus est in regiones Aethiopiae*] Ut hunc locum ex Irenaeo mutuati sunt postea Eusebius lib. II. Hist. c. 1. et Hieronymus comm. in 53. Iesaiae, sic videtur Irenaeus eundem decerpsisse ex lib. VII. Const. apost. Clementis cap. 47. Omnes siquidem uno ore, iisdemque ferme verbis, hunc indigenis suis Christi evangelium et baptisma annuntiasse, ut ei a Philippo traditum fuerat, affirmant. Additque Abdias, Matthaeum apostolum in Aethiopium profectum, ibidem illum invenisse; Sophronius autem tanto eum studio promulgandae religionis christianae exarsisse testatur, ut in Arabia felici et Taprobana insula evangelizaverit ac glorioso certamine pro Christi nomine obierit. — *Quidam secundum vos*] Uti hîc omittit mentionem poëtarum, quae tamen in codice graeco Lucae habetur, sic fecit postea et Augustinus, explicans aliquot quaestiones in epistolam ad Romanos. — *Poeniteri in ipsum*] Pro *poenitere* dixit. Communis editio: *Ut omnes ubique poenitentiam agant.* *Πανταχοῦ μετανοεῖν* poenitere forte dixit, ut graece *μεταμελεῖσθαι* forma passivi vel deponentis. Est enim locus Act. 17, 31. est Apocalypsis 11, 18. et ad utrumque auctor respexit. — *Angelorum Dei*] Versionem Septuaginta sequitur, ut Basilius lib. 3. contra Eunom. Chrysostomus hom. 60. in Matth. Cyrillus in 53. Iesa. Rufinus in Symbol. et plerique Graecorum et Latinorum. Hebraica sic ad verbum reddit Sanctes: *Statuit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israël.* — *Utraque apta temporibus*] Augustinus lib. 32. contra Faustum cap. 14. et Epist. 5. quae est ad Marcell. idem explicat venusta similitudine sumta a medico, qui aliud cras, aliud hodie aegrotis observandum praecipit, quandoque etiam prohibens quod ante praeceperat. Origenes idem antea praestiterat, ducta similitudine a matre, quae nunc mammis suaviter, postea solidiore cibo liberos pascit, Dialogo I. contra Marcion. — *Quasdam quidem*] Utramque epistolam ad Timotheum, et eam, quae est ad Titum, Marcionem penitus reiecisse scribit lib. V. in eundem Tertull. Ceteras eius corruptiones uberrime suppeditabit Epiphanius contra Haeresin 42. — *Blasphemant fabricatorem*] Blasphemiam adeo horrendam esse in verum Deum,

existimaverunt Patres universi, eum cuiusquam mali auctorem censere; ut liquet ex hoc loco et libro altero adversus Florinum, cui titulum fecit: *Quod Deus non sit auctor malorum;* ut nullum nisi sacrilegum haec dicere pronuntiarint. Prophetarum autem verba ista: *Non est malum in civitate, quod non fecerit Dominus*, et *Ego Deus creans mala*, Augustinus (lib. de duabus anim. cap. 6. et lib. contra Adimantum cap. 26. et 27.) interpretatur non de peccato, sed de poena, Tertullianum secutus, qui de malo supplicii, non autem delicti intellexit. — *Quoniam autem*] Redit ad institutas ex Actis apostol. pro- p.490.
bationes, quod unus sit Deus creator omnium et Pater Domini nostri Iesu Christi. — *A fornicatione*] Nec hîc, nec infra meminit *suffoca-* p.492.
torum, quod tamen exstat apud Graecos; sed et paullo ante addidit: *super eos* et *secundum me*, quibus penitus carent graec. cod. et editio Vulgata. Quae sequuntur: *Et quaecunque nolunt* etc. verbis apostolorum adiicit Irenaeus, quoniam a graecis et latinis nunc editis absunt: tametsi non desint, qui testentur in quodam codice graeco vetustissimo et duobus manuscriptis addi: *καὶ ὅσα μὴ θέλωσιν αὐτοῖς γενέσθαι, ἑτέροις μὴ ποιεῖν.* Ut et apud Cyprianum lib. III. Testimoniorum, cap. 119.: *Et quaecunque vobis fieri non vultis, aliis ne feceritis;* quae etiam postea repetit Irenaeus. — *Cum allophylo*] Sic p.493.
quoque Graecos et alienigenas omnes appellat Tertull. lib. adv. Iudaeos cap. 6. et lib. IV. adv. Marc. c. 37. ex Septuaginta versione. — *Hi autem qui circa Iacobum*] Billius iudicat hîc merum Graecismum p.494.
esse, pro *Iacobus apostolus.* Graeci enim *οἱ περὶ τὸν Ἰάκωβον* dicunt pro *ὁ Ἰάκωβος.* Intelligit autem hoc loco Irenaeus concionem eam, quam Act. 15. post Petrum Iacobus habuit, in qua quibusdam exceptis *ἀδιαφορεῖν*, quod hîc vertitur *libere agere*, gentibus permisit.

GRABIUS: *Traditum*] *Λαβόντες* non agnoscit Irenaeus, uti nec p.476.
cod. Alexandr. neque latina et arab. versiones. — *De fructu ventris eius sedere*] Nota, Irenaeum verba ista, *τὸ κατὰ σάρκα ἀναστήσειν τὸν Χριστόν*, quae in modernis exemplaribus v. 30. exstant, non agnovisse: uti nec in cod. Alexandrino, neque in latina Vulgata, syriaca atque aethiopica versionibus reperiuntur. — *Neque derelictus est apud inferos*] Nostra graeca exemplaria habent: *οὐ κατελείφθη ἡ ψυχὴ αὐτοῦ εἰς ᾅδου.* Verum *ἡ ψυχὴ* omittitur non solum ab Irenaeo, sed et Didymo lib. III. de Spiritu s. inque cod. Alex. nec non latina Vulgata et syriaca versionibus. — *Et Dominum*] *Καὶ Κύριον* legit Irenaeus aut eius interpres, perinde ut Amphilochius in Oratione *περὶ υἱοῦ λόγου*, apud Theodoretum Dialogo III. pag. 166. ac Epiphanius Haeres. LXIX. Arian. §. 42. pag. 764. — *Credo Fi-* p.485.
lium Dei esse etc.] Ex hoc et parallelo loco lib. IV. cap. 40. patet, Irenaeum versum 37. cap. 8. Act. apostol. in Alexandrino aliisque MSS. codd. ipsiusque Chrysostomi Commentario omissum, in suo codice legisse. — *Genus hominum*] Non *ἔθνος*, sed *γένος* legisse vi- p.486.
detur Irenaeus; perinde ut vulgatus interpres et Clemens Alexand. lib. I. Stromat. pag. 315. — *Praefiniens tempora secundum determinationem inhabitationis eorum*] Fallor, an Irenaeus legerit, *κατὰ ὁροθεσίαν τῆς κατοικίας αὐτῶν*, prout in MS. Cantabrigiensi codice

Actorum exstat. Miror autem *προτεταγμένους* vel *προστεταγμένους* hoc loco excidisse. — *Illud quod est divinum, si quo modo tractare possint illud — non longe sit*] *Τὸ θεῖον* quoque habet Clemens Alex. loco citato, et cod. Cantabrig. in quo etiam legitur *ψηλαφήσειαν αὐτοῦ* pro *αὐτόν*, et *ὑπάρχοντος*, non *ὑπάρχοντα*. — *Quidam secundum vos*] Omissa quoque *poëtarum* mentio in MS. Cantabrig. et Aethiopica versione. — *Diem iudicari*] Ex his videri posset, Irenaei codicem Actorum apost. non habuisse *ἐν ᾗ μέλλει*, quae etiam in Cantabrig. MS. desiderantur. — *In viro Iesu, in quo statuit fidem, excitans*] *Ἀνδρὸς Ἰησοῦ* quoque scriptum in cod. Cantabrig. Sed in solo Irenaeo desunt duo verba *παρέχων πᾶσιν*, quae exciderunt forte occasione praecedentis vocis *πίστιν*, quae iisdem litteris terminatur
p.487. ac *πᾶσιν*. — *Stephanus autem*] Idem ex hoc Stephani sermone argumentum contra haereticos nectit Origenes Tom. XIX. Comment. in Ioannem pag. 266, cuius verba latine solum dare placet: *Quod ipse* (Pater Christi) *quidem sit Deus prophetarum, mundique creator, multis ex locis videre possumus; sed in praesentia sufficiat concionem Stephani ex Actis ad populum hunc in modum dicentis videre: Viri fratres etc. et quae sequuntur: per totam enim orationem citra contradictionem cernere licet, prophetarum Deum Patrem esse Christi*
p.489. *Iesu*. — *Quasdam quidem in totum non cognoscentes*] Utramque epistolam ad Timotheum, et eam quae est ad Titum, Marcionem penitus reiecisse scribit lib. V. in eundem Tertullianus. Feuard. Sed et s. Lucae Acta apostolica, atque Apocalypsin s. Ioannis *quasi falsa reiecisse* scribit, non modo auctor Appendicis ad lib. Tertulliani de Praescript. adversus haereticos cap, 51. sed ipse quoque Tertullianus idem testatur; de Apocalypsi quidem lib. IV. adversus Marcionem cap. 5. de Actis apostolorum vero lib. V. contra ipsum cap. 2. ex quo loco illustrandus alter lib. de Praescript. adversus haereticos cap. 22. et 23. Immo de Actis res clara est, ex ipsius Irenaei mox sequenti cap. 14. — *Secundum Lucam autem evangelium et epistolas Pauli decurtantes*] Qui decurtationes hasce atque corruptiones evangelii Lucae ac epistolarum Pauli omnes et singulas cognoscere cupit, legat Epiphanii Haeresin 42 Marcionitarum, atque Tertulliani lib. IV. et V. contra Marcionem, in quorum priori ex eis evangelii s. Lucae partibus, quas Marcion agnoverat, eundem refellit; posteriori autem ex reliquiis epistolarum Pauli adversus eum disputat. Praesertim ex lib. IV. cap. 7. patet, hunc haereticum tribus prioribus Lucae capitibus integris, et maxima quarti parte, resectis, ita evangelium suum incepisse: *Anno quinto decimo principatus Tiberiani Deus descendit in civitatem Galilaeae Capharnaum.* Unde Irenaeo lib. I. cap. 29. dicitur: *id quod est secundum Lucam evangelium circumcidens, et omnia quae sunt de generatione* (nativitate) *Domini conscripta, auferens.* Dum vero mox addidit: *et de doctrina sermonum Domini multa auferens, in quibus manifestissime conditorem huius universitatis suum Patrem confitens Dominus conscriptus est;* respexit praecipue ad versum 21. capitis 10. Lucae: *Confiteor tibi Pater Domine caeli et terrae* etc., ubi vocem *Patris* expunxit Marcion, ut ex Tertulliani lib. IV. cap. 25. liquet; cum quo confer Epiphanium in dicta Haer. 42

Confutat. 22. — *In altera conscriptione*] Respexit hunc locum Eusebius lib. V. Hist. cap. 8. ita de Irenaeo scribens: *Ἐπήγγελται δὲ ὁ αὐτός, ἐκ τῶν Μαρκίωνος συγγραμμάτων ἀντιλέξειν αὐτῷ ἐν ἰδίῳ σπουδάσματι. Idem vero pollicitus est, se ex propriis Marcionis libris eum peculiari opere refutaturum esse.* — *In vobis*] p.491. Edita Actorum apost. exemplaria habent *ἡμῖν*. Sed MS. Alex. *ὑμῖν*, quomodo et lib. VI. Constit. apost. cap. 12. atque apud Chrysostomum legitur. — *Domini nostri — nos posse*] *Ὑμῶν* in nostris Bibliis graecis non legimus; legit autem post Irenaeum interpres Syrus et Aethiops. Reliquae duae voces *nos posse* explicationis ergo additae sunt. — *Deus excogitavit accipere ex gentibus populum nomini suo*] Omissae sunt duae, quae in editt. Act. apost. exstant, voces *πρῶτον* et *ἐπὶ*, quarum posteriorem nec collector Constit. apostol. loco citato, nec Chrysostomus et Theophylactus in Comment. agnoscunt, neque manuscript. Alex. habet. — *Et sic*] Pro *τούτῳ* Irenaeus vel inter- p.492. pres eius legit *οὕτως*, quomodo etiam primitus in cod. Cantabrig. scriptum fuit, sed recentiori manu correctum. — *Faciens haec*] *Ταῦτα πάντα* sonant nostra Actorum apost. exemplaria. Sed *τὰ πάντα* non legerunt Vulgatus et Aethiops interpretes, nec auctor Constit. Apost. neque exstat in cod. Alexandr. — *Cognitum a saeculo est Deo opus eius*] Similiter MS. Cantabrig. *γνωστὸν ἀπ' αἰῶνός ἐστι τῷ Κυρίῳ τὸ ἔργον αὐτοῦ.* — *A sanguine: et quaecunque nolunt* etc.] Quemadmodum Irenaeus vel eius interpres, hîc et paullo post; ita et cod. Cantabrig. utroque in loco omittit, *καὶ πνικτοῦ*, atque addit: *καὶ ὅσα μὴ θέλωσιν ἑαυτοῖς γίνεσθαι, ἑτέροις μὴ ποιεῖτε*, posteriori loco *ποιεῖν*. Agnoscit quoque hanc appendicem Cyprianus lib. III. ad Quirinum cap. 119. non autem Clemens Alex. lib. II. Paedagogi cap. 7. pag. 172. neque Pseudo-Clemens Romanus loco ante citato.

MASSUETUS: *Ostendimus apto in loco*] Scilicet libro V. huius p.487. operis, in quo Pauli *sententiam examinat, et apostolum exponit*, ac pravas haereticorum interpretationes refellit, ut facturum se pollicetur in praefatione illius libri, et cap. ult. libri IV. nisi librum contra Marcionem intelligat, in quo haereticum ex iis, quas admittebat, Pauli epistolarum partibus confutaturum se promiserat. — *Hi autem qui* p.494. *circa Iacobum apostoli*] Graecismum esse notat Billius: *οἱ περὶ τὸν Ἰάκωβον ἀπόστολοι* pro *ὁ Ἰάκωβος ἀπόστολος, Iacobus apostolus.* Grabius vero hîc cum Iacobo reliquos simul apostolos intelligit, quia, inquit, sequitur: *Ipsi vero scientes* etc. At plurali adhibito numero in priori periodo, quid aliud ex constructionis lege sequi poterat in posteriori, nisi pluralis numerus? Sed clarissimum virum fefellit aliud, quod haud satis attentus notat Billius; scilicet, Irenaeum hoc loco intelligere concionem eam, quam Act. XV. post Petrum Iacobus habuit. Neque enim ad eam concionem ullatenus respicit ss. antistes, sed ad eum, quo se circa legalium observationem gerebat, modum Iacobus apostolus. Hancque fuisse Iacobi prudentem oeconomiam asserit, ut gentiles quidem *libere agere permitteret*, id est, ad legalium observationem haudquaquam adigeret: *ipse vero sciens eundem esse Deum* utriusque Testamenti auctorem, *perseveraret in pristinis observationibus* legalibus, ne scilicet Iudaeorum animos in ipsa urbe,

quae iudaicae religionis sedes hactenus exstiterat, exasperaret (quod ex Eusebio aliisque monumentis ecclesiasticis certum esse constat): indeque factum, ut Petrus et ipse, qui antea et verbis et factis Mosaicam legem ad salutem non esse necessariam ostenderat, *quum advenissent quidam* a Iacobo, timens ne culparetur ab apostolo, quem Iudaicorum rituum observantissimum esse sciebat, a gentilium convictu sese subduxerit; quod ecclesiam conturbavit, ut refert Paulus Galat. II, 11 et seqq. Iam viderit Grabius, quam prudenter ex eo auctoris nostri loco concludere se posse existimavit, *Irenaeum hoc loquendi genere primatum inter apostolos s. Iacobo tribuisse, tanquam episcopo Hierosolymitanae ecclesiae.* Dormiat necesse est quisquis primatum eo in loco expiscetur, quem conscribens auctor, de primatu sive Petri, sive Iacobi, sive alterius cuiusvis ne *κατ' ὄναρ* quidem cogitavit.

CAP. XIII.

p.495. FEUARDENTIUS: *Eos autem qui dicunt*] Ostendit non solum Paulum veritatem agnovisse, sed huius cognitionem ac professionem cunctis apostolis fuisse communem; alias frustra in universum mun-
p.496. dum ad eam propagandam missi fuissent. — *Ad horam cessimus*] Ita legunt omnes codices; nunc Pauli littera graeca et editio vulg. cum negatione: *Neque ad horam cessimus,* sicque interpretantur Augustinus, Chrysostomus, Theodor. et Hieronym. in posterioribus comment. ad Galatas. At idem ipse in prioribus commentariis et postmodum Primasius indicant quaedam exemplaria non habere *οὐδέ,* quod et omittit Ambrosius. Tertullianus libro V. adv. Marc. cap. 4. velut nodum dissolvens, et utramque probans lectionem, fatetur Paulum ad aliquod tempus cessisse, Timotheum, circumcidendo, et rasos introducendo in templum, faciendo se Iudaeis Iudaeum, ut Iudaeos lucrifaceret: non autem in perpetuum (Actor. 16., Actor. 21., 1 Cor. 9.).

p.496. GRABIUS: *Ad horam cessimus*] Quod de Tertulliano ait [Feuardentius], eum utramque probasse lectionem, falsum est. Quippe is negativam non ex suo, sed Marcionis Codice affert, huncque *vitiationis Scripturae* accusat, ipse pro affirmativa contendens, quam et Irenaeus noster habet. Sed hîc in alio prorsus sensu quam Tertullianus verba apostoli accepit, *subiectionem* ad apostolos referens, quasi Paulus dixerit, se suam doctrinam pro tempore apostolorum iudicio, ad quod adversarii provocaverant, submisisse, ut illius veritas ab ipsis confirmaretur. Qui sensus ad auctoritatem apostolorum, quam Irenaeus contra haereticos hîc probandam suscepit, multum confert. Ceterum quae lectio genuina a s. Pauli manu profecta sit, definire non est huius loci, neque mearum partium.

p.496. MASSUETUS: *Patrem; Filio*] Hic quidpiam e textu excidisse nemo non videt, alterum scilicet comparationis inter Paulum et reliquos apostolos membrum; quod tamen facile suppleri potest. Id enim vult, quod *sicut Paulus* constitutus fuit *apostolus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum et Deum Patrem:* sic et alii apostoli a Filio electi sunt, a Patre autem edocti; *Filio quidem adducente eos ad Patrem, Patre vero revelante eis Fi-*

lium. — *Ad horam cessimus subiectioni*] Negationem praemittunt nostra N. T. exemplaria tum graeca, tum latina: *Neque ad horam cessimus.* Sed priorem lectionem fuisse antiquae versionis Italicae ex eo mihi constat, quod Tertullian. lib. V. cont. Marcion. cap. 5. nedum pro eo contendat; sed et quum negativam protulisset ex Marcionis codice, hanc esse *vitiationem Scripturae* dicat. Deinde Hieronymus et Ambrosiaster observant, id discriminis inter graecos et latinos sui temporis codices exstitisse, quod illi negationem praemitterent, hi omitterent. Denique vetustissimus noster San-Germanensis Paulinarum epistolarum codex graeco-latinus, veterem Italicam, doctissimorum virorum iudicio, exhibens, cum Irenaeo habet: *ad horam cessimus.* — *Inveniet eos qui praedicti sunt a Paulo annos concurrentes*] p.497. Paulus ipse cap. 1. epistolae ad Galatas scribit se statim post conversionem in Arabiam profectum, tum post annos tres Hierosolymam venisse, ubi quindecim dies duntaxat moratus abiit in partes Syriae et Ciliciae. *Deinde,* inquit cap. 2., *post annos quatuordecim iterum ascendi Hierosolymam cum Barnaba;* ut nimirum de Mosaicae legis observatione, de qua controversia mota fuerat Antiochiae, cum aliis apostolis tractaret; quod in concilio Hierosolymis celebrato factum est. Iam si tres et quatuordecim annos a Paulo memoratos colligas, summa fiet annorum septendecim; quod apprime quadrat ad epocham concilii Hierosolymitani. Paulus enim Christo nomen dedit sub finem anni Christi 34, Hierosolymam tum primum venit anno 37. Exinde si numeres annos quatuordecim, incides in annum 51. quo Hierosolymam iterum ascendit, concilio ibi celebrando adfuturus. Quas perspicuae huic computandi rationi difficultates opponunt Pearsonius in *Annalibus Paulinis,* et Hammondus in suis in epistolam ad Galatas notis, solvere non est huius loci. Lege sis eruditas doctissimi Tillemontii notas in D. Pauli vitam Tom. 2. Commentar. in Hist. eccles. not. 5. et 7.

CAP. XIV.

FEUARDENTIUS: *Quoniam autem*] Docet, beatum Lucam Pauli p.497. comitem individuum et sedulum cooperatorem Gnosticorum Aeonum aut Pleromatis nunquam meminisse, quandoquidem nec a Paulo de his quidquam audivisset vel didicisset. — *Post discessum meum*] Ita p.498. vetus codex, et lectio graeca *μετὰ τὴν ἄφιξίν μου.* Itaque delevimus *nostrum.* Et continuo *λύκοι βαρεῖς,* recte Irenaeus reddit *lupi graves:* vulgata editio *rapaces.* — *Sic apostoli*] In eos haec dicun- p.499. tur, qui apostolos diversa et pugnantia pro variis auditoribus annunciasse, aut minus instructos a Spiritu sancto praecones missos fuisse volebant; quos acerrime refellit etiam Tertullianus libro de Praescriptionibus cap. 6. et 7. — *Contemplatores*] Graece *αὐτόπται τοῦ λόγου.* — *Si quis autem refutet*] Praeoccupatione usus, docet Lucam non ignorasse altissima divinaque mysteria, quippe qui praecipua tam evangelio quam Actorum libro memoriae mandaverit, ut ex subiectis manifestum quoque facit. — *Et pseudoprophetis*] Nam graece legitur *ψευδοπροφήταις;* vulgata editio *prophetis.* — *Expostula-* p.500. *bunt animam*] Cyprianus in oratione Domini: *Stulte, hac nocte ex-*

postulatur anima tua. Tertullianus libro quarto adversus Marcion. *reposcent.* Graece est *ἀπαιτοῦσι.*

p.497. MASSUETUS: *Et parasema navium*] (Id est, insignia navium) Sic recte Clarom. et Voss. Ceteri MSS. codd. corrupti; nec emendatiores Erasm. Gall. et Feuard. editt. in quibus legitur *et Patarense navigium.* Siquidem constat ex Actor. 27. et 28. Paulum in Italiam navigantem, navi primum Adrumetina, deinde Alexandrina, nunquam vero Patarensi usum fuisse. Alexandrinae vero navi, qua a Melita insula Puteolos transfretavit, *παράσημον* seu insigne erat Castor et Pollux. Et idipsum est quod exprimere voluit interpres per *para-*
p.498. *sema navium.* — *Episcopis et presbyteris*] Sic graecam vocem *πρεσβυτέρους* Act. 20, 17. quam reddidit Vulgatus interpres *maiores natu,* recte interpretatur Irenaeus. Episcopos igitur a presbyteris distinguit, nec eum esse existimat huius sacrae Scripturae loci sensum, episcoporum et presbyterorum unum et idem exstitisse nomen, gradum et ordinem. Nec his contentus sanctissimus praesul addit, episcopos illos et presbyteros non *ab Epheso* tantum, sed *et a reliquis proximis civitatibus convocatos* fuisse. Quos ergo postea compellat episcopos apostolus, non erant Ephesini duntaxat presbyteri, ut Scripturae verba detorquentes cavillantur Puritani, sed Ephesi et reliquarum proximarum civitatum episcopi.

CAP. XV.

p.501. FEUARDENTIUS: *His qui Paulum*] Ebionaeos intelligit, quos Paulum ut legis apostatam recusasse recensuit lib. I. cap. 26. Persequitur autem alteram partem superioris dilemmatis. Si Gnostici universum ac integrum b. Lucae scriptum admiserint, iam ex eo discent, Deum unum et verum cum b. Paulo locutum, et hunc ab eodem lectum et missum ad erudiendas gentes de Christo vero Dei filio. Propterea etenim multa ab aliis evangelistis praetermissa nuntiavit, ut et ipsi de Pauli vocatione et laboribus testificanti fides haberetur. — *Hoc enim fictorum*] Quam vere isthaec cunctis haereticis conveniant, cum historiis ecclesiasticis testantur Patrum omnium monumenta. Marcionitas carnis resurrectionem imaginaria significatione distorquentes; hacque specie Catholicos in colloquiis decipere solitos scripsit Tertullianus (lib. de Resur. carn.), quasi et ipsi resurrectionem admitterent. Nota est Arii scelerata vafricies, qui imperatori Constantino fidei professionem, verbis quidem Catholicorum consarcinatam, at sensu longe a mente eorum abhorrentem, exhibuit. Sed de his
p.502. iam quaedam in lib. I. observavimus. — *Sine fuco autem*] Proverbium simile ex Euripide citatur a Seneca epist. 49. *Veritatis simplex est oratio. Impostorum est enim, verborum lenociniis mendacia fucare: simplex autem veritas ficus ficus, ligonem ligonem appellat.* Basilius Homil. de Mamante martyre: *Nuda est veritas, absque patrocinio ipsa seipsam declarans.* De his plura in praefationem libri primi. — *Quasi parvum ovum* (nos *parvam ovem*)] Per parvum ovum, *οὔριvον ᾠόν,* quod *urinum ovum* aptius transferretur, interpretem reddidisse Billius exstimat. Qui enim se haereticorum commentis totos tradunt, hi subventaneis et inutilibus ovis comparari non imme-

rito queant. *Deditum autem seipsum praebere,* pro: sese totum tradere ac mancipare, ad Graecorum morem accedit, qui ἔκδοτον ποιεῖσθαι dicere consueverunt. — *Neque in caelo*] Proverbium est, p.503. cuius ferme simile legitur apud Lucianum in Pseudomante, ὀκτώ μοι χρησμοὺς ἔπεμψεν, οὔτε γῆς, φασίν, οὔτε οὐρανοῦ ἁπτομένους, id est: *Octo ad me misit oracula, sed quae neque caelum, ut aiunt, neque terram attingerent,* metaphora sumta ab his qui in aëre pendent. — *Gallinacei elationem habens*] Proverbium hoc ex alio natum est: *Gallus in suo sterquilinio plurimum potest;* sic enim et isti ob faeces suarum quisquiliarum spiritus atque animos tollebant. — *Nos autem revertamur*] Absoluta de Paulo ac cooperatore eius Luca disputatione, quae velut obiter instituenda fuerat, redit ad praecipuum caput, nimirum, apostolos unicum Deum mundi creatorem toto orbe praedicasse, qui Moysi legem dederat, et populum hebraicum in peculium sibi assumserat; qua doctrina universi Gnosticorum Aeones cunctaeque fabulae evanescebant. — *Nisi solum verum Deum Patrem et Verbum eius*] Primum ex hoc et sexcentis similibus locis observa, Irenaeum nunquam a Divinitate secludere Filium aut Spiritum sanctum, quando de uno et solo vero Deo loquitur, quum Pater, Filius ac Spiritus sanctus sint ille unus et solus verus Deus. Frustra ergo novi Ebionitae, Samosateniani et Ariani ab hoc auctore impietatum suarum patrocinium petunt. Deinde, omnium rerum principatum et dominationem, utpote Creatori, Verbo, id est, eidem Filio Dei tribui, quemadmodum etiam Scripturae testificantur: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo: Pater dedit ei omnia in manus: Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra: Est caput omnis principatus et dominationis etc.* (Matth. 11., Ioan. 13., Matth. 28., Coloss. 1.) quibus sempiterna et una cum Patre eius potestas eademque maiestas significatur et asseritur.

GRABIUS: *Ex ipso*] Hae duae voces aut ab Irenaeo ex memo- p.501. ria hunc librum allegante aut in eius codice a scholiaste quodam additae fuerunt, quibus significaretur ἐκ τούτου scilicet χρόνου, *ex illo ipso tempore,* passiones Pauli initium sumsisse. Quippe mox post conversionem persecutionibus huc illuc iactatus fuit. — *Simu-* p.502. *lantes nostrum tractatum*] *Tractatum* intellige *sermonem* et haec explica per ista in Prooemio lib. I. pag. 3. lin. 2. ὅμοια μὲν λαλοῦντας, ἀνόμοια δὲ φρονοῦντας; nec non illa cap. 17. huius libri: *Lingua quidem unum Christum Iesum confitentes, divisi vero sententia.* — *Institorio*] Id est superbia et elatione animi. Nam *institorium* dici- p.503. tur omne quod ad *institores,* id est praefectos, pertinet. Atqui hi quum sublati plerumque animi esse soleant, hinc inter alios Quinctillanus lib. XI. cap. 1. *tumidum ac sui iactantem et ambitiosum institorem eloquentiae* dixit.

CAP. XVI.

FEUARDENTIUS: *Quoniam*] Cerinthum et asseclas eius intelli- p.503. git, quorum deliria lib. I. cap. 25. et 34. tradidit. Affirmat autem Christum a Gnosticis velut in quatuor partes impie distrahi. quum vere unicus sit Dei et hominis Filius, natus ex Maria virgine, passus-

que pro nobis; et qui aliter sentiunt, excaecatos et summissos esse
p.504.a Satana omnium mendaciorum parente. — *Alii vero*] Basilidis sectatores, de quibus lib. I. cap. 23. Hos acerrime impugnaverat ante Irenaeum Ignatius et ipse martyr. epist. ad Trallia. Tarsen. Philipp. Philadelph. Polycarp. — *Lingua quidem*] Et hic rursus observanda, immo detestanda Gnosticorum fraus, qua verbis quidem aliquantisper recte dicere videbantur, interpretatione vero impure blasphemabant. — *Et quoniam Ioannes*] Toto praesertim huius libri cap. 11. ex Ioannis evangelio asseruit Christum esse aeternum Dei Filium, eundemque numero hominem factum; et non alium esse Iesum, alium Chri-
p.506. stum; nec alium filium Altissimi, alium vero filium Virginis. — *Praedestinatus*] Vulgata editio *segregatus,* et ita legunt Hieronymus, Ambrosius, Theodoretus, August. Primasius; graece est ἀφωρισμένος. — *Qui est Deus super omnes*] Vulgata editio latina *super omnia;* Graeci ἐπὶ πάντων, communiter ad utramque lectionem. Ceterum Erasmus non sine manifesta malitia et impietate in Christum, conatus est huius apostoli loci, *quo Christi aeterna Deitas et maiestas adversus Arianam impietatem* (inquit Theophylactus) *aperte refellitur,* auctoritatem elevare. Primo scribens, Cyprianum lib. II. adv. Iudaeos cap. 6. Dei mentionem omittere: quod tamen codices a Morelio et Pamelio ex vet. manuscriptis emendati et vulgati, insuper et Tertullianus lib. advers. Praxean cap. 13. et 15. et Novatianus lib. de Trinit. cap. 13. et 30. et hic Irenaei locus manifestae imposturae coarguunt. Deinde coniectatur particulam illam *Deus* additam fuisse ab Origenis interprete, aut aliis quibusdam; quod falsissimum esse convincunt superiora Patrum testimonia cunctorumque Latinorum et Graecorum vetustissima monimenta. Stat igitur, stabitque firmissimum et apertissimum pro Christi vera sempiternaque Divinitate, adversus Arianos horumque fautores hoc beati apostoli testimonium. — *Natum* (nos *factum*) *ex muliere*] Graece est γεννώμενον. August. lib. de Trinitate et unitate Dei cap. 3. Cyprianus lib. II. adversus Iudaeos cap. 8. constanter cum Irenaeo *natum* interpretantur: *factum* legunt Tertull. lib. de velandis virg. et Ambrosius lib. I. de fide cap. 6. et Epistola 32. Ser. 5. in Psalm. 118. — *Portante*] His agnoscit ineffabilem eam unitionem, qua duplex natura, omni confusione semota, constat Domini nostri Iesu Christi unica hypostasis; ut unus sit Filius Dei et
p.507. hominis filius. — *Velociter*] Vulgata editio, quae et hebraicae con-
p.508. formis est: *accelera spolia detrahere, festina praedari.* — *Propter hoc et pueros*] Parvulos innocentes intelligit, quorum quatuordecim millia, ut in Liturgia sibi a b. Matthaeo relicta notant Aethiopes, et Graeci observant in Calendario suo, nefanda Herodis immanitate, Christus et ipse puer martyres consecravit. Hos namque Cyprianus et Augustinus appellant *martyrum flores;* nec diffitentur tyrannum plus eis profuisse odio quam profuisset obsequio. Et Tertullianus ait:
p.510. Eos testimonium Christo sanguine suo litasse. — *Et omnia in semet-ipso recapitulans*] Alludit ad hunc Pauli locum Ephes. 1, 10: *Instaurare omnia in Christo,* ubi graecum verbum ἀνακεφαλαιώσασθαι, id est, universam hominum et angelorum salutem, adeoque cunctam omnium rerum caelestium et terrestrium summam ad unum Christum

revocare, ac in eo unico comprehendere. Hieronym. com. in illum locum, verbum *recapitulare* post Irenaeum usurpans, miratur quamobrem in latinis codicibus habeatur *instaurare*. — *Deos quidem plures*] Irenaeum imitatus Cyrillus Hieros. Valentinum triginta *Deorum praedicatorem* vocat. Catech. 6. p.511.

GRABIUS: *Christi autem*] Ex hac citatione indeque deducto argumento patet, Irenaeum nomen Ἰησοῦ, quod in nostris N. Test. exemplaribus graecis expressum exstat, haud legisse, uti nec Vulgata latina, neque persica versio illud habet. — *Non enim ex voluntate — Verbum caro factum est*] Ex hoc loco et cap. 21. huius libri liquet, Irenaeum Ioan. 1, 13. legisse ἐγεννήθη pro ἐγεννήθησαν, quomodo et Tertullianus lib. de Carne Christi cap. 19. et 24. allegavit. p.505. — *Aeternam*] Vocem αἰώνιον, quae in nostris evangelicis codd. non exstat, Irenaeus in suo additam habuisse videtur, ut et Syrus, Arabs aliique orientales interpretes. — *Non sunt ex nobis. Cognoscite ergo* etc.] Haec Irenaeus ex memoria allegasse videtur. — *Derident*] Id est, ridendos propinant. Coniicio autem, Irenaeum hîc in graeco lusisse paronomasia, in verbis καταγελῶσι, *derident* et καταγγέλλουσι, *annuntiant*, quod mox sequitur. — *Consparsus*] Graece πεφυρμένος, uti coniicio, *commixtus*, id est, *intime unitus*, quomodo Plutarcho in Romulo dicitur πεφυρμένη σώματι ψυχή. — *Invisibilis visibilis factus* etc.] Ita plane et s. Ignatius in epist. ad Polycarpum pag. 12. scribit: τὸν ἀόρατον, τὸν δὲ δι' ἡμᾶς ὁρατόν· τὸν ἀψηλάφητον· (supple ex interpolato exemplari, δι' ἡμᾶς δὲ ψηλαφητόν·) τὸν δὲ δι' ἡμᾶς παθητόν. — *Extra dispositionem sunt*] Id est, alieni sunt a gratiosa Dei erga homines oeconomia, nec mysterium incarnationis Dei intelligentes, nec fructum eius percipientes. — *Exierunt*] Εἰσῆλθον habent nostra N. T. exemplaria. Sed ἐξῆλθον cum Vulgato interprete legit Irenaeus; aut huius interpres illius auctoritatem secutus est. — *Videte eos*] Irenaeus βλέπετε αὐτούς, non ἑαυτούς legisse videtur, ita ut haereticos respicere eosque vitare praeceperit s. Ioannes, quomodo Paulus Philipp. 3, 2. βλέπετε τοὺς κύνας, βλέπετε τοὺς κακοὺς ἐργάτας. — *Ne perdatis quod operati estis*] Hinc colligas, Irenaeum iterum contra quam in nostris exemplaribus in suo habuisse: ἵνα μὴ ἀπολέσητε, ἃ vel ὃ εἰργάσασθε, quomodo et Vulgatus, Syrus, Aethiops interpretes, atque Oecumenius in Comment. ad hunc locum expresserunt, et quomodo in codice Alex. scriptum est, alios ut taceam. — *De saeculo*] Ex memoria Irenaeum ita allegasse puto, siquidem omnia exemplaria habent εἰς τὸν κόσμον. — *Qui solvit Iesum Christum*] Dubium est, utrum interpres ex Vulgata latina ita reposuerit, an ipse Irenaeus iam in suo exemplari legerit, ὃ λύει τὸν Ἰησοῦν, quod sane in vetustissimis codd. locum habuisse fidem facit Socrates lib. VII. Hist. eccles. cap. 32. nec dubitare nos sinit post Vulgatum interpretem Tertullianus lib. V. contra Marcionem cap. 16. ubi memorat *Antichristi spiritus, negantes Christum in carne venisse, et solventes Iesum*. Ubi utramque lectionem iungere videtur, tam modo dictam, quam alteram in nostris exempl. ὃ μὴ ὁμολογεῖ τὸν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα, quae maxime confirmatur per epist. Polycarpi ad Philippenses §. 8. — *Gratiae et* p.512.

iustitiae] *Χάριτος καὶ τῆς δωρεᾶς τῆς δικαιοσύνης* habent nostra graeca. Irenaeus autem, perinde ut Origenes Comment. in Ioan. pag. 334. *τῆς δωρεᾶς* haud agnoscunt, quod hae duae voces forte ob recurrentem articulum *τῆς* in illorum codd. per negligentiam scribae essent omissae. Nisi potius dicendum, quod interpres Irenaei, aut scriba eas omiserit, utpote desideratas in antiqua latina Bibliorum versione, sicut ex Augustini lib. I. de Baptismo cap. 13. colligitur. — *In vitam*] Haud puto, Irenaeum legisse *εἰς ζωήν*, sed scribam ita exarasse, quod suum latinorum Bibliorum exemplar ita haberet, prout hodiernum in MS. Claromontano legi, ex doctissimi D. Millii N. T. didici. — *A mortuis*] Haud additur *per gloriam Patris*; sicut et in Tertull. lib. de Resurrectione carnis cap. 47. desideratur: unde ab Italica versione ita posuit interpres, vel potius scriba. Neque enim dubito, Irenaeum *ἔτι* scripsisse, ut nostri N. Test. codd. habent, non *εἴς τι*, prouti latinus interpres vitiose legisse videtur.

p.504. MASSUETUS: *Quoniam omnium qui emisissent eum, haberet vocabula*] Quia superiore *Christo consentiente, unusquisque Aeonum, quod habebat in se optimum et florentissimum conferentes,* hunc emiserunt. Et ea propter dicebatur *τὰ πάντα, omnia.* Supra lib. I. cap. 2. n. 6. — *Receptaculum Christi*] Superioris scilicet. — *Recurrente in Pleroma Salvatore*] In omnibus codd. tum editt. tum manu exaratis legitur *recurrentem in Pleroma Salvatorem.* Quod manifestum librariorum sphalma emendare non dubitavi ex Irenaeo ipso, et Valentinianorum hypothesi, qui ubique passim, et huius capitis initio, et sequentibus, ut alia loca omittam, eum qui est ex dispositione, Iesum distinguunt ab eo Salvatore, qui sursum recurrit in Pleroma, quemque *impassibilem* dicebant.

CAP. XVII.

p.513. FEUARDENTIUS: *Etenim potuerunt*] Apostoli nihil unquam de duplici, triplici aut etiam quadruplici Christo salvatore tradiderunt, quale Gnostici comminiscebantur; sed disertis verbis referunt Spiritum sanctum in specie columbae super eum descendisse (Ioan. 1.), et permansisse velut a prophetis praedictum fuerat. Eundem quoque et apostolis (Luc. 3., Matth. 3.) et ecclesiae et sacramento baptismi efficaciter adfuisse, quemadmodum iidem prophetae, et postea Christus ipse promiserat. Paullo post *requiescet super eum* pro *requi-*
p.514. *escet super me* restituimus ex vet. cod. et Iesaiae contextu. — *Et sicut arida*] Aptissima similitudine necessarium esse gratiae divinae auxilium libero hominum arbitrio ostendit, quam secutus est alicubi Chrysostomus. — *Corpora enim nostra*] Caput hoc diligenter excutienti et perpendenti inter cetera multa occurrunt tria quae de baptismi sacramento Irenaeus affirmat. Primum, formam eius omnino per Christum demandatam esse discipulis, dicentem eis: *Baptizate in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Secundum, hoc sacramentum tantae necessitatis esse, ut sine eo nec Christo adhaerescere, nec in vitam aeternam pervenire valeamus; quod hîc aliquot similibus exemplis ac figuris comprobat Irenaeus. Cui subscribens Tertullianus (lib. de Bapt.) ait: *Lex tinguendi proposita est, et forma praescripta:*

Ite, docete nationes, tinguentes eas etc. D. Augustinus (Epist. 10.) vero scribit: *Dominus Christus apertissime dixit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum caelorum.* Ioan. 3. Exempla Cornelii, discipulorum Ioannis baptistae et aliorum ante susceptum hoc lavacrum sanctificatorum, necessitatem eius comprobant. Hinc rursum Augustinus (lib. III. de origine animae cap. 9.): *Noli credere, noli dicere, noli docere, infantes antequam baptizentur, morte praeventos, pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse catholicus.* Tertium, quod constanter asserit Irenaeus, est huius sacramenti multiplex virtus ac efficientia. Est enim in eo potestas regenerationis et renovationis humanae, unum efficit cum Christo, eo ut caelesti pluvia rigamur et foecundamur, facitque salire in vitam aeternam etc. — *Sed fornicata est*] Non secundas p.515. vel tertias damnat nuptias; sed multorum adulteriorum ream Samaritidem intelligit, licet Athanasius Quaest. 59. ad Antioch. quinque priores maritos legitimos putet. — *Hanc muneris*] Concinna est haec allusio roris illius ad gratiam caelestem et caritatem, quae per Spiritum sanctum diffunditur in corda credentium, alias plus satis arida et sterilia. Id autem praevisum et praesignatum olim a Patribus, nullus inficiabitur, qui Paulo crediderit, affirmanti omnia in figuram antiquis contigisse, legemque umbram fuisse futurorum bonorum. Quod vero ad hanc Gedeonis velleris piam accommodationem attinet Irenaeum imitatur Augustinus Quaest. 49. in lib. Iudicum, lib. 12. contra Faustum cap. 32., lib. de unitate eccles. cap. 5. Comment. in Ps. 45. et 71. Ser. 2. de verbis apostoli: et Ser. 108. de tempore. Ambros. prologo in librum I. de Spiritu sancto: Hieronymus epist. ad Paulinum, de instit. Monachi: Et ex Graecis Theodoret. Quaest. 14. in Iudic. Origenes Hom. I. in Iudic. Haec annotare visum est in Gallasii malevolentiam, qui ut perpetuo Patrum auctoritati detrahat hîc levitatis accusare non veretur beatum hunc martyrem. — *Ut per Spiritum imaginem et inscriptionem* etc.] Quid si nomine imaginis et inscriptionis in baptismo susceptae, hoc loco, signum illud spirituale ac perpetuum animis christianis impressum Irenaeus intelligat, quod alii *characterem* appellant? Libenter enim ad illum etiam refero, quod eiusdem saeculi scriptor Tertullianus (De resur. carnis cap. 8.) dicit: *Caro* (in baptismo sacro chrismatis et crucis signo) *signatur, ut anima muniatur.* Sed nullam mihi cavillationem admittere posse videntur haec Cyrilli Hierosolym. (Catech. 17.) de eodem charactere verba: *Accede ad baptismum, non tantum vultum istum visibilem baptizantium respiciens; sed memineris Spiritus sancti. Hic enim paratus adest obsignare animam tuam, et dare tibi signaculum, quod daemones tremunt, caeleste quoddam et divinum, sicut scriptum est: In quo etiam credentes signati estis Spiritu sancto promissionis* etc. — *Lacte gypsum miscetur*] Proverbium est, non p.516. huic dissimile: *Lethale mulsum;* id omne significans quod boni specie, perniciem affert. Gypsum enim praesens venenum habere docet Plinius libro trigesimo sexto, capite vigesimo quarto; quod quum lacte mixtum fuerit, fallit.

MASSUETUS: *Veritatem. In Dei lacte*] Sic cod. Clarom. melius, p.516. ni fallor, quam ceteri: *Veritatem Dei. Lacte.* Per Dei lac intelligit

verba catholica, quibus erroris gypsum miscebant haeretici. Gypsum enim praesens venenum habere docet Plinius lib. XXXVI. cap. 24. Coniicit Grabius hanc sententiam ad marginem a quopiam adscriptam, in textum inde irrepsisse. Sed forte ipsa verba sunt antiqui illius, quem tacito nomine saepe allegat Irenaeus.

CAP. XVIII.

p.516. FEUARDENTIUS: *Ostenso*] Sic ex veteri cod. restituimus, ut sit anacephalaeosis eorum, quae superioribus dixerat. Expunximus itaque *ostensio*. Scribit autem Filium Dei nequaquam tunc incepisse esse, quum carnem nostram assumsit; sed Patri semper coëxstitisse; hominem vero factum esse, ut id repararetur, quod in Adam amissum erat. Item, unum ac eundem esse Filium Dei et hominis, salutis nostrae auctorem, vere passum pro nobis, ut et apostoli vere passi
p.517. sunt pro nomine ipsius. — *Ut quod perdideramus in Adam*] Videtur asserere, peccato Adae perditam esse in eo ac posteris eius imaginem Dei; quod et Origenes dicitur postea sensisse, scribens Tomo 3. in Genes.: *Homo imaginem Dei, ad quam conditus fuerat, peccando amisit.* Augustinus quoque lib. VI. de Genesi ad litteram cap. 27. et 28. scribit: *Adam per peccatum perdidit imaginem Dei in spiritu mentis impressam, secundum quam creatus est.* Hoc ipsum ante illos tradere videtur Philo Iudaeus, lib. de opificio sex dierum. Sed bene habet, quod Epiphanius ante mille et trecentos annos istam Origenis opinionem inter errores eius recensuit, et Augustinus libro secundo Retractation. cap. 24. priorem sententiam illam emolliens et mitigans scribat, eam non sic accipiendam esse, tanquam nulla remaneat imago; sed quod tam deformis et obscura facta sit, ut reformatione opus habeat. Perditam ergo illam scribit Irenaeus, quantum ad gratiae, iustitiae et pietatis infusa initio clarissima ornamenta, quibus Deum referre debuit; non quantum ad substantiam, ipsumque fundamentum imaginis, ut ex libri quinti capite sexto promtum est colligere. Hoc velut explicans et comprobans ait Augustinus (lib. 6. de Gen. c. 24. et 27.): *Recipimus iustitiam, ex qua per peccatum lapsus est homo.* Et rursum: *Hanc imaginem in spiritu mentis impressam, amisit Adam per peccatum, quam recipimus per gratiam iustitiae.* — *Quia enim non erat possibile*] Sensus est: Necessarium fuisse hominibus Christum redemtorem, quum tanto muneri facere satis nequivisset ullus alius ab eo. Atque hanc esse Irenaei mentem manifestissime indicant ea, quae in calce huius capitis habentur. Irenaeo subscribit Athanasius Orat. 3. contra Arianos, et initio libri de Incarnatione Verbi; sed accurate disputationem hanc pertractat Anselmus duobus libris, quibus nomen dedit: *Cur Deus homo.* D. Petrus apud Clementem lib. I. Recogn. asserit, *impossibile fuisse mortalium mala purgari per alium.* Consentit his verbis Augustinus: *Necesse erat illum hominem esse, qui occidi posset; et Deum, qui mori nequiret.* Lib. 13. de
p.519. Trinit. cap. 14. — *Et periet*] Veter. cod. auctoritate sic pro *pereat* non dubitavimus reponere, quum et graece sit καὶ ἀπολεῖται, et huiusmodi verborum formas prisci scriptores ecclesiastici frequenter usurparint. Arnobius Comment. in Psalm. 20. *Fructus eorum qui*

increduli perseverant, a terra perient. Et in Psal. 71. in tribus lineis quater *floriet* usurpat. Lucifer Calarit. lib. I. pro Athanasio: *Memoria impiorum periet.* Conqueritur Augustinus, quod de ore cantantium suae dioeceseos populorum auferre non potuerit: *Super ipsum autem floriet sanctificatio mea;* adeo huic voci assueverant. Paullo post etiam *decubuit,* loco *discubuit* substituimus ex vet. cod. — *In Christi nomine*] Eadem fere ad verbum docet Ambrosius lib. I. de Spiritu sancto cap. 3. — *Qui flagellari et occidi haberent*] Id est, p.520. flagellandi et occidendi erant. Sic et infra: *et nos quum incipiemus vere pati,* incipere pati, est passurum esse, ut Ioan. 4, 47. ἤμελλε γὰρ ἀποθνήσκειν, *incipiebat enim mori.* Et Luc. 7, 2. δοῦλος ἤμελλε τελευτᾷν, *servus erat moriturus.* — *Qui confunderentur*] Ita fere p.521. legit Tertullianus: *Salvus sum,* ait, *si non confundar de Domino meo. Qui me* (inquit) *confusus fuerit, confundar et ego eius* etc. lib. de Carne Christi. — *Ut etiam martyres spernant*] Observa quam graviter priorum Gnosticorum temeritatem damnet, qui prae se nihili faciebant beatissimos martyres, qui christianae pietatis ergo tot labores subierant. — *Et substent* (nos *sustinent*) *omnia*] Billius legendum putat *substant:* quod verbum quidem barbarum est, sed de graeco ὑφίστανται, id est, sustinent, expressum. Quae autem sequuntur: *quos et concedimus ipsis martyribus,* mendum plane olere; sed quod citra melioris exemplaris opem deleri nequeat. — *Si enim non vere passus*] Hunc errorem ante Irenaeum refellit passim in epistolis Ignatius; postea omnium acerrime Tertullianus toto libro de carne Christi, et in calce libri 4. contra Marcionem. — *Haerere ita-* p.522. *que fecit*] Adorandum mysterium de duabus in Christo coniunctis naturis, illiusque caussas, hoc loco erudite describit; quod et Iustinus martyr non minus eleganter, quam acute praestiterat lib. de confessione fidei et Trinit. Isthaec nominatim ex Irenaeo desumit Theodoretus dialog. 2. usque ad illud: *quia enim ratione filiorum adoptionis* etc.

GRABIUS: *Christum Iesum crucifixum*] Ἰησοῦν in nostris N. p.517. Testam. codd. non legimus; unde et haec verba Irenaeum memoriter citasse dicerem, nisi Clemens Alex. quoque lib. I. Strom. pag. 313. cum hac additione illa allegasset. — *Propheta*] Nec nomen, neque p.518. locum prophetae indicarunt Irenaei editores. Est autem Ieremiae c. 17. vers. 9., ubi LXX habent: καὶ ἄνθρωπός ἐστι, καὶ τὶς γνώσεται αὐτόν; legentes nempe אֱנוֹשׁ non אֱנֹשׁ, uti modo Masoreticus codex habet. Ad Christum autem haec verba applicarunt prisci Patres, inde probantes, *quod homo sit Dominus atque Salvator, secundum dispensationem carnis assumtae,* teste Hieronymo in Comment. ad hunc locum, et animadvertente, *id bono voto eos, sed non secundum scientiam fecisse.* Atqui post Irenaeum nostrum ita fecerunt Tertullianus lib. contra Iudaeos cap. 14. lib. de Carne Christi cap. 15. lib. III. contra Marcionem cap. 7. et Cyprianus lib. II. Testim. contra Iudaeos cap. 10. — *Servare eas, quae ad eum essent, confessiones*] Id est, p.520. *observare,* ne eum coram hominibus negent. — *Concedimus*] Id est, p.521. *committimus,* uti lib. II. cap. 49. et alibi. Explicat autem Irenaeus semetipsum, dum addit, Christum hanc s. martyribus illatam iniuriam vindicaturum, quando una cum illis secundo venerit ad gloriam; ubi

non solum ipse, sed et hi sedebunt iudicaturi mundum, iuxta Apocal. 20, 4. Quem sensum, quum non assequeretur Billius, textum corruptum esse frustra suspicatus est lib. II. Observat. sacr. cap. 5.

p.517. MASSUETUS: *Ascendit*] Sic pro *ascendet* reposui auctoritate Clarom. Merc. II. et Feuard. in marg. quia mox sequitur *descendit*, et vetus noster Pauli epistolarum MS. cod. utrobique praeteritum habet. In ceteris Irenaei exemplaribus legitur *ascendet — descendit*: in nostris vero N. T. codd. utrobique futurum. — *Propter quam*] *Caussam* addunt editt. omnes, sed male. Hanc vocem expunxi auctoritate codd. Clarom. et Voss. — *Et vixit*] Absunt haec ab editis N. T. codd. Sed in pluribus MSS. graecis pro ἀνέζησεν legitur ἔζησεν. Similes prae oculis habere potuit Irenaeus; nisi quod καὶ ἔζησεν
p.518. transposuerit ante καὶ ἀπέθανε. — *Cognoscet*] Sic Feuard. in marg. Clarom. Voss. Merc. I. et Grab. iuxta graecum sacri textus γνώσεται. Reliqui *cognoscit*. Haec verba citantur secundum versionem LXX. Quod vero ad Christum trahantur, non ab Irenaeo tantum, sed et a Tertulliano non semel, et a Cypriano lib. II. adv. Iud. cap. 10. minus
p.519. probat Hieronymus in Comment. in hunc locum. — *Et reprobari*] Duae istae voces huc translatae videntur vel ex Marc. 8, 31. vel ex Luc. 9, 22. Neque enim occurrunt Matth. 16, 21. unde ceterae de-
p.520. sumtae sunt. — *Servare eas quae essent ad eum confessiones*] Id
p.521. est, in confessione nominis eius stare pro virili. — *Confunderentur confessionem eius*] Sic Clarom. Arund. et Merc. II. accedunt et Voss. ac vetus Feuard. cod. in quibus activum *confunderent* incuria librariorum scriptum est pro passivo. At editt. Erasm. Gall. et Feuard. addunt ante *confessionem* particulam *contra*, quam non agnoscunt MSS. — *Quos et concedimus ipsis martyribus*] Id est, quos (haereticos) dimittimus martyribus, ut illatae eorum martyrio ab impuris hominibus iniuriae vindictam reposcant. Hunc ergo locum dum corruptionis arguit Billius, connivens legerit necesse est, haud attentus
p.523. ad ea quae sequuntur. — *Et facere ut et Deus* etc.] Hîc latina procul discrepant a graecis. Ista sonant: *ac Deo quidem hominem sistere, hominibus autem Deum patefacere*. Necesse ergo hic variasse codices, vel alterutrum, aut Theodoretum, aut veterem interpretem, non adeo accurate ipsis Irenaei verbis vertendis studuisse. Quidquid sit, graeci textus clarior sensus esse videtur.

CAP. XIX.

p.524. FEUARDENTIUS: *Rursus autem*] Carpocratem et asseclas oppugnat hoc loco; uberius autem infra cap. 27—31., quorum haereses descripserat lib. I. cap. 24. Adversus hanc haeresin nominatim confligit Iustinus martyr in Dialogo, et postea Tertull. Epiph. Theodoretus. Contendit autem hoc capite Irenaeus, illos nec peccatorum remissionem, nec adoptionem filiorum Dei, immo nec ius beatae resurrectionis assequi, qui Christum filium Ioseph constituunt. Duplex igitur in eo agnoscenda et profitenda est nativitas, duplex natura et substantia in unitate personae. Observandum quoque non modo Irenaei, sed et omnium theologorum sententiam esse, purum nudumque hominem non potuisse redemtionis humanae officium adimplere; sed necesse fuisse, ut id Deus simul et homo per-

ficeret. *Nullatenus,* inquit Fulgentius (lib. de Incarn. et grat. cap. 4.), *humana natura ad auferendum peccatum mundi sufficiens atque idonea fieret, nisi unione Verbi Dei.* Et August. cap. 108. Enchir. *Neque per ipsum liberaremur mediatorem hominum Christum, nisi esset Deus.* Ambrosius quoque in caput 9. ad Hebraeos ait: *Tantum fuit peccatum nostrum, ut salvari non possemus aliquando, nisi unigenitus Filius Dei moreretur pro nobis.* Et Basilius in Ps. 48. *Non homo nudus, sed homo Deus Iesus Christus nos redemit: quia nullus alius poterat condignum afferre pretium.* Plura istiusmodi testimonia comperiet studiosus lector apud Chrysostomum Hom. 10. in Ioan. Cyrillum Alexand. lib. 5. Thesauri cap. 7. et lib. 1. de Fide ad Reginas: Cyrillum Hierosolym. Catechesi 13. Damascenum lib. 3. de Fide cap. 15. et 19. Leonem papam Epist. 13. 81. et 95. Serm. 1. 4. et 10. de Nativitate, Serm. 7. et 8. de Epiphania, et Serm. 1. et 12. de Passione Domini; Anselmum denique duobus libris *Cur Deus homo.* — *Commixti Verbo*] Id est, fide, spe et caritate, necdum Christo adhaerentes. — *Manumiserit*] Ἐλευθερώσῃ, id est, soluto miserrimae omnium captivitatis iugo, in libertatem filiorum Dei asseruerit. Ut enim mancipium dicitur Augustino (lib. 19. de Civit. Dei cap. 15.), qui manu captus, belli iure occidi poterat; sic manumissus, cui libertatis copia fiebat, certis ritibus et verbis istis: *Hunc hominem liberum esse volo.* — *Commixtus Verbo Dei*] Tres has voces Theodoretus desiderat, p.525. indeque forsan alicui viderentur aliunde invectae, nisi codices omnes constanter illas servarent, et non raro infra iisdem verbis uteretur lib. 4. cap. 37. His autem perfectam illam unitionem divinae et humanae naturae in Christo, tanto studio docere et explicare studet, ut verbis aduniendi, adhaerendi, coniungendi, couniendi, assumendi et communicandi, quibus superiori capite usus est, non contentus: nunc et commixtionis vocem usurpet, sed ad superiorum significationem. Ne quis vero hac phrasi offendatur, quasi confusionem quandam naturarum in Domino nostro Irenaeus induceret, animadvertat et bene sentientes alios Patres ab ea non abhorruisse: Dionysius Areopag. *Iesus simplex ex carne humilitatis nostrae ineffabiliter compositus est.* Tertullianus lib. II. contra Marcionem: *Miscentem in seipso hominem et Deum.* Et cap. 12. Apologet. *Nascitur homo, Deo mixtus,* Cyprian. tractatu de vanitate idolorum: *Deus cum homine miscetur.* Vigilius martyr lib. I. contra Eutychen: *Filius Dei ostendere voluit nostri generis naturam per commixtionis individuam unitatem.* Augustinus 4. de Trinit. cap. 20. *Verbo Dei, ad unitatem personae quodammodo commixtus est homo.* Alios multo plures praetereo, quos legendo notes licet. — *Ut adoptionem percipiens*] Erasmus Praefatione in hos libros, existimavit hunc locum prudenter legendum, propterea quod Christum iuxta conditionem humanam adoptivum esse Filium Dei videatur asserere Irenaeus. Et certe hanc sententiam in Elipando Toletanae sedis episcopo, aliquot postea saeculis damnaverunt Paulus Aquilegiensis, Adrianus papa et Synodus Francofordiensis, ad quam, imperante Carolo Magno, ex Gallia, Germania, Italia episcopi circiter trecenti convenerant. Elipandus cum asseclis, libello edito volebat Hilarium, Hieronymum, Augustinum, deinde Eugenium, Hilde-

fonsum et Iulianum Toletanos olim antistites, a suis partibus stetisse; verum, Patrum illorum sententias partim depravasse, partem fictitias supposuisse convictus fuit; et eius error, sanctarum scripturarum et gravissimorum theologorum Athanasii, Nazianzeni, Cyrilli, Hilarii, Hieronymi, Augustini, Ambrosii, Isidori, Paschasii ibidem adductis sententiis, quibus pernegant Christum ullo pacto adoptatum filium dicendum esse, penitus oppressus. Superest ergo ut hîc aut voce adoptionis, quam usurpat Irenaeus, eam gratiam, donum, beneficiumve intelligamus, quibus in unitatem personae, sine ullis suis praecedentibus meritis, humanam nostram naturam ex virgine Filius Dei assumsit. Hoc fusius tibi explicabunt post August. lib. contra Secundinum cap. 5. Petrus Lombardus lib. 3. sent. dist. 10. et quotquot Quaestionibus suis eum locum illustrarunt patres Scholastici. Aut, quod acutis et doctis viris longe rectius videtur, illa Irenaei verba non ad ipsum Christum, sed ad coetum piorum hominum referenda sunt, quos passionis, sanguinis et mortis suae beneficio atque efficacitate in adoptionem filiorum Dei misericorditer assumserit. Istud enim confirmant haec Irenaei verba: *Filius Dei factus est homo, ut homo percipiens adoptionem, fiat Filius Dei.* Et paullo superius: *Ad eos dicit, qui non recipiunt munus adoptionis.* Spectans igitur b. martyr haec apostolorum verba (Ioan. 1., Rom. 8.): *Dedit potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius; accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei:* de nostra in Christo et per Christum
p.526. adoptione loquitur. — *Requiescente quidem Verbo*] Apertissime docet divinae naturae nihil doloris in illa dominica perpessione illatum, quippe quae mutationum universarum expers, his subiici non potest. Hoc idem multis scripturis confirmat Concilium Hispalense, Actione 13. et clarissimis exemplis illustrat Euseb. lib. 4. Demonst. evang. cap. 13.

p.521. GRABIUS: *Commixti Verbo*] Non de communione Spiritus per fidem, spem, caritatem, uti Feuard. explicat; sed de unione carnis nostrae in persona Christi accipienda sunt.

p.525. MASSUETUS: *Ἵνα ὁ ἄνθρωπος τὸν Λόγον χωρήσας, καὶ τήν*] Graeca dissentiunt a latinis. Ex veteri interpretatione liquet Irenaeum scripsisse: *ἵνα συγκερασθεὶς* vel *συγκεκραμένος τῷ Λόγῳ Θεοῦ, καὶ τήν κτλ.* Cur vero Theodoretus verbum *συγκερασθεὶς* vel *συγκεκραμένος* mutarit in *χωρήσας*, nemo facile dixerit. Factum id putat Grabius, quod episcopo Cyrensi ad Nestorii doctrinam propius accedenti displiceret *commiscendi* verbum, quod Eutychis errori, a quo is abhorrebat, favere videretur. Sed inique dictum. Qui enim in istis saltem Dialogis ad Nestorii doctrinam propius accessisse dici potest, qui (ut alia taceam) Dial. II. Cyrillum Alexandrinum cum honore citat, et ea ipsa ex eius operibus depromit testimonia, quibus maxime confoditur Nestorii error? Theodoreto quidem adversus Cyrillum agenti displicuit *commiscendi* verbum: Sed Dialogos scribentis mens erat altera. Nam Dial. II. vocabuli quondam exosi vindicias ex professo suscipit, ostenditque *κρᾶσιν* non semper adiunctam habere *σύγχυσιν* seu confusionem: licet ea, quae coniunguntur, per totum invicem misceantur: ut in aëre ac luce accidit, et in ferro can-

dente; quibus exemplis utitur. Consultius igitur, aequitatis lege sic postulante, dicam Theodoretum vel Irenaei verba ex memoria allegasse, vel interpolatis codicibus usum fuisse. Quod vero *commiscendi* verbum ad explicandam divinae et humanae naturae in Christo unitionem catholice usurpari possit, notissima res ex Patribus, qui ea voce indiscriminatim usi sunt. Unum inter ceteros haudquaquam suspectum, utpote Eutychetis erroribus summe infensum, audire sufficiat. Leo I. est qui Serm. 3. De Nativitate Christi ita scribit: *Nec sic natura in societatem sui Creatoris est assumta, ut ille habitator, illa habitaculum esset; sed ita ut natura alteri altera misceretur. — Τὴν υἱοθεσίαν λαβών κτλ.*] Erasm. in Praefat. ad hunc III. librum ex his verbis colligit, dixisse Irenaeum, *Christum iuxta humanam naturam adoptatum, ut fieret Filius Dei.* Sed temere: nam ex iis quae proxime praecedunt, et quibus hominum caussa Verbum Dei factum esse hominem scribit Irenaeus, evidens est, quod subinde pertexit, non ad Christum, sed ad homines quos redemit, esse referendum. Tum quod statim sequitur: *Non enim poteramus aliter incorruptelam et immortalitatem accipere, nisi adunati fuissemus incorruptelae et immortalitati;* caussam proxime antecedentis sententiae continet, et hanc de hominibus ceteris potius, quam de Christo intelligendam arguit. — *Absorpto autem homine*] Graeca Theodoreti p.526. sic reddenda essent: *opitulante autem* (scilicet *Verbo*) *homini, quum vinceret* etc. Sed pro *συγγινομένου τῷ ἀνθρώπῳ* interpres legisse videtur *καταποθέντος τοῦ ἀνθρώπου,* vel quidpiam simile: quod et ipsum rectum habet sensum. Iis quippe verbis significatur, quod si Verbum, ita exigente nostrae salutis *οἰκονομίᾳ,* sivit ut humanitas perpessionum veluti succumberet iniuriis, id abunde compensavit gloria tum ex ipsis perpessionibus, tum maxime ex divinitatis consortio in illam redundans.

CAP. XX.

FEUARDENTIUS: *Magnanimus*] Ostendit hoc capite Irenaeus, p.527. Deum ex lapsu hominis huic mundo patefecisse, quam sit patiens, benignus, misericors et potens ad salvandum. Hoc ipsum etiam Ionae exemplo comprobat; atque idcirco gravissimam esse hominum ingratitudinem, si tantum beneficium pro dignitate non agnoverint et suspexerint etc. — *Conterritos ab eo signo*] Indicat Ionam praedicasse Ninivitis mira, quae sibi in mari, in ceto et in terra contigerant; quod etiam quibusdam Hebraeorum interpretibus placet, ut nostris in eam prophetiam commentariis signavimus. — *Ut insperabilem*] p.528. Ita et capitis initio: *glorificaret Deum, qui insperabilem salutem ei donasset.* — *Rursus, quoniam neque homo*] Oportuit Salvatorem p.530. mundi esse verum hominem, qui pro nobis pateretur et moreretur; item et Deum, qui peccata remitteret atque salvaret a morte. — *Sine carne*] Angelis corpora propria tribuunt multi antiquorum, ut ex Iustino, Tatiano, Tertulliano, Cypriano, Origene et plerisque aliis apertum est. Alii vero ut Dionysius, Cyrillus, Theodor. Damascenus volunt illos omnino incorporeos et non materiatos esse; quibus accedere videtur hoc loco Irenaeus, licet cap. 70. lib. 4. aliud indicare

videatur. Ignatius item epist. ad Trallianos vocat angelos *incorporeas creaturas.* Basil. hom. *quod Deus non est auctor malorum,* Cacodaemonis naturam ait esse incorpoream. Nazianzen. Orat. 2. de Theologia, de angelorum natura scribit: *ne hanc quidem tametsi corporis expertem, incorporeo modo cernere possumus.* Gregorius Nyssenus libro de vita Mosis, censet angelos natura incorporeos. Epiphanius contra Haeres. 26. appellat daemonem spiritum incorporeum. Chrysostomus Homil. 22. in Genes. adfirmat impossibile esse incorpoream angelorum naturam concupiscentia carnis teneri. Hieronymus denique, epist. ad Avitum, in erroribus ponit Origenis, quod dixerit, daemones ob delicta sua aëriis corporibus vestiri. — *Esaias ait: Et commemoratus est*] Non dubito nomen Esaiae pro nomine Ieremiae in hunc locum irrepsisse, quoniam dixisset ut paullo antea: *Et Esaias rursus:* insuper lib. 4. cap. 39. hunc eundem locum adscribit Ieremiae, lib. item 5. cap. 31. eundem locum, paullo licet aliter citans, Esaiae non meminit. Sed et Iustinus martyr in Dialogo, velut ex Ieremia locum allegat. Scribit porro Iudaeos odio Christianorum sententiam istam, pluresque alias e sacris Bibliis sustulisse. Et revera hic locus nec apud LXX nec apud vulgatam lectionem latinam nunc occurrit.

p.531. — *Deus ab Africo veniet*] Sic cum Irenaeo legit Novatianus lib. de Trin. cap. 12. apud Tertull. idque ex editione Theodotionis, quem testatur Hieronymus vertisse: *Deus ab austro veniet, et sanctus de monte Pharan,* ut nunc legit editio latina vulgata. Docet idem Hieronymus Pharan locum esse vicinum monti Sina et Bethlehem sitam esse ad austrum, in qua natus est Salvator. Montes autem Ephraïm sive Effrem urbi Hierusalem non sunt ad austrum, sed ad septentrionem. Ideo hic melius legi videretur *de monte Pharan,* quam *Effrem,* Novatianus habet *de monte umbroso.* — *Cooperuit caelum*] Haec nova est lectio ex variis translationibus concinnata, et ferme ei similis, quam in iisdem sententiis usurpat Cyprian. lib. 3. adver. Iudaeos cap. 21. quod prudenter animadvertit diligentissimus et doctissimus eius scholiastes Pamelius.

p.529. MASSUETUS: *Et in paternam imponens regulam*] Ut nimirum
p.530. ad sanctitatis Patris regulam homo vitam dirigeret. — *Et capere Patrem donans Verbum Dei*] Haec consequenter, nulla inserta distinctionis nota, ut perperam fit in editt. omnibus, lego. Sic evanescit Grabii coniectura legendum censentis *donantem.* Porro pro *capere* Feuard. in marg. et Voss. habent *sapere.* — *Propter hoc ergo signum salutis nostrae eum, qui*] Haec in editt. omnibus male distincta confusionem pariunt; adeo ut quidpiam omissum esse suspicatus sit Grabius. Sed nihil deest. *Eum* hic, ut et alibi non raro, accipit interpres pro *illud,* et ad *signum in profundum* etc. de quo sub finem capitis praecedentis, totum istud refertur. Ordo verborum est: *Propter hoc ergo ipse Dominus, qui ex Virgine Emmanuel, est illud signum salutis nostrae, quoniam* etc. — *Esaias ait*] Lib. IV. cap. 22. hunc eundem locum adscribit Ieremiae, sub cuius nomine allegatur et a Iustino m. in Dial. cum Tryph. p. 298. Eundem tacito prophetae nomine iterum citat Irenaeus eodem lib. IV. cap. 33. et lib. V. cap. 31. Sed neque apud Esaiam, neque apud Ieremiam, nec in ullo

alio sacrorum utriusque Testamenti librorum legitur. Caussam hanc affert Iustinus m., quod a Iudaeis e sacris codicibus, una cum pluribus aliis de quibus conqueritur, abrasus fuerit. Sed cur hoc et alia quaedam consimilia de Christo testimonia e medio tulerit, aliis vero tam multis longe clarioribus pepercerit inimica Iudaeorum manus, nodus est, fateor, quem non facile solverem. Vereor ut Iustino primum, ac deinde Irenaeo fucum fecerit apocrypha quaepiam Scriptura. Quidquid sit, ille locum ita graece refert: *Ἐμνήσθη δὲ Κύριος ὁ Θεὸς ἀπὸ Ἰσραὴλ τῶν νεκρῶν αὐτοῦ, τῶν κεκοιμημένων, εἰς γῆν χώματος, καὶ κατέβη πρὸς αὐτούς, εὐαγγελίσασθαι αὐτοῖς τὸ σωτήριον αὐτοῦ.* Ubi pro *ἀπὸ Ἰσραήλ* legit Irenaeus, et, ut puto, melius, *ἅγιος Ἰσραήλ.* — *Deus ab Africo veniet, et sanctus de monte Eff-* p.531.
rem] Non levis hic exemplarium varietas. Novatianus lib. de Trinit. cap. 12. legit: *Deus ab Africo veniet, et sanctus de monte opaco et condenso:* quomodo legit et Irenaeus infra lib. IV. cap. 33. In editis *τῶν ὁ* exemplaribus: *ὁ Θεὸς ἐκ Θαιμὰν ἥξει, καὶ ὁ ἅγιος ἐξ ὄρους Φαράν,* Vulgata vero nostra: *Deus ab Austro veniet, et sanctus de monte Pharan.* Quae lectio alteri praeferenda, notarum brevitas examinare non sinit. Lege sis Hieronymum, Comment. in hunc locum.

CAP. XXI.

FEUARDENTIUS: *Non ergo vera est quorundam interpretatio*] p.532.
Iudaeos huius pravae interpretationis auctores una cum Ebionitis, Theodotione et Aquila intelligit; quibus Tryphonem et Carpocratem Iustinus adiungit; Symmachum ex Samaritano proselytum et circumcisum Eusebius et Epiphanius. Et de illis quidem nihil mirum, quum vel Christum nunquam susceperint, vel susceptum semel penitus postea abnegarint. 1. Tribus diversis vocabulis Hebraei eandem fere rem significant נערה *Naarah,* adolescentulam, sed tam virginem, quam corruptam: בתולה *Bethulah,* virginem duntaxat designant, sive anus decrepita, sive adolescentula fuerit: העלמה *Haalmah,* quo matrem Messiae hoc loco vocat propheta, solummodo adolescentulam virginem, eamque cum *ἐπιτάσει* intactam, hominibus absconditam et occultam, ut ipsum etymon indicat. 2. Deinde tribus tantum locis in sacris Hebraeorum litteris העלמה *Haalmah,* cum littera seu articulo ה *He,* invenitur: Genes. 24. quum de Rebecca dicitur: *Ecce, sto iuxta fontem aquae, et erit Haalmah,* id est, virgo *egrediens ad hauriendum* etc. Secundo, Exod. 2. quum de Maria sorore Mosis scribitur: *Et perrexit Haalmah,* id est, virgo *et vocavit matrem infantis.* Tertio demum apud Esaiam hoc in loco: *Ecce Haalmah.* Si igitur duae priores hoc nomine vocantur, quod intactae, absconditae et viris non cognitae essent, procul dubio et tertia haec, qua de agitur. 3. Accedit, quod septuaginta Seniores illi, genere et conversatione Hebraei, hebraicae et graecae linguae peritia clari inprimis, pro *Haalmah* (ut cum Irenaeo Iustinus martyr, Hieronymusque prudenter observant) hoc loco transtulerunt *ἡ παρθένος,* quod omnibus citra controversiam virginem significat; et non *ἡ νεᾶνις,* quod adolescentulam, nec *παιδίσκη,* quod puellam simpliciter denotat. 4. Nec parum partes nostras confirmat Ionathan Usielis filius, paraphrastes Chaldaeus, vir

inter Hebraeos summi nominis et auctoritatis, qui locum hunc reddidit, *Ecce virgo.* Consentit etiam evangelium Matthaei syriaca lingua, id est, hebraica dialecto vulgari primo scriptum, Esaiae locum ita reddens: *Ecce enim virgo.* Lingua quoque punica (quae profecto arabica est) *Haalmah* proprie virgo appellatur, ut, non sine mysterio, totius mundi redemtoris genitricis integritas omnium linguis celebretur. 5. Demum, ut quod tanquam inexpugnabile munimentum in hac re aestimarunt cum Irenaeo, Iustinus, Tertullianus, Basilius, Cyrillus, Chrysostomus, Hieronymus, non omittam; insigne prodigium, miraculum retro actis saeculis inauditum, signumque non vulgare, sed Deo dignum, ac (ut Tertulliani verbis utar) *monstruosam aliquam novitatem, divinus vates Iudaeis pollicebatur: cuius nullam prorsus rationem habet iuvenculae desponsatae quotidianus praegnatus et partus.* — *Theodotion*] Hunc circa secundi Commodi imperium agnitum Epiphanius scribit; Nauclerus, Bergomas, Sabellicus et Platina sectatorem Tatiani, antequam in haeresin incideret, initio constituunt. Marcionis furores deinde insecutum tradit Epiphanius, sed postremo infensum et ipsum illius haeresi ad Iudaeos declinasse; detractoque praeputio, eorum linguae, deinde et privatae Bibliorum interpretationi dedisse operam. Ebionaeum appellat eundem Eusebius lib. 3. Hist. cap. 8. Quem secutus Hieronymus (Praef. in Iob.) inter haereticos iudaizantes annumerat, illumque multa mysteria salvatoris, subdola interpretatione celasse prodit. Refert in catalogum haereticorum Augustinus, quod Christum solummodo hominem dixerit. — *Aquila*] Hic duodecimo Hadriani anno ab ecclesia proscriptus fuit, quod, auctore Epiphanio (lib. de Pond.), astrologicis impensius, quam Christianum decebat, addictus esset. Ignominiam hanc impotenti animo ferens, abnegato Christo, factusque proselytus, circumcidi se passus est, atque inde contentioso studio, linguam hebraeam didicit, et primus post septuaginta, qui ante eum quadringentis et triginta annis apud Ptolemaeum regem sacra Biblia traduxerant, interpretari et ipse tentavit, et in Christianorum odium ex recepta lectione multa pervertit et corrupit; quale est hoc, quod adducit Irenaeus. Idem exemplum ex Irenaeo nominatim recitat Euseb. lib. 5. Hist. cap. 8. additque hanc interpretationem ansam sui erroris praebuisse Ebionitis. Hunc Aquilam diligentem et curiosum interpretem alicubi vocat Hieronymus, alibi vero contentiosum appellat, nec verba solum sed etymologias quoque verborum transferre conatum, atque ita iure reiiciendum. Comm. in 2. c. Ose. et epist. ad Pammachium. — *Suas ipsi comburere Scripturas*] Tanto odio Christiani nominis Iudaeos flagrasse scribit Iustinus martyr (in Dialog.), ut ex sacris Bibliis plurima deleverint, quibus Christum crucifixum, Deum verum et hominem esse, unicumque orbis redemtorem et Messiam promissum, adeo diserte docebatur, ut ea nullis glossematibus possent alio detorquere; qualia sunt quae ibidem subnectit de Esdra, Hieremia et Psalm. 95. e cuius versu decimo deleverunt *A ligno,* quum prius esset: *Dicite in gentibus, quia Domi-*
p.533. *nus regnavit a ligno.* — *Prius enim quam Romani*] Ab hoc Ptolemaeo, usque ad obsidionem primam Hierosolymorum ab exercitu Romano, duce Pompeio, Olympiadas 54, quae annos 136 efficiunt,

numerat Euseb. in Chronico. — *Regnum suum*] Vet. cod. *regnum Dei*, id est, terram toties beatorum Patriarcharum posteritati promissam. Eusebius (lib. 5. Hist.) habet: *Antequam Romani summum totius orbis obtinerent imperium* etc. usque ad illud: *Cum tanta igitur veritate* etc. Eius porro auctoritate, et consensu vet. cod. *ornare* pro *compleri*, *Hierosolymitis* pro *Hierosolymis*, *obediebant enim* pro *qui obaudiebant*, restituimus et immutavimus. — *Ptolemaeus Lagi filius*] Tertull. (Apol. c. 18.) hunc Philadelphum cognominat, simulque appellat Ptolemaeorum eruditissimum. Epiphanius notat hoc factum fuisse anno regni eius decimoseptimo: etenim Nicephorus Constantinop. eum 38 annis imperasse scribit in Chronologia. — *Omnium hominum*] Iosephus 50000 voluminum eam bibliothecam habuisse scribit, 12. Antiq. cap. 2., ubi et totam historiam accurate persequitur. Aristaeas apud Eusebium lib. 8. de Praeparatione evangelica cap. 1. refert, Demetrium Phalereum bibliothecae praefectum regium interrogatum a rege, quot iam libri in bibliothecis essent, respondisse: *Plures quam ducenta millia, sed brevi tempore non fore pauciores quingentis millibus.* — *Septuaginta seniores*] Non defuerunt qui litem moverint de horum numero, dicentes tantum LXX fuisse, non LXXII, propterea quod ita recenseantur tum ab Irenaeo, tum a plurimis aliis auctoribus. Verum attendant velim illud brevitatis caussa fieri, quemadmodum LXXII discipuli praeter apostolos a Christo missi, communius LXX dicuntur: quum tamen ex evangelio, Augustini et Bedae interpretatione, ac Epiphanio hos nominatim recensente, Clementis denique, qui horum partem vidit, Constitutionum apost. lib. 2. c. 59. vere septuaginta et duo fuisse extra omnem dubitationem sit. Ad haec, quum Eleazarus tum summus Hierosolymorum pontifex, ex qualibet gentis suae tribu, sex viros ad hoc elegerit ac miserit, senarius autem numerus duodecies multiplicatus, LXXII conficiat, certus est septuaginta et duorum interpretum numerus. Aristaeas denique eiusdem Ptolemaei a secretis, tot se vidisse, admisisse, fovisse scriptis testatur; quinetiam singulorum nomina per tribus suas ita perscribit: *Ex tribu Iuda*, inquit, *Ioseph, Ezechias, Zacharias, Ioannes, Ezechias, Eliseus. Ex tribu Ruben, Iudas, Simon, Samuel, Adeus, Mathias, Eschemias. Ex tribu Gad, Nehemias, Ioseph, Theodosius, Baseas, Ornias, Datis. Ex tribu Aser, Ionathas, Auxeas, Eliseus, Ananias, Chabrias, Sachus. Ex tribu Nephtalim, Isaac, Iacob, Iesus, Gabareus, Simon, Levi. Ex tribu Manasse, Iudas, Ioseph, Simon, Zacharias, Ioannes, Ionathas. Ex tribu Simeon, Sabatheus, Iason, Iesus, Theodorus, Ionas, Ionathan. Ex tribu Levi, Theodosius, Iason, Iesus, Theodorus, Ionas, Ionathas. Ex tribu Isachar, Theophilus, Abraham, Arsamis, Endemias, Daniel, Some. Ex tribu Zabulon, Ieremias, Eleazar, Zacharias, Baneas, Eliseus, Datheus. Ex tribu Ephraim, Samuel, Iosephus, Iudas, Ioathes, Chabel, Dositheus. Ex tribu Beniamin, Israel, Ioannes, Theodosius, Arsamenes, Abietas, Ezecel.* Et de his hactenus. — *Separans eos ab invicem*] Iustinus martyr (in Dial. et Apol. II.) scribit septuaginta cellularum vestigia, in quibus separatim transtulerunt, Alexandriae sese conspexisse, a quo non dissentiunt Cyrillus Hieros. Catechesi 4. Tertull. cap. 19. Apolog. Euseb. p. 534.

lib. 8. de praeparat. evang. cap. 1. Hilarius, Chrysostomus, Theodoretus, Augustinus 2. de doctrina Christ. cap. 15. et lib. 18. de civit. cap. 42. Quin et prophetico, id est, divino spiritu praeditos fuisse hos interpretes, non dubitat idem Augustinus 15. de Civitate capite decimoquarto et lib. 18. capite quadragesimotertio; licet interdum He-
p.535. braicae veritatis amore, sit illis infestior Hieronymus. — *Restituere populo eam legem*] Magno consensu antiquissimi scriptores hanc sententiam suis calculis probant, velut Basil. epist. ad Chilonem, Clemens lib. 1. Strom. Hieronymus lib. adv. Helvidium, Isidor. lib. 6. Etymol. Sed unius Tertulliani verba hic annotasse sufficiet: *Hierosolymis* (ait) *Babylonica expugnatione deletis, omne instrumentum iudaïcae litteraturae per Esdram constat restauratum*, lib de habitu muliebri c. 3. — *Circa primum*] Subscribit Tertull. lib. contra Iudaeos, Euseb. in histor. et Chronico anno 42 quem sequitur Epiph. contra Haeres. 78. Ptolemaeus ergo trecentis plus minus annis hoc tempus praecesserat. — *Et Matthaeus*] Hieronymus veritati hebraïcae impense devotus submonet, Matthaeum aliquando non sequi Septuaginta translatorum auctoritatem, sed hebraïcam, ut illa duo: *Ex Aegypto vocavi filium meum*, et *Nazaraeus vocabitur*, indicant libro de viris illustribus et
p.536. Comment. in 2. cap. Matth. — *Quemadmodum et ipsi*] Confirmat oraculum Esaiae de virgine Emmanuelem paritura, in beatissima Maria Christum nostrum enixa completum esse. Miraculum porro repromissum nullum fuisset, nisi plane virgo integra inviolataque peperisset. Ceterum, Helvidii nefarium errorem, ex huius evangelii loco perperam intellecto natum, docte et acriter refellunt Hieronymus, Chrysostomus et Hildephonsus Toletanus. — *In profundum inferni*] Vet. cod. *In profundum deorsum, aut in altitudinem sursum.* Quam putarim germanam esse Irenaei lectionem, quum ita habere Septuaginta indicet Hieronym. quorum lectionem hanc cum Irenaeo amplexantur veteres, Iustinus in Dial. Cyprianus lib. 2. advers. Iudaeos cap. 9. Basilius et Cyrillus in hunc Esaiae locum, et Ambrosius Serm. 8.
p.537. in Psalm. 118. — *Emmanuel enim nomen*] Hebraicum nomen est compositum ex עמנו *Himmanu*, id est, nobiscum et אל *El*, Deus; unde constat Christum Deum esse in carne manifestatum. Quo pacto autem Christo Iesu hoc nomen conveniat, et quid Iudaeis ea de re obstrepentibus respondendum sit, disserunt Iustinus martyr Quaest. 135. ad Orthod. et Tert. lib. contra Iudaeos. — *Et in eo quod dicit*] Demonstrat facta Davidi de Christo promissa in virgine Maria completa esse; et Christum per eam verum esse filium David, Ebio-
p.538. nitarum labefactata impia interpretatione. — *Quid enim magnum*] Rabbinorum quidam de rege Ezechia hoc Esaiae vaticinium exponunt; sed iam tunc annos circiter quindecim natus erat. Alii fingunt obscuro cuipiam filiorum Achaz, alii vero eiusdem prophetae filio illud convenire; sed nullus eorum fuit Himmanuel, nec terram universam suo imperio subiectam habuit, sicuti puer ille, quem paullo post idem propheta constituit terrae Dominum. Laudat igitur propheta insigne et inusitatum Dei miraculum, quod de vulgari mulierum conceptu (ut acute vidit Irenaeus) nequaquam faceret. Eadem ratione Tryphonem cum asseclis urget Iustinus (in Dialogo): *Si vulgari more primo-*

genitorum, ait, *nasciturus erat ex coitu, cur tanquam prodigium pollicetur, quod commune est primogenitis omnibus?* Eodem modo Tertull. lib. contra Iudaeos, Basil. hom. de Natali Domini, Cyrillus Ieros. Catech. 12. — *Hoc est enim quod sine manibus*] Ita Danielis p.539. admirabile vaticinium ante Irenaeum Iustinus in Dialogo; et post utrumque Tertullianus lib. adv. Iudaeos; et lib. 3. et 4. adv. Marcion. Hieronymus in 2. caput Danielis; Augustinus tractatu 7. et 9. in Ioannem; et ex Graecis Origenes et Basilius ad Christi Domini ex intacta Virgine nativitatem, non minus pie quam eleganter accommodarunt. — *Propter hoc autem*] Virgae Mosaïcae transformationem, adventum Filii Dei in carnem praesignificasse cum Irenaeo sentiunt etiam plerique antiquorum; quorum verba hunc locum explicabant. Isidorus: *Virga in serpente, Christus in morte: expavit et fugit Moses, mortuus est Christus, et expaverunt discipuli, et fugerunt.* Ambrosius lib. de Salomone: *Moses virgam proiecit in terram, quae et ipsa imago erat corporis Domini, ideo omnium Aegyptiorum potestatem absorbuit.* Pluribus verbis adhuc isthaec persequitur in Ps. 118. et lib. 3. Offic. cap. 14. Subscribunt ei Augustin. Serm. 86. de tempore; Gregor. Nyssen. lib. de vita Mosis, Gregorius Roman. Prosper Aquitanicus, Beda, Rupertus. — *Quemadmodum*] Hunc locum ita videtur aemulari Tertull. (lib. de carne Christi) *Non competebat ex semine humano Dei filium nasci, nisi totus esset filius hominis, non esset et Dei filius, nihilque haberet amplius Salomone, et amplius Iona, et de Ebionis opinione credendus erat.* — *Iechonias autem*] Sixtus Senensis, vir perdoctus et accuratus, scribit, Anabaptistas hoc tam Ieremiae quam Irenaei testimonio abuti, ut probent Matthaeum evangelistam aberrasse in recensenda Christi genealogia, quasi a regibus Iuda et Davide ortus esset per Iechoniam, Salathielem et Zorobabelem; quando ex superioribus Ieremiae ac Irenaei locis constet Iechoniam, qui et Ioacim, in captivitate Babylonica sine liberis mortuum; in eodemque exstinctam omnem stirpem regiam. Respondet vero illos tantummodo loqui de abdicatione a regno, seu orbitate imperii; non de omnimoda sterilitate seu orbitate prolis, quod ex eiusdem Ieremiae verbis istis clarum evadit. *Scribe hunc virum abdicatum hominem, quoniam non augebit de semine eius sedens super thronum David, princeps in Iuda.* Quod autem in Babylone genuerit Salathielem, unde natus sit Zorobabel, praeter quod ex lib. 1. Esdrae cap. 3. vers. 2. et Matthaei cap. 1, 12. constanter asseritur, Philo in secundo Chronographiae testatur, Evilmerodach eduxisse Ioacim cognomento Iechoniam de carcere, et in honorem habuisse. Datum autem ei filium Mesezebeel, cognomento Salathiel, qui anno decimoseptimo post solutam captivitatem dux fuit populi, a quo et Zorobabel. — *Regem* p.540. *Iudaeae*] Id est, tribus Iudae et Beniamin, non totius Israëlis. — *Mortificatum eius*] Cadaver ipsius Ioacim, de quo Ierem. 22. *Sepultura asini sepelietur, et putrefactus, et proiectus extra portas Ierusalem.* Vult autem Irenaeus, quia praedictum erat neminem ex semine Ioacim, ex quo Ioseph sponsus beatae Mariae oriundus erat, sessurum super solium Davidis, Iesum Christum si ab illo genitus fuisset, non potuisse in eo sedere, iuxta verbum angeli, Luc. 1.

Paullo post *inhabitantes* posuimus pro *inhabitantem*, auct. vet. cod. — *Et antiquam plasmationem*] Docet oportuisse Christum redemtorem ex virgine nasci, quoniam Adam praevaricator ex terra virgine formatus fuerat: quod paullo apertius et fusius docet his adversus Iudaeos verbis Cyrillus Hierosol. (Catec. 12.): *Ex corporibus corpora gigni, possibile: sed pulverem terrae hominem fieri, hoc multo mirabilius, Lutum confusum, oculorum tunicas et splendores, movere, aedificare, loqui, docere, parere, regnare, hoc admirandum. Itaque o indoctissimi Iudaei, unde Adam factus est? Nonne Deus accepit pulverem de terra, et creavit creaturam hanc admirandam? Quid igitur? Lutum in oculum mutatur, et Virgo non generabit? Quod apud homines est impossibile, Deus praestare non poterit?* etc. — *Et quemadmodum*] Sententiam hanc fere ad verbum videtur Tertullianus transscripsisse lib. de carne Christi: *Virgo adhuc erat terra, nondum opere compressa, nondum sementi subacta, ex ea hominem factum accipimus a Deo in animam vivam. Igitur si primus Adam ita traditur, merito sequens* etc. Melliflua b. Bernardi verba huic loco accommoda praeterire non potui: *Deum* (ait ille Hom. 2. super Missus est) *huiusmodi decebat nativitas, qua non nisi de virgine nasceretur: talis congruebat et virgini partus, ut non pareret nisi Deum. Voluit esse virginem, de qua immaculata immaculatus procederet, omnium maculas purgaturus* etc.

p.532. GRABIUS: *Τολμώντων μεθερμηνεύειν*] Eandem audaciam notat Iustinus m. in Dial. cum Tryphone p. 262. his verbis: *ὑμεῖς καὶ οἱ διδάσκαλοι ὑμῶν τολμᾶτε λέγειν, μηδὲ εἰρῆσθαι ἐν τῇ προφητείᾳ τοῦ Ἡσαΐου· ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ ἕξει, ἀλλ' ἰδοὺ ἡ νεᾶνις ἐν γαστρὶ λήψεται, καὶ τέξεται υἱόν.* Confer. ibid. pag. 310. — *Θεοδοτίων*] Crassus est error Feuardentii, Theodotionem (cuius hoc Irenaei loco mentio fit), confundentis cum Theodotione Augustini, qui idem est cum Theodoto haeretico, de quo Epiphan. Haeres. LIV. et

p.533. Euseb. lib. V. Hist. cap. 28. — *Πτολεμαῖος ὁ Λάγου*] Clemens Alex. (lib. I. Strom. pag. 341 seq.) hanc Irenaei de LXX interpretibus historiam recitaturus, istud sententiarum divortium prius memorat: *ἑρμηνευθῆναι τὰς γραφάς, τάς τε τοῦ νόμου, καὶ τὰς προφητικάς, ἐκ τῆς τῶν Ἑβραίων διαλέκτου εἰς τὴν Ἑλλάδα γλῶττάν φασιν ἐπὶ βασιλέως Πτολεμαίου τοῦ Λάγου, ἤ, ὥς τινες, ἐπὶ τοῦ Φιλαδέλφου ἐπικληθέντος, τὴν μεγίστην φιλοτιμίαν εἰς τοῦτο προσενεγκαμένου Δημητρίου τοῦ Φαληρέως, καὶ τὰ περὶ τὴν ἑρμηνείαν ἀκριβῶς πραγματευσαμένου. Versas autem esse Scripturas et legis et prophetarum ex hebraeo sermone in linguam graecam aiunt tempore Ptolemaei Lagi filii, aut, ut dicunt nonnulli, tempore eius qui fuit cognominatus Philadelphus, quum maximam ad eam rem contulisset diligentiam Demetrius Phalereus, et, ut verterentur, vehementer procurasset.* Posterioris sententiae auctor fuisse videtur sive genuinus, sive spurius, uti videtur, Aristaeas; sectatores Philo Iudaeus lib. II. de Vita Mosis pag. 658. Iosephus lib. XII. Antiqu. Iud. cap. 2. Tertullianus in Apologetico cap. 18. ad Aristaeae historiam provocans, ac alii Patres recentiores. Sed Irenaeus alterum, nescio quem, auctorem secutus, Ptolemaeo Lagi id tribuit, quod illi Philadelpho. De

Iustino martyre res est incerta, siquidem is Ptolemaeum sine addito nominat; ac quamvis in Paraenesi ad Graecos pag. 14. Philonem ac Iosephum alleget, addit tamen *et alios,* tacitis licet eorum nominibus: ex quibus procul dubio hausit, quod de duplici legatione ipse solus memorat Apol. II. pag. 72. Utrum igitur quoad auctorem legationis cum Philone et Iosepho, an cum aliis senserit, dubium manet. Forte autem istud sententiarum divortium exinde natum est, quod legatio ad Iudaeos acquirendorum sacrorum librorum caussa isto facta sit tempore, quo Ptolemaeus Lagi filium Philadelphum in regni societatem adsumserat; adeo ut utrique adscribi potuerit, et reapse a diversis auctoribus adscripta sit. Quae opinio uti plurimorum recentiorum calculo approbatur; ita etiam confirmatur testimonio Anatolii episcopi Laodiceni Saec. III. cuius *multiplicem eruditionem* laudans Eusebius lib. VII. Hist. eccl. cap. 32. fragmentum canonum Paschalium eiusdem ibi conservavit, in quo *Philonem, Iosephum, Musaeum,* suam in rem citat aliosque antiquiores scriptores Iudaicos nominat, nempe duos *Agathobulos,* quibus *magistrorum* cognomen haesit, atque *Aristobulum,* quem ista occasione ita describit loco citato pag. 234. ὃς ἐν τοῖς ἑβδομήκοντα κατειλεγμένος, τοῖς τὰς ἱερὰς καὶ θείας Ἑβραίων ἑρμηνεύσασι γραφὰς Πτολεμαίῳ τῷ Φιλαδέλφῳ καὶ τῷ τούτου πατρί, καὶ βίβλους ἐξηγητικὰς τοῦ Μωϋσέως νόμου τοῖς αὐτοῖς προσεφώνησε βασιλεῦσιν, *qui unus fuit ex illis septuaginta viris, qui sacra et divina Hebraeorum volumina in Ptolemaei Philadelphi et patris eius gratiam* graece *interpretati sunt, et libros explanationum legis Mosaicae iisdem regibus dedicavit.* Ubi in eo quidem forte erravit, quod Aristobulum multo iuniorem, explanationum legis Mosaicae auctorem a Clemente Alexand. et Eusebio de Praeparat. evangel. allegatum, cum illo seniore, uno τῶν ὁ confundit, (nisi duo Aristobuli diversos in Mosen commentarios scripserint;) ast in eo recte omnino sentire videtur, quod versio librorum biblicorum regnante Ptolemaeo Lagi et filio eius Philadelpho facta sit. Atque id vel inde quoque probatur, quod opus istud procuraverit Demetrius Phalereus, teste ipso Aristobulo iuniore apud Clementem Alex. lib. I. Strom. pag. 342. et Euseb. lib. XIII. Praeparat. evang. cap. 12. Atqui illum defuncto Ptolemaeo Lagi a filio eius Ptolemaeo Philadelpho ab aula relegatum fuisse, celebratissimo illo Hermippi apud Diogenem Laërtium testimonio constat. Necesse igitur est, ut, quum Ptolemaeus Lagi adhuc in vivis, et Demetrius inter amicos regis esset, versio τῶν ὁ si non ad finem perducta, saltem coepta fuerit. Confer sequentem annotationem, quae alia adhuc ad huius sententiae confirmationem suppeditabit. — *Φιλοτιμούμενος τὴν ὑπ' αὐτοῦ κατεσκευασμένην βιβλιοθήκην κτλ.*] Dices, Philadelpho plurimos istud amplissimae bibliothecae condendae studium tribuere scriptores, non autem Ptolemaeo Lagi. Respondeo, utrique idem fuisse studium, licet forte in illo, adhuc iuvene, magis ardens. Quum enim Ptolemaeum Lagi apprime eruditum non solum plurimas epistolas easque ad viros doctos datas, sed et historiam de expeditionibus Alexandri M. scripsisse constet, adeo ut *pacis artibus, quam militiae, maior et clarior* dicatur a Curtio lib. IX. cap. 8., nullum est dubium, quin et

libris undique conquirendis fuerit intentus. Et sane eo regnante bibliothecam Alexandriae fuisse eique praefuisse Zenodotum Ephesium, versificatorem et grammaticum, refert Suidas voce *Ζηνόδοτος*. Quod non parum confirmatur e Strabonis lib. XIII. Geogr. p. 608. ubi memoriae proditum est, quod Aristoteles docuerit *τοὺς ἐν Αἰγύπτῳ βασιλέας βιβλιοθήκης σύνταξιν*. Atqui Aristoteles non ultra Ptolemaei Lagi regnum vitam produxit; adeo ut ipsi primus forte auctor condendae bibliothecae fuerit. Fuit sane, licet non primus, Demetrius Phalereus, de quo Plutarchus in Apophthegmatibus p. 189. ait: *Πτολεμαίῳ τῷ βασιλεῖ παρῆνει τὰ περὶ βασιλείας καὶ ἡγεμονίας βιβλία κτᾶσθαι καὶ ἀναγινώσκειν*. Quae vix de alio quam Ptolemaeo Lagi accipi possunt; et licet ad Philadelphum referantur, Ptolemaeo tamen Lagi adhuc vivo istud Demetrii consilium datum est, ut ex praecedenti annotatione liquet. — *Μεταβεβλημένας τὰς γραφάς*] Sic etiam Clemens Alexandrinus (loco not. 1. citato) ait, libros omnes, tam legis, quam prophetarum, a LXX senioribus in graecum sermonem conversos fuisse. Cui subscribit Theodoretus in Praefat. Commentariorum in Psalmos, et Olympiodorus in Comment. ad librum Iob, et reliqui fere omnes. Aristobulus tamen et Iosephus, ambo Iudaei scriptores, legem duntaxat ab illis graece interpretatam fuisse innuunt. Aristobuli quidem haec verba sunt apud Eusebium in lib. XIII. Praeparat. evangel. *ἡ δὲ ὅλη ἑρμηνεία τῶν διὰ τοῦ νόμου πάντων ἐπὶ τοῦ προσαγορευθέντος Φιλαδέλφου κτλ.* Iosephus vero in Prooemio librorum de Antiquitate iudaica ita scribit: *εὗρον τοίνυν, ὅτι Πτολεμαῖος μὲν ὁ δεύτερος βασιλεὺς περὶ παιδείαν καὶ βίβλων συναγωγὴν σπουδάσας, ἐξαιρέτως ἐφιλοτιμήθη τὸν ἡμέτερον νόμον καὶ τὴν κατ' αὐτὸν διάταξιν τῆς πολιτείας εἰς τὴν Ἑλλάδα μεταβαλεῖν*. Et paullo post id ipsum declarat apertius his verbis: *οὐδὲ γὰρ πᾶσαν ἐκεῖνος ἐφθη λαβεῖν τὴν ἀναγραφήν, ἀλλ' αὐτὰ μόνα τὰ τοῦ νόμου παρέδοσαν οἱ πεμφθέντες ἐπὶ τὴν ἐξήγησιν πρὸς τὴν Ἀλεξάνδρειαν*. Idem scribit in lib. 12. Antiquitatum cap. 2. et lib. 2. contra Apionem non procul ab initio. Haec Valesius ad hunc Irenaei locum annotavit in suis ad Eusebium animadversionibus pag. 94. col. 1. et 2. Addit quidem (quod et Feuard. annotat), responderi posse, Iudaeos legis nomine prophetas interdum comprehendere, ut notat Drusius in cap. 11. Responsionis ad Minerval Serarii; atque pro hac explicatione affert verba quaedam Iosephi ex lib. 2. contra Apionem. Sed Iosephi de sola Mosaicorum librorum versione sententia ex ante citatis verbis, quibus lex toti Scripturae opponitur, adeo clare elucet, ut frustraneum sit, alium venari sensum. Aliter autem res se habet cum Aristobulo, cuius verba non de solius Mosaicae legis, sed totius Scripturae interpretatione commode accipi possunt, et forte etiam debent. Quippe in antedicto libro pag. 664. Eusebius haec eius recitat verba: *διηρμήνευται γὰρ πρὸ Δημητρίου τοῦ Φαληρέως δι' ἑτέρων πρὸ τῆς Ἀλεξάνδρου καὶ Περσῶν ἐπικρατήσεως τά τε κατὰ τὴν ἐξαγωγὴν τὴν ἐξ Αἰγύπτου τῶν Ἑβραίων, ἡμετέρων δὲ πολιτῶν, καὶ ἡ τῶν γεγονότων ἅπάντων αὐτοῖς ἐπιφάνεια, καὶ κράτησις τῆς χώρας, καὶ τῆς ὅλης νομοθεσίας ἐπεξήγησις*. Atque paullo post in oppositione

adversum haec scribere pergit: *ἡ δὲ ὅλη ἑρμηνεία τῶν διὰ νόμου πάντων, ἐπὶ τοῦ προσαγορευθέντος Φιλαδέλφου βασιλέως κτλ.* Sed de hoc prolixius disputandi hîc non est locus. — *Χωρίσας* p.534. *αὐτοὺς ἀπ' ἀλλήλων*] Iustinus non in Apologia II. ut scribit Feuardentius, neque in Dialogo cum Tryphone testatur, se LXX cellularum vestigia vidisse, sed in Paraenesi ad Graecos pag. 14. Cum quo Irenaeus consentit; non autem Epiphanius lib. de Ponderibus et Mensuris memorans, binos in singulis cellis constitutos fuisse. Ceterum Hieronymi censuram quod attinet, haec Praefat. in Pentateuchum ita sonat: *Et nescio quis primus auctor septuaginta cellulas Alexandriae mendacio suo exstruxerit, quibus divisi eadem scriptitarunt; quum Aristaeas eiusdem Ptolemaei ὑπερασπιστής, et multo post tempore Iosephus nihil tale retulerint.* Retulit tamen, aut saltem non obscure innuit, Philo Iudaeus lib. II. de Vita Mosis pag. 659. ubi de LXX interpretibus ait: *Καθάπερ ἐνθουσιῶντες προεφήτευον, οὐχ ἅλλα ἄλλοι, τὰ δὲ αὐτὰ πάντες ὀνόματα καὶ ῥήματα, ὥσπερ ὑποβολέως ἑκάστοις ἀοράτως ἐνηχοῦντος.* Unde corrigenda animadversio Valesii ad Euseb. pag. 94. col. 2. scribentis, nullam cellularum apud Philonem fieri mentionem. — *Τῶν πάντων τὰ αὐτὰ ταῖς αὐταῖς λέξεσι*] Post Philonem Iustinus m. loco modo dicto similiter ait: *τοὺς ἑβδομήκοντα ἄνδρας μὴ μόνον τῇ αὐτῇ διανοίᾳ, ἀλλὰ καὶ αὐταῖς λέξεσι χρησαμένους, καὶ μηδὲ ἄχρι μιᾶς λέξεως τῆς πρὸς ἀλλήλους συμφωνίας διημαρτηκότας, ἀλλὰ τὰ αὐτὰ (καὶ) περὶ τῶν αὐτῶν γεγραφότας.* — *De fructu ventris eius regem pro-* p.537. *misit — et non de fructu lumborum eius*] Similiter Tertullianus argumentatur lib. III. contra Marcionem cap. 20. ubi citata ista promissione, subiungit: *Quis iste venter est? ipsius David? utique non: neque enim pariturus esset David. Sed nec uxoris eius: non enim dixisset: Ex fructu ventris tui; sed potius: Ex fructu ventris uxoris tuae. Ipsius ergo dicendo ventrem, superest ut aliquem de genere eius ostenderit, cuius ventris futurus esset fructus caro quae ex utero Mariae floruit. Ideoque et fructum ventris tantum nominavit, ut proprie ventris; quasi solius ventris, non etiam viri: et ipsum ventrem ad David redegit, ad principem generis, et familiae patrem. Nam quia viro deputare non poterat virginis eius ventrem, patri deputavit.* Sed parum soliditatis videtur habere haec argumentatio, praesertim distinctio *ventris* et *lumborum*; siquidem ipse apostolorum coryphaeus Actor. II, 30. hanc prophetiam recitans ait: *ἐκ καρποῦ τῆς ὀσφύος αὐτοῦ.* Unde nil mirum est, Tryphonem Iudaeum quoque in Dialogo pag. 293. *ἀπὸ τῆς ὀσφύος αὐτοῦ* dixisse, quamvis male interpretatus sit. — *Significantis fuit, quoniam qui descen-* p.538. *debat* etc.] Ita et Hieronymus ad ista Esaiae verba: *Utrumque,* inquit, *ad typum pertinet mortis Domini et ascensionis. Qui enim descendit, ipse est qui et ascendit.* Theodoreti verba gemina recitavi et supplevi in notis ad Spicileg. Patrum Saeculi I. p. 364. — *Quid enim magnum* etc.] Maxime consona hisce Irenaei sunt ista Iustini in dicto Dialogo pag. 310. *ὡς μεγάλων πραγμάτων σημαινομένων, εἰ γυνὴ ἀπὸ συνουσίας τίκτειν ἔμελλεν· ὅπερ πᾶσαι αἱ νεάνιδες γυναῖκες ποιοῦσι, πλὴν τῶν στειρῶν.*

p.533. MASSUETUS: *Ptolemaeus Lagi filius*] Id Irenaeus Ptolemaeo Lagi filio tribuit, quod alii vulgo post Aristaeam illum Ptolemaeo Philadelpho solent adscribere. Nec unam fuisse ea de re veterum sententiam scribit Clemens Alexand. lib. I. Stromat. pag. 341. ἑρμηνευθῆναι τὰς γραφὰς τάς τε τοῦ νόμου, καὶ τὰς προφητικάς, ἐκ τῆς τῶν Ἑβραίων διαλέκτου εἰς τὴν Ἑλλάδα γλῶττάν φασιν ἐπὶ βασιλέως Πτολεμαίου τοῦ Λάγου· ἤ, ὥς τινες, ἐπὶ τοῦ Φιλαδέλφου ἐπικληθέντος, τὴν μεγίστην φιλοτιμίαν εἰς τοῦτο προσενεγκαμένου Δημητρίου τοῦ Φαληρέως, καὶ τὰ περὶ τὴν ἑρμηνείαν ἀκριβῶς πραγματευσαμένου. *Versas autem esse Scripturas et legis et prophetarum, ex hebraeo sermone in linguam graecam aiunt tempore Ptolemaei Lagi filii; aut, ut dicunt nonnulli, tempore eius qui fuit cognominatus Philadelphus, quum maximam ad eam rem contulisset diligentiam Demetrius Phalereus, et ut verterentur, vehementer procurasset.* Utramque sententiam conciliare student aliqui e recentioribus, dicentes, de comparandis vertendisque sacris libris cogitatum fuisse sub finem vitae Ptolemaei Lagi, iam tum in regni societatem adscito Ptolemaeo Philadelpho: cui quidem conciliandi rationi favere videtur Anatolius Laodicenus episcopus, qui tertio ecclesiae saeculo florebat. Ait enim apud Eusebium lib. VII. Hist. eccles. cap. 32. sacras Scripturas in graecum sermonem translatas fuisse *in gratiam Ptolemaei Philadelphi et patris eius.* Sed viderint huius sententiae patroni, quomodo haec stare possint cum tota Aristaeae, seu historia, seu fabula. Operam me lusisse putarem, si occasione Irenaei nostri in iis explicandis diutius immorarer, de quibus tam multa manibus omnium teruntur doctissimorum hominum scripta. De iis fusius et accuratius scripserunt clariss. Elias Du Pin Tom. I. Prolegom. in sacra Biblia cap. 6 seqq. Humfredus Hodius libro de Bibliorum textibus originalibus, versionibus graecis etc. fol. Oxonii 1705 et Antonius Van Dale Dissert. super Aristaea de LXX interpret. in 4. Amstaelodami 1705. ne plures alios appellare cogar. — *Petrus et Ioannes* etc.] *Dum,* inquit Grabius, *Irenaeus apostolos, quorum Scripturas habemus, iusto ordine recensens, Iacobum principem eorum* (gratis omnino sic vocare placuit) *omisit, eius epistolam non vidisse aut agnovisse haud vane coniicitur, praesertim quum nusquam eam diserte allegarit.* Atqui vane prorsus id et coniicitur et asseritur. Nec huiusce suae coniectationis procul dubio meminit vir cl., dum infra lib. IV. cap. 13. n. 4. et cap. 16. n. 2. ac lib. V. cap. 1. initio, ipsa epistolae Iacobi verba, licet tacito nomine, ab Irenaeo usurpata agnoscens, loca unde depromta sunt, ad marginem ipse indicat. Et quaeso, cuius haec verba sunt quae lib. IV. cap. 16. italico charactere excudi fecit Grabius: *Credidit Deo, et reputatum est illi ad iustitiam, et amicus Dei vocatus est?* An ita concepta alibi quam Iacobi 2, 23. occurrunt? Sed etiamsi Iacobi epistolam nusquam allegasset Irenaeus, ex eo quod hîc eum, memoratis Petro et Ioanne, et Matthaeo et Paulo, omittat, concludi nihil potest. Statim enim subdit, *et reliqui deinceps,* quae virum sinceri candoris dissimulare non decebat. His enim satis aperte indicat s. antistes, alios esse apostolos, quorum Scripturas habeamus, quos nominatim appellare noluit; praecipuos quatuor laudare con-

tentus. Quippe haec ad alios, quam ad apostolos referri non possunt; quum mox subiiciat, *et horum sectatores*, quibus Lucam et Marcum, quos superius ita vocavit, manifeste designat.

CAP. XXII.

FEUARDENTIUS: *Errant igitur*] Simonis magi, Saturnini, Va- p.541.
lentini, Cerdonis et Marcionis sectatores intelligit; qui omnes diversis licet errorum anfractibus, eandem tamen in blasphemiam delapsi sunt, Christum aut non veram carnem, aut non ex virgine conceptam et natam cepisse. In his refellendis pugnacissimus est Tertull. lib. de Carne Christi lib. 3. et 4. contra Marcionem. Probat vero Irenaeus carnem nostram vere conceptam, natam, crucifixam, passam et resuscitatam esse in Christo, ex eo quod homo et filius hominis dicitur; insuper vere esurierit, comederit, fatigatus et vulneratus fuerit, doluerit, lacrimarit, sudarit, demum crucifixus et mortuus sit. — *Filium hominis se confitetur*] Tertull. *Cur homo Christus et filius* p.542.
hominis, si nihil hominis et nihil ex homine? Nisi si aut aliud est homo quam caro; aut aliunde caro hominis, quam ex homine, aut aliud est Maria, quam homo. Lib. de Carne Christi et lib. 4. contra Marcionem. Hinc autem apparet concilium Ephesinum recte ex Patribus adversus Nestorium collegisse et statuisse, d. virginem Mariam censendam esse Deiparam, non tantum Christiparam, quandoquidem constat illum quem utero concepit, fovit, genuit, simul Deum et hominem exstitisse; quod postea quoque sexta et septima Synodus confirmarunt. Hoc tantum Nazianzeni (Epist. ad Cledonium) proloquium subnectam: *Si quis sanctam Mariam Deiparam non credit, extra divinitatem est.* — *Si nihil incipiebat sumere*] Hoc est, si nihil sumturus erat: ἔμελλε λαμβάνειν. — *Aut si nihil sumsisset*] Tertull. Marcionem eodem etiam pacto alloquitur: *Quid dicis caelestem carnem, quam unde caelestem intelligas non habes? Quid terrenam negas, quam unde terrenam agnoscas habes? Esurit sub diabolo, sitit sub Samaritide, lacrimatur super Lazarum, trepidat ad mortem. Caro, inquit, infirma. Sanguinem fudit postremo: haec sunt, opinor, signa caelestia.* Lib. de Carne Christi. — *Propter hoc Lucas*] Ex p.544.
genealogia Christi ostendit eum vere hominem, et universorum hominum redemtorem, eundemque ex b. virgine Maria conceptum et natum; ut sicut virgo Eva sibi et nobis caussa mortis facta est, sic b. Maria vitae et salutis per Filium suum nobis esset. — *Maria et sibi et universo generi humano caussa facta est salutis*] Hoc capite et infra non raro multis elogiis laudes et virtutes beatissimae Dei genitricis praedicat Irenaeus, quod illi cum omnibus qui christianam pietatem excoluerunt, adeo commune est, ut nullum invenias ex Catholicis scriptoribus, qui non vel singulari opere in eum finem edito, vel sparsim hinc inde, in eius recensendis encomiis libenter exspatietur. — *Alligationis*] Ita pro *alligationi* restituimus: sicuti paullo p.545.
post *primae* pro *primum* substituimus vet. cod. auct. — *Sic autem* p.546.
et Evae inobedientiae nodus] Piae huic comparationi Mariae cum Eva, tanto consensu subscribunt patres omnes orthodoxi, ut Gallasius alio caelo natus videatur, qui nesciat; vel frontem impudentiamque mere-

tricis indutus, qui audeat contradicere et damnare. Sed obganniat licet os impudens, quantum volet: nos pietati et doctrinae patrum pressis vestigiis nihilo secius semper inhaerebimus. Hieronymus epistol. ad Eustoch. *Mors per Evam, vita per Mariam.* Bernardus Homil. 2. de laudibus Virg. *Curre Eva ad Mariam, curre mater ad filiam, filia pro matre respondeat, ipsa opprobrium matris auferat, ipsa patri pro matre satisfaciat: quia ecce, si vir cecidit per feminam, iam non erigitur nisi per feminam.* Innocentius III. Ser. 2. de Assumt. *Oportebat ut sicut per feminam mors intravit in orbem; ita per feminam vita rediret in orbem*; *et ideo quod damnavit Eva, salvavit Maria, ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret* etc.

p.543. GRABIUS: *Οὐδ' ἂν ἱδρωσε θρόμβους αἵματος*] Hunc Irenaei locum respexit Epiphanius in Ancorato §. 31., ubi citaturus verba Lucae de sudore Christi sanguineo, haec sua praefatur: *Κεῖται ἐν τῷ κατὰ Λουκᾶν εὐαγγελίῳ, ἐν τοῖς ἀδιορθώτοις ἀντιγράφοις, καὶ κέχρηται τῇ μαρτυρίᾳ ὁ ἅγιος Εἰρηναῖος ἐν τῷ κατὰ* (ita enim legendum pro *μετά*, ut in editione novissima expressum reperio) *αἱρέσεων, πρὸς τοὺς δοκήσει τὸν Χριστὸν πεφηνέναι λέγοντας· Ὀρθόδοξοι δὲ ἀφείλοντο τὸ ῥητόν, φοβηθέντες, καὶ μὴ νοήσαντες αὐτοῦ τὸ τέλος καὶ ἰσχυρότατον.* Unde textus Lucae de sudore sanguineo sequitur; ad quem modo recitata Epiphanii verba omnino pertinent, male a Petavio huius loci interprete et commentatore, ac Grotio in Comment. ad Luc. 19. aliisque viris doctis relata ad id

p.544. quod de fletu Christi praecessit ex Luc. 19. — *Significans, quoniam ipse est, qui omnes gentes — et universas linguas — in semetipso recapitulatus est*] Ut Irenaei consequentiam seu illationem mysticam intelligas, scito, a s. patribus, praecipue graecis, duas supra septuaginta gentes et linguas olim numeratas fuisse. Sic Clemens Alex. lib. I. Stromatum pag. 338. scribit: *Φαίνονται δὲ εἶναι καὶ κατὰ τὸν ἀληθῆ λόγον αἱ γενικαὶ διάλεκτοι δύο καὶ ἑβδομήκοντα, ὡς αἱ ἡμέτεραι παραδιδόασι γραφαί.* Et, alios ut praeteream, Epiphanius in Panario contra Haereses lib. I. Tom. 1. §. 5. pag. 6. de Deo ait: *Διεσκέδασε γὰρ αὐτῶν τὰς γλώσσας, καὶ ἀπὸ μιᾶς εἰς ἑβδομήκοντα δύο διένειμε, κατὰ τῶν τότε ἀνδρῶν ἀριθμὸν εὑρεθέντα.* Confer Haeres. XXXIX. Sethianorum. Neque ab hoc numero alieni fuere quidam ethnici, praecipue Aegyptii, de quibus insignia sunt Hori Apollinis verba lib. I. Hieroglyphicon cap. 14. *Οἰκουμένην δὲ γράφοντες, κυνοκέφαλον ζωγραφοῦσι, ἐπειδὴ ἑβδομήκοντα δύο χώρας τὰς ἀρχαίας φασὶ τῆς οἰκουμένης εἶναι. Terrarum orbem delineantes, Cynocephalum pingunt, quia septuaginta duas ferunt fuisse iam olim orbis habitati regiones.* Lege Bochartum lib. I. Phaleg.

p.545. cap. 15. ubi plura de hisce invenies. — *Virgo tamen adhuc exsistens*] Gemina prorsus habet Irenaeus lib. V. cap. 19. inferius pag. 429. imitatus Justinum martyrem, ei praeludentem in Dial. c. Tryph. p. 327., cuius verba ibi num. 2. annotata vide. Hic adiicio parallelum Tertulliani locum lib. de Carne Christi c. 17: *In virginem adhuc Evam irrepserat verbum aedificatorium mortis; in virginem aeque introducendum erat Dei verbum exstructorium vitae: ut quod per eiusmodi sexum abierat in perditionem, per eundem sexum redigere-*

tur in salutem. Crediderat Eva serpenti: credidit Maria Gabrieli. Quod illa credendo deliquit, haec credendo delevit. Ceterum alia plura encomia, quibus patres b. virginem exornarunt, a Feuardentio hîc annotata, omitto; non quod ea matri incarnati Dei invideam, sed quod a proposito sunt aliena. Neque necessarium puto, Gallasii animadversionem ad ista Irenaei verba, quibus Mariam dicit *caussam salutis*, describere. Quilibet enim videt, quo sensu haec sint accipienda. — *Initium viventium*] Ἀπαρχὴν cum apostolo scripsisse Irenaeum, vix ullum est dubium. p.546.

MASSUETUS: *Hereditabunt terram*] *Terram* in eo evangelii loco Irenaeum interpretari corpus et animam, ac totum denique hominem, liquet. Sensus igitur est: *Beatificat mites, quoniam ipsi corporis et animi motibus dominabuntur, suique semper compotes erunt.* Quae et aliorum explicatio est. — *Septuaginta duas*] Isaacus Vossius pag. 323. castigationum ad cap. 4. Hornii, scribit vidisse se MSS. Irenaei codd. in quibus numerus ille non integris vocibus concipitur, ut vulgo, sed sic LXXV, ut nescias, utrum 72 an potius 75 iste Irenaei interpres exprimere voluerit. Sed qui sint illi MSS. codices si dixisset, rem orbi litterato pergratam fecisset. Proprium ipsius exemplar, quod Grabio teste, clariss. Dodwellus summa diligentia cum editione Feuardentii contulit, Claromontanum, quod ipse quam accurate potui, perlustravi, Ottobonianum, cuius variae lectiones mihi Roma transmissae sunt, et alia anglicana, nihil diversum a recepto numero LXXII exhibent, adeo ut dubitare fas non sit, quin Irenaeus septuaginta duas duntaxat generationes in evangelio Lucae legerit. Quod nihil mirum, quum non eodem modo recenseantur istae generationes tum a ss. Patribus, tum in ipsis Novi Test. codd. MSS. Quod vero gentium et linguarum numerum generationibus aequare videatur Irenaeus, in hoc consentientes habet plures e patribus graecis, et ex ipsis ethnicis, praecipue Aegyptiis, quosdam, quos citatos reperies apud Bochartum lib. I. Phaleg. cap. 23. — *Non aliter quod colligatum est solveretur* etc.] Obscurior tota haec Irenaei argumentatio est. Mariam cum Eva confert, alterius fidem cum alterius inobedientia, alterius connubium cum alterius coniugio. Quemadmodum, inquit, Eva licet coniugata, virgo tamen, inobedientiae culpa intricatissimis veluti nodis implicuit totum genus humanum, cui caussa facta est mortis; sic et Maria desponsata viro, sed virgo, fide et obedientia nodos solvit quos Eva contexuerat, sibique et generi humano facta est caussa salutis. Et propterea licet nondum nupta, sed desponsata tantum et adhuc virgo secundum legem tamen dicitur uxor: ut quod a fideli Mariae connubio in Evae nocens coniugium veluti reflectitur, distinctius significetur. Sicut enim quae colligata sunt pluribusque constricta nodis, in semetipsos implicatis, solvi nequeunt, nisi ab extremis fiat initium; nec isti expediri valent, nisi vinculorum extremitates reflectantur retrorsus; quo fit ut secundae coniunctiones primae omnium solvantur, nec ad primas fiat accessus, nisi secundis primum resolutis: sic et in praesenti negotio contigit. Ab Evae connubio, propter huius inobedientiam, cetera deinceps, usque ad illud Mariae, molestissimis implexa nodis. Nodum prima solvit Maria fide p.544. p.545.

et obedientia; nec sibi solvit tantum, sed et solutio quae ab ea cepit initium, velut circuitu quodam in Evam reflexa est: adeo ut primum connubium a secundo solutionem acceperit; id est, huius sanctitate purgatum illud fuerit. Haec certe et quae sequuntur, paullo subtiliora.

CAP. XXIII.

p.547. FEUARDENTIUS: *Hic est autem Adam*] Ratione et exemplo contendit adversus Tatiani errorem, divinae aequitati ac misericordiae convenientissimum fuisse, ut primus parens prae cunctis liberis eius salvaretur; quod alii postea theologi pluribus asseruerunt. Ac de poenitentia eius cap. 37. dicetur. Vide etiam cap. 31. lib. I. — *Quum autem salvetur homo*] Contendit, quantis potest argumentis, Adamum salvatum esse, quod et postea Augustinus persequitur Epist. 99., quia Sapientiae 10. scriptum est: *Illum, qui primus factus est pater orbis terrarum, sapientia custodivit, et eduxit illum a delicto suo.* Deinde, quod constans sit ecclesiae haec sententia. Quin et ipsum Adam post tam varios casus et tot discrimina rerum, tandem in Golgothae seu Calvariae montem pervenisse, ibique vita functum, sepultum fuisse, ubi Dominus et Salvator noster cruci affixus est, magno consensu et ex antiqua patrum traditione docent Origenes Tract. 35. in Matth. Cyprianus Serm. de Resur. Domini, Athanasius lib. de Passione dominic. Basil. in 5. cap. Esaiae, Chrysostom. Hom. 84. in Ioan. Epiphanius contra Haeres. 46. August. Serm. 71. de tempore, Moses Bar-cepha lib. de Paradiso. Hanc sententiam Hieronym. in 27. Matth. non probat, in 5. cap. ad Ephes. damnare non audet; sed epist. ad Marcellam, eam amplectitur. — *Sed non relictis*] Omnia haec paucis attigit Tertull. lib. Praescript.: *Tatianus doctrinae Valentini adiecit, Adam nec salutem consequi posse, quasi si non rami salvi fiunt, et radix salva sit. — Propter hoc et in initio*] Ostendit maledictionem divinam non proprie in homines latam fuisse, sed in terram et serpentem; quapropter nec ignem aeternum illis praesertim paratum esse, sed diabolo principi omnis defectionis. Isthaec sapienter expendens Rupertus (lib. 2. de vict. Verbi Dei cap. 15.) ait: *Neque mulieri, maledicta es; neque viro, maledictus es, dixit Dominus: sed tantum hoc,* Maledicta terra in opere tuo: *cuius videlicet terrae maledictio, non aliud est, quam multimoda et frequens afflictio, qua per varios eventus terrae ex eo corruptae et deterioratae affligitur homo. Soli vero serpenti dixit,* Maledictus eris: *quo videlicet dicto, firma et immutabilis intelligenda est sententia aeternae damnationis.* Tertullianus libro 2. adversus Marc. hunc Irenaei locum his paucis contrahit: *Deus ideo non maledixit ipsum Adam et Evam, ut restitutionis candidatos, ut confessione revelatos, sicut maledixit ser-*
p.548. *penti, cuius salus omnino deplorata erat* etc. — *Similiter autem et mulier*] Triplici poena punita est mulier, quia triplo maius fuit peccatum eius, quam Adami. Primo, quia credendo serpenti plus quam Deo, seducta est. Secundo, quia ligni vetiti pulchritudinem concupivit. Tertio, quia et virum ad transgressionem induxit. Merito igitur triplex vindicta ei reddita est, praeter communem sibi cum viro mor-

tem. Nam mortuorum mater esse meruit. Omnes enim conceptus eius anima et corpore in peccato moriuntur; et nemo eorum vivit, nisi vivificetur per Christum. Et quia intemperanter fructum arboris expetivit, redditur uteri dolor, dicente Domino: *In dolore paries.* Tertio, quia virum importunitate muliebri ad comedendum illexit, iccirco sub viri potestate redacta est. — *Quemadmodum Cain*] Cain ob neglectum Dei consilium, invidentiam, caedem fraternam et maximam in Deum irreverentiam, iuste maledictus et reprobatus est. — *Uti quiesceret in eo*] Chrysostomus, Cyrillus, Graeci omnes ita hunc locum reddunt, LXX versionem istam secuti: *οὐκ ἐὰν ὀρθῶς προσενέγκῃς, ὀρθῶς δὲ οὐ διέλῃς, ἥμαρτες; ἡσύχασον.* Hoc est: *An non si recte obtuleris, recte autem non distribueris, peccasti? Quiesce.* Sicque volunt Cain his verbis admonitum a Deo, ut recte divideret in fratrem dilectionis officia, non autem felicitati invideret. Hieronym. in Quaest. Heb. testatur illa verba in fonte hebraico non haberi; Eugubinus vero copiose docet unde processerint. — *Extendens et* p.519. *multiplicans malum*] Irenaeo consentit Chrysostomus (Hom. 19. in Genes.) his verbis: *Quid ad haec ingratus et impudens? Debebat cogitare quod Deus non ignarus rei rogaret, sed ab ipso confessionem criminis exigeret etc. Verum ille iterum auget vulnus, et ulcus increscere facit et dicit: Haud scio. Vide responsi impudentiam etc.* — *Propter hoc et ipse*] Urget Cain grave peccatum, maledictionem et perditionem aeternam, ut vel obiter Caianorum, quorum meminit lib. I. cap. 35. amentiam furoremque refellat. Hi enim Cainum, Core, Sodomitas, inprimis autem Iudam proditorem, tanquam ex superiori quadam virtute progenitos, sanctis omnibus praeferebant, ut ex Tertull. lib. Praescript. Epiphanio contra Haer. 38. et Theodoreto, in primo libro indicavimus. — *Circa Adam autem*] Iure quidem maledictus est Cain; quoniam vero Adam statim post admissum peccatum timore perculsus, fugit, seque divina praesentia iudicavit indignum atque poenitere se ficulneo cinctorio manifestavit, tandem servatus est. Seductus porro fuit Adam, non a serpente, sed ab uxore, putans item peccatum suum tantum veniale futurum, nec ob id se moriturum. Ideo et Ignatius epist. ad Trallianos scribit: *Diabolus per mulierem seduxit Adam patrem generis nostri.* Epiphanius quoque contra Haereses 38: *Diabolus per mendacium decepit Adam et Evam.* Ambrosius denique lib. de paradiso cap. 4.: *Mulier primo decepta est, et virum ipsa decepit.* Hinc Theodoretus haec apostoli (1 Tim. 2.) verba, *Adam non est seductus*, intelligit, pro eo quod est. Non primus nec immediate a serpente. — *Quae minus corpus*] Plinius lib. 2. cap. 5. quasdam ficus adeo ramis et foliis diffundi scribit, ut umbra bina stadia operiant, et quasi fornicato ambitu pastoribus decoram opacamque sepem praestare. Rhodiginus fici folium ex scabritie dici a Graecis *θρῖον* docet: quod Plutarcho probari asserit Erasmus in Chiliad. indeque proverbium emanasse *τῷ θρίῳ τὴν ἔγχελυν*, id est, folio ficulneo anguillam tenes, eo quod scabrum sit et asperum, ob idque ad retinendam anguillam natura lubricam, maxime idoneum. Ad id pertinet et istud Alciati emblema:

Iamdudum quacunque fugis te prosequor, ac nunc

Cassibus in nostris denique captus ades.
Amplius haud poteris vires eludere nostras,
Ficulno anguillam strinximus in folio.

Horum foliorum occasione permoti doctissimi et gravissimi auctores aestimarunt arborem ex cuius fructu deliquerunt primi parentes, ficum fuisse, eamque antiquam dixerunt traditionem, atque ea de re Christum ficulneae aliquando maledixisse. Theodoretus Quaest. 28. in Genes. eos qui aliam arborem opinantur, censet errare nimia simplicitate. Athanasius Quaest. 58. ad Antioch. Isidorus Pelusiota apud Lippemanum in 3. cap. Genes. Moses Bar-cepha lib. de parad. Oleaster Lusitanus in 3. cap. Genes. Notandum porro hunc locum manifeste solideque probare, poenas corporeas hic a poenitentibus vel sponte susceptas, vel iniunctas, inflictasque aequo animo perferendas esse, ut illis cum Christi passionibus coniunctis, voluptatem ex peccatis conceptam compensent; satisque faciant suppliciis ac mulctis illis, quae ut fructus digni poenitentiae, a solutis culpis et poenae aeternae reatu condonato, vel in hoc mundo, vel in erebo expiatorio sunt alias ad extremum usque quadrantem exsolvendae. Adam etenim abiecta omni mollitie, indumentum asperrimum induit, petulantis carnis impetum retundit, frenum continentiae sibi circumdat, et quam demisse potest, coram Dei iudice semetipsum abiicit et humiliat. An non haec manifesta de peccatis admissis satisfactio? Hinc Tertullianus (lib. de poen. cap. 12.) ait: *Ipse stirpis humanae et offensae in Dominum princeps Adam, ex homologesi restitutus in paradisum suum, non tacet.* Qui et ante haec verba scripserat: *Habes cui satisfacias: confessio satisfactionis consilium est: satisfactio confessione disponitur: Domino offenso satisfacere* etc. lib. de Poenitentia cap. 7. 8. 9. et 10. Et Cyprianus eos reprehendens, qui hanc poenitentiae partem negligebant, scribit: *Datur opera, ne satisfactionibus et lamentationibus iustis delicta redimantur, ne vulnera lacrymis abluantur.* Et serm. de lapsis: *Dominus orandus est, et nostra satisfactione placandus* etc. Augustin. ad eandam satisfactionem cunctos hortatur, et densis argumentis perurget Enchiridii cap. 65. 70. et 71. Epistola ad Macedonium. Libro 50. homiliarum hom. 50. Commentariis in Psal. 50. et lib. de eccles. dogm. cap. 53. Confundantur ergo et convertantur haeretici, qui satisfactionis nomen et opera, id est, hanc sacramenti poenitentiae tertiam partem, cum incredibili animarum iactura
p.550. conantur e medio tollere. — *Quoniam, inquit, eam*] Hac paraphrasi significatur, Adamum et iustitiam originalem et gratiam gratum facientem seu caritatem, quam initio acceperat, peccato suo perdidisse: qua de re et supra dictum est cap. 20. *Nos autem in Christo recuperasse, quod in Adam perdidimus.* Quod et Cyprianus postea docuit, scribens, illum acceptam divinitus gratiam non custodisse. Serm. de bono sapientiae. Ambrosius (in cap. 10. Luc.) quoque ait: *Angelos tenebrarum velut latrones indumentis gratiae salutaris hominem spoliasse, quum in eos incidit.* Turpiter igitur aberrant, qui aut iustitiam originalem donum supernaturale fuisse negant, aut gratiam divinam per mortale peccatum amitti pervicaciter inficiantur. — *Quemadmodum quidam*] His consona scribit Theophilus Antioch. lib. 2. ad Autoly-

cum: *Non invidens, ut quidam sentiunt, Deus Adamo eum ab arbore cognitionis abstinere iussit, sed hominem probare volebat, an dicto audiens esse vellet* etc. Marcionem ac eiusdem disciplinae comprobatores designari mihi persuaserim, quoniam Theodoretus scribit eos docuisse serpentem meliorem esse et praestantiorem creatore, quod hic quidem arboris cognitionis participes esse vetuerit et ille permiserit. Gregorius Nyssenus putat ideo arborem illam prohibitam, quod vim haberet generandi in animo rerum malarum scientiam, quam habere hominem non expediebat. Veteres alii, ut Theophilus, August. 14. de civit. cap. 12. et 8. de Genesi cap. 106. Chrysost. hom. 16. in Genes. Theod. quaest. 26. in materiam obedientiae exercendae vetitam volunt. — *Et insanabile*] Delevimus *insensibile*, auct. vet. cod. — *Quapropter inimicitiam*] *Τὴν ἔχθραν*, quae dicitur ira tempus ulciscendi observans. Disseritur autem de Christo, semine mulieris promisso, ut serpentis caput, id est, mortem, Antichristum, diabolum, peccatum, infernumque, homine salvo superaret. Atque ita illum Geneseos locum intelligendum ac explicandum esse docent quae sequuntur Genes. 12, 3. et 18, 18. et 22, 18. et 26, 4. ut et Paulus indicat Gal. 3, 8. Adeo quoque manifestum est illius promissi sacri seminis nomine Christum significatum esse, nomine autem serpentis Diabolum, ex Esaiae cap. 7. et 9. Ioannis 3. Rom. 1, 6. 16. Heb. 2, 1. Petri 5. Apocalyps. 12. et 13. et sanctorum patrum unanimi consensu, ut nunquam satis mirari possim Calvini et Marlorati plusquam iudaicam impietatem, qua locum illum non de Christi ac Satanae dissidio, sed de communi odio vulgarique horrore quo naturae sensu universi a cunctis serpentibus abhorremus, malunt interpretari. — *Super aspidem*] Augustinus et Cassiod. hunc quoque locum de Christi et servorum eius e diabolo victoria interpretantur. Diabolus (inquiunt) est aspis, dum occulte percutit; basiliscus, quum palam venena disseminat; leo, dum violenter persequitur innocentes; draco, quum negligentes impia voracitate deglutit. Vel draco, dum occulte insidiatur per haereticos; et leo, dum aperte saevit per tyrannos; quae omnia per adventum Domini, pedibus eius, id est, a sanctis prostrata iacuerunt. — *Mentiuntur ergo*] Eandem quam hîc confutat Tatiani et Encratitarum haeresin, repetivit libro I. cap. 31., ubi et multa, quae hunc locum expediunt, ex aliis auctoribus collegimus. Ceterum, Nicodemus Christi discipulus in historia, quae fertur nomine eius, de passione et resurrectione Domini, refert Dominum Iesum, quum secundum animam descendisset ad inferos, manum Adami tenuisse, et dixisse: *Pax tibi cum omnibus filiis tuis iustis meis.* Ipsum autem Adam Christi genibus advolutum lacrymabiliter deprecatum eum voce magna, his verbis: *Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti, inimicos meos super me: Domine Deus meus, clamavi ad te, et sanasti me. Eduxisti ab inferis animam meam, salvasti me a descendentibus in lacum* etc. — *Et concertant de*] Expunximus *concertante*, et paullo post *profecit* loco *proficit* substituimus, auctor. vet. cod. p. 551.

GRABIUS: *Quem praeparavit Pater meus Diabolo*] Ex hoc loco et superiori pag. 126. nec non inferiori pag. 362. ac pag. 442. colligere licet, Irenaeum legisse: *ὃ ἡτοίμασεν ὁ πατήρ μου.* Neque est, p. 548.

ut Interpreti mutationem adscribas: quippe lib. IV. c. 78. ex hac ipsa lectione argumentum duxit Irenaeus, eoque antiquior Iustinus martyr ita allegavit in Dial. c. Tryph. p. 235. edit. Comelianae; ut taceam paullo recentiores Tertullianum lib. cont. Hermogenem cap. 2., Cyprianum lib. II. Testimoniorum adversus Iudaeos cap. ultimo etc. —

p.549. *Indolem et puerilem amiserat sensum*] *Indoles* in bonam partem accipienda, et *puerilis sensus* pro *innoxia puerorum ignorantia.* — *Quemadmodum quidam dicunt*] (In Feuardentium, cuius annotationem ad hunc locum videsis, disputat Grabius ita:) Ast non de arbore cognitionis boni et mali ante lapsum interdicta, sed de ligno vitae a Deo post lapsum prohibito loquitur Irenaeus; de quo si Marcion id, quod hic reprehenditur, asserere ausus fuit, uti facile crediderim, virus istud omnino hausit a maligni serpentis primogenito, sicut a s. Ignatio appellatur, Simone mago, inquam; cuius haec sunt verba in Spicilegio Patrum et haereticorum Sec. I. pag. 310: *Per invidiam prohibuit Adamum ab arbore vitae gustanda, nempe ne immortalis fieret.* Ad quae Mosis Bar-cephae responsum p. 311. sequitur, quadam parte Irenaeo adeo consonum, ut ex eo descripsisse diceres: *Ea de caussa,* inquit, *ab arbore vitae coërcuit, ne perpetuo viveret in peccato, essetque ipsius malitia una cum ipso immortalis* etc. Vide ibi plura.

p.548. MASSUETUS: *Ab omnibus pecoribus*] Id est, *inter omnia pecora*

p.549. vel *super omnia pecora.* — *A se peccatum tulit*] Ita partim ex Clarom. partim ex Merc. II. codd. reposui. In Clarom. legitur *a se;* in Merc. II. *tulit.* In aliis omnibus perperam et sine sensu *ad se peccatum attulit.* Genuinam autem esse nostram lectionem demonstrat quod praecedit: *multo peius sic respondere omnia scienti Deo, quasi possit frustrari,* id est fallere *eum.* Inde ergo *maledictionem portavit, quoniam a se peccatum tulit;* id est, quoniam a se peccatum abstulit, ablegavit, perpetrasse se dissimulavit. — *Quoniam indolem et puerilem amiserat sensum*] Horum explicationem habes supra c. 22. n. 4.: *Quoniam,* inquit, *paullo ante facti* (Adam et Eva) *non intellectum habebant filiorum generationis; oportebat enim illos primo adolescere, dehinc sic multiplicari.* Supponit igitur Irenaeus, Adamum non nisi post lapsum amissa pristina indole puerili adolevisse, et

p.551. coniugio maturum evasisse. — *Connexio quidem factus omnium haereticorum*] Quia eius haeresis nihil aliud erat, quam incomposita variorum errorum congeries. — *Initium et materiam apostasiae suae habens hominem*] Quia, ut explicat lib. IV. cap. XLI. n. 1. *zelavit plasma Dei, et inimicum illum Deo facere aggressus est.* Sentire nimirum videtur Irenaeus (quae et quorundam e veteribus sententia fuit), angelum invidia commotum, quod ex subiecta sibi natura homo ad imaginem Dei conditus esset, id iniquo animo tulisse.

CAP. XXIV.

p.552. FEUARDENTIUS: *Traductis igitur omnibus*] Brevi recapitulatione concludit, quae hactenus adversus varias Gnosticorum impietates disseruit: nimirum de uno Deo, Christi oeconomia et mundi creatione; deinde illorum sectis opponit ecclesiae catholicae ubique constantem consonamque praedicationem, Spiritum sanctum in ea

perpetuo residentem; ac idcirco summopere ab omnibus expetendam eius communionem, ne ad omnem ventum doctrinae fluctuemus. — *Aspiratio* (nos: *ad inspirationem*)] Vet. cod. *ab inspiratione plasmationi*, ut alias forte fuerit *ab inspiratione*, id est, divina revelatione, *plasmatio*, id est, hominis primi creatio, innotuerit; aut si excusa lectio placet, per *aspirationem* animam rationis capacem, quae divino afflatu corpori infusa est, intelligit. — *Et in eo disposita*] Sic ex vet. cod. reposuimus, ut intelligatur in eo munere praedicationis et fidei, qaod ecclesiae creditum est, communicationem Christi dispositam esse; nisi forte alias fuerit *deposita*, cuius loco subrepsisset *disposito*, quod excusi codices habebant. — *Cuius non sunt participes*] Idem canit vulgata ore omnium, nec ideo tamen minus gravis, beatissimi martyris Cypriani sententia: *Habere iam non potest Deum Patrem, qui ecclesiam non habet matrem.* Haec digna, quae frequenter suis scriptis insereretur, visa est Augustino, Tomo 7. libro de Unitate ecclesiae et libro 2. contra litteras Petiliani cap. 38. et Tomo 9. tract. 118. in Io. et Tomo 2. epist. 50. — *Super arenam*] Alludit p.553. ad Christi verba Matth. 7. Per arenam, varias pugnantes et inconstantes haeresiarcharum sententias, quibus nitebantur, intelligens. Relatum est autem inter adagia: *In arena aedificas;* in eos, qui negotium inutile futurum aggrediuntur. Similis paroemia est: *Arenae semina mandas;* quae non tantum inania opera, sed quae simul iacturam quandam gravem adiunctam habent, significat.

GRABIUS: *Per initia et medietates et finem*] Intelligo ea, quae p.552. inter ipsa temporum initia, in creatione gesta sunt, quaeque postea intermediis saeculis prophetarum, in fine denique, Christi et apostolorum aevo contigerunt. Haec enim omnia percurrens Irenaeus, undique argumenta pro fide ecclesiae depromsit. — *Lacus detritos*] p.553. Graece *λάκκους συντετριμμένους*, per quos hoc loco illegitima conventicula eorum, qui ab ecclesia separantur, innuere videtur.

MASSUETUS: *Per initia et medietates et finem*] Recte intelligit p.552. Grabius ea quae inter ipsa temporum initia in creatione gesta sunt, quaeque postea intermediis saeculis prophetarum, in fine denique Christi et apostolorum aevo contigerunt. Haec enim omnia percurrens Irenaeus, undique argumenta pro fide ecclesiae depromsit. — *Ad inspirationem*] Sic in Clarom. pro quo vitiose et scribarum oscitantia in Voss. et vet. Feuard. cod. *ab inspiratione*. In ceteris *aspiratio*. Sed praeferenda lectio nostra, cuius sensus est, fidei munus ecclesiae creditum esse velut ad animationem (id enim sonat *inspiratio*) Dei opificii, ut nimirum huic vitam impertiret, quemadmodum anima corpori. — *Confirmans et Sapientia*] In Arund. alio ordine: *et Sapien-* p.553. *tia confirmans*. Sed utrum priori membro habeatur *compingens*, non dicit Grabius. Quidquid sit, recte monet per *Verbum* Filium Dei, per *Sapientiam* Spiritum sanctum hic intelligi. Alludit Irenaeus ad illud Psal. 32, 6.: *Verbo Domini caeli firmati sunt, et Spiritu oris eius omnis virtus eorum.*

CAP. XXV.

FEUARDENTIUS: *Providentiam habet Deus*] Mundum divina p.554. providentia, id est, paterna Dei sollicitudine et ratione gubernari,

etiam ethnicorum testimonio confirmat, adversus Epicureos Gnosticorum tum errores, tum mores. Huius exstant praeclara apud Tullium testimonia. *In mundo Deus est aliquis,* ait lib. I. de Nat. Deor., *qui regit, qui gubernat, qui cursus astrorum, qui mutationes temporum, rerum vicissitudines ordinesque conservat, terras et mare contemplans; hominum commoda vitasque tuetur* etc. *Ut hominum membra nulla contentione, mente ipsa et voluntate moventur; sic numine Deorum omnia finguntur, moventur atque mutantur.* Et Oratione pro Roscio: *Commoda quibus utimur, lucem qua fruimur, spatium quod ducimus, a Deo nobis dari et impertiri videmus* etc. — *Ethnicorum quidam*] Inter hos Aratum, Simonidem, Euripidem, Menandrum, Thestium et Dionysium numerat Theophilus Antiochenus libro secundo ad Autolycum; quibus libro tertio Aristotelem adiungit. Iustinus libro de Monarchia, quamplurimos alios enumerat. Augustinus de Seneca scribit libro sexto de Civit. capite decimo: *Colebat, quod reprehendebat: agebat, quod arguebat: quod culpabat, adorabat.* Tertullianus capite quadragesimo quinto Apol. Platonicos Deum intra mundum constituisse refert, qui gubernatoris exemplo intra illud sedeat, quod regat. — *Rursus ut increpativum*] Hoc capite paucis absolvit, quae copiose et ornate disputavit postea Lactantius libro integro de ira Dei; et Tertull. passim lib. I. contra Marcionem; Origenesque in calce Dialogi primi, et initio secundi contra Marcionitas. Probat autem Irenaeus fortissimo dilemmate, non esse alium Deum mundi iudicem, alium vero salvatorem constituendum, quandoquidem unicus sit, infinita simul praeditus iustitia ut malos plectat; atque bonitate, ut piis benefaciat et salutem impertiatur. Vocat autem increpativum et iudiciale, quod Graecis est *τὸ ἐλεγκτικὸν καὶ κριτικόν,* id est, potestatem seu vim redarguendi et iudicandi. Vel *τὸ*
p 555. *ἐπιτιμητικόν,* id est, vis puniendi. — *Marcion igitur*] De hoc, libro primo cap. 29. Ostenditur porro unicum esse Deum, summe bonum, summe iustum, summe sapientem, summe patientem et longanimum, qui denique reddet unicuique iuxta opera sua, iudicans orbem in aequitate. — *Quia Deus non est, cui bonitas desit*] Argumentis huiusmodi, ad absurda et inopinabilia ducentibus, eundem Marcionem saepe urget Tertullianus lib. I.: *Deus, si non unus est, non est, quia dignius credimus non esse, quodcunque non ita fuerit, ut esse debebit.* Et rursus: *Ex hoc quoque negabimus Deum, in quo non omnia, quae Deo digna sint, constent* etc. — *Qui igitur solem*] Ex effectis caelestibus docet providentiam et beneficentiam Dei in omnes nunc extendi; futurum autem grave iudicium in ingratos et blasphemos, cuiusmodi erant Marcionitae et Gnostici. — *Quibus religiosior Plato ostenditur*] Platonis philosophiam a vera Christianorum religione non ita multum abhorrere, quantis potest testimoniis ex illius scriptis adductis et cum praecipuis fidei nostrae capitibus collatis, ostendit Eusebius posterioribus sex lib. de praepar. evang. Augustinus quum decem capit. lib. 8. de civit. Dei, multa praeclara de Platone disseruisset, undecimo investigat, unde a quibusve didicerit tanta, quae religioni nostrae congruunt. Eorum reiicit sententiam, qui opinantur Platonem in sua apud Aegyptios peregrinatione Ieremiam prophetam

audivisse, et cum eo congressum: quam tamen lib. II. de doct. Christ. cap. 28. ut sui in Christo patris (ita enim de eo loquitur, a quo sacro fonte lotus fuerat) b. Ambrosii ex animo probaverat. Contendit postea Platonem sacras scripturas legere non potuisse, quippe quae in graecam linguam necdum translatae essent; quod de Sept. translatione verum quidem ostendit chronologia. At aliam fuisse ante Alexandri, imo et Persarum imperia: unde quidquid veri et recti docuerunt, hauserint philosophi, contendit Eusebius lib. 9. de praepar. cap. 3. et lib. 13. cap. 7. Libenter autem admittit Augustinus, Platonem acerrimi iudicii virum, sicut Aegyptias, sic et Hebraeas litteras per interpretem didicisse. — *Et Deus quidem*] Locus hic Platonis exstat Dialogo 4. de Legib. in quo pro *recte perficit*, quod hîc habetur, Ficinus *recta peragit;* ego forsan melius dixerim *recta pergit,* quum graece legatur *εὐθεῖαν περαίνει.* Deinde, quod Plato veterem de Deo sermonem usurpat, respexisse arbitror ad veteris Orphei carmina quae apud Proclum leguntur:

Ζεὺς πρῶτος γένετο, Ζεὺς ὕστατος ἀργικέραννος,
Ζεὺς κεφαλή, Ζεὺς μέσσα. Διὸς δ' ἐκ παντα τέτυκται. id est,
Iupiter primus est, Iupiter ultimus fulminator,
Iupiter caput, Iupiter medium. Ab Iove autem omnia facta sunt.

— *Et iterum*] Rursum ex Platone docet, mundum istum non ex igno- p.556.
rantia, labe, aut Aeonis aberrantis virtute conditum esse; sed divina caelestique virtute atque bonitate; quod etiam Cicero eundem Platonem asseruisse testatur lib. I. de nat. Deor. et lib. de universo. — *Nec labis fructum*] Sic ex vet. cod. restituimus: excusi *nec de his.* Paucis autem ea Gnosticorum figmenta constringit, quae latius lib. I. cap. 1. descripserat. — *Digna enim commentati et commentiti sunt*] Duas voculas ex vet. cod. addidimus, quae mire conveniunt. Alludere porro videtur ad haec verba Danielis ad alterum impurorum Susannae iudicum: *Recte et tu mentitus es in caput tuum.* Daniel. 13. Etenim ut illi suis adulteriis eius castitatem contaminare, sic haeretici ecclesiae sponsae Christi fidem doctrinamque temerare nituntur. — *Nos autem precamur*] Magna Patrum pietas, qui nec pro infestissimis ecclesiae hostibus orare desinebant. Sic Ignatius Smyrnenses hortatur pro haereticis orare, si quovis modo eos poeniteat.

GRABIUS: *Dividens Deum in duo*] Ast tria principia Marcionem p.555.
statuisse. a quibusdam memoria proditum est. Vide Athanasium de synodi Nicaenae decretis Tom. I. pag. 422. Cyrillum Hieros. Catech. XVI. Epiphanium Haeres. XLII. Damascenum de Haeresibus etc. Hinc in Dialogo Origenis, vel Maximi contra Marcionitas Sect. I. pag. 3. Megethius horum partes agens ait: *Ἐγώ φημι εἶναι τρεῖς ἀρχάς, Θεὸν τὸν πατέρα τοῦ Χριστοῦ ἀγαθόν, καὶ ἄλλον τὸν δημιουργόν, καὶ ἕτερον τὸν πονηρόν. Ego tria principia esse statuo, Deum Patrem Christi bonum, et alium conditorem mundi, ac ab his diversum, malum.* Et pag. 4.: *ἡ ἀγαθὴ ἀρχὴ τῶν Χριστιανῶν ἄρχει· ἡ δὲ δημιουργικὴ τῶν Ἰουδαίων· ἡ δὲ πόνηρὰ τῶν Ἐθνικῶν. Principium illud bonum praeest Christianis; mundi autem opifex Iudaeis; et malum ethnicis.* Immo vero Theodoretus lib. I. Haeret. Fabul. cap. 24. quatuor *ἀγεννήτους οὐσίας, ingenitas substantias,* Marcionem statuisse

refert, tres scilicet modo dictas, et *materiam, quae malo subsit.* Sed hi scriptores, aut memoriae lapsu aut inadvertentia, ipsi Marcioni attribuerunt, quod quibusdam eius sequacibus, vel corrivalibus, praesertim cuidam nomine Synero, competit, ut ex Rhodonis libro contra Marcionem, sive potius fragmento eius apud Eusebium lib. V. Hist. eccl. cap. 13. discimus, sequentia ibi legentes: *Ἀπὸ τῆς τούτων ἐγέλης Ἀπελλῆς μὲν μίαν ἀρχὴν ὁμολογεῖ· ἕτεροι δέ, καθὼς καὶ αὐτὸς ὁ ναύτης Μαρκίων, δύο ἀρχὰς εἰσηγοῦνται· ἄλλοι δὲ πάλιν αὐτῶν ἐπὶ τὸ χεῖρον ἐξοκείλαντες, οὐ μόνον δύο, ἀλλὰ καὶ τρεῖς ὑποτίθενται φύσεις· ὧν ἐστὶν ἀρχηγὸς καὶ προστάτης Συνέρως, καθὼς οἱ τὸ διδασκάλιον αὐτοῦ προβαλλόμενοι λέγουσιν. Ex illorum* (Marcionitarum) *grege Apelles unum fatetur esse principium. Alii vero, perinde ac Marcion nauta ille, duo introducunt principia. Alii rursum ab his, tanquam tempestate in peius abrepti, non duas solum, sed tres supponunt naturas; quorum princeps et antesignanus fuit Syneros, ut disciplinae illius sectatores memorant.* Quem Eusebii, vel potius Rhodonis ab Eusebio citati, locum respiciens Augustinus lib. de Haeresibus ad Quodvult Deum cap. 22. scribit: *Marcio, a quo Marcionistae sunt, qui Cerdonis secutus est dogmata de duobus principiis: quamvis Epiphanius eum tria dicat asseruisse principia, bonum, iustum, pravum. Sed Eusebius Synerum quendam, non Marcionem, trium principiorum atque naturarum scribit auctorem.* Synero praeivit, aut adstipulatus est Ptolemaeus in epist. ad Floram Tom. I. Spicilegii Patrum et Haereticorum Saeculi II. p. 78 seqq. De Marcione autem rem confirmat praeter Irenaeum Tertullianus lib. I. contra illum cap. 6. dicens: *Marcionem dispares Deos constituere, alterum iudicem, ferum, bellipotentem; alterum mitem, placidum et tantummodo bonum atque optimum.* Confer Origenem iamiam citandum. — *Alterum quidem bonum et alterum iudicialem dicens*] Ita et Origenes in Exodum Tom. I. Comment. pag. 17 seqq. Marcionitas innuens, ait: *οἱ δὲ ἕτερον Θεὸν φάσκοντες παρὰ τὸν δημιουργόν, δίκαιον μὲν αὐτὸν θέλουσι, καὶ οὐκ ἀγαθόν, σφόδρα ἰδιωτικῶς ἅμα καὶ ἀσεβῶς ἐνεχθέντες, ἐν τῷ χωρίζειν δικαιοσύνην ἀγαθότητος, καὶ ἀγαθότητα δίχα δικαιοσύνης. Quidam vero alium Deum afferentes praeter mundi opificem hunc quidem iustum esse volunt, sed non bonum: stulte id quidem et impie, quum iustitiam a bonitate separant et a iustitia bonitatem.* Et Comment. in Ioannem pag. 38. de iisdem loquitur tanquam *οἰηθεῖσι δίκαιον μὲν εἶναι τὸν δημιουργόν, ἀγαθὸν δὲ τὸν τοῦ Χριστοῦ πατέρα, existimantibus iustum quidem creatorem mundi, bonum vero Patrem Christi. — Et Deus quidem*] Placet Graeca Platonis verba, ex edit. Serrani Tom. II. pag. 715 seqq. transscribere, ita sonantia: *Ὁ μὲν δὴ Θεὸς (ὥσπερ καὶ ὁ παλαιὸς λόγος) ἀρχὴν τελευτὴν καὶ μέσα τῶν ὄντων ἁπάντων ἔχων, εὐθεῖαν περαίνει, κατὰ φύσιν περιπορευόμενος· τῷ δὲ ἀεὶ ξυνέπεται δίκη τῶν ἀπολειπομένων τοῦ θείου νόμου τιμωρός.*

p.556. — *Et iterum*] Dicere debebat Feuardentius, ubi Plato hoc docuerit, et indicare locum, ex quo Irenaeus citata verba depromsit. Id vero opus, is labor erat, quem, perinde ut Erasmus et Gallasius, subterfugit. Atqui locus est in Timaeo Tom. III. edit. Serrani pag. 29., ubi

expresse ait, quod ὁ δημιουργὸς ἀγαθός, *mundi opifex bonus* sit, quodque contrarium *dictu nefas* exsistat, μηδ' εἰπεῖν τινὶ θέμις. Et post alia, in fine dictae paginae sequentia habet verba, quibus et ista ab Irenaeo allegata continentur: λέγωμεν δή, δι' ἣν αἰτίαν γένεσιν καὶ τὸ πᾶν τόδε ὁ ξυνιστὰς ξυνέστησεν. ἀγαθὸς ἦν, ἀγαθῷ δὲ οὐδεὶς περὶ οὐδενὸς οὐδέποτε ἐγγίγνεται φθόνος. τούτου δ' ἐκτὸς ὤν, πάντα ὅτι μάλιστα ἐβουλήθη γενέσθαι παραπλήσια αὐτῷ. Ταύτην δὲ γενέσεως κόσμου μάλιστ' ἄν τις ἀρχὴν κυριωτάτην παρ' ἀνδρῶν φρονίμων ἀποδεχόμενος, ὀρθότατα ἀποδέχοιτ' ἄν. Quae Ioannes Serranus ita latine reddidit ampliora: *Quaeramus igitur caussam, quae eum impulerit, qui haec machinatus est, ut originem rerum, et molitionem huius admirabilis universi constitueret. Bonitate videlicet praestabat: in bonum autem nulla de ulla unquam re cadit invidia* (id est, nullam rem ulli unquam invidet). *Quum ab illa igitur liber et immunis esset, omnia voluit quam maxime sui similia generari. Hanc gignendi mundi principem primariamque caussam qui e sapientum hominum sententia statuerit, rectissime profecto statuerit.* Possem plura Platonis loca addere; sed brevitatis ergo unicum, eumque latine tantum, ex versione Serrani recitabo. Ita vero sonat Dialogo II. de Republica Tom. II. pag. 379. *Constanter attribuenda sunt consentanea Dei naturae; sive in heroico carmine, sive in lyrico, sive in tragoedia inducatur. Consentaneum est sane. Nonne constituendum est, Deum revera esse bonum, et ita constanter dicendum est? Quidni? — Neque igitur Deus, inquam, quandoquidem bonus est, omnium rerum caussa fuerit, quemadmodum aiunt multi — Bonarum quidem rerum caussa nulla alia statuenda est, praeter Deum; malarum autem aliae quaepiam caussae investigandae sunt; sed nullo modo Deus mali auctor existimandus est.* Et post aliqua, sequenti pag. 380. ita pergit: *Dicendum est, Deum bene et iuste egisse, atque eas illis poenas inflixisse, ut ex iis utilitatem aliquam reportarent. Verum et eos miseros esse, qui dent poenas, et Deum illum esse, qui haec agat: hoc vero minime concedendum est poëtae ut dicat. Sed si diceret malos homines, utpote per se miseros, suppliciis indigere, dum autem poenas dant, a Deo iuvari; illud quidem permittendum est, ab illis hactenus dici. Deum autem, quippe qui bonus est, cuiquam auctorem caussamque exstitisse mali, hoc vero omni contentione refutandum est, neque concedendum, ut quisquam haec vel dicat, vel audiat in civitate, si illam bene constitutam optamus — utpote quae dicta neque pia sunt neque utilia neque ipsa sibi ipsis consentanea atque congruentia. — Haec igitur una lex sanciatur et formula religionis constituendae — Deum bonarum rerum esse caussam, non omnium indifferenter, ut malarum, quae ab illo plane removeantur.* Ex quibus sole clarius elucet, Platoni eundem Deum et iustum et maxime bonum fuisse, non autem duos eum cum haereticis commentum esse.

MASSUETUS: *Assequitur iustitia, ut iuste probet; iustitia provocat iudicium*] Sic Feuard. in marg. Clarom. Voss. et Grab. Ceteri vitiose: *assequitur iustitiam; ut iuste probet iustitiam, provocat iudicium.* In eo vero commate *assequitur iustitia*, vocem *iustitia* in p.555.

ablativo casu accipio, pro *per iustitiam.* Quod autem Grabius suspicatur legendum: *assequitur iustitia. Nam ut iuste* etc. in hoc assentiri doctissimo viro non possum, uti nec interpunctionem eius sequi. Haud advertit sane Irenaeum a *probatione* gradatim ascendere ad *sapientiam,* ac proinde omnia secum optime cohaerere. — *Non similiter secundum dignationem* etc.] Id est, ut recte explicat Grabius, non congruam eximiis divinae bonitatis muneribus vitam duxerunt.

SELECTAE ANNOTATIONES ALIORUM

IN

LIBRUM IV.

PRAEFATIO.

FEUARDENTIUS: *Eum autem qui velit eos convertere*] Tum ex p.558.
hoc loco tum ex aliis non obscure colligitur, Irenaeum non verbis solum in haereticos fidenter decertasse, verum et illorum tractatus contentioso studio pervolvisse, quo fundamentis eorum quasi ab imo detectis, universam haereseon structuram melius postea demoliretur ac subverteret. Nec levioribus coniecturis ductus arbitror, magna quondam prudentia gravique consilio proceres ecclesiae, quum eius pacem turbare et doctrinam labefactare hinc inde emissis libellis suis studerent haeresiarchae, prudentes, sinceros et argutos quosdam ex suo coetu viros delegisse, qui istiusmodi codices perlegerent et praecipua capita fortioribus argumentis refellerent, absurdas impietates, quas coram evomere non audebant tenebriones, pii illi erutas et patefactas e medio tollerent et exstinguerent. Alii vero, quibus hoc negotium demandatum non esset, ut tanquam a nefariis rebus, libellis illis abstinerent, aut Constantini magni exemplo flammis absumendos traderent. Huic coniecturae fidem facere puto, quae tradit initio libri quinti, se nempe diluere his quinque libris impias sententias, quas suis in scriptis haeretici reliquerunt: quatenus postulationibus et praecepto eius, ad quem hos libros consecrat, morem gerendo, eidem plurima in subsidium praestet, quibus neophytorum sensum confirmet, errantes reducat et validis rationibus reprimat melioresque efficiat pervicaces. Accedit frequens illa scriptorum Valentini apud Clementem Alex. commemoratio: et ad Dionysium demissa e caelo vox apud Eusebium (lib. 7. hist. cap. 6.): *Lege omnia quaecunque in manus tuas venerint, quia probare quaeque, et singula discernere potes.* — *Quemadmodum enim serpens*] Convenienti certe et observa- p.560.
tione digna est haec haereticorum cum serpente collatio, quam rursus usurpat lib. 5. Eadem, sed fusius explicata, utitur Augustinus lib. 2. de Genesi contra Manich. cap. 25. 26. 27. et Athanasius magnus Orat. 2. contra Arianos: imo et Apostolus 2. Cor. XI. 3. — *Non so-*

lum apostatas eos faciens] Sic et Tertullianus lib. Praescript. *Persecutio* (ait) *martyres facit, haeresis apostatas tantum.* Et Augustinus haereticos de lethargicis phreneticos plane facere scribit, lib. de utilitate credendi cap. 18. Ceterum apostatae nomen usurpant profani scriptores pro eo, qui a proprio duce ad hostes deficit; sacri vero pro eo, qui a christiana et catholica religione ad ethnicos, Iudaeos vel haereticos. Ita Iustinus martyr in dialogo: Anacletus epist. 1. Hermas lib. 3. Cyprianus epist. 17. et 58. Paulus quoque insignem eam defectionem, quae Antichristi adventum praecedet, ἀποστασίαν nuncupat, 2. Thessal. 2.

p.559. GRABIUS: *Christum et Spiritum s. propter labem emissum docuerunt*] Supra pag. 13. lin. 13 seqq. Christum et Spiritum sanctum ideo a Monogene prolatos docebant, ut Aeones restaurati confirmarentur. Peccaverunt enim, desiderantes Bythum incomprehensibilem contemplari, iuxta pag. 10. lin. 12 seqq. Atque ne hac labe ulterius inficerentur, Christus eos docuit, quod incapabilis et incomprehensibilis sit Pater, quodque frustraneum sit eum comprehendendi desiderium. — *Salvatorem ab his Aeonibus, qui a labe emissi sunt, fructificationem esse*] Iesum τέλειον καρπόν, *perfectum fructum* Aeonum ab haereticis dictum pag. 14. lin. 22. legimus, quia scilicet singulos Aeones, quod habebant in se optimum atque florentissimum (ἀνθηρότατον) in eum contulisse fingebant, ut ibidem docetur. Istos vero Aeones dum a labe emissos dicit, hoc non ita accipiendum est, quasi a labe sive vitio originem ceperint: neque enim ista erat Valentinianorum sententia, qui in solum Demiurgum, sive mundi opificem hanc blasphemiam eiaculabantur; sed a labe *emissos,* id est *ereptos, liberatos,* intelligere necesse est (quamquam durior sit ista phrasis), siquidem haeretici *confirmatos* ac a labe restauratos Aeones Iesum,

p.560. mutua collatione facta, produxisse statuebant citata pag. 14. — *Eandem ei formam et appellationem tribuit Deus*] In s. Scripturis enim Spiritus sanctus diabolum *serpentem* appellat, de quo vide Iustin. m. Apologiam ad Antoninum Pium pag. 56 nostrae editionis, ac ibidem num. 5 et 6 annotata. Quo sensu autem Deus *formam* serpentis diabolo tribuisse ab Irenaeo dicatur, vix coniectando assequi potis sum, nisi forte permissam a Deo idololatriam ethnicorum respexerit, utpote qui Deos suos, id est daemonia, saepe sub signo serpentis coluerunt. Unde s. Iustinus loco citato ait: *παρὰ παντὶ τῶν νομιζομένων παρ' ὑμῖν Θεῷ (Θεῶν) ὅφις σύμβολον μέγα καὶ μυστήριον ἀναγράφεται. Apud quemque eorum, qui a vobis censentur, deorum, serpens magni instar symboli ac mysterii pingitur. — Extenditur malum in homines*] Id est: peccatum, in quod diabolus homines detrudit, augetur. Eva quippe ad inobedientiam seducta fuit; isti vero haeretici in blasphemias prolapsi.

p.559. MASSUETUS: *Qui a labe emissi sunt*] Id est, quos labes infecit. Neque enim haec plus aequo urgenda, quasi ab ipsa labe seu vitio originem sumserint Aeones: id quippe repugnat Valentinianorum hypothesi. — *Providentes*] Pro *praevidentes*: quo sensu *futura providere, providere quid futurum sit* scriptum a Cicerone. — *Eandem ei formam et appellationem tribuit Deus*] Id est, si bene coniicio:

angelum apostatam eadem iudicii forma, iisdemque verbis, quibus serpentem, damnavit Deus. Illum enim sub serpentis nomine compellabat.

CAP. I.

FEUARDENTIUS: *Cum Verbo suo*] Hac sententia et aliis com- p.561.
pluribus evidentissimum est, Irenaeum pie et orthodoxe de Filii aeternitate, deitate, et, ut ita dicam, consubstantialitate sensisse et docuisse. Etenim quantum ad coaeternitatem eius attinet, lib. 2. cap. 43. Filium infectum esse, Patrique semper coëxstitisse affirmat. Et lib. 4. cap. 37. *Verbum, id est Filius,* ait, *semper cum Patre erat.* Et lib. eodem, cap. 48. generationem ipsius, etiam angelicis mentibus inenarrabilem et ignotam omnino probat. Et ipsum Patri esse *ὁμοούσιον,* et vere, naturaque Deum aperte docet lib. 3. cap. 6. 12. 16. 18. 21. 23. et ut innumeros alios locos praetercam, ad extremum Praefationis in hunc librum, Patrem et Filium Dei nomine in Scripturis appellari, se manifestasse tradit. Multiplici autem testimonio concludit, unicum et solum verum Deum, atque rerum omnium conditorem ac Dominum esse. Primo, Spiritus sancti aeterna praedicatione; secundo, omnium vere docentium et credentium sententia; tertio, apostolorum constanti doctrina et consensione; quarto, ipsiusmet Christi Dei ac Domini nostri praecipientis eum invocare Deum et Patrem, qui in caelis est, gravissima auctoritate. Ex quibus infert, Gnosticos impostores esse perversissimos, qui alium Deum supra creatorem confingerent. — *Et eos qui adoptionis spiritum accipiunt*] Quo pacto Dei appellatio ad eos transeat, quos Pater per Filium adoptavit, explicat idem Irenaeus cap. 79. libri huius, nempe quod a Deo conditi sint, simulque doctrinae eius fidem adhibeant, et ad illius nutum seipsos componant. Hoc iterum exponit libro tertio, capite sexto. — *Quam et terram et Hierusalem appellant*] Inde arbitror Ebionaeos damnasse lib. 1. cap. 26. quod Hierusalem adorarent.

GRABIUS: *Quam et terram et Hierusalem appellant*] Frustra p.561.
omnino haec ad Ebionaeos refert Feuardentius. Valentinianos vero ea ferire patet ex superiori pag. 26., ubi et alia, quae hîc universe memorantur, spuriae istius matris cognomina recensentur.

CAP. II.

FEUARDENTIUS: *Recapitulationem*] Hieronymus Epist. ad Pau- p.562.
linum, vocat Deuteronomium secundam legem, et legis evangelicae praefigurationem. Theodoretus: *Deuteronomium continet recapitulationem eorum, quae lege cauta sunt, et gesta in libris Exodi, Levitici et Numerorum* etc. Quaest. 1. in Deuteron. Docet autem Mosis, Davidis, Isaïae clarissimorum prophetarum apertis testimoniis, eum et unum et solum Deum esse mundi conditorem, quem Christus in evangelio Patrem suum multoties appellat. — *Attende caelum*] Ita singulari numero legunt Septuaginta; Vulgata editio et Sanctes: *Auribus percipite caeli* etc. — *Quem et Christus*] Quod Christus hîc affirmare p.563.
dicitur, ad Patrem convenire oraculum istud, *Audi Israel, Dominus Deus tuus unus est*; non id facit, ut significet hoc ipsum sibi quoque

ac Spiritui sancto non competere, quemadmodum impie nugantur Serveti et Gentilis sectatores novi Ariani: quandoquidem ut de unaquaque divina persona sigillatim dicitur (ait August.) Pater Deus unus est, Filius Deus unus est, Spiritus sanctus Deus unus est; ita et de tribus coniunctim Pater et Filius et Spiritus sanctus, Deus unus est. Et rursum: Unus est Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus, hoc est, ipsa Trinitas unus est Deus, de quo dictum est: quia nullus est Deus, nisi unus, qui dixit: *Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est* (lib. 7. de Trin. cap. 4., lib. 3. cont. Maximin. cap. 10.). — *De me enim ille scripsit*] Christum Mosis et aliorum prophetarum ac universae legis finem unicum esse atque prope animam, probant tot ab evangelistis, apostolis, potissimumque a Paulo contra Iudaicam caecitatem et pertinaciam adducta ex lege testimonia; in hoc quoque tota versatur Stephani protomartyris concio Actor. 7. — *Non autem fabulam* cett.] Isthaec argumenta non esse Irenaei censuerunt, opinor, viri docti inter Germanos, quando in novissima Basileensi editione, his sublatis (rectene, nunc non disputo), alia substituerunt. Nullus ergo, eorum calculo, ex adductis verbis tanquam Irenaei auctoritate, narrationem hanc de divite et Lazaro, parabolam tantum, vel figuratam esse locutionem confirmaret. Verum, licet illa esse Irenaei concesserimus, non tamen statim sequetur totam narrationem parabolicam et confictam esse; sed tantum aliqua ex parte, ubi praesertim de digitis, de oculis, de siti et articulatis vocibus animorum sermo est: quum hic subiungat Irenaeus: *Non autem fabulam retulit nobis* etc. et lib. II. cap. 62. et 63. inde probaverit animas nec mori nec a corpore in corpus transire; id nunquam alioqui facturus ex parabola, quando ea de re Gnosticos frequenter damnaverit. Historiam igitur et rei olim gestae exemplum ac narrationem, nobis ultro id concedentibus Luthero, Bucero, Brentio et Calvino, non iniuria vocabimus. Ad hoc vel repugnantes urgent Tertulliani (lib. de Anima) argumenta, ubi ait: *Dolet apud inferos anima cuiusdam, et punitur in flamma, et cruciatur in lingua, et de digito animae felicioris implorat roris solatium. Imaginem existimas exitum illum pauperis laetantis et divitis moerentis? Et quid illic Lazari nomen, si non in veritate res est?* Alibi quoque (lib. de Resurrect. c. 17.), animas adhuc carnis exsules, torqueri vel foveri apud inferos, hoc exemplo probat. Rursus (lib. 4. contra Marcion.), Mosem et prophetas unicum Deum creatorem et Patrem Christi praedicantes, hinc Marcionem audire iubet, quod ex figurata locutione acutissimus et acerrimus disputator sane non fecisset. His accedit Graecorum et Latinorum Patrum mutuus consensus: Origen. Dial. 2. in Marcionitas, et in Psal. 16. Cyprian. epist. 18. Basil. hom. de Laudibus ieiunii, et in Regulis fusius disputatis, interrogat. 55. Hilar. in Psal. 122. Hieron. epist. ad Marcellam, et epist. ad Paullam: Methodii Ser. de Resurr. apud Epiph tom. I. lib. II. August. in Psalm. 145. et 147. Euthymius denique ex traditionibus Hebraeorum, rem vere gestam fuisse docet, divitemque illum Nynensem vocatum affirmat: cuius domus vestigia etiamnum ostenduntur ab incolis Hierosolymam peregrinantibus, ut episcopus Soarez sibi eam ab illis demonstratam profitetur, Com. in Lucam. —

Multi qui sunt ex circumcisione] Quindecim ordine succedentes epi- p.564.
scopos Hierosolymis ex Hebraeorum gente refert Eusebius lib. IV. Hist. cap. 5., qui omnes fidem et religionem Domini nostri Iesu Christi amplexati sunt, et apud alios magna diligentia propagare studuerunt. Multa etiam millia Iudaeorum in Christum credidisse docent Acta apostolica. — *Ne (inquit) iuraveritis*] Testimoniis prophetarum ac evangelistarum demonstrat, unicum esse Deum fabricatorem caeli et terrae, quo non potest esse maior, cuius Filium se confitetur Christus, salvans credentes et sperantes in se. — *Terra suppedaneum*] Septuaginta *ὑποπόδιον τῶν ποδῶν*. Cyprianus lib. II. adversus Iudaeos cap. 4. *suppedaneum* quoque legit. — *Qui enim super se*] Huic similis est Tertulliani ratiocinatio, qua probat, Deum unicum esse, quia summum magnum est, quo nihil superius et aequale excogitari possit, lib. I. contra Marcionem. Hinc etiam Prudentii antiquissimi et gravissimi poetae versus in Hamartigenia:

Aut unus Deus est, rerum cui summa potestas,
Aut quia iam duo sunt, minuuntur dispare summo.
Porro nihil summum, nihil plenis viribus unum:
Distantes quoniam proprium dum quisque revulso
Vindicat imperio, nec summa, nec omnia possunt.

— *Qui coeperant*] Delevimus *coeperunt* auct. vet. cod.

GRABIUS: *Adiutorium meum*] *Nostrum* sonat Davidis Psalterium, p.562.
quomodo supra pag. 216. legitur, quamvis et ibi Arund. et Voss. habeant *meum*. — *Separatim Christum intelligentes* cett.] Cerinthianos p.564.
quidem ita de Iesu et Christo statuisse e lib. I. cap. 25. patet. Ast prophetas ex altera substantia ortos dixisse eos, non constat. De Valentinianis igitur haec accipe.

MASSUETUS: *Dicens*] Respicit Irenaeus, ut bene observat Grab. p.565.
ad ea Dei verba Num. XXI. 8. *Fac serpentem aeneum, et pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eum, vivet.* Quin enim per serpentem aeneum significetur Christus, dubitare non sinit ipsius Servatoris auctoritas, Ioan. III. 14. dicentis: *Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto: ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Ad eadem procul dubio respexit Iustinus m. in Apologia ad Antoninum Pium, haec velut verba Mosis allegans: *ἐὰν προσβλέπητε τῷ τύπῳ τούτῳ καὶ πιστεύητε, ἐν αὐτῷ σωθήσεσθε. Si inspexeritis hoc signum et credideritis, salvi in eo eritis.* Nec necesse est cum Grabio hariolari, ista depromsisse Iustinum ex apocrypho quodam Mosis libro, vel glossema esse quod in codicem *τῶν ὁ* irrepserit: satis patet nihil aliud esse quam paraphrasin, aut versionem paullo liberiorem verborum Mosis.

CAP. III.

FEUARDENTIUS: *Quoniam malignantes*] Respondet figmentis p.566.
Gnosticorum: non idcirco Deum verum mutari, aut desinere esse, quod caelum sedes eius mutetur. — *Sed et praeteritionem*] Huic quaestioni dissolvendae etiam veteres Theologi incubuerunt. Chrysostomus quidem ex his locis (Hom. 14. ad Roman. et Hom. 10. ad

pop. Antioch.): *Vanitati subiecta est omnis creatura,* Rom. 8. et *Ipsi peribunt,* Psal. 101. itemque, *Caelum ut fumus deficiet,* Esaiae 51. existimat caelestia corpora et elementa ob peccatum primi parentis facta esse senectuti, corruptioni atque interitui obnoxia; in eius vero resurrectione et ipsa immortalitate donanda. Accedit Ambrosius (lib. I. Hexamer. c. 6.) refellens eos, qui ut perpetuitatem caelorum stellarumque assererent, ipsa quintum quoddam corpus aethereum esse finxerunt: contra dicente de his Davide: *Ipsi caeli peribunt;* et Domino in evangelio affirmante: *Caelum et terra pertransibunt,* Lucae 21 etc. His omnes fere graeci patres consentiunt, docentes caelum natura sua corruptibile esse; providentia vero sola Dei nunquam corrumpendum. Certe Iustinus martyr paucis quidem, sed firmissimis refellit Aristotelem dicentem, libro secundo de caelo, ipsum caelum nec ortum esse nec corrumpi aliquando posse; sed unum ac sempiternum. Confutatione dogm. Arist. item quaest. 93. 94. 95. orthodox. Novissimus autem idemque acerrimus huius sententiae vindex est August. Eugubinus (Com. in 2. epist. b. Petri c. 3.). Expendens enim haec b. Petri verba: *Adveniet dies Domini, in quo caeli magno impetu transient, elementa vero calore solventur* etc. indicat nimis coactam esse Scholasticorum expositionem, dicentium caelos nihil passuros, sed solum cessaturos a motu. Quod vero de caelis sidereis b. Petrus loquatur, et non de aëre, patere putat ex eo quod adiicit: *Elementa calore solventur.* Idem rursum Com. in epist. ad Heb. c. 1. sententiam suam confirmat ex his aliis b. Petri verbis (2. Pet. 3.): *Exspectantes adventum diei Domini, per quem caeli ardentes solventur et elementa ignis ardore tabescent. Novos vero caelos et novam terram iuxta promissum ipsius exspectamus.* Ad haec Ioannes in Apoc. (cap. 21.) *Vidi caelum novum et terram novam.* Et in Esaiae (cap. 65.) *Ecce ego creo caelos novos et terram novam.* Ex his Scripturarum testimoniis, inquit, nisi prorsus velimus verbis vim afferre, cogimur fateri futuram vere aliquam magnam caelorum alterationem per ignem, et non tantum solius motus cessationem, per quam alterationem novi quodammodo fundentur caeli et longe fient pulchriores. Haec iste. Hanc sententiam videntur etiam comprobasse Clem. Rom. lib. III. Recognit. Eusebius lib. XV. Praepar. evang. Nyssenus lib. de creatione hominis, Philastrius in Catalogo, Theodoretus in Com. Hieronymus lib. XIV. Com. in Esaiam, Oecumenius in 2. b. Petri, et alii multi. Cui tamen nunc reclamant omnes tam philosophorum quam theologorum scholae fortissimisque argumentis contendunt, corpora caelestia prorsus esse incorruptibilia et in sempiternum mansura. Habent namque substantiam ab elementorum natura longe diversam; et formam quae cunctas impressiones peregrinas, secumque pugnantes qualitates longe longius ab his propulset. Praeterea, iam tot tantisque saeculorum curriculis ita permanserunt incorruptibilia, ut nullum unquam aut senectae aut corruptelae praebuerint argumentum: nihil de horum amplitudine imminutum, nihil de ornatu ac specie detractum sit; quod eos sic in perpetuum mansuros satis ostendit. Haec denique sententia praeter omnes, uti diximus, Scholasticos, assertorem habet magnum antistitem Augustinum (lib. 20. civ. Dei cap.

24.), affirmantem sidereos caelos nec postremo incendio purgandos, nec quidem ab igne conflagrationis, qui faciem postremi iudicis praecedet, attingendos esse: sed aëreos tantum, id est elementa, quae in sacris litteris non semel caelorum nomine designantur. Acrius vero instanti in alteram sententiam educta argumenta de caelis sidereis intelligenda esse, cum b. Hieronymo (lib. 18. com. in Esaiam) respondendum, illud senescere. atteri, liquescere, dissolvi, transire atque perire, quod de illis dicitur, non omnimodam perditionem vel abolitionem significare: sed mirabilem in meliorem et splendidiorem statum designare commutationem, de qua Esaias ait: *Luna fulgebit ut sol, et sol septuplum lumen accipiet.* Paulumque recte dixisse: *Praeterire figuram mundi,* sed non substantiam. Denique Petrum et Ioannem non repromittere alios caelos, aut aliam terram; sed veteres iam renovatos et commutatos.

CAP. IV.

FEUARDENTIUS: *Adhuc* cett.] Irenaeus hoc capite confirmat, p.567.
nihil divinae amplitudini ac maiestati decessisse, ex eo quod Hierusalem subvertenda a Romanis aliisque gentibus derelicta sit, prius absolutis in ea humanae redemtionis per Christum mysteriis. — *De Hierusalem*] Hierosolymam quasi domum Dei Ebionitas adorasse retulit lib. I. cap. 26., sed in Marcionitas eum hoc capite disputare puto, qui vel ipsam in perpetuum staturam esse, vel veri Dei domum nunquam fuisse volebant; quorum utrumque absurdum est. Nam horribili clade eversa est sub Tito, rursusque sub Adriano, transmutato etiam veteri nomine, ut exstaret exemplum completarum universarum prophetiarum et Christi exhibiti, punitique Deicidii, et regnum Dei ad gentes translatum esse compareret. Haec amplissime tractat Tertullianus duobus capitulis lib. adversus Iudaeos. Veri autem Dei civitatem sanctam, haereditatem, et quasi peculium fuisse, propter legem, sacerdotium et promissiones de Messia, ex scripturis exploratum ac certum est. — *In Ioannem desivit*] Accommodato epitheto Tertullia- p.568.
nus vocat *Ioannem, limitem constitutum inter vetera et nova, ad quem desineret Iudaismus, et a quo inciperet Christianismus;* lib. IV. contra Marcionem. — *Inchoans a David*] Primus David Iebusaeis expulsis hanc urbem Hierosolymam nuncupavit: *Nam sub Abrahamo parente nostro* (ait Iosephus 7. Antiquit. cap. 3.) *Solyma vocabatur. Illam vero quondam Chananaeorum quidam potens condiderat,* scribit Hegesippus (lib. V. cap. 9.) *qui patrio sermone Melchisedech,* id est *rex iustus vocabatur.* Hieronymus tradit eam urbem quatuor nominibus vocatam fuisse: primo quidem Iebus; deinde Salem; postea Hierosolyma; et sua aetate ab Helio Hadriano, Heliam; epist. ad Marcellam, ad Eustoch. ad Dardanum et lib. de Locis hebraicis. — *Quandoquidem et figuram mundi*] Eodem ac fere pari exemplo utitur p.569.
b. Petrus apud Clementem, contendens pariter, mundi figuram aliquando dissolvendam. *Necesse est,* ait, *testam ovorum, quamvis pulchre et diligenter formata videatur, frangi, ut inde pullus procedat: ita et huius mundi necesse est transire statuam, ut status ille sublimior regni caelestis effulgeat;* lib. III. Recogn. — *Ioannes baptizator*]

Sic eundem frequenter nominat Tertullianus lib. de Anima et lib. contra Iud. — *Liber in arbitrio factus*] Referre haec ad hominem duntaxat ante lapsum, impudentia est, quam large coarguunt quae inferius habentur libri huius cap. 29. 70. 71. et 72. Ad actiones externas et politicas modo dirigere, impudentissimum: quum de his praecipue loquatur, quae coram Deo aut frumentum aut paleam, id est, regno Dei vel gehenna nos dignos constituunt. In his autem hominem liberum esse, adeo concors et unanimis est Patrum cum scripturis utriusque instrumenti sententia adversus Simonis Magi, Marcionis et Manichaei furores, ut magnum appareat mendacium Lutheri, dicentis in Colloq. p. 42. *Nomen liberi arbitrii odiosissimum fuisse omnibus Patribus.* Contra quod discipuli eius Centuriatores Magdeb. fateri coguntur, non tantum primi saeculi, verum et sequentium omnium doctores orthodoxos hanc doctrinam amplexatos esse; a quorum tamen religione, non sine horribili caecitate et gravissimo Dei iudicio deficere non verentur, ut in castra impiorum transeant. Sed Irenaei catholicam hanc sententiam explicent confirmentque similes aliquot Patrum sententiae. Tertulliani (lib. 2. contra Marc.) primum verba haec sunt. *Liberum, et sui arbitrii, et suae potestatis, invenio hominem a Deo institutum, nullam magis imaginem et similitudinem Dei in illo animadvertens, quam eiusmodi status formam.* Et paullo post: *Oportebat imaginem et similitudinem Dei, liberi arbitrii et suae potestatis institui, in qua hoc ipsum imago et similitudo Dei deputaretur, arbitrii scilicet libertas et potestas.* Et iterum: *Nec boni nec mali merces iuste pensatur ei, qui aut bonus aut malus necessitate fuisset inventus, non voluntate.* In prima editione hic signaveramus eundem Tertullianum arbitrii nostri libertatem rursum confirmare in Apologetico, lib. ad Scapulam, lib. de exhortatione ad castitatem, lib. de monogamia, lib. de patientia et lib. de carne Christi etc. at vero hos locos se non potuisse invenire, scribit Pamelius, nota 32. in secundum lib. Tertull. adv. Marc. hanc nostram citationem, quantum iudico, subnotans. Sed quum Tertull. Apolog. cap. 23. aperte scribit etiam *in Cacodaemonibus potestatem de suo arbitrio inesse,* et c. 28. *iniquum esse liberos homines invitos urgeri ad sacrificandum;* aequi rerum aestimatores facile mecum iudicabunt libertatem arbitrii ab illo constitui. Quum etiam libri de testimonio animae cap. 2. *animam rationalem* compellit, *palam et tota libertate quae sentit pronunciare;* et libri ad Scapulam cap. 1. profitetur Christianos *ultro prorumpere ad martyria,* et cap. 2. *naturalis potestatis dicit esse unicuique quod putaverit, colere, religionemque sponte suscipi debere, non vi:* homines libera mente praeditos esse manifeste praedicat. Quid vero apertius et firmius pro assertione libertatis nostrae, quam quod ait lib. de exhortatione ad castitatem cap. 2. *aliquid esse in nobisipsis: nobisque esse voluntatem eligendi, sicut scriptum est: Ecce posui ante te bonum et malum* (Deut. 30.) etc. *et quod in nostro positum est arbitrio, nos referre non debere in Dei voluntatem?* An non quoque hoc ipsum comprobat lib. de Monogamia cap. 5. loquens *de libertate ciborum* gentibus ab apostolis concessa, et cap. 10. viro ac uxori *animi sui licentiam a Deo datam* (Actor. 15.) adfirmans? Et lib. de

Patientia cap. 7. docens terrena *libenter* amittenda? cap. 8. *sponte* largiendum? cap. 10. *arbitrium* defensionis nobis non esse arrogandum? Ceteros locos praetermitto, eo quod etiam ab ipsomet Pamelio collecti sint, loco superius designato Mihi inpraesentiarum satis est, manifestis Tertulliani testimoniis evicisse, me recte illum in testem liberi arbitrii appellasse. Nunc illi adiicio Clementem Alex. (in protreptico) *Vestrum est,* inquit, *regnum caelorum, si velitis, qui liberam animi voluntatem ad Deum direxeritis: vestrum est, si tantum voluerritis credere.* Et in Paedag. (lib. I. cap. 9.) legatione Mosis ad Pharaonem, haec duo aperte ostensa colligit, et Deum praescivisse futurum, et eius benignitatem libero animi Pharaonis arbitrio largitum esse occasionem poenitentiae. Idem rursus lib. I. Strom. *Nec laudes,* ait, *nec vituperationes, nec honores, nec supplicia iusta sunt, si anima non habeat liberam potestatem et appetendi et aggrediendi.* Et iterum (Esaiae 1.): *Dicit propheta: Si velitis et me audieritis, bona terrae comedetis: in nobis situm esse arguens et eligere et declinare. Voluntaria enim est electio, et delectus voluntatis.* Et lib. 2. *Incredulus fundamentum salutis non habet, fidem voluntariam: nos autem qui libera et absoluta potestate eligere et vitare a Domino datum esse haminibus a scripturis accepimus, iudicio quod transmoveri non potest, fidei acquiescamus* (Deut. 30. Eccles. 15.). Et rursum: *Defectio et recessus et inobedientia sunt in nostra potestate, sicut etiam est in nostra potestate obedientia. Quocirca iudicantur, quae sunt voluntaria: non iudicatur autem, quod est involuntarium.* Et paullo post: *Peccatum est voluntaria iniustitia: iniustitia autem est vitium voluntarium. Non imputantur, quae non constant et instituto et libera electione.* Et lib. III. *Quemadmodum is est laudandus qui libertate usus est ad vivendum ex virtute: ita multo magis, qui dedit nobis liberam et nostri iuris potestatem, et concessit nobis vivere ut vellemus, est venerandus et adorandus, ut qui non permiserit ut nostra electio et vitatio serviret necessario.* Praetermittam consulto quae in eandem sententiam scribit idem fol. 110. 111. 113. 121. 140. 145. 149. 153. in libris Basileae excusis 1556. Locos tamen copiose signamus, ut crassissimi mendacii et sycophantiae convincantur Magdeburgenses, qui hunc Clementem cum aliis Patribus sibi hac in re non constare, sed secum pugnare, scribere non erubuerunt, Centur. 2. pag. 59. Accedat Iustinus martyr (in Dialog.). Is Deo visum esse profitetur, angelos et homines, quos obsequentes habere volebat, liberae potestatis ad bene agendum condere, ut iuxta ipsius leges iudicarentur, si quid a recto deflecterent. Idem in priore apologia. *Nulla laude* (scribit) *quicquid esset dignum, nisi esset ad utrumlibet flexibile.* In posteriore vero: *Nisi homines possent suo arbitratu turpia fugere, et honesta sectari, extra culpam fore quicquid agerent,* recte colligit. Sed hanc disputationem claudant gravissimae Petri apostoli adversus Simonem magum ratiocinationes, quas scriptis mandavit, qui aderat Clemens Rom. *Quomodo Deus iudicat secundum veritatem unumquemque pro actibus suis* (dicebat apostolus) *si aliquid agere in potestate non habuit? Hoc si teneatur, convulsa sunt omnia, frustra erit studium sectandi meliora, sed et iudices saeculi frustra*

legibus praesunt, et puniunt eos, qui male agunt: non enim in sua potestate habuerunt, ut non peccarent. Vana erunt et iura populorum quae malis actibus poenas statuunt; miseri erunt et ii, qui cum labore servant iustitiam, beati vero illi, qui in deliciis positi, cum luxuria et scelere viventes tyrannidem tenent. Secundum haec ergo, nec iustitia erit, nec bonitas, nec ulla virtus, et, ut vis, nec Deus. Omittam quae his penitus consimilia leguntur, apud Dionysium Areop. Ignatium, Martialem, Clementem, Hegesippum, Theophilum Antiochenum et reliquos primi saeculi Patres. Tantum, per eum, qui venturus est iudicare vivos et mortuos, obtestor Gnosticos posteriores, attendere quos suarum opinionum parentes, et quos auctores probabiles sive improbabiles sectentur: neque vereantur ad meliorem mentem et frugem redire, et manum ultro sibi oblatae veritati tradere.

p.567. GRABIUS: *Audent dicere*] Ii scilicet, qui Deum creatorem et regem in republica Iudaica non pro summo Deo agnoscere volebant, Valentiniani et Marcionitae. — *Apportatis ab ea*] Hierosolymam subintellige. ex qua apostoli in universum mundum emissi sunt, ut fructum multum ferrent.

p.567. MASSUETUS: *Audent dicere*] Qui Deum creatorem et Iudaeo-
p.568. rum dominum a summo Deo distinctum volunt. — *Legisdationem*] Ita recte Feuard. ex vet. cod. cui consentiunt Clarom. et Voss. Ceteri perperam *legisdationis*. Hoc enim pro *legisdationem* scriptum esse videtur a recentiore quopiam, qui pravae interpunctionis vitio, locum hunc non intellexit; nec advertit legendo *legisdationis*, legendum fore *inchoantem et adimplentem*. Sic igitur distinguenda et ordinanda periodus. *Ad impletionem eius* (legis) *advenerat Christus: et propter hoc lex et prophetae apud eos usque ad Ioannem; et Hierusalem itaque inchoans a David, et adimplens tempora sua.* Id est *ac proinde Hierusalem inchoans a David, et adimplens tempora sua erat usque ad Ioannem.* Quod subinde confirmat, hac addita nova sententia: *Legisdationem finem oportuit habere, manifestato novo Testamento.* Sic distinguendo facilis erit sensus, nec quidquam exci-
p.569. disse videbitur. — *Inanimalia et irrationabilia*] Ita recte vetus Feuard. cod. Clarom. Arund. Voss. et Grab. quibus et Merc. II. codd. quoad primam vocem consoni sunt. Alii perperam *et animalia irrationabilia*. Nam frumentum et paleas cum homine comparans Irenaeus, illa inanimalia et irrationabilia, hunc vero rationabilem dicit. — *Et secundum hoc similis Deo* etc.] Non sola cognoscendi vi imaginem Dei in homine repositam definit Irenaeus, verum ex parte solum; ut et in arbitrii libertate, et in intelligendi facultate consistat. Quae pluribus aliis ex antiquis Patribus communis sententia fuit.

CAP. V.

p.569. FEUARDENTIUS: *Ego testis*] Graecam Septuaginta lectionem sequitur, quae hic ab hebraica veritate et communi editione nonnihil
p.570. deflectit. — *Ego sum Deus primus*] Septuaginta ἐγὼ εἰμὶ πρῶτος, καὶ ἐγὼ εἰμὶ εἰς τὸν αἰῶνα, atque ita legit Cyrillus. — *Sed quoniam impossibile*] Fidem, quae revelationi divinae adnititur, necessariam esse, his verbis luculenter ostendit, nec sola duce natura homi-

nem ea omnia, quae saluti suae conducunt', per se noscere posse. Id comprobat rursus infra cap. 14. confirmant idem Clemens lib. I. recogn. epist. I. ad Iacob. et lib. VIII. const. cap. 1. Dionysius c. 7. de divin. nom. Iustinus lib. de Trinit. Hermas lib. II. mandat. 9. Theophilus Antioch. lib. I. ad Autolycum; Clemens Alexand. in protreptico 2. 5. 7. et 8. stromatωn; et Cyrillus Hierosol. tota catechesi quinta. Nazianzenus orat. 2. de pace: Rufinus expos. in Symbolum etc. — *Dominus enim noster*] Mosis, Stephani Danielisque verbis ostendit, eundem esse Dominum Deum, qui Patribus olim locutus est sub veteri testamento, et Christum misit, et resurrectionem mortuorum omnium est pollicitus. — *Quare non adoras Bel?*] Haec habentur cap. 14. Danielis, quod magna consensione Graeci et Latini saepenumero usurparunt: Tertull. lib. adv. Psychicos et lib. de idololatria; Cyprian. epist. 63. et lib. de laude martyrii; Hilarius lib. X. de Trinit. Prudentius lib. Cathemerinωn, hymno post cibum; Ambros. lib. II. offic. cap. 4. et lib. de Iacob patr. cap. 9. Basilius hom. in divites avaros. Susannae et Belis historias reiicere non audet e sacro canone Bibliorum Africanorum epistola ad Origenem, Eusebio referente lib. VI. hist. cap. 24. — *Ipse igitur Christus*] Aperte constan- p.571.
terque Christum profitetur unum esse cum Patre Deum vivorum, qui cum Patribus et Mose locutus sit: quod tam veterum quam novorum Ebionitarum, Cerinthianorum, Samosatenianorum et Arianorum haereses plane refellit. Is enim qui locutus est Mosi, seipsum appellat Iehova, quo nomine Iudaei simul et haeretici confitentur aeternam Dei essentiam et maiestatem significari. Christus autem cum Patre ille Deus est. Igitur natura et gloria cum eo unus Deus est, licet personali proprietate distinctus. — *Primum quidem*] Iosephus 1. antiq. cap. 7. *Primus Abraham praesumpsit pronunciare Deum creatorem unum esse cunctorum; reliqua vero licet ad felicitatem tendentia, per praeceptum praebentis singula quaeque dari, et non propria virtute consistere confessus est.* Et paullo post: *Proptereaque Chaldaeis et aliis Mesopotamitis in eum consurgentibus, migrationem eligens sequi per voluntatem et adiutorium Dei, terram Chananaeam late possedit.* Tradunt quoque alii Hebraei natum eum esse in Ur, urbe Chaldaeorum: qua postea discessit Carras Mesopotamiae, fugiens cultum ignis, quem Dei loco tyrannus Nemrod urgebat. Hinc iubente Deo, venit in terram Chanaan, ubi primum Deo vero altare construxit inter Hai et Bethel, secundum prope Sichem, tertium prope Hebron, quartum in Bersabee, quintum in monte Moria: et coemeterium uxori, sibi et posteris comparavit in spelunca duplici: filium denique incredibili fide ac obedientia Deo immolare voluit. Iccirco etiam a Spiritu sancto nominatur servus Dei, amicus Dei, dilectus Dei. pater fidei nostrae atque omnium credentium. — *Iuste autem*] Docet exemplo Abrahae, Deum sequentis, apostolos Filium Dei secutos esse; nosque pro Christo crucem ferre debere, ut Isaac ligna tulit, quibus erat immolandus: qui et spontanea oblatione sua Christi oblationem significavit. — *Fides enim*] Vetus cod. quatuordecim dictiones ex hac sen- p.572.
tentia desiderat, atque ita habet: *Fides enim ad Deum altissimum, qui constituit caelum et terram.* Nihil delere, sed tantum ex vet.

cod. duas voces, *enim* et *altissimum* inserere visum est. Ceterum unam nobiscum fidem Patres omnes veteres habuisse docent cum Irenaeo Eusebius lib. I. Hist. cap. 1. Epiphanius initio libri contra Haeres. Augustinus Tractat. 45. in Ioan. libro secundo contra litteras Petil. capite trigesimo septimo, libro decimo nono contra Faustum cap. 13. 16. 17. et in Psalm. 73. 77. Item contra Pelag. et Caelest. libro secundo, capite 25. Ne vero solius fidei assertores existiment Irenaeum suae impietati hoc loco favere, cogitent eum loqui de fide quae per caritatem operatur, ut sequenti mox apparebit capite. Item, eundem plurimis aliis locis, ut passim observamus, etiam caritati, obedientiae ac bonis aliis operibus iustificationem nostram adscribere. Denique apostolum Iacobum (Iacob. 2.) diserte constanterque praedicare, Abraham ex operibus iustificatum esse offerendo Isaac filium suum etc. et non ex fide tantum. Quo pacto vero hac in re bene inter se conveniant Paulus et Iacobus, docte et prudenter docet Aug. lib. 83. quaest. q. 7. et 76.

p.570. GRABIUS: *Ego sum Deus primus*] Frustra Feuard. annotavit, Septuaginta diversimode sonare: *ἐγὼ εἰμὶ πρῶτος, καὶ ἐγὼ εἰμὶ εἰς τὸν αἰῶνα.* Nam ab Irenaeo non iste locus Esaiae XLVIII, 12. allegatur, sed alter praecendenti cap. 16. vers. 4., ubi sacri Interpretes, perinde ut Irenaeus, habent: *ἐγὼ Θεὸς πρῶτος, καὶ εἰς τὰ ἐπερχόμενα ἐγώ εἰμι.* — *Neque elate, neque glorians* etc.] Haec opposita sunt blasphemis haereticis, Deum talia inani iactantia protulisse dicentibus, supra pag. 26. lin. 25. et pag. 109. col. 2. lin. 18.

p.570. MASSUETUS: *Adinvenisse*] In omnibus codd. tum editt. tum manu exaratis legitur *advenisse.* Sed manifestum esse scribarum sphalma nemo non videt; quod proinde emendare non dubitavi, quum maxime Irenaeus passim arguat haereticos, quod alterum Deum, vel alterum Patrem glorientur aut putent *adinvenisse* se. Sufficiat unum locum huic omnino geminum proferre ex lib. III. cap. 24. n. 2. *Eum vero qui non est, somniantes super hunc, ut magnum Deum putentur adinvenisse* etc. Vid. lib. II. cap. 26 et seqq.

CAP. VI.

p.572. FEUARDENTIUS: *Dominus enim*] Contendit ex Scripturis, et Filium ab aeterno Patrem novisse, et aliis manifestasse, vicissimque Patrem Filium suum hominibus revelasse. Deinde, Filium nec tunc incepisse esse, quum homo factus est; nec alium a Deo Patre suo mun-
p.573. dique conditore Deum annuntiasse. — *Si autem Christus*] Haeresis Ebionitarum ista fuit, de quibus supra libro primo, capite 26. lib. 3. cap. 24. et infra cap. 59. libri huius; et apud Eusebium libro tertio Histor. capite vigesimo septimo. Eandem impietatem secuti sunt Cerinthus, Carpocrates, Artemon, Theodotus. — *Et bene Iustinus in eo libro*] Eusebius lib. IV. Histor. cap. 17. vitam operaque Iustini describens, huius loci meminit. Ceterum, insignis constantiae in retinenda semel accepta vera religione verba sunt; quibus non dissimilia pronuntiavit Clemens Rom. (lib. I. Recog.) quum beatus Petrus nollet eum adesse concertationi adversus Simonem magum susceptae. —
p.575. *Credere autem ei*] Hinc perpende, quo sensu dixerit superiori capite,

fidem iustificare hominem, eam nempe, quae per caritatem operatur. Galat. 5. — *Etenim per ipsam conditionem*] Insignis certe locus de cognitione Dei ab operibus eius desumenda. *Conditio,* inquit, id est creaturae opificium, revelat Deum creatorem: mundus fabricatorem suum demonstrat: opus manifestat opificem: Filius, Patrem suum. In eundem sensum ait Sapiens (13, 5.): *A magnitudine enim speciei et creaturae cognoscibiliter poterit creator videri.* Et apostolus: *Invisibilia enim Dei* etc. Rom. 1, 20. Et de his in superioribus iam dictum est. — *Oportebat enim veritatem*] Quantum valeant ad confir- p.576.
mationem veritatis exterorum testimonia, docet Augustin. lib. 18. de Civit. cap. 47. Ceterum Novatianus lib. de Trin. his Irenaeo subscribit: *Firmum est genus probationis, quae etiam ab adversariis sumitur, ut veritas ab ipsis veritatis inimicis probetur. — Et ab extraneis*] Extraneum a professione Christianorum Iosephum fuisse testatur Hegesippus libro II. capite 12., qui tamen de Christo Domino ita scribit (lib. 18. Antiq. cap. 6.): *Fuit Iesus sapiens vir, si tamen virum nominare eum fas est, mirabilium operum effector, et doctor eorum hominum, qui libenter, quae vera sunt, audiunt: Christus hic erat.* Pilatum Tiberio Caesari miracula mortemque et resurrectionem Christi nuntiasse tradit Tertull. cap. 21. Apologetici; Pilati autem epistolam transcribit in Anacephalaeosi librorum suorum, de excidio Hierosolymorum, Hegesippus. Adstipulatur istis Nicodemus in fine Historiae de passione et resurrectione Domini, asseverans Pilatum in sui Praetorii codices publicos retulisse omnia, quae inter Christum et Iudaeos gesta sunt; Annam et Caipham pontifices adiurasse, eosdemque de Iesu Deitate optime respondisse. Abgari Edessenorum principis epistolam ad Christum et Christi responsum habet Euseb. lib. I. cap. 13. Plura ex Porphyrio, nefario Christianae pietatis desertore et hoste, testimonia citat idem Eusebius lib. V. de Praepar. evang. cap. 1. 6. 8. — *Et ab apostaticis spiritibus*] Consultum duplici hecatombe daemonium in theca Apollinis latens, imperatori Romanorum haec respondisse auctor est Niceph. (lib. I. cap. 17.)

Me puer Hebraeus, divos Deus ipse gubernans,
Cedere sede iubet, tristemque redire sub Orcum:
Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris.

Eusebius non ambigit de Christo Domino intelligenda esse ea, quae narrat Plutarch. nimirum, spiritus quosdam temporibus Tiberii Caesaris iussisse nautas nuntiare, magnum Pana Deum mortuum esse, lib. V. de Praepar. cap. 9. August. lib. de Consensu evang. cap. 15. ex Porphyrio recitat quosdam philosophos Deos suos consuluisse, quid de Christo censerent; illosque testimonium de ipso rectum perhibuisse. De his rursus multa lib. 19. de Civit. cap. 23. — *Et* p.577.
unus Spiritus, et una salus omnibus credentibus in eum] Quum Spiritum sanctum nulla in re separet a Deo Patre et Filio, eius divinitatem hic aperte agnoscit; sed uberius adhuc et apertius infra cap. 22. et 37. libri huius, et passim lib. V. ex quibus sententiis non dubitavit Basilius magnus eiusdem Spiritus sancti deitatem confirmare, lib. de Spiritu sancto cap. 29. Apparet itaque Magdeburgenses ma-

gna maledicendi libidine scribere, hunc sanctiss. martyrem Spiritus sancti divinitatem nusquam asserere, Centuriae 2. pag. 40.

p.573. GRABIUS: *Et Marcus*] Memoriae lapsum puta: neque enim in s. Marci evangelio hoc Servatoris dictum reperitur. — *Qui peritiores apostolis volunt esse*] Eodem dicterio Marcionitas perstrinxit supra lib. III. cap. 12. n. 13. Unde et hîc eosdem respexisse colligo, licet de haereticis universe ita fere scripserit lib. III. cap. 2. — *Nemo cognovit*] Dices, Marcionis quoque codicem Luc. 10. (nam s. Matthaei evangelium reiiciebat) habuisse in praesenti: *Nemo scit, qui sit Pater,* ut ex Tertulliani lib. IV. contra ipsum cap. 25. patet. Unde nec Epiphanius Haeres. XLII., ubi omnia a Marcione corrupta loca notat, huius ullam facit mentionem. Respondeo, Marcionitas videri, paullo post Irenaei aetatem, hunc textum correxisse. Neque enim religioni ipsis fuisse evangelium subinde mutare, Tertull. cap. 5. citati libri animadvertit his verbis: *Nam et quotidie reformant illud, prout a nobis quotidie revincuntur.* Mirum autem, quod Iustinus m. Apol. I. pag. 122. lin. 20 seqq. verba Christi citaverit, perinde ut haeretici legerunt. — *Si autem Christus tunc inchoavit esse*] Sensum hoc loco talem esse coniicio: Licet Marcion cum Ebionitis absurde supponere voluisset, Christum tunc initium cepisse, quum de Maria virgine natus est, nec antea Verbum substantiale Patris exstitisse, per quod se prophetis aliisque manifestaverit; neque sic tamen diversum ab eo, quem prophetae cognoverunt, Deum fingendum fuisse, sed potius inquirendum, quam ob caussam Deus veteris Testamenti, humap.574. nae salutis incuriosus, tam diu se absconderit. — *Utraque Deo nobis praebente*] Ad haec usque verba, sive inclusive sive exclusive, Iustini locum protendi puto. Cuius rei certiores esse possemus, si citatum contra Marcionem *σύνταγμα* esset superstes. Sed de hoc vide Spicileg. Patrum Saeculi II. pag. 166 seq.

p.573. MASSUETUS: *Qui peritiores apostolis volunt esse*] Valentinianos et Marcosios respicit, ut patet ex lib. I. cap. 20. n. 3. non Marcionitas, ut autumant quidam. Ab his enim corruptum fuisse hunc evangelii Lucae (quod solum admittebant) locum, non memorat Epiphanius Haer. XLII. ubi tamen diligenter recenset omnia a Marcione depravata loca. Immo Tertullianus lib. IV. contra Marcion. cap. 25. hoc ipsum testimonium ex persona Marcionis proferens, eodem modo legit atque nos: *Nemo scit qui sit Pater, nisi Filius; et qui sit Filius, nisi Pater, et cuicunque Filius revelaverit.* Eadem tamen ex eo inferebat Marcion atque Valentiniani, *Christum* videlicet *ignotum Deum praedicasse.* Corruptio enim magis in sensu, quam in verbis posita erat. Unde non adeo mirum quod s. Iustinus m. in Apol. I. verba Christi citaverit, perinde ut haeretici legerunt. Vide quae iam annotavimus ad lib. I. cap. 20. — *Caussas tantae negligentiae* etc.] Cur p.576. nimirum tam diu humanae saluti providere neglexerit. — *Significantibus*] Arund. *signantibus*, quam lectionem secutus est Grabius, quia legendum putat *sigilla.* Sed quum ea doctissimi viri coniectura parum firma sit, vulgatam lectionem, cui suffragatur maior exemplarium pars, retinere malui.

CAP. VII.

FEUARDENTIUS: *Ex semine eius*] Ita restituere ex vet. cod. p.577.
pro *ex sermone*, visum est. Porro non vulgarem et infimae conditionis Abrahae filium, Simeonem hunc fuisse tradunt Hebraei. Siquidem Talmudistae magni Hillelis auditorem, Gamalielis autem praeceptorem eum faciunt; atque unum ex his, qui ad collegium Sanhedrin, quod sceptrum Iuda putaverunt, pertinuerit. Rursusque miracula in templo non defuisse quadraginta annis, quibus ipse Domino ministravit. Nicodem. in hist. pass. et resur. summum sacerdotem semel et iterum illum appellat. Niceph. lib. I. cap. 12. illum dignitate, virtute vitaeque sanctitate inter Iudaeos excelluisse docet: quae annotare placuit adversus Magdeburgensium, Brentii et Calvini praepostera iudicia, quibus hunc privatum homuncionem, senem delirum, obscurae famae nulloque dignitatis aut officii nomine clarum faciunt. — *Nunc remittis*] Graece est ἀπολύεις, id est, decedendi ex hac vita potestatem facis, ut patribus meis adiungar. — *Non enim tantum*] Promissio- p.578.
nes factae Abrahae, eiusdemque exsultatio de futuri Messiae praenotione, etiam ad posteros eius et gentes crediturae pertinent. Ipse vero Messias quum venit, tum per se, tum per legatos suos unum Deum huic mundo nuntiavit. — *Hoc autem fecit Iesus*] Locum hunc eodem sensu et iisdem fere verbis interpretatur Clemens Alex. Deum ex lapidibus filios Abrahae suscitasse, quum iustitiam et cordis duritiem eorum, qui lapidibus duriores evaserant adversus veritatem, excitavit semen pietatis in Deum, virtutem sentiens ex lapidibus illis, nempe gentibus, quae crediderunt lapidibus. Orat. ad Graecos. Eodem pacto et Gaudentius Brixianus Tractat. 2. in evang. [Sed pro Evang. lege *Exodum;* quippe Tractat. in Exodum Gaudentius ait: *Potens enim Deus suscitavit de lapidibus istis, quondam durissimis* (gentibus) *filios Abrahae.* Grabius.] — *Propter hoc Iudaei*] Iudaei a Deo Patre simul p.579.
defecerunt, ut Verbum Dei, id est, Filium eius, prophetis sensim sese manifestantem et cum Patre ac Spiritu sancto cuncta condentem ac regentem perfide repulerunt. — *Ad Abraham*] Tertull. lib. de carne Christi: *Christus cum angelis apud Abraham in veritate carnis apparuit, sed nondum natae, quia nondum morituae.* Hoc idem copiose discutit August. lib. III. contra Maximin. cap. 26. Vetus cod. non habet *et Aaron.* — *Hic enim*] Vetus cod. *Haec enim Filius, qui est Verbum Dei, ab initio perstruebat. Praestruebat* retineo, quod familiare sit Tertulliano, et non rarum apud Irenaeum. — *Ministrat enim ei*] Contendit praecipue Deum Patrem ministerio angelorum non eguisse ad condendas res universas, ut post Simonem magum et Basilidem somniarunt quidam Iudaeorum rabbini: quum per Verbum, uti per sapientiam et virtutem et Spiritum sanctum, uti per bonitatem suam, sat superque sufficiens sit seipso quaecunque voluerit, efficere. Eodem sensu intelligenda existimo multa Patrum eius saeculi testimonia; ut Tertulliani, dum lib. contra Marcion. vocat Filium *ministrum Patris;* et lib. contra Praxeam, *vicarium Patris divini;* Iustini quoque martyris in Dialogo, quando Filium Patri *ministrantem et sententiarum eius exsecutorem* appellat. Duris enim alioqui his

formulis loquendi, haudquaquam Filium Dei a Patris natura alienum, aut potestate inferiorem esse volunt; sed vel ordinem emissionum vel seriem distinctionis hypostaseon innuunt. Aut denique deitatem ipsam, simulque omnipotentiam, sapientiam, omnem perfectionem et virtutem, quam Pater a seipso habet, Filium ipsum non a se, sed a Patre accipere, ad eumque haec universa referre, ut ad auctorem, docent, prout copiose explicat Novatianus sub finem libri de Trin. Enimvero Filium unam et eandem esse cum Patre et Spiritu sancto caussam primam effectricem et servatricem totius mundi, non autem velut inane ex se instrumentum Patris, non solum in praecedentibus ac sequentibus frequenter graviterque docet Irenaeus; verum etiam sacrorum Bibliorum firmissimis testimoniis palam efficitur. Ait enim ille: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (Ioan. 5). Et in Proverbiis genita Sapientia dicit: *Quando praeparabat caelos aderam, cum ipso cuncta componens* (Prov. 8). Igitur vel quum a Scripturis asseritur, *Omnia per ipsum facta esse: Per eum facta esse saecula: Omnia in ipso et per ipsum condita* (Ioan. 1, Hebr. 1); vel a Patribus dicitur Filius in mundi creatione moderationeque Patri ministrare; hoc non est intelligendum, tanquam esset organum instrumentumve ab agente natura vel potestate distinctum; sed duntaxat velut suppositum ab ipso Patre productum, et proprietate sua distinctum, cui ab aeterno una cum divina maiestate ac essentia sua, omnem quidvis secum agendi ac perficiendi potestatem ac virtutem contulerit. Hinc idem Irenaeus huius libri cap. 8. scripsit: *Is, qui omnia fecit cum Verbo suo, iuste dicitur Deus et Dominus.* Et ante hunc Iustinus martyr (Apolog. 1): *Unus revera est universitatis huius Deus, qui in Patre, Filio et Spiritu sancto cognoscitur.* Et rursum: *Verbum cum Patre ante creaturas exsistens et nascens, per eum primitus cuncta condidit et ornavit. — Sua progenies et figuratio*] Allusio est ad Pauli verba (Hebr. 1, 3): *qui quum sit splendor gloriae et figura substantiae eius* etc.; item ad haec Sapientis (Sap. 7, 26): *Candor est lucis aeternae et speculum sine macula Dei maiestatis.* Nec est quod ex hoc loco veteres aut novi Ariani aliquod impietatis suae patrocinium petant: quandoquidem, ut post Gregorium Nyssenum Theophylactus observat, per *splendorem* ostenditur essentiae unitas, qua Filius coaeternus et consubstantialis est Patri, non secus ac luci splendor: per *figuram* vero, naturae aequalitas.

p.578. GRABIUS: *Revelationem acceperunt ab ipso Filio*] Idem infra quoque pag. 331 docet, id mutuatus, nisi fallor, a s. Barnaba apostolo, qui in epistola catholica § 5 scribit: *Prophetae ab ipso* (Filio Dei)
p.579. *habentes donum, in illum prophetaverunt. — Ministrat enim ei*] Infra etiam pag. 441 Filius dicitur *ministrans Patris sui voluntati, τῷ τοῦ πατρὸς θελήματι ὑπηρετῶν,* uti Iustini quoque verba sonant in Dial. p. 340 E. Sed et post concilium Nicaenum Hilarius acerrimus Arianorum adversarius lib. XII de Trinitate sub medium una et eadem periodo Filio Dei et *aeternitatem* et *ministerium* Patri in creatione praestitum tribuit.

CAP. VIII.

FEUARDENTIUS: *Vanus autem et Marcion*] Non modo Marcionitas et Cainitas, Abraham aliosque veteres patriarchas damnantes, et Cain, gigantes, Sodomitas et similes reprobos caelo donantes, iuste hoc loco coarguit; verum ex praeclaris de eo per Christum, Spiritum sanctum, Mosem, Esaiam, Ieremiam et Danielem redditis testimoniis, beato sempiternoque in caelis aevo eundem perfrui constanter ac evidenter probat. Hanc haeresin ampliore disputatione refutavimus lib. I. Appendicis advers. haereses. — *Vindicabat enim* etc.] Christus vindex et salvator omnium, maxime autem fidelium qui quadam excellentia dicuntur semen Abrahae, illos etiam diebus sabbatorum curans non solvit legem, sed adimplevit, quum etiam illis diebus et parvulos circumcidere et pecorum curam habere Iudaei non prohiberentur. — *Continere enim* etc.] Otiari non erat simpliciter scopus sabbati, quando etiam sacerdotes eodem die ministeriis suis in templo et synagogis vacabant; sed a peccatis, quae vere servilia opera censentur, penitus abstinere et bonis erga Deum et proximum operibus vacare. — *Sed et esurientes*] Expurgat Christus discipulos a calumniis Pharisaeorum, quoniam lex sabbati non vetabat uti cibis appositis, quod ex sacris etiam panibus urgente necessitate fecit David. Adde quod veteres sacerdotes ac levitae, qui sacris operabantur, apostolos et pios omnes sacrorum christianorum ministros aperte designarunt. — *Sacerdos autem scitus fuerat David*] Eodem sensu David sacerdos hic dicitur, quo filii eius, 2. Regum 8. sacerdotes; id est, viri principes et primates: sic enim כֹּהֵן, pro quo Septuaginta ἱερεῖς habent, vertit Sanctes; aut certe in hoc particulari facto David sacerdotibus aequatus est, quod panes sacros urgente necessitate comederit. Demum potest David etiam sacerdos appellari, quod sacerdotibus leviticis sacros hymnos concinendos et proposuerit et una cum ipsis sit modulatus; simulque laudis, orationis et cordis contriti hostias spiritales magna religione obtulerit. — *Omnes enim iusti*] Sententiam hanc ex Irenaeo nominatim, sed paullo aliter transscripsit Melissa, Sermon. 1. partis 2. *πᾶς βασιλεὺς δίκαιος ἱερατικὴν ἔχει τάξιν*, id est: Omnis rex iustus sacerdotalem habet ordinem. Vult autem Irenaeus pios omnes regali iuxta atque sacerdotali munere fungi, dum carnis lascivientis impetus lege spiritus coërcent, atque hostiam viventem, sanctam et beneplacentem Deo secundum apostolicam institutionem seipsos exhibent; eleemosynas etiam et labiorum vitulos Deo optimo maximo offerunt. August. haec acute explicat lib. 20. de Civit. cap. 10. *Sicut omnes Christianos*, inquit, *dicimus propter mysticum chrisma; sic omnes sacerdotes, quoniam sunt membra unius sacerdotis. De quibus apostolus Petrus, plebs sancta, regale sacerdotium.* Porro nullum esse sacerdotium externum, quod non ex aequo quibuslibet conveniat viris, mulieribus, cerdonibus, agricolis, lanionibus, agasonibus et abiectissimis quibusque, exsecranda fuit haeresis Gnosticorum priorum, ut in Marco mago iam monstratum est, lib. I. cap. 9. et apud Tertullian. in Praescript. — *Sed semper altari* etc.] Vel hinc profecto facile est videre, Christianos a tempori-

p. 580. p. 581. p. 582.

bus Christi, apostolorum, martyrum et deinceps sua in templis altaria servasse, quibus Deo sacrificium incruentum corporis et sanguinis Christi in perpetuam mortis eius recordationem offerrent; quod etiam huius libri cap. 34. confirmat noster Irenaeus his Christi verbis: *Quum offers munus tuum ad altare* cett. Denique Deum velle nos offerre munus ad altare frequenter etc. Hunc porro locum adversus haereticos ex scripturis et Patribus fusissimè tractavimus libro primo Appendicis, in titulo *Altare.*

p.582. GRABIUS: *Πᾶς βασιλεὺς δίκαιος*] Ita hoc Irenaei dictum citavit Antonius Melissa Serm. I. Part. 2. annotante Feuard. et ante eum Ioan. Damascenus in Parallelis, lit. B. tit. 2. tam in Cod. Claromontano (ex quo eam edidit Halloixius in Vita Irenaei pag. 498) quam in Vaticano lit. B. tit. 9. uti certiorem me reddidit R. P. Michael Lequien, novus operum Damasceni editor brevi futurus. Veteris tamen interpretis lectio, quae non tantum regibus probis, sed iustis quibuscunque sacerdotalem tribuit ordinem, omnino retinenda videtur. Ceterum sententiam huius dicti quod attinet, Feuardentius vult, Irenaeum omnes pios sacerdotali dignitate ornare, quatenus *hostiam viventem, sanctam et beneplacentem Deo, secundum apostolicam institutionem, seipsos exhibent; eleemosynas etiam et labiorum vitulos Deo optimo maximo offerunt.* At vero phrasis *ἱερατικῆς τάξεως* aliquid amplius importare, ac idcirco Irenaeus in eadem fere cum Tertulliano sententia fuisse videtur, quod omnes fideles sint sacerdotali ordine ac potestate praediti, eiusque exercitium, ubi necessitas requirit, obire queant; licet ordinaria functio non nisi ordinatis ad sacra munia ministris competat. Ita quippe Tertullianus lib. de Exhortat. castitatis cap. 7. fatur: *Nonne et laici sacerdotes sumus? Scriptum est: Regnum quoque nos et sacerdotes Deo et Patri suo fecit. Differentiam inter ordinem et plebem constituit ecclesiae auctoritas, et honor per ordinis consessum sanctificatus. Adeo ubi ecclesiastici ordinis non est consessus, et offers et tinguis, et sacerdos es tibi solus. — Igitur si habes ius sacerdotis in temetipso, ubi necesse est, habeas oportet etiam disciplinam sacerdotis.* Quae verba, ut obiter id moneam, in B. *Rhenani* et *Pamelii* editione pessime vitiata sunt, et hunc in modum ibi leguntur: *Nonne et laici sacerdotes* (in editione Paris. 1616 *sacerdotibus*) *sumus? Scriptum est, regnum quoque nos et sacerdotes Deo et Patri suo fecit. Differentiam inter ordinem et plebem constituit ecclesiae auctoritas, et honor per ordinis consessum sanctificatus a Deo. Ubi ecclesiastici ordinis et consessus, et offert, et tinguit sacerdos, qui est tibi solus. — Igitur si habes ius sacerdotis in temetipso ubi necesse est habeas, oportet etiam* etc. Sed et alio ex loco mens Tertulliani patet, nempe ex lib. de Corona Militis cap. 3. ubi docet, *eucharistiae sacramentum omnibus mandatum a Domino; licet in ecclesia invaluerit mos, non nisi de praesidentium manu sumendi.* Ac priora quidem verba non modo de sensu Tertulliani, sed et de praxi catholicorum, contra quos ibi disputat, testari videntur; licet docti quidam viri ista, et *offers,* et *tinguis,* non de ipso actu, sed iure offerendi ac tingendi accipienda velint. Ast quicquid sit de hoc loco et aevo Tertulliani, de ipsis Evangelii pri-

mordiis clarissimum habemus testem Hilarium diaconum Romanum ad Ephes. IV. 2. ita commentantem: *Postquam omnibus locis ecclesiae sunt constitutae, et officia ordinata, aliter composita res est, quam coeperat. Primum enim omnes docebant et omnes baptizabant, quibuscunque diebus vel temporibus fuisset occasio. Neque Petrus diaconos habuit, aut diem quaesivit, quando Cornelium cum omni domo eius baptizavit; nec ipse, sed iussit fratribus, qui cum illo ierant ad Cornelium ab Ioppe: adhuc enim praeter septem diaconos nemo erat ordinatus. Ut ergo cresceret plebs et multiplicaretur, omnibus inter initia concessum est et evangelisare et baptizare et scripturas in ecclesia explanare.* De oblatione quidem sacrificii eucharistici, quae proprie sacerdotalem constituit ordinem, nihil ibi dicit Hilarius; ast non desunt, qui ex ipsa quidem s. Scriptura, et capite 11. primae Epistolae Pauli ad Corinthios idem recte se colligere putant, ex versu nempe 21. ubi apostolus ait: *Unusquisque praesumit coenam ad manducandum.* Sed haud ita clarus est hic apostoli locus, ut firmum inde argumentum deduci queat. Nec cuncta illa, quae ad Irenaei sententiam declarandam attuli, quasi in gratiam aut patrocinium schismaticorum, vel quorumvis ecclesiastici ordinis inimicorum, dicta accipi velim. Aliud est quippe in casu extremae necessitatis, ubi nullus est ecclesiastici ordinis consessus, haud praevia ordinatione, baptizare aut altero sacerdotis munere fungi: aliud in praesentia episcoporum et sacerdotum, eorum munus sibi arrogare. Illud venia, hoc poena dignum est. — *Patri suo, et matri suae*] Hinc confirmatur lectio cod. Alexandrini: *τῷ πατρὶ αὐτοῦ καὶ τῇ μητρὶ αὐτοῦ,* quum contra in editt. *τῶν ὁ* vox *αὐτοῦ* bis sit omissa. — *Non inquiro, inquit, datum; sed inquiro fructum*] Equidem Paulus de fructu non agrorum, qualem levitis tribuit epinomis mosaica, sed christianae fidei et caritatis loquitur; attamen ad illum alludere Irenaeo visus est. p. 583.

MASSUETUS: *Et Siloa etiam* etc.] Memoria lapsus Irenaeus Siloae piscinam cum Probatica confundere videtur. Illam enim *saepe sabbatis curasse,* nullibi legimus; at ad istius crepidinem iacuisse plures languidos in die sabbati, *exspectantes aquae motum,* e quibus unum — *triginta et octo annos habentem in infirmitate sua,* a Salvatore curatum fuisse, scribit Ioannes cap. 5. — *Sacerdos autem scitus fuerat David*] Apertus est verborum istorum sensus, nec in iis offenderet vel caecus quispiam. Nempe Davidem vocat *sacerdotem scitum,* quia *omnes iusti* (vel ut habet alia lectio mox indicanda, *omnis rex iustus*), *sacerdotalem habent ordinem.* Id ipsum est quod de piis quibusque christianis dixit Petrus epist. I. cap. 2. *Regale sacerdotium, sanctum sacerdotium esse;* videlicet, ut statim explicat, *ad offerendas Deo spiritales hostias.* Ecce tamen, Grabius primus omnium, quem sciam, iis Irenaei verbis misere abutitur, ut sanctissimum antistitem per fas et nefas et obtorto, ut aiunt, collo, Puritanis tradat, quasi illius sententia fuerit, *quod omnes fideles sint sacerdotali ordine ac potestate praediti, eiusque exercitium, ubi necessitas requirit, obire queant.* Quem absurdum sensum solus in Irenaei verbis expiscatus fuerit; nullus certe alius ex mortalibus, si sanus fuerit, deprehenderit. Sed de his consule Dissert. III. art. 8. §. 100. ubi frivola novi p. 581. p. 582.

editoris argumenta late expendimus dissolvimusque. — *Omnes enim iusti sacerdotalem habent ordinem*] Sententiam hanc ex Irenaeo nominatim, sed paullo aliter transscripserunt Ioannes Damascenus in Parallelis lit. B. tit. 2. tam in cod. Clarom. (ex quo eam edidit Halloixius in Vita Iren. pag. 498.) quam in Vaticano lit. B. tit. 9. et Antonius Melissa Serm. I. part. 2. *Πᾶς βασιλεὺς δίκαιος ἱερατικὴν ἔχει τάξιν. Omnis rex iustus sacerdotalem habet ordinem.* Quae quidem lectio, mea quidem sententia, vulgatae praeferenda videtur: arctius enim cohaeret cum ea quae praecedit de Davide sententia. Eam tamen, nullo hactenus favente codice Latino, textui inserere, religio esset.

CAP. IX.

p.583. FEUARDENTIUS: *Unius igitur et eiusdem*] Utriusque Testamenti docet unum esse auctorem ac finem scopumque praecipuum. Nam in veteri novum promittitur. De hoc fine Augustinus Praefat. in Psal. 140. ait: *Quidquid de qualibet divina pagina exsculpitur, non habet finem, nisi caritatem.* Et Bernardus: *Ille tenet quidquid latet, quidquid patet in divinis sermonibus, qui caritatem servat in moribus. — Propterea omnis scriba*] Ita hunc locum post Irenaeum interpretatur Origenes, ut per nova, evangeliorum et apostolorum oracula; per vetera autem, legis et prophetarum illis omnino consentanea significentur. Sequuntur hanc expositionem Chrysostomus, Theophylactus et ex Latinis Hilarius, Hieronymus, Augustinus 20. de Civitate, et in quaest. super novum Testamentum, Gaudentius Brixianus Tractat. 7. Impudens ergo Gallasius, qui beati Irenaei sententiam ridens, mavult apostatae et furciferi Marlorati rhapsodias, quam tam doctorum et piorum patrum sententiam sequi. — *Scribas autem*] Qui fit, ut hic apostoli scribae et doctores vocentur, in Actis vero idiotae, explicat
p.584. Origenes in 13. cap. Matthaei. — *Nova* [nos: *novum*] *autem*] Aut retinet genus graecae vocis *νέα διαθήκη*, novum Testamentum; aut certe novam conversationem secundum evangelium, novum vocat testamentum. — *Plus est enim*] Videtur praeoccupatio, qua dissolvit argumenta, quibus Marcionitae aliique Gnostici ex detortis aliquot Scripturae locis abutebantur ad diversos Deos confingendos. Ac primo quidem concedit, novum Testamentum veteri longe praestantius esse, ut lumen maius minori, aqua copiosior minus abundanti et potior gratia superat exiguam; hoc tamen non efficere, ut alius et alius sit
p.585. Deus utriusque conditor. — *Novo enim Testamento*] Docet veteres prophetas ea praenovisse et annuntiasse, quae in novo Testamento futura erant; hoc ipsum autem Christum et apostolos toties comprobare, quoties illorum utitur figuris aut testimoniis, ut doctrinam evangelicam stabiliant. Inde vero concludit, eum vere Christum mundo praedicatum esse, quem Pater sub lege promiserat; atque sic unicum esse Deum, qui pro diversis temporibus diversa quidem, sed non contraria tulit praecepta. Quod si unum et alterum Deum comminiscaris;
p.586. et tertium et quartum ac innumeros fingere licebit. — *Terreno quidem*] Vetus cod. *Ante terrenum quidem et temporalem regem* etc. Si placuerit excusa lectio, interrogationem assertione plenam ex comparatione regis cum Deo esse existimarem. — *Et adhuc* (nos: *ab hoc*)]

Vet. cod. *ab hoc:* utrumque servare visum est. Ceterum loco huic nonnihil lucis afferent Prudentii versus gravissimi (in Hamartigenia), quibus Marcionitas ita exagitat:

Si duo sunt igitur, cur non sunt multa Deorum
Millia? cur numero Deitas contenta gemello est?
An non in populos dispersa in numina divum,
Fundere erat melius, mundumque implere capacem,
Semideis passim nullo discrimine monstris?

GRABIUS: *Omnis scriba*] Invehitur Feuardentius in Gallasium, qui in hunc Irenaei locum et sensum animadverterat. Sed omittit, quod praecipue ad Irenaei defensionem facit, nempe istud ex parabolis evangelicis argumentandi genus, prisca illa aetate inter haereticos pariter ac Catholicos receptum fuisse, ac in eo potissimum quartum hunc librum versari, clarioribus Christi dictis, indeque ductis argumentis libro V. reservatis, ut ipse Irenaeus profitetur in fine libri quarti, et initio libri quinti. — *Et doctores*] Hos addidit et *prophetas* omisit Irenaeus ex memoria hunc locum allegans, ut ex sequenti quoque commate patet. — *Aut iustificatus sim*] Haec interpretem vel vetustum scribam ex Italica versione adiecisse puto, cui hoc interpretamentum ex 1. Corinth. IV. 4. citato loco insertum fuisse, ex Hilarii Comment. aliisque constat. — *Diligitis — in quem nunc videntes*] Haec verba, quae alioqui in syriaca versione mutila, ac in principio epistolae s. Polycarpi omissa sunt, Irenaeum legisse, ex hoc loco et lib. V. cap. 7. colligo; praesertim quum hic ita praefatus sit: *In quem* (Christum) *et credimus; quem et diligimus, quemadmodum Petrus ait* etc. Et *fidei* igitur et *dilectionis* mentio in adducto Petri versu ab Irenaeo occurrit. Ceterum antiqua quoque epistolae Polycarpi versio latina ista Petri verba expressa habet, ut et graece Clemens Alex. lib. IV. Strom. pag. 525. — *Perfectum salutis*] Ita vet. Cod. Feuard. et Voss. Sed Erasm. Gall. Arundel. Merc. II. habent *per effectum* pro *perfectum.* Denique Feuardentio utrumque retinere visum est. Sed, nisi me coniectura fallit, legendum: *ad perfectum salutis,* i. e. *ad perfectam salutem;* quomodo pag. 380. lin. 6. de homine loquitur, velut per diversos gradus *perveniente ad perfectum, πρὸς τέλειον ἀνερχομένου.* Et inferius pag. 409: *Nunc autem partem aliquam Spiritus eius sumimus ad perfectionem et praeparationem incorruptelae, paullatim assuescentes capere et portare Deum.* — *Sermonem Dei*] Ita cum Irenaeo habent Syrus, Persicus et Aethiopicus interpretes, nec non cod. Cantabrigiensis; quum edita s. Matthaei exemplaria *ἐντολὴν* non *λόγον Θεοῦ* sonent.

MASSUETUS: *Per Testamenta maturescere perfectum salutis*] Sic recte vetus Feuard. cod. et Clarom. et forte etiam Voss. cod. Hic saltem consentit quoad *perfectum*; de voce *Testamenta*, quam habent Erasm. Gall. et Feuard. ambigo: siquidem Grab. excudi fecit *Testamentum:* an codicis Voss. an alterius auctoritate? non dixit. Ceterum pro *perfectum* Erasm. Gall. Arund. et Merc. II. perperam habent *per effectum;* nec melius utrumque retinere Feuardentio visum est. *Perfectum* autem *salutis* dixit Irenaeus pro *perfectione* seu *consummatione salutis,* gloria videlicet aeterna: quo sensu paullo ante

scripsit: *sicut igitur adveniente perfecto, non alterum Patrem videbimus* etc. Ac proinde sensus est: *ut possint semper proficere credentes in eum, et per varia sibi invicem succedentia Testamenta maturescere queat salutis humanae consummatio.* I. e. per varia Testamenta possint homines paullatim ad gloriam aeternam perduci.

CAP. X.

p.587. FEUARDENTIUS: *Bene igitur et Ioannes*] Quod nuper dixit, prophetas novum Testamentum praenovisse et praedicasse, nunc Christi testimonio manifestum facit, ex quo sequitur eos ab eius Patre afflatos fuisse, Mosem praesertim, qui et adventum et passionis diem et locum clare praedixit. Ex vet. porro codice substituimus *Dominum* pro *Deum*, deinde *praeinstruentes* loco *praestruentes*. — *Aliquando quidem*] Vetus codex hîc quaedam addit, quaedam desiderat. Germanam lectionem decem adiectis ex illo vocibus, et unica sublata, restituimus. Tertullianus locum hunc imitatus est, contendens non Patrem, sed Filium quaesisse Adam in horto; arcam post introitum Noë clausisse; apud Abraham sub quercu refrigeratum; Mosem de rubo vocasse; ac orbem totum aquarum violentia punivisse, lib. con-
.588. tra Praxeam num. 11. et 12. — *Pascha nominans*] Non quod ipso die solennissimo Paschatis, id est magno die sabbati, Christus passus sit, ut satis colligi potest ex cap. 19. Ioannis; nec quod illa ipsa hora qua comedebatur agnus; sed eo ipso tempore, quod inter esum agni et sabbatum magnum interfluxit, quod tempus more Iudaeorum vocantur dies Paschae. Ex hoc quoque loco existimatur Irenaeus iudicasse, vocem Paschatis deductam esse a graeco verbo *πάσχειν*, quod pati significat: quod certe illi commune fuerit cum Tertulliano lib. contra Iudaeos cap. 10. Nazianzeno Orat. 2. de Paschate: Lactantio lib. IV. cap. 26. Arnobio Rom. in Conflictu cum Serapione, et aliquot aliis: quum tamen vere hebraïca vel potius chaldaïca sit, et transitum significet, vel angeli percutientis Aegyptios iuxta Hieronymum (Comm. in Mich. et Matth.), vel populi Israëlitici ex Aegypto per medium mare transeuntis in desertum, ut est Nazianzeni et Augustini sententia. Sed veteres illi dicentes Pascha a *πάσχειν* deduci, non tam ipsius vocis etymon, quam mysterii rationem habuerunt. — *Et extremitatem temporum et signum occasus solis*] Sic ex vet. cod. restituimus; excusi: *ex extremitate temporum et signum occasum solis.* — *Non deerit princeps in Iuda*] Non mirum est recentiores Iudaeorum rabbinos pro innata sibi adversus christianam religionem rabie, pernegare hunc locum intelligendum esse de Christo Iesu. — *Et ad ilicem*] Ilex species est arboris glandiferae, quae hîc nequit convenire, quum Gen. 49. versio latina vitem, et hebraea littera Sorec, et septuaginta *τῇ ἕλικι* habeant; itaque *Helicem* legerim cum Cypriano lib. I. adversus Iudaeos cap. 21. secundum correctionem Morelii et Pamelii. Ambros. lib. de benedictionibus patriarcharum cap. 4. habet *cicilium*; Sanctes *ramum* vertit; Origenis interpres *ad palmitem.* — *Lavabit in vino*] Hunc locum scripturae Iustini martyris (in Dialog.) illustrabit interpretatio: *Significabat Moses*, ait, *abluendos Messiae sanguine, quotquot in eum crederent. Nam Spiritus sanctus stolam vocat eos,*

qui per ipsum remissionem peccatorum accipiunt. Ceterum sanguis uvae significat habere quidem Christum sanguinem, non tamen ex humano semine, sed ex Dei potentia, sicut vitis sanguinem, non homo, sed Deus genuit. In eandem sententiam descendunt Tertull. 4. contra Marcionem. Orig. hom. 17. in Genes. Clemens Alex. lib. I. Paedagogi: Athanasius quaest. 105. ad Antiochum: Chrysost. hom. 67. in Genes. Theodoretus quaest. 109. in Genes. Ambros. lib. de benedictionibus patriarcharum cap. 4. et Augustinus 12. contra Faustum cap. 42. quos omnes iudaïco plane supercilio audet Calvinus in commentis suis hac de causa carpere et notare. — *Et erit vita tua pendens*] Hunc locum de crucis mysterio post Irenaeum interpretantur Cyprianus lib. 2. adversus Iudaeos cap. 20. Rufinus in exposit. Symb. Tertullianus lib. contra Iudaeos. Athanasius lib. de incarnatione Verbi. Augustinus lib. 12. contra Faustum cap. 5. Novat. lib. de Trinit. et Lactantius lib. 4. cap. 18., quorum interpretationes sequi oportet, contemtis Calvinianorum iudaicis irrisionibus. — *Possedit*] Expunximus *possidet*, auct. vet. cod. et consensu vulgatae editionis Bibliorum. p.589.

CAP. XI.

FEUARDENTIUS: *Quoniam autem*] Veteres prophetae et noverunt et videre peroptarunt Christum in carne, ipso per Spiritum sanctum in Scripturis seipsum multis modis revelante; et sine sui mutatione plurima beneficia mortalibus donante; et gratos quidem abundantius munerante, ingratos autem severe puniente. p.589.

GRABIUS: *In dolore animae*] Haec cum praecedentibus construenda puto, non cum sequentibus, *cognoverunt suum regem* etc., quibus in editt. sunt iuncta. Hoc enim *cum magna laetitia et exsultatione* fecerunt, uti mox additur. p.591.

CAP. XII.

FEUARDENTIUS: *Ostendens quod austero*] Hieronymi interpretatio huic omnino similis est. *Lex Dei pura atque sincera,* scribit ille, *violata est traditionibus Pharisaeorum: quod Dominus in evangelio planius docet: Omisisse eos legem Dei et sequi mandata hominum. Omnisque doctor, qui austeritatem Scripturarum vertit ad gratiam; et ita loquitur, ut non corrigat, sed delectet audientes, vinum sanctarum Scripturarum violat atque corrumpit sensu suo.* — *Et neque agnitionem sine dilectione*] Vides quantum recedat a Gnosticorum placitis, quibus totum salutis nostrae negotium soli fidei inniti volunt, dilectionis operibus nihil omnino deferentes. — *In lege igitur*] Persequitur probationem eius, quod legis ac evangelii idem sit auctor, idemque sit in eis summum praeceptum de Dei et proximi dilectione, idemque Decalogus. Item Christum nunquam legem damnasse, sed tantum Pharisaeorum corruptos mores. Vocat porro particularia praecepta, quae Iudaeos tantum obligabant, veluti ceremonialia et iudicialia; universalia vero, quae utrique legi communia sunt, sicut de Dei et proximi dilectione. — *Quoniam autem ea quae possidentur*] Haec ad eleemosynarum encomia et praemia pertinent, quae p.592. p.593. p.595.

eodem pacto Cyprian. Serm. de operibus et eleemos. describit: *Sicut lavacro aquae salutaris,* ait, *gehennae ignis exstinguitur, ita eleemosynis atque operibus iustis delictorum flamma sopitur.* Attinent etiam ista ad satisfactionem eam, quam theologi constituunt tertiam poenitentiae partem. Etenim precibus, ieiuniis et eleemosynis ista perficitur, de quibus in Daniele (c. 4.) scriptum est: *Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum.* In Proverbiis quoque cap. 16. dicitur: *Misericordia et veritate redimitur iniquitas.* In evangelio (Luc. 11.) denique: *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.* De hac aliquanto fusius diximus in librum III. cap. 37.

p.592. GRABIUS: *Quare vos*] *Καὶ ὑμεῖς* exstat in nostris N. T. exemplaribus. Sed *τὸ et* in Arabica et Aethiopica versionibus nec non in
p.591. MSS. quibusdam, perinde ut in Irenaeo omissum est. — *Hereditaret*] *Κληρονομήσω* igitur Matth. 19, 16. legisse videtur Irenaeus, perinde ut Chrysostomus Homil. 63. (iuxta Graec.) in Matthaeum, et Arabs atque Aethiopicus interpretes.

CAP. XIII.

p.595. FEUARDENTIUS: *Et quia Dominus naturalia legis*] Praecepta legis moralia, quae hic naturalia vocantur, Christus non abrogavit, sed exposuit, ut patet Matth. 5. et 6. docens iustitiam Christianorum oportere multis modis potiorem esse debere iustitia Pharisaeorum; atque idcirco apostolos non servos, sed amicos et fratres suos appellavit. Ceterum, si cum vet. cod. legas, ut in margine apposuimus, *ante legisdationem,* huius loci interpres optimus erit Tertullianus, lib. contra Iudaeos: *Ante legem* Moysi, inquit, *scriptam in tabulis lapideis, legem contendo fuisse non scriptam, quae naturaliter intelligebatur, et a patribus custodiebatur. Nam unde Noë iustus inventus, si non illum naturalis legis iustitia praecedebat? Unde Abraham amicus Dei deputatus, si non de aequitate et iustitia legis naturalis? Unde Melchisedech sacerdos summi Dei nuncupatus, si non ante leviticae legis sacerdotium fuerunt qui sacrificia Deo offerebant?* Iustinus quoque in Dialogo iisdem argumentis vult patres sub lege naturae iustificatos. Quod si excusorum codicum lectionem retinueris, *a legisdatione,* rectus quoque sensus. Quum lex praecepta illa naturae conformia non abrogarit, sed magis explicarit et confirmarit; horum observatione, cum fide in venturum Messiam, prophetae patresque ve-
p.597. ram iustitiam consecuti sunt. — *Quanto autem plus dilexerimus*] Melioribus operibus sanctorum, maiorem apud Deum repositam esse mercedem, hic aperte docet; et eo evidentius adhuc Tertullianus lib. Scorp. adversus hosce Gnosticos: *Quomodo,* scribit, *multae mansiones apud Patrem, si non pro varietate meritorum? Quomodo stella a stella distabit in gloria, nisi pro diversitate radiorum?* Et Dionysius Areopag. *Singulos pro meritis lucis suae Deus participes facit,* lib. de caelest. Hierarch. cap. 3. et rursus: *Ipsa lucis participatio pro suscipientium meritis varia est,* cap. 9. eiusdem libri.

p.595. GRABIUS: *Antiquis*] Nisi scriba hanc vocem ex latina Vulgata addiderit, Irenaei auctoritate ea confirmatur, quum alioqui desit in

Syriaca, Arabica, Aethiopica versionibus et Cantabrigiensi, Lincolniens, aliisque MSS. codicibus. — *Alia duo*] Ita quoque Vulgatus interpres, p.597. et quaedam Marchionis Velesii MSS. Immo in Cantabrig. cod. et Steph. 2. legitur *καὶ ἄλλα*. Sed pleraque Novi Testamenti exemplaria habent simpliciter *δύο*.

MASSUETUS: *Ante legisdationem*] Ita vetus Feuard. cod. Cla- p.595. rom. Voss. Arund. (quamvis in hoc desit *ante*) et Grab. melius quam alii *a legisdatione*. Quippe Irenaeum loqui de patriarchis, qui sub lege naturae vivebant, non de prophetis aliisque iustis, qui Mosaicae legi serviebant, evidens est. — *Qui fide iustificabantur*] Fide videlicet in Messiam venturum, eaque non sola, utpote qui *per naturalia legis*, tanquam vera iustitiae percipiendae instrumenta, etiam *iustificarentur*, ut mox dixit. — *Sine caussa*] Sic quidem legunt antiquissimi Patres latini, Cyprian. Testimon. lib. III. cap. 8. Hilarius in Comment. in Matth. et August. lib. I. de Serm. Dom. in monte cap. 9. At hic lib. I. Retractat. cap. 19. monet haec verba *sine caussa* a Graecis codd. abesse. Hieronymus etiam lib. II. adversus Pelag. et in Comment. in Matth. ea in vetustissimis et sanioribus codd. non occurrere generatim asserit. Iustinus pariter in Apolog. I. ad Antonin. verba Christi refert, omissa voce *εἰκῇ*, quae tamen in epist. ad Zenam et Serenum, non indubio Iustini fetu, legitur. De Tertulliano Apolog. cap. 45. nihil certi affirmari potest, siquidem summatim duntaxat evangelii verba allegat. Ex his tamen nolim cum Grabio concludere, eas voces a scribis, tam hoc loco, quam infra cap. 16. additas fuisse; sed de iis non consensisse N. T. codd. in aliis omissas fuisse, in aliis occurrisse, eodem utrobique manente sensu, ut notat August. lib. I. Retract. cap. 19.

CAP. XIV.

FEUARDENTIUS: *Sed ut haberet in quem collocaret sua bene-* p.598. *ficia*] Eandem totius orbis efficiendi rationem tradit Dionysius cap. 4. Caelestis hier. *Est enim omnium caussae excellentisque bonitatis id proprium* (ait) *ut ad consortium sui, quae sunt invitet et attrahat omnia* etc. Nec minus pie quam eleganter Lombardus scribit, fecisse Deum rationalem creaturam, quae summum bonum intelligeret, intelligendo amaret et amando possideret ac possidendo frueretur; lib. II. Sent. dist. 1. — *Non enim solum ante Adam*] Coaeternitatem Filii cum Patre adstruit hoc loco et alibi frequenter: quapropter impurum sycophantam oportet fuisse Servetum, qui putaverit, eam pernegando, hunc martyrem sibi favere. — *Dans ducationem*] Graece *ὁδήγησιν*, p.599. *manu deducens, viam monstrans*, ut sit allusio ad haec Psalmistae verba: *Deduxisti sicut oves populum tuum in manu Moysi et Aaron*, Psal. 75, 21. — *Spiritali*] Vet. codex *sequenti* habet: utrumque le- p.600. gendum docet Pauli littera: *ἔπινον γὰρ ἐκ πνευματικῆς ἀκολουθούσης πέτρας*, id est *bibebant enim* (Vulgata *autem*) *ex spirituali sequenti petra;* atque ita legunt Ambrosius in Comment. et Augustinus libro duodecimo contra Faustum, capite vigesimo nono.

GRABIUS: *Praeparavi et formavi et feci eum*] Ita et Cod. Alex. p.599. fere habet: *κατεσκεύασα αὐτόν, καὶ ἔπλασα, καὶ ἐποίησα*. Sed Cod.

Vaticanus iuxta Hebraeum tribus hisce verbis singulis addit *αὐτόν*. — *Et aquilae*] Nescio, utrum scriba ex latina Vulgata addiderit *et*, vel an Irenaeus ipse legerit *καὶ*, prouti quidem in Cantabrigiensi, et
p.600. uno Novi ac Lincoln. Collegii Cod. scriptum est. — *Vere enim aquae multae Spiritus Dei*] *Aquas multas*, id est, multiplices ac diversi generis, mystice interpretatur de diversis Spiritus s. operationibus, ac legibus diversis per Spiritum s. datis, partim in veteri, partim in novo Testamento; occasione, uti videtur, accepta ex Ioan. 7, 38 seqq. aliisve similibus locis. — *Omni conditioni congruentem et aptam legem conscribens* etc.] His et sequentibus gemina habet Theodoretus lib. V. Haeret. Fabul. cap. 17. cuius inscriptio est: *Quod idem et vetus et novum dederit Testamentum*, ubi pag. 291. Tom. IV. ita scribit: *Ὁ δεσπότης Χριστὸς ἑκάστῃ γενεᾷ τοὺς ἁρμοδίους ἔδωκε νόμους· τοὺς μὲν γὰρ ἀναγκαίους καὶ πρώτους τῇ φύσει τῶν ἀνθρώπων ἐνέγραψεν — τοὺς δὲ ἄλλους διαφόρως ἐν ἑκάστῃ δέδωκε γενεᾷ. Christus Dominus convenientes unicuique generationi leges dedit. Necessarias enim et primas in hominum natura inscripsit.* Quae consona sunt sequentibus Irenaei: *Primo quidem per naturalia praecepta, quae ab initio infixa dedit hominibus — Alias autem diversis modis dedit in quavis generatione. — Ipse quidem nullius horum est indigens — facilem autem ad idola reverti populum erudiebat*] Ita et Iustinus m. in Dialogo cum Tryph. pag. 238. *Διὰ τὰς ἁμαρτίας τοῦ λαοῦ ὑμῶν, καὶ διὰ τὰς εἰδωλολατρείας, ἀλλ' οὐ διὰ τὸ ἐνδεὴς εἶναι τῶν τοιούτων προσφορῶν, ἐνετείλατο ταῦτα γενέσθαι. Propter peccata populi vestri, et ob simulacrorum cultus, nequaquam autem quod istiusmodi oblationibus ei opus sit, haec fieri sanxit.* Confer ibidem pag. 265. nec non Tertull. lib. II. contra Marc.

CAP. XV.

p.601. FEUARDENTIUS: *At ubi conversi sunt*] Hebraei sua libertate abutentes, legis servitute coërcentur, acceptis ceremoniis, quarum virtute non iustificabantur; sed ab idolorum cultu revocabantur, quinetiam ad duritiam cordis quaedam susceperunt. — *Praecepta non bona*] Id est, praecepta de ritibus, neomeniis, sacrificiis et festivitatibus, quae (ut in scholis loquimur) ex opere operato, propria virtute nec iustificabant, nec ad perfectum adducebant observantes; sed
p.602. umbrae erant futurorum bonorum. — *Moloch*] Hieronymus Quaest. hebraicis in lib. Paralip. et in 32. cap. Hierem. Moloch dicit fuisse idolum Ammonitarum, ipsumque Hebraeorum lingua regem significare, quod adiicit in 16. cap. Isaiae, et 5. Amos, Aquilam et Septuaginta Graece *μέλχομ* reddidisse. Huic Salomonem templum in Iudaea exstruxisse refert historia regum. Eum opinarer generationi filiorum praefuisse, eo quod in illius honorem infantes igne lustrare, aliquos etiam comburere, parricidali superstitione solerent. — *Stellam Dei Rempham*] Vocem *Dei* desiderat vet. cod. habent tamen illam LXX et Vulgata editio: Veritas Hebraica *Deorum vestrorum*. Septuaginta *ῥαιφφάν*: Theodotio *ἀμαύρωσιν*, i. e. *obscuritatem* vertunt. — *Et propter hoc aptum*] Non vult Mosem simpliciter praeceptum dedisse de uxore repudianda: nam istud primae matrimonii institutioni peni-

tus repugnat, nec unquam aut a Deo aut a Mose iussum fuit, ut Augustinus copiose disputat, lib. I. de Sermone Domini in monte, lib. I. Retract. cap. 19. et lib. XIX. contra Faustum cap. 26. Non, inquam praeceptum fuit, verum duntaxat ad evitandum maius malum, utpote uxoricidium, permissum. Et volenti omnino dimittere uxorem, praeceptum fuit ut libellum seu chartulam repudii, a scribis multis ritibus conscriptam daret uxori. — *Non reverterentur ad idololatriam*] Hanc p.603. non esse postremam rationem datae legis et institutionum Mosaicarum, multi et praeclari viri cum Irenaeo docuerunt, Clemens Rom. lib. IX. Constit. c. 20. Iustinus in Dialogo. Tertulliani verba sunt: *In institutione sacrificiorum patet ea Dei industria, qua populum pronum in idololatriam et transgressionem eiusmodi officiis religioni suae voluit astringere, quibus superstitio saeculi agebatur, ut ab ea avocaret illos, sibi iubens fieri, quasi desideranti, ne simulacris faciendis delinqueret,* lib. II. contra Marcionem. — *Et id quod erat semper liberum*] Rursus libertatem voluntatis humanae non omnino per peccatum sublatam fuisse clarissime ostendit, adversus priorum et posteriorum Gnosticorum impietates, qui ut Deum malorum auctorem faciant, scribere non verentur, *omnia de necessitate absoluta evenire, ut poëta voluit: Certa stant omnia lege.* Verba sunt Lutheri art. 36. inter eos quos damnavit Leo decimus, quosque copiosissime et acerrime confutavit doctrina, pietate et martyrio insignis vir Ioannes Roffensis episcopus.

GRABIUS: *At ubi conversi sunt*] Quod idololatria Iudaeorum in p.601. vitulo colendo occasio fuerit legum de sacrificiis, ante Irenaeum docuit Iustinus martyr, Tryphonem pag. 237. his affatus verbis: *Ἄδικος καὶ ἀχάριστος εἰς τὸν Θεὸν ὁ λαὸς ὑμῶν ἐφάνη, ἐν τῇ ἐρήμῳ μοσχοποιήσας· ὅθεν ὁ Θεός, ἁρμοσάμενος πρὸς τὸν λαὸν ἐκεῖνον, καὶ θυσίας φέρειν, ὡς πρὸς ὄνομα αὐτοῦ, ἐνετείλατο, ἵνα μὴ εἰδωλολατρῆτε. Iniustus et erga Deum ingratus populus vester apparuit, vitulo in solitudine fabricato. Unde Deus ad populum illum se accommodans, hostias quoque offerre tamquam nomini suo praecepit, ut ne idololatriam committeretis.* Lege ipsum prophetam Ieremiam cap. 7. vers. 22 seq. et Commentatores in istum locum, nec non Clementem lib. VI. Constit. apost. cap. 20. — *Praecepta Dei vivi dare vobis*] *Λόγια ζῶντα δοῦναι ἡμῖν*, legimus in nostris N. T. exemplaribus; sed quoad *vobis* cum Irenaei lectione convenit MS. Collegii novi codex Actorum, cui Catena Patrum est annexa. — *Corde suo*] *Τῇ καρδίᾳ* cum Irenaeo habet alter novi Collegii, nec non Lincolniensis codex et MS. Cantabrig. quum in editt. legamus *ταῖς καρδίαις*. — *Sacrificia*] Ita cum Irenaeo versio Syriaca et Aethiopica; ast nostra Graeca N. T. exemplaria habent singulariter *θυσίαν*. — *Sed* p.602. *et alio loco*] Aut memoria Irenaeum fugit; aut dicendum, quod per *alium* locum intelligat *alterum modo citatum.* Quippe ante 25. versum, quo incipit apostoli tractatus de virginitate, allegaverat aliqua ex praecedenti de regulis in matrimonio observandis dissertatione; quam ab illo quasi distinctam accepit Irenaeus, licet iuxta nostram divisionem uno eodemque capite contineatur. — *Quaedam praecepta*] *Praecepta* hic sensu latiori pro *dictis, declaratis, statutis* accipienda sunt.

p.603.— *Salutem Decalogi*] Id est, Decalogum, cuius observatione homo salvatur, ast *si quis non fecerit, non habeat salutem,* uti paullo ante loquitur.

p.602. MASSUETUS: *Alio loco*] Scilicet paullo superius vers. 5. eiusdem capitis 7. epist. 1. ad Corinth. iuxta nostram divisionem; quae quum Irenaei aevo nondum obtineret, immo quum hoc saeculo Paulinae epistolae in capita et versus nondum distinctae essent, non mirum si id ad alium locum pertinere dixerit, quod eiusdem capitis esse diceremus.

CAP. XVI.

p.603. FEUARDENTIUS: *Quoniam autem et circumcisionem*] Nec circumcisionis, nec aliarum legalium ceremoniarum virtute Iudaeis collata est perfecta iustitia, quum multi ante harum institutionem coram Deo iusti et accepti fuerint; sed signa fuerunt rerum spiritalium, quae per evangelium exhibentur. Interea vim omnem ad internam hominis iustificationem circumcisioni videtur Irenaeus adimere, dicens eam *non fuisse consummatricem iustitiae,* sed in signum datam. Deinde *per haec,* videlicet ceremonialia et legalia, *non iustificabatur homo.* Istudque confirmat exemplis plurimorum Patrum, qui sine circumcisionis aliarumve ceremoniarum observatione iustificati fuerunt. Hoc ipsum urget etiam Iustinus martyr in Dialogo, propterea quod feminae ad illam non tenerentur: quidquid autem ad iustitiam et salutem pertinebat, utrique sexui commune esse oportuit. Tertull. quoque sic argumentatur: *Cur Deus Adam non circumcidit, posteaquam deliquit, si purgat circumcisio?* Et postea (lib. advers. Iudaeos): *Haec Dei providentia fuit dandi circumcisionem Israël in signum, unde dignosci posset.* Huic sententiae subscribens Chrysostomus (Hom. 29. in Gen.) ait: *Circumcisio nihil ad animae virtutem conducit, sed fit signi tantum gratia. Illa enim sunt vere bona animae, quae ex electione fiunt: in carne vero signum accipere, quale bonum opus fuerit?* Idemque postea (Hom. 29. in Gen.): *Nulla alia ex circumcisione fuit utilitas, quam haec sola, quod ex hoc signo essent cognoscibiles, et ab aliis gentibus sequestrarentur Iudaei.* Denique homilia 7. in Epist. ad Rom. diserte contendit, illam nec in vita optima vim ullam habuisse. Aliis citandis auctoribus supersedeo. Verum huic sententiae refragari videntur universae patrum scholasticorum scholae, cum suo principe beato Thoma (3. parte, Qu. 62. art. 6.) contendentes, circumcisionem ea omnia (solo in regnum caelorum ingressu demto) accedente in Christum venturum fide ac spe, tunc parvulis Hebraeorum contulisse, quae nunc parvulis Christianorum praestat baptismus. Nec desunt eis ad huius assertionis confirmationem plurimae et fortissimae rationes, quae ex eorum scriptis peti possunt. Quorundam tantum veterum suffragia ecclesiaeque catholicae decreta subiicio. Bernardus in primis baptismum circumcisioni conferens, ac velut Chrysostomi rationem dissolvens ait: *Sicut nunc baptismus absque ullo voluntatis usu infantibus confert salutem, ita tunc circumcisio sine ulla arbitrii electione salutem infantibus attulit.* Et qui hunc aliquot saeculis praecessit venerabilis Beda scripsit in cap. 2. Lucae: *Salutiferae*

curationis auxilium circumcisio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod baptismus agere revelatae gratiae tempore consuevit, excepto quod regni caelestis ianuam nondum intrare poterant. Accedit summus ecclesiae pontifex Gregorius (lib. IV. Moral. cap. 2.) adfirmans mysterium circumcisionis pro iis, qui ex Abrahae stirpe prodierunt, hoc egisse, quod apud nos valet aqua baptismi. Cunctis autem his superior Augustinus (lib. II. de nuptiis et concupiscentia cap. 11.) aperte docet, circumcisionem, ex quo instituta fuit in populo Dei, valuisse ad purgationem originalis veterisque peccati, sicut baptismus ex illo valere coepit ad innovationem hominis, ex quo institutus est. Quid his clarius aut firmius pro circumcisionis virtute ac efficacia? An non ergo signum fuit plane validum et practicum? Addamus porro haec duo Gregorii et Augustini testimonia, inter ecclesiae catholicae decreta iam dudum relata et novissime a Gregorio XIII. probata cum his inscriptionibus Romae excusis et inde evulgatis: *Sicut nunc in baptismate, ita olim in circumcisione remittebantur peccata.* Item: *Originale peccatum nunc in baptismate, olim in circumcisione remittebatur* (lib. III. tit. 42. c. Maiores). Refert denique in Decretalib. Greg. 9. Innocentium III. decreto suo sanxisse, quod et si originalis peccati culpa remittebatur per circumcisionis mysterium et damnationis periculum vitabatur: non tamen perveniebatur ad regnum caelorum. Quibus vim non detrahit, sed potius eximiam efficacitatem tribuit circumcisioni, tametsi minorem quam baptismo. His itaque sic constitutis et probatis, superest, ut adversae sententiae argumentis satisfaciamus. Irenaeus in primis seipsum explicat, dicens, circumcisionem non fuisse *consummatricem iustitiae,* quum videlicet recta in caelos non perduceret, redemtionis humanae pretio nondum per Christi mortem exsoluto. Subdit porro eam non fuisse signum otiosum, tanquam quae a sapiente artifice data esset. Igitur fuit signum efficax et operatorium. Patres, qui Abraham praecesserunt, non fuerunt per eam iustificati, quoniam nondum instituta fuerat. Immo nec ipse Abraham per eam iustus effectus est, qnod longe prius fide et obedientia sua Deo gratus et acceptus esset. Nec admodum urget b. Iustini ratio, quandoquidem salutis feminarum aliam rationem Deus habuit, quum expresse solum masculinum sexum huic legi devinxerit. Chrysostomo per D. Bernardum factum est satis. — *Sed secundum carnem*] Easdem circumcisionis et sabbatorum p.601.
rationes videre licet apud Iustinum martyrem in Dialogo et Tertullianum lib. adv. Iudaeos. Philo Iudaeus lib. de circumcisione tradit eam institutam esse a Deo, ob sex caussas, quarum quatuor affert physicas et duas mysticas. Lactantius lib. 4. cap. 17. hanc cum ceteris reddit, quod signaret nudandum esse pectus, id est, aperto et simplici corde oportere nos vivere, quoniam pars illa corporis quae circumciditur, quandam cordis similitudinem habeat. Addens porro Irenaeus, hanc secundum carnem circumcisionem spiritalem circumcisionem praefigurasse, Catabaptistarum quorundam refellit errorem, quo volunt circumcisioni veterum nequaquam successisse baptismum, ut et hunc tandem aliquando tollant de medio. At vero apostoli verba quae adducuntur, illud omnino exprimunt. *Circumcisi istis,* in-

quit, *circumcisione non manufacta in exspoliatione corporis carnis, in circumcisione Christi, consepulti ei in baptismo* (Coloss. 2. v. 11. et 12.). Ergo baptismus vocatur circumcisio Christi et circumcisio spiritalis, quod veteri et carnali circumcisioni tanquam veritas umbrae successerit. Sic et Iustinus in Dialogo baptismum affirmat spiritalem esse circumcisionem, cuius externa illa typus fuerit. Athanasius quoque scribit: *Circumcisio figura erat exuviarum, quae per baptismum deponuntur.* Et paullo post: *Abraham circumcisionem accepit pro nota insignibusque eius regenerationis, quae per baptismum conficitur.* Epiphanius Cerinthum impugnans, affirmat circumcisionem carnis tempori inserviisse, donec maior circumcisio, id est, lavacrum regenerationis accesserit. Augustinus denique profitetur circumcisionem et baptismum esse eiusdem naturae. Insuper Christum in ecclesia sua pro circumcisione veteri baptismum instituisse. Constat ergo tam ex apostolo, quam ex veterum consensu baptismum divina ordinatione in circumcisionis locum ac ordinem substitutum esse. — *Manifestabatur autem*] Docet sabbatum vetus duo significasse: Primum, nos omni tempore debere Deo vacare: secundum, felicissimam et beatissimam illam requiem, quam post huius vitae miserias et certamina in caelis exspectamus. Atque hoc est intelligibile sabbatum, inquit Hesychius, de quo ait Paulus: *Ergo relinquitur sabbatismus populo Dei,* quem significat dies septima, in qua requievit Deus. De hoc vide Augustin. ad finem ultimi libri de civitate. — *Et quia non per haec*] Isthaec iisdem fere verbis habet Tertullianus lib. contra Iudaeos, ut hinc videantur desumta. — *Dei legatione ad angelos fungebatur*] Vetus cod. nomen Dei non habet. Ceterum difficilis et obscurus erit hic locus, nisi angelorum nomine vel posteros sancti viri Seth vel certe gigantes seu principes homines intellexeris, quorum nefarias libidines sub nomine filiorum Dei Moses describit Genes. 6., ad quos monendos nuntius et praeco amandatus fuerit Enoch: atque ita et recte, meo iudicio, interpretantur Theodoretus, Cyrillus et Lyranus. Suidas filios Dei Enos, Enoch et alios posteros Seth filii Adae, putat non incongrue appellari, quum Seth Dei cognomen inter eos, qui tum vixerunt homines, ob inventas literas Hebraicas stellarumque appellationes et insignem pietatem obtinuerit. Ex illis igitur multos lascivia victos scribit cum filiabus Cain congressos fuisse; si vero de immundis spiritibus, quos Iustinus, Clemens Alex. Tertull. Athenagoras, Cyprianus, Methodius et plerique alii classici auctores mulierum forma allectos, foedis voluptatibus carnis operam dedisse opinantur, aliquis locum hunc intelligendum contenderit: singularis est opinio, potius dissimulanda, quam amplexanda, aut procaciter exagitanda, quam ex libris Enoch nomine evulgatis dimanasse putarunt Tertullianus, Origenes, Augustinus, lib. de habitu muliebri, hom. 28. in Num. lib. 15. de civit. cap. 23. — *Et translatus est et conservatur*] In eum paradisum quo positus fuerat Adam, cum eodem quo vixerat corpore servari ex traditione presbyterorum, qui apostolos audierant, se accepisse scribit postea lib. 5. Huic sententiae tot suffragantur, ut ab ea discedere mihi religio sit, praecipue cum aperte dicat in ecclesiastico cap. 44. Syracides Latinus (Graeca enim variant) *Enoch*

placuit Deo, et translatus est in Paradisum: et apostolus in Epistola ad Hebraeos: *Fide Enoch translatus ne videret mortem, et non inveniebatur, quia transtulit illum Deus.* Consentit et Thargum Babylonicum, interprete Fagio: *Ambulavit Henoch in timore Domini; et non ipse, quia non mori fecit eum Dominus.* Philo Iudaeus lib. de vita Sapientis, recte iudicat, Deum illum transtulisse, non per mortem, sed per separationem a consortio et frequentia improborum hominum, ad ignotum vulgo virtutis secessum. Errant igitur hi Hebraei, et qui illos sequuntur quidam Latini, quum raptum hunc mortem eius praematuram interpretantur. Etsi enim libenter admitto vitam eius in terris tantum fuisse 365 annorum, nec ad dimidium aetatis maiorum suorum, aut nepotum, eum pervenisse, sed e medio vitae huius cursu repente et inusitato exemplo assumptum ex hominum conspectu, ut de Helia legimus: non ita tamen ut morte interposita, corporeque instar aliorum, in cineres redactus sit. Quo vero translatus sit, et ubi agat, quibusve cibis alatur, aut veste induatur, supervacaneum requirere existimat Chrysostomus (Hom. 21. in Genesin, et 22. in Epist. ad Hebraeos). Inter quaestiones, quae ad fidem non pertinent, iudicat Augustinus (lib. 2. de peccato origin.). Quo translatus sit, novit Deus, pronunciavit Cyprianus, seu quivis alius auctor Tractatus de montibus Sina et Sion apud eum. Potius venerandum, quam inquirendum censet Theodoretus quaest. 45. in Genes. Irenaei sententiae assentiunt quae fertur, Nicodemi Historia de morte et resurrectione Domini, Tertullianus lib. de anima, Methodius in revelationibus, Epiphanius Haeres. 64. Augustinus lib. 9. de Genesi ad lit. cap. 6. lib. 1. de peccatorum meritis et re. cap. 3. Tractatu de Antichristo, et recentiores fere omnes orthodoxi scriptores. In caelum raptum, id est, per aethera et assumtum docent Ambrosius lib. de paradiso cap. 3. et Gregorius hom. 20. in evangelia; venturum autem et pugnaturum adversus Antichristum, volunt omnes. — *Et exstincta esset in Aegypto*] R. Moses ac Elias Levites, ut ex scriptis eorum colligit doctissimus Genebrardus in Chron. tradunt Israëlitas in captivitate Aegyptiaca constantissime quidem linguam hebraicam suae gentis habitum et avita nomina retinuisse; verum sanctissimam patriarcharum fidem ac religionem flagitiose deseruisse, sola stirpe Levi excepta: quae in ea perseverando sacerdotii dignitatem sibi promeruit. — *Et erga Deum dilectionem praecipiebat*] Videtur initium istud colo tantum dirimendum fuisse a superiori capite. Ostendit porro Deum optimo iure sui ac proximorum dilectionem per observantiam Decalogi in primis exegisse, quum non sibi, sed nobis prodesse percuperet. Et ideo Christum adventu suo illum non abrogasse, sed exposuisse et amplificasse; praeceptis vero caeremoniarum et iudiciorum nos exsolvisse. — *Qui et libertatis*] Rursus libertatem voluntatis humanae, etiam post admissum peccatum, permanere, confirmat. Vide supra cap. 9. et 29. et infra cap. 71. et 72. 75. et 76. libri huius quarti.

p.605. p.606. p.607

GRABIUS: *Accepit mensuras mundi*] Cogitanti mihi, quaenam sint *mensurae mundi secundae generationis*, id est, quasi de novo creati, varia inciderunt, quibus lectorem detinere nolo. Genuinum,

p.604.

nisi fallor, sensum suppeditabunt ista Epiphanii in Ancorato num. 114. de Noëmo verba: *Διαμερίζει μέν, ὡς κληρονόμος τοῦ κόσμου καταστὰς ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, τοῖς τρισὶν υἱοῖς αὐτοῦ τὸν πάντα κόσμον, ὑπὸ κλήρους διελών, καὶ ἑκάστην μερίδα κατὰ κλῆρον ἑκάστῳ ἀπονέμων. Velut heres mundi a Deo institutus, totum terrarum orbem inter tres filios sortito distribuit, et unicuique suam portionem iuxta sortem assignavit. — Ad angelos*] Sub humana scilicet forma cum mulieribus congressos: quibus perinde ac hominibus ob hoc malefactum Enochus, tanquam Dei minister, divinum iudicium denuntiavit, paullo post insecutum; unde mox *testis iusti iudicii Dei* dicitur.

p.604. MASSUETUS: *Legatione ad angelos fungebatur*] Vox *Dei,* quam huic commati praemittunt editt., deest in vet. cod. Feuard. Clarom. et Voss. Quid sit autem divinum illud legationis munus quod ad angelos obivit Enoch, et qui sint illi angeli, paullo obscurius. Ex mox sequentibus colligi posse videtur, Irenaeum cum Iustino martyre, Athenagora, Clemente Alex. Tertull. Lactantio aliisque non paucis sensisse, angelos apostatas in peccati poenam praecipites in terram actos, mulierum captos specie, cum iis sub humana forma stupri consuetudinem habuisse, eamque ruinae iis occasionem fuisse. Iis omnibus erroris caussa fuit quod Gen. VI. de *filiorum Dei* congressu cum *filiabus hominum* legitur. Pro *filiis Dei* codices quidam habebant *angeli Dei,* ut Philo legit in lib. de Gigantibus, et Euseb. lib. V. de Praepar. evang. cap. 4. ac August. lib. XV. de Civit. cap. 23. Qui vero *filios Dei* legebant, angelos tamen, priori versione decepti, interpretabantur, ut observant Chrysost. Homil. 22. in Genes. et Theodoret. Quaest. 27. in Genes. Hicque fons erroris exstitisse videtur. Quibus suppositis, facile intelligitur quid sit ea Enocho ad angelos a Deo demandata legatio. Vult nempe Irenaeus, Enochum ad stupratores illos angelos, et ad homines ab iis in idololatriam foedamque vitiorum colluviem demersos, tanquam Dei ministrum atque prophetam accessisse, divinum iudicium denuntiaturum. Haec utique ex apocrypho Enochi libro mutuatum fuisse Irenaeum non dubitaverit, quisquis apud Tertull. lib. de Idolol. cap. 4. legerit, Henochum spiritu prophetico praedixisse, *omnia elementa, omnem mundi censum, quae caelo, quae mari, quae terra continentur, in idololatriam versuros daemonas, et spiritus desertorum angelorum, ut pro Deo adversus Dominum consecrarentur. Denique idem Henoch simul et cultores idoli et fabricatores in comminationem praedamnat.* Tum ut dictis fidem conciliet, non modicum fragmentum ex Enochi libro refert. Additque cap. 15. *Haec igitur ab initio praevidens Spiritus sanctus, etiam ostia in superstitionem versura praececinit per antiquissimum prophetam Henoch.* Ac denique lib. de Habitu mulieb. cap. 4. auctoritatem libri Enoch vindicat; huncque divinae legationis munus obiisse, ita persuasum habuit, ut huic in eo munere successisse Noë asserat. *Igitur,* ait, *sine dubio potuit Noë in praedicationis delegatione successisse Henocho.* Quae Tertulliani verba ideo retuli, quia Irenaei dictis non parvam lucem afferunt, confirmantque, ea quae uterque de Henochi praedicatione, et ad libidinosos angelos,

corruptosque ab iis homines legatione refert, ex praefato apocrypho libro hausta fuisse. — *Et translatus est*] In Paradisum scilicet, *ubi primus positus est homo*, ubi et cum Helia manebit *usque ad consummationem*, ut explicat Irenaeus lib. V. cap. 5. quae ab *iis presbyteris, qui sunt apostolorum discipuli*, accepisse se dicit. — *Decide-* p.605.
runt in terram in iudicium] Hanc lectionem, quam genuinam censeo, solus exhibet Cod. Clarom. Nam ceteri omnes omittunt *in terram*. At eodem modo, et iisdem paene verbis loquitur Clemens Alex. lib. 2. Paedag. cap. 2. *Horum*, inquit, *indicium tibi praebent angeli, qui Dei pulchritudinem reliquerunt, propter pulchritudinem quae flaccescit, ac tam multi* (τοσοῦτοι lego non τοσοῦτον) *e caelo delapsi sunt in terram.* Et in 3. Strom. *Iam vero et angeli quidam, intemperantia ducti, victi cupiditate huc e caelo deciderunt.* Angelos etiam *propter intemperantiam suam in saeculum cecidisse de caelo*, scribit Ambros. lib. I. de Virgin.

CAP. XVII.

FEUARDENTIUS: *Quoniam autem*] Probat ex Samuele, Davide, p.607.
Esaia, Ieremia et aliis, Deum non indigere sacrificiis; promtam potius cordis obeditionem, contritionem, laudem, invocationem, mentis puritatem, fidem, misericordiam, beneficentiam, similiaque spiritalia exigere sacrificia, quibus magis proprie honoratur et colitur. Idcirco Iudaicas oblatiooes repulit, corporis autem ac sanguinis sui novam novi Testamenti oblationem instituit et tradidit toto orbe et per omnes gentes offerendam. — *Et rursus*] Haec eadem iisdem Scripturis et rationibus innixus amplissime discutit Augustinus lib. X. de Civit. Dei cap. 5. — *Auditus bonus*] Hellenismus sic in Vulgata p.608.
editione latina explicatus: *Melior est obedientia, quam victimae; et auscultare magis quam offerre adipem arietum.* 1. Reg. 15, 22. — *Dedissem utique*] Et Graecus Psalmorum contextus ita legendum docet; et ante mille annos sic Arnobium iuniorem legisse, ex eius Com. seu paraphrasi manifestum est. — *Sed et suis discipulis*] Nos ger- p.612.
manam loci lectionem et intelligentiam proponemus, omnesque qui huius et superioris saeculi curriculo vixerunt, cum Irenaeo vere carnis Christi in Eucharistia veram oblationem, ex eiusdem Domini revelatione, institutione, iussione, credidisse, agnovisse et peregisse ostendemus. Consentiunt in primis codices omnes sive Basileae, sive Lausanae, sive Lutetiae excusi. Veteris nostri codicis lectio est: *Sed uti ipsi nec infructuosi, neque ingrati sint, eum qui est ex creatura panis, accepit et gratias egit, dicens: Hoc est meum corpus. Et calicem similiter, qui est ex creatura, quae est secundum nos, suum sanguinem confessus est.* Reliqui consentiunt. His autem quinque docet tanta evidentia, ut tenebrionum et impiorum sit, aut non videre, aut dissimulare. Primum, Christum panem et vinum verbis certis, corpus suum et sanguinem esse confiteri, quod apertius adhuc explicat infra cap. 34. et lib. 5. idem Irenaeus. Deinde discipulis non tantum consilium dedisse offerendi Deo primitias ex creaturis, sed et novi Testamenti novam docuisse oblationem, quum de pane dixit: *Hoc est corpus meum;* et calicem confessus est suum esse sanguinem.

Postea, hac oblatione Deum quidem nullatenus, sed homines egere, ut maximo creatori et redemtori optimo quantas poterunt gratias rependant pro beneficiis, et fructus uberiores, mortis nempe dominicae, hac incruenta oblatione sibi accersant. Deinceps, istiusmodi oblationem corporis et sanguinis Christi, ecclesiam per universum orbem offerre, ut ab apostolis accepit, et ipsi a Christo. Postremo, Malachiam ex duodecim prophetis minoribus unum, hac de oblatione, quae fit in eucharistia, vaticinatum fuisse. — *Non quasi indigenti*] Quia partim cum audacissimis simulque callidissimis haereticis, qui rectissima quaeque ad impia figmenta sua torquebant; partim vero cum simplicissimis et adhuc neophytis Christianis, quibus imponere facile erat, negotium habebat Irenaeus: hic et in sequentibus frequenter inculcat, Deum nullis rebus hominum egere. — *Sed uti neque infructuosi*] Varios multiplicesque fructus communionis et oblationis corporis Christi, paucis istis verbis comprehendit, quos apertius enumerat capite trigesimo quarto huius libri, et initio quinti. — *Nec ingrati*] Alia ratio est institutae oblationis eucharistiae, nimirum ut gratias agamus dominationi eius, veluti clarius demonstrat cap. 34. et discamus Deo servire. Inde graviter et erudite admodum docet Augustinus, cultum hunc, qui per sacrificium exhibetur, nulli unquam exhibendum, nisi vero et soli Deo, lib. 8. de civit. cap. 27. et lib. 10. cap. 4. et 7. et epist. ad Deo gratias, quaest. 3. — *Eum qui est ex creatura panis*] Ambrosius: *Panis est ante verba Sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.* Et paullo post: *Antequam consecretur panis est, ubi autem verba Christi accesserunt, corpus est Christi. Denique audi dicentem: Accipite et edite ex eo omnes: Hoc est corpus meum, Et ante verba Christi calix est vini et aquae plenus: ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit,* lib. 4. de sacram. c. 4. et 5. Cyprianus martyr Serm. de coena Dom. *Panis iste communis in carnem et sanguinem mutatus, procurat vitam et incrementum corporibus.* Et non ita multo postea: *Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia verbi factus est caro.* — *Hoc est meum corpus*] Ita legit vetus codex: et Paulus 1. Corint. 11. τοῦτό μου ἐστὶ τὸ σῶμα, hancque lectionem retinet Iacobi Liturgia Graeca. Verba vero haec de pane dici, iisdemque effici corpus Christi, apertius postea docet, cap. 34. dicens: *Panis percipiens invocationem Dei: iam non communis panis est, sed eucharistia* etc. Et lib. 5. *Quando mixtus calix et fractus* (sive *factus*) *panis percipit verbum Dei, fit eucharistia corporis et sanguinis Christi* etc. — *Et calicem*] Christus profecto tam studiose accipiens calicem et Paulus vocans eum *calicem benedictionis* et *calicem Domini,* satis docuerunt, non in vasis profanis et communibus tam augustum mysterium exercendum esse, ut profani volunt haeretici. Constat enim etiam a temporibus illis ad nos usque haec sacra vasa propter consortium corporis et sanguinis Domini sanctificata, cunctis Christianis honori fuisse ac venerationi. Nam et ipse calix certe argenteus, in quo Dominus consecravit, adhuc quingentis postea annis, Ierosolymis in scriniolo reconditus religiose servabatur, et per operculi foramen tangi

et osculari peregrinantibus concedebatur, ut testis est venerabilis Beda, lib. de locis sacris cap. 2. Iustinus martyr ad finem Apolog. 1. refert calicem allatum praesuli ad sacrandum. Tertullianus (lib. de pudic. cap. 7. et 10.) testatur suo tempore calices imaginibus Christi, instar pastoris ovem aberrantem referentis, depictos ornatosque fuisse. Cyprianus epist. ad Caecilium, de Sacramento Dominici calicis, et serm. de lapsis, sacri huius poculi non semel meminit. Etiam aureos et argenteos calices ecclesiam Africanam habuisse temporibus Dioclctiani, satis declarant acta Cirtensia, ab Augustino relata in Breviculo (Tomo 7.) collat. cum Donatist. die 3. c. 13. Athanasius deinde ex actis synodi Alexandrinae, docet eum impium esse, qui mysticum poculum, nisi apud legitimos ecclesiae praesides inventum, sponte fregerit (Apologia 2.) *quia sanguini Christi ex eo propinato contumeliam facit.* Optatus Donatistis exprobrat: *calices Christi sanguinis portitores fregistis, eorum species revocastis in massas* etc. Nazianzenus orat. 1. in Iulianum, Theodoretus lib. 3. hist. c. 12. et 13. tantundem vitio vertunt Iuliani apostatae officiariis et agnatis Felici ac Elvidio etc. Ceteris, ne longior sim, supersedeo. — *Novi Testamenti novam docuit oblationem*] His declarat Christum verbo suo instituisse et docuisse sacrificium corporis sui, iussisseque apostolos novi Testamenti sacerdotes et episcopos itidem facere, et ecclesiis tradere, quum primus ipse iuxta ordinem Melchisedech obtulerit: deinde, ut explicat b. Clemens, praecepit dicens: Hoc facite in meam commemorationem. Neque vero sine insigni impudentia possunt haec Irenaei verba ad sacrificia spiritalia torqueri, quum ea nova non sint in novo Testamento. — *Quam ecclesia ab apostolis accipiens*] Non tantum sacrificii Missae actionem ipsam et substantiam (ut loquuntur), quae consecrationem, oblationem et communicationem veluti praecipuas partes complectitur, apostolos una cum evangelio, baptismo et aliis sacramentis tradidisse ecclesiis, ausim post Irenaeum affirmare; verum et singulos ritus et ceremonias, sive vestes, luminaria, incensum, orationes, laudes, gratiarum actiones, lectiones, ablutiones manuum, salutationes et acclamationes ad populum, pro vivis et defunctis precationes et benedictiones si spectaverimus, quemadmodum ex liturgiis b. Iacobi, b. Dionysii et b. Clementis attentis et piis lectoribus liquidum est. — *In universo mundo offert Deo*] Iacobum aliosque apostolos Ierosolymis sacrificasse monstrat, cum illius Liturgia, Actorum apostolorum liber cap. 2. et sexta universalis Synodus. Paulum (1. Cor. 11.) Corinthiis ritus eucharistiae prius opere, deinde scripto tradidisse ipse sibi testis est; eundem quoque in ecclesia Antiochena cum Barnaba et aliis Christianae pietatis antistitibus ieiunasse, et Domino rem sacram fecisse, *λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ κυρίῳ,* docet peregrinationum eius comes Lucas evangelista (Act. 13.). Ibidem etiam Missarum solemnia b. Petrum celebrasse, scribunt Gregorius magnus et Isidorus, Epist. ad Io. Syracusanum; et lib. 1. de officiis. Matthaeum in Aethiopia iuxta altare, in quo celebraverat, martyrium obivisse testatur Abdias. Quotidie se immaculati agni carnem et sanguinem sacrificasse et populis distribuisse profitetur, qui Scythiam, Moscoviam, Germaniam, Graeciam et Achaiam evangelii gratia lustra-

verat b. Andreas; ut testatur Epist. ecclesiarum Achaiae ad universas per orbem ecclesias; cuius meminerunt Cyprianus lib. de Duplici martyrio; Algerus et Bernardus. Thomam, Philippum et Bartholomaeum in Perside, India et universo Oriente tanti sacramenti formam et doctrinam magna diligentia comprobasse non est ambigendum. Marcum Alexandriae, Ioannemque Ephesi Christiani sacerdotii munere functos esse clarum est. Romae Petrum et Clementem huic oblationi operam dedisse; Galliis demum nostris Martialem, Aurelianum, Dionysium Areopagitam, prout ab apostolis edocti fuerant, et altaria erexisse, Missarumque solemnia celebrasse, et posteris ad haec usque tempora tradidisse, scripta eorum loquuntur. Iure igitur optimo affirmat Irenaeus ecclesiam toto orbe dispersam, eucharistiae oblationem, ut ab apostolis accepit, Deo omnipotenti offerre, iuxta Malachiae vaticinium et Domini nostri praescriptum· — *Malachias sic praesignificavit*] Hunc cum vet. cod. Augustinus Malachielem vocat, quem et angelum nuncupatum, et Esdram sacerdotem fuisse, cum Hebraeis, Ionathan Chaldaeo et Hieronymo, opinatur lib. 20. de Civitate Dei cap. 25. Dorotheus martyr in Synopsi tradit angelum Domini illi apparuisse eo ipso secundo die, quo aliquid prophetasset. Clemens Alex. ubicunque eius meminit, angelum tantum vocat. Epiphanius scribit illum, ob formam oppido quam praestantem, mansuetudinem et insignem pietatem, id nomen consecutum esse. Porro locum hunc prophetae, de sacrificio corporis et sanguinis Christi in eucharistia, ante Irenaeum interpretati sunt Clemens Rom. lib. 7. Constit. Apost. cap. 31. Martialis epist. ad Burdega. cap. 3. Iustinus martyr in Dialogo: Postea vero Tertullianus lib. 3. contra Marcion. Cyprianus lib. 1. adversus Iudaeos cap. 16. Chrysostomus in Psal. 95. Augustinus 18. de Civit. Dei cap. 35. et lib. 19. cap. 23. et lib. 1. contra adversarium legis cap. 20. Eusebius lib. 1. de Demonst. evang. cap. ultimo. Damascenus lib. 4 cap. 14. Petrus cognomento venerabilis lib. 1. contra Petrobrusianos; et lib. 2. contra Iudaeos cap. 3. immo et qui Christo nomen non dederat, Rabbi Samuel, Parastasi veri Messiae ad Rabbi Isaac magistrum synagogae Subiulmetae in regno Marochiano cap. 20. et 23. ut impietas sit plus quam Iudaica, huic in-
p.613. terpretationi repugnare. — *Quod est autem aliud nomen*] Nomen Domini Iesu, etiam ad Patrem, qui genuit et misit eum, pertinet: et per illud ubique glorificatur inter gentes, dum ecclesia offert per ipsum preces et sacrificium purum. — *Per Iesum Christum offert ecclesia*] Locum hunc illustrant et confirmant aliquot non absimiles Patrum sententiae subiectae. Cyprian. Epistola 68. *Sacerdos in altari vice Christi fungitur, et sacrificium verum et plenum Deo Patri in passionis Unigeniti sui offert recordationem.* August. 10. de Civitate Dei cap. 20. *Christus sacerdos est, ipse offerens, ipse et oblatio: cuius rei sacramentum quotidianum esse voluit ecclesiae sacrificium: quum ipsius ipse sit caput, et ipsius capitis ipse sit corpus, tam ipsa per ipsum, quam ipse per ipsam suetus offerri.* Chrysost. hom. 83. in Matth. *Qui tunc ista in illa coena confecit, ipse nunc quoque operatur, ipse perficit, ministrorum nos ordinem tenemus: qui vero haec sanctificat et transmutat, ipse est.* Ambros. in Psalmum 38.

Et si nunc Christus non videatur offerre, ipse tamen offertur in terris, quando corpus Christi offertur. Imo ipse offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat sacrificium, quod offertur etc.

GRABIUS: *Non vult*] Irenaeus non *εἰ θελητόν,* ut nostra *τῶν* p.603. *ὁ* exemplaria sonant, sed *οὐ θέλει* legisse videtur, quomodo et Theodoretus habet. — *Aures*] Nescio utrum scriba ex latina Vulgata ita posuerit, an ipse Irenaeus *τὰ ὦτα* vel *ὠτία* in LXX legerit, prouti et in aliis graecis Patribus reperitur; quum tamen ipse apostolus Hebr. 10, 5 allegaverit: *σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι.* — *Holocausta*] In edjtt. itaque *τῶν ὁ* pro singulari *ὁλοκάυστωμα* lege pluraliter *ὁλοκαυστώματα,* prouti Cod. Alex. et ipse apostolus Hebr. 10, 6 habet. — *Alibi ait: Sacrificium* etc.] Quis vero ita ait? An David, cuius p.609. Psalmum 1, 18 Feuard. in margine apposuit? Ast iste locus iam ante citatus est, nec ibi posterius comma, *odor suavitatis* etc. legitur. Anne Esaias, cuius proxime facta est mentio? Sed nec in Esaia, neque in ullo alio s. Scripturae libro, canonico vel apocrypho, hanc sententiam reperire potui, licet plurimum temporis ei inquirendae impenderim. Id solum addo, eandem ex parte a Clemente Alex. lib. II. Paedagogi cap. 14. pag. 261 una cum alio Esaiae dicto, ab Irenaeo hic citato, allegari hoc modo: *Ὀσμή, φησίν, εὐωδίας τῷ θεῷ καρδία δοξάζουσα τὸν πεπλακότα αὐτήν.* Ubi perinde Irenaeus, a quo forte haec mutuatus est, in genere ait, *φησίν.* Equidem ibi in margine notatum est Ecclesiastici cap. 35. quod in LXX est 32, sed nec ibi hoc dictum legitur. — *Et sacrificiis*] Irenaeus p.610. itaque *θυσιῶν* legisse videtur, prout et in Cod. Alex. scriptum est; quum editt. iuxta Hebraeum habeant singulariter *θυσίας.* — *Servisti*] Ita iterum cum Irenaeo Codex Alex. *ἐδούλευσας;* sed editt. iuxta Hebraeum *ἐδούλωσά σε.* — *Fecisti*] Irenaeus itaque legit *ἐποίησας* p.611. (non *ἐποίησα*), sicut et Cyrillus Alex. in Esaiam habet. — *Ante me stetisti*] Ita iuxta editt. LXX Irenaeus, et post ipsum Procopius. Sed in MS. Alex. est *προέστην σου,* quomodo et Cyrill. Alex. ac Theodoretus, nec non Hieronymus in suo *τῶν ὁ* cod. legit. — *Non enim adipes*] Haec ex Ieremia Irenaeus addidisse videtur, quamvis verba parumper differant: neque enim in Esaia ea reperio. — *Ex animo*] Haec verba explicationis ergo sunt addita. — *Et iudicium pacificum*] Nostri LXX habent iuxta Hebraeum: *ἀλήθειαν καὶ κρίμα εὐρηνικόν.* Sed in Irenaei cod. omissa fuit vox *ἀλήθειαν,* quae et in MS. Alex. desideratur. — *Sed et suis discipulis dans consilium, primitias Deo* p.612. *offerre ex suis creaturis* etc.] Eam quam Feuard. hic inseruit de sacrificio eucharistiae dissertationem, indeque subnexam in Lutherum, Calvinum etc. invectivam omitto, quod nimis prolixa et intempestiva sit, non quod rem ipsam inficias eam aut subterfugiam. Certum enim est, Irenaeum ac omnes, quorum scripta habemus, Patres, apostolis sive coaevos, sive proxime succedentes, s. Eucharistiam pro novae legis sacrificio habuisse. Atque hanc non privatam particularis ecclesiae vel doctoris, sed publicam universalis ecclesiae doctrinam atque praxin fuisse, quam illa ab apostolis, apostoli ab ipso Christo edocti acceperunt, diserte hoc et sequenti 34. cap. docet Irenaeus, atque ante ipsum Iustinus martyr, partim in Apologia 1. ad Antoni-

num, clarius vero et prolixius in Dialogo cum Tryphone Iudaeo. Cuius, ut et s. Ignatii, Tertulliani, s. Cypriani, aliorumque verba, tam a Pontificiis, quam a doctioribus Protestantibus, crebro allegata hic describere non est necesse. Unius solum Clementis Romani verba, non spuria vel dubia, qualia Feuard. hoc loco annotavit, sed certissime genuina ex eius ad Corinthios epistola adducere placet, quod non nisi ab uno mox laudando scriptore, neque ab eo integra, hanc in rem citata sciam. Ita vero is § 40: *Πάντα τάξει ποιεῖν ὀφείλομεν, ὅσα ὁ Δεσπότης ἐπιτελεῖν ἐκέλευσεν· κατὰ καιροὺς τεταγμένους τάς τε προσφορὰς καὶ λειτουργίας ἐπιτελεῖσθαι, καὶ οὐκ εἰκῇ ἢ ἀτάκτως γίνεσθαι, ἀλλ' ὡρισμένοις καιροῖς καὶ ὥραις. — Οἱ οὖν τοῖς προστεταγμένοις καιροῖς ποιοῦντες τὰς προσφορὰς αὐτῶν, εὐπρόσδεκτοί τε καὶ μακάριοι· τοῖς γὰρ νομίμοις τοῦ Δεσπότου ἀκολουθοῦντες, οὐ διαμαρτάνουσιν. Cuncta ordine debemus facere, quae nos Dominus iussit peragere: statutis scilicet temporibus oblationes et sacra ministeria perfici, neque temere et inordinate ea fieri, sed praefinitis temporibus et horis. Qui ergo assignatis temporibus oblationes suas faciunt, accepti et beati sunt: dum enim leges Domini sequuntur, non aberrant.* Ne vero haec de solis Iudaicorum sacerdotum, vel Christianorum laicorum oblationibus accipiantur, addo sequentia §. 44 verba: *Ἁμαρτία γὰρ οὐ μικρὰ ἡμῖν ἔσται, ἐὰν τοὺς ἀμέμπτως καὶ ὁσίως προσενεγκόντας τὰ δῶρα, τῆς ἐπισκοπῆς ἀποβάλωμεν. Non enim erit leve peccatum nostrum, si eos qui inculpate et sancte dona offerunt, episcopatu privaverimus.* Atqui quum huius epistolae auctor ille ipse Clemens fuisse videatur, cuius *nomen in libro vitae scriptum* Philippensibus scripsit Paulus cap. 4. vers. 3. quumque is modo citata duobus vel tribus post Petri et Pauli apostolorum martyrium, et viginti ante s. Ioannis obitum, annis scripserit, vix ullus dubitandi locus relictus est, ab ipsis s. apostolis hanc de sacrificio eucharistiae doctrinam promanasse, ac proinde omnino tenendam esse, licet nullum pro ea dictum ex ipsis prophetarum vel apostolorum scriptis adduci posset. Generale est enim s. Pauli praeceptum 2. Thessal. 2, 15. *Fratres, state et tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Sed satis quoque Scripturarum pro sacrificio eucharistiae post Irenaeum aliosque s. Patres adduxerunt recentiores theologi, non modo Pontificii, sed et Protestantes, praesertim Anglicanae ecclesiae doctores, ex quibus unum nomino, tam doctrinae quam pietatis eximiae virum, *Iosephum Medum*, utpote qui peculiari Tractatu de *Sacrificio Christiano*, anglice scripto, hanc rem egregie probavit et illustravit; ab omnibus proinde theologiae studiosis, praesertim sacri presbyterii candidatis diligenter legendo. Atque huius non solum sententiae, sed et voto in fine capitis 8. expresso, toto corde subscribo, atque opto, ut postquam multi pii doctique e parte Protestantium viri, hunc Lutheri et Calvini errorem, ac veram apostolicae ecclesiae doctrinam bene agnoverint, huius quoque sanctissimas formulas liturgicas, quibus dictum sacrificium Deo offertur, ab illis male e suis coetibus proscriptas, in usum revocent, et hunc summum Divinae
p.613. majestati honorem debite reddant. — *Per Iesum Christum offert*

ecclesia] Hoc caput Irenaei explanat, et quomodo preces atque oblationes tum Christo, tum Deo Patri per Christum offerantur, egregie declarat locus Origenis lib. VIII. contra Celsum, ita sonans: *Τὸν ἕνα Θεὸν καὶ τὸν ἕνα υἱόν, αὐτοῦ καὶ λόγον καὶ εἰκόνα, ταῖς κατὰ τὸ δυνατὸν ἡμῖν ἱκεσίαις καὶ ἀξιώσεσι σέβομεν, προσάγοντες τῷ Θεῷ τῶν ὅλων τὰς εὐχὰς διὰ τοῦ μονογενοῦς αὐτοῦ, ᾧ πρῶτον προσφέρομεν αὐτάς, ἀξιοῦντες αὐτόν, ἱλασμὸν ὄντα (περὶ) τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, προσαγαγεῖν, ὡς ἀρχιερέα, καὶ εὐχὰς καὶ τὰς θυσίας καὶ ἐντεύξεις ἡμῶν τῷ ἐπὶ πᾶσι Θεῷ. Unum Deum atque unum Filium, eius et Verbum et imaginem, supplicationibus ac precibus pro virili nostra colimus, fundentes Deo universorum orationes per Unigenitum eius, cui primum eas offerimus, rogantes illum, utpote qui propitiatio est pro peccatis nostris, ut, velut summus pontifex, et preces et sacrificia et intercessiones nostras illi, qui super omnia est, Deo sistat.*

MASSUETUS: *Abnuens*] Addunt editt. cum Arund. et Merc. II. *et ostendens quod ipse nullius rei indiget.* Sed totum hoc comma quum desit in antiquioribus et melioris notae Codd. Clarom. et Voss. expunxi. Quin enim assutum sit, et huc ab aliquo recentiori male translatum, haud dubito. Postquam enim in praeced. periodo, ex versiculis 9. 10. 11. 12. 13. Psal. XLIX. probavit, *quoniam nihil indiget Deus;* tum hac sequenti aliud sibi probandum ex vers. 14. et 15. eiusdem Psalmi proponit, nempe vet. legis sacrificiis et caeremoniis Deum non placari, sed sanctioribus et magis spiritalibus hostiis. — *Alibi ait: Sacrificium* etc.] Eundem locum, veluti Scripturae, omissis his verbis *sacrificium Deo cor contribulatum,* quae ex Psalmo 50. desumta sunt, cttat Clemens Alexandr. lib. II. Paedag. cap. 12. pag. 261. hoc modo: *ὀσμή, φησίν, εὐωδίας τῷ Θεῷ καρδία δοξάζουσα τὸν πεπλακότα αὐτήν:* ita ut ab eo mutuatus fuisse videatur Irenaeus. Sed ex quo Scripturae libro hanc sententiam uterque depromserit, difficile dictu est. In nullo enim eorum, qui nunc exstant, prout iacet, occurrit, neque Ecclesiastici cap. 35. quod ad marginem Clementis notatum est, neque alibi. Crediderim tamen utrumque respexisse ad illud Ecclesiastici 39, 14. iuxta LXX: *Καὶ ὡς λίβανος εὐωδιάσατε ὀσμήν, καὶ ἀνθήσατε ἄνθος ὡς κρίνον· διάδοτε ὀσμήν, καὶ αἰνέσατε ᾆσμα· εὐλογήσατε Κύριον ἐπὶ πᾶσι τοῖς ἔργοις. Quasi tus odorem suavitatis emittite, et florete florem quasi lilium: diffundite odorem, et collaudate canticum: benedicite Dominum in omnibus operibus suis.* Cuius quidem loci velut summa quaedam spectari potest ea sententia. Quod vero huic praemittat Irenaeus verba Psalmi L. non adeo mirum: varia siquidem testimonia ex variis locis depromta sic interdum coniungit, perinde atque uno eodemque loco haberentur. Exemplum suppeditabunt Esaiae verba paullo post citata, non tantum ex variis capitibus excerpta, sed quibus Ieremiae dictum aliquod insertum est. p.608. p.609.

CAP. XVIII.

FEUARDENTIUS: *Quam Dominus docuit offerri*] Observa quam frequenter, graviter et nominatim repetat Christum Dominum aucto- p.613.

rem et institutorem esse sacrificii eucharistiae. — *Quum igitur offers*] Hunc evangelii locum de eucharistiae oblatione cum Irenaeo interpretantur b. Clemens Rom. lib. 2. Const. Apost. c. 58. Optatus Milev. lib. 6. contra Parmenianum, Cyrillus Hieros. 5. Catech. mystag.
p.614. — *Offerre igitur oportet Deo primitias*] Quia saepe oblationis primitiarum meminit, de illis quaedam disserere operae pretium visum est. Primitias vocabant Hebraei primos fructus frugum, vinearum, olearum etc. quos ex agris quotannis percipiebant: Deoque offerre lege tenebantur, Exod. 22. 23. 25. 34. Deuter. 12. 18. 26. Num. 15. 18. 31. Levit. 23. 25. Ab initio autem arbitrio offerentium relictum fuit quantum quisque offerre vellet; verum ob ingratum animum populi, et sacerdotum avaritiam, magistrorum deinde arbitrio effectum esse tradit Hieronymus, ut qui plurimum, quadragesimam partem daret; qui minimum, sexagesimam: inter quadragesimam et sexagesimam licebat offerre quaecunque collibuisset. Primo autem offerebant, gratias agentes Deo auctori et largitori omnium bonorum, eique ut summo omnium imperatori tributo persoluto, se famulitium perpetuum praestituros recipiebant. Secundo, sacerdotes et Levitae, quibus nulla terrae portio certa fuerat, quique continuo sacris operabantur, his oblationibus honeste alebantur, atque ob eam rem Deus eorum agris ubertatem pollicebatur. Tertio, viduarum, pupillorum, peregrinorum et pauperum necessitatibus consulebatur. Postremo, hoc genere oblationum, ut reliquis sacrificiis et caeremoniis legalibus, venturum Messiam; et per eiusdem perfectam oblationem peccatorum expiationem, perfectamque cum Deo reconciliationem, se credere et exspectare significabant. Christiani autem quum legis caeremoniis per Christum soluti sint, postremaque ratio ad eas spectet, nunquam ea conditione primitias offerre licet. Quia vero aliae rationes ad moralia pertinent, quae Christus non abrogavit, sed explicavit et confirmavit; iudicaverunt apostoli, horumque successores, Christianos adhuc decimarum et oblationum offerendi munere teneri. Id docet b. Clemens Romanus his verbis: *Quamquam Dominus liberavit vos a servitute adiectorum vinculorum, non amplius sinens vos sacrificare animalia bruta pro peccatis: non tamen vos oblationibus liberavit, quas sacerdotibus debetis, et beneficentiis erga eos qui egent. Ait enim Dominus in evangelio: Nisi abundaverit iustitia vestra etc. Ita ergo abundabit, si de sacerdotibus, orphanis, viduis maiorem curam suscipietis.* Lib. 2. Const. Apost. cap. 39. Rursus cap. 29. docet quantum debeant episcopi ex primitiis et decimis capere et reliquis communicare, prohibens ne soli obliguriant ac dilapident, alias eis exprobrabitur: *Lac comedebatis et lanis vestiebamini* etc. Iterum, quomodo ex omnibus prorsus bonis et possessionibus dare debeant, scribit lib. 7. cap. 30. quibus distribui, lib. 8. cap. 36. et 37. quibusque verbis episcopus eas suscipiens benediceret, lib. 8. cap. 46. Iubet quoque novas spicas, uvas, oleum ad luminaria, et tempore quo sancta celebratur oblatio, thymiama ad altare offerri, Canon. 4. apostolorum: omnium vero aliorum primitias mitti debere ad domum episcoporum et presbyterorum, nequaquam super altare, Canon. 5. eorundem. Qui praeter hos Clementis et Irenaei locos, de illis ampliora desiderat, consulat

Urbani Papae et martyris epistolam ad omnes episcopos, Origenem Hom. 11. in Numeros, et 10. in Iosue, Epiphanium Haeresi 80. Hieronymum in cap. 44. in Ezech. Gratianum Caussa 16. Quaestione 7. demum Thomam Aquinatem 2. 2. q. 87. Artic. 4. — *Et non genus* p.614. *oblationum*] Sic cum negatione legendum, cum veteri cod. indicat sensus, qui nullus alias exsisteret; et me ante veteris exemplaris fidem mire distorsit. Docet sacerdotium et sacrificia per Christum non esse sublata, sed translata; non abrogata, sed consummata; id est, in alia multo augustiora mutata: quod et Paulus (Heb. 7, 12.) scribit: *Translato sacerdotio, necesse est ut et legis translatio fiat.* Translatum ait, seu commutatum, non quassatum, prohibitum, aut (ut cum Irenaeo loquamur) reprobatum; quia oblationes illic, id est apud Iudaeos; oblationes et hîc apud Christianos: sacrificia in populo, id est synagoga Hebraeorum; sacrificia et in ecclesia Christianorum. Illa enim tantum figurae erant et umbrae futurorum bonorum, haec vero veritatem ipsam, quam significant, et complectuntur et exhibent. Clemens Rom. (lib. 2. Const. Apost. cap. 29.) ante Irenaeum hoc ita dilucide et acute explicavit: *Tabernaculum testimonii per omnia figuram ecclesiae referebat* etc. *Vos igitur hodie, o episcopi, estis populo vestro sacerdotes et Levitae, qui ministrant sacro tabernaculo sanctae et catholicae ecclesiae; atque assistentes ad altare Domini et Dei nostri et adducentes ei, καὶ προσάγοντες αὐτῷ τὰς λογικὰς καὶ ἀναιμάκτους θυσίας, rationales et incruentas hostias per Iesum magnum pontificem.* Et lib. 6. cap. 23. *Baptismum, sacrificium, sacerdotium, localem adorationem mutavit: pro quotidiano baptismo, unum solum; pro sacrificio cruento, rationale et incruentum ac mysticum sacrificium instituit, quod in mortem Domini per symbola corporis et sanguinis sui celebratur.* Haec ille in lib. de Const. Apost. quos germanos et vere illius esse, tam unanimi sententia Patres omnes veteris ecclesiae confirmant, ut flagitiosae impudentiae sit dubitare aut negare. Eadem pertractat Augustinus lib. 17. de Civitate Dei cap. 17. et 20. Observandum quoque Irenaeum non loqui de sacrificiis illis spiritalibus cordis contriti, orationis, laudis, gratiarum actionis et beneficentiae, quae omni aetati et legi communia fuerunt; sed de nova novi Testamenti, externaque oblatione, quam legalibus externis opponit. Id enim sacrificium omnibus sacrificiis veteris Testamenti successisse, ex apertis Scripturis ostendit Augustinus 17. de Civitate cap. 20. — *Ab initio enim respexit*] Hebraei per hunc Dei respectum, caelestem oblatae rei combustionem intelligunt, qualis postea contigit sub Manue, Aarone, Salomone, Elia et Machabaeis. — *Nonne si recte offeras*] Septuaginta interpretum lectionem sequitur, ut post eum Ambrosius lib. de Incarnationis dom. sacram. cap. primo, Sermone 9. lib. de Cain et Abel cap. 6. Cyrillus Alex. lib. 2. in Genes. Prosper Aquitanicus lib. 2. de vocat. gent. c. 13. Chrysostomus Hom. 18. in Genesin. Et de hoc iam superius dictum est. — *Semper iustum*] *Super iustum* lubens legerim, et si p.616. nullus codicum hoc doceat. — *Igitur non sacrificia*] Nulla sacrificia externa per se sanctificant hominem cum impia mente ac odio proximorum offerentem, ut supra de Cain ostendit, consequenter quoque

probat ex Esaia; sed conscientia pura et simplex, quemadmodum ecclesia offert Deo, sanctos efficit. — *In sententia pura*] Fallunt turpissime, et falluntur Magdeburgenses, qui his verbis contendunt species sacrificiorum enumerari, ut oblationem corporis Christi Irenaeo inde ignotam probent. Non enim sacrificia enumerat; sed quibus virtutibus, modis et praecedentibus animi praeparationibus homines Deo grati gratam ei oblationem offerant et percipiant, docet. Huc pertinet illa diaconi ante oblationem et communionem proclamatio apud Clementem (lib. 2. Const. cap. 61. et lib. 8. cap. 15), Basilium, Cyrillum Ierosolymitanum et Chrysostomum: *Ne quis infidelis, Ne quis in hypocrisi, Ne quis dolose ut Iudas, Ne quis contra aliquem, Nullus Catechumenus, Nullus haereticus, Sancta sanctis.* Ad haec quoque pertinuisse symbolicam manuum ablutionem profitentur Dionysius Areopag. lib. de Eccl. Hier. cap. 3 et Cyrillus Hierosol. Cate. Mystagogica 5. Nec aurea, quae sequuntur, oris vere aurei verba praetermittere possum (Chrysost. Hom. 83. in Matth.): *Quare mundiorem esse non oportet,* ait, *eum, qui hoc sacrificio participaturus est? Quos radios solares non debet excedere manus illa, quae hanc carnem pertractat, os quod igne impletur spirituali, lingua quae cruentatur hoc admirabili sanguine?* In eam rem praeclara et multa reperies apud Isichium in cap. 26. Levitici: Augustinum Epist. ad Iulianum comitem; Hieronymum commentariis in Epist. ad Titum; Gregorium Nyssenum lib. de vita Mosis; Cyprianum Serm. 5. de lapsis et Clementem Alex. 4. Strom. — *Non enim*] Vet. cod. duas voculas *per* et *Deo* nescit; ideoque longe apertius pro sacrificii corporis Christi comprobatione legit: *non enim receperunt Verbum, quod offertur.* Hoc indicare magis, quam immutare placuit. — *Sed neque haereticorum synagogae*] Haereticos aeque ac Iudaeos pernegat veram sinceramque eucharistiae consecrationem et oblationem habere, quandoquidem alii diversos Deos sibi fingentes, in creatione rerum universarum, persona, dispensationeque Domini nostri turpissime aberrabant. Alii ut in baptismi, sic et eucharistiae doctrina et ministerio hallucinati, nunc aqua sola utebantur, ut est apud Clementem Alex. 1. Strom. nunc magico murmure verborum, vinum album tanquam rubicundum et purpureum apparere facientes: id etiam conari iam insanas a se redditas mulierculas iubebant, ut cap. 9. lib. primi idem demonstravit Irenaeus. Quidam ipsam consecratam eucharistiam carnem veram Domini Iesu esse inficiabantur, ut est apud Ignatium (Epist. ad Smyr.), referente etiam Theodoreto (Dialogo 3.). Alii exsecrandis et non dicendis pollutionibus panem contaminabant. Alii serpentis cuiusdam lambitu confici suspicabantur, uti referunt Epiphanius et Theodoretus. Merito igitur illorum omnes synagogas vero et salubri
p.617. dominico sacrificio carere docet. — *Quomodo autem constabit eis*] Duo praecipua confessionis christianae capita, Christum nempe Dei Filium esse, qui mundum condidit, et universae carnis resurrectionem, confirmat ex eo, quod Christus panem et vinum benedictione et invocatione corpus et sanguinem suum esse praedicaverit et fecerit; eademque offerre instituerit, et edenda distribuerit in commemorationem propriae mortis: atque arhabonem et pignus nostrae resurrectio-

nis. — *Eum panem, in quo gratiae actae sunt*] Ista ex Iustini martyris Apologia posteriore desumta videntur, quoniam illic panem eucharistiae vocat *ἄρτον εὐχαριστηθέντα*, rursumque *τροφὴν εὐχαριστηθεῖσαν*. Cyprianus quoque *panem caelesti benedictione consecratum* (Serm. de coena Domini). Ita enim quondam benedixit terram et germinavit; benedixit panes et pisces, et illico mirabiliter multiplicati sunt etc. Ex his autem evidentissime patet, Irenaeum non solum constanter credidisse et docuisse, panem vi consecrationis reipsa effici verum corpus Christi, non figura, metonymia vel significatione; verum etiam ex hoc tanquam firmissimo, et ab ipsis etiam haereticis admisso principio, adversus alias illorum haereses argumenta duxisse. — *Quomodo autem rursus dicunt carnem*] Ex hoc Irenaei loco catholici scriptores tria haec argumenta pro reali corporis Christi praesentia in eucharistia conficiunt. Primum, corpora nostra redduntur immortalia per hoc quod aluntur corpore Christi iam immortali. Ergo corpus Christi non solum animis in caelo concipitur, ut blaterant Calviniani, sed reipsa in eucharistiae communione ore corporis nostri percipitur et sumitur. Secundum, *panis percipiens invocationem Dei*, id est, verba per Christum Deum prolata et instituta, non est amplius panis communis, sed sacramentum constans re terrena, id est, accidentibus remanentibus, et re caelesti, id est, corpore immortali, glorioso, et iam caelestis Patris consortio gaudente: igitur in eucharistia idem numero corpus adest, offertur et ore corporis percipitur, quod in dextera Patris residet in coelis. Tertium, panis eucharistiae percepta invocatione ita mutatur ab esse terreno in caeleste, sicut corpora nostra per eiusdem participationem ex mortalibus et corruptibilibus efficientur immortalia et incorruptibilia. Sed corpora nostra non figura vel significatione quadam, sed reipsa proprieque erunt immortalia et incorruptibilia. Igitur panis terrestris eucharistiae non metonymice et imaginarie, sed substantiali realique transmutatione fit ipsum corpus Domini nostri Iesu Christi. Beatus episcopus et martyr Roffensis ita hunc Irenaei locum interpretatur: *Perinde est ac si dixisset: Quoniam caro Christi vivificati est, et eadem resurrexit ad vitam incorruptibilem: inde fit, ut qui carnem illam digne comederunt, si nulla posthac sua culpa virtutem illam quam acceperunt, amittant, eorum corpora procul dubio resurgent ad immortalitatem.* — *Ergo aut sententiam mutent*] Roffensis: *Monet* p. 618. *haereticos, quum haec ita se habeant, nempe quod ex ipsis creaturis: pane et vino, Christus corpus et sanguinem suum instituit conficienda, ut deinceps aut Christum credant fabricatoris mundi Filium et Verbum esse, quo mundus et quae in eo sunt, omnia fuere condita: aut ab eiusmodi sacrificio abstineant.* — *Nostra autem consonans est sententia*] Roffensis: *Pergit adhuc Irenaeus, insinuans ecclesiae dogmata, tum sibi mutuo, tum ipsi veritati convenire: sicut haereticorum e diverso, tam cum ipsa veritate, quam secum etiam pugnant. Nam quod ipse mundi fabricator Christi Pater sit, cum isto consonat, quod ipse Christus creaturis ab illo conditis utatur, ex quibus et suum ipsius corpus et sanguinem confecit. Et hoc scilicet rursus confirmat, Christum (qui talibus creaturis tam potenter utitur) non*

alterius, quam ipsius omnium conditoris esse Filium. Quamobrem et fides, qua Christus creditur esse Dei Filius, eucharistiae consonat; et eadem ab eucharistia confirmatur. — Offerimus enim ei] Roffensis: *Per communicationem corporis et sanguinis Christi efficimur una caro unusque cum eo spiritus: quam etiam unitatem Paulus saepe testatur in epistolis. Unum corpus* (inquit) *multi sumus, omnes qui de uno pane participamns* (1. Cor. 10.). Et rursum: *Qui adhaeret Deo, unus est spiritus* (2. Cor. 6.). *Nec potest certe quisquam Deo coniunctius adhaerere, quam qui cum pietate carne Christi vescitur, et eiusdem sanguine potatur. Per cibum enim istum incorporamur Christo, et unum cum ipso corpus efficimur. Asserit enim ipse Irenaeus, nos per sacramentum corporis, verae carni Christi: et per sanguinem eius, vere spiritui communicare. — Percipiens invocationem Dei*] Docet, non fide aut apprehensione humana, ut delirant Calviniani, sed verborum illorum, quae Christus protulit, et proferre iussit virtute atque efficientia, carnem et sanguinem Domini adesse, quum panis substantia, natura et communis conditio desinit, et in carnem sanguinemque Christi transmutatur: conservatis nihilominus quantitate, qualitate, sapore, reliquisque, quae externis sensibus ex accidenti conveniunt. Eo igitur sensu panem communem manere negat, sed eucharistiam fieri dicit, quae terrena panis et vini specie, simulque caelesti et gloriosa Domini carne constat. Vel carne Christi, quae terreno virginis utero prodiit; et anima, quae Deo superne creante, corpori eius infusa et communicata est. — *Iam non communis panis est*] Invisibili Spiritus sancti operatione, virtuteque consecrationis evenire docet, ut ea desinat communis ipsa natura et substantia panis, quae antea sub suis accidentibus latebat, transeatque in immortalem, caelestem et Deo iunctam Christi carnem, cuius participatione corporibus nostris, ex prioris Adami noxa morti et corruptioni subiectis, ius, arrha, virtus, certaque exspectatio vitae immortalis conferatur; quod ex vulgari pane nunquam accideret. Hanc esse germanam huius loci intelligentiam, idem ipse Irenaeus postea conspicuum facit lib. 5. *Quando mixtus calix,* scribit, *et fractus panis percipit verbum Dei, fit eucharistia sanguinis et corporis Christi, ex quibus augetur et consistit carnis nostrae substantia. Quomodo carnem negant* (haeretici) *capacem esse donationis Dei, qui est vita aeterna, quae corpore et sanguine Christi nutritur, et membrum eius efficitur? — Sic et corpora nostra*] Roffensis: *Quamquam granum tritici iactum in terram corrumpatur, ea tamen corruptio propter abditam in ipso grano virtutem via est ad alterius vitae maius incrementum; ad eundem modum necesse est, ut corpora nostra tandem per corporalem mortem redeant in cineres. Sed quia nonnihil virtutis, quam ex esu carnis Christi contraximus, in ipsis adhuc cineribus manere visum est tam Irenaeo, quam ceteris priscis; ipsa nostrae carnis incineratio (si tamen ante pasta sit hoc cibo) rectis-*
p.619. *sima callis est ad immortalitatem. — Sed gratias agentes donationi* (nos: *dominationi*)] Ita habent codices omnes Bnsileae, Lausanae et Lutetiae excusi: vetus codex, et rectius, meo iudicio, *dominationi,* atque ita legit Oecolampadius apud Roffensem lib. 4. cap. 21. —

Ad hoc ut praestet nobis] His operum bonorum necessitatem et mercedem apud Deum repositam esse docet: licet soli fidei et nullis operibus salutem et iustitiam coram Deo illum, ceterosque eiusdem saeculi Patres, acceptam referre mentiantur Magdeburgenses, Cent. 2. pag. 46. Unius tantum Clementis Alex. verba ad eos convincendos hic subiicere libet (in Protreptico): *Pretiosissimam salutem emere proprio thesauro, caritate et fide vitae, ut iusto quod libenter Deus acceptat pretio,* quoslibet hortatur. Idem 5. Strom. *Gratia servamur, sed non absque bonis operibus.* Et lib. 6. *Quando audierimus,* fides tua te salvam fecit, *non accipiamus absolute eos salvos futuros, qui quomodocunque crediderint, nisi facta quoque fuerint consecuta.* Et post pauca: *Sunt variae mansiones pro dignitate et meritis eorum, qui crediderunt.* Rursus lib. 7. *Quomodo medicus praebet sanitatem iis, qui opem illi ferunt; ita etiam Deus aeternam salutem iis qui opem illi ferunt, et cum eo cooperantur ad cognitionem et ad bonas actiones. — Est ergo altare in caelis*] Haec imperitissime ac nequissime nobis obiiciunt Sacramentarii, ac si Irenaeus iis negare vellet, aut altare aut sacrificium aliquod nobis a Christo traditum esse ac relictum in terris; quum e contrario praecedenti linea doceat, eundem *Christum velle ut frequenter offeramus munus ad altare.* Paulloque supra tam sancte et graviter dixerit, *illum novi Testamenti novam docuisse oblationem:* alibique, altarium usum in hanc rem nobis relictum fuisse, ut suis locis diximus. Hic tantum adiicio, altarium commemorationem ac inter Christianos usum Paulum aperte comprobare, 1. Cor. 9. *Qui altario deservit* etc. 1. Cor. 10. *Non potestis esse participes mensae Domini et mensae daemoniorum.* Quae porro mensa daemoniorum, praeter altaria, in quibus idolis gentiles immolabant? Ergo mensae dominicae, altaria Christianorum. Heb. 13. *Habemus altare, de quo edere potestatem non habent qui tabernaculo deserviunt* etc.

GRABIUS: *Quum igitur offers*] Hunc evangelii locum de eu- p.613.
charistiae oblatione cum Irenaeo interpretantur b. Clemens Romanus lib. 2. Constit. Apost. cap. 58. (57.) Optatus Milevitanus lib. 6. contra Parmenianum, Cyrillus Hieros. 5. Catechesi mystagogica. FEUARD. Dicti enim, ut et alii auctores, memorant ritum ecclesiae, quo per diaconos hortabatur fideles ad s. eucharistiam accessuros, ne cum inimicitia vel discordia ad altare venirent, in hoc Servatoris praecepto utique fundatum. Et sane quum hoc contineatur eximio isto sermone, quo novam legem aut veterem renovatam fidelibus suis observandam promulgavit; non tam Mosaicas oblationes cum altari et templo brevi abolendas, sed altare ac sacrificium ecclesiae iamiam instituendum praecipue respexisse, ac tale supposuisse videtur: quale etiam in Christianorum coetibus fuisse, non solum Irenaeus et antiquior Ignatius, sed et ipse apostolus testatur Hebr. 13, 10 scribens: *Habemus altare, ex quo edendi non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt.* Extra Iudaeorum itaque templum in ecclesia erat *θυσιαστήριον, altare,* et per consequens etiam *θυσία, sacrificium,* non solum rationale laudis et precum, sed et materiale panis et vini, quod verbo *edendi* clare significat apostolus. — *Offerre igitur oportet Deo* p.614.

primitias etc.] Missa Feuardentii hoc loco de primitiis digressione, Irenaeo gemina solum e corpore canonico, Distinct. 1. de Consecrat. cap. 69. verba adduco: *Omnis Christianus procuret ad Missarum solemnia aliquid Deo offerre, et ducere ad memoriam, quod Deus per Mosen dixit:* Non apparebis in conspectu meo vacuus. — *Ut in quibus gratus — percipiat honorem*] Hoc colon vix recte intelliges, nisi de homonymia vocis *gratus* ante monitus. Quippe primo *gratus* homo dicitur, ratione grati pro acceptis beneficiis animi; deinde vero *gratus* Deo *deputatus*, id est, acceptus, sicut initio huius capitis ait: *purum sacrificium reputatum est apud Deum, et acceptum est ei.* Atque dum ita Deo acceptus est homo, cum iis quae offert muneribus, *honorem percipit.* Quippe, uti paullo ante Irenaeus dicebat: *Is qui offert, glorificatur ipse in eo quod offert, si acceptetur munus eius. — Sacrificia in populo, sacrificia et in ecclesia: sed species immutata est tantum*] Satis apte ad haec annotavit Feuardentius verba lib. VI. Constit. Apost. cap. 23. *Baptismum, sacrificium, sacerdotium, localem adorationem mutavit. Pro quotidiano baptismo unum solum, pro sacrificio cruento, rationale et incruentum ac mysticum sacrificium instituit, quod in mortem Domini per symbola corporis et sanguinis sui celebratur.* Inepte vero addidit, quod libros Constitutionum apostolicarum germanos ac vere Clementis Romani esse, tam unanimi sententia Patres omnes veteris ecclesiae confirment, ut flagitiosae impudentiae sit dubitare aut negare. Ceterum bene observat, Irenaeum hoc loco non loqui de sacrificiis spiritualibus cordis contriti, orationis, laudis, gratiarum actionis et beneficentiae, quae omni aetati et legi communia fueruot; sed de nova novi Testamenti, eaque externa oblatione, quam legalibus externis opponit Irenaeus, quamque omnibus sacrificiis veteris Testamenti successisse, ex Scripturis pro-
p.615. bavit Augustinus lib. 17. de Civitate Dei cap. 20. — *A foris enim sepulcrum apparet formosum — plenum est*] Ita et Clemens Alexandrinus citat lib. III. Paedagogi cap. 9. *ἔξωθεν ὁ τάφος φαίνεται ὡραῖος — γέμει;* quomodo etiam in MS. evangeliorum cod. Cantabrigiensi legitur, nisi quod *γίνειαι* pro *φαίνεται* ibi sit exaratum. Sed editt. N. Testam. parumper differunt. — *Emunda quod est intus calicis — quod foris est*] In nostris N. Test. editt. exstat: *καθάρισον πρῶτον*, et post *ποτηρίου* additur *καὶ τῆς παροψίδος*, item *ἐκτὸς αὐτῶν.* Sed *πρῶτον* deest quoque in Chrysostomi Comment. in hunc locum; et *καὶ τῆς παροψίδος* in Clemente Alex. loco citato, ac MS. Cantabrig. denique *αὐτῶν* in Clemente, Chrysostomo, atque
p.617. latina Vulgata versione. — *Πῶς τὴν σάρκα λέγουσιν εἰς φθορὰν χωρεῖν*] Haec Graeca edidit *Halloixius* in Vita Irenaei pag. 488. descripta e MS. Cod. Claromontano Parallelorum Ioannis Damasceni, ubi citantur, tanquam *τοῦ ἁγίου Εἰρηναίου ἐκ τοῦ δ' ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως.* Ceterum per *φθορὰν* hoc loco *corruptionem finalem* intelligendam esse, quilibet videt. — *Καὶ ὁμολογοῦντες — ἔγερσιν*] Tria haec verba a veteri Interprete haud lecta fuere, nec genuina esse videntur. Quippe perspicere nequeo, quomodo Irenaeus *πνεύματος ἔγερσιν* dicere potuerit: nec ista *κοινωνίαν καὶ ἕνωσιν ἀπαγγέλλοντες*, perfectum fundunt sensum, nisi

construantur cum sequentibus vocibus *σαρκὸς καὶ πνεύματος*. Ceterum per *ἕνωσιν σαρκὸς καὶ πνεύματος* non id intelligit Irenaeus, quod nos una cum Christo caro unusque spiritus efficiamur, uti quidem explicavit *Fischerus* episcopus Roffensis a *Feuard.* not. 25. citatus; sed carnis nostrae cum Spiritu s. unionem atque communicationem indicat. Catholici enim carnem fidelium Spiritus s. participem, indeque incorruptelae ac aeternae vitae capacem esse, contra haereticos asserebant; adeo ut ex eorum sententia *perfectus homo constet carne, anima et Spiritu: et altero quidem salvante et figurante, quod est Spiritus; altero quod unitur et formatur, quod est caro,* uti inferius pag. 411. col. 1. lin. 16 seqq. loquitur; et mox col. 2. lin. 11. *quod est promptum Spiritus, veluti stimulum, carnis infirmitati admisceri* docet, indeque lin. 17. *Spiritus communionem,* et lin. 25 seqq. *participationem Spiritus* appellat. Sic et praeced. pag. 406. col. 2. lin. 17. perfectus homo definitur *commixtio et adunitio animae assumentis Spiritum Patris, et admixta ei carni quae est plasmata secundum imaginem Dei.* Et pag. 407. col. 1. lin. 2 seqq. *Quum autem Spiritus hic commixtus animae unitur plasmati — perfectus homo factus est.* Atqui hanc Spiritus et carnis adunitionem ac communicationem id efficere, ut caro non prorsus intereat, sed ad aeternam vitam olim resurgat, iterum iterumque Irenaeus locis citatis ac alibi passim docet, pag. 408. col. 2. lin. 4 seqq., pag. 409. col. 1. lin. 21 seqq. col. 2. lin. 11 seqq., pag. 411. col. 2. lin. 25. et 32., pag. 416. col. f. lin. 30., pag. 417. col. 1. lin. 11 seqq. quo ultimo loco haec habet: *Quis alius apparens fructus eius qui non apparet Spiritus, quam maturam efficere carnem et capacem incorruptelae?* Hanc igitur terrenae carnis et caelestis Spiritus unionem, qua caro nostra immortalis efficitur, sententiae Catholicorum de eucharistia congruam dicit Irenaeus, et mox se ipsum explicat, addens: eucharistiam similiter duabus rebus constare, *terrena,* id est pane, atque *caelesti,* id est Spiritu sancto, qui ad invocationem sacerdotis descendens, panem sanctificat, et omni divina ac vivifica virtute corporis et sanguinis Christi eundem replet. Sed de his verbis mox pluribus dicendum est. — *Τὴν ἔκκλησιν*] *Τὴν ἐπίκλησιν* legi debere, ex veteri versione et aliorum s. Patrum locis inferius p. 400. citatis colligere, atque exinde etiam perspicere est, perperam a *Feuard.* aliisque Romanae ecclesiae doctoribus *invocationem,* recitationem verborum Christi, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus,* hìc intelligi. Evolve quaeso dictum locum, ut sententiam Irenaei aliorumque veterum de consecratione eucharistiae percipias. — *Οὐκέτι κοινὸς ἄρτος ἐστίν*] Ita et Iustinus martyr Apolog. 1. ad Antoninum § 86. seu pag. 128. nostrae editionis: *Οὐ γὰρ ὡς κοινὸν ἄρτον, οὐδὲ κοινὸν πόμα ταῦτα λαμβάνομεν. Non enim ut communem panem, neque communem potum ista sumimus.* Ac post Irenaeum Cyrillus Hieros. Catech. III. Mystag. *ὁ ἄρτος τῆς εὐχαριστίας μετὰ τὴν ἐπίκλησιν τοῦ ἁγίου πνεύματος οὐκ ἔτι ἄρτος λιτός, ἀλλὰ σῶμα Χριστοῦ, panis eucharistiae post s. Spiritus invocationem non amplius est panis communis, sed corpus Christi.* Ceterum dum peracta consecratione eucharistiam haud communem panem esse ait Irenaeus, panem tamen sub-

stantialiter esse non negat, uti Nourrius Tom. 2. Apparatus ad Bibliothecam maximam Patrum Dissert. 6. de Irenaeo pag. 690. inde inferre videtur; immo potius panem, licet sacrum, esse affirmat. Opponit enim communem panem sanctificato pani, siquidem mox addit: *Offerimus autem ei — sanctificantes creaturam,* panis scilicet et vini, invocato super ea Spiritu sancto. Atqui ut *homo assumens Spiritum Dei, substantiam quidem carnis non amittit, qualitatem autem fructus operum immutat,* uti Irenaeus pag. 413. col. 2. lin. 27 seqq. loquitur; ita et panis percipiens invocationem Dei, eâque impetratum Spiritum sanctum, substantiam panis non amittit, qualitatem autem et efficaciam maiorem accipit. Res patet ex similibus s. Patrum de aqua baptismatis et sacro oleo locutionibus. De illa Gregorius Nyssenus Orat. de sacro Christi baptismo pag. 801. ait: *Μὴ καταφρονήσῃς τοῦ θείου λουτροῦ, μηδὲ ὡς κοινὸν αὐτὸ ἐξευτελίσῃς. Ne contemnas divinum lavacrum, neque ut commune ipsum parvi facias.* Et Ambrosius Praefat. lib. I. de Spiritu s. *Non est simplex aqua caelestis mysterii, per quam consequimur, ut partem cum Christo habere mereamur.* De chrismate vero Cyrillus Hieros. loco ante dicto: *Τὸ ἅγιον τοῦτο μῦρον οὐκ ἔτι ψιλόν, οὐδ', ὡς ἂν εἴποι τις, κοινὸν μετὰ ἐπίκλησιν, ἀλλὰ Χριστοῦ χάρισμα, Sanctum hoc unguentum non amplius simplex est, et si quis dicere velit, commune post invocationem, sed charisma Christi.* Quemadmodum igitur hisce non aquam et oleum substantiam suam amisisse, sed novam solum Spiritus s. virtutem imbibisse affirmant Patres; ita et Irenaeus de pane eucharistico intelligendus est, sicque intellectus transsubstantiationem plane evertit. Immo vero eidem directe contradicit verbis proxime sequentibus, ad quae iam pergo. — *Ἀλλ' εὐχαριστία, ἐκ δύο πραγμάτων συνεστηκυῖα, ἐπιγείου τε καὶ οὐρανίου*] Feuard. not. 22. haec ita explicat: *Sed sacramentum, constans re terrena, id est, accidentibus* (panis et vini) *remanentibus, et re caelesti, id est corpore immortali, glorioso, et iam caelestis Patris consortio gaudente.* Atque ita etiam Bellarminus, aliique Romano-Catholici passim, ac nuperrime Nourrius, loco ante dicto; tam in terrena quam caelesti re sacramenti ab Irenaei mente pariter ac ab ipsa veritate aberrantes. Quippe in priori, accidentia panis, ut vocant, citra eius substantiam subsistere supponunt, quod tamen in aliis similibus fieri posse negat Irenaeus supra pag. 132. col. 2. lin. 23 seqq. Deinde Irenaeum imprudentem prorsus et impudentem faciunt contra haereticos disputatorem. Qua enim mente ac fronte illis argumenta ex venerabili sacramento deducta opponere, et aut Christum Demiurgi vel creatoris filium, aut carnis nostrae incorruptelam inde probatum ire potuisset, nisi panis et vini substantiam una cum accidentibus in eucharistia remanere ipse una cum haereticis credidisset? siquidem hac sublata, tantum abest, ut catholica doctrina per eucharistiam confirmetur, ut potius inde validissime concuti, immo prorsus destrui posse videatur. Sic Marcionitae, *alterum praeter fabricatorem dicentes Patrem* Christi, cui scilicet panis et vinum, veluti novae legis sacrificium, offertur, ad obiectionem Irenaei, eum *cupidum alieni* inde ostendentis, facile respondere potuissent, ideo

sacramentalia panis et vini symbola transsubstantiari, quod Deus Novi Testamenti ista, tanquam ab alterius legis Deo creata, acceptare nolit. Similiter Valentinianis, *qui ex defectione et ignorantia et passione dicunt facta ea, quae sunt secundum nos*, in promptu erat regerere, panem et vinum esse quidem *ignorantiae et passionis et defectionis fructus;* nec tamen se iis offerendis *in Patrem suum peccare eique contumeliam facere*, uti Irenaeus obiectat, quod eorum substantia illico, mediante consecratione, intereat ac alia melior substituatur, quo sacrificium purum ac Deo acceptum fiat. Porro et argumentum pro resurrectione ac incorruptela carnis ab eucharistia petitum, posita transsubstantiatione, in nihilum, immo in caput Irenaei recidit eumque cum Catholicorum hypothesi plane prosternit. Istud ita se habet: Quemadmodum e terra productus panis, suscipiens descendentem ad sacerdotis preces Spiritum sanctum, ab hoc non prorsus absumitur aut aboletur, sed remanente eius substantia sanctificatur; ita ut tunc eucharistia duabus constet rebus, terrena, quae est materia panis, et caelesti, quae est gratia ac virtus Spiritus sancti pani indita: sic et e limo terrae formata caro nostra, eucharistiam, ac eius beneficio Spiritum sanctum, hîc quidem in parte, post resurrectionem vero in plenitudine accipiens, non quoad substantiam absorbebitur, sed quoad qualitates solum immutabitur; ita ut ex corruptibili fiat incorruptibilis, ex animali spiritualis, Spiritu s. adeo perfecte illam possidente, ut ei intime sit unitus, ac divinas qualitates ei communicet. Quam *communicationem et unitatem carnis et Spiritus* hoc loco appellat Irenaeus, ut praeced. p. 327. not. 3. exposui; hancque cum unione rei caelestis ac terrenae in sacramento comparans, continuo subiungit: *Quemadmodum enim* (nota connexionem) *qui est a terra panis percipiens invocationem Dei* etc. At vero si substantia panis eucharistici, accedente per consecrationem Spiritu sancto, recedat, comparatio aut est nulla, aut apprime favet sententiae haereticorum, qui substantiam carnis cum Spiritu in altera vita simul consistere posse negabant ac proinde abolendam contendebant; adeo ut iam non Irenaeus, sed haereticus dicere potuerit: *Nostra consonans est sententia eucharistiae, et eucharistia rursus confirmat sententiam nostram.* Ulterius mens Irenaei de substantia panis et vini in primae eucharistiae institutione, ac proinde etiam nunc, remanente, quodammodo etiam perspicitur ex lib. V. cap. 33. ubi docet, Christum promisisse discipulis, se istud, quod de calice consecrato biberat, in regno millenario post omnium creaturarum renovationem, itidem novum bibiturum esse. Atqui panis et vini, non corporis et sanguinis Christi substantiam tunc renovandam persuasus fuit Irenaeus; ergo et panis atque vini substantiam Christum in prima coena bibisse, ac proinde una cum accidentibus remansisse credidit. Accedit denique aliud argumentum, quo evidenter probatur, ex sententia Irenaei nec rem terrenam in eucharistia sola panis et vini accidentia esse, neque, quod alterum est Romanae ecclesiae placitum, rem caelestem esse corpus Christi gloriosum, prout in caelis ad dexteram Patris sedet. Ait quippe hoc loco, et inferius lib. V. cap. 2. iterum iterumque repetit, carnem nostram *corpore et sanguine Domini ali* sive *nutriri,*

immo *ex iis augeri ac consistere carnis nostrae substantiam.* Atqui hoc nudis accidentibus panis tribuere, absurdum est; caelesti autem et glorioso Christi corpori, impium. Non igitur sola panis accidentia sunt res terrena, nec gloriosum Christi corpus res caelestis eucharistiae: sed illa quidem est substantia panis, ut ex dictis patet; haec vero Spiritus s. in corpore Christi residens, indeque in panem descendens, sive divina illius virtus et gratia pani communicata ac inhaerens, uti iam paucis probo. Scilicet diserte docet Irenaeus, panem, ubi perceperit invocationem Dei, fieri eucharistiam, atque tunc non amplius una, ut ante consecrationem, sed duabus rebus consistere, terrena et caelesti. Quidquid igitur ad invocationem sacerdotis super panem et vinum de caelo descendit, id Irenaeus rem caelestem sacramenti appellavit. Atqui ad invocationem sacerdotis caelitus super panem et vinum Spiritus s. descendit; ergo Spiritum s. sive eius divinam virtutem ac gratiam, rem caelestem sacramenti appellavit Irenaeus. Maior sua luce radiat: minorem catholicae ecclesiae testimonio, ac ipsorum, contra quos Irenaeus disputat, haereticorum suffragio probatam habes inferius pag. 399 seqq. eandemque hoc ipso loco confirmat Irenaeus verbis mox sequentibus: *Offerimus autem ei, gratias agentes dominationi eius, et sanctificantes creaturam,* panis scilicet et vini, per Spiritum sanctum utique, quem ut Deus super panem et vinum demittat, in omnibus antiquis liturgiis oratur. Neque *communicationem atque unionem carnis et Spiritus* per comparationem cum s. eucharistia probare potuisset Irenaeus, nisi pariter communicationem atque unionem panis et Spiritus in sacramento credidisset. Sancti Spiritus igitur virtus atque gratia corpori Christi inhabitans, et caelitus in consecratum panem descendens, non ipsa externa corporis Christi substantia, ex Irenaei sententia, est res caelestis huius sacramenti. Id quod et ipse Cardinalis Perronius agnovit, indeque corpus Christi materiam terrenam sacramenti ab Irenaeo appellatam contendit: contra quem prolixe disputavit Albertinus lib. II. de
p.619. Sacramento eucharistiae pag. 298 seqq. — *Est ergo altare in caelis*] Digressionem Feuardentii de altaribus brevitatis ergo omitto; non quod *θυσιαστήριον,* perinde ut *θυσίαν,* ab apostolis eorumque successoribus constanter usurpatum negem. Vide praeced. pag. 306. not. 1. ac p. 324. not. 5. in fine, et consule etiam ibi laudati Iosephi Medi ad Tractatum de Sacrificio christiano Appendicem de voce *θυσιαστήριον.* Ceterum his Irenaei verbis gemina sunt ista Gregorii Nazianzeni Orat. 42. in Pascha pag. 692. *Θύσωμεν τῷ Θεῷ θυσίαν αἰνέσεως ἐπὶ τὸ ἄνω θυσιαστήριον μετὰ τῆς ἄνω χοροστασίας. Deo sacrificium laudis in supremo altari cum caelestibus choris immolemus.*

p.616. MASSUETUS: *Puram*] Sic editt. Erasm. Gall. et Feuard. cum MSS. Clarom. Arund. et Merc. II. melius quam vetus Feuard. Cod. Voss. et edit. Oxon. *pura.* Oblatio enim *pura* idipsum est quod paullo ante et initio capitis *sacrificium purum* ab ecclesia oblatum dixit. — *Verbum quod offertur Deo*] Ita tres antiquiores ac melioris notae Codd. vetus Feuard. Clarom. et Voss., nisi quod in priori et posteriori omissa sit vox *Deo,* quae non admodum necessaria est

quum satis subintelligatur. At editt. cum MSS. Arund. et Merc. II. habent: *Verbum per quod offertur Deo.* Sed prior lectio cum Irenaei scopo aptius congruit. Probat siquidem, nec Iudaeos nec haereticos puram oblationem offerre. Priorum *manus sanguine plenae sunt,* nec *Verbum receperunt,* quod in sacrificio eucharistiae, cuius typus et umbra erant veteris legis sacrificia, Deo Patri vere offertur. Hinc sequitur repudiato divino Verbo incarnato, vera novae legis hostia ab ecclesia oblata, nihil iam Iudaeis esse residui, praeter vanam et impuram sacrificii umbram. Idem dicendum de haereticis, quibus constare non poterat panem eucharisticum esse corpus Domini sui ac Verbi ipsius, nec proinde Verbum ipsum incarnatum offerri ab eis in sacrificio, quum Verbum mundi fabricatoris filium esse nollent. — *Quomodo autem constabit eis* etc.] De his ac sequentibus consule Dissert. III. art. 7. ubi vanas Grabii argutias, quibus apertissimae Irenaei de eucharistiae veritate ac transsubstantiatione sententiae fucos inducere nititur, dissolutas reperies. Nec legere pigeat quae de iis scripsit doctissimus quondam atque piissimus episcopus Roffensis Ioannes Fischerus lib. IV. de Verit. euchar. cap. 21 seqq. ubi totam Irenaei de eucharistia doctrinae seriem atque connexionem dilucide aperit, et egregie ab Oecolampadii tricis munit. — *Καὶ ὁμολογοῦντες — ἔγερ-* p.618. *σιν*] Aut haec verba non reddidit interpres, aut reddita scribae omiserunt. Suspecta Grabio videntur, mihi genuina. Perspicere nequit vir doctus, quomodo Irenaeus *πνεύματος ἔγερσιν* dicere potuerit. Sed eodem et iure et sensu dicere potuit Irenaeus *πνεύματος ἔγερσιν,* quo Tertull. lib. de Resurrect. carn. cap. 2. dixit *resurrectionem animae,* quatenus nimirum homine mortuo ipsa non perit, sed a corruptela servatur. Addit vir clariss. ista, *κοινωνίαν καὶ ἕνωσιν ἀπαγγέλλοντες,* perfectum sensum non fundere, nisi construantur cum sequentibus vocibus *σαρκὸς καὶ πνεύματος.* Atqui tantum abest construantur cum his vocibus, ut potius ab iis divelli debeant, et referri ad praecedentia. Paullo ante dixit Irenaeus, haereticis constare non posse eucharistiam esse corpus et sanguinem Domini sui, quod ipsum esse mundi fabricatoris filium et Verbum negent; id est, quod veram ac substantivam unionem divini Verbi cum vera humana carne et natura negent. Tum alterum eorundem haereticorum errorem, quo carnis resurrectionem impugnabant, perstringens, ait utrumque cum ea, quam de eucharistia profitebantur, fide pugnare; nostram autem consonantem esse sententiam eucharistiae, et eucharistiam rursus confirmare sententiam nostram: *offerimus enim Deo τὰ ἴδια, quae sunt eius,* quae ab ipso creata et condita sunt, panem scilicet et vinum in verum corpus et sanguinem Domini nostri conversa, et Verbum Patris ab ipso genitum: *ἐμμελῶς κοινωνίαν καὶ ἕνωσιν ἀπαγγέλλοντες, congruenter communionem et unionem praedicantes,* Verbi nimirum cum corpore et sanguine Domini, quae in eucharistia offeruntur, *καὶ ὁμολογοῦντες σαρκὸς καὶ πνεύματος ἔγερσιν, et confitentes carnis et spiritus resurrectionem.* Hic certe Irenaei sensus est, idque fatebitur quisquis antecedentia cum consequentibus accurate conferre voluerit.

CAP. XIX.

p.619. FEUARDENTIUS: *Munera autem*] Et si ea quae in hoc mundo condita sunt, ideae ac typi rerum caelestium dicantur; non inde sequitur ipsa caelestia aliarum desuper et incognitarum rerum rursum typos esse; aut Deum nobis notum, alterius ignoti typum ac figuram esse: alias in infinitum pergeret huiusmodi Gnosticorum deliratio. —
p.620. *Ad quos iuste*] Extremae dementiae ac insaniae indicat esse, aut supra aut extra verum Deum alium comminisci ac investigare, quoniam si caelorum dimensiones nec metiri nec comprehendere valemus, multo minus divinam assequi immensitatem poterimus. — *Immensurabilis*] Similis huic est ista Cypriani (Epist. 57.) sententia: *Deus nec videri potest, visu clarior est, nec comprehendi, tactu purior est, nec aestimari, sensu maior est, et ideo sic eum digne aestimamus,*
p.621. *dum inaestimabilem dicimus.* — *Vere autem in profundum*] Cyrillus Hierosol. (Catech. 6.) de hoc Valentiniani figmento disserens, allusisse videtur ad hunc locum, quum ait: *Docet enim eum, qui profunditas erat malitiae, a profunditate suam auspicare doctrinam.*

p.621. MASSUETUS: *Fabricatio*] *Mundi* huic voci iterum praemissum in omnibus editt. delevi auctoritate mox citat. codd. Neque enim mundi fabricationem intra Pleroma esse dicebant Valentiniani.

CAP. XX.

p.622. FEUARDENTIUS: *Igitur secundum magnitudinem*] Deus natura quidem incomprehensibilis, operibus tamen ostendit se unicum esse huius mundi Deum ac Dominum, quippe qui illum non mediantibus angelis, sed per unigenitum Filium suum atque Spiritum sanctum condiderit. — *Ad quos et loquitur dicens, faciamus*] Hunc locum post Irenaeum sic intelligendum censuerunt Tertullianus lib. de Trinitate, Athanasius epist. de Synodis, lib. 1. de Unita Deitate Trinitatis, Serm. 4. contra Arianos, Hilarius lib. 4. de Trinitate, Basilius hom. 9. in Hexaëmeron, Gregorius Nyssenus orat. in ea verba: *Faciamus hominem* etc., Cyrillus Hierosol. Catech. 10., Cyrillus Alex. lib. 2. cap. 2. in Ioan. lib. 4. dialog. de Trinitate, lib. 1. 4. et 8. contra Iulianum, Epiphanius Haeres. 69. Ambros. lib. 1. de Fide cap. 7. et lib. 6. Hexaëm. cap. 7. August. lib. 12. de Trinit. cap. 6. libro contra sermonem Arianorum, Theodoret. Quaest. 19. in Genesin. Iudaeos, Sabellianos et Arianos huic interpretationi contradicentes, rationibus aliis scripturis iam convictos horrendis anathematibus et diris omni-
p.623. bus prosequendos deserunt. — *Quoniam autem et sapientia*] Spiritus sancti divinitatem et coaeternitatem cum Patre et Filio, hic videre est. — *Dominus creavit me*] De huius loci sensu graviter olim inter Catholicos et Arianos certatum fuit: his inde volentibus Filium Dei proprie et vere creatum esse, illis constanter negantibus, utpote qui semper cum Patre fuisset, quemadmodum hoc capite tradit Irenaeus, id est, eandem cum Patre haberet aeternitatem, immensitatem et divinam maiestatem, profitentibus in symbolo: *Aeternus Pater, aeternus Filius, aeternus Spiritus sanctus. Non tamen tres aeterni, nec tres immensi, sed unus aeternus et unus immensus.* Hunc porro

nodum paucis dissolvunt Epiphanius (in Ancorato) et Hieronymus (Ep. ad Cypr.), docentes in fonte Hebraeo verbum esse Canani, quod possidere et acquirere; non autem Bara, quod creare significat. Ac idcirco Aquilam rectius vertisse, *Κύριος ἐκτήσατό με, Dominus possedit me;* quam Septuaginta *Κύριος ἔκτισέ με, Dominus creavit me.* Possessio enim significat, quod semper Filius in Patre, et Pater in illo fuerit. Creatio autem eius qui prius non erat, conditionis exordium: quod de Filio Dei vel cogitare impium ac nefarium. — *Nam* p.625. *prophetia*] Parem huic descriptionem habet Basil. (in cap. 4. Esa.): *Propheta est, qui per Spiritus sancti revelationem, quod futurum est praenunciat.* Et Procopius Gaza in 1. c. Esaiae, prout Latinum factum mihi ostendit eius interpr. Ioannes Curterius: *Propheta est, qui res futuras, vel praesentes, occultas praedicit.* — *Non enim solo* p.628. *sermone*] Elegans est August. ea de re sententia haec: *Patrum illorum non tantum lingua, verum etiam vita, prophetica fuit,* lib. 4. contra Faust. cap. 2. et lib. 22. c. 23. Tertull. etiam: *sicut vocibus, ita et rebus prophetatum est,* lib. de Resurrect. carn. — *Et reliquas au-* p.629. *tem eius*] Tria haec genera visionum, quibus prophetis Deus seipsum, suaque iudicia manifesta fecit, copiose persequitur Augustinus lib. contra Adimantum cap. 28. — *Et Verbum quidem loquebatur Moysi*] Constans est haec omnium fere antiquorum sententia, ut saepe adnotavimus. Hunc locum illustrabunt clarissima isthaec b. Clementis verba (lib. 5. Const. cap. 21.): *Hunc Filium Dei incarnandum, olim apparentem vidit Iacob uti hominem, et dixit: Vidi Dominum facie ad faciem: hunc Abraham hospitio recepit, hunc Moses in rubo vidit, hunc Iesus Nave dux exercitus Domini, armatum pugnantem: hunc Daniel, filium hominis venientem ad Patrem* etc. Vide Cyrillum Hierosol. Catechesi 10. et 11. — *Et manu mea*] Sic vetus cod. Graece *σκεπάσω τῇ χειρί μου.* Vulgata: *Protegam dextera mea.* Sustulimus *manum meam.* Et postea *ipsam* pro *ipsi* reposuimus. — *Et propter hoc facie ad faciem*] Eadem sic quoque exprimit Tertullianus libro 4. contra Marcionem: *Quum desiderasset conspectum Domini Moses dicens: Si inveni gratiam coram te, manifesta te mihi, ut cognoscenter videam te: eum conspectum desiderans, in quo hominem esset acturus, quod propheta sciebat* etc. *In novissimo, inquit Dominus, videbis posteriora mea, non lumbos, nec suras, sed quam desideraverat gloriam in posterioribus temporibus revelandam, in qua facie ad faciem visibilem se ei repromiserat* etc. Eadem continet libro contra Praxeam. Item Cyrillus Hierosol. Catech. 10. — *Non igitur manifeste*] Haec desumta videntur ex Dionys. Areopag. lib. de caelest. Hierar. cap. 4. et epist. 2. ad Caium monachum. — *Igitur* p.630. *si neque Moyses*] Disputarunt olim, atque etiam nunc inquirunt multi, an Moyses et Paulus, quum adhuc hîc peregrinarentur, viderint Deum more beatorum, id est, facie ad faciem sicuti est? quod hîc diserte negat Irenaeus. Ego paucis, quod ab eximio doctore Augustino didici, subiicio. Is alicubi scribit (lib. 12. de Gen. ad lit. c. 27. et 28), eos Deum vidisse, non aliqua corporalis naturae similitudine vel imagine, sed in ea subiecti natura et essentia, qua Deus est, quantum eam capere potest homo sevocatus ab omni sensu corporis. Idem

rursum confirmat epistola ad Paulinam, de videndo Deum, cap. 12. et 13. Sed hoc ipsum lib. 2. de Trinit. cap. 17. et 18. exponit, affirmans illos solo mentis oculo Deum ad tempus vidisse, quantum fas homini, non autem corporeis oculis. Contendit etenim lib. 22. de Civ. neque etiam beatos post iudicium Deum corporeis oculis, quantumvis glorificatis, aspecturos esse: observans, beatum Iob dixisse quidem: *In carne mea videbo Deum,* sed non: per carnem. Nec solus Irenaeus iudicat Moysem vel Paulum hîc degentes Deum instar beatarum mentium minimę vidisse; verum idem quoque sentiunt Dionysius lib. Caelest. Hier. cap. 4. ac epistola ad Caium; Origenes Hom. 1. in Esaiam; Nazianzenus Orat. 2. de Theologia; Chrysostomus Hom. 14. in Ioannem; Cyrillus Alex. lib. 1. in Ioan. cap. 22. et ex Latinis Hieronym. Dialog. 3. adv. Pelagianos; Gregorius lib. 18. Moral. c. 36. et 37. aliique permulti. Ad Scripturas autem quas contrə sentientes obiiciunt, respondent, illas de speciali quadam et illustriori visione intelligendas esse, non de beatifica, qua nunc cum angelis in caelo
p.631. potiuntur. — *Aliquando enim*] Tertull. *Hic erat visus Babylonio regi in fornace cum martyribus suis quartus, tanquam filius hominis* etc. Lib. contra Marc. et lib. contra Praxeam. Consentiunt Hieronymus et Theodoretus Comment. in 3. Daniel. — *Aliquando autem lapis a monte*] Per montem vel Hebraeorum genus vel b. Mariam virginem; per lapidem vero Christum, superveniente solius Spiritus sancti virtute, ex ea conceptum et natum, cum Irenaeo intelligendum arbitrantur Iustin. in Dialog. Tertull. lib. 3. contra Marc. Augustinus concione ad Catechum. cap. 12. — *Sed et Ioannes*] Sacram Apocalypsin diserte Ioanni apostolo et evangelistae adscribit; verum de
p.632. hoc infra copiosius dicetur. — *Et perseverabile orationum*] Id est, perseverantiam, qua frequenter pernoctabat in precibus. — *Qui inciperet eum tradere*] Ἔμελλε παραδιδόναι, qui traditurus esset. —
p.633. *Et in loco eliberata*] Graece καὶ ἔσται ἐν τῷ τόπῳ οὗ, *et in loco erit, in quo vocabatur* etc. — *Sic autem et Moyses*] Theodoreto quaest. 4. in Exod. Hieronymo in 1. cap. Soph. et Augustino Serm. 86. placet quoque haec intelligentia. Sed quaeritur a multis, quomodo uxor Mosis dicatur Aethiopissa, quum fuerit filia Iethronis sacerdotis Madian, in quam provinciam fugisse dicitur, non in Aethiopiam? Respondeo, Madian solo brevi maris rubri traiectu ab Aethiopia distare; eandemque persaepe vocari in sacris litteris terram Chuz ac Aethiopiam: ideo Sephoram inde natam et educatam recte Aethiopissam appellatam esse. Est tamen memorabile, quod non solum Epiphanius (contra Haeres. 78.), sed etiam R. Moses Maiemonin observat, nimirum, Mosen prophetae suscepto munere, ab eadem uxore sua deinceps abstinuisse, ut tam sanctae ac spiritali vocationi purio-
p.634. rem daret operam. — *Suscepit autem speculatores*] Vetus cod. adiicit *tres speculatores,* quod comparationi de tribus divinis hypostasibus concinne quadraret, si Bibliorum contextus duos, non tres fuisse repeteret. Ceterum non multum discedit ab hac Irenaei allegoria Iustinus martyr in Dialogo. — *Nullificant*] Id est, aspernantur et contemnunt. Proxima linea *praecedunt* pro *praecedent* legimus, quod in evangelio legatur προάγουσιν.

GRABIUS: *Accipiens*] Videtur itaque Irenaeus in suo *τῶν ὁ* co- p.622.
dice una cum aliis s. scriptoribus legisse *λαβών*, sicut et hodienum in quibusdam exemplaribus exstat, quum contra in aliis haec vox desit, et a quibusdam etiam Patribus omittatur. — *Verbum et Sapientia — in quibus omnia — fecit*] Similiter Theophilus Antiochenus lib. I. ad Autolycum pag. 21. *ὁ Θεὸς διὰ τοῦ λόγου αὐτοῦ καὶ τῆς σοφίας ἐποίησε τὰ πάντα.* Unde mox eadem Salomonis verba ex Proverb. III. citat, quae Irenaeus paullo post allegavit. — *Ad quos et loquitur*] Maxime parallela sunt verba Theophili Antiocheni lib. II. ad Autolycum pag. 114. edit. Oxon. *Ἔτι μὴν καὶ ὡς βοηθείας χρήζων ὁ Θεὸς εὑρίσκεται λέγων· ποιήσωμεν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα καὶ καθ' ὁμοίωσιν. Οὐκ ἄλλῳ δέ τινι εἴρηκε, ποιήσωμεν, ἀλλ' ἢ τῷ ἑαυτοῦ λόγῳ καὶ τῇ ἑαυτοῦ σοφίᾳ.* Ubi perinde ut Irenaeus Filium *Verbi*, Spiritum s. *Sapientiae* nomine designat, sicut et paullo ante pag. 106. mentionem facit *τριάδος, τοῦ Θεοῦ καὶ τοῦ λόγου αὐτοῦ, καὶ τῆς σοφίας αὐτοῦ.* Confer vero ipsum Irenaeum lib. 1. cap. 19. — *Raab fornicaria*] Ante Irenaeum s. Clemens in Epist. p.634.
ad Corinthios § 12. eodem, qui hic laudatur, actu Raab meretricem prophetasse, id est, futura adumbrasse scribit: *Οὐ μόνον πίστις, ἀλλὰ προφητεία ἐν τῇ γυναικὶ γέγονεν.* Neque solum actu, sed et voce eam prophetasse observavit Origenes Homil. 3. in Iesum Nave: *Ista meretrix*, inquit, *quae eos suscepit, ex meretrice efficitur iam propheta. Dicit enim:* Scio, quia Dominus Deus vester tradidit vobis terram hanc. *Vides quomodo illa — prophetat et praenuntiat de futuris.* — *Fide signi coccinei*] Exploratoribus pollicitis Raab meretrici, eam servatum iri cum omni familia, si coccineus funiculus in signum domus suae per fenestram dependeret, fidem illa habuit, fecitque quod iusserunt, atque sic servata est, uti sacra historia narrat. Id vero mystice significavit: *ὅτι διὰ τοῦ αἵματος τοῦ Κυρίου λύτρωσις ἔσται πᾶσι τοῖς πιστεύουσι καὶ ἐλπίζουσιν ἐπὶ τὸν Θεόν*, uti s. Clemens loco citato scripsit. Quem secuti Iustinus m. in Dial. cum Tryphone pag. 338. et Irenaeus hoc loco, atque post ipsum plurimi alii, nominati a *Cotelerio* in notis ad citatum s. Clementis locum. — *Quod erat pascha*] Nam signum, quo Israëlitae ex Aegypto egressuri servabantur, ne primogenita eorum, perinde ut Aegyptiorum, interirent, erat sanguis paschae, cum signo coccinei funiculi ratione coloris conveniens. Unde et Iustinus m. loco citato ambo commemorat.

MASSUETUS: *In omnibus autem*] *Et nos* addunt editt. cum p.622.
Arund. et Merc. II. Melius omittunt Clarom. et Voss. hic enim principium statuit auctor, ex quo periodo sequenti concludit *et nos factos esse.* — *Verbum et Sapientia, Filius et Spiritus*] Notasse forsan non abs re erit, ut Filio *Verbi*, sic et Spiritui sancto *Sapientiae* nomen ab Irenaeo tribui; quo nomine eundem Spiritum sanctum designat Theophilus Antioch. lib. I. ad Autolyc. pag. 21. et lib. II. pag. 114. edit. Oxon. — *Dicatur*] Hic pro *annuntietur* accipitur. — p.628.
A Patre clarum eius] I. e. claritatem, seu gloriam quam habet a Pa- p.631.
tre. Alludere videtur ad illud Ioannis 1, 14: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre.* — *Aliquid vero ad finem*] Supp.

refertur seu *respicit*. *Finem* autem saeculorum intelligit, quum venturus est Christus iudicare saeculum per ignem, ut canit ecclesia. —
p.633. *Διὰ τοῦ γάμου*] Graecum hoc fragmentum edidit Combefisius in auctario novissimo Bibliothecae Patrum pag. 298. decerptum e Catena quadam in Pentateuchum. Quae sit illa Catena, non novi: sed perlustranti mihi graecas regiae Bibliothecae MSS. Catenas, occurrit in tribus quae sunt in Numeros, scilicet cod. 1872. fol. 189. cod. 1888. fol. 395. et cod. 1825. fol. 399. e quibus emendatius illud profero.

CAP. XXI.

p.634. FEUARDENTIUS: *Quoniam autem et in Abraham*] Non solum in Abraham praesignata est fides et vocatio gentium ad Christum, verum etiam in Rebeccae parturitione, et rebus gestis per Iacob: ideo facile apparet eandem patriarcharum fidem cum nostra in unum Deum
p.635. fuisse. — *Sed et partus Rebeccae*] Huic interpretationi subscribunt Iustin in Dialogo, Tertull. initio libri contra Iudaeos, Orig. Hom. 11. in Genes. Ambros. in cap. 9. ad Rom. August. Serm. 68. de temp. Prosper Aquit. lib. 1. de Prom. cap. 20. — *Qui est absconsorum cognitor*] Verba sunt Susannae, sumta ex cap. 13. Danielis: ex quibus, et aliis quae supra cap. 11. et infra cap. 44. referuntur, apparet manifeste illa duo postrema Danielis capita sacrosanctae veritatis et auctoritatis fuisse antiquissimis ecclesiae proceribus et martyribus. — *Quemadmodum apprehendit calcaneum*] Eucherius Lugdunensis, Rupertus, Glossa interl. *Maioris plantam tenuit, quia mystice maior minorem superaturus erat. Planta enim Esau, novissimum praesignabat Israëlitici populi tempus, in quo Dominus noster advenire digna-*
p.636. *tus est, ut eis conferret salutem* etc. — *Duodecastylum*] Sic legendum docet vet. cod. id est, duodecim columnarum, quarum nomine duodecim apostolos intelligit adumbratos per duodecim patriarchas: qui ut Iudaeorum, sic isti Christianorum propagines fuere. Iustin. addit, eosdem significatos fuisse per duodecim tintinnabula dependentia e stola pontificis. Tertull. per duodecim fontes in Elim, duodecim gemmas in tunica sacerdotis, duodecim lapides in Iordane electos, et in arca testamenti conditos, lib. 4. cont. Marc. Delevimus *decastylum*, et paullo ante *patitur* pro *patiebatur* auct. vet. cod. reposuimus. — *Ex duabus sororibus*] Hoc pro ingenti crimine, quod tamen diligenter diluit, Manichaeos beato patriarchae obiecisse tradit August. qui et allegorixῶς totam historiam eleganter explicat, lib. 22. contra Faust. Manich. a cap. 52. usque ad 60. itemque Serm. 80. de Temp. *Quae praefigurabat*] Sic Iust. in Dial. scribit: *Duae uxores Iacob, duos populos adumbrabant, Laea synagogam, Rachel ecclesiam. Laeae debiles erant oculi, sic Iudaei animae oculos hebetes habent: Rachel furata est Deos Laban, ecclesiae Christianae etiam perierunt dii fabrefacti* etc.

p.635. GRABIUS: *In ventre tuo*] LXX modo sonant: *ἐκτὸς κοιλίας σου διασταλήσονται.* Sed s. Barnabas § 13. Epist. perinde ut Irenaeus, citat *ἐν τῇ κοιλίᾳ σου*, adeo ut frustranea sit coniectura cl. *Cotelerii* in margine: f. *ἐκ κοιλίας*. Cuius, ut obiter id moneam, prava quoque versio verborum Barnabae, *ὅτι μείζων ὁ λαὸς οὗτος*

ἢ ἐκεῖνος, *quod hic vel ille populus maior futurus sit;* ita corrigenda: *quod hic populus illo sit maior.* — *Fratris patiebatur* — p.636. *persecutiones*] Ita et Iustinus m. in Dial. cum Tryphone pag. 364. *Τὸν χρόνον πάντα ἐμισεῖτο ὑπὸ τοῦ ἀδελφοῦ ὁ Ἰακώβ. Καὶ ἡμεῖς νῦν καὶ αὐτὸς ὁ Κύριος ἡμῶν μισεῖται ὑφ' ὑμῶν, καὶ ὑπὸ τῶν ἄλλων ἁπλῶς ἀνθρώπων, ὄντων πάντων τῇ φύσει ἀδελφῶν.* — *Peregre incipiebat duodecastylum*] Hic s. apostoli duodecim *στύλοι* et firmamenta ecclesiae appellantur: *στύλοι* quidem ex Galat. 2, 9. ubi Iacobus, Petrus et Ioannes dicuntur *δοκοῦντες στύλοι εἶναι: duodecim* vero *firmamenta,* uti coniicio, ex Apoc. 21, 14. ubi s. Ioannes in descriptione supernae Ierusalem memorat *θεμελίους δώδεκα, καὶ ἐν αὐτοῖς ὀνόματα τῶν δώδεκα ἀποστόλων τοῦ ἀρνίου.* Ceterum Christus peregre apostolos creasse dicitur, ratione caelestis patriae, a qua peregrinabatur, dum versabatur in terris. — *Variae oves* etc.] Haec quoque Irenaeus a Iustino m. mutuatus est, qui loco iam citato ait: *ἐδούλευσεν Ἰακὼβ τῷ Λαβὰν ὑπὲρ τῶν ῥαντῶν καὶ πολυμόρφων θρεμμάτων· ἐδούλευσε καὶ τὴν μέχρι σταυροῦ δουλείαν ὁ Χριστὸς ὑπὲρ τῶν ἐκ παντὸς γένους ποικίλων καὶ πολυειδῶν ἀνθρώπων, δι' αἵματος καὶ μυστηρίου τοῦ σταυροῦ κτησάμενος αὐτούς.* — *Similiter omnibus dans*] Ita et Iustino m. loco cit. dicitur: *Χριστὸς τῶν αὐτῶν πάντας καταξιῶν τοὺς φυλάσσοντας τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ, ὃν τρόπον καὶ οἱ ἀπὸ τῶν ἐλευθέρων καὶ οἱ ἀπὸ τῶν δούλων γενόμενοι, τῷ Ἰακὼβ πάντες υἱοὶ καὶ ὁμότιμοι γεγόνασι.*

MASSUETUS: *A Verbo responsum accepit*] Verba haec non p.635. agnoscit apostoli textus, sive graecus, sive latinus, nec unde huc profluxerint, facile dixerit quis. Ab Irenaeo scripta non crediderim: neque enim cohaerent cum antecedentibus aut consequentibus. Incuria proinde scribarum perperam inserta quum videantur, expungenda sunt, et his substituenda genuina apostoli verba: *quum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali.* — *Duodecastylum firmamentum*] p.636. Sic pro *decastylum firmamentum* restituit Feuard. ex vet. cod. suffragantibus Clarom. et Voss. Apostolos intelligit, quibus ceu duodecim *στύλοις* seu columnis fulcitur ecclesia, utpote qui ecclesiam sanguine suo, exemplis atque doctrina fundarint; quemadmodum duodecim filii Iacob totius Israëlitici generis fundamenta et capita exstiterunt. Frustra igitur Grabius pro *duodecastylum* legendum vellet *duodecaphylum;* haec enim lectio stare non potest cum Irenaei allusione. Ecqui vero — firmamentum ecclesiae dicatur *duodecaphylum* seu *duodecim tribuum,* viderit vir acutus et explicet, si possit.

CAP. XXII.

FEUARDENTIUS: *Manibus suis lavans*] Vult eam pedum ablu- p.637. tionem, quam in coena Christus peregit, significasse alteram eam, qua quotidiana peccatorum remissione animorum nostrorum sordes abluuntur; quod ampliori oratione explicat Cyprianus, seu quivis alius auctor Sermonis de Ablutione pedum, cui subscribunt Cyrillus et Augustinus in Ioannem. — *Non enim propter eos solos*] Eleganter scribit Lactantius, ideo crucis supplicium prae ceteris omnibus summum Patrem elegisse, quo Filium affici sineret, ut cunctis gentibus

eius passio innotesceret. Nam qui patibulo suspenditur et conspicuus est omnibus, et ceteris altior. Quapropter Dominus noster in passione extendit manus suas orbemque dimensus est; ut iam tunc ostenderet, ab ortu solis usque ad occasum, magnum populum ex omnibus linguis et tribubus congregatum, sub alas suas esse venturum signumque illud maximum atque sublime frontibus suis susceptorum. Lib. 4. cap. 26.

CAP. XXIII.

p.638 FEUARDENTIUS: *Propter hoc dicebat*] Vocationem gentium ad fidem praesignaverunt patriarchae et prophetae, et adventum Christi praedixerunt, ut facilius susciperetur; quod et angelus beato Ioseph p.639. revelavit, ut alacrius Filio, matrique eius subserviret. — *Et in reliqua eius educatione*] Docet beatum Ioseph non tantum patris Christi vulgo nomen habuisse, sed et officia vere paterna erga eum praestitisse, dum sanctissimae matri eius fideliter et gnaviter in cunctis adfuit: Filium tulit in templum, in Aegyptum, in Iudaeam, in Galilaeam etc. assiduisque laboribus ac vigiliis utrique de huius vitae necessariis providit. Haec quippe attendens Bernardus appellat eum servum fidelem et prudentem, quem constituit Dominus suae matris solatium, suae vero carnis nutritium. Hom. 3. super Missus est.

CAP. XXIV.

p.640. FEUARDENTIUS: *Propter hoc et Paulus*] Quos hoc capite commemorat Pauli prae ceteris labores, omnibus eloquentiae suae nervis, velut effusis totius ingenii fontibus, postea prosecutus est Chrysost. homiliis octo de laudibus Pauli, quibus pauca haec ex Hieron. addere non erit iniucundum. *Ubi est electionis vas, tuba evangelii, rugitus leonis nostri, tonitruus gentium, flumen eloquentiae christianae*? etc. Idemque iterum: *Quotiescunque Paulum apostolum lego, videor mihi non verba audire, sed tonitrua. Videntur quaedam eius verba simplicia, et quasi innocentis hominis et rusticani, qui nec facere nec declinare novit infidiam; sed quocunque respexeris, fulmina sunt. Haeret in caussa, capit omne quod tetigerit, tergum vertit, ut superet, fugam simulat, ut occidat* etc. Adversus errores Ioannis Hierosolym. et in Apolog. pro lib. adversus Iovinianum. Eusebius non solum labore, sed etiam eruditione et sententiarum pondere aequales apostolos ipsum superasse, litteris mandat lib. 3. hist. cap. 42.

GRABIUS: *Deum, qui est* cett.] Haec apostoli de Christo dicta ad Deum Patrem refert Irenaeus tam hoc loco quam supra p. 621.

CAP. XXV.

p.641. FEUARDENTIUS: *Sic enim oportuerat*] Utrumque Testamentum in Abrahamo figuratum fuit: novum, quando incircumcisus credidit ad iustitiam: vetus, quando circumcisus est. Thamaris quoque partus duorum populorum typus fuit: unus vero utriusque Testamenti atque populi Deus. — *Iam vero et per Thamar*] Theodoretus quaestio 95. in Genesin, August. 22. cont. Faust. cap. 83. 84. 85. 86.,

hanc allegoriam uberiore calamo describunt, patriarchamque Iudam et nurum eius Thamar, quantum possunt a calumniis Manichaeorum vindicant. Quin etiam ad eius excusationem Chrysost. hom. 62. in Gen. rationem hanc adiicit, quod furari voluerit soceri concubitum, et filios ex eo procreare, non libidinem explere concupiscens, sed dispensationem. *Nullus,* inquit, *haec audiens condemnet Thamar. Nam dispensationem ministravit, et propterea neque ullam reprehensionem meretur. Duo filii eius duorum populorum figura fuerunt; et praedictio vitae Iudaicae et spiritualis.* Totus quoque in hanc sententiam est Ambrosius lib. 3. in Lucam. Immo et R. Simeon filius Iochai com. in Pentateuch. quos Zoar appellavit, liberat eandem a crimine, quod non explendae libidinis gratia id egerit, sed pio quodam instinctu, nempe ut ex Iuda exspectatum Messiam conciperet. Sed de peccatis veterum sanctorum copiosius dicit Irenaeus infra cap. 45. et 46. — *Praefigurata in Abel*] Augustini verba lucem huic loco p.642. adferent: *Occiditur,* inquit, *Abel minor natu a fratre maiore natu: occiditur Christus caput populi minoris natu a populo Iudaeorum maiore natu: ille in campo, isti in Calvariae loco.* Ex lib. 12. contra Faustum cap. 9. et 10.

Sedulius:

Frater iniquus erat iustum qui perculit olim:
Damnator Christi, frater iniquus erat.

— *Praefigurabat duo Testamenta*] Haec sunt apostoli ad Galat. 4. Abraham duos filios habuit, unum de ancilla et unum de libera. Haec autem sunt duo Testamenta etc. Quam sententiam sequitur August. 15. de Civit. cap. 2. et 3. et lib. 16. cap. 25. Sara et Agar cum prole duas civitates significasse, unam in Deo liberam, aliam terrenam. Idem sed copiosius disputat lib. 2. contra adversarium legis cap. 9. et lib. 22. contra Faustum cap. 30. 31. 32. — *Alii vero messi sunt*] Sic loquitur pro *messuerunt;* et postea *demessa est ecclesia* pro *fructum percepit.*

GRABIUS: *In semetipso praefigurabat duo Testamenta*] (Allegata p.642. Feuardentii adnotatione ita scribit:) Sed Irenaeus hoc loco non allegoriam apostoli de uxoribus filiisve Abrahae sectatur, verum Abrahamum *in semetipso* id est in sua persona amborum Testamentorum figuram sustinuisse docet, quatenus nempe et in praeputio et in circumcisione Deo placuit, indeque omnium fidelium tam Iudaeorum quam gentium pater fuit, uti idem apostolus Rom. IV. egregie edisseruit.

CAP. XXVI.

FEUARDENTIUS: *Hic est enim thesaurus*] Christus thesaurus p.642. est absconditus in veteris Testamenti atque prophetarum typis, qui plane revelati ac manifestati fuerunt per eius adventum; ac idcirco ut Christianis aperti sunt, sic Iudaeis adhuc obscuri. — *Danielis* p.643. *prophetae*[Ita vet cod. Alii omnes *in Daniele.* — *Qui quum epi-* p.645 *scopatus*] Successioni vult veritatem doctrinae iunctam esse; alias nec audiendi nec pro apostolorum successoribus agnoscendi sunt, qui illorum doctrinae et traditionibus adversantur, quamvis sedes eorum occupent: id tamen ex animo faciendum, etiamsi pietatem et sanctos

mores eorum, quibus succedunt, non imitarentur. Ex his porro et illis, quae supra scripsit lib. 3. cap. 2. 3. 25. 40. infra etiam cap. 45. 63. et 70. ex aliisque eius saeculi, et deinceps doctissimis, antiquissimis et sanctissimis pastoribus et scriptoribus manifestum est legitimam episcoporum successionem ecclesiae catholicae notam certam esse, qua discernitur ab omnium infidelium, haereticorum et schismaticorum congregationibus: ad hanc ut sacram ancoram veteres confugisse, huic soli promissum Spiritum veritatis in aeternum sibi persuasisse, hanc denique ut murum aheneum universis infidelium machinis et arietibus opposuisse. Hoc telo omnes priorum Gnosticorum copias confodit Tertullianus lib. Praescr. *Si audent interserere se aetati apostolicae,* inquit, *ut ideo videantur ab apostolis traditae, possumus dicere: Edant origines suarum ecclesiarum; evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis, vel apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo ecclesiae apostolicae census suos deferunt, sicut Smyrnaeorum ecclesia habens Polycarpum ab Ioanne collocatum, refert; sicut Romana Clementem a Petro ordinatum, id utique et ceterae exhibent. Confingant aliquid tale haeretici. Quid enim illis post blasphemiam illicitum est?* Et paullo post: *Ad eos merito dicendum est: Qui estis? Quando et unde venistis? Quid in meo agitis, non mei? Quo denique, Marcion, iure silvam meam caedis? Qua licentia, Valentine, fontes meos transvertis? Qua potestate, Apelles, limites meos commoves? Mea est possessio, olim possideo: prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis auctoribus quorum fuit res. Ego sum heres apostolorum. Sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adiuraverunt, ita teneo. Vos certe exheredaverunt semper, et abdicaverunt, ut extraneos, ut inimicos* etc. Huiusmodi argumento Novatianos coarguit Cyprianus lib. I. epist. 6. In hoc asylum se recepit Hieronymus adversus tot Orientis sectas dissectas, ut indicat ipse, epist. ad Damasum, et Dial. cont. Luciferianos. Parmenianum et Donatistas hoc laqueo praefocat Optatus Milevitanus lib. 2. Istius successionis consideratione, quasi arctissimis vinculis retentum, et fortissimis repagulis conservatum se in gremio catholicae ecclesiae confirmat frequenter Augustinus lib. contra epist. Manich. cap. 4. Psalmo contra partem Donati: Epistola 163. et 165. lib. de Utilitate credendi, cap. 17. et 49. lib. Quaestionum veteris et novi Testamenti, quaest. 110. lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 51. — *Qui circa Chore*] Hellenismus, *οἱ περὶ Χωρέ,* id est, ipsi Chore, Dathan et Abiron. — *Qui vero crediti*] Nicolaum ex septem diaconis unum; Cerinthum qui Petro a domo Cornelii redeunti, et Ioanni in Asia, aliquando negotium facesserat, Ebionem, et id genus haeresiarchas, hîc atro carbone notari existimo. Aetate enim apostolos aequarunt Irenaeumque praecesserunt, atque ob id elati, ecclesiae unitatem haeresibus dissipabant, et insanis foedisque libidinibus labefactabant, ut non raro conquestus est lib. 1. Nec absurde illos comparat cum duobus illis, hircorum more, libidine prurientibus, qui Susannam accusarunt, quandoquidem *sicut illi* (ait Cy-

prianus epist. 25.), *Susannam pudicam corrumpere et violare conati sunt: sic et hi adulterinis doctrinis ecclesiae pudicitiam corrumpere, et veritatem evangelicam violare conantur.* Observandum interim, Susannae historiam ex cap. 13. Danielis petitam, Irenaeum imitatos veteres frequenter laudasse, quod notare iustum fuit, in eos, qui adeo temere ea postrema capita Danielis e sacro canone Christianorum librorum secant, vel potius obliterant. — *Ab omnibus igitur talibus*] p.616. Docet longe recedendum a cunctis schismaticis, haereticis et istiusmodi pestiferis hominibus; constanter vero adhaerendum piis ac fidis ecclesiarum pastoribus, cuiusmodi fuerunt olim Moyses, Samuel, Paulus etc. — *Potentatus sum*] Eadem phrasi, qui latine scripsit, Lucifer Calaritanus utitur, initio lib. 2. ad Constantium, d. *Non potentabitis sanguinem innocentis.* Significant *potentari* verbo, vi, tyrannideque aliquos opprimere. Sic et Iacobi 2. vers. 6. — *Non invenistis*] Vetus codex negationem desiderat, sed delere noluimus, quod Graecorum more ad maiorem inficiationem, negantem dictionem saepe geminet — *Et dabo principes tuos*] Locus Esaiae secundum LXX. *καὶ δώσω τοὺς ἄρχοντάς σου ἐν εἰρήνῃ. Et dabo principes tuos in pace, et episcopos tuos in iustitia: καὶ τοὺς ἐπισκόπους σου ἐν δικαιοσύνῃ.* Atque hinc manifestum est, antiquissimam esse vocis *episcopi* mentionem: ut etiam ex Psal. 108, 8. et ex prophetis per apostolos tradita sit ad ecclesiae praefectos ac principes. — *Ubi* p.617. *igitur*] Veri legitimique pastores sunt tantum in ecclesia catholica, non in conventiculis haereticorum aut schismaticorum; et ab illis, non ab istis, vera germanaque divinae Scripturae interpretatio est quaerenda, quoniam inter illos sunt dona Spiritus s. et legitima episcoporum successio. Sic autem et Augustinus lib. contra epist. fundam. cap. 4. ex legitima episcoporum successione veritatem deprehendens et retinens ait: *Tenet me in ecclesiae gremio ab ipsa sede Petri, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad praesentem episcopatum sacerdotum successio. — Ubi igitur charismata Domini sunt*] Rursus in medium profert successionem legitimam esse signum certum verae ecclesiae, in qua sola Spiritus veritatis residet: vide supra cap. 43. libri huius et 3. 4. 5. libri tertii. — *Conversationis*] Innuit autem ecclesiam nunquam errare in doctrina et moribus, quoniam semper in ea consistit doctrinae incorruptibilitas et morum integra norma.

CAP. XXVII.

FEUARDENTIUS: *A quodam presbytero*] Monuimus lib. 1. Ire- p.618. naeum frequenter aliquem citare, qui ab apostolorum auditoribus in religione christiana edoctus fuerat; sed suppresso eius nomine, quod et hoc loco facit. Quis ille fuerit, Eusebius se nescire scripsit. Ego lubens Clementem Rom. iudicarem, nisi obstaret, quod illum ab apostolorum auditoribus eruditum testatur; hunc vero apostolos ipsos praeceptores habuisse, omnibus est in confesso. Ideo Clementem opinarer, quia similia iis, quae ab Irenaeo adducuntur, apud illum exstent lib. 2. de constit. Apost. cap. 21. Aut forsan Papiam intelligit, Hierapolitanum episcopum, qui se studiose investigasse a senio-

ribus, qui apostolos viderant et audierant, quid apostoli docerent et traderent ecclesiis, declarat in prooemio librorum suorum, cuius fragmentum exstat apud Euseb. lib. 3. hist. cap. 39. Sed et hunc idem Eusebius post Irenaeum facit Ioannis apostoli auditorem, Polycarpi sodalem, eodem loco historiae. Itaque fateor me non posse certo diiudicare quis ille fuerit; ostendat alius acrioris iudicii. —

p.649. *Typum veri templi*] Salomonis templum typum fuisse Christi Domini liquet, Ioan. *Solvite templum hoc* etc., quod eleganter explicat Atha-

p.650. nasius orat. 5. contra Arianos. — *Quinque millia canticorum*] Haec in scripturis Hebraicis nusquam reperiri scribit Athanasius in Synopsi. Pro *Domini* reposuimus *Deo*, vet. cod. auct. Iosephus porro lib. 8. Antiq. ait Salomonem parabolarum atque similitudinum fecisse libros tria millia. Hos Rabbini tradunt in devastatione urbis una cum libris legis combustos esse per Nabuzardan, militiae Chaldaeorum praefectum, nec postea reparatos esse. Scripsit item Hascirim, hoc est, Canticorum vel carminum quinque millia: sive ut Iosephus exponit, Carminum libros quinque millia, ex quibus unus tantum, qui *Canticum Canticorum* inscribitur, remansit, ceteris incendio Hierosolymorum absumtis. Disputavit quoque, ut ex lib. 3. Reg. cap. 4. colligit Hieronymus, de viribus, naturis et moribus iumentorum, volucrium, reptilium et piscium: quod eodem cum aliis incendio deflagravit. — *Et fecit Salomon malignum*] Idolis gentium non tantum delubra arasque erexit, verum et ipsis sacrificavit, ut Tryphoni obiicit et exprobrat Iustinus. Tertull. lib. 5. contra Marcion. *Salomon per mulierem in idololatriam usque pertractus est.* — *Et propter Dominum*] De vero Christi descensu ad inferos, ut inde animas Patrum abduceret, sic conspicua sunt haec, ut sensu communi egeant, qui alio derivare conantur: de quo articulo largius in extremo libri sequentis. Tantum hîc indicabo Clementem Alex. mira scribere de hoc descensu, Christi praedicatione et multorum conversione apud inferos lib. 2. et 6. Strom. quae ex Hermae seu Pastoris revelationibus

p.652. confirmat. — *Sine dubitatione igitur*] Transgressiones et ultiones veteris populi non arguunt alium Deum esse ab eo, quem Christus in evangelio praedicavit; quandoquidem is qui olim in Israelitas anim-

p.653. advertit, hodie quoque peccata suorum ulciscitur. — *Non bene sensit*] *Οὐκ εὐδόκησεν*, id est non gratos et acceptos habuit universos Hebraeos: sicut et capite superiore: *Non in pluribus eorum bene sensit Deus*, quod alii reddiderunt: *plures illorum non approbavit*

p.654. *Deus.* — *Qui non obediunt evangelio*] Ita vetus codex. Vulgata editio et textus graecus *μὴ ὑπακούουσι τῷ εὐαγγελίῳ.*

p.649. GRABIUS: *Et glorias exponebat Dei* cett.] Alludit, nisi fallor, ad Psalm. 71., qui Salomonis esse inscribitur, maxime ad versum 7. et 8.

CAP. XXVIII.

p.654. FEUARDENTIUS: *Et temporaliter*] Augustinus pereuntium illarum civitatum parvulos saltem et infantes, qui criminibus parentum rei non erant, a gehennae aeternis suppliciis liberatos esse sibi persuadet in Quaest. ex vet. Test. q. 13. — *Valde insensatos*] Insensati

sunt et furiosi, qui alterum Deum a creatore nituntur introducere, propterea quod auctior sit fides et gratia novi Testamenti, maiorque a nobis et iustitia requiratur. Unus namque et idem Deus varie genus hominum disponit, et mors Christi fidelibus est salus, infidelibus perditio. — *Sic et poena*] Hoc argumentum ex c. 10. ad Heb. sum- p.655.
tum est: *Irritam quis faciens legem Moysi* etc. — *Isti erunt semper*] Evertit Platonica supplicia et vicissitudines, quas postea plus aequo misericors excogitavit Origenes; sed copiose in easdem disserit Augustinus 21. de Civitate a cap. 12. usque ad 20.

CAP. XXIX.

FEUARDENTIUS: *Sed induravit*] Dissolvit argumentum Marcio- p.656.
nitarum, quo Deum malorum auctorem facere nitebantur, quia dicitur excaecasse Pharaonem. Hoc autem vult intelligere ea phrasi dictum, qua in evangelio et apostolo Deus tunc excaecare, indurare et tradere in reprobum sensum dicitur, quum faciem avertit, gratiae subsidium subtrahit, et in tenebris illos manere permittit, qui sponte eas sibi elegerunt, quod exemplo desumto a sole eleganter declarat. Eodem pacto isthaec interpretantur Tertull. lib. 2. contra Marcionem, Archelaus Mesopotamiae episcopus apud Cyrillum Hieros. Cateches. 6. et omnium uberrime et acutissime Augustinus lib. de praedest. et grat. c. 15. lib. de praedest. sanctorum, c. 8. et lib. de gratia et lib. arb. cap. 21. 22. 23. — *Sed nullificant eum*] Sic etiam Tertull. lo- p.657.
quitur lib. 4. adv. Marc. c. 14. *Ne metueritis ignominiam ab hominibus, et nullificatione* (id est, contemtu et despicatione) *eorum ne minuamini.* Et alibi non semel *nullificamen*, pro contemtu, idem usurpat. — *Si igitur et nunc*] Non negat Dei pietatem et gratiam effusam esse in universum genus hominum aut Deum pro diversis meritis diversa illis reddere praemia; sed id praedicat et explicat quod dicit apostolus, Deum quosdam tradere in reprobum sensum et tenebras, quas ultro elegerunt, incidere; illis ipsis, non Deo, tribuens propriae reprobationis et perditionis caussam. — *Sed in infidelitatis* p.658.
praecipitaretur pelagus] Ita vet. cod., excusi vero, *infidelitate praecipitaretur pelago.*

GRABIUS: *Ut non fulgeat*] *Eis* iuxta nostros N. T. Codd. p.657.
graecos et latinos addendum foret. Verum sine hac voce verba apostoli citantur quoque ab Origene Comment. in Ioan. p. 475. neque in MS. Cod. Alexandrino ea exstat, alios ut taceam.

CAP. XXX.

FEUARDENTIUS: *Qui vero exprobrant*] Marcionitas intelligit, quos p.658.
fraudem illam Hebraeorum in Aegyptios creatori maxime obiecisse auctor est Tertull. lib. 2. contra Marcionem. Augustinus quaest. 39. super Exodum, Hebraeos omni suspicione furti liberat, *quia enim,* ait, *hoc Deus iussit, qui noverat quid quemque pati oporteret, hi furtum non fecerunt: sed Deo iubenti ministerium praebuerunt.* D. Alcimi episcopi Viennensis, viri perantiqui, versus non inelegantes subnectere non erit iniucundum:

— — *Portantur avari*

Sic Pharaonis opes, quem tunc mercede soluta,
Servitii longum credas taxasse laborem.

p.659. Gregorius id allegorice explicat 28. Moral. cap. 17. — *Qui in regali aula*] Fidem Christi ad illustres usque imperii Rom. ordines et principes hoc sacculo penetrasse, ex his manifestum est. Processum et Martinianum non infimae sortis milites, pro Christo sub Nerone martyrium passos esse narrant Vincentius, Petrus de Natalibus, et Bergomensis. Alexandri episc. Rom. opera Hermetem urbis praefectum, cum uxore et liberis, nobiles deinde viros Trebellium, Pertinacem, Zenonem patricium, Eustachium fortissimum ducem, Achaiam principem, Heliam ducem, Theodorum magistrum militum, et Carcerium alterum exercitus ducem, pietatis christianae ergo, Hadriano imperante, martyria subiisse scripserunt posteriores. Sub Antonino Pio, M. Antonino Vero et Commodo Imp. stipendia meruisse non tantum gregarios milites, sed rei militaris praestantissimos etiam copiarum Romanarum et legionum ductores, qui Christo nomen dederant, ex apologiis et legationibus Iustini, Melitonis, Athenagorae, Tertulliani, scriptisque M. Aurelii Antonini ad S. P. Q. R. facile colligitur. — *Et aedificaverunt eis civitates*] Iosephus addit, Aegyptios adegisse Hebraeos ad substructiones illarum pyramidum, quae inter septem mundi miracula numerantur, lib. 2. Antiq. — *Quid igitur iniuste gestum est*] Hebraei longum tempus in Aegypto in lateribus, muris, urbibus faciendis consumserunt. Dominus igitur mercedem aliquam laboris sui eos percipere voluit, ideoque illos hac calliditate uti. Nam et Aegyptii regi suo operam suam navarant, ait Theodor. Quaest. 23. in Exodum. Tertullianus vero, *Non ad fraudem*, inquit, *sunt instincti Israëlitae, sed ad mercedis compensationem, quam alias*
p.661. *a dominatoribus exigere non poterant*, lib. 4. cont. Marc. — *Et reliqua quaecunque benefacientes iustificamur.* Et paullo post: *Haec in dominicas utilitates convertentes, iustificamur.*] Non posset quidpiam clarius et certius dici pro necessitate bonorum operum, cum ad iustificationem, tum ad salutem. — *Typus et imago fuit*] Ut figurae istius partes singulas copiosa oratione tractarunt Origenes, Isidorus, Rabanus et Rupertus: sic excultis versibus suis cecinerunt Sedulius presbyter et Alcimus Viennensis. Illius sunt.

Pervia divisi patuerunt caerula ponti
In geminum revoluta latus, nudataque tellus
Cognatis spoliatur aquis, ac turba pedestris
Intrat in absentis pelagi mare, perque profundum
Sicca peregrinas stupuerat marmora plantas.
Mutavit natura viam, mediumque per aequor
Ingrediens populus, rude iam baptisma gerebat:
Cui dux Christus erat, clamat nam lectio, multas
Vox Domini super exstat aquas, vox denique Verbum est:
Verbum Christus adest, geminae qui consona legis
Testamenta regens, veterem patefecit abyssum,
Ut doctrina sequens planis incederet arvis.

Istius, id est, Alcimi, libro quinto Carminum ad finem libri comperies. — *Ioannes discipulus Domini in Apocalypsi*] Hic et multis aliis locis adeo manifeste et constanter auctorem Apocalypseos docet fuisse

b. Ioannem evangelistam, ut crassae impietatis sit ea de re amplius ambigere.

GRABIUS: *Imputant populo — et ipsis non imputant*] Aegy- p.659.
ptiis scilicet, qui iniquissime cum Israëlitico populo egerant. Idem vero Marcioni ad hanc obiectionem respondit Tertullianus lib. II. contra ipsum cap. 20. his verbis: *Age, infelicissime haeretice, teipsum expostulo arbitrum: cognosce in utramque gentem prius, et ita de auctore iudicabis. Reposcunt Aegyptii de Hebraeis vasa aurea et argentea: contra Hebraei mutuas petitiones instituunt, allegantes, sibi quoque eorundem Patrum nomine ex eodem Scripturae instrumento mercedes restitui oportere illius operariae servitutis, pro civitatibus et villis aedificatis. Quid iudicabis, optimi Dei elector? Hebraeos fraudem agnoscere debere, an Aegyptios compensationem? — Insigne* p.660.
aurum] *Non signato,* cuius modo mentio facta, opponitur. — *Fugati* p.661.
fueritis] Fallor, an Irenaeus vel Interpres hoc potius, quam *deficiendi* verbo uti voluerit, quod *receptioni* in aeterna tabernacula egregie respondeat, quum contra τὸ *deficere* aliquanto obscurius esse videatur. — *In suam hereditatem*] In terram sanctam videlicet, in qua cum Christo rege suo ecclesiam in fine mundi futuram credidit Irenaeus. Sed de hoc felici fidelium statu plura vide sub finem libri V. — *Inveniet easdem plagas etc.*] Respexit Irenaeus *plagas septem novissimas, in quibus consummatur ira Dei,* Apocal. XV, 1, quae sequenti cap. XVI. recensentur. Et sane nulla ibi nominatur, quae non et Aegyptiis inflicta fuerit, ut ex collatione dicti capitis cum Exodi VIII. IX. et X. patet.

CAP. XXXI.

FEUARDENTIUS: *Neque fieri similes Cham*] Cham impudentem p.661.
patris irrisorem typum haereticorum gessisse, post Irenaeum his docet Augustinus 16, de Civit. cap. 2. *Cham porro, qui interpretatur callidus, quid significat nisi haereticorum genus callidum, non spiritu sapientiae, sed spiritu versipellis astutiae; quod solent haereticorum fervere praecordia, et pacem perturbare sanctorum?* Eadem Augustini verba transscripsit Eucherius Lugdunensis lib. 2. in Genes. cap. 2. — *Etenim Lot non ex sua voluntate*] Concubitus ille, quo Lot p.662.
ambas filias virgines constuprasse legitur, Gnosticis istis et Manichaeis, ut ex August. colligitur, horrendum et omnibus suppliciis dignum facinus visum est: quibus nostro aevo assentiuntur Lutherus, Musculus, Calvinus et reliqua Gnosticorum progenies. Apostolico autem seniori, cuius superiori capite meminit Irenaeus, et Catholicis Graecis et Latinis, gravissimis de caussis, a peccato vel penitus vel maiori ex parte ipsum liberare placuit. *Non enim invenio eum,* scribit Origenes, *insidiatum esse, aut violenter eripuisse pudicitiam filiarum, sed magis insidias passum, et arte circumscriptum. Nullus igitur audeat* (infert Chrysostomus in Genes.) *aut iustum, aut iusti filias condemnare. Quomodo non esset extremae dementiae eos quos Scriptura liberat ab omni crimine, nos peccatis plenos damnare?* Et Theodoretus: *Iis qui per ignorantiam peccant, homines quoque ignoscere solent. Nemo igitur iure ac merito Lot succensere potest: quod enim*

fiebat, ignoravit. Culpandus est quidem (aiunt August. 22. contr. Faustum c. 41. et Eucherius 2. in Genes. c. 30.) *non tamen quantum ille incestus, sed quantum illa meretur ebrietas. Proinde illud factum, quum in sacra Scriptura narratur, prophetia est: quum vero in illorum vita consideratur, flagitium. Nec rursus tanta reprehensione atque accusatione res digna est, quantam in eam Faustus inimicus et caecus evomuit.* Ambrosius lib. 2. de Abraham. cap. 2. *Inebriatus vino, quid gereret nesciebat. — Per quam duae filiae*] Non multum huic dissimiles allegorias fusius persequuntur August. 22. contra Faustum cap. 41. 42. 43. 44. 45. et Origenes Hom. 5. in Genes. — *Veni, potionemus patrem nostrum vino*] Ab ebrietatis delicto immunem Lot facere non potest Origenes. *Subiacet enim culpae,* ait, *quòd decipi potuit, quod vino indulsit: et hoc non semel, sed iterum fecit. Ebrietas decipit, quem Sodoma non decepit. Uritur ille flammis mulierum, quem sulphurea flamma non ussit.* Chrysostomus et Theodoretus facile veniam mereri docent, quod ad levandum animi moerorem, ex carissimae coniugis metamorphosi et clarissimarum urbium horrendo excidio contractum, liberiorem vini usum, filiarum manibus porrectum
p.663. admiserit. — *Quapropter et ipsae excusabiles sunt*] Si non a toto, saltem a tanto (ut in scholis loquimur) post Irenaeum easdem excusat Origenes his verbis: *Audierant in fine saeculi terram et omnia elementa ignis ardore decoquenda. Videbant ignem, videbant sulphureas flammas, videbant cuncta vastari, matrem quoque suam videbant non esse salvatam. Suspicatae sunt tale aliquid factum, quale in temporibus audierant Noë, et ob reparandam mortalium posteritatem solas se esse cum parente servatas. Recuperandi igitur humani generis desiderium sumunt. Et quamvis grave eis videretur crimen, furari concubitum patris; gravior tamen videbatur impietas, si humanae posteritatis spem servata castitate delerent. Patris moestitiam vel rigorem vino molliunt et solvunt: singulis ingressae noctibus, singulae suscipiunt ab ignorante conceptum. Ultra non repetunt, non requirunt. Ubi hîc libidinis culpa? ubi incesti crimen arguitur? quomodo dabitur vitio, quod non iteratur in facto?* Ab hac Origenis sententia non recedunt Chrysost. Theodoretus, et Ambrosius lib. 2. de Abrah. — *Conservationem*] Auctoritate veteris cod. expunximus *conversationem,* et paullo supra *fructus* pro *fructum, ut* pro *et,* inferius quoque *fecit* pro *refecit* posuimus. — *Commixtus et unitus est*] Voce commiscendi unitionem illam, quam hypostaticam vocarunt, duntaxat intelligit, ut supra annotavimus. — *Id est, duae filiae* (nos: *congregationes*)] Vetus codex: *id est duae congregationes iustificatae a patre suo. — Sed statua salis*] Origenes aliam meditatus allegoriam, Lot rationabilis sensus et animi virilis, quo semper ad salutem tendimus; uxorem eius, carnis imaginem tenere putat, quae semper retrorsum, id est, ad vitia respicit et voluptates requirit. Sedulii versus factum istud concinne explicantes sunt:

Lot Sodomae fugiente Chaos, dum respicit uxor
In statuam mutata salis stupefacta remansit,
Ad poenam conversa suam: quia nemo retrorsum
Noxia contemti vitans discrimina mundi,

Respiciens salvandus erit, nec debet arator
Dignum opus exercens, vultum in sua terga referre.

GRABIUS: *Quemadmodum et Lot*] Lotum eiusque filias a crimine absolvit post Irenaeum Ioannes Chrysostomus ob eandem scilicet rationem, quod Scriptura eos non culpaverit: *Nullus igitur audeat*, inquit Homil. 44. in Genesin, *aut iustum* (ita cum s. Petro 2. Epist. 2, 7. appellat *Lotum*) *aut iusti filias condemnare. Quomodo non esset extremae dementiae, eos quos Scriptura liberat ab omni crimine, immo vero pro quibus tantam apologiam contexuit, nos peccati plenos condemnare?* In quibus apologia ista consistat, ipse cum Irenaeo aliisque mox declarabit. Contra Manichaei post veteres Gnosticos magni criminis loco istud factum habuerunt, uti colligitur ex Augustini lib. XXII. contra Faustum cap. 43, ubi mediam ipse viam post Origenem Homil. v. in Genesin ingressus, Lotum non incestu, sed ebrietate peccasse quidem docet, attamen non adeo graviter, uti haeretici contendebant; neque sine mysterio et significatione futurarum rerum id contigisse, una cum Irenaeo aliisque existimat. Iudicium hac de re ferre temerarium puto, ac proinde observandum apostolici presbyteri monitum, ab Irenaeo praecedenti capite memoratum. — *Neque ex sua concupiscentia carnali*] Ipse Augustinus loco citato fatetur, hoc Loti et filiarum eius factum non ita in s. Scriptura referri, *ac si ille in filias necessaria libidine exarserit*, aut illae *in sui patris carnem exsecrabili amore flagrassent.* Immo longe diversa facti ratio redditur. — *Neque sensum neque cogitationem*] Eandem excusationem affert Theodoretus Quaest. 70. in Genesin, et ante eum Chrysostomus loco citato, qui Loto idem quod Adae accidisse ait: *Nam sicut illic ex dormientis latere portio sumta est, eo non sentiente; similiter et nunc — Nam id quod illic divina Scriptura, quod immisit* (Deus) *ecstasin in Adam, et dormivit; hoc et hîc significavit, dicendo: Nescivit quando vel accubuerit, vel resurrexerit* (filia). Dices: Sed Lotus ignorantiae suae fuit caussa, dum se inebriari passus est. Respondet iterum Chrysostomus, hoc non ex incontinentia, sed tristitia accidisse: *siquidem anxius valde ac moerens, utpote omnibus simul bonis, et uxore etiam sua spoliatus permisit, ut filiae vinum largius affunderent, et quod struebatur ignorans, ad leniendam mitigandamque tristitiam id fieri suspicabatur,* prout et Theodoreti verba loco citato sonant. — *Δύο ..... συναγωγαί*] Interpres legisse videtur *δύο θυγατέρες, τουτέστι δύο συναγωγαί*, ita ut ob recurrentem vocem *δύο* intermedia duo exciderint: nisi dicere potius velis, scribam quempiam ea addidisse. Rem ipsam vero quod attinet, Origenes loco citato non sine iudicio contra sensum allegoricum ab Irenaeo allatum haec obiicit: *Scio nonnullos, quantum ad allegoriam pertinet, Lot traxisse ad Domini personam et filias eius ad duo Testamenta. Sed haec qui sciat quid de Ammonitis et Moabitis, qui ex genere Lot descendunt, Scriptura dicit,* (Deuteron. XXIII.) *nescio si libenter accipiat. — Statua salis semper manens*] Ita et Clemens Rom. in Epist. ad Corinth. memorat *στήλην ἁλὸς ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης.* Atque ex Iudaeis Iosephus lib. 1. Antiq. cap. 12. de eadem salis statua scribit: *ἱστόρηκα δ' αὐ-* p. 662.

τήν· ἔτι γὰρ καὶ νῦν διαμένει. — *Per naturalia, ea quae sunt consuetudinis hominis*] Menstruum fluxum muliebri sexui naturalem indigitare videtur, utpote quem uxori Loti, licet iam in statuam salis versae, quosdam adscripsisse vel affinxisse docet auctor carminis de Sodoma, quod inter Tertulliani atque Cypriani opera exstat, post medium ita de uxore Loti canens: *Dicitur et vivens alio iam corpore*
p.664. *sexus Munificos solito dispungere sanguine menses.* — *Dum saepe auferuntur* etc.] Auctor modo dicti carminis de statua salis: *Quin etiam si quis mutilaverit advena formam, Protinus ex sese suggestu vulnera complet.* Id Irenaeus ad ecclesiam applicat; de qua gemina quoque habet cap. 64. huius libri.

CAP. XXXII.

p.664. FEUARDENTIUS: *Huiusmodi quoque*] Utriusque Testamenti unicus est auctor, Deus nimirum, qui hunc mundum condidit; haeretici aliter sentientes, impia dogmata sua dissimulabant, ne deprehensi a doctoribus catholicis confunderentur. — *Et concedat ab aliquo altero*] Sic restituimus ex vet. cod. Alii omnes habebant: *et quum concedat ab aliquo altero, aut per aliam factam conditionem, quae sit secundum nos* etc. — *Abscondunt a nobis*] Simili modo de Arianis conqueritur Athanasius Orat. 1. ad Epictet. Quod veluti anguillae in sinus maeandrosque lubricarent, et sese occultare studerent, ideoque aptissimo epitheto, post Tertullianum, vocat illos *bestias lucifugas.*
p.665. Auctoritate veteris cod. *habent* pro *habet* supposuimus. — *Apud eos qui in ecclesia sunt presbyteri*] Scripturam sacram, eiusque sinceram intelligentiam, a sola ecclesia catholica petendam contendit: quod satis diffuse post ipsum ostendit Clemens Alex. sub finem libri septimi stromatωn. — *Ut disceret homo*] *Cicero ut confirmaret liberum arbitrium* (ait Augustinus 5. de Civitate, cap. 9.) *negavit Deum praescium esse futurorum, atque ita dum vult facere liberos, facit sacrilegos. Religiosus autem animus utrumque eligit, utrumque confitetur, et fide pietatis utrumque confirmat.* Et cap. 10. *Nullo modo cogimur aut retenta praescientia Dei, tollere voluntatis arbitrium: aut retento voluntatis arbitrio, Deum (quod nefas est) negare praescium futurorum.*

CAP. XXXIII.

p.665. FEUARDENTIUS: *Qui ab initio in universis dispositionibus*] Quum tanta et plane divina opera tribuat Spiritui sancto, ambigendum non est ipsum pie et orthodoxe de illius deitate ac coaeternitate sensisse. Fulgentius sub finem libri tertii ad Trasimundum, et tota epistola ad Donatum, ex iisdem et similibus operibus, quae una cum Patre et Filio communia habet, concludit adversus Arianos et alios
p.666. haereticos, ipsum natura Deum esse. — *Iudicat quidem omnes*] Alludit nimirum ad verba apostoli 1. Cor. 2. Spiritalis iudicat omnia, et ipse a nemine iudicatur, ubi Theodoretus: *Qui gratia Spiritus sancti dignus est habitus, ipse quidem ad alios docendos sufficit, aliorum vero doctrina non indiget.* — *Nam iudicat gentes*] Non de legis Mosaicae praevaricatione, quoniam eis data non fuit; et qui sine hac

lege peccaverunt, sine lege peribunt. Nec de contemta lege evangelica, si nunquam eis sufficienter promulgata sit; sed de lege naturae mentibus eorum descripta et insculpta, quam graviter et multipliciter sunt praevaricati, ut copiose graviterque Paulus disserit magna capitis primi ad Rom. parte, et hic Irenaeus insinuat. Etenim quum hac duce unum Deum cognoverunt, et non sicut Deum coluerunt; sed innumeros sibi confinxerunt deos deasque, immo et ipsis impurissimis daemoniis immolaverunt filios et filias suas, ut exprobrat psalmista; ea de re, et plurimis iisdemque gravissimis sceleribus adversus legem naturae commissis recte iudicabuntur et damnabuntur. — *Neque volentes*] Coniunctionem *et* expunximus auctoritate vet. cod. Et paullo post, *nihil indigenti Deo,* pro *indigente,* reposuimus: in argumentis *iudicabuntur* pro *iudicantur.* In illis etiam *Quemadmodum* pro *Quomodo* usurpat suo more. — *Non cognoscentes*] Mira Scripturarum connexione demonstrat duos eosdemque plurimum a se dissitos adventus Christi: primum in abiectione, secundum in maiestate futurum. — *Dissolvens quidem Amalech*] Iustinus, Tertull., Cyprianus eam historiam, quae refert Mosem in formam crucis extendisse brachia, movisse ac protraxisse preces ad Deum, tantisper dum Iesus Nave vinceret atque deleret Amalecitas, scite ac convenienter cum Irenaeo accommodant ad mysterium passionis et mortis Domini Iesu Christi, qui in ligno crucis affixus, suis precibus, lacrimis et vibicibus, de morte, peccatis, inferis et diabolo magnos triumphos et ampla spolia sibi et nobis reportavit. — *Suum corpus esse confitebatur*] De hac re pro virili diximus in cap. 32. 33. et 34. libri huius. — *Temperamentum calicis*] Libro quinto vocat mixtum calicem: quibus liquet perantiquam atque adeo apostolicam esse traditionem, ut aqua vino commisceatur in calice consecrandae eucharistiae. Quapropter sicut Encratitas et Hydroparastatas solam aquam pro eucharistia offerentes, priscis temporibus damnavit ecclesia, uti docent Clemens Alex., Cyprianus, Epiphanius, Augustinus: sic nostri huius saeculi Gnosticos omnes eodem anathemate prosequitur, propterea quod solo vino utantur, et commixtionem hanc in catholica ecclesia solitam, papisticum recensque institutum nuncupent et damnent. Porro ritum hunc, uti a Christo apostolisque profectum amplexantur servandumque docent Augustinus lib. 4. de doctrina christiana, c. 21. de Eccles. dog. cap. 75. et Serm. 119. de tempore. Ambrosius lib. 3. de Sacram. c. 1. Hieron. com. in cap. 14. Marci: et Quaest. Heb. in lib. Paralip. Cyprianus epist. ad Caecilianum fratrem. Alexander martyr epist. 1. Et qui graece scripserunt ante multa saecula, Theophylactus in cap. 19. Ioan. Damasc. lib. 4. c. 14. Iustinus martyr ad finem prioris Apologiae, et Clemens Rom. apostolorum comes lib. 8. Constit. cap. 17. Iacobus in Liturgia per concilium 6. univers. ante 900 annos probata. Basilius quoque et Chrysostomus in Liturgiis, Theodoretus Dialogo primo, et Concilium tertium Carthaginense, cui adfuit Augustinus, canone 24. idipsum quoque confirmant et probant. Ceterum verbum *esse* addidimus: et paullo post *suum* pro *sui* reposuimus auct. vet. cod. — *Quomodo autem*] Iisdem argumentis, sed fusius explicatis, Marcionem urget Tertullianus lib. de Carne Christi. *Iam*

hîc responde, inquit, *interfector veritatis, Nonne vere crucifixus est Deus? Nonne vere mortuus et vere crucifixus? Nonne vere resuscitatus? Ut vere scilicet mortuus, falso statuit inter nos scire Paulus tantum crucifixum. Falso sepultum ingessit. Falso resuscitatum inculcavit. Falsa est igitur et fides nostra, et fantasma est totum quod speramus a Christo. Scelestissime hominum, qui interemtores excusas Dei. Nihil enim ab eis passus est Christus, si nihil vere est passus. Parce spei totius orbis, qui destruis neecessarium decus fidei.* Idem lib. 4. contra Marcionem: *Si caro Christi fantasma, nihil ergo remansit in ligno, Nihil pependit etiam post exspirationem. Nihil de Pilato postulatum. Nihil de patibulo detractum. Nihil sindone involutum. Nihil sepulchro novo conditum. Atqui non*
p.667. *nihil* etc. — *Iudicabit autem et eos*] Etiam Valentinianorum reprobabuntur impietates, quibus unitatem Dei reipsa lacerant, tametsi aliud simulent; simulque Christum unicum Dominum nostrum in multas partes plus quam ethnica fraude distrahunt. — *Propriam quidem emissionem*] Libro 1. pluribus in locis dixit, Gnosticos unicum Christum Dominum nostrum in quatuor distrahere, in Monogenem, Verbum, Christum et Salvatorem, et horum unicuique probolas seu productiones et emissiones assignare: quod hîc rursus commemorat. —
p.668. *Quomodo possunt salvari*] Locum hunc nominatim citat Theodoretus Dialogo 2. Fulgentii sequentia verba aliquid lucis adferent: *Nullatenus namque humana natura ad auferendum peccatum mundi sufficiens atque idonea fieret, nisi unione Verbi Dei, non naturali confusione, sed solum personali unitate transiret.* Lib. de Incarn. et Gratia Domini nostri, cap. 4. — *Ad cuius similitudinem Dei factus est homo*] Vocem *Dei* expunximus auct. vet. cod. Porro quod hîc obscure innuit, id clare libro 5. explicat: nempe ad imaginem Verbi Dei humanam naturam olim assumturi, Deum ab initio efformasse hominem, quum dixit: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Sic et Tertullianus sensit lib. de resur. carnis: *Quodcunque,* inquit, *huius hominis exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus.* Consentit et Origenes hom. 1. in Genes. his verbis: *Quae ergo est alia imago Dei, ad cuius imaginis| similitudinem factus est homo, nisi Salvator noster, qui est primogenitus omnis creaturae?*
p.669. etc. — *Quemadmodum enim*] Pro *quomodo,* suo more. Ceterum Marcionitas intelligit, de quibus lib. 1. cap. 29. et libro isto, cap. 14. et 57. — *Putativum est igitur*] Tertull. lib. contra Valent. *Omnia in imagine urgent, plane et ipsi imaginati Christiani.* Et Ignatius: *Omnes eiusmodi haeretici cippi sunt et sepulcra mortuorum, in quibus duntaxat mortuorum hominum nomina inscripta sunt.* Epist. ad Philadelphienses. — *Omnia apud eos*] Expunximus *omne,* auct. vet. cod. — *Iudicabit autem et pseudoprophetas*] Marcionitas praecipue intelligit, quos spiritum propheticum ab ecclesia arcere, ut coetibus suis arrogarent, dixit lib. 3. cap. 11. Marcum etiam Valentini sectatorem perstringit, cuius imposturas habes supra lib. 1. cap. 8. et 9. — *Iudicabit autem et eos*] Graviter et severe inquiret Dominus in eos, qui ecclesiae magnum et illustre Christi corpus ob modicas caussas schismatibus suis divellunt, peccato omnium gravissimo semetipsos invol-

ventes: sicut et in omnes qui extra illius communionem et unitatem inventi fuerint. — *Nulla enim ab eis*] Schismatis crimen, quo sancta p.670.
ecclesiae unitas laceratur variis haereseon sectis, adeo grave et horrendum aestimaverunt Patres, ut nullis tormentis satis expiari posse crederent: quod et hîc aperte indicat Irenaeus. Aliorum omnium gravissimum esse post Clementem Rom. lib. 6. Constit. cap. 1. ideo colligunt Optatus Milevit. et Augustinus, quod fratricidis, incendiariis, adulteris, idololatris, poenitentiae locum Deus reliquerit, vel supplicîis leniorîbus in ipsos animadverterit; schismaticos vero, subducto resipiscendi tempore, vel caelestibus ignibus absumserit, vel hiatu terrae, viventes, corpore et animo, ad tartara brevi momento praecipitaverit. Quis iam dubitaverit, hoc esse sceleratius commissum, quod est gravius vindicatum? Libro 1. contra Parmenianum, libro 2. de Baptismo contra Don. cap. 6. Disserit quoque hac de re Dionysius Alexand. apud Eusebium libro 6. hist. cap. 37. contendens omnia potius incommoda subeunda esse, quam ecclesiae Dei discindere concordiam; illudque martyrium, quod quis perpetitur, ne dirimatur ecclesiae consensio, multo plus habere commendationis, quam illud quod suscipitur, ne idolis omnino immoletur: quae utinam accuratius multi huius aetatis attenderent. — *Extra ecclesiam*] Ex his manifestum est haereticos et schismaticos non esse vera membra ecclesiae catholicae: id est, non oves, sed hircos; non palmites vitis, sed arida seiunctaque sarmenta; non filii sponsi ac sponsae, sed nothi et spurii ex patre diabolo et meretrice haeresi prognati. Hinc Tertullianus: (lib. Praescr. cap. 37.): *Si haeretici sunt, Christani esse non possunt. Quum exierunt ex nobis, desierunt esse ex nobis.* Et Lactantius lib. 4. cap. 30. *Quum Marcionitae aut Ariani nominantur, Christiani esse desierunt.* Huic sententiae adstipulantur Cyprianus lib. de Unitate ecclesiae, Hieronymus Dialog. contra Luciferianos. Quin etiam Theodosius et Valentinianus publicis legibus prohibuerunt haereticos Christianorum sibi nomen usurpare, sed auctorum erroris quos sequerentur. — *Iudicabitur*] Delevimus *iudicatur*, auctoritate veteris codicis. — *Et dispositionis eius*] Vet. cod. *et dispositiones eius, per quas factus est homo filius Dei* etc. — *Constant*] Sic vet. cod. Excusi omnes *consistunt.* Docet autem agnitionem veritatis et Scripturarum sinceram germanamque interpretationem a veteri ecclesiae statu et ordine petendam esse, ubi caritas cunctarum virtutum maxima viget et valet. Sic et Augustinus Donatistas ad ecclesiae subsellia remittens scribit: *Quisquis falli metuit alicuius obscuritate quaestionis, ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate Scriptura sancta demonstrat.* Lib. 2. contra Cresc. cap. 3. — *Et character corporis Christi*] Ita pro *charactere* ex vet. cod. restituimus. Vult autem signum et notam verae ecclesiae, qua eam ab infidelium, haereticorum et schismaticorum conciliabulis internoscamus, esse successiones episcoporum per universas illius sedes. Quae vero ad hunc locum illustrandum pertinerent, diximus ad initium libri 3. et libro 4. cap. 43. — *Custodita*] Vet. cod. *custoditione, sine fictione scripturarum tractatio plenissima.* — *Quod est pretiosius*] Caritatem p.671.
primum locum inter virtutes et omnia Spiritus sancti charismata ob-

tinere docet, quod apostolus 1. Cor. 13. eleganter persecutus est. — *Supereminentius*] Expunximus *supereminens*, vet. cod. auct. — *Quapropter ecclesia*] Martyrum copiosus ac illustris exercitus, qui in sola ecclesia catholica esse potest, palam testatur de eius in Deum dilectione, ac eandem multo magis augeri, quum per tyrannos imminui et debilitari putatur. Tantum vero abest ut haereticorum sectae martyres habeant, ut etiam martyrium pro Christo subeundum esse negent. — *Reliquis autem omnibus*] Basilidem professum fidem persecutionis tempore, fidenter etiam periurio negandam, nec subeundum pro Christo martyrium esse, memoriae post Irenaeum mandaverunt Tertull., Eusebius, Epiphan., Theodor. et Philastr. Et quia martyrium Dei donum est, quod extra caritatem et unitatem ecclesiae nemini conceditur; ideo negat Gnosticos extra eam aberrantes, veros martyres habere, quos in testimonium verae pietatis et apostolicae doctrinae ostentare possint. Idem tradit Clemens Alexand. lib. 4. Stromatœn. Haec longe atque late persequuntur Augustinus lib. 1. contra epistol. Parmeniani cap. 7. lib. 2. cont. litt. Petiliani: lib. 3. cont. Cresconium cap. 48. lib. 2. contra secundam Gaudentii epist. cap. 19. et 20. lib. 2. de Baptismo cap. 10. et lib. 3. cap. 16. et Cyprianus epist. ad Antonianum; et libro elegantissimo de Unitate ecclesiae: ex quibus omnibus tantum Augustinum audi: *Haeretici faciunt opera latronum et daemonum, et gloriam sibi vindicant martyrum. Vivunt latrones et volunt gloriari martyres.* — *Sed neque quidem*] Hic aliqua adhuc desiderantur, quae ex vet. cod. restituere non potuimus. Habet vero: *Sed neque quidem necessarium esse dicentibus tale martyrium. Esse enim martyrium verum secundum sententiam eorum* etc. — *Cum martyribus nostris*] Eusebius lib. 5. Histor. cap. 15. elegans fragmentum ex libris Apollinarii Hierapolitani episcopi contra Montanum transscribit, quo docet Marcionitas et Montanistas adversus Catholicos iactitasse martyres sese plurimos habuisse, hocque certum esse argumentum virtutis et potentiae in prophetico eorum spiritu abditae volebant. Istud autem omnino a veritate alienissimum pronuntiat Apollinarius: quandoquidem catholici martyres temporibus persecutionis, si forte quosdam ex haereticis secum trahi conspicarentur, et in fidei confessione, et suppliciis cum illis communicare detrectabant, — *Saepe debilitata, et statim augens membra*] Iustinus in Dialogo. *Quod nos nemo terrere aut domare valeat, appareret quotidie: quum enim obtruncemur, crucifigamur, obiiciamur bestiis, ignibus aliisque tormentis tradamur, tamen a confessione non discedimus. Sed quanto magis in nos saevitur, tanto plures pietatem fidemque per nomen Iesu profitemur: haud secus quam si quis vitem putatione provocet ad ubertatem fructuum.* Et Tertull. lib. ad Scapulam: *Non deficiet haec secta, quam tunc magis aedificari scias, quum caedi videtur.* Et ad finem Apologetici: *Plures efficimur, quoties metimur a vobis. Semen est sanguis Christianorum.* Hieronymus fundendo sanguinem, et patiendo magis quam faciendo contumelias, fundatam esse ecclesiam docet, eamque persecutionibus crevisse et martyriis coronatam scribit, epist. ad Theophilum. Verba haec b. Augustini omittere nolui: *Civitas Christi quamvis haberet tam*

magnorum agmina populorum, nunquam adversus persecutores suos pro temporali salute pugnavit, sed potius ut obtineret aeternam non repugnavit. Ligabantur, includebantur, caedebantur, torquebantur, urebantur, laniabantur, trucidabantur; et multiplicabantur. Lib. 22. de Civit. cap. 6. — *Quod quidem*] Superius cap. 42. scripsit Abelis passionem Christi mortem adumbrasse; et capite 36. tertii libri iustum Abelem iniusto Cain Dominum subiecisse, ut patientiae cunctis exemplum ederetur: quibus indicat in eodem initiata esse servorum Dei futura martyria. Eadem postea confirmata fuerunt Noë, Lot, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Mose, Davide, Achimelecho, Helia, Ieremia, Isaia, Daniele, ac ceteris Patribus et prophetis plurima et gravissima ab impiis pro pietate ferentibus (Hebr. 11, 33. 34. 35 etc.): ad quae hoc capite Irenaeum respexisse non est dubitandum. — *Quum enim et ipsi*] Ostendit veteres prophetas velut vera vivaque membra Christi, Spiritu sancto prophetasse de regni eius gloria, de incarnatione, de loco nativitatis, de passione, descensu ad inferos, de resurrectione, ascensione, reditu ad postremum iudicium, novi Testamenti libertate. Item docuisse Patrem, Filium et Spiritum sanctum unicum et verum Deum. — *Retribuere eis qui tribulant nos tribulationem*] Graeca p.672. Pauli sequitur, ἀνταποδοῦναι τοῖς θλίβουσιν ὑμᾶς θλῖψιν. Ambrosius reddidit: *Retribuere eis qui vos deprimunt, pressuram:* Hieronymus et Primasius cum Irenaeo *tribulationem* legunt; Vulgata editio *retributionem.* — *Veni ad prophetam*] In foeminino genere usurpat: *prophetissam* habet vulgata Bibliorum editio. Hieronymus sanctam Mariam interpretatur, quam prophetasse credit, quum in evangelio loquitur: Ecce enim ex hoc beatam me dicent etc. Ceterum Cyrillus Alexand. probat lectionem veteris nostri cod. *venit,* habet enim προσῆλθε. — *Purus [pure] puram aperiens vulvam*] Adver- p.673. bium *pure* ex veteri cod. addidimus; quo, ni fallor, vult indolentiam, munditiamque omnis generis beatissimi et castissimi b. Mariae uteri in partu Christi prorsum exstitisse, ac longe secus quam aliis puerperis contigisse; quae pariundo doloribus communiter differuntur, vita periclitantur, et nonnullae pereunt. Ita Tertullianus (lib. 5. cont. Marc.): *Christus novus homo nove natus est ex virgine, Dei Spiritu.* Et lib. de velandis Virg. Christum eundem ex integra virgine natum, pie docet; quibus mitigare ac mollire mihi videtur dura alioqui verba, quae lib. de carne Christi usurparat. Ad haec Ignatius Epist. ad Heronem scribit: *Decebat opificem non usitata uti nativitate, sed admirabili et nova ac inaudita, ut creatorem.* Quod vero miraculum, quae rei novitas, si more communi, ac sordibus et impuritatibus nostris contaminatus intactae matris uterum aperuisset? Pro rei istius assertione praeclara invenies apud Hieronymum, Apologia pro libr. contra Iovinian., Epist. ad Pammachium: et Augustinum Epist. 3. At apertam fuisse vulvam urgebis, diserte scribit Irenaeus. Respondeo: Phrasis est scripturae, qua simpliciter primogenitus significatur, quoquomodo natus sit. Deinde, Christum vere incarnatum, natum et editum fuisse contendunt Patres, adversus phantasma Marcionis. — *Rememoratus est*] Supra annotavimus hanc sen- p.674. tentiam sacrilegio Iudaeorum deletam fuisse ex Ieremia propheta,

sicuti illis exprobat Iustinus martyr, in Dialogo. — *Occidet*] Sic vetus codex, cui conformis est vulgata ed. et Hieronymus: codices excusi *occidit*. — *Receptionem in caelos*] Ante Irenaeum Dionysius Areopag. in Cael. Hierarchia, et Iustinus in Dialogo, postea Ambrosius lib. de instit. Virg. cap. 5. versus illos psalmi 23. dialogum inter Christum ascendentem in caelum et angelos continere docuerunt.

p.669. GRABIUS: *Vere se putant disputare*] Negat doctrinas atque argumentationes istorum haereticorum in veritate fundatas esse, si Servator noster phantasma fuit. Forte enim loquela, perinde ut externa specie homines delusit, cuius tamen verbis omnis Christianorum doctrina innititur. — *Et pseudoprophetas*] Marcionitas et Marcosios haec ferire annotat Feuardentius; ego potius Montanistas sive Cataphrygas, quorum secta longe lateque spargi coeperat, quum Irenaeus hunc et praecedentem tertium librum scriberet. Hos enim nomine *ψευδοπροφητῶν* insignitos legimus, non modo in inscriptionibus capp. 14. et 16. lib. v. Historiae Eusebii, sed et in ipso hoc cap. 16. parum ab initio pag. 179. C. edit. Valesii anonymus auctor in Opere contra Cataphrygas *ψευδοπροφητείας* eos accusat, et circa medium p. 181. A. *ψευδοπροφητικὸν πνεῦμα* appellat etc. Sed et reliqui characteres Montanistis congruunt, ut ex sequentibus annotationibus patebit. — *Aut propter vanam gloriam*] Anonymus auctor modo laudatus loco citato pag. 180. A. notat Montanum *ἐν ἐπιθυμίᾳ ψυχῆς ἀμέτρῳ φιλοπρωτείας, δόντα πάροδον εἰς ἑαυτὸν τῷ ἀντικειμένῳ, immodica primi loci captum cupiditate, aditum in se adversario spiritui praebuisse*. — *Aut ad quaestum*] Apollonius in lib. contra Cataphrygas apud Euseb. lib. V. cap. 18. p. 184. C. de Montano ait: *Ὁ πρακτῆρας χρημάτων καταστήσας, ὁ ἐπ᾽ ὀνόματι προσφορῶν τὴν δωροληψίαν ἐπιτεχνώμενος, ὁ σαλάρια χορηγῶν τοῖς κηρύττουσιν αὐτοῦ τὸν λόγον, ἵνα διὰ τῆς γαστριμαργίας ἡ διδασκαλία τοῦ λόγου κρατύνηται* etc. Et mox pseudoprophetissam accusat, utpote *εἰληφυῖαν καὶ χρυσὸν καὶ ἄργυρον καὶ πολυτελεῖς ἐσθῆτας* etc. Confer de Themisone p. 185. A. Paullo post universe de iis scribit: *δείξομεν γὰρ τοὺς λεγομένους παρ᾽ αὐτοῖς προφήτας καὶ μάρτυρας, μὴ μόνον παρὰ πλουσίων, ἀλλὰ καὶ παρὰ πτωχῶν καὶ ὀρφανῶν καὶ χηρῶν κερματιζομένους*. — *Secundum operationem mali spiritus*] Lege anonymi scriptoris verba loco citato p. 180. B. —

p.670. *Σκηνοβατοῦν καθ᾽ ἑκάστην γενεὰν ἐν τοῖς ἀνθρώποις*] *Σκηνοβατέω* hîc in bona accipiendum significatione; sic non necesse erit cum Cotelerio Tom. III. Monum. Eccl. Graecae col. 676. addere *ἐξηγησάμενον*. Ceterum nisi Latina sint corrupta, vetus interpres pro *καθ᾽ ἑκάστην γενεὰν ἐν τοῖς ἀνθρώποις* legit, *καθ᾽ ἃς ἦν* (nempe *υἱὸς*) *ἐν τῷ ἀνθρωπείῳ γένει*. Sed Damasceni lectio genuina esse colligitur ex cap. 53. et clausula sequentis cap. 66.

p.669. MASSUETUS: *Et pseudoprophetas*] Marcosios haec ferire annotat Feuardentius. Existimat vero Grabius Monstanistas potius sive Cataphrygas perstringi, quorum secta longe lateque spargi coeperat, quum Irenaeus hunc et praecedentem tertium librum scriberet. Sed quidni utrosque respiciat auctor noster? Utrisque enim apprime con-

gruunt characteres hîc notati; Marcosiis quidem, uti liquido constabit illi qui ea legerit quae de iis scripsit Irenaeus lib. 1. cap. 13. Montanistis vero, uti patebit ei qui vel oculos iniecerit in veterum quorundam auctorum, qui haereticos illos scriptis confutarunt, fragmenta, quae conservavit nobis Eusebius lib. 5. Hist. eccles. cap. 16. 17. 18. et 19. — *Agnitio vera est apostolorum doctrina etc.*] Multum his p.670. aliisque turbatum se fuisse fatetur Grabius, quod quî capitis huius membra cohaererent, ac de *agnitione vera* dici posset, quod sit *antiquus ecclesiae status* etc. *praecipuumque dilectionis munus*, non videret: donec tandem advertit, verbum ἐστὶ a graeco textu abesse, atque ista hîc non de agnitione praedicari, sed distincte recenseri tamquam ea quae *homini in ecclesia viventi constare*, seu praesto esse dicit ultima numeri praecedentis periodus. At paullo facilius turbatur vir doctus: neque enim difficilis adeo operae est sectionis huius membra secum colligare; neque ea ex ultima praecedentis numeri periodo nectere iuvat, immo avellere necessum est. Nimirum sigillatim enarratis iis omnibus, de quibus sententiam feret *spiritalis discipulus;* tum demum in quo vera *agnitio* sita sit, et quibus characteribus a falsa Gnosticorum agnitione distinguatur, explicat Irenaeus. Agnitio vera, inquit, ea est, quae ex apostolorum doctrina fluit et ex antiquo ecclesiae statu ac charactere corporis Christi, ecclesiae videlicet, secundum successiones episcoporum manat etc. quaeque caritatis munere praecipuo, seu ecclesiae unitate nititur: seu, quod idem est, *apostolorum doctrina, antiquus ecclesiae status* etc. ac *caritas,* sunt *agnitio vera,* haecque proinde de illis, (non illa de hac, quod Grabium fefellit) ceu effectus de caussa, praedicatur; quod quidem tropi genus haud adeo insolens, ut lectorem attentum conturbare valeat.

CAP. XXXIV.

FEUARDENTIUS: *Si autem subit vos*] Christus mirabili ac plane p.676. novo adventu suo cuncta renovavit; et veteres prophetias, quae nonnisi a Patre suo prodierunt, novis mysteriis et operibus adimplevit; ipsum denique novum Testamentum constituit et morte sua confirmavit. — *Solvere*] *Dissolvere,* et recte, meo iudicio, habet vet. cod. quoniam graece est καταλῦσαι, quod magis proprie significat destruere, demoliri et abrogare, quam simpliciter solvere. — *Donec per-* p.677. *transeat*] Expunximus *pertransiet* auct. vet. cod. — *Vivet*] Ita in futuro legendum indicant Abacuc et Pauli contextus graecus Rom. 1. Hebr. 10. Galat. 3. Vetus codex etiam secundo *vivit* praesenti tempore legit. — *In nullo altero*] Eisdem argumentis utuntur Iustinus martyr in Dialogo, Tertullianus libro adversus Iudaeos, et Athanasius libro de incarnatione Verbi. — *Significans*] Delevimus *significabat,* p.679. moxque pro *quemadmodum, quomodo* et *excipit* pro *excipiet* reposuimus, veteris codic. auctorit. Ceterum falcis nomine crucem Domini intelligit, utpote ex ligno ferroque clavorum compactam, quam Abelis iusti ab iniusto fratre mors illata significavit, ut superius dictum fuit. — *Ab altero autem Patre*] Ita restituimus ex vet. cod. Excusi omnes *ab altero autem Dominum Patrem nostrum.* Colligit

ex his quae prius dicta sunt, insaniam illorum coargui posse, qui duos aut plures deos confingunt; simulque narrat prophetias omnes ab uno Patre Domini nostri Iesu Christi promanasse.

CAP. XXXV.

p.679. FEUARDENTIUS: *Adversus eos*] Evincit vana et insana esse, quae Valentiniani de Scripturarum sanctarum veritate comminiscebantur; simulque eos non parum contumeliosos esse in Deum, qui per has seipsum manifestat. Insuper, Christum vere fidei, non ignorantiae magistrum pro nostra salute passum, cuius discipuli et servi unanimes sint in fide: quum interea ipsi propudiose inter seipsos p.680. dissideant. — *In Pleromate exsistens*] Ita vet. cod., excusi *mittens,* p.681. quod delevimus. — *De aliquo*] Delevimus *quo:* et aliquanto postea *de Verbo* pro *vero, protraxerit* loco *protexerit* supposuimus, veteris p.682. codicis auct. — *Tantae sunt de uno inter eos diversitates*] Commemorat rursum dissidia, quibus primus Gnosticorum exercitus secum dimicavit; iisque unanimem perpetuumque ecclesiae catholicae in doctrina fidei consensum opponit, inde iure optimo colligens, nihil veritatis aut Spiritus divini inter eos residere, sed in sola ecclesia catholica, cuius pastores et oves semper eadem de eisdem fidei articulis docuerunt, senserunt, crediderunt. Similes quoque Arianorum, Eunomianorum, Macedonianorum, Donatistarum et aliorum quasi mediae aetatis Gnosticorum pugnas satis effuse describunt Theodoretus, Sozomenus, Socrates, Evagrius et Nicephorus in Historiis ecclesiasticis.

CAP. XXXVI.

p.682. FEUARDENTIUS: *Quem enim non confutat*] Parabola de vinea palam demonstrat, eundem Deum huius mundi conditorem, Christum filium suum misisse, qui olim prophetas ad populum Israëlis destinarat; eundemque a Iudaeis et gentibus fidei et pietatis fructus iure suo reposcere. Vet. Cod. auctor. *confutat* pro *confitetur* legimus. Vult enim Christum vel ea solum parabola cunctas Valentinianorum p.684. delirationes diserte solideque refellere. — *Sed expansam in universum mundum*] Ecclesiam per universas mundi plagas Irenaei temporibus iam dilatatam fuisse, variis exemplis, historiis et auctoribus citatis, annotavimus cap. 3. lib. 1. Hic tantum observandum, eandem verae ecclesiae notam Irenaeo et cunctis patribus fuisse, quae nunc est catholica; et ad universa loca, tempora, hominum genera, ad nationes denique omnes et linguas pertinet; et instar solis, fontis et radicis, radios vibrat, rivos diffundit et ramos suos unica in fidei confessione sacramentorumque perceptione ipsa manens, in omnes extendit. Haec variis scripturarum testimoniis et validissimis rationibus docet Augustinus, eadem via evincens, nullis omnino haereticorum sectis nomen catholicum aptari posse. Ep. 48. 161. 170. Breviculo collat. cum Donatistis, Collatione tertii Dei. Lib. de agone christiano cap. 29. lib. de Symbolo cap. 10. lib. 3. contra Gaudentium cap. 1. et libri de unitate Ecclesiae cap. 3. 6. 7. 8. et 9. — p.685. *Unus et idem quum semper sit Verbum Dei*] Vetus cod. *unum et idem,* quod magis latinum est; verum, quum fere semper Verbum

Dei pro Filio in masculino genere dixerit, vocem λόγος respiciens, immutare noluimus. — *Quum angeli transgressores*] Vetus fuit mul- p.686.
torum et gravissimorum auctorum opinio, angelos malos specie mulierum allectos, adsumtis hominum corporibus, cum ipsis rem habuisse prolemque suscepisse, quam in Gigantes, Faunos, Panas, Sylvanos, Satyros et id genus monstrorum partiti sunt. Enochum primum ferunt huius opinionis auctorem; Mosem deinde volunt rei huius meminisse Genes. 6. Iosephus 1. antiq. et plerique alii Hebraeorum Rabbini illam asserunt. Inter Graecos orthodoxos his subscribunt Iustinus martyr in priore Apol., Clemens Alex. lib. 3. Paedagogi c. 2. et lib. 3. et 5. Strom., Athenagoras in Apol. pro Christianis, Methodius martyr Serm. de resurrect., Origenes tractatu de singul. Clericorum apud Cyprianum, si illius sit auctor; Proclus et Psellus philosophi Christiani. Ex latinis scriptoribus eam amplexantur Tertull. lib. de velandis Virginibus, et lib. de Habitu mulierum. Cypr. tract. de vanitate idolor. Lactantius lib. 2. cap. 15. et Severus Sulpitius lib. 1. Hist. sacrae. Plurima hinc inde suo more versans Augustinus 15. de Civitate Dei, cap. 23. et 24. de hac disputatione nihil temere audet definire etc. Verum ista Mosis sententia, *Videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchrae, acceperunt sibi uxores* etc. cui innititur praecedens opinio, longe rectius redditur a Chaldaeo interprete et Patribus orthodoxis sic, ut per filios Dei non Spiritus angelici significentur, sed filii principum, ea phrasi qua iudices, magistratus, principes aliique praestantes viri, et dii, et filii Dei in sacris persaepe appellantur. Aben Esra quoque per *filios Dei*, homines Deum agnoscentes intelligit, nimirum filios Seth, apud quos divina religio ab initio et deinceps viguerat: qui tandem cum Cainitarum filiabus commixti, didicerunt opera earum, et in summam impietatem evaserunt, demta Noë unica familia. Atque hanc sententiam, ut aptiorem et saniorem amplexantur Hieronymus, Chrysostomus aliique plurimi. Augustinus denique quaestionibus in Genesin, in eandem magis inclinans scribit: iustos homines posse etiam angelorum nomine nuncupari, sicut et Ioannes baptista *angelus* in sacris nominatur, Malach. 3. Ioan. 1. — *Boni operis* (nos *bono operi*)] Non p.689.
inepta est veteris cod. lectio in dandi casu, *bono operi, sed malo,* quum quidam graeci cod. habeant τῷ ἀγαθῷ ἔργῳ, et Chrysostomi interpres reddiderit, principes bene agentibus terrori non sunt, sed male. — *Similiter autem et merces una*] Si aeternitatem regni cae- p.690.
lestis, immortalitatem corporum ac ipsum Deum unicum beatitatis obiectum spectaverimus, omnibus certe aequalis est merces: alias non.

GRABIUS: *Filium suum unicum, dicens: Forte*] Vocem ἕνα ex p.682.
Marc. 12, 6. et ἴσως ex Luc. 20, 13. petiisse videtur Irenaeus: neutrum enim in s. Matthaei evangelio legitur. — *Temporibus suis*] Sic p.683.
interpres non modo Irenaei, sed et s. Matthaei ex graeco ἐν τοῖς καιροῖς αὐτῶν. Sed vix dubito cum Syro interprete legere αὐτῶν, *eorum,* scilicet *fructuum,* quia praecessit vers. 34. ὅτε δὲ ἤγγισεν ὁ καιρὸς τῶν καρπῶν. — *Iterum dicit*] Vox *iterum* in nullo s. evangeliorum legitur. — *Nunquam legistis*] Ἐν ταῖς γραφαῖς, *in Scripturis,* quod in s. evangelii codice et omnibus versionibus hoc loco

additum exstat, Irenaeus ex memoria allegans omisisse videtur. —
p.684. *Sed expansam in universum mundum*] Allata adnotatione Feuardentii ad hunc locum Grabius ita pergit: Sane Augustinus in certamine cum Donatistis multus in eo fuit, ut universitatem, ipsumque nomen catholicum tanquam proprium verae ecclesiae characterem assereret, quo a falsis haereticorum et schismaticorum coetibus in parte mundi haerentibus, et ab ea vel ab auctoribus suis denominationem indeptis distingueretur. Atque ita plerumque res eius aevo et ante re habebat. Quid vero dicendum de sequiori ac ultima prope mundi aetate, deque tempore *meretricis magnae, quae sedet super aquas* (id est, *populos* et *turbas* et *gentes* et *linguas*) *multas, cum qua fornicati sunt reges terrae, et inebriati sunt qui inhabitant terram de vino prostitutionis eius,* Apocal. 17, 12. et 15., cui etiam cap. 18, 23. dicitur: *In veneficiis tuis erraverunt omnes gentes,* et cap. 19, 2. de illa iudicatur tanquam *de meretrice magna, quae corrupit terram in prostitutione sua.* Quae non de s. Ioannis solum, sed et ultima mundi aetate ab ipsis Pontificiis et quidem Societatis Iesu theologis plerisque, in sacram Apocalypsin commentatis, ingenue explicata sunt nec aliam expositionem admittunt. Tunc sane qui inductus universitate et amplitudine istius corruptae ecclesiae, ex virgine in meretricem versae, eam amplexus fuerit, nae is misere semetipsum deceperit. Contra melius sibi consulent, qui tunc, ubi ipsis obiecta fuerit dissentientium multitudo, intrepide dixerint: *Etiamsi solus sim, fidei caussa idcirco non minuitur. Nam et olim tres tantum reperti sunt, qui regis mandato resisterent,* prouti quondam Constantio regessit Liberius Papa apud Theodoretum lib. 2. Hist. cap. 16. Vel cum s. Gregorio Nazianz. Orat. XXV. *Ubi tandem sunt — qui ecclesiam multitudine definiunt ac parvum gregem aspernantur* etc. An vero iam infelices in ista inciderimus tempora, de eo hîc non est dicendi locus. In genere solum Feuardentio, hîc et alibi universitatem tanquam perpetuam verae ecclesiae notam urgenti, isthaec opponere et
p.685. brevibus semel lectorem monere, necessarium visum fuit. — *Repente*] *Αἰφνιδίως* cum Vulgato interprete legit Irenaeus, nisi illius interpres, vel scriba hunc potius, quam Irenaei textum secutus fuerit. — *Quomodo enim factum est in diebus Noë*] Quae sequuntur, ex memoria allegavit Irenaeus. — *Numquid usque ad caelum exaltaberis*] Anne Irenaeus cum vulgato Bibliorum interprete legit: *μὴ ἕως τοῦ οὐρανοῦ ὑψωθήσῃ*? Minime puto, siquidem in nullo graecorum Patrum hunc locum ita allegatum reperio. Interpreti itaque Irenaei, aut scribae, latinam evangelii versionem sequenti, haec adscribenda videntur.
p.687. — *Dicere: Avertimini*] Aut Irenaeus in Ieremia, aut interpres in Ire-
p.788. naeo male legit *λέγειν* pro *λέγων*. — *Alii quidem Dominum annuntiabant* etc.] Scilicet *prophetae,* quippe gratia adoptionis per effusionem Spiritus sancti N. Testamento reservata erat. — *De quo et apostolus ait* etc.] Vestis, qua apostolus *superindui* optat, est corpus immortale ac a peccati labe immune, quale in caelo gestabimus. Attamen ad *Spiritum sanctum,* per quem ad istam felicitatem praeparamur et digni reddimur, mystice verba apostoli applicat Irenaeus. — *Quod idem ipse Rex*] Origenes Comment. in Matthaeum pag. 475 seq.

idem argumentum urget sequentibus verbis, quae ob prolixitatem latine solum recitare placet: *Dicant nobis, utrum iratus ille, utpote qui nuptias filio suo faciat, Christi Pater sit, an praeter eum qui, quatenus edisserit parabola, iratus est, alius sit ipsius Pater? Utrobique sane occurrent angustiae, sive iratum illum nuptias filio facientem Patrem Christi esse nolint propter iram; sive propter nuptias et filium Patrem ipsum Christi esse, et irasci cogantur fateri. Quod si irae huic explicationem aliquam inferre conentur, dicemus illis: Heus vos, quaenam haec partitio est, eum qui in evangelio nuptias filio suo facit, propter iram minime refugere, nec alium quaerere; in lege autem et prophetis propter idem irae nomen, vel alia huic consimilia, alium a legis prophetarumque Deo Deum fingere conari? — Subiecti estote*] Nostra vulgata N. Test. exemplaria sonant, ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι. Sed Irenaeus cum vulgato Latino interprete legisse videtur ὑποτάσσεσθε, et insuper vocem ἀνάγκη prorsus praetermisit. p.689.

CAP. XXXVII.

FEUARDENTIUS: *Veterem legem libertatis*] In cap. 9. et 29. libri huius multa adduximus ex Patribus, qui primo et secundo a Christo saeculo ecclesiam direxerunt, quibus praesens Irenaei dogma de libero arbitrio in angelis et homine, ante et post lapsum servato, tanquam Dei verbum amplexandum esse confirmavimus. Hîc ne in re apertissima simus prolixiores, aliquot tertiae et quartae aetatis Patrum testimonia adiiciemus, reliquorum autem locos quasi digito signabimus, quibus idem firmatur: ut inde cuivis pateat, perpetuam perspicuamque et nunquam confusam, (uti garriunt Magdeburgenses) ecclesiae catholicae huiusmodi fuisse sententiam. Horum itaque primus audiatur Eusebius Caesar. (lib. 6. de Praep. cap. 5.): *Non Dii boni,* ait, *sed perniciosi daemones sunt, qui libertatem nostram destruxerunt, et stellis non exteriora solum, verum etiam voluntates nostras cogi persuaserunt. Quod si esset, iaceret omnis philosophia, iaceret pietas, nulla esset laus virtutis, nullus fructus laborum, nec puniendi essent improbi, nec admirandi studiosi* etc. Fusius isthaec persequitur toto eo capite; et capitibus 6. et 7. confirmat rursus eadem dilucidis gentilium philosophorum rationibus. Capitibus 8. et 9. idem praestat rationibus et sententiis Bardesanis Syri episcopi, Origenis, demum litteris sacris; deinde etiam lib. 1. Demonstr. evangelicae cap. 9. et lib. 4. cap. 1. 6. 9. et 10. Sequatur Lactantius (lib. 4. cap. 11.) *Quoniam clemens est,* ait, *et pius erga suos Deus, ad eos Filium misit, quos oderat, ne illis in perpetuum salutis viam clauderet; sed daret his liberam facultatem sequendi Deum, ut et praemium vitae adipiscerentur, si eum secuti fuissent; et culpa sua in mortis poenam incurrerent, si regem suum repudiassent.* Addatur Athanasius (Orat. cont. idol.): *Anima,* inquit, *ad eas quas commenta est voluptates, viribus suis abutitur, ideo quod libera sit et sui arbitrii.* Et alibi (lib. de incarn. Verbi): *Animadvertens Deus arbitrium delectumque hominis utroque vergere, matare gratiam quam dederat, legis et loci praesidio communitam voluit.* Hilarius (in Psal. 2.): *Unicuique nostrum libertatem vitae, sensumque Deus permisit.* Basilius ad illud p.692.

Esaiae 1. Si volueritis et audieritis me etc. *Hoc maxime loco*, inquit, *velut ob oculos exhibet libertatem arbitrii humanae naturae indultam.* Item in cap. 14. Esaiae: *Ex suo ipsius proposito et libera voluntate unusquisque esse potest semen sanctum, aut certe in diversum abire.* Et (lib. 3. contra Eunom.): *Homo natura utitur libera, ut ad utrumlibet possit inclinari, ad electionem scilicet boni et peioris.* Nazianzenus Apolog. 1. *Singularis et eximiae Dei bonitatis argumentum est, facere, ut nostra quoque aliqua ex parte sit virtus, nec natura tantum inseratur, sed voluntate etiam animique proposito excolatur, arbitriique libertate parem in utramque partem motum habente.* Praetermitto quae ad hoc dogma confirmandum idem auctor habet in explicatione illius: *Quum consummasset Iesus sermones hos* etc. Item Oratione in Christi nativitatem: ut reliquorum eius aetatis locos insigniores duntaxat designem. Marcus Eremita, libro de Paradiso sub finem, et lib. de lege spiritali cap. 55. et 56. Ambrosius epist. 84. Enarratione in Psalm. 40. Epiphanius lib. contra Haereses 16. et 64. Gregorius Nyssenus lib. de Hominis opificio cap. 16., lib. de Vita Mosis, Homilia 2. et 8. in Ecclesiasten, Oratione catechetica cap. 5. et 31., Oratione de Mortuis, Prudentius in Hamartigenia, Theophilus Alexandr. lib. 3. Paschali, Hieronymus epist. ad Demetriadem, epist. ad Ctesiphontem, epist. ad Damasum, Quaest. Heb. in Genes. et lib. 3. Comment. in Esaiam: Augustini locos magna diligentia collegit Hieronymus Torrensis lib. 2. Confessionis Augustinianae cap. 32., Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 4., Alexandrinus dialogo de Oratione Spiritus sancti lib. 3. et 8. contra Iulianum, Prosper Aquitanicus lib. 1. de Vocatione Gentium cap. 3. 5. et 7. Hi omnes tum Graeci tum Latini hominem natura liberum esse, boni malique optionem et electionem sibi datam et oblatam, ob idque utrimque iuste iudicatum iri, partim iisdem Scripturis et rationibus, quibus his capitulis Irenaeus, partim aliis manifeste docuerunt. — *Vis enim a Deo non fit*] Haec Irenaei verba citantur a Damasceno lib. 1. Parallelorum cap. 100. et in eundem scopum, nimirum ut doceat uterque, peccatorum ac reprobationis improborum causam non esse in Deo, sed in ipsis reprobis. Nam vis ab illo non fit ut peccent, sed unicuique proponit vitam et bonum, et e contrario mortem et malum, ut diligat Dominum et ambulet in viis eius. Insuper dat omnibus (inquit Irenaeus) bonum consilium, videlicet per prophetarum, apostolorum et his succedentium pastorum ecclesiae adhortationes; et tam publica quam privata commoda vel incommoda; occultas denique Spiritus sancti in conscientiis omnium hominum loquentis inspirationes: quas si pro relicta sibi libertate elegerint, serioque amplexati et prosecuti fuerint, procul dubio servabuntur; alias aeternae perditioni iuste addicentur. Hinc et Hilarius: *Esse filios Dei, non necessitas est, sed potestas; quia universis Dei munere, non natura gignentium affertur, sed voluntas praemium consequitur.* De his copiose disserit Augustinus lib. de Spiritu et littera cap. 33., lib. 3. de Libero arbitrio cap. 19. et libro de Natura et gratia capite sexagesimo septimo. — *Posuit autem in homine*] Huiusmodi electionis potestatem etiam post lapsum primi hominis in eius posteris perseverare adeo certum et manifestum est,

ut nulli Simoniani, nulli Marcionitae aut Manichaei, nulli Lutherani aut Calvinistae, nulli Anabaptistae aut Ariani hoc ipsum inficiari valeant, nisi pervicaciter damnent, vel saltem misere torqueant istas Scripturas: *Elige vitam, ut et tu vivas, et semen tuum. Tu hodie elegisti Dominum Deum tuum. Elegi abiectus esse in domo Dei mei. Maria optimam partem elegit* etc. (Deut. 26. et 30., Psal. 83., Luc. 10.) — *Etenim angeli rationabiles*] Angelorum exemplo confirmat, ad Dei infinitam liberalitatem aequitatemque pertinere, quod non modo angelos, sed et ipsos homines animi libertate praeditos condiderit, totoque vitae curriculo eadem instructos vel praemiis caelestibus tandem coronet, vel sempiternis adiudicet suppliciis. Ac de his iam diximus in capite nono huius libri. — *Si autem naturaliter*] Homines plena p.693. libertate vel boni sunt vel mali, non natura, ut aperta evangelistarum et apostolorum testimonia comprobant. Qui vero libero arbitrio contradicunt, Deum imbecillitatis et iniustitiae arguunt. — *Iuste apud homines sensatos*] Id est, qui non egent sensu communi, sed sola naturali recta ratione de rebus iudicant, quales inter alios fuerunt philosophi, oratores, poëtae profani, quorum iudiciis, rationibus et scriptis humani animi libertas comprobatur. — *Sed etiam in fide* p.696. *liberum*] Fidem duplicem constituunt theologi, priorem, quae electione vel auditione verbi Dei acquiritur, hinc acquisitam vocant. Hanc Cyrillus Hierosolym. dogmaticam, apostolus fidem ex auditu nominat; eam liberam sic docet Augustinus (Tract. 26. in Ioan.): *Intrare ecclesiam quisquam potest nolens, accedere potest ad altare nolens, accipere potest sacramentum nolens; credere non potest nisi volens.* Posteriorem fidem, quod a Deo penitus infundatur mentibus nostris, infusam appellant Hanc donum Dei esse, compluribus scriptis ostendunt Augustinus et Cyrillus; verum et ipsam consensum liberum voluntatis nostrae requirere suis libris produnt. Lib. de praedest. Sanctorum cap. 11., lib. 1. retractat. cap. 23., lib. de Spiritu et litera cap. 31. et 32. et Catechesi 5. De utraque igitur loquatur Irenaeus, semper vere loquitur, non solum in operibus, sed etiam in fide hominem liberum esse. — *Omnis autem qui agonizat(ur)*] Graece est p.697. *ὁ ἀγωνιζόμενος*, qui certat. Cyprianus lib. de exhortatione Martyrum cap. 8. et epist. ad Martyres et Confessores de Mappalico, habet ut Irenaeus: *Omnis enim qui agonizat.* Pamelius vir multae lectionis illic annotat omnes codices suos, uno excepto, legisse: *Omnis qui agonizatur,* quod et hîc habebat vetus noster codex: utrumque recte. — *In omnibus continens est*] Graece *πάντα ἐγκρατεύεται,* in omnibus temperans est. Cyprianus locis superius signatis, ut et Irenaeus, *in omnibus continens est.* Deinde plurali numero, *illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant,* legit idem Cyprianus, quod et hic vetus codex noster. — *Nos autem incorruptibilem*] Sic habet vetus codex, quod concinne respondet verbis graecis *φθαρτόν, ἄφθαρτον,* id est, corruptibilem et incorruptibilem, excusi *incorruptam,* non male. — *Clariores erimus apud Deum*] Pro diversis operibus varios gloriae et claritatis gradus apud Deum reponi, hîc exploratum et certum habetur; ut vel caecis omnibus innotescat. Proinde fremant licet bonorum operum osores et solius fidei assertores.

p.692. GRABIUS: *Quemadmodum et in angelis*] Sic quoque Iustinus m. Apologia I. (II.) pag. 45. *Αὐτεξούσιον τό τε τῶν ἀγγέλων γένος καὶ τῶν ἀνθρώπων τὴν ἀρχὴν ἐποίησεν ὁ Θεός. Libero arbitrio praeditum et angelorum et hominum genus ab initio creavit Deus.* Et Tatianus in Orat. ad Graecos pag. 26. nuperae editionis: *Τὸ ἑκάτερον τῆς ποιήσεως εἶδος αὐτεξούσιον γέγονε. Utrumque creaturae genus* (angelorum scilicet et hominum) *liberi est arbitrii. — Datum quidem a Deo, servatum vero ab ipsis* etc.] Ita et Tatianus continuo subiungit: *Τ' ἀγαθοῦ φύσιν μὴ ἔχον πλὴν μόνον παρὰ τῷ Θεῷ, τῇ δὲ ἐλευθερίᾳ τῆς προαιρέσεως ὑπὸ τῶν ἀνθρώ-*
p.693. *πων ἐκτελειούμενον.* etc. — *Οὔθ' οὗτοι ἐπαινετοὶ* etc.] Origenes in Comment. ad Matth. 13. Tom. 1. edit. Huetii pag. 214. ubi eosdem, contra quos Irenaeus hîc disputat, memorat haereticos, dicentes, *differentes bonorum et malorum esse naturas,* eodem eos telo configit, ita scribens: *Tali quidem acceptioni omnes refragantur Scripturae, arbitrii libertatem adstruentes, quaeque peccantes accusant, eos autem laudant qui recte agunt: quum non iusta sit eorum reprehensio, qui ex genere sunt, quod suapte natura tale est; nec eorum laus, qui sunt ex genere meliore.* Confer Iustini m. Apologiam 1. ad Antoninum Pium pag. 84. nostrae editionis, vel 81. edit. Paris.

MÜNTERUS: In toto hoc 37. cap. sermonem instituit Irenaeus de libero hominis arbitrio, in posterioribus ecclesiae saeculis a tot tantisque diverse sentientibus adeo vexato; iis quidem in rebus, quas, dogmate de libero arbitrio inter Christianos saec. II. nondum controverso, minus accurate exposuerit, vel haud ita clare distinxerit, minus taxandus, quum quotidie experientes doceamur, rebus tum primum claram affulgere lucem, ubi adversarios obtrectatores invenerint, quorum argumentis alia opponantur, donec tandem ponderatis utramque sententiam suadentibus, omnia singulatim exposita redactaque sint. Inde ante lites Arianas obortas conciliumque Nicaenum celebratum Patribus, divinum modo Filio cum Patre et Spiritu sancto cultum decernentibus, de interna personarum s. trinitatis ratione non constans certumque dogma. Neque ante lites inter Augustinum, Pelagium aliosque motas, de libero arbitrio accuratis clarisque adeo verbis disseruerunt Patres. Quamobrem, quae de libero arbitrio ipse docuerit Irenaeus: homines nimirum liberos esse praeditosque eligendi facultate, nec inde natura quosdam malos, quosdam vero esse bonos, ex ipsis eius verbis ulterius exponam. Ita enim ille initio cap. XXXVII: Homo sicut et angeli in principio factus est a Deo cum plena facultate, sponte et haud coacte sententia Dei uti. Nulla enim a Deo fit vis. Bonum vero consilium, quod omnibus dat, semper illi adest. Homini autem dedit facultatem eligendi, *uti hi quidem, qui obedissent, iuste bonum sint possidentes, datum quidem a Deo, servatum vero ab ipsis;* qui vero inobedientes essent, quum bonum quod Deus benigne dederat, neque custodierint diligentes, neque pretii aestimaverint, quin potius abiecerint, merito eo carebunt poenasque idcirco iustas luent. Quod ex verbis Pauli Rom. XI. 4. magis evincitur. Si vero natura boni quidam, alii facti essent mali, tunc neque boni laudabiles essent, neque mali vituperabiles. Omnibus au-

tem in eadem natura constitutis, eademque faciendi omittendique facultate praeditis, *iuste etiam apud homines sensatos* (*quanto magis apud Deum*) alii quidem laude et bonae electionis atque perseverantiae testimonio ornantur, alii vero accusantur et meritas iusti bonique recusati poenas luunt. Propterea quoque, quum ex negligentia facile in oblivionem incidamus bonoque egeamus consilio, Deus saepenumero per prophetas, dein quoque in evangeliis, exhortatus nos est; ex quibus omnibus locis S. s. hominem esse liberum suique potentem evincitur, a Deo quidem consiliis instructum admonitumque, nullo vero modo violenter coactum. Ex quo Paulus, *omnia licere, sed non omnia expedire* docet, quum amissio boni et inobedientia in hominis quidem arbitrio posita sit, damnum tamen haud aspernandum illi inferat. Omnia enim apostoli ipsiusque Christi dicta, quum et bonum suadeant, et a malo dissuadeant, plenam homini adesse libertatem, non tantum in operibus, sed in fide quoque, quae haberi et recusari possit, docent. Si vero quis liberum hominis arbitrium neget, vel impotentem, qui non perficere possit, quae velit, vel ignorantem statuit Deum. Nulla enim hominibus absque libertate felicitas, nulla boni appetitio, nulla *cum Deo pretiosa communicatio;* nulla denique ipsius boni internaeque boni pulchritudinis intelligentia: *quae enim fruitio boni apud eos, qui ignorant? quae autem gloria his, qui non studuerunt illud? quae autem corona his, qui non eam ut victores in certamine consecuti sunt?* Ad hanc igitur coronam in certamine consequendam monemur ab apostolo, tanto pretiosiorem, tantoque amabiliorem, quanto per agonem nobis advenit. *Pro nobis igitur haec omnia sustinuit Dominus; uti per omnia eruditi, in omnibus in futurum simus cauti, et perseveremus in omni eius dilectione, rationabiliter edocti diligere Deum.* Hominis vero imperfectiones humanae naturae infirmitati tribuendae sunt, quae ideo a Deo sapienter constituta est, ut sensim crescat et augeatur, atque ex agnitione boni malique, a Deo accepta, homo fiat secundum imaginem Dei. Itaque bonum obedientiae et malum inobedientiae experientia agnovit homo, et utriusque facta comparatione, summa cum libertate discrimen instituere potuit, ita ut Deo obedire malit. Eum in modum particeps gloriae divinae homo fit, manum artificis expectans, quae opportune omnia facit, et cor molle et tractabile praestans. Qui vero Deo non credit et manus eius fugit, ipse suae erit imperfectionis caussa.

Ex quibus, si paucis Irenaei de libero arbitrio sententiam comprehendimus, eum statuisse patet:

1) Homines a Deo cum plena sponte eligendi facultate creatos, bonisque consiliis instructos fuisse, quo melius bonum a Deo datum ipsi conservarent.
2) Quum vero saepenumero praeceptorum divinorum obliti essent, eos a Deo iterum iterumque admonitos fuisse novisque denuo consiliis instructos: nullo vero unquam modo coactos.
3) Humanae tribuendas esse infirmitati imperfectiones hominum, a Deo ita constitutorum, ut paullatim crescant augeanturque, donec tandem agnitione boni malique a Deo accepta ad imaginem eius formentur.

4) Hominem vero experientia edoctum, et sponte id quidem, bonum eligere posse: Deo tamen ad salutem eius cooperanti facilem sese praestare debere.

Haec Irenaeus adversus Gnosticos, asserentes quosdam natura bonos, quosdam natura malos, constitutos esse; quamobrem isto in capite de peccato originali et de lapsu Adami, hoc loco non controversis, haud disserit. Peccatum tamen originale, licet id, quantum equidem novi, *expressis* haud doceat verbis, aliis tamen in locis ita indicat, ut in dubio non sit, illum ob oculos id habuisse. Ait enim lib. V. 19. *Et quemadmodum adstrictum est morti genus humanum per virginem, salvatur per virginem; aequa lance disposita, virginalis inobedientiae per virginalem obedientiam.* Et V. 16, 3. *Quem, si Deum offendimus in primo Adam, non facientes eius praecepta* etc. Ceterum antiquiores ecclesiae patres in eo conveniunt omnes: *hominem libera sua voluntate absque Dei culpa a diabolo ad peccatum, cuius poena est mors, seduci; neminem vero ad peccatum necessitate vel coactione induci posse: electionem enim boni malive in libero hominis arbitrio constitutam esse; inde quoque hominem esse ex se, quidquid sit, bonum, malusve.* Quas ipsorum Patrum, Iustini nempe, Tatiani, Clementis Al. aliorumque sententias in unum congestas adeant lectores in Ven. Rösleri *Lehrbegriff der christlichen Kirche in den drei ersten Jahrhunderten.*

CAP. XXXVIII.

p.698. FEUARDENTIUS: *Si hoc autem dicat aliquis*] Oportuit creaturam plurimum differre a suo creatore: quoniam is aeternus est, non factus ab aliquo; illa facta ex tempore et imperfecta, ut sequenti capite exemplo parvuli declaratur. Ideoque hominem sensim crescere p.699. ac perfici decuit. — *Infans enim fuit*] Quibus de caussis primus homo cum infante comparetur, explicat Theophilus Antioch. lib. 2. ad Autolycum, nimirum quod simplex et sincerus esset quasi puer. — *Panis perfectus Patris*] Vetus codex vocem *Patris* ignorat: hanc si retinueris, sensus est, a Patre missus ac datus, uti scriptum est Ioannis 6. *Pater meus dat vobis panem de caelo verum. Ego sum panis, qui de caelo descendit.* Quod sequitur: *Lac nobis semetipsum praestitit,* explicatur egregie a Clemente Alexandr. *Verbum,* inquit, *est omnia infanti et pater et mater et paedagogus et altor. Comedite,* ait, *meam carnem, et bibite meum sanguinem. Haec apposita et convenientia alimenta nobis suppeditat Dominus, et carnem praebet, et effundit sanguinem, et ad incrementum nihil deest infantibus* etc. lib. 1. Paedagog. cap. 6. — *Et propter hoc Paulus*] Docet hominis imperfectionem non alicui divinae infirmitati tribuendam esse, sed humanae incapacitati. Nam Deus in hominis conditione maximam virtutem, sapientiam ac bonitatem adeo manifestavit, ut rationis expertes sint, p.701. qui aliter sentiunt. — *Nunc nuper factus*] Pro his tribus vocibus vetus codex habet *imperfectus.* — *Sed circa eum*] Vet. cod. *sed circa eum, qui nuper factus homo, quoniam non infectus erat.* — p.702. *Filio vero ministrante*] Quum hic vel alibi dicitur Filius ministrasse Patri in reum creatione, intelligendum, quod omnipotentiam vimque

omnem, ut et ipsam Deitatem, Filius a Patre habeat, non a seipso; et eadem cum Patre creat, regit, operatur; velut ait in evangelio: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor.* Et postea: *Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Quaecunque enim ille fecerit, haec et Filius similiter facit* etc. Ioan. 5. vers. 17. et 19. Ergo Pater per Filium omnia fecit, ut Ioannes et Paulus (Ioan. 1. Rom. 11.) affirmant, non tanquam per instrumentum, aut ministrum a natura et Deitate sua alienum, ut blasphemavit Arius: nec tanquam per caussam secundariam vel minus principalem, ut Calviniani et novi Samosateniani Trinitariique impie garriunt; sed ut per alteram a se personam, cui cum essentia sua omnem vim cooperandi et concreandi ab aeterno communicavit. Idem ergo cum Patre est rerum omnium creator et principium, licet de principio, nimirum de Patre, sicut testatur, dicens (Prov. 8. Ioan. 8.): *Quando appendebat fundamenta terrae, cum eo eram cuncta componens. Ego principium, qui et loquor vobis. Ego sum α et ω, principium et finis.* Paulus denique Psalmistae verbis ita hunc alloquitur (Psal. 101. Hebr. 1.): *Tu in principio terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt caeli.* Itaque non sine gravi in Filium Dei blasphemia scripsit Calvinus ad fratres Polonos, *Filii personam non nisi improprie creatorem caeli et terrae nominari. — Visio autem Dei*] Verba sunt ex libro Sapien- p.702.
tiae, tametsi paullo aliter reddantur quam in vulgata editione. Ex quo tamen apparet, librum illum Irenaeo fuisse auctoritatis canonicae: sicut et Tertulliano lib. Praescript. cap. 7. libro advers. Valentin. cap. 2. et libro tertio advers. Marc. c. 22. item Clementi Alexandr. Cypriano, aliisque primae notae auctoribus eundem librum cum aliis divinis annumerantibus. Augustinus (lib. 2. de doct. Christ.) de eodem ac Ecclesiastico scribit: *Illi duo libri quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter propheticos numerandi sunt.* His accedunt Patres quotquot adfuerunt Concilio 3. Carthaginensi, Laterano, Florentino et Tridentino: quorum assertionibus satis revinci eos puto, qui nunc aliter sentiunt ac scribunt.

CAP. XXXIX.

FEUARDENTIUS: *Agnitionem autem*] Boni et mali discrimen p.703.
in hominis mente permansit, ut unum eligat et persequatur, aliud fugiat et deprecetur: Deo tractabilem se cum fide et obedientia sistat, ut ab eo perficiatur. Respondetur quoque eis qui in tempus adventus Christi et reparationis humanae curiosius quam deceat inquirunt. Hoc et Augustinus discutit Tractatu 31. in Ioannem; item lib. 83. quaestion. quaest. 43. et Epistola 49. — *Efficeris*] Ita pro *effeceris*, et p.704.
mox *temetipso* pro *semetipso*, auct. vet. cod. restituimus. — *Conve-* p.705.
nientem subdidit poenam] Vetus codex *convenienti subdidit poenae*, inde iudicarim paullo supra legendum *et eos qui fugiunt, ei* etc. quamquam nulli (quod sciam) codices monstrent.

GRABIUS: *Latenter semetipsum occidit hominem*] Id est: nescius p.703.
infra humanam se ponit conditionem, utpote quae electione a brutis distinguitur et insuper futura exaltatione ad divinam gloriam sese privat.

CAP. XL.

p.706. FEUARDENTIUS: *Praeparat*] Ita vet. cod. Excusi *praeparata.* — *Et condens mala*] Sole clarius ostendit Irenaeus, haec prophetae verba de afflictionibus et tormentis, quae mala poenae in scholis appellamus, intelligenda esse; non autem de peccati culpaeque defectibus. Horum enim auctorem Deum facere, Simonis magi, Marcionis et Manichaeorum blasphemia est, totius orbis consensu et auctoritate damnata: quam nihilominus nostrae tempestatis Gnostici in integrum restituere moliuntur. Hieronymus in 3. caput Lamentationum, et 18. Hieremiae, tropicam dicit esse istam prophetae locutionem, qua mala dicitur Deus facere, dum adversa et flagella merentibus infligit; quae non natura ipsa mala sunt, sed mala patientibus videantur. Irenaeo et Hieronymo adstipulantur ex Latinis Augustinus lib. contra Adimantum Manich. cap. 27. Contra epistolam Manich. cap. 38. lib. 1. Contra adversarium Legis cap. 23. Ambrosius Sermon. 16. in Psalm. 118. Gregorius lib. 3. Moral. cap. 7. Eucherius Lugdunensis lib. 1. in Genes. cap. 7. Ex Graecis Dionysius Areopagita cap. 4. libri de Divinis nominibus, Clemens Rom. lib. 5. et 10. Recognitionum, Iustinus martyr in Dialogo, et lib. de Monarchia, Basilius Homil. *Quod Deus non sit auctor malorum,* Cyrillus Alexand. lib. 4. in Esaiam cap. 45. et plerique omnes orthodoxi scriptores. — *Si autem alius*] Evincit ex Scripturis eundem Deum poenas infligere reprobis, ac electis praemia tribuere; atque his regnum, ut illis gehennam parasse: inde de ma-
p.707. lorum angelorum lapsu, improbitate et imbecillitate disserit. — *Ex tunc enim apostata*] Cacodaemonum primum peccatum invidiam fuisse docet; et eosdem tum lapsos et reprobatos a Deo, nimirum, quantum ex Scripturis potest deprehendi, quum hominem seduxerunt. Prioris partis assertores secum habet Tertullianum lib. de Patientia; Cyprianum Serm. de Zelo, de bono patientiae, de tentatione Christi; Methodium Serm. de Resurrectione apud Epiphanium; Prudentium in Hamartigenia; Chrysologum Serm. 48. Posterioris vero, Iustinum martyrem in Dialogo: *Ruina magna,* ait iste, *Diabolus collapsus est, eo quod Evam in serpente decepisset.* Alii autem permulti, nec ii contemnendi quidem certe auctores graeci et latini tradunt, fastu quodam et animi elatione lapsos etiam, antequam protoparentes circumvenissent. Cuius opinionis sunt Athanasius lib. de Virginitate, et in Quaestionibus sacrae Scripturae, quaest. 6. Greg. Nazianz. Orat. 1. de Pace. Chrysostomus hom. 15. in Ioannem, et hom. de Adam et Eva. Ambros. Epist. 84. Hieronymus Epist. ad Antonium. Augustinus tract. 49. in Ioannem. Leo magnus Serm. 4. de collectis eleemosynis. Prosper lib. 3. de Vita contemplativa cap. 2. Primasius et Sedulius in 1. cap. ad Romanos. Fulgentius lib. 1. ad Monimum. Greg. Rom. in cap. 2.
p.708. et 7. primi libri Regum. — *Ipse tuum calcabit caput*] Loci huius Geneseos magis varia lectio, quam sensus est apud Patres. Chrysostomi interpres hom. 17. in Genesin. Augustinus 12. de Gen. cap. 36. et lib. 2. de Genesi contra Manichaeos cap. 18. Gregorius Rom. lib. 1. Moralium cap. 38. Ambros. lib. de Fuga saeculi cap. 7. Bernar. hom. 2. de laudib. Virg. Mariae et Serm. 2. de verbis Apost. Signum

magnum etc. Eucherius lib. 2. in Genes. cap. 29. Beda et Rabanus legunt *ipsa*, ut de beata Maria, quatenus nobis concepit et peperit Christum, intelligatur. Septuaginta reddiderunt *αὐτός*, non *αὐτή*, ne *τὸ σπέρμα* neutrius generis referat, sed *τὸν σπόρον*, quod masculinum est, et eiusdem significationis, Christus significetur filius virginis, qui fortem armatum atrio deiecit, diaboli opera dissolvit, et Satanae caput sub pedibus suorum conterit. Hanc lectionem Irenaeus sequitur et Cyprianus lib. 2. adversus Iudaeos cap. 9. probat in quaestionibus Heb. Hieronym. imitatur Chrysologus Serm. 173. Hebraei habent הוּא, relativum masculinum, quod זרע aeque masculini generis nomen refert: quae Ionatham Chaldaeus paraphrastes ita expressit, Paulo Fagio interprete: *Inimicitiam ponam inter te, et inter mulierem, inter filium quoque tuum, et inter filium illius: ipse memor erit istius, quod fecisti ei olim* etc. De hoc etiam supra diximus.

CAP. XLI.

FEUARDENTIUS: *Quum igitur*] Diaboli et impii omnes qui eo- p.709.
rum nuntii et filii sunt imitatione, non natura, sibimetipsis caussa sunt discessionis a Deo ac aeternae perditionis. Ceterum ut pii viri ratione officii aliquando in Scripturis angelorum nomina sortiuntur, Esa. 9. Malach. 2. Matth. 11. ita et impii, filii Belial et angeli Satanae recte nuncupantur. — *Quidam ante nos dixit*] Mihi, fateor ingenue, non subit quis sit iste, cuius verba adducuntur; fortassis is est, cuius tam saepe in superioribus meminit, quem sibi ignotum scripsit Eusebius. Sententiae porro illius non valde dissimilem habet beatus Ignatius, epist. ad Magnesianos. Nazianzenus in carmine de Virginitate, multis post Irenaeum saeculis, idem tradit his verbis:

Αὐτὰρ ἐμοὶ τοκέες μὲν ὅσοι καλὸν ἐξεδίδαξαν,
Παῖδες δ' οὓς ἐδίδαξα. id est:
Sed mihi patres sunt, quotquot virtutem me docuerunt:
Filii autem quos ipse docui. —

Licet sit differentia inter natum et factum] Athanasius Serm. 3. contra Arianos, genitum sive natum esse, non extraneum quiddam a natura gignentis, qualia sunt opera, denotaret docet, sed quiddam proprium, quod de substantia patris emergit: ideoque Filium Dei natum seu genitum a Patre ubique in sacris Litteris praedicari. Factum esse seu fieri et creari, illud dici, quod a natura facientis alienum est et essendi exordium habet, quodque creatis omnibus et solis rebus convenit: et eam ob rem Scripturas dicere, *In principio fecit Deus caelum et terram*; non, *In principio genuit.* Neque, *Manus tuae genuerunt me;* sed, *Manus tuae fecerunt me* etc. — *Quemadmodum enim*] Omnes quidem per naturae conditionem filii Dei sunt, non autem per gratiam et obedientiam: quandoquidem plurimi etiam cum belluis, feris et serpentibus propter varias pravitates iure comparantur. — *Ira eis*] Codices excusi *eius*, quod expunximus auctor. p.710.
vet. cod. Septuaginta *θυμὸς αὐτοῖς, furor ipsis.* — *Dixit progeniem viperarum*] Homines propter multiplices cupiditates, quibus a recta ratione transversi aguntur, belluarum nominibus passim designa-

ri, scripsit quoque Clemens Alexandr. in Protreptico, ut volucrum, eos qui sunt leves; serpentum, deceptores; leonum, qui caedes et minas continuo spirant; porcorum, qui in voluptatum coeno volutantur; et luporum, qui rapaces sunt. Ceterum de viperae natura et affectibus, multa non iniucunda scripserunt Plinius lib. 10. cap. 62. Athanasius quaest. 56. ad Antiochum, Ambrosius lib. 5. Hexaëmeron cap. 7. quibus qui eguerit, inde petat, licet. Videat, si velit, Nicandrum, Galenum et Dioscoridem.

SELECTAE ANNOTATIONES ALIORUM

IN

LIBRUM V.

PRAEFATIO.

FEUARDENTIUS: Hunc librum quintum sine ulla sectione in capita hactenus reliquerunt ii, qui superiores primo distribuerunt. Vetus quoque codex noster nec signata capita habuit, nec signandis argumenta suppeditavit. Quamobrem visum est, eum quoque instar superiorum dividere in Praefationem et Capita, hisque singulis singulas item summas affigere; id quod boni et aequi pii omnes, uti spero, consulent. Apparet profecto praefationem quandam esse initium huius libri, quod et *ἀναχεφαλαίωσιν* continet praecedentium et sequentium *ὑπόθεσιν*. — *Ex ratione*] Existimem Irenaeum innuere velle, se haereses istas evertisse, partim scripturis, partim rationibus ab ipsis haeresibus petitis, quando illas inter sese, et cum veritate prorsus pugnare, in superioribus libris centies ostendit. — *Quoniam et in administratione*] Quum episcopus esset Galliarum primarius et cerneret Gnosticos graves et perniciosos lupos ovibus suis imminere, officii sui putavit esse, illos erroris sui admonere et convincere, antidotumque adversus eos aliis subministrare; cuius diligentiam et sedulitatem utinam imitarentur successores. — *Ab ecclesia acceperunt*] Docet fidem niti verbo Dei, quod sola ecclesia catholica custodit, probat et intelligit; ideoque a Paulo dicitur columna, et firmamentum veritatis. Consule cap. 4. lib. tertii et 45. lib. 4. p.712. p.713.

GRABIUS: *Ex ratione*] Allegatis iis, quae Feuardentius sub hoc lemmate annotavit, Grab. haec addit: Sed pro *scripturis* ponere debebat (Feuard.) *scriptis ipsorum haereticorum* atque doctrina iis contenta; et pro *rationibus ab ipsis haeresibus petitis* dicere: *rationibus ex omni demonstrationum genere petitis;* siquidem et s. Scripturarum et ecclesiasticae traditionis auctoritate etc. haereticos confutavit Irenaeus; et prius quidem praestitit libro secundo, posterius sequentibus tribus libris. — *Quoniam et in administratione*] Repetitis Feuardentii verbis scribit: Sed presbyter tantum, non episcopus fuisse videtur, quum haec scriberet Irenaeus. p.712. p.713.

CAP. I.

p.713. FEUARDENTIUS: *Non enim aliter*] Apparet hîc novum argumentum tractari, quae caussa fuit, ut inde caput primum inciperemus, etiam repugnante rationis particula *enim*. Certum est autem auctorem superiores libros suos nequaquam partivisse; itaque eandem mihi veniam hîc dari postulo, quae superioribus concessa est: qui dum
p.714. primi saxum hoc volverent, forsitan oneri succubuerunt. — *Non cum vi*] His lucem adferunt Augustini et Leonis verba, illius 13. de Trinit. cap. 13. *Placuit Deo propter eruendum hominem de Diaboli potestate, non potentia, sed iustitia Diabolus vinceretur; atque ita et homines imitantes Christum, iustitia quaererent Diabolum vincere, non potentia.* Hic Serm. de Nativit. magna aequitate Dominum nostrum cum saevissimo hoste nostro concertasse scribit, quod non in sua maiestate, sed in nostra humilitate congressus sit. — *Suo igitur sanguine*] Theodoretus haec transscripsit, docens Christum iuxta Deitatem impatibilem et immutabilem perpetuo mansisse. — *Vani enim sunt*] Hunc quoque locum usque ad id: *Et reprobent plasmationem Dei* idem Theodoretus habet Dialogo 2, quo docet Christum sine ulla naturarum confusione Deum simul et hominem esse. — *Abraham et reliqui prophetae*] His omnino similia sunt, quae habet Euseb. lib. 1. demonst. Evang. cap. 5. Dei enim Verbum quem Christum appellare consuevimus, Abrahae, Iacobo, Iobo et aliis patriarchis non minus cognitum fuisse quam nobis, sacrarum litterarum testimoniis contendit; eosdemque vitam ac mores suos composuisse ad eius pietatis normam, quam Christus per omnes gentes postea disseminavit; et ob id Christi appellationem illos nobiscum communem habere, iuxta id quod de illis in Psalmo dicitur: *Nolite tangere Christos meos.* Subscribit ei Origenes hom. 5. et 8. in Gen. omnesque fere prisci scri-
p.715. ptores ecclesiastici, ut in superioribus saepe indicavimus. — *Qui operatus est incarnationem eius*] Docet solum quidem Filium Dei incarnatum esse; sed hanc incarnationem effectam etiam a Patre et Spiritu, quod et Augustinus apertioribus verbis istis exprimit: *Natus est ex virgine non nisi Filius; et vox de nube, Tu es Filius meus dilectus, ad solius personam pertinet Patris: et in specie corporali columbae solus apparuit Spiritus sanctus; tamen et illam carnem solius Filii et illam vocem solius Patris et illam speciem solius Spiritus sancti, universa Trinitas operata est.* Libro de Trinitate et unitate Dei capite 9. Et idem rursum alibi: *Filius quidem, non Pater, natus est de Maria virgine; sed ipsam nativitatem Filii et Pater et Filius operatus est.* Serm. 63. de verbis Dom. et lib. 50. homiliarum, hom.
p.716. 32. et 43. — *Inspiratio* [nos: *adspiratio*] *vitae*] Vetus cod. *adspiratio,* sic enim vocat animam rationalem, quam Deus in faciem corporis humani spirando creavit et infudit. — *Effecit hominem*] Expunximus *efficit* vet. cod. auct.

p.714. GRABIUS: *Non cum vi*] Allegata Feuardentii annotatione addit: Ita et alii ecclesiastici tractatores passim loquuntur, huc in mystico sensu applicantes Esaiae cap. IV, 28.: *Sion in iudicio redimetur, et captivi eius in iustitia.* — *Δόντος τὴν ψυχὴν κτλ.*] Adde ex latino

τὴν ἑαυτοῦ, sicuti mox subiungit *σάρκα τὴν ἑαυτοῦ*. Ceterum et Hilarius diaconus romanus in 1 Corinth. XI. apud Ambros. *Caro*, inquit, *Salvatoris pro salute corporis, sanguis vero pro anima nostra effusus est, sicut prius praefiguratum fuerat a Mose. Sic enim ait: Caro pro corpore vestro offertur; sanguis vero pro anima; ideoque non manducandum sanguinem.* Quae citantur quoque a Petro Lombardo lib. IV. Sentent. Dist. II. lit. F. — *Οὔτε ὃ ἦν κτλ.*] Christum Deum solum, qui Spiritus est, statuere et simul dicere, eum apparuisse velut hominem, quum non esset homo, contradictionem implicare videtur Irenaeo, quia Spiritus est invisibilis et proinde per se apparere nequit. Excipere tamen poterant haeretici, eum non per se apparuisse, sed assumta humana figura, licet non essentia. Ceterum de phrasi *πνεῦμα Θεοῦ*, qua Christum denotat, consule Grotii Comm. in Marc. II. pag. 532 seqq. — *Reprobant itaque hi commixtionem* p.716. *vini caelestis, et sola aqua* etc.] Alludit ad abusum Ebionaeorum, sola aqua in eucharistico calice utentium, teste Epiphanio Haeres. XXX. §. 16. cuius verba si evolvere placeat, confer simul quae de eorum versione notavi ad Spicileg. Patrum saec. 1. pag. 344. — *Manus Dei*] Hic et alibi Filium et Spiritum Dei Patris *manus* vocat Irenaeus, ratione scilicet creationis mundi, ac praecipue hominis. Quemadmodum enim nos ope manuum nostra opera perficimus; ita et Pater per Filium et Spiritum sanctum sibi consubstantiales machinam huius universi condidit, ac hominem in ea perfectum creavit.

CAP. II.

FEUARDENTIUS: *Vani autem et qui in aliena*] Marcionitae hunc p.716. mundum ab alio Deo, quam a Patre Domini nostri Iesu Christi factum dicebant; Valentiniani a Demiurgo; alii vero Gnostici ab angelis; proindeque Dominum nostrum non in sua, sed in aliena venisse. Haec copiosius lib. III. cap. 11. — *Nihil enim illi ante dedimus*] Vult nullis praecedentibus hominum meritis, sed sola gratuita Dei misericordia effectum esse, ut Filius Dei homo factus, corpus in ara crucis obtulerit, et sanguinem fuderit pro expiatione peccatorum totius mundi. Idem aperte Paulus: *Quum adhuc inimici essemus*, ait, *reconciliati sumus Deo per Christum.* Et alibi negat idem ex operibus iustitiae quae fecimus nos, tantum beneficium contigisse. Zacharias quoque visceribus divinae misericordiae imputat, quod nos visitarit Oriens ex alto. Acute et diffuse haec pertractat Augustinus lib. 13. de Trinitate cap. 16. et 19. et in Enchiridio cap. 36. — *Dicentes* p.717. *non eam capacem esse incorruptibilitatis*] Variae pridem sectae in huius opinionis coeno volutatae sunt: nam inter Iudaeos Sadducaei negarunt carnis resurrectionem. Illam iam factam fuisse, nec ultra exspectandam, dixerunt Hymenaeus et Philetus. Simoni mago, Valentino, Apelli, Cerdoni, Caianis, Severianis, Archonticis et Proclianitis hunc errorem Augustinus impingit; sicuti Basilidi, Marcioni et Ophitis Tertull. Consentit ei de Marcione Irenaeus lib. I. cap. 24. Si quem autem delectat praeter hos Irenaei locos evidentissimis Scripturis probatam legere fidem nostram de resurrectione, Tertulliani consulat librum de Resurr., Athenagoram lib. de Resurr., Ambrosium lib. de

Fide resurrectionis. — *Si autem secundum haec videlicet*] Quia totum hunc Irenaei locum ab Oecolampadianis corruptionibus vindicat, et dilucide explicat doctus et sanctus vir Episcopus Roffensis, lib. 4. de eucharistia cap. 23. 24. 25. verba illius singulis sententiis addere commodum est: *Eos incessit Irenaeus,* inquit ille, *qui resurrectiõnem futuram non credunt, quandoquidem sciunt et Christum suo sanguine nos redemisse, et eundem sanguinem in eucharistia nobis communicasse, pariter et suum ipsius corpus; ex quibus apertissimum est, nos aliquando resurrecturos, quemadmodum et ipse resurrexit.* Et aliquanto post: *Qui negant salutem carnis, hoc est resurrectionem carnis ad futuram incorruptibilitatem, et hi regenerationem eiusdem spernunt, universam dispositionem Dei contemnunt. Et vani sunt omni modo; quoniam ita nec Dominus sanguine suo redemit, neque calix eucharistiae communicatio sanguinis eius est, neque panis quem frangimus communicatio corporis eius est. Quare quum verus sit sanguis, quem pro nobis effundit, nos eodem vero sanguine veraque carne sua pascat; consequitur, ut qui sic redemti sumus regenitique et pasti, vere tandem simus ad immortalitatem resurrecturi. Hanc collectionem istis verbis facit Irenaeus.* — *Sanguis enim*] Roffensis: *Docet non esse figuratum sanguinem, sed verum, qualis in ipsis venis (quae et vasa sanguinis dicuntur) continetur.* — *Et quoniam membra sumus*] Roffensis: *Diligentius attende quae dicat Irenaeus. Quoniam, inquit, eius membra sumus, idcirco noluit sanguinis sui esse expertia: sed sicut solem et pluviam nobis impertit, ita verum ipsius sanguinem in calice, et verum corpus in specie panis se dedisse testatus est.* — *Suum sanguinem qui effusus est*] Decem et septem has voces, quas hactenus desideraverant omnes excusi codices, ex veteri restituimus. Quia vero hîc nihil omnino de signo, figura, metonymiave carnis et sanguinis meminit Irenaeus: idcirco cuivis perspicuum est, nullum tropum, nullam metonymiam in his illum agnoscere. Ceterum pie sancteque dicit sanguinem nostrum ex Christi sanguine, et corpora nostra ex corporè Christi adaugeri, quoniam eius reali perceptione et communicatione non solum e sepulcris pulveribusque suscitabuntur; sed et praestantissimis immortalitatis, agilitatis, claritatis subtilitatisque dotibus augebuntur; immortalisque gloriae tantam accessionem capient, ut in vitam plane caelestem et sempiternam cum Christo capite suo subleventur: *Oportet enim,* ait apostolus (1 Cor. 15, 53.), *mortale hoc induere immortalitatem, et corruptibile hoc induere incorruptibilitatem.* Et iterum (Philipp. 3, 21.): *Christus reformabit corpus mortalitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae.* Quid ita? Respondet idem Christus (Ioan. 6.): *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo: et ego resuscitabo eum in novissimo die. Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum. Qui manducat me, vivet propter me.* Alium testem exoptas? En Augustinum (Tractat. 26. in Ioan.) ad suos et posteros testificantem: *Eos a quibus hic cibus sumitur, immortales et incorruptibiles facit in societate sanctorum, ubi pax erit, et unitas plena atque perfecta.* Ex his insuper observandum relinquit Irenaeus, illos male semper de vera corporum nostrorum resurrectione sensu-

ros et credituros, qui veram vivificatricis carnis Christi in eucharistia praesentiam et participationem abnegabunt et oppugnabunt; quod iam Farellus Genevanae apostasiae primus auctor, et Calvini in illa cathedra pestilentiae antecessor plus satis ostendit, eandem resurrectionem impossibilem esse, cum ethnicis, Simonianis et Marcionitis clamitans. Hoc enim Calvinus indicat, quando ad illum ita scribit: *Quod res tibi incredibilis videtur, huius carnis resurrectio, nihil mirum* etc. Ecce quam semper in peius mali homines proficiunt etc. De his quoque scripsimus in caput trigesimum quartum libri quarti, nota 22. — *Quando ergo et mixtus calix*] Roffensis ita Oecolampadium con- p.719.
venit: *Finge, si potes, quibus verbis Irenaeus potuit rem pro nobis aperuisse dilucidius. Quando, inquit, mixtus calix, et fractus panis percipit verbum Dei, fit eucharistia corporis et sanguinis Christi: hoc est, prolatis super pane et vino Christi verbis, protinus fit ex eis corpus et sanguis Christi.* — *Factus panis*] *Fractus* legunt Roffensis et Oecolampadius lib. 4. de Eucharistia c. 23. quos secuti sunt codices Lausanae et Basileae 1571. excusi, apud Episcopios: alii omnes *factus panis*, quibus consentit noster vet. cod. Ceterum, consecrationis verba, quae super panem et calicem mixtum proferuntur, penitus necessaria esse ad eucharistiae perfectionem istis verbis agnoscit Irenaeus; indeque sequitur, Gnosticis posterioribus nullum omnino eius sacramenti usum existere: quandoquidem solius praedicationis verbum, consecrationis contra nunquam admittant. De his copiosius disseruimus in 34. cap. lib. 4. — *Ex quibus augetur*] Roffensis: *Porro, quod dicit ex his augeri corpora nostra, istuc opinor spectat, ut sicut tritici granum post mortificationem eius auctius et multiplicius ex terra surgit, ita et corpora nostra, posteaquam ad exinanitionem cinerum per mortem redacta sunt, virtute tamen carnis ipsius vivificatricis, qua pasti sumus, et unum effecti cum illo capitali grano, tandem ad cumulatiorem resurgemus gloriam.* — *Quomodo carnem negant*] Tam constans et gravis interrogatio plus maiestatis et ponderis habere videtur, quam si absoluta et simplici affirmatione usus esset. Docet autem carnem nostram ideo capacem esse vitae caelestis ac aeternae, quod revera corpore et sanguine Christi foveatur. Ergo eucharistiae perceptione non tantum animi cogitatione, aut fidei illa de caelo apprehendentis ore, quemadmodum comminiscuntur Calviniani; sed reipsa, et corporis ore substantialiter praesentia suscipiuntur et comeduntur, iuxta Christi praecepta: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis* etc. *Accipite et comedite. Hoc est corpus meum.* Hoc ipsum quoque docet Tertull. scribens: *Caro nostra corpore et sanguine Christi vescitur: ut et anima de Deo saginetur.* Hinc Chrysostomus (lib. de resurr. carn. cap. 8.) exclamat: *O miraculum! O Dei benignitatem! Qui cum Patre sursum sedet, in illo temporis articulo omnium manibus pertractatur.* Et rursum (lib. 3. de sacerdotio): *Hic plenus exsistens, et illic plenus: unum corpus* etc. Hom. 17. in Epist. ad Heb. Et Basilius magnus in Liturgia: *Qui sursum Patri consides, et hic nobis invisibiliter coëxistis.* Nyssenus denique Oratione de paschate: *Innumerabilibus locis consecratur, et tamen unum corpus est.* Videatur idem orat. Catech. cap. 37. et Cy-

rillus Hierosolymitanus Catechesi 7. mystagogica etc. Ex his autem constat et eandem Christi carnem in eucharistia reipsa praesentem adesse, tametsi in plurimis locis conficiatur et distribuatur: et corporis ore vere percipi et sumi: et huius participatione ius et arrham resurrectionis, adeoque ipsam immortalitatem ex ipsa, et per ipsam corpora nostra vere sumere. Hinc pius doctusque Roffensis: *Nos iam disquirimus an vere corpus et sanguis Christi sint in eucharistia, quemadmodum omnes orthodoxi sentiunt: an figurate solum, ut haeretica impietas arbitratur. Quod sequitur in Irenaeo, nostram sententiam apertissime comprobat. Quomodo, inquit, haeretici negant carnem esse capacem donationis Dei, hoc est, aeternae vitae, quandoquidem Christi corpore sangineque nutritur, et fit ipsius membrum? Quid precor dilucidius pro nobis dici queat? — Corpore Christi nutritur*] Absurdam esse hanc Irenaei locutionem garrienti Oecolampadio ita occurrit Roffensis lib. 4. cap. 20. *Alere multa dici possunt, quae minime tamen in carnem vertuntur, quam fovent. Aurum enim s. Margaritae gemmaeque pretiosae quum in medicaminibus teruntur, multam asseruntur a medicis virtutem et fomentum praebere corpori, nec tamen ipsa vertuntur in substantiam corporis. Et pari modo, quid prohibet vivificatricem Christi carnem, illis a quibus pie sumitur potentissima quadam et ineffabili sua virtute praestare fomentum, et modo quodam alere? — Quemadmodum et beatus apostolus ait*] Roffensis: *Confirmat sententiam suam Irenaeus verbis apostoli. Non hic disputo quam recte sensum attingat apostolicum; sed hoc interim affirmo, neminem apertius docere corpus et sanguinem Christi contineri in eucharistia, quam hîc faciat Irenaeus, usque adeo ut fateatur etiam nos qui Christi carne vescimur et bibimus eius sanguinem, non hominis alicuius imaginarii et spiritualis carnem edere sanguinemque bibere: sed eius, qui vere naturam habet hominis carnibus nervisque constantis, propterea non imaginario sanguine, neque carne imaginaria, sed vero sanguine veraque carne Christi nos asserit nutriri. — Et quemadmodum lignum vitis*] Roffensis: *Carnem Christi tantas vires nostrae carni praebere, ut postquam haec incinerata fuerit, tandem reviviscat, hoc exemplo apertissime demonstrat. Ecce lignum vitis, tametsi mortuum videatur, depositum nihilominus in terra, suo tempore fructificat. Similiter et granum tritici quamquam seminatum in terra mox corrumpitur, tamen postea cum ampliori foenore resurgit: et haec per naturam fieri conspicimus. Quid ergo mirum si corpora nostra carne et sanguine Christi nutrita, postquam redacta sunt in cineres, per huius tamen escae vires et efficaciam operante spiritu verboque Dei resurgant ad immortalitatis gloriam?* De reliquis doctissimis et pulcherrimis huius auctoris verbis supersedeo; quae quisquis accurate expenderit pieque vixerit, mirabor, si sibi non persuadeat meram et puram corporis et sanguinis veritatem in eucharistia.

p.716. GRABIUS: *Si non vere homo factus est*] Nam et id modo dicti haeretici docebant, de quibus vide lib. I. passim, et consule pag.
p.717. 34. not. 1. — *Universam dispositionem*] Graece *οἰκονομίαν*, id est, nativitatem, passionem et mortem Salvatoris: haec enim omnia voce

οἰκονομίας in s. Patrum monumentis denotari constat. — *Sic autem secundum haec*] In vet. Cod. Feuard. et Voss. longe aliter: *Si autem non salvetur haec,* scilicet caro. Quae lectio optime quidem quadrat ad id quod praecessit: *carnis salutem negant;* ast non ad proxime sequentia: *nec Dominus sanguine suo redemit nos.* Neque enim in hac periodo Irenaeus ex redemtione nostrùm per sanguinem Christi nostrae carnis resurrectionem infert, uti quidem vult *Fischerus* episcopus Roffensis lib. IV. de eucharistia, allegatus a *Feuard.* ad hunc locum; sed carnis Christi et humanae eius naturae veritatem inde probat, uti recte explicavit *Halloixius* verbis supra not. 8. recitatis. Id quod patet ex praecedentibus supra col. I. lin. 8. seqq. *Neque vere redemit nos sanguine suo, si non vere homo factus est;* nec non ex sequentibus: *Sanguis enim non est, nisi a venis et carnibus etc.* Retinui itaque vulgatam lectionem: *sic autem secundum haec,* dum scilicet *οἰκονομίαν* Dei in incarnatione Christi inficias eunt et redemtionem sanguine carnis eius factam evertunt. — *Secundum haec videlicet, nec Dominus sanguine suo redemit nos* etc.] Id est, si Christus non est incarnatus, ergo non redemit nos sanguine suo, quia sanguis non est, nisi a carne et venis; ergo in eucharistia non communicat nobis suum sanguinem, siquidem nullum habuit, si non fuit incarnatus; neque item corpus suum; nec enim potuit panem in corpus suum vertere et nobis illud dare, si nullum corpus habuit. Atqui vere nos redemit sanguine suo, teste apostolo et vere nobis dedit seu communicavit in eucharistia corpus et sanguinem suum, ergo vere est incarnatus. *Halloix.* in Vita Irenaei cap. 29. pag. 553. — *Neque calix eucharistiae communicatio sanguinis eius est, neque panis quem frangimus* etc.] Eodem argumento usus est Tertullianus lib. IV. contra Marcionem cap. 40. *Acceptum panem et distributum discipulis suis corpus suum illum fecit, hoc est corpus meum, dicendo, id est, figura corporis mei. Figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus. Ceterum vacua res, quod est phantasma, figuram capere non posset. — Sic et in calicis mentione testamentum constituens, sanguine suo obsignatum, substantiam corporis confirmavit. Nullius enim corporis sanguis potest esse, nisi carnis Nam et si qua corporis qualitas non carnea opponetur nobis, certe sanguinem nisi carnea non habebit. Ita consistit probatio corporis de testimonio carnis, probatio carnis de testimonio sanguinis. — Sanguis enim non est, nisi a venis*] Roffensis: *Docet non esse figuratum sanguinem, sed verum, qualis in ipsis venis (quae et vasa sanguinis dicuntur) continetur. Feuard.* Sed Irenaeus hîc de sanguine loquitur, prout in persona Christi est, non prout in eucharistiae sacramento exsistit, de quo disputat episcopus Roffensis, nomine *Fischerus,* lib. IV. de eucharistia cap. 23, 24, 25. — *Ἐπειδὴ μέλη*] Haec et sequentium duorum capitum graeca verba, ex MS. Ioannis Damasceni Parallelorum codice excerpta, bono publico edidit Halloixius in Vita Irenaei pag. 488 seqq. — *Αἷμα ἴδιον ὡμολόγησε — ἴδιον σῶμα διεβεβαιώσατο*] Iisdem fere verbis idem asseruit supra lib. IV. cap. 32. in fine, scribens: *Eum qui ex creatura panis est, accepit et gratias egit, dicens: Hoc est corpus meum. Et calicem similiter qui*

est ex ea creatura, quae est secundum nos, suum sanguinem confessus est. Et eiusdem libri cap. 57. in medio: *Accipiens panem suum corpus esse confitebatur et temperamentum calicis suum sanguinem confirmavit.* Quae Irenaei loca et pro transsubstantiatione et pro consubstantiatione, ut ita loqui liceat, corporis et sanguinis Christi cum pane et vino eucharistico, a plurimis certatim allegantur; sed contra mentem Irenaei, prout ex his ipsis aliisque locis colligere est. Ac transsubstantiationi quidem vix quicquam magis adversum dici poterat, quam quod lib. IV. cap. 34. de consecrato pane ait: *οὐκέτι κοινὸς ἄρτος ἐστίν, ἀλλ' εὐχαριστία ἐκ δύο πραγμάτων συνεστηκυῖα, ἐπιγείου τε καὶ οὐρανίου, Jam non communis panis est, sed eucharistia ex duabus rebus constans, terrena et caelesti.* Quibus verbis illatam ab adversariis vim quum ibidem pro virili repulerim ac duplex contra eosdem argumentum inde deduxerim, hîc actum agere nolo. Consubstantiationi vero et universe substantiali corporis et sanguinis Christi in eucharistia praesentiae adversantur, quae tam citato cap. 34. lib. IV. quam hoc ipso, in quo versamur, loco iterum iterumque repetit, dicens carnem fidelium *τὴν ἀπὸ τοῦ σώματος τοῦ Κυρίου καὶ τοῦ αἵματος αὐτοῦ τρεφομένην, quae a corpore Domini et sanguine alitur;* et singulatim de sanguine Christi, *ἐξ οὗ τὸ ἡμέτερον δεύει αἷμα, ex quo auget* (rigat) *nostrum sanguinem;* ac de corpore, *ἀφ' οὗ τὰ ἡμέτερα αὔξει σώματα, ex quo nostra auget corpora* etc. Quae si de substantia personalis Christi corporis et sanguinis accipiantur, adeo absona sunt, ut ipsi transsubstantiationis patroni praedicata ista *nutriendi et augendi* in alienum sensum transferre sint conati, licet frustra, uti mox in annotatione ad ista verba: *ἐκ τούτων δὲ αὔξει καὶ συνίσταται* etc. probabo. Accedit ad declarandam Irenaei sententiam aliud testimonium, non ipsius solum, sed et martyrum Lugdunensium, citatum ab Oecumenio in Comment. ad I. Petri III. et inter fragmenta ad calcem huius operis recitatum, quo refertur assertio Christianorum, *τὴν θείαν μετάληψιν αἷμα καὶ σῶμα εἶναι Χριστοῦ, divinam communionem esse sanguinem et corpus Christi;* sed continuo post haec negatur, licet indirecte, *τῷ ὄντι αἷμα καὶ σάρκα εἶναι, vere sanguinem et carnem esse.* Quomodo et Tertullianus lib. de Resurrectione carnis cap. 37. inficias it, quod Christus Ioan. VI. *vere carnem suam manducandam determinaverit;* ac recentior Africanae ecclesiae doctor seculo VI. Facundus Hermianensis lib. IX. pro defensione trium capitulorum scribit: *Sacramentum corporis et sanguinis eius, quod est in pane et poculo consecrato, corpus eius et sanguinem dicimus, non quod proprie corpus eius sit panis et poculum sanguis, sed quod in se mysterium corporis sanguinisque contineant.* Sic igitur et locis supra citatis Irenaeus panem quidem corpus Christi et vinum sanguinem eius esse vel fieri dicit; nec tamen affirmat *τῷ ὄντι vere* esse, id est substantialiter. (Quippe *vere* quodammodo consecrata symbola esse corpus atque sanguinem Christi confiteor et inferius explico, quoniam hîc spatium me deficit.) Imo vero contrarium ab eo et ecclesia istius aevi creditum esse, non modo ex ante citatis verbis, sed et ritu quodam tunc inter fideles recepto, cuius testem habemus Irenaeum, haud inepte colligitur. Scri-

bit quippe in Epistola ad Victorem, cuius fragmentum ab Eusebio lib. V. Histor. cap. 24. conservatum, suo loco sequetur, quod episcopi episcopis aliarum ecclesiarum in signum fraternae communionis eucharistiam mittere fuerint soliti. O temerarium, ne dicam impium, facinus, personale Dei Servatoris nostri corpus, panis sive substantiae, sive accidentibus unitum, tot profanationis ac diversarum iniuriarum periculis citra necessitatem exponere! Id profecto minime sancti priscarum ecclesiarum praesules commisissent, uti nec nunc a Romanis episcopis tale quid committitur vel permittitur. At vero illi in diversa ab his sententia, eadem vero cum auctore operis imperfecti in Matthaeum fuere, nempe quod *in vasis non verum Christi corpus, sed mysterium corporis eius contineatur,* uti verba dicti auctoris Homilia 11. sonant. Et verba igitur quae Irenaeus protulit et facta quae retulit non sinunt nos cetera eius dicta de substantiali personalis Christi corporis praesentia accipere. Restat vero, ut ea, quae pro hac ex Irenaei verbis deducuntur, argumenta discutiantur. Recentissimus, qui hanc caussam egit, scriptor est clariss. *Nicolaus Nourrius* in Apparatu ad Bibliothecam Maximam Veterum Patrum Tom. II. Dissert. 6. de Scriptis Irenaei cap. 8. ad cuius idcirco obiectiones ex hoc Irenaei, quem tractamus, loco petitas respondebo. Primo urget, quod nullam *typi, figurae* aut *memorialis* mentionem fecerit, sed iterum iterumque asseruerit, panem esse corpus, vinum sanguinem Christi. *Numquid difficilius illi erat,* inquit, *dicere, eucharistiam esse figuram corporis Christi, quam esse illius corpus?* etc. Non reponam ad haec, alios tamen Patres, Latinorumque antiquissimum, ac Irenaei aevo proximum, Tertullianum, hac phrasi usos et ipsa Christi verba, *Hoc est corpus meum,* interpretatos esse, *id est, figura corporis mei,* uti dictus Presbyter Africanus praeced. pag. 395. not. 9. loquebatur; sed ingenue confiteor, Irenaeum s. eucharistiam haud dixisse *typum, figuram* aut *memoriale* corporis et sanguinis Christi, quia hae dictiones non satis exprimunt sententiam eius, utpote qui sacra elementa non solum signa, sed ipsum corpus et sanguinem Christi quodammodo, licet non substantialiter, esse credebat, uti sequenti pag. 399. ad ista verba: *ἐκ τοῦ ποτηρίου αὐτοῦ, ὅ ἐστι τὸ αἷμα αὐτοῦ,* dicam. Pergit *Nourrius* pag. 693. urgere voces, *suum — confitebatur — confirmavit. His etenim verbis,* inquit, *verum et proprium Christi corpus aperte designavit.* Sed quod attinet *suum,* sive *proprium corpus,* respondeo verbis Maxentii qui sec. VI. floruit, Dial. lib. 2. cap. 13. *Proprietas multis intelligitur modis. Nam et ecclesia corpus eius dicitur, eiusdemque ecclesiae facit Deus* (lege *Dominus*) *proprias passiones, pro qua etiam in caelo positus clamat: Saule, Saule, quid me persequeris? Et unusquisque fidelium membrum eius est, sicut idem docet apostolus dicens: Vos estis corpus Christi et membra de membro. Sed et panis ille, quem universa ecclesia in memoriam dominicae passionis participat, corpus eius est.* Quibus docet tam ecclesiae, quam eucharistiae mysticum corpus dici *proprium Christi corpus,* in oppositione scilicet ad alienum. Atque ita sane Gregorius Nyssenus Orat. in ista apostoli 1. Corinth. XV. verba: *Tunc filius subiicietur,* diserte ait: *Τὸ ἴδιον σῶμα ὅπερ ἐστὶν*

ἡ ἐκκλησία, *Proprium corpus, quod est ecclesia.* Et ibidem fideles μέλη τοῦ ἰδίου σώματος, *membra proprii corporis* vocat: quas ipsas voces apud Chrysostomum quoque Homil. 18. in 1. ad Corinth. legere est. Posterioribus autem verbis *confitebatur, confirmavit,* Irenaeus nihil aliud nisi rei *certitudinem* indicare voluit, quam nemo negat aut in dubium vocat. Certissime enim panis consecratus est corpus Christi; sed non ideo substantialiter. Ac scite profecto cardinali Perionio, hoc Irenaei verbum *confirmavit* urgenti, Albertinus de Eucharistia pag. 311. opposuit locum Fulgentii de Baptismo Aethiopum cap. 11. *Apostolus carnem Domini nos esse confirmans, ait: Nemo unquam carnem suam odio habuit.* Quis vero inde inferret, Fulgentium credidisse ecclesiam et fideles substantiale Christi corpus esse? Addit quoque Augustini lib. contra Adimantum cap. 12. de Servatore verba: *Non dubitavit Dominus dicere: Hoc est corpus meum, quum signum daret corporis sui;* ubi *non dubitavit* idem est ac *confitebatur, confirmavit:* et tamen haec verba figurate a Domino usurpata esse, planissime docet. Aliis *Nourrii* ex lib. IV. cap. 34. obiectionibus ibidem in notis obviam ivi; unde hîc gradum sisto. —

p. 718. Τὸ κεκραμένον ποτήριον] Sicuti supra pag. 57. lin. 1. Marcum haereticum ποτήρια κεκραμένα οἴνῳ consecrasse refert; ita hoc loco Catholicis quoque crama istud in usu fuisse insinuat: quod et ex Iustini martyris Apologia ad Antoninum pag. 125. nostrae editionis lin. 12. pag. 128. lin. 1. ac pag. 131. lin. 23. aliisque scriptoribus constat. Fecerunt id exemplo ipsius Servatoris nostri, qui in prima s. coena *temperamentum calicis suum sanguinem confirmavit,* ut Irenaeus supra pag. 357. col. 2. lin. 1. scribit, et *mixtionem calicis novam in regno cum discipulis habiturum se pollicitus* est, prout inferius p. 461. col. 2. lin. 28 seqq. loquitur. Neque hac de re dubitabit, qui istum ritum inter Iudaeos udeo receptum fuisse consideraverit, ut paschale epulum haud rite mero vino sine aqua se celebrare putaverint, sicut ex Maimonide de solemnitate Paschali cap. 7. §. 9. probavit Auctor egregii plane, licet Anonymi Tractatus, Anglice scripti *de Ieiunio Quadragesimali,* P. 2. c. 7. §. 4. p. 286. 287. honoris caussa a me nominandus, *D. Georgius Hooperus,* decanus Cantuariensis. Atqui haec Iudaeorum ante Christum et Christianorum post eum continua praxis ac doctrina, sicut idem ab ipso Christo factum indicat, ita et omnibus faciendum iniungit. Nam, uti s. Cyprianus Epist. 63. scribit: *Si in sacrificio, quod Christus obtulerit, non nisi Christus sequendus est, utique id nos obaudire et facere oportet, quod Christus fecit et quod faciendum esse mandavit* (dicens: *Hoc facite in mei commemorationem*) *quando ipse in evangelio dicat: si feceritis quod mando vobis, iam non dico vos servos, sed amicos.* Integra scilicet epistola ista opposita erat iis, qui solam aquam in eucharistico poculo offerebant, exemplo Ebionitarum, de quibus vide praeced. p. 394. col. 1. lin. 30. seqq. ac ibidem not. 7. Contra illos itaque inter alia argumenta ipsum factum Christi, in institutione sacramenti mixtum calicem offerentis, valde urget, quodque adversarii maiorum suorum consuetudinem opponerent, modo citatis post pauca subiungit: *Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid alius ante*

nos faciendum putaverit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem; quum per Isaiam prophetam Deus loquatur et dicat: Sine caussa autem colunt me, mandata et doctrinas hominum docentes; *et iterum Dominus in evangelio hoc idem repetat, dicens:* Reiicitis mandatum Dei, ut traditionem vestram statuatis etc. Quae idcirco profero, ut ea considerent, qui contra in eucharistico calice solum vinum sine aqua sacrae mensae apponunt; perinde ut in Oriente faciunt Armenii, ideo reiecti canone 32. synodi Trullanae, privatos scriptores, veluti Theophylactum in cap. 19. Ioannis, aliosque ut praeteream. Sane s. martyr Cyprianus alterutrius, sive vini sive aquae defectum reprehendit, inter alia scribens: *In sanctificando calice Domini offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum potest. Nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis;* (quos per aquam vino mixtam in calice designari ante haec probaverat) *si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo; quando autem utrumque miscetur et adunatione confusa sibi invicem copulatur, tunc sacramentum spirituale et caeleste perficitur.* Ceterum iisdem, quibus laudatus martyr Epistolam suam clausit verbis, huius annotationis finem facio: *Religioni igitur nostrae congruit et timori et ipsi loco atque officio sacerdotii nostri — in Dominico calice miscendo et offerendo custodire traditionis Dominicae veritatem et quod prius apud quosdam videtur erratum, Domino monente corrigere; ut quum in claritate sua et maiestate caelesti venire coeperit, inveniat nos tenere quod monuit, observare quod docuit, facere quod fecit. —* Ἐκ τούτων δὲ αὔξει καὶ συνίσταται ἡ τῆς σαρκὸς ἡμῶν ὑπόστασις] Ita *Halloixius* pag. 501. ex posteriori citatione *Damasceni* lit. *Θ.* tit. 8. melius, quam pag. 488. ex priori Damasceni loco: *ἐκ τούτου τε.* Ceterum notavit ad haec verba *Feuard.* num. 12. commentarium *Fischeri* episcopi Roffensis, ita sonantem: *Quod dicit, ex his augeri corpora nostra, istuc opinor spectat, ut sicut tritici granum post mortificationem eius auctius et multiplicius ex terra surgit, ita et corpora nostra, posteaquam ad exinanitionem cinerum per mortem redacta sunt, virtute tamen carnis ipsius vivificatricis, qua pasti sumus et unum effecti cum illo capitali grano, tandem ad cumulatiorem resurgemus gloriam.* Similiter ipse ad declaranda praecedentia Irenaei, *ex quo auget nostrum sanguinem,* item, *ex quo nostra auget corpora,* num. 9. scribit: *Pie sancteque dicit, sanguinem nostrum ex Christi sanguine, et corpora nostra ex corpore Christi adaugeri, quoniam eius reali perceptione et communicatione non solum e sepulcris pulveribusque suscitabuntur, sed et praestantissimis immortalitatis, agilitatis, claritatis subtilitatisque dotibus augebuntur.* Atque ita etiam duo Romanae ecclesiae cardinales, Bellarminus et Perronius; qui ex hoc ipso aliisque Irenaei locis datam explicationem confirmare annisus est, ex superiori scilicet pag. 310. col. 1. lin. 30. pag. 379. lin. 32. pag. 380. lin. 10 seqq. ubi futuram corporum nostrorum glorificationem nomine *augmenti* appellat. Sed huic glossemati ipsa, quae tractamus, verba adeo directe reclamant, ut, si Irenaeus prophetico spiritu eiusmodi detorsiones praevidisset, vix clarius iis obloqui potuisset. In *praesenti*

enim *tempore* ait paullo ante bis: *auget nostrum sanguinem, auget nostra corpora;* quasi de augmento perceptionem eucharistiae continuo sequente: et similiter hoc loco, *augetur*, *consistit*, et quidem *substantia* carnis nostrae. Contra dicti commentatores Irenaeum de *futuro* post resurrectionem augmento, neque *substantiae*, sed qualitatum carnis, ibi locutum commenti sunt. Nec quicquam valet argumentum Perronii, obiicientis ea, quae paullo post sequuntur, verba: *Quemadmodum lignum vitis depositum in terra suo fructificat tempore* etc. *sic et nostra corpora, ex ea* (eucharistia) *nutrita et reposita in terram — resurgent in suo tempore,* etc. Nam iis quidem de resurrectione ac immutatione corporum tanquam futura loquitur; attamen nutritionem eorundem per eucharistiam in praeterito, antequam ea terrae mandentur, factam supponit. *Nutritionem* vero Irenaeo hic nihil aliud significare, quam quod paullo ante dixerat, *ex iis carnis nostrae substantiam augeri atque consistere,* nemo nisi affectu occaecatus inficias ibit. Sed de *nutriendi* verbo itidem sequente pag. 398. not. 1. aliqua contra adversariorum detorsiones dicam. — *Πῶς δεκτικὴν μὴ εἶναι λέγουσι τὴν σάρκα τῆς δωρεᾶς τοῦ Θεοῦ* etc.] Tam constans et gravis interrogatio plus maiestatis et ponderis habere videtur, quam si absoluta et simplici affirmatione usus esset. Docet autem carnem nostram ideo capacem esse vitae caelestis ac aeternae, quod revera corpore et sanguine Christi foveatur. Ergo eucharistiae perceptione, non tantum animi cogitatione aut fidei illa de caelo apprehendentis ore, quemadmodum comminiscuntur Calviniani, sed reipsa et corporis ore substantialiter praesentia suscipiuntur et comeduntur etc. *Feuard.* Atqui prior quidem illationis pars recte se habet; posterior autem minime. Nam ore corporis carnem et sanguinem Domini in sacramento accipi, ac horum virtute corpora nostra olim resuscitanda esse, Irenaeus una cum aliis Patribus diserte docet; nec tamen ideo personale corpus et sanguinem substantialiter in altari adesse et a communicantibus suscipi statuit, uti *Feuardentio* videtur. Communicatam scilicet pani credebat vim vivificatricem carnis Christi, imo omnem divinam huius virtutem illi caelitus inditam statuebat, eam proinde rem caelestem eucharistiae pag. 327. lin. 12. appellans. Atque ob hanc quum panem carnem Domini vocaverit, virtute scilicet talem, uti deinde pluribus declarabo; ex isto sacramentali Christi corpore in corpora nostra demisso, vim vivificatricem emanantem perpetuo eis inhaerere, ac proinde illa ad vitam aeternam resurrectura persuasus erat. Sic et Cyrillus Alexandrinus saepius dicit, corpus Christi nostro corpori uniri idque immortale reddere. Ast haec sua verba alio quodam insigni loco declarat: qui quidem in operibus eius non reperitur, sed citatus legitur apud Victorem Antiochenum in Comment. Marc. 14. MS. in Bibliotheca Regis Galliae, Thomam de Aquino in Latina Catena Patrum in Lucae 22. nec non in Nicetae Catena Graeca in Matthaeum a Balth. Corderio edita, ita citato Victoris loco sonans: *Ἵνα μὴ ἀπονευρώσωμεν σάρκα τε καὶ αἷμα προκείμενα βλέποντες ἐν ἁγίαις τραπέζαις τῶν ἐκκλησιῶν, συγκαθιστάμενος ὡς θεὸς ταῖς ἡμετέραις ἀσθενείαις, ἐνίησι τοῖς προκειμένοις δύναμιν ζωῆς, καὶ μεθίστησιν αὐτὰ πρὸς ἐνέργειαν τῆς ἑαυτοῦ σαρ-*

κός, ἵνα εἰς μέθεξιν ζωοποιὸν ἔχωμεν αὐτὰ καὶ οἷον σπέρμα ζωοποιὸν ἐν ἡμῖν εὑρεθῇ τὸ σῶμα τῆς ζωῆς. *Ne horreremus carnem et sanguinem in sacris ecclesiarum mensis proposita videntes, condescendens quasi Deus nostris infirmitatibus, influit propositis* (pani et vino) *vim vitae, transferens ea in virtutem* (non *veritatem*, uti vitiose apud *Thomam* dicto loco legitur) *carnis suae, ut ad vim vivificatricem nobis communicandam ea accipiamus et corpus vitae velut semen vivificans in nobis reperiatur.* Addo solum verba Epiphanii in sermone compendioso de fide ecclesiae, quem etiam repetit in Anacephalaeosi, ubi de sacramento baptismi et eucharistiae loquens, distinguit inter virtutem aquae ac panis, et aquam atque panem ipsum, de hoc ita pronuntians: *Βρῶσις μὲν καὶ ἄρτος, ἡ δὲ δύναμις ἐν αὐτῷ εἰς ζωογόνησιν. Cibus quidem est et panis, sed virtus in eo est ad vivificationem. — Τὴν ἀπὸ τοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ Κυρίου τρεφομένην*] Interpres legit *τὴν ἀπὸ τοῦ αἵματος καὶ σώματος Χριστοῦ τρεφομένην.* Ceterum quum haec Irenaei propositio transsubstantiationi prorsus adversetur, si praedicatum proprio eoque genuino sensu accipiatur, hinc iterum varia excogitata videas effugia. *Feuardentius* num. 14. sequentia *Fischeri* episcopi Roffensis lib. IV. de eucharistia cap. 20. verba hanc in rem annotavit: *Alere multa dici possunt, quae minime tamen in carnem vertuntur, quam fovent. Aurum enim et margaritae gemmaeque pretiosae, quum in medicaminibus teruntur, multam asseruntur a medicis virtutem et fomentum praebere corpori, nec tamen ipsa vertuntur in substantiam corporis. Et pari modo, quid prohibet vivificatricem Christi carnem, illis, a quibus pie sumitur, potentissima quadam et ineffabili sua virtute praestare fomentum et modo quodam alere?* Verum primo precaria est assertio, quod *alere* vel *nutrire* nos dicantur ea, quae minime in substantiam carnis nostrae vertuntur, sed solummodo virtute quadam nos fovent aut recreant. Neque probatio, ab auro gemmisve pharmaco immixtis petita, est valida, donec testimonia medicorum vel aliorum proferantur, quibus nos auro gemmisve *nutriri* pronuntient, licet non in substantiam carnis nostrae vertantur, sed tantum eximia qualitate sua nos confortent. Inter Christianos sane Irenaei aevo eiusmodi loquendi consuetudinem haud obtinuisse, colligere est ex Athenagorae libro de Resurrectione pag. 45. edit. Paris. ubi ait, *πρόσληψιν εἰς οὐσίαν* ad nutritionem esse necessariam: *quam solam*, inquit, *si rerum vocabulis recte utaris, alimoniam vocaveris.* Et mox: *Alimoniam nemo ambiget cum corpore uniri, omnibusque illius et membris et articulis implicari et coalescere.* Lege, si placet, locum integrum. Accedit quod Irenaeus non generatim dicat, *nos carne et sanguine Domini ali*, sed *carnem* nostram, et quidem *nervis et ossibus constantem;* quam *ex poculo, quod est sanguis Christi, nutriri et ex pane, qui est corpus eius, augeri*, paullo post addit. Qualia praedicata pharmacis, quae in substantiam carnis haud verti aiunt, nuspiam adscripta reperies. Posito autem quod recte iisdem tribuerentur, Irenaei tamen verbis huiusmodi sensus contra eius mentem affingeretur; siquidem is optimus sui interpres de proprie dicta nutritione, qua alimentum in sanguinis carnisque

nostrae substantiam vertitur, se locutum planissime indicat, dum ait: *ἐκ τούτων δὲ αὔξει καὶ συνίσταται ἡ τῆς σαρκὸς ἡμῶν ὑπόστασις, ex his vero augetur et consistit carnis nostrae substantia;* quae verba praecedenti pag. 397. not. 4. ab adversariorum corruptela vindicavimus. Ceterum aliter ad hoc contra transsubstantiationem argumentum, a nutritione nostrae carnis per eucharistiam petitum, respondet *Nourrius* in citata de Irenaei scriptis Dissertatione pag. 698. Concedit nempe, quod *gloriosum et invisibile Christi corpus non possit ab hominibus reapse comedi et in eorum, sicut alii cibi, transmutari substantiam;* addit vero: *quum tamen in eucharistia sub panis et vini speciebus, tanquam sub velo et integumento contineatur, quicquid illis accidit, id etiam corpori Christi accidere saepe saepius dicitur.* Esset aliquid dictum, si ex accidentibus panis et vini caro nostra nutriretur eiusque substantia ex illis augeretur et consisteret. Sed nisi hoc verum esse probetur, nihil ad rem dicitur. Unde vero hoc probare, vel saltem probabile reddere poterit vir clarissimus, quod ipso sono absurdum videtur et tale omnibus philosophis, non modo gentilibus, sed et christianis visum est? Tres solum ex his allegabo. Gregorius Nyssenus lib. de Vita Mosis ait: *πῶς ἂν σώματι τροφὴ γένοιτο τὸ ἀσώματον; Quomodo res incorporea corpori cibus foret?* Nemesius lib. de Anima cap. 2. *οὐδὲν σῶμα ὑπὸ ἀσωμάτου τρέφεται. Nullum corpus ex incorporeo* (qualia sunt accidentia) *alitur.* Boëthius denique in Praedicamentis disertissime: *Ut accidens in substantiae naturam transeat, fieri nullo modo potest.* Neque igitur accidentia panis et vini in substantiam corporis et sanguinis nostri transire eamque augere possunt; quod tamen de eucharistico *pane, qui est corpus Christi,* et de *poculo, quod est sanguis eius,* expresse asserit Irenaeus. — *Καὶ μέλος αὐτοῦ ὑπάρχουσαν*] Ex eo quod membra Christi sumus, resurrectionem corporum colligit Irenaeus, qui et infra pag. 408. col. 2. lin. 6 seqq. scribit: *Membra Christi non participare salutem, sed in perditionem redigi dicere, quomodo non maximae est blasphemiae?* — *Ἐκ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, καὶ ἐκ τῶν ὀστέων αὐτοῦ*] Haec quum utraque citatio et vetus etiam versio Irenaei agnoscat, plurimum inde confirmantur, ideoque merito reiicitur annotatio Grotii ad Ephes. V. 30. suspicantis, verba ista, quod in MS. Alexandrino haud exstent, a quopiam ad marginem adscripta, in textum apostolicum irrepsisse. Imo potius in dicto codice et versione Aethiopica, occasione recurrentis ultimae vocis *αὐτοῦ,* omissa videntur. Ceterum quod sensum apostolicorum verborum attinet, an eum recte attigerit Irenaeus, dubitat *Fischerus* episcopus Roffensis, apud *Feuard.* not. 15. Merito sane, si Christi corpus substantialiter in eucharistia ederetur: ex eo enim substantiam carnis nostrae, nervis et ossibus consistentem, nutriri, quod Irenaeus inde infert, s. Paulus haud docuit. Quanam igitur ratione, inquies, ex sententia Irenaei in respectu ad s. eucharistiae perceptionem scripsit apostolus, nos esse *carnem de carne eius et os de ossibus eius?* Id quidem ex ante dictis satis patet; dicam tamen iterum verbis Albertini lib. II. de Eucharistia pag. 313. col. 2. *Bono sensu dici potest, corpora nostra per eucharistiam fieri carnem de carne Christi. Nam quum*

eucharistia, quae est secundum quendam modum corpus et sanguis Christi, ut loquitur Augustinus, constet ex duabus rebus, elementis panis et vini, et virtute Spiritus, qui est unionis carnis nostrae cum carne Christi fibula, percipiendoque eucharistiam hanc virtutem recipiamus ex Irenaei mente, convenienter dici potest, corpora nostra per eucharistiam carnem fieri de carne Christi; quemadmodum scilicet coniugem *carnem* mariti et ambos *in una carne esse* eodem loco docet apostolus, quoniam in concubitu coniux de spiritu et essentia carnis mariti recipit. Atque hoc inter alia pertinet ad *μυστήριον τὸ μέγα εἰς Χριστὸν καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν, sacramentum magnum in Christo et in ecclesia,* quod apostolus ibidem vers. 32. extollit. Omnem enim hominis captum transcendit, quomodo Spiritus ac virtus divina in corpore Christi residens, per tot mille distincta loca consecratis sacramentalibus symbolis et per ea corporibus ac mentibus fidelium se infundat; ita ut idcirco et illa et haec corpus Christi sint et esse dicantur. Ceterum post Irenaeum Ioannes Chrysostomus ipsa apostoli verba de eucharistia explicavit Homil. XX. in Epist. ad Ephesios, inter alia scribens: *Τί ἐστιν ἐκ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ; τουτέστι γνησίως ἐξ αὐτοῦ. — Καὶ πῶς ἐκ τῆς σαρκός; ἴστε ὅσοι μετέχετε μυστηρίων. Quid est ex carne eius? hoc est, vere ex ipso. — Et quomodo ex carne? Scitis quicunque estis participes mysteriorum. — Οὐ περὶ πνευματικοῦ — ἀλλὰ περὶ τῆς κατὰ τὸν ἀληθινὸν ἄνθρωπον οἰκονομίας*] Haec de Christi vera, non imaginaria, carne explicat *Fischerus,* a *Feuard.* not. 15. allegatus. Sed de nostra carne Irenaeum loqui, tam scopus integri textus, quo resurrectio nostrae carnis probatur et sequentia verba, *quae de calice, qui est sanguis eius, nutritur,* quam parallela inferius pag. 408. col. 1. lin. 10. seqq. plane ostendunt. — *Τὸ ἐστι τὸ αἷμα αὐτοῦ — ὅ ἐστι τὸ σῶμα αὐτοῦ*] Idem et aliis in locis, praecedenti pag. 396. not. 3. indicatis docet, imo Servatorem docuisse tradit Irenaeus, ac ante ipsum Iustinus m. Apolog. I. pro Christianis pag. 129. seqq. nostrae editionis, haec prorsus consona huic Irenaei loco pronuntians: *Τὴν δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφήν, ἐξ ἧς αἷμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν, ἐκείνου τοῦ σαρκοποιηθέντος Ἰησοῦ καὶ σάρκα καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶναι. Eam, in qua per orationem Verbi ab ipso profecti gratiae sunt actae, alimoniam, ex qua sanguis et carnes nostrae per mutationem nutriuntur, incarnati illius Iesu et carnem et sanguinem esse edocti sumus;* ab ipso scilicet Servatore, cuius verba in ipsa institutione s. eucharistiae prolata ex sacris evangeliis continuo subiungit Iustinus. Sed et utroque antiquior s. Ignatius martyr idem affirmat, dum haereticos negantes reprehendit, ita de iis scribens in Epist. ad Smyrnaeos: *Εὐχαριστίας καὶ προσευχῆς ἀπέχονται, διὰ τὸ μὴ ὁμολογεῖν τὴν εὐχαριστίαν σάρκα εἶναι τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τὴν ὑπὲρ ἁμαρτιῶν ἡμῶν παθοῦσαν, ἣν τῇ χρηστότητι ὁ πατὴρ ἤγειρεν. Ab eucharistia et oratione* (in consecratione sacramenti adhiberi solita) *abstinent, eo quod non confiteantur eucharistiam esse carnem Servatoris nostri Iesu Christi, pro peccatis nostris passam, quam benignitate sua Pater excitavit.* Quae verba iam pridem allegata sunt

a Theodoreto Dial. III. in nullo discrepantia, nisi quod loco *προσευχῆς ἀπέχονται* habeat *προσφορὰς οὐκ ἀποδέχονται.* Quo sensu autem hi sancti Patres panem et vinum consecratum esse corpus et sanguinem Domini docuerint, in notis ad Iustini locum modo citatum exposui et iam paullo prolixius edisseram, quod istud nosse multum nostra referat. In sacris dicitur aliquando una res esse altera, quod eundem spiritum habeat ac eadem virtute polleat, licet quoad ipsam substantiam sive materiam differat. Sic Christus de s. Ioanne baptista ait Matth. XI. 14. *Ipse est Helias, qui venturus est.* Qua ratione? *non utique proprietate personae, sed spiritu et virtute,* uti bene post plures alios explicat Rupertus Tuitiensis lib. IX. Comment. in Matthaeum, respiciens ad verba angeli de s. Ioanne Luc. I. 17. *Αὐτὸς προελεύσεται ἐνώπιον αὐτοῦ ἐν πνεύματι καὶ δυνάμει Ἠλίου.* Ita quoque, ut propius ad rem nostram accedamus, apostolus 1. Corinth. XII. 27. scribit: *Vos estis corpus Christi.* Et eiusdem Epist. cap. VI. vers. 15. *An nescitis quod corpora vestra membra sint Christi?* Atqui quo sensu hoc dixerit, mox sequenti vers. 19. indicat his verbis: *An nescitis, quod corpus vestrum sit templum Spiritus sancti?* Quemadmodum igitur fideles dicuntur corpus Christi et corpora eorum membra Christi, quod in iis idem Spiritus et eadem, quae in corpore illius residet, divina gratia, licet non secundum eandem mensuram, habitet; ita et panem atque vinum post consecrationem corpus et sanguinem Christi dici et esse semper credidit ecclesia, firmiter persuasa, Spiritum s. et omnem divinam gratiam ac virtutem, quibus caro et sanguis Christi abundat, non immediate in animam fidelium communicantium (quae Calvini et sequacium eius est opinio), sed in ipsa sacramentalia symbola caelitus descendere eaque tota sanctificare, ac per ipsa omnes digne iis vescentes. Unde Origenes lib. VIII. contra Celsum pag. 399. oblatos panes dicit *σῶμα γενομένους διὰ τὴν εὐχὴν ἅγιόν τι, per precationem sanctum quoddam corpus factos et sanctificans utentes eo cum bono proposito.* Imo inde latina *consecrationis* et graeca *ἁγιασμοῦ* appellatio orta: qua non modo separatio panis et vini ad sacrum usum, quae per solam cuiuslibet ministri ad sacrum altare appositionem fit, sed ipsa eorum per Spiritum Dei sanctificatio, quae sacerdotis prece impetratur, semper denotata fuit. Atque hanc quoque Irenaei nostri mentem fuisse aperte indicat supra pag. 328. col. 1. lin. 2. indeque pag. 327. lin. 11. *Eucharistiam,* id est, eucharistica symbola consecrata, *duabus rebus constare* docet, *terrena,* panis scilicet substantia, et *caelesti,* id est, gratia et virtute Spiritus s. e corpore Christi in illam descendente, ut ibidem annotavi. Neque enim voce *συνεστηκυῖα* usus fuisset, nisi ambas istas res intime iunctas et in unum corpus unitas existimasset. Neque *nostram carnem carne Christi vesci ali* etc. commode dicere indeque illam huius virtute resurrecturam probare potuisset, nisi panem consecratum, quo corporaliter *vescimur, alimur* etc. virtute carnis Christi praeditum, sicque reapse carnem Christi esse credidisset. Unde Calvini sectatores, qui cum isto quidem symbolo corpus Christi seu virtutem eius fide accipi, non autem ipsum dicto modo realiter esse opinantur, nusquam talia proferentes audias vel

legas. Verissime igitur reverendus admodum episcopus Sarisburiensis in Expositione Artic. 28. Ecclesiae Anglicanae pag. 334. ait: *Non est negandum, antiquissimis temporibus Iustinum atque Irenaeum talem sacramentalium elementorum sanctificationem credidisse, qua virtus aliqua divina iis inesset.* Quin ipsi, contra quos Irenaeus disputat, haeretici, tam Valentiniani, quam Marcionitae idem crediderunt. De illis fidem faciunt Excerpta Clementis Alexandrini ex Theodoti Valentiniani Scriptis et Orientali Didascalia, sic sonantia p. 800. col. 2. *Καὶ ὁ ἄρτος καὶ τὸ ἔλαιον ἁγιάζεται τῇ δυνάμει τοῦ ὀνόματος* (pro quo vocem *πνεύματος* reponendam coniicit Albertinus lib. II. de eucharistia pag. 320. col. 2.) *οὐ τὰ αὐτὰ ὄντα κατὰ τὸ φαινόμενον, οἷα ἐλήφθη, ἀλλὰ δυνάμει εἰς δύναμιν πνευματικὴν μεταβέβληται. Et panis et oleum* (in confirmatione scilicet adhibitum) *sanctificantur virtute nominis* (Spiritus), *nec eadem sunt, ut videri posset, qualia prius accepta sunt, sed virtute in vim spiritualem sunt transmutata.* De his idem colligo ex Origenis Dialog. Sect. 2. pag. 53. ubi Marcionita de Spiritu s. ait: *ἐπὶ τῆς εὐχαριστίας ἔρχεται, super eucharistiam venit.* Respicit nimirum formulam consecrationis, de qua proxime sequenti pagina aliqua annotabo. Quaenam igitur Irenaei nec non haereticorum eius aevi sententia fuerit, ex iis, quae hac et praecedentibus annotationibus edisserui, satis clare patet, ac certissime constat, illum haud minus, quam dictum est, de tremendo eucharistiae mysterio credidisse. Ulterius vero progressum Irenaeum, ac eidem, quam Cyrillus Hierosolymitanus, Gregorius Nyssenus, Ioannes Damascenus aliique fortasse plures tenuere, sententiae addictum fuisse, non puto. Hi quippe persuasi erant, Spiritum s. caelitus descendentem pani non modo virtutem corporis Christi communicare, sicque eundem ratione qualitatum mutare, sed et divina potentia ipsam eius substantiam in carnem transformare, quae Christi caro sit et cum illa, quae ex b. Virginis utero prodiit, ac cruci suffixa indeque in caelum sublata fuit, eadem fiat per *ἐπαύξησιν*, quodque eundem Spiritum vitae in se habeat; sicuti panis, quem Servator in terris comedit, vi naturalis caloris in carnem eius vertebatur et noster panis quotidianus in substantiam corporis nostri transit: quod corpus hodie a nobis gestatum idem dicitur cum illo, in quo ante plures annos versati sumus; quoniam eâdem animâ vegetatur, licet particulae eius prorsus sint diversae et nulla forte ex prioribus superstes exsistat. Lege post Cyrilli Catechesin IV. Mystagogicam, Gregorii Nysseni Orat. Catecheticam magnam cap. 37. et Damasceni lib. IV. de Orthodoxa Fide cap. 14. eiusque Epistolam ad Zachariam Doarorum episcopum. Ioannis Damasceni verba, eaque Latine versa solum, brevitatis caussa dabo: *Quemadmodum naturaliter panis per cibum et vinum et aqua per potum in comedentis ac bibentis corpus et sanguinem immutantur, nec corpus alterum fiunt atque a priore ipsius corpore diversum; sic propositionis panis ac vinum et aqua per sancti Spiritus invocationem et adventum mirabili modo in Christi corpus et sanguinem vertuntur, nec sunt duo, sed unum et idem.* Rursus in Epist. ad Zachariam episcopum: *Hoc Dilectioni Tuae significamus, duo Christi corpora nos dicere non posse,*

sed unum est ipsius corpus. Et sicut infans ex muliere natus, perfectus est, edens autem et bibens augescit naturali facultate et licet augescat, non tamen duo efficiuntur corpora, sed unum est: multo magis superventu Spiritus sancti panis et vinum in superaugmentationem εἰς ἐπαύξησιν corporis Christi unum fit corpus et non duo. Atque ita et in capitulo dictae epistolae suffixo hac de re loquitur. Istam igitur sententiam Irenaei fuisse haud existimo, quod quaedam transsubstantiationi panis in totum personale et glorificatum Christi corpus, caelitus in altare descendens, qualem Romana ecclesia credit, supra pag. 327 seq. opposita et alteram substantialem mutationem, licet a priori multum diversam, excludere videantur, quodque in nullius Irenaeo coaevi aut Nicaeno concilio antiquioris Patris monumentis aperte tradita legatur: sicuti nec postea universaliter in ecclesia fuit recepta; sed ab aliis Patribus, praesertim Africanis, contrarium assertum patet, prout theologi Protestantium abunde probarunt. — *Κλιθέν*] Nescio an *τεθὲν* legerit Interpres, sicuti pag. seq. lin. 6. *τεθέντα εἰς τὴν γῆν.* — *Τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ τοῦ συνέχοντος τὰ πάντα*] Nisi fallor, respexit ad Sapientiae I. 7. — *Προσλαμβανόμενα τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ*] Tam per *Verbum Dei* hoc loco, quam per *invocationem Dei,* cui supra pag. 327. consecratio eucharisticorum elementorum adscribitur, verba Christi: *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus,* quatenus nunc a sacerdotibus pronuntiantur, cum *Fischero* episcopo Roffensi *Feuardentius* et alii Romanae ecclesiae doctores intelligunt. Ast *λόγος Θεοῦ* hìc dici videtur divina potentia ac virtus s. Spiritus, quae est principalis, non instrumentalis, consecrationis eucharisticae caussa; sicut tam ex praecedenti, quam sequenti huius periodi commate ac altero comparationis hìc factae membro colligitur. De grano quippe frumenti, ex quo fit panis, ad s. eucharistiae usum adhibendus, praecedit: *πολλοστὸς ἐγέρθη διὰ τοῦ πνεύματος,* etc. Similiter de nostris corporibus eucharistico pane nutritis sequitur, *τοῦ λόγου τοῦ Θεοῦ τὴν ἔγερσιν αὐτοῖς χαριζομένου.* Vix etiam *λόγον τοῦ Θεοῦ,* sed *Χριστοῦ* potius dixisset Irenaeus, verba quaedam a Christo in prima eucharistiae institutione prolata indigitaturus. Sed etsi haec quoque hoc loco designasset, is tamen *λόγος* foret intelligendus, quem Servator in consecratione fudit, *εὐχαριστήσας καὶ εὐλογήσας,* non pauca illa verba, quae pronuntiavit, quum elementa iam consecrata discipulis traderet, iis indicans, qualia ea per consecrationem sint facta, nempe mysticum eius corpus et sanguis. Denique posito, quod istis Christi verbis: *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus,* a sacerdote recitatis, panem et vinum consecrari hoc loco docuisset Irenaeus, non tamen inde sequeretur, quod auctores ante dicti volunt, consecrationem sola illorum Servatoris verborum recitatione absolvi. Altero quippe loco consecrationem diserte *ἔκκλησιν* (*ἐπίκλησιν*) *Θεοῦ, invocationem Dei* appellat Irenaeus. Atqui per hanc non recitationem dictorum Christi verborum, sed orationem ad Deum directam, sive preces quaspiam intelligendas esse, ipsa haec phrasis et parallela aliorum Patrum loca plane ostendunt; ex quibus etiam patet, *ἐπίκλησιν* potius quam *ἔκκλησιν* in Irenaeo legi debere. Sic Basilius M. lib. de Spiritu S. cap. 27. Tom. 2. pag. 351. inter

traditiones apostolicas non scriptas refert *τὰ τῆς ἐπικλήσεως ῥήματα, invocationis verba, quum conficitur panis eucharistiae et poculum benedictionis.* Ast illa Christi verba: *Hoc est corpus meum,* utique ab apostolo Paulo et tribus evangelistis scripto tradita leguntur; nec invocationis, sed indicativae enuntiationis sunt verba. Et, ut plures alios taceam, Cyrillus Hieros. quoque, ubi Catech. I. Mystag. p. 229. simpliciter dixerat, *ἐπικλήσεως γενομένης, panem Christi corpus fieri;* deinde Catech. III. pag. 235. *τὴν ἐπίκλησιν τοῦ ἁγίου πνεύματος* appellat et Catech. V. pag. 241. semet clarius explicat his verbis: *Deum benignissimum oramus, ut super illa proposita sanctum Spiritum emittat, ut panem quidem faciat corpus Christi, vinum vero sanguinem Christi.* Quae precatio in omnibus primaevis liturgiis reperitur; neque solum a Catholicis, sed et antiquissimis haereticis recepta fuit, ut ex Clementis Alex. et Origenis testimoniis praeced. pag. 399. not. 1. citatis liquet: indeque firmiter colligere est, eam recte inter traditiones apostolicas a Basilio loco citato numeratam esse. Imo ad hanc ipsum apostolum Paulum Rom. XV. 16. ubi quinque liturgicae voces iunctim occurrunt, allusisse, iam ad Iustini M. Apolog. I. pag. 227. col. 1. annotavi. Per istam itaque *invocationem Dei* eucharistiam consecrari, cum reliquis Patribus statuit Irenaeus.

MASSUETUS: *Si autem non salvetur haec*] Ita antiquiores et melioris notae codd. tres, scilicet vetus Feuard. Clar. et Voss. Alii omnes habent: *sic autem secundum haec:* nisi quod Ottobonianus interserat *nos* ante *secundum.* Sed, quidquid dicat clariss. Grabius, prior lectio praeferenda. Duo enim in hoc capite probanda sibi suscipit Irenaeus contra haereticos; alterum, Christum *vere redemisse nos sanguine suo,* ac proinde *vere hominem factum esse;* alterum, resurrecturam esse carnem nostram, *eamque capacem esse incorruptibilitatis.* Utrumque vero demonstrat, prius quidem sigillatim ex apostoli verbis; tum utrumque simul ex communi et recepta, non apud omnes Catholicos modo, sed et apud eos, quos incessebat, haereticos, sententia, eucharistiam verum esse ac substantiale Christi corpus, verum ac substantialem ipsius sanguinem: necdum enim nata, quae posterius aevum finxit, vana illa figurarum ac merorum signorum commenta. Si enim, ait auctor noster, nec resurrectura sit caro, nec Dominus sanguine suo nos redemerit; hinc consequitur, *neque calicem eucharistiae communicationem sanguinis eius esse, neque panem quem frangimus, communicationem corporis eius esse.* Sanguis siquidem esse non potest, nisi a venis et carnibus et a reliqua humana substantia. Si ergo vera non fuerit Christi viventis humana substantia, nec vero ac substantiali sanguine nos redemerit, sed vanam carnis aut sanguinis imaginem oculis ac sensibus obiecerit; nec verum ac substantiale corpus, verum ac substantialem sanguinem in eucharistia porrigere nobis potest. Atqui tamen in eucharistia vero ac substantiali Christi corpore ac sanguine refici nos ac potari, Christo ipso docente ac confirmante, constat: his corpora nostra nutriuntur, augentur ac consistunt: membra quippe Christi quum simus, idcirco noluit esse sui sanguinis expertia. Qui ergo corpora ipsiusmet vitae, Christi videlicet, carne ac sanguine nutrita, eiusque membra, aeternum dissolvi possunt, nec in suo tempore p. 717.

resurgere? Et quî etiam Christus vana carnis umbra hominum sensus lŭdificari, evanidoque sanguinis phantasmate, Patri moriens redemtionis nostrae pretium persolvere potuit, cuius veram ac substantialem carnem, verum ac substantialem sanguinem exhibet eucharistiae sacramentum; et cuius membra sumus nos veri homines, quibus vitam et motum impertit sanguis eius eucharisticus? Haec Irenaei argumentatio est: qua lectionis nostrae veritas confirmatur. Molestissima quidem Calvinianis haec argumentatio: unde nihil mirum si vires omnes colligat nuperus Irenaei editor, omnemque industriam atque operam huc conferat, ut vim illius infringat. Sed vanos Anglorum proselyti conatus in Dissert. III. nostra refutavimus, ubi luce clarius ŏstendimus, nisi ita argumentetur ss. antistes, omnium insulsissimam argumentationem eius esse, eaque non modo non labefactari, sed immo confirmari haereticorum, quos refellebat, sententiam.

CAP. III.

p.722. FEUARDENTIUS: *Quoniam sumsit Deum*] Eodem pacto Tertullianus libro de resurrectione carnis: *Idoneus est,* scribit, *reficere carnem qui fecit: quanto plus est fecisse, quam refecisse: initium dedisse, quam reddidisse. Ita restitutionem carnis faciliorem credas institutione.* Similia rursus idem tradit cap. 45. Apolog. quibus adstipulatur Athenagoras libello de resurrectione carnis. Ornate et copiose prae ceteris Clemens Rom. lib. 5. Const. Apost. cap. 8. et Cyrillus Hiero-
p.724. solymit. Catech. 18. — *Quae iam meditata et assueta sit*] Id est, quae se in eo exercuerit et assuefecerit. Nam *μελετῆσαι* est meditari et exerceri, sive praeparari ad aliquid: unde *μελέτας* declamationes et exercitationes rhetorum appellant. Fortasse scripsit Irenaeus *μεμελετημένη καὶ εἰθισμένη,* exercitata et assuefacta. Expunximus *assue-*
p.725. *scit* et ex veteri codice reposuimus *assueta sit.* — *Quoniam autem participatrix vitae*] Quaedam hoc loco adiicit vet. cod. quae textui inserere noluimus: quoniam plenum sensum non reddant, sed alia desiderare videantur, et ea sunt: *Quoniam autem participatrix vitae sit caro, ex hoc quod iuvat ostenditur, rei vitam manifestum est. Illo enim praestante vitam nobis vivimus* etc.

p.721. GRABIUS: *Virtus in infirmitate*] Ita Interpres vel scriba posuit iuxta Italicam versionem, in qua non legebatur *mea,* ut ex Tertulliano, Cypriano aliisque colligitur; sicut nec moderna latina Vulgata habet. Sed Irenaeum graece *ἡ δύναμίς μου* in apostolico Codice legisse, inque suo hîc scripsisse colligitur ex anteced. cap. 2., ubi ait: *δύναμις τοῦ Θεοῦ ἐν ἀσθενείᾳ τελειοῦται, virtus Dei in infirmitate perficitur;* et ex huius ipsius capitis progressu pag. proxime sequente. — *Ὅτι δυνατός ἐστιν*] Omnipotentiam Dei velut fundamenti loco in probanda carnis resurrectione substernit Irenaeus, quod et Iustinus m. fecit in Tractatu de Resurrect. carn. T. I. Spicilegii Patrum saec. II. p. 162.

CAP. IV.

p.725. FEUARDENTIUS: *Per prophetas*[Notissimae et certissimae sunt prophetiae de carnis resurrectione in libro Iob. cap. 19. v. 25. et 26. Item Ezechielis 37. v. 3. 4. etc. Danielis 12. 2. Esaiae 26. 19. ex qui-

bus Tertullianus, Ambrosius, Cyrillus et alii, post Irenaeum futuram generalemque nostrum omnium resurrectionem adversus hostes eius confirmant.

CAP. V.

FEUARDENTIUS: *Legant Scripturas*] Genesis 5. capite Adam p. 726. 930, Seth 912, Enos 905, Cainan 910, Malaleel 895, Mathusala 969 annis vixisse referuntur. Augustinus 15. de Civitate cap. 12. nullo modo audiendos censet, qui putant aliter annos illos illis temporibus computatos, i. e. tantae brevitatis, ut unus annus noster decem illorum habuisse credatur. Irenaeus quoque idem pro certo habet, alias nullum inde traheret argumentum. Verum quia multi hoc tam breve vivere nostrum secum reputantes, et Scripturae auctoritatem convellere non audentes, annos illos non solis circuitu, sed lunae senio confici putarunt, ut pro annis menses habeantur: Varronem quoque Romanorum doctissimum, atque Plinium, incertum, fabulosum, aut id etiam impossibile existimasse, quod fertur de tanta priscorum vivacitate totque annorum saeculis, compertum habeam; idcirco rem istam paullo accuratius excutere non erit iniucundum. Ac in primis non video, cur primigeniorum hominum vitam tantopere miremur, quum nostra diuturnior sit, si lunae menstruis, et non solis periodo annos illorum metiamur; quandoquidem si qui nostrum ad 100. pervenit annum, tum illum 1200 lunares annos vivere certum est, quod nulli umquam veterum datum fuit. Ad haec, Iosephus lib. I. Antiq. rationes non contemnendas reddit, cur illi in tot saecula vitae suae tempora prorogare potuerint. Illi nimirum Deo amici, et ab ipso prorsus producti, et integriore utentes alimento: praeterea etiam virtutis gratia, ut et res posteris perutiles invenirent et traderent, ob id non iniuria multis annorum chiliadibus vixisse putandi sunt. Aut ut ethnicis os obstruamus, qui hac in re Scripturis divinis fidem non habent; ex illorum auctoribus producamus nonnullos, quos longissimam vitam vixisse negare non poterunt. Plinius ipse (lib. 7. cap. 48. et Valerius Max. lib. 8. c. 13.) Valerio Corvino et Metello centum annos tribuit; Terentiae Ciceronis CXVII, Arganthonio Regi CL, Cynirae CLX, Aegimio CC, Pictoreo CCC, Dandoni D, alteri ex Xenophontis auctoritate DCCC. Lucianus libello, cui titulus est *περὶ μακροβίων*, i. e. de iis qui ad longaevam aetatem pervenerunt, Tiresiam vatem ad sex usque aetates, Nestorem ad tres vitam produxisse scribit; Numam Pompilium et Servium Tullium octoginta, Tarquinium nonaginta, Agathoclem et Hieronem 92, Cyrum 100, Mnascirem 69, Manomem 115, Democritum 104, Xenophilum 105, Solonem, Thaletem, Pittachum 100, Ctesibium 124 annos vel attigisse vel superasse, et quam plurimos alios macrobios asseverat et dinumerat, Homero, Herodoto, Anacreonte et multis aliis laudatis auctoribus. Valerius Maximus Aethiopes Indosque 130 annos transgredi, Epirotas quosdam 200 explere, et Litorium quendam trecentesimum cumulasse testis est. Quid igitur de nostris garriunt, quos e Scripturis nongentos attigisse docemus? Concedant saltem homini, cui uni, ut scribit Plinius (lib. 8. cap. 14.), immensa vivendi cupido, quod cornicibus et cervis non denegant.

Cornices novem saecula vivere posse concedunt Hesiodus, Virgilius, Ovidius, Martialis. Hesiodi versiculum de cervis Virgilius interpretatur:

Et quater egreditur cornicis saecula cervus.

Satyricus etiam poëta:

Iam iuvenem torquet longa et cervina senectus.

p 727. Sed de his pro occasione satis. — *Enoch placens Deo*] Hunc Irenaei locum sic exprimit Tertullianus (lib. de Resurr. carnis): *Quod hodie Enoch et Helias nondum resurrectione dispuncti, quia nec morte functi, qua tantum de orbe translati, et hoc ipso iam aeternitatis candidati ab omni vitio et ab omni damno et ab omni iniuria et contumelia immunitatem carnis ediscunt: cuinam fidei testimonium signant, nisi quia credi oportet, haec futurae integritatis esse documenta?* Epiphanius quoque in Ancorato vocat Enochum et Heliam duos primogenitos nostrae resurrectionis: et illum quidem in praeputio et coniugali contumelia, hunc autem in circumcisione et virginitate, quibus subscribit Augustinus 15. de Civitate Dei capite 19. Clementis Romani verba sunt, libro 5. Constitutt. capite 8: *Si voluisset Deus homines immortales manere, quod hoc facere potuit, ostendit in Enoch et Helia, quos mortem experiri non permisit.* — *Illuc translatos esse*] Disputationem de loco, in quem Deus transtulerit, et hucusque viventes conservarit Enochum et Heliam, Augustinus iudicavit ad fidem non pertinere, lib. 2. de peccato originali cap. 23. At quum hîc Irenaeus doceat apostolorum discipulos et auditores, illos in paradisum terrestrem, ubicunque ille sit, translatos fuisse, indeque qui adversus Antichristum praelientur, venturos; cui sententiae omnes fere graeci et latini Patres adstipulantur: mihi parum tutum videtur aliter nunc sentire. Patrum nomina locosque, in quibus id legimus, praeter eos, quos in cap. 30. libri quarti adduximus, hîc signare in gratiam studiosorum e re est. Nicodemus hist. de Resurrectione Domini. Isidorus de vita et obitu sanctorum. Hippolytus martyr orat. de Antichristo. Ambrosius in cap. 4. Roman. Athanasius lib. Quod Nicaena Synodus etc. Gregorius in 18. cap. Iob. et hom. 12. in Ezechiel. Hieronymus epist. ad Pammachium adversus errores Ioan. Hieros. Damascenus lib. 4. cap. 28. Iustinus martyr quaest. 85. ad Orthod. Arethas Cappadox in 11. cap. Apocal. Procopius Gazaeus in 4. Genes. Plures alios legendo notes licet. — *Ananias etiam*] Eadem habet Tertullianus (lib. de Resurr. carnis) hisce verbis: *Corporum a resurrectione futurae integritatis documenta fuerunt vestimenta et calciamenta filiorum Israelis indetrita quadraginta annis; et quod Babylonii ignes trium fratrum nec tiaras nec sarabara laeserunt, quod Ionas incolumis exspuitur.* Et Clemens Rom. lib. 5. Constit. cap. 8. *Qui Ionam post tertium diem vivum incolumemque de ventre ceti eduxit, et tres pueros Babylonico camino eripuit: is quoque nos poterit a morte excitare.* — *Et inopinata et impossibilia naturae*] Admodum recte sancteque pronuntiat de immensa et incomprehensibili Dei potentia, qua res non solum omnem vim creatam exsuperantes, sed et humano iudicio incomprehensibiles et impossibiles nullo labore perficiat, ut camini Babylonici diligenter expensa historia palam manifestat. Nam idem ignis simul et semel summo ardore ferrea vin

cula sanctorum liquefecit Chaldaeosque satellites absumsit; sanctos vero ipsos instar roris et venti suaviter flantis refrigeravit, nec vestis aut capitis pilum levissimum attigit. Potuisset addere ferrum securis simul levitate innatans, et ferri gravitatem retinens. Item, aquas maris rubri simul instar muri assurgentes et rigentes, quum tamen simul natura graves essent et liquidae. Sed ad alia properans, tantum subiicit: Deum eorum quae fecit legibus non esse subiectum, sed e contrario, cunctas res conditas, una cum legibus suis subditas esse voluntati eius. Denique hoc manifestissimo et certissimo a Filio Dei nobis dato primo principio: *Quae impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum,* contentus, propositam de resurrectione disputationem persequitur.

CAP. VI.

FEUARDENTIUS: *Id est, per Filium et Spiritum sanctum*] p.730. Quando sic Spiritum sanctum connectit Patri et Filio in hominis creatione, uti et paullo superius docuit ad illum quoque pertinere haec verba: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram: clarum et certum est, quod et ipsum natura Deum, Patri et Filio coaeternum et consubstantialem profiteatur: ut et alibi adversus Centuriatorum sycophantias signavimus. — *Quae est plasmata secundum imaginem Dei*] Videtur imaginem Dei in carne constituere, quod Augustinus improbat lib. 12. de Trinit. cap. 7. et lib. 6. de Gen. ad litt. cap. 12. Idem rursus lib. de haeresibus, post Philastrium eam opinionem inter haereses annumerat. Cassianus quoque Collat. 10. Anthropomorphitas Deum ideo corporeum dixisse scribit, quod iuxta corpus, hominem ad imaginem suam fecisset. Absit autem ut haec Irenaei verba ullum errorem continere dicamus, quandoquidem imaginis nomine formam in caelum erectam, vitam immortalem, aliaque non exigua dona corpori ipsi a Deo collata intelligit, quibus animi facultates internae indicabantur, et Creatoris potentia, sapientia bonitasque referebantur; quae etiam Augustinus ipse nunc similitudinem Dei, nunc vestigia nominat lib. 1. de Gen. cap. 16. et lib. 6. cap. 12. — *Propter effusionem Spiritus*] His agnoscit primum hominem conditum fuisse cum excellenti et copiosa donorum Spiritus sancti effusione, utpote iustitia originali, rerum omnium scientia, summa animi rectitudine, posse non peccare et non mori, aliisque divinis charismatibus et virtutibus, in quibus maxime consistebat illa similitudo Dei, quae peccato amissa est. Non autem imago, quae ad naturae facultates attinet, quemadmodum contestantur Basilius Hom. 10. Hexam., Hieron. in cap. 28. Ezechielis, Chrysost. Hom. 9. in Gen. — *Et hic est qui secundum*] Hic manifeste constitutam esse agnoscit imaginem Dei in spiritu hominis, non in carne: quapropter ex ista sententia, illa prior quam observabamus emollienda et interpretanda est. — *Imaginem quidem habens*] Aperte distinguit inter imaginem et similitudinem Dei, quemadmodum et Scholastici recte definiunt illam consistere in naturalibus, id est, tribus animae facultatibus: istam vero in donis gratuitis et supernaturalibus. — *Commixtio autem et unio*] p.731. Eodem pacto Iustinus martyr initio lib. de Trinitate et Athenagoras

lib. de Resurrectione describunt hominem; sed apertiora sunt Tertulliani verba: *Vocabulum: homo, consertarum duarum substantiarum quodammodo fibula est, sub quo non possunt esse nisi cohaerentes,*
p.732. lib. de Resurr. carnis. — *Templum igitur Dei*] Haec Irenaei pro asserenda corporum nostrorum resurrectione argumenta aliquanto fusius et clarius pertractat Cyrillus Hierosol. Catechesi 4. usumque illorum his verbis tandem ostendit: *Patre itaque corpori, tanquam templo Spiritus sancti. Non foedes in fornicationibus carnem, ne polluas stolam pulcherrimam, quod si polluisti, ablue per poenitentiam* etc. *Custodi corpus Domino mundum, ut et Dominus respiciat corpus* etc. *Modeste ut tractes corpus, hoc te moneo, et cognosce quod cum corpore resurges ad iudicium* etc.

p.730. GRABIUS: *Suo plasmate*] Id est *carne.* Nam mox sequitur: *carne quae est plasmata secundum imaginem Dei;* et sic deinceps saepius. — *Conforme illud et consequens suo puero adaptans*] Per *puerum* hoc loco intelligendus Iesus Christus, de quo ipse Deus Ies. XLII, 1. *ἰδοὺ ὁ παῖς μου;* vel ut Matth. XII, 18., ubi hic locus ci-
p.731. tatur, legimus: *ecce puer meus.* — *Neque enim plasmatio carnis ipsa secundum se homo perfectus est — neque enim et anima ipsa secundum se homo*] Gemina prorsus sunt Iustini martyris verba lib. de Resurrectione Tom. 1. Spicilegii Patrum saeculi II. pag. 188. *Μὴ οὖν καθ' ἑαυτὴν ψυχὴ ἄνθρωπος; οὔκ, ἀλλ' ἀνθρώπου ψυχή· μὴ οὖν καλοῖτο σῶμα ἄνθρωπος; οὔκ, ἀλλ' ἀνθρώπου σῶμα καλεῖται.* — *Trium, et unam et eandem ipsorum sciebat salutem*] Ita et Iustinus martyr lib. de Resurr. Tom. 1. Spicilegii Patrum saeculi II. p. 192. *Τὰ τρία ταῦτα τοῖς ἐλπίδα εἰλικρινῆ καὶ πίστιν ἀδιάκριτον ἐν τῷ Θεῷ ἔχουσι σωθήσεται. Tria haec in iis, qui spem sinceram et fidem*
p.732. *firmam in Deo habuerint, salvabuntur.* — *Hoc autem — de corpore suo*] Irenaeus scripsisse videtur *ἐκεῖνο* et *περὶ τοῦ σώματος,* quum in sacro Codice legatur *ἐκεῖνος* et *περὶ τοῦ ναοῦ τοῦ σώματος.*

p.730. MASSUETUS: *Imaginem quidem habens in plasmate* etc.] Hic distinguit auctor inter imaginem et similitudinem Dei. Imaginem ponit in plasmate, similitudinem vero per Spiritum, quem Deus inspirat homini, dari dicit. Quae et aliorum veterum sententia fuit. Clemens Alexand. in secundo Strom. pag. 180. edit. Comel. ex aliquorum sententia refert: *τὸ μὲν κατ' εἰκόνα εὐθέως κατὰ τὴν γένεσιν εἰληφέναι τὸν ἄνθρωπον· τὸ καθ' ὁμοίωσιν δέ, ὕστερον κατὰ τὴν τελείωσιν μέλλειν ἀπολαμβάνειν. Id quod est ad imaginem, statim in ipsa generatione hominem accepisse: ut autem ad similitudinem sit, postea in consummatione esse capturum.* Volunt scilicet, similitudinem perfectum esse animi corporisque statum, omnium virtutum ac bonorum possessione cumulatum, qui nos Deo quam proximos reddit. Sic passim in natura imaginem, similitudinem in virtute reponunt alii, ut Philastrius cap. 85. auctor libelli de Dignitate conditionis humanae, cap. 2. et 3. Paulinus Nolanus epist. 11 etc.

CAP. VII.

p.732. FEUARDENTIUS: *Quomodo igitur Christus*] Iisdem istis argumentis in eiusdem rei confirmationem utuntur Ignatius in epistolis

passim, Tertullianus lib. de Resurr. carnis, Hieronymus adversus errores Joan. Hierosolymitani. — *Sed incorporales animae*] Aliquot valentissimis argumentis confirmat animas humanas prorsus immortales et incorruptibiles esse. Primo, quod non sint ex terra formatae ut corpora, sed divino flatu et inspiratione conditae et infusae. Secundo, quod sint incorporales, corpora vero tantum morti subiiciantur. Tertio, quod dicantur flatus vitae eamque impertiant corporibus mortalibus; maneant autem ipsae immortales substantiae, propheta regio idipsum affirmante. Quarto, sunt incompositi et simplices spiritus: igitur nulla morte resolvi nullaque corruptione dissolvi possunt. Postremo, quaecunque Litteris sacris praedicantur de vera morte, corruptione et resurrectione, ea ad corpora nostra attinere, non ad animas. Igitur illae nec sunt mortales, nec in ultimo die de pulvere terrae suscitandae. His porro confirmandae sunt piorum animae adversus veteres et novos animicidas et atheos, de quibus diximus in cap. 63. lib. 2. — *Superest igitur*] Ita et Tertull. lib. de Resurrect. p.733. carn. *Quum audio resurrectionem homini imminere, quaeram necesse, quid eius cadere sortitum sit. Siquidem nihil resurgere exspectabit, nisi quod ante succiderit* etc. — *Diligitis*] Delevimus *diligite*, ex co- p.734. dicibus excusis; et mox ex veteri codice addidimus *creditis*. — *Facies nostra videbit faciem Dei*] Quo pacto id fieri poterit, declarat Augustinus 22. de Civit. Dei cap. 29. prohibens in primis, ne quis in Deo faciem aliquam corpoream imaginetur; aut nos per faciem corporis, ubi sunt oculi corporales, Deum visuros putet: quoniam sic ut angeli vident, ita et nos Deum visuri simus: quae visio nobis ut praemium fidei servatur.

GRABIUS: *Quomodo igitur Christus*] Iisdem istis argumentis in p.732. eiusdem rei confirmationem utitur Iustinus martyr lib. de Resurrect. carnis Tom. | I. Spicileg. Patrum saec. II. pag. 191. ita scribens: *Τίνος οὖν ἕνεκεν ἐν τῇ σαρκὶ τῇ παθούσῃ ἀνέσῃ, εἰ μὴ ἵνα δείξῃ τὴν σαρκικὴν ἀνάστασιν; καὶ τοῦτο βουλόμενος πιστῶσαι τῶν μαθητῶν αὐτοῦ μὴ πιστευόντων, εἰ ἀληθῶς σώματι ἀνέστη, βλεπόντων αὐτῶν καὶ δισταζόντων, εἶπεν αὐτοῖς· Οὔπω ἔχετε πίστιν, φησίν; ἴδετε, ὅτι ἐγώ εἰμι. Καὶ ψηλαφᾷν αὐτὸν ἐπέτρεπεν αὐτοῖς, καὶ τοὺς τόπους τῶν ἥλων ἐν ταῖς χερσὶν ἐπεδείκνυε. Qua igitur de caussa in carne, quae passa erat, resurrexit? nisi ut carnis resurrectionem demonstraret? Nam volens ipse a discipulis suis non credentibus probari, quod revera corpore resurrexisset, ipsis videntibus ac dubitantibus dixit:* Nondum, *inquit*, creditis? Videte, quia ego sum. *Et se palpandum ipsis obtulit et loca clavorum in manibus suis ostendit. — Superest igitur*] Ita et Iustinus martyr loco iam p.733. citato: *Ἀνάστασίς ἐστι τοῦ πεπτωκότος σαρκίου· πνεῦμα γὰρ οὐ πίπτει· ψυχὴ ἐν σώματί ἐστιν, οὐ ζῇ δὲ ἄψυχον· σῶμα ψυχῆς ἀπολειπούσης οὐκ ἔστιν. Resurrectio est carnis, quae cecidit: Spiritus enim cadere non potest. Anima in corpore est, non vivit autem sine anima: corpus deserente anima non exsistit.*

CAP. VIII.

FEUARDENTIUS: *Nunc autem partem Spiritus sumimus*] Non p.734.

de essentia illa Spiritus sancti, quae ipsi cum Patre et Filio eadem est, loquitur Irenaeus; sed de donis illis et charismatibus internis et externis, quae initio nascentis ecclesiae passim conferebantur. Nam plerumque Spiritus ponitur pro gratia spiritali, ut docet Ambros. lib. 3. de Spiritu sancto cap. 12. — *Quod et pignus*] Pignus est Hieronymo id quod dari solet creditoribus, donec solvatur debita pecunia: ἀῤῥαβών, quod hîc usurpat apostolus, signum et obligamentum futurae possessionis, ac quasi pars et portio quaedam, ut vult Irenaeus. — *Quando omnia membra*] Censuerunt multi pii et docti viri, sanctos in suprema beatitudine, resumtis corporibus suis, non solum mente et animo, sed etiam lingua, arteriis et vocibus articulatis Deo laudes decantaturos, quod hîc non obscure significat Irenaeus. Et paullo post: *Caro viva,* inquit, *et incorrupta perseverabit, hymnum dicens Deo.* Verba Augustini sunt lib. 22. de Civit. Dei cap. 30. *Omnia membra et viscera corporis proficient in laudibus Dei.* Quod rursus confirmat Commentariis in Psalmum 149. et Homilia 17. in Apocalypsin, si eius tamen sit opus illud, non Ticonii. Consentiunt Cassiodorus et Lyranus in Psal. 149. et ex Scholasticis Thomas in 2. Sententiarum dist. 2. et in 4. dist. 44. quaest. 2. Richardus, Bonaventura, Okam,
p.736. F. Franciscus Venetus Ton. 8. Cantici 3. Harmoniae mundi. — *Haec est autem omnium*] Hanc allegoriam sequuntur et suis calculis comprobant Origenes Homilia 7. in Leviticum et Gregorius expositione in 7. cap. Canticorum: utrique in excogitandis allegoriis viri mirabiles. Isychius Presbyter in 11. cap. Levitici, Rabanus, Beda et alii.

CAP. IX.

p.737. FEUARDENTIUS: *Ex quo et nos retardare*] Sensum apostoli hoc pacto exprimit Tertullianus lib. de Resurr. carnis. Non carnis substantiam, sed opera volens arceri a regno Dei; vel carnem et sanguinem, si sola, videlicet sine spiritu; ut hinc quoque animorum salutem colligat. — *Carne, anima et Spiritu*] Tria quasi diversa ad hominis compositionem constituere videtur, animam, spiritum et corpus: in quam opinionem venisse Plotinum et Apollinarium, qui in Patribus nomen magnum habuerunt, scriptis mandavit Nemesius Emesae episcopus lib. de Natura hominis cap. 1. Ac quid sint corpus et anima pervium est; quid vero spiritus nomine velint, non ita. Gregorius (lib. IX. Mor. cap. 3.) spiritum hominis aliquando animam ipsam, aliquando effectum eius spiritalem, in sacris eloquiis significare probat. Augustinus (lib. de Eccles. dogm. cap. 20.) reprehendit Didymum, eo quod spiritum tertium quidpiam in hominis substantia esse vellet; quum ipsa anima sit eo nomine appellata, pro spiritali natura; vel pro eo quod spiret in corpore. Tertullianus (lib. de Anima) ἡγεμονικόν, id est, principem aliquem et summum vitae gradum in anima quidem admittit; sed constanter negat animam et spiritum duo esse, quae vel separari possint vel etiam concreta exsistant. Hieronymus in 27. caput Matthaei, ex Scripturis declarat spiritum cum anima eundem esse; atque eorum, qui contra sentiunt, opinionem sibi non placere satis indicat, Quaest. 12. ad Hedibiam, et Commentariis in 3. cap. Danielis. Existimo igitur Irenaeum hîc spiritus nomine nihil

aliud velle intelligere, quam eam vim animae, quae aeterna spiritaliaque bona meditatur, eaque summopere desiderat, et siti flagrat incredibili; quam in scholis superiorem portionem nominamus. — *Conservare Spiritum Dei*] Delevimus *conservari.* Porro sententia ista Irenaei nominatim utitur Basilius magnus libro de Spiritu sancto, ad illius confirmandam deitatem. — *Quae sunt autem*] Vetus codex: *Qui sunt autem, qui sunt mortui?* Ceterum Hieronymus in 5. cap. Matthaei, et auctor operis imperfecti apud Chrysostomum Homilia nona, pari expositione hanc b. Irenaei approbant, qua per terram, quam Dominus noster mitibus possidendam pollicetur, corpus eorum intelligatur liberatum a corruptione, et configuratum corpori claritatis suae. Chromatii episcopi sententiam adiiciam. *Hos mites* (scribit ille in 5. cap. Matth.) *Dominus beatos ostendit, qui, lenitatem Dominicae mansuetudinis sequentes, beatae illius terrae hereditate perpetua possessione fruentur. Maxime tamen de terra corporis nostri loquitur, in qua sancti transfigurati in gloriam, secundum apostolum aeterna felicitate regnabunt.* p.738. p.740.

GRABIUS: *Portemus*] Dicerem Irenaeum hîc et infra cap. 11. non scripsisse *φορέσωμεν,* sed latinum interpretem ex antiqua Italica versione posuisse *portemus* pro *portabimus;* nisi ex consequentibus utroque loco verbis sole clarius eluceret ipsummet in suo apostolico codice ita legisse, indeque verba apostoli tanquam hortatoria ad sanctitatem vitae accepisse: sicut et hodienum in pluribus MSS. graecis, ipsoque vetusto Alexandrino codice exstat *φορέσωμεν.* Nihilominus *φορέσομεν,* uti vulgata graeca habent, genuinam esse lectionem nullum est dubium, et bene probatum a doctissimo D. Millio ad hunc locum. — *Ἐν τῷ αἵματι*] Vetus interpres *σὺν τῷ αἵματι* legisse videtur. Intellige autem per *carnem solam in* vel *cum sanguine,* carnem animatam quidem, sed Spiritu haud sanctificatam; quam apostolus 1 Corinth. 15. vocat *corpus animale,* ei opponens *corpus spirituale.* — *Κληρονομῆσαι οὐ δύναται, κληρονομηθῆναι δὲ — δύναται*] Haec Irenaeus ex Iustini m. libro de Resurrectione petiisse videtur, cuius sententiam a Methodio citatam ac approbatam dedi Tom. I. Spicilegii Patrum saeculi II. pag. 193. et quid de ea sentiam, salvo s. Patrum et martyrum honore, intimavi sequenti pag. 194. p.738. p.739.

MASSUETUS: *Ad ultionem*] Clarom. *in ultionem.* Porro verborum sensus est: *sanguis rationalis a Deo custoditus,* ut illius effusionem ab impiis factam ulciscatur. Confer infra cap. XIV. num. 1. p.738.

CAP. X.

FEUARDENTIUS: *Et in ignem mittitur*] Hîc non obscure docet opera bona fidei iungenda esse, eaque tamen non nisi divino Spiritus sancti auxilio perfici posse; Pelagianorum opinionem simul et Simonis magi, ac posteriorum Gnosticorum errores everteus. — *Incipietis mori*] Sic cum Irenaeo legit Cyprianus libro de Zelo et livore. Graece est *μέλλετε ἀποθνήσκειν,* quod alii vertunt, *futurum est, ut moriamini.* Hervetus Theodoreti interpres: *Si secundum carnem vivitis, secundum carnem moriemini.* p.740. p.742.

GRABIUS: *Significans illam quae in melius est transmutationem* p.741.

cett.] Ita et Epiphanius Haer. 66. de homine spiritali: *Ἐὰν κτήσηται ἐγκράτειαν, ἡ σὰρξ οὐκέτι σάρξ ἐστι.* Et Gregorius Nyssenus Homil. 9. in Cantic. Canticorum parum ab initio: *Ἀκούσωμεν τοίνυν τῶν θείων ῥημάτων — ἀκούσωμεν δὲ ὡς ἔξω γεγονότες σαρκὸς καὶ αἵματος, εἰς δὲ τὴν πνευματικὴν μεταστοιχειωθέντες φύσιν. Audiamus itaque verba divina — audiamus autem velut qui iam sumus extra carnem et sanguinem, in spiritualem autem transmutati naturam.* De futurae autem vitae statu s. Augustinus lib. de fide et symbolo cap. ultimo: *Illo tempore immutationis angelicae non iam caro erit et sanguis, sed tantum corpus.* Et lib. cont. Adimantum cap. 12.: *Quum induerit incorruptionem et immortalitatem, iam non caro et sanguis erit, sed in corpus caeleste mutabitur.* Quae et alia similia s. Patrum loca notari velim ab iis, qui, ubi transmutationem *panis et vini* in tremendis mysteriis legunt, *transsubstantiationem* illico intelligunt.

CAP. XI.

p.742. FEUARDENTIUS: *Adulteria, fornicationes*] Quinque priores dictiones singulari numero legit vulgata editio, cui consentiunt graeci codices. Irenaeo conformis est Cyprianus libro de Oratione dominica.
p.743. — *Et Spiritum Dei nostri*] Quum Spiritui aeque ac Christo Domino efficientiam salutis nostrae tribuat, illius divinitatem agnoscit, credit et adorat; contradicant licet Magdeburgenses. Subsignant Irenaeo Basilius et Ambrosius libris de Spiritu sancto.

CAP. XII.

p.746. FEUARDENTIUS: *Spiritus sempiternus*] Aeternum profitetur esse Spiritum, quapropter vere Deum, Patri et Filio aequalem et consubstantialem. — *Quapropter et primus Adam*] Pauli editio latina communis addit *homo*, quod hîc non habet Irenaeus. Ambrosius etiam in Com. non videtur legisse; Stapulensis admonuit superesse; Erasmus putavit adiectum ab interprete quopiam, hebraicae vocis Adam
p.749. interpretandi gratia. — *Placuit Deo*] Vulgata editio *ei;* sed Irenaei litterae consentiunt graeca exemplaria. Docet porro eundem apostolum, qui veteris Adami, id est, communi hominum more in utero conceptus, indeque natus fuerat, ea praedicasse quae ab haereticis male intellecta obiiciebantur; qui tamen verae resurrectionis eximius fuit assertor. Igitur verba ex illo allegata contra eundem nequaquam militabant. — *Quemadmodum caeci*] Ex miraculis super caecorum, aridorum aliorumque infirmorum corporibus a Domino factis, concludit ea Deo curae esse, ac proinde olim resurrectura.
p.748. GRABIUS: *Sed spoliationem pristinae nostrae conversationis*] Similiter Clemens Alex. lib. III. Stromat. pag. 466. ubi citaverat verba apostoli: *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatur,* addit: *Παλαιὸν δὲ οὐ πρὸς γένεσιν καὶ ἀναγένεσίν φησιν, ἀλλὰ πρὸς τὸν βίον τόν τε ἐν παρακοῇ, τόν τε ἐν ὑπακοῇ. Veterem autem dixit, non respiciens in generationem et regenerationem, sed ad vitam, quae est*
p.749. *in inobedientia et obedientia.* — *Placuit Deo*] Docet eundem, qui veteris Adami, id est, communi hominum more in utero conceptus, in-

deque natus fuerat, factum esse apostolum ac evangelium praedicasse, eundemque istam carnem, quam in statu corrupto olim habuerat, in statu gratiae retinuisse: unde et in statu gloriae eam retenturum colligit. — *Quam enim caussam habebat* etc.] Ita et Iustinus m. lib. p.750. de Resurrectione Tom. I. Spicileg. Patrum saeculi II. pag. 190. *Εἰ μηδὲν ἔχρηζε τῆς σαρκός, τί καὶ ἐθεράπευσεν αὐτήν; Si caro ad nihil utilis est, cur eam sanavit?*

CAP. XIII.

FEUARDENTIUS: *Dicant enim nobis*] Tertullianus lib. de Re- p.750. surr. carnis, hoc paucis ita perstringit: *Exempla mortuorum a Domino suscitatorum commendabant carnis et animae resurrectionem, ne cui substantiae negaretur hoc donum.* Haec quoque largiore manu Ambrosius lib. de Fide resurrect. — *Et Lazarus*] Lazarum vocat Tertullianus praecipuum resurrectionis exemplum. — *Hoc symbolum*] Non solus hic apostolicorum temporum vir, sed et plurimi et doctissimi et sanctissimi postea Patres docuerunt istius Lazari symbolica, vera tamen alligatione et solutione, insinuatam fuisse eam peccatorum poenitentium absolutionem, qua post delictorum confessionem ministerio sacerdotum absolvuntur in ecclesia christiana: quemadmodum ille sepulcralibus linteis involutus et ligatus et manibus apostolorum solutus et liber evasit. — *Aculeus tuus*] Cyprianus lib. 3. adversus Iu- p.752. daeos cap. 58. Hieronym. comm. in Oseae cap. 13. *aculeum* legunt cum Irenaeo; vulgata editio *stimulus;* graece est *τὸ κέντρον.* — *Perficit*] Ambrosius legit *perfecit.* Graece est *κατεργασάμενος,* com- p.753. munis editio *effecit.* — *Hymnum dicens Deo*] Quando caro et ipsa immortalis effecta gloriosaque surrexerit, una cum anima sua beata hymnis sempiternis Deum celebrabit, iuxta quod a Davide de sanctis scriptum est: *Exsultationes Dei in gutture eorum* etc. — *Circumferentes*] Novem has voces ex vet. cod. adiecimus, quum easdem habeat etiam Pauli littera; delevimus *manifestemus.* — *Cum bestiis Ephesi* p.754. *pugnavi*] Pugnam hanc Theophylactus et Oecumenius referunt ad tumultum, ab aurifice Demetrio excitatum, ob Ephesiam Dianam; quibus ex Latinis adstipulatur Anselmus, sive Hervaeus. Mihi vero est verisimilius, quod scribit Nicephorus lib. 2. hist. cap. 15. leonibus, utpote ferocissimis, Hieronymo quodam praeside iubente, Paulum obiectum fuisse, qui ad pedes eius milites consederunt. Et ante Nicephorum haec attigerant Origenes lib. I. Periarchon; Ambrosius et Theodoretus comm. in 1 Cor. 15.

MASSUETUS: *Conformis morti*] Hic MSS. omnes corrupti sunt. p.753. In Clarom. legitur *cui honoratus morti;* in Arund. ac Merc. II. *cooperatus mortis;* et in Voss. peius *commemoratur.* Suspicio animum subit, interpretem, vel priores librarios ex vitiosa Scripturae versione scripsisse *cooneratus morti;* nam ita habet vetus noster San-Germanensis, et Regius D. Pauli epistolarum codex. Huic vero spuriae versioni occasionem dedisse videtur vox *συμμορφιζόμενος,* quam pro *συμμορφούμενος* habent quidam codices, ut Alexandrinus. Nam pro *συμμορφιζόμενος* imprudens quispiam male legens vel scribens *συμφορτιζόμενος,* verterit, aut vertendi occasionem praebuerit *cooneratus.*

Quam vocem haud intelligentes (nec certe culpa eorum erat) Irenaei scribae tam misere deformarunt. Sic coniicio, sed quidquid sit de coniectura, vera Pauli, immo et Irenaei lectio est *conformis* vel *conformatus*.

CAP. XIV.

p.754. FEUARDENTIUS: *Quoniam autem*] Confirmat resurrectionem et salutem carnis, eo quod veram naturalemque Filius Dei sibi unierit, quemadmodum Paulus ubique agnoscit. Iisdem viribus praecipites agit et perditos prosternit Marcionem, Basilidem, Valentinum et Apellem Tertullianus (lib. de Resurr. carn.), certus carnem summo praeiudicio resurrectionis instructam esse, si iam a Christo adsumta in illo resurrexerit. Quando vero Irenaeus paullo post subiicit: *Si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset* etc. videtur in ea esse sententia, quod Filius Dei non venisset in carnem, si Adam lapsus non esset; quod et postea Athanasius Serm. 3. contra Arianos, Augustinus Serm. 8. de Verbis Apostol., Leo Papa Serm. 3. de Pentecoste, denique beatus Thomas Aquinas atque sequaces eius, si Catharinum, Vigerium et Naclantum exceperis, universi persuasissimum habuerunt. Contrarium tamen Albertus magnus b. Thomae praeceptor sensit et docuit in tertio, dist. 10. art. 4. eidemque aequalis Alexander Hallesius, postmodum Ioannes Scotus, et qui doctrinam eius sunt usque in hanc diem amplexati: quam et scripturis et rationibus non aspernandis corroborat Petrus Galatinus lib. 3. cap. 4. et lib. 7. cap. 13. Nec desunt istis priscorum theologorum multa et firma testimonia, utpote Ruperti lib. 3. de gloria et honore Filii hominis: et lib. 13. de gloria sanctiss. Trinitatis cap. 20. cuius auctoritas ne ut scriptoris recentioris contemnatur, adiunge Cyrillum Alexand. lib. 5. Thesauri cap. 8., qui sic ratiocinantur: Christus Deus homo primus est, et caput omnium praedestinatorum et electorum; adeoque omnium divinorum mysteriorum ac operum finis. At numerus ille nulla unquam ratione dissolvetur, nunquam mutilus erit. Divinaque opera et consilia ab unius homunculi Adami delicto non pendent. Igitur etiam si hic non deliquisset, Verbum nihilominus verus homo fuisset. Ratiocinationem istam ex August. lib. de natura et gratia, cap. 25. et lib. 14. de civit. cap. 23. Rupertus sic confirmat. Si, teste Augustino, absurdum esset dicere, Adam non peccante, generationes hominum futuras non esse, ac si propterea homines nascerentur, quod peccatum praecessisset: multo magis de isto capite (Christo) et rege omnium electorum tam angelorum quam hominum sentire absonum erit. Et iure certe testis et approbator huius sententiae laudatur Augustinus, quandoquidem lib. de nuptiis et concupiscentia cap. 21. docet matrimonium in statu innocentiae etiam Christi cum ecclesia futurum, idemque bonum habiturum, si status ille perdurasset. Ergo et verus homo, et ut sic, verum ac legitimum caput ecclesiae, et sponsae lectissimus sponsus erat futurus, tametsi non essent lapsi primi parentes. Idemque (lib. de peccat. meri. et remiss. c. 38.) rursus scribens: *Non fuisset caro Christi in similitudinem carnis peccati, nisi caro fuisset ista peccati.* Omnino praesupponit eandem, stante primo ho-

mine, futuram; tametsi non talem, id est, nec patibilem, nec mortalem: quod ab illis et ab istis libenter admittitur. Cyrillus item lib. 5. Thesauri cap. 3. non modo absurdum, sed et Arianicum furorem reputat dicere, Filium Dei propter nos factum, et non propter seipsum. Deceret enim illum nobis peccantibus agere gratias, qui pro nobis esset Christus alias non futurus. Omiseram pene beatum Anselmum (lib. 1. cur Deus hom. cap. 18.), asserentem: Nullam in caelo esse animam, quae sibi persuadeat, sine peccato alterius se non fuisse gloria fruituram. Ergo non peccante Adamo, et Christi futura, et beata futura erat in proprio corpore: sicque Filius Dei verus homo. Ad id etiam pertinere putatur, quod supra scripsit Irenaeus (lib. 3. c. 33.), Deum futuram circa Filium suum humani generis dispositionem in semetipso disponentem, praedestinasse animalem hominem, id est, Adamum, ut a spiritali, id est, Christo, salvaretur, uti non vacuum esset salvans. Ergo Christus in primis destinatus est salvator, homines deinde salvandi, ne frustra destinatus putaretur. Ergo in tanti mysterii explicatione secum dissident veteres et recentes theologi? Minime gentium. Adamo etenim stante, non erat futurus Christus mortalis esuriens, sitiens, lacrimans, obediens usque ad mortem crucis, ut prioris sententiae adfirmant Patres; futurus autem ecclesiae praedilectae dilectissimus sponsus, caput pretiosissimum, et summus glorificator erat: quod sententiae secundae assertionibus ostenditur. — *Et inimici cogitationes eius*] Vetus codex *cogitationi;* graece est p.756.
τῇ διανοίᾳ, id est, mente seu cogitatione. Hieronymus contra Io. Hieros. legit: *inimici* seu *hostes sensus eius.* — *Castos et sine crimine*] Graeca Pauli *ἀμώμους*, quod Tertullianus vertit *invituperabiles, ἀνεγκλήτους, incriminabiles* aut, ut communis habet editio, *irreprehensibiles.* — *Quoniam illa quidem non peccavit*] Eadem Tertullianus libro primo de carne Christi: *Ut evacuatam non possumus dicere carnem Christi, ita nec peccatricem, nec evacuatam, in qua dolus non fuit. Defendimus autem non carnem peccati evacuatam esse in Christo, sed peccatum carnis; non substantiam, sed culpam.* Et lib. de praescript.: *Soli Dei Filio servabatur, sine delicto permanere.* — *Et san-* p.757.
guine eius redhibitus] Hanc vocem addimus ex vetere nostro codice. Est autem iureconsultis *redhibere,* facere ut rursus habeat venditor, quod ante habuerat. Inde Festus: *Redhiberi id dicitur, quod redditum est.* Homo porro morti, daemoni inferisque seipsum vendiderat: at Christus sua passione et morte illum vitae, Deo caelisque restituit. Ex toto autem hoc capite et aliis plurimis locis expendat pius lector, quam sancte, quam graviter, quam frequenter docteque urgeat iste vir apostolicus summam efficacitatem et utilitatem carnis patientis et sanguinis Christi quondam pro nostra omniumque salute effusi. *Factus est,* inquit, *Verbum Dei caro et sanguis, ut salvaret in semetipso quod perierat in Adam.* Et: *Iusta caro reconciliavit eam carnem, quae in peccato detinebatur, et in amicitiam adduxit Deo.* Item: *Reconciliavit nos sibi per corpus carnis suae, et sanguine suo redimens nos, ut apostolus ait.* Itemque: *In omni epistola testatur apostolus, quoniam per carnem Domini nostri et sanguinem eius nos salvati sumus* etc.

p.755. GRABIUS: *Qui effundet* etc.] Ita quoque hic locus allegatus legitur lib. II. Constitut. Apostol. cap. 42. *ὁ ἐκχέων αἷμα ἀνθρώπου, ἀντὶ τοῦ αἵματος αὐτοῦ ἐκχυθήσεται.* Atque sic etiam nostrae editt. LXX Interpretum habent, excepta Complutensi, quae ita sonat: *ἀντὶ τοῦ αἵματος ἀνθρώπου τὸ αὐτοῦ ἐκχυθήσεται.* Plura de varia huius loci lectione congessit Cotelerius in not. ad lib. II. Const. Apost. cap. 42. ubi quum Irenaeum allegat, vulgatas sequitur editiones, a quibus auctoritate cod. Voss. discessi. — *Si autem ob alteram quandam dispositionem Dominus incarnatus est*] Id est, si ob aliam dispensationem vel expeditionem, graece *οἰκονομίαν,* Filius Dei carnem
p.756. induisset. — *Omnis dispositio adventus Domini*] *Πᾶσα οἰκονομία τῆς παρουσίας τοῦ Κυρίου,* id est, omne quidquid Christus in terra gessit ad procurandam generis humani salutem. Errant enim qui *οἰκονομίαν* ad solam incarnationem Domini restringunt, quum de omni eius vita ipsaque passione et morte usurpetur. Sic Iustinus martyr in dial. cum Tryphone pag. 247. *τῇ τοῦ γενομένου πάθους αὐτοῦ οἰκονομίᾳ.* Videatur ipse Irenaeus supra pag. 68. lin. 9 seqq. (pag. 71. lin. 33 seqq.). — *Inimici cogitationi eius*] Vocem *eius* scriba quispiam hîc addidisse videtur ex Italica N. T. versione, in qua eam saltem saeculo IV. exstitisse haud dubitare nos sinunt auctor Comm. in Coloss. 1. apud Ambrosium et Hieronymus in epistola adversus Ioannem Hierosolymitanum. Atqui uterque *διάνοιαν* Dei hîc accipit, quum Colossensium irregenitorum depravata mens potius sit intelli-
p.757. genda. — *Ad obediendum ei*] *In concupiscentiis eius* omisit forte interpres vel scriba, quia ista aberant ab Italica versione, prout ex Tertulliano de Resurrect. cap. 47. colligitur.

CAP. XV.

p.757. FEUARDENTIUS: *Ros enim*] Ex veteri codice pro *quod* reposuimus *qui;* et pro *eius, eis.* Sententiam prophetae ita legunt Septuaginta: *ἡ γὰρ δρόσος ἡ παρά σου ἴαμα αὐτοῖς ἐστίν. Ros qui a te, sanitas ipsis est.* Communis editio *Ros lucis, ros tuus.* — *Et Ezechiel*] Ex hac Ezechielis visione resurrectionem mortuorum confirmant quoque cum Irenaeo Clemens Rom. lib. 5. Constit. cap. 8. Tertull. lib. de Resurrectione carnis. — *In circuitum in gyro*] Ita vetus codex, cui conformis est lectio Septuaginta, *κυκλόθεν κύκλῳ.*
p.758. — *Veni et insuffla*] Ita vetus codex: excusi *veniet insufflatio.* Septua-
p.759. ginta *ἐλθὲ καὶ ἐμφύσησον.* — *In ventre plasmare*] Ut de caeco,
p.760. quem iam ex utero matris oculis privaverat Deus, fiat sermo. — *In transgressione factus est*] Vetus codex verbum *est* ignorat. Ceterum ablutionem caeci in Siloa. sacrum baptisma adumbrasse cum Irenaeo sentiunt Tertullianus lib. de Baptismo, Gregorius Nyssenus lib. de Baptismo, Ambrosius lib. 3. de Sacramentis cap. 2., Augustinus Tractatu 44. in Io. et alii Patres. Versus aliquot non inelegantes hac de re Sedulii presbyteri addam:

Caeca sumus proles miserae de fetibus Evae,
Portantes longo natas errore tenebras.
Sed dignante Deo mortalem sumere formam,
Tegminis humani facta est de Virgine nobis

Terra salutaris, quae fontibus abluta sacris,
Clara renascentis reserat spiramina lucis.

GRABIUS: *Plenus ossibus*] Ex hac Irenaei et Tertulliani lib. de Resurrectione carnis cap. 29. allegatione patet vocem *ἀνθρωπίνων*, quae in vulgata LXX Interpretum edit. exstat, a recenti manu accessisse. Neque hebraeus textus hanc vocem agnoscit. — *Domine tu scis, qui fecisti haec*] In LXX modo legimus: *Κύριε, Κύριε, σὺ ἐπίστῃ ταῦτα.* Atque ita etiam Tertullianus loco citato: *Adonai, Domine, tu scis.* Unde liquet hîc vocem *Domine* semel omissam, contra addita esse ab ipso forte Irenaeo explicationis gratia: qui fecisti haec. — *Praecepit mihi Dominus*] *Dominus* tam hoc loco quam paullo post deest in LXX Interpr. et Tertull. loco cit. — *Ad spiritum propheta*] Propheta ad spiritum, propheta, habet Tertullianus et LXX. — *Demiurgo itaque et hîc vivificante*] Iesus enim homo, quem Demiurgi sive creatoris filium dicebant haeretici, mortuos suscitavit. p.757. p.758.

CAP. XVI.

FEUARDENTIUS: *Per eam quae in ligno*] Quae hîc tradit Irenaeus, Sedulius presbyter his versibus canit: p.762.

Aspera mors populis ligno deducta cucurrit,
Aufertur ligno aspera mors populis.

CAP. XVII.

FEUARDENTIUS: *Est autem hic Demiurgus*] Demonstrat eundem Deum esse huius mundi creatorem ac Dominum, qui praecepta dedit et peccata per Christi Filii sui adventum condonavit; qui et ipse natura se Deum omnipotentem esse manifestavit, peccata excellenti potestate remittendo; et verum hominem, per crucis suae mysterium hunc mundum servando. — *Remitte*] Graece *ἄφες;* Cypria- nus Sermone de Nativitate Domini, et lib. 3. ad Quirinum cap. 22. et Chromatius in cap. 6. Matth. post Irenaeum *remitte* converterunt. — *Et nulli nunquam*] Graecorum more duplicem negationem, ut magis inficietur, adhibet: forte est *οὐδενὶ οὐδένα* etc. — *Per operationem ostendente propheta*] Paullo apertius Tert. lib. contra Iud. *Heliseus accepto ligno, et misso in eum locum, ubi submersum fuerat ferrum, statim supernatavit. Quid manifestius huius ligni sacro, quod duritia huius saeculi mersa in profundo erroris, et a ligno Christi, id est, passionis eius in baptismo liberatur: ut quod perierat olim per lignum in Adam, id restitueretur per lignum Christi?* Hunc imitantur August. Serm. 210. de Tempore, et Eucherius Lugdunensis in 4. lib. Reg. — *Bipennis*] Vox Hebraea apud Ierem. significat *malleum,* atque ita cum Vulgata editione vertit Sanctes: Septuaginta, quos sequitur Irenaeus, habent *πέλυξ,* quod securim sive bipennem significat. — *Et quemadmodum dixit*] Elegans et pia admodum est haec mystica figurae dominicae crucis explicatio, quam a seniore, Polycarpum puto, vel Papiam, accepit. Qui pluribus animum oblectare concupierit, et similibus, consulat Iustini martyris Apologiam posteriorem. Lactantii lib. 4. cap. 26. et 27., Rufinum in expositione Symboli., Ambros. Serm. 55., Athanas. lib. de incarnatione Verbi, Nazianz. p.762. p.763. p.761. p.765.

prima orat. Apolog., Chrysost. tribus homil. de Cruce., Sedulium lib. 5. Carminum, Damascenum lib. 4. cap. 12. etc.

CAP. XVIII.

p. 766. FEUARDENTIUS: *Conditiones*] Id est, creaturas, a seipso, propriaque virtute productas, quae nutibus Creatoris perpetuo subserviunt: eo enim sensu hanc vocem frequenter usurpat Aug. lib. 2. de Trin. cap. 6. 11. 15. et lib. 3. cap. 10. ubi de his, conquisitis rationibus et Scripturis, et subtiliter et large disserit. — *Neque enim iniquus*] Tertull. procul dubio ad hunc Irenaei locum alludit lib. 1. contra Marc. *Ille*, ait, loquens de Deo conficto a Marcione, *usque nunc, nec aquam reprobavit Creatoris, qua suos abluit; nec oleum, quo suos ungit; nec lactis et mellis societatem, qua suos infantat* etc. Rursus lib. 4. contra eundem. — *Si ignorantiae et labis*] Vet. cod. *Si quod ignorantiae et labis erat, emisit.* — *Portavit ecclesiam*] Ita reposuimus ex vet. cod. Excusi *eum*. Mox quoque pro *visibile* restituimus *visibilitatem*. Puto ex vet. cod. aliqua adhuc deesse, quae non potuimus restituere. — *Quod est conditionis*] Tres has dictio-
p. 767. nes vetus codex desiderat. — *In mundo erat*] Vet. cod. *In hoc mundo erat.* — *In sua propria*] Ita frequenter legit August. ut alias observavimus. — *Moyses hoc ipsum*] Ita vet. cod. Expunximus *uti universa*; et paullo supra *venit* pro *ponit* restituimus. Hoc porro Mosis testimonio mysterium dominicae passionis et in crucem affixionis praedictum fuisse, quamvis admodum tecte et obscure, cum Irenaeo pie ac docte contendunt Tertullianus lib. advers. Iudaeos cap. 11. Cyprianus libro 2. Testimon. cap. 20. Lactantius libro 4. cap. 18. Augustinus libro 16. contra Faustum cap. 22. et alii, quorum meminimus
p. 768. in cap. 23. libri quarti. — *Advocavit*] Vetus codex per futurum legit *advocabit*, atque ita ex Hebraeo transtulit Sanctes.

CAP. XIX.

p. 769. FEUARDENTIUS: *Et quemadmodum adstrictum est morti*] Hunc locum usque ad id: *indocti omnes haeretici* etc. August. lib. I. contra Iul. Pel. ex Irenaeo adducit, quem antiquum hominem Dei vocat, qui non longe a temporibus apostolorum fuerit.

p. 769. GRABIUS: *Virgo Eva — evangelizata est bene ab angelo iam sub viro virgo Maria. Quemadmodum enim illa per angelicum sermonem* etc.] Hîc Irenaeus videtur imitatus Iustinum martyrem, cuius haec gemina plane in Dialogo cum Tryphone pag. 327. sunt verba: *Καὶ διὰ τῆς παρθένου ἄνθρωπος* (mallem ob sequentem infinitivum *γεγονέναι* legere *ἄνθρωπον* et hoc comma ad praecedens verbum *νενοήκαμεν* referre) *γεγονέναι, ἵνα καὶ δι' ἧς ὁδοῦ ἡ ἀπὸ τοῦ ὄφεως παρακοὴ τὴν ἀρχὴν ἔλαβε, διὰ ταύτης τῆς ὁδοῦ καὶ κατάλυσιν λάβῃ. Παρθένος γὰρ οὖσα Εὔα καὶ ἄφθορος, τὸν λόγον τὸν ἀπὸ τοῦ ὄφεως συλλαβοῦσα, παρακοὴν καὶ θάνατον ἔτεκε· πίστιν δὲ καὶ χαρὰν λαβοῦσα Μαρία ἡ παρθένος, εὐαγγελιζομένου αὐτῇ Γαβριὴλ ἀγγέλου — ἀπεκρίνατο· γένοιτό μοι κατὰ τὸ ῥῆμά σου.* Confer supra lib. III. c. 33. — *Per veritatem*] Duas has voces ad *seductionem illam solutam* potius referre, quam cum sequenti *evangelizata est*

iungere placuit.— *Alii quidem alterum*] Valentiniani et Marcionitae, de p.770
quibus lib. I. cap. 1. et 29. et lib. II. cap. 1. — *Alii autem ab angelis*] Menander, Saturninus, Basilides, Carpocrates, de quibus lib. I. cap. 21 — 24. — *Alii quidem porro et longe separatam — a semetipsa floruisse*] Quosnam haereticos his verbis indigitaverit Irenaeus, dictu haud ita facile est: neque enim in praecedentibus libris talium disertam fecit mentionem. De Cerintho tamen lib. I. cap. 25. scribit: *Non a primo Deo factum esse mundum docuit, sed a virtute quadam valde separata et distante ab ea principalitate, quae est super universa.* Atqui si hanc virtutem ex semetipsa mundum produxisse statuit Cerinthus, eum omnino hoc loco Irenaeus respexisse dicendus est. — *Alii autem in his quae continentur a Patre* etc.] Valentinianos intellige, deque his vide lib. I. cap. 1. §. 7. et lib. II. cap. 2. et 5. — *Alii autem manifestum — non recipientes*] Vel iterum Valentinianos indigitavit Irenaeus, de quibus lege lib. I. cap. 1. §. 13. vel Saturninum et Basilidem, quorum dogmata recensuit lib. I. cap. 22. et 23. — *Alii autem — ex Joseph dicunt eum generatum*] Nempe Carpocrates, Cerinthus, Ebionaei iuxta lib. I. cap. 24. 25. et 26. — *Et quidam quidem neque animam* etc.] Valentiniani scilicet lib. I. cap. 1. §. 11. et 12. — *Alii autem — non participari corpus* etc.] Marcionitae iuxta lib. I. cap. 29.

MASSUETUS: *Et si ea inobedierat Deo; sed haec suasa est*] In p.769.
editt. et recentioribus MSS. legitur: *et sicut illa seducta est, ut effugeret Deum; sic haec suasa est.* At antiquiores MSS. scilicet vet. Feuard. cod. Clarom. et Voss. habent: *et si eum obaudierat Deo, sed haec suasa est.* Ex qua corrupta lectione veram erui, levissima facta mutatione, quam in textu exprimere non dubitavi, persuasissimum habens, particulam *in* verbo *obaudierat* praefixam, a negligentibus et imperitis scribis male lectam, et a verbo perperam avulsam, commutatam esse in *m*, et cum praeced. voce (in qua ipsa paullo latius diductis litterae *a* ductibus, lectum *u*) iunctam: inde factum *eum*. Exempla eiusmodi corruptionis non raro occurrunt in MS. Clarom. et aliis. Nec dubitem quin posteriores scribae, immo et forte primi editores, corruptam trium praedictorum codd. lectionem prae oculis haberent; quam quum emendare non possent, maluerunt (non certe sine *ταυτολογίας* crimine) partem praecedentis periodi resumere, ut sensum complerent. Porro *inobedierat* accipiendum pro *non obedierat*.

CAP. XX.

FEUARDENTIUS: *Omnes enim valde*] Valentinus, Marcus, Car- p.770.
pocrates, Marcion et similes haeresiarchae multis annis aetatem apostolorum sunt secuti: ergo verae fidei doctrina prius per orbem longe lateque praedicata et admissa fuerat, et ecclesiae catholicae forma recte ab illis et discipulis eorum constituta et servata. Et quum in hac sola verae ac integrae servarentur apostolicae traditiones et institutiones, nihil mirum si desertores eius et transfugae per varia diversaque errorum praecipitia velut amentes ferrentur atque perirent. — *Per quam salvat*] Alludit ad caput primum Proverbiorum, quo p.771.

sapientia dicitur clamare in plateis etc. Ex quibus duo licet colligere. Primum, universos, qui in unitate ecclesiae catholicae ad finem usque permanserint, tandem aliquando pro certo salvandos esse. Secundum, hanc ecclesiam semper fuisse visibilem coetum et aspectabilem hominum credentium in terris congregationem, velut est splendor lucernae super candelabrum positae atque civitas super montem aedificata. Matth. 5. — *Et haec est ἑπτάμυκος*] Alludit ad candelabrum tabernaculi Mosaici, quod lucernas septem habebat, unam in summitate hastilis et sex in summitatibus calamorum, quibus accensis collustrabatur tabernaculum. Exod. 25. Illud vero ecclesiam, quae fidei et veritatis evangelicae lumen universo orbi profundit, adumbrasse contendit; quod probant Gregorius homil. 6. in Ezechielem, Rupertus et Beda in Exodum, atque Thomas 1. 2. quaestio 102. artic. 4. ad 6. Dicitur autem *ἑπτάμυκος*, quod septem ellychnia ferret. — Martialis:

Illustrem quum tota meis convivia flammis,
Totque geram myxos, una luserna vocor.

— *Non contemplantes*] Eadem dixit lib. II. cap. 45. vide locum.
p 772. — *Plantata est enim ecclesia*] Vult ecclesiam designari per paradisum illum plantatum ab initio, quod Ambrosius Epist. 42. et lib. de Paradiso, August lib. XIII. de Civitat. cap. 21. et lib. XI. de Genes. cap. 25. et lib. XII. cap. 28. et 34. et lib. IV. de Baptismo, cap. 1. et Cyprian. epist. ad Iubaianum, simili allegoria amplexantur et tuentur. — *Ipsi enim confitentur*] Gnosticos serpenti comparat, quippe qui omnem boni et mali scientiam sibi arrogantes et aliis repromittentes, omnem caecitatem inducunt. De hoc et Praefat. in lib. IV. — *Quam oportet sapere*] Ita ex vet. cod. restituimus: excusi *quam oporteat.* Quod autem mox vertit *ad prudentiam,* graece est *εἰς τὸ σωφρονεῖν.* Hieronymus lib. I. contra Iovinian. reddidit *ad pudicitiam;* Origenis interpres *temperantiam,* Ambrosius cum vulgata editione *ad sobrietatem:* omnes ad unguem exquirenti probe.

CAP. XXI.

p. 773. FEUARDENTIUS: *Recapitulans*] Alludit ad illud Pauli, quo docet Patrem per Filium omnia *ἀνακεφαλαιώσασθαι,* id est, instaurare, ut communis habet editio, una cum Ambrosio et Primasio; vel recapitulare, ut Irenaeo et Hieronymo placet, id est, Christum unum caput angelorum et hominum constituere hominumque naturam incorruptione beata donare, omni sublato mortis aculeo. Docet autem hic Irenaeus Christum b. Mariae virginis et Demiurgi, id est Dei huius mundi creatoris Filium, caput serpentis ideo contrivisse, ut et hominis antea victi iuste censeretur victoria, et mundi rector agnosceretur. — *Observabit caput*] Septuaginta *τηρήσει κεφαλήν,* quorum lectionem cum Irenaeo sequuntur Cyprianus lib. II. adversus Iud. cap. 9. Ambrosius lib. de fuga seculi, cap. VII. August. lib. II. de Genes. contra Manichaeos, cap. XVIII. — *Uti quemadmodum*] Et hoc etiam loco multis descriptum habes peccatum originale, quo omnes in utero inficimur: quandoquidem per illud praesertim victum in mortem descendit omne genus humanum. De eodem quoque supra scri-

psit: Nos per priorem generationem mortem hereditasse: et per animalem hominem nos omnes mortuos esse etc. Tantum abest ab eorum deliratione, qui parvulos fidelium ex uteris sanctificatos, sine baptismo servari dicunt. — *Deinde autem ut haberet*] Istis non dis- p.774.
similia copiose et eleganter tractat Ignatius martyr, epistola ad Philippenses. — *Mendacium abscondens per Scripturam*] Apposite haereti- p.775.
corum dolos cum Satanae astutia comparat. Nam omnis haereticus in eo quod Deum defendere nititur, veritati eius adversatur: veluti scribit Gregorius praefatione in librum Moralium. — *Satana enim verbum Hebraicum*] שטן proprie Hebraeis significat adversari, detrahere, calumniari: unde *διάβολον* Graeci ipsum vocarunt. Quod si magis Irenaei interpretatio arrideat, deducendum erit a שטה quod deficere et divertere significat. Iustinus in Dialogo: *Satan Iudaeorum Syrorumque lingua desertorem significat: haec autem vox Nas serpentem, et ita ex utroque unum vocabulum componitur Satanas.*

GRABIUS: *Repletio hominis per duplicem gustationem*] Ita vocat p.774.
excessum in edendo, quem primi parentes commisere, dum non solum a Deo concessa, sed et vetitae arboris, quae erat cognitionis boni et mali, fructum degustarunt. — *Legaliter — legitime*] Id est, allegato legis vel Scripturae sacrae dicto. — *Quantum autem ad* p.775.
illum etc.] In hoc colo paullo obscuriori per *illum* designatum puto *diabolum;* deque eo dictum, quod Dominum Deum suum in humana carne latentem non tentare debuerit. Verbum enim *debet* ex praecedenti colo omnino repetendum est, si Infinitivus *tentare* legatur.

CAP. XXII.

FEUARDENTIUS: *Sic igitur*] Legis veteris ac evangelii auctor p.777.
unus est verus Deus ac Dominus, supra quem alius non quaerendus: et is per Filium suum omnipotentem vicit hostem nostrum, et ab eius tyrannide liberos nos fecit. Ideoque cum omni demissione, et sui mundique contemtu eum adorare et invocare decet; nihil autem a Satana mendacii parente exquirendum aut sperandum.

GRABIUS: *In sublimitate autem positos universi charismatis,* — p.778.
nequaquam extolli] Ita et s. Clemens in Epist. ad Corinthios §. 23. *Μὴ διψυχῶμεν, μηδὲ ἰνδαλλέσθω ἡ ψυχὴ ἡμῶν ἐπὶ ταῖς ὑπερβαλλούσαις καὶ ἐνδόξοις δωρεαῖς αὐτοῦ.* — *Deinde quoniam — et ei ipsi Deus*] Haec secunda ratio est, qua probat auctor haud in diaboli potestate esse, ut ea praestet, quae Christo in tentatione pollicebatur.

CAP. XXIII.

FEUARDENTIUS: *Assuetus enim erat*] De pravis diaboli sug- p.779.
gestionibus, quidque per eas primis parentibus nostris contigerit; de Adami lapsu, morte et reparatione. — *Et quum illa traduxisset mendacium*] Primo mentita est dicens, Deum prohibuisse ne tangerent lignum illud; prohibitio vero tantum facta fuerat de esu, non de tactu. Hoc ergo addidit exaggerans prohibitionem velut nimis gra-

vem et morosam. Inde Ambrosius lib. de Paradiso, cap. 12. ait: *Mulier addidit, Ne tangeremus ex eo. Lapsus incipit esse initium. Secundo, mentiendo invertit imminuitque divinam comminationem, addens de suo, Ne forte moriamur. Deus enim magna asseveratione dixerat: Morte morieris: mulier autem sub dubitatione refert, Ne forte etc. Tertio, mentita est dicens: Ex ligno, quod est in medio paradisi etc. Nam et lignum vitae erat in medio paradisi, quod Dominus non interdixerat.* Sicque tribus modis, ut post Irenaeum observat Rupertus, Eva mentiendo peccavit, divinis verbis addendo, eademque imminuendo et immutando. — *Magnitudinem enim ignorabat Dei*] Crassam ignorantiam tribuit cacodaemoni, videlicet quod nescierit Deum sua immensitate ubique praesentem. Et revera non est ambigendum diabolos peccato suo in horrendas mentis tenebras incidisse; quandoquidem et divinitus sibi ante lapsum infusam fidem, una cum propriae salutis spe funditus amiserunt; et divinis mysteriis, quibus collustrantur iugiter beati angeli, omnino frustrantur. De his copiose disputat Augustinus lib. IX. de Civit. cap. 21. — *Tertium mendacium loquens*] Plurima non solum mendacia, sed et in Deum impia et blasphema in serpentis oratione comprehenduntur. Primum, Deum esse mendacem. Non est verum, ait, quod dixit vobis, *Morte moriemini:* ac proinde non est ei credendum. Secundum, Deum esse invidum, quod noluisset eos esse, sicut Dii, sapientes, quod tamen facili negotio poterant fieri. Tertium, illi arbori tantam vim insitam, ut eos immortales et summa aequalique cum Deo sapientia praeditos efficere posset. Quartum, Deorum pluralitatem esse in rerum natura possibilem. Quintum, hominem de vilissimo terrae limo fictum, posse industria propria ad summi Dei aequalitatem pertingere etc. Oportet ergo, ut recte notat Augustinus, lib. XI. de Genes. ad lit. cap. 30. menti Evae iam infuisse quendam propriae excellentiae et ambitus amorem et superbam de se praesumtionem, quando tam facile leviterque serpenti fidem dedit. — *In ipsa itaque die mortui sunt*] Quomodo in illa ipsa die, quum Adam postea nongentis et triginta annis, Eva nongentis et quadraginta dicantur vixisse? Respondeo, primo mortui sunt morte spirituali, quando amissa iustitia originali et gratia, per quam homo vivit Deo, mortui sunt. Secundo, mortui sunt, quando tunc inevitabilem mortis corporeae necessitatem incurrerunt, quum antea possent non mori. *Quum enim primum,* inquit Theodoretus (Quaest. 38.), *Dei sententia obnoxii fuerunt supplicio mortis, in singulos dies et horas velut rei mortis ipsam mortem exspectabant.* Consentit Augustinus (Lib. XIII. Civ. c. 23. et Lib. XI. de Gen. ad lit. cap. 32.) his verbis: *Eo quippe die mutata in deterius vitiataque natura mortis etiam corporalis in eis necessitas facta est, cum qua nos necessitate nati sumus. Propter quod apostolus* (Rom. 8, 10.) *non ait, Corpus quidem moriturum est propter peccatum: sed ait, Corpus mortuum est: mortuum appellans, quia iam moriendi necessitate constrictum est.* Tertio denique Iustini martyris in Dialogo et Irenaei praesenti sententia, mortui sunt primi parentes illa ipsa die qua peccaverunt, si dies computetur more Dei, apud quem mille anni tanquam dies una

quae praeteriit, ut David (Psalm. 98.) et Petrus (I. Pet. 3.) connumerant; non autem illa ipsa die, quae more humano viginti et quatuor horis conficitur. Nam uterque illorum infra millesimum annum vitam istam cum morte commutavit. — *In illa die*] Gaudentius Brixi- p.780.
anus tractatu in Exodum: *Sexta feria, qua hominem Deus fecerat, pro eodem passus est; et die dominica, in qua sumserat mundus exordium, resurrexit etc.*

CAP. XXIV.

FEUARDENTIUS: *Omnibus potestatibus sublimioribus subiecti* p.781.
estote] Ita locum hunc apostoli exprimit in commentariis Ambrosius. Communis editio: *Omnis anima potestatibus. — Hoc autem et Dominus confirmavit*] Principibus saeculi obedientiam tributaque praestanda Christus approbavit, natus tempore census, solvens didrachma, iubens reddere Caesari quae sunt Caesaris, et Pilato potestatem desuper datam agnoscens. Unde et Paulus: *Cui tributum* debetur, *tributum* solvatur. Et Iustinus martyr in Apologia refert, ad illa Caesaribus praestanda Christianos sua tempestate omnium primos et promtissimos fuisse. — *Cuius enim iussu*] Hinc liquet, quanta pie- p.782.
tate, veneratione, fide et obedientia imperatores, reges et magistratus politicos exceperint primarii religionis nostrae christianae antistites: etiamsi illius pietatis illi ignari essent, immo et acerrimos oppugnatoros eos haberent.

CAP. XXV.

FEUARDENTIUS: *Per ea quae dicta sunt*] Multa et notatu digna p.783.
disserit hoc loco et infra de Antichristo Irenaeus, ex quibus hoc in primis observandum occurrit, quod verum et singularem hominem fore illum docet, quum tribum ex qua nascetur, nomina quibus fortassis appellabitur, tempus durationis regni ejus, tyrannidem, astutiam dolosque tam diligenter et sigillatim testimonio et auctoritate sacrae paginae persequitur. — *Omnem suscipiens diaboli virtutem*] Cave ne diabolum ipsum phantastico et larvato corpore humano contectum, Antichristum ipsum cum Hippolyto martyre interpreteris: quandoquidem apostolus nominet illum hominem peccati, spiritu oris Christi interficiendum. Ea autem ratione omnem diaboli virtutem suscipere dicitur, quod omnino ad voluntatem Satanae se suasque vires et artes accommodaturus sit. Quin et in conceptione ipsius, ait auctor Tractatus de Antichrist. apud Augustin. *Diabolus simul in matris ejus uterum intrabit, et ipsam replebit, circumdabit, obumbrabit, interius exteriusque possidebit.* Contra opinionem Hippolyti disputant Hieronymus in 7. cap. Danielis, Damascenus lib. IV. cap. 28. Theophylactus et Oecumenius in 2. cap. 2. ad Thessalonic. — *Idola quidem seponens*] Hippolytus martyr post Irenaeum, oratione p.784.
de Consummatione saeculi: *In primordiis suis clemens erit, factus ad dilectionem, quietus, religiosus, pacificus, qui odio prosequatur iniustitiam, detestetur munera, idola non admittat, amet Scripturas etc.* Quorum in sententiam conveniunt Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 15. Ephrem Serm. de Antichristo, Chrysostomus, Theodore-

tus, Theophylactus in 2. c. 2. ad Thess. Hier. quaest. 11. ad Algasiam, Damascenus lib. IV. c. 28. qui arbitrantur omnes, id confirmari ex Danielis cap. 8. et 11. et 2 Thessalon. 2. *Istud vero faciet fraudulento et simulato consilio*, infit Hippolytus, *ut circumveniat omnes, ut se regem creent, quod facile obtinebit a Iudaeis.*
p.784. — *Et quoniam ipse se tyrannico more*] Hippolytus martyr: *Elatus corde incipiet exaltare seipsum et glorificare tamquam Deum, persecutione sanctos et blasphemia Christum incessens. Dicet autem: quis princeps tam potens atque ego? quis Deus magnus praeter me? etc.* Diabolicam hanc elationem Antichristo quoque tribuunt Theodoretus in 11. et Hieronymus in 7. cap. Danielis, auctor Tractatus de Antichristo, Damascenus lib. IV. cap. 28. Hugonis Aetheriani verba subiiciam: *Idolis nullum obsequium praestabit: non enim idololatra erit, sed Deo nostro per omnia contrarius, omnes Deos gentium ut muta simulacra confringet, nullius penitus imagini cultum exhibebit, quia se solum pro Deo jubebit adorari etc.* lib. de Regressu animarum cap. 23. — *In quo adversarius sedebit*] Apostolus 2. ad Thessal. 2. docet filium perditionis in templo Dei sessurum esse, quod de Hierosolymitano illo olim exstructo a Salomone, toties solo aequato et instaurato, intelligi volunt Hieronymus quaestione 11. ad Algasiam, Augustinus 20. de Civit. Dei cap. 19. et Tractatu de Antichristo, Chrysostomus in 2. ad Thess. 2. Hippolytus martyr Irenaeo consentiens ait: *Christus ostendit carnem suam tamquam templum, ac suscitavit tertia die: sic iste Hierosolymis suscitabit templum lapideum.* Et postea: *Templum construet Hierosolymis, quod confestim excitatum tradet Iudaeis.* Consentiunt Damascenus lib. IV. cap. 28. Methodius in Revelationibus: Anselm. in 2. Thess. b. Ambrosius in 21. Lucae. Alii templi nomine ecclesias coetusque omnes credentium designari coniiciunt, quibus, variis artibus illudens, imperabit. — *Christum ostendere*] Vetus codex vocem *Christum* non habet. Ceterum impietatem filii perditionis Antichristi recitat, qua, loco et nomine Christi Salvatoris, seipsum tentabit supponere et venditare, dicens: Ego sum Christus. Iudaeos autem praecipue mente iam alienatos seducet, Christo praemonente (Ioan. 5.): Si alius venerit, illum recipietis. Horrendum hoc facinus Hippolytus latius explicans novem articulos enumerat, in quibus seductor ille Christum imitari conabitur. Augustinus: *Filium Dei omnipotentis se esse mentietur. Et postea Hierosolymam veniens circumcidet se dicens: Ego sum Christus vobis repromissus, qui ad salutem vestram veni.* Ambrosius in 21. Lucae: *Antichristus ex scripturis disputabit se esse Christum.* Theodoretus in 2. cap. ad Thess. *Seipsum Christum nominabit.* Cyrill. Hierosol. Catech. 15. *Satanas inducet quendam hominem falso seipsum Christum appellantem, ac per hanc appellationem Iudaeos decipientem etc.* Quum itaque tam ex divinis scripturis, quam Patribus manifestum sit, Antichristum pro Messia et Salvatore mundi se venditaturum, istudque nullus unquam pontificum Romanorum de seipso praedicaverit, toto caelo aberrant huius temporis haep.786. retici, quum hoc probrum apostolicae sedi tribuunt. — *Quum autem alius venerit*] Ex hoc testimonio veteres recte colligunt novissimum

Antichristum singularem fore hominem, qui sic Christo directe opponitur. Deinde, Iudaeos initio, contentioso studio eidem adhaesuros tanquam suo totque saeculis desiderato Messiae. Atque hoc post Irenaeum ita colligunt Hieronymus quaest. 11. ad Algasiam, Augustinus tract. 29. in Ioannem, Ambrosius in cap. 2. secundae ad Thessal. Theodoretus Epitome divinorum decretorum. Non est aut erit itaque novissimus Antichristus aliquod regnum aut imperium, non ecclesia aliqua, non successio longa Pontificum, ut imperite iuxta ac impie contendunt novissimi haeretici. — *Transferet regnum in eam*] Metropolin ac sedem ipsam regni Antichristi Hierusalem fore cum Irenaeo sentit Hippolytus, quando regnum templumque Iudaeorum suscitaturum, et gentem eam prae ceteris caram habiturum esse tradit. Auctor Tractatus de Antichristo: *Hierosolymam veniens, suam sedem in templo sancto ponet.* — *Qui purum sacrificium*] Hippolytus martyr (Orat. de Antichrist.) et Ephraim Syrus hoc ipsum de sanctiss. eucharistiae sacrificio interpretantur: quod tum Antichristi et ministorum eius tyrannide, vel penitus intermittetur, vel in abditis et occultis locis duntaxat celebrabitur.

GRABIUS: *In novissimo regni ipsorum*] Irenaeus haud legisse p.786. videtur *πληρουμένων τῶν ἁμαρτιῶν*, uti nunc LXX edit. una cum Hebraico textu habet. — *Et admirabilis*] Irenaeus vel interpres eius non *θαυμαστά*, sed *θαυμαστὴ* aut *θαυμαστὸς* legit, ac inter hoc et verbum *διαφθερεῖ* comma posuit. — *Diriget*] Graece *κατευθυνεῖ, prosperabitur.* — *Eius. Dirigetur*] In edit. *τῶν ὁ* verbum *κατευθυνεῖ, dirigetur*, cum praecedentibus, *καὶ ζυγὸς τοῦ κλοιοῦ αὐτοῦ*, iungitur.

CAP. XXVI.

FEUARDENTIUS: *Bene Iustinus dixit*] Hunc locum ex utroque p.789. citat Eusebius libro quarto hist. cap. 17. inde eliciens, quam magno aestimata fuerint a veteribus, quamque probata Iustini martyris scripta. Porro sententiam istam quamvis singularem esse lubens agnoscam, damnatam tamen vel a concilio, vel a quoquam veterum, me legisse non memini. Quin potius illam nominatim citat et probat Oecumenius explanans ultimum cap. prioris canonicae b. Petri. Neque parum roboris ei adferunt verba b. Andreae apostoli, quibus daemones relegat in loca arida et infructuosa, donec accipiant debitum sibi ignis aeterni supplicium, referente Abdia Babylonio libro tertio, quasi necdum plane accepissent. Quin etiam eximius omnium errorum investigator et expugnator Epiphanius (contra Haeres. 39.) eandem sententiam confirmans ait: *Ante Christi adventum nusquam ausus est* (diabolus) *in Dominum suum blasphemum aliquod verbum loqui, aut contra elationem cogitare. Exspectavit enim Christi adventum, audiens semper prophetas eum annuntiantes redemtorem futurum eorum, qui peccaverunt et per Christum poenitentiam agunt, putauitque se misericordiam aliquam consecuturum esse etc.* Sed et longe ante Epiphanium Clemens Alexandrinus (Lib. I. Strom.) scripserat: diabolum posse duci poenitentia, quia liberum habeat arbitrium. Quam veluti praeceptoris doctrinam non modo secutus est, verum etiam usque ad fanaticas

opiniones amplificavit Origenes, libro primo et tertio *περὶ ἀρχῶν.* De hac sententia nihil adversus tot Patres audemus pronuntiare: quae vero nobis de lapsu daemonum videntur, latissime prosequimur Commentariis in Epistolam beati Iudae apostoli.

p.787. GRABIUS: *Ipse octavus in eis*] Existimavit quippe Irenaeus Antichristum tres e numero decem regum prorsus e medio sublaturum sive *interfecturum,* uti modo dicebat. Sed Daniel cap. 7. vers. 24. solum ait, *ταπεινώσει, humiliabit eos,* id est, subiiciet sibi tamquam
p.788. vassallos. Confer Apoc. XVII. 13 seqq. — *Quoadusque abscissus est*]
p.790. *Ἐθεώρεις ἕως ἀπεχίσθη* in LXX legimus. — *Post autem adventum Domini*] Haec adhuc Iustini m. verba esse, non modo ex loco citato Oecumenii, sed et Andreae Caesariensis in s. Ioannis Apocalypsin Commentario cap. 34. colligo, ubi haec habet: *Λέλεκται δὲ τῷ μακαρίῳ Ἰουστίνῳ τῷ φιλοσόφῳ καὶ μάρτυρι, παρὰ τὴν τοῦ Χριστοῦ παρουσίαν καὶ τὴν κατ' αὐτοῦ ἐν γεέννῃ ἀπόφασιν, βλάσφημον μάλιστα γεγονέναι τὸν διάβολον· καίπερ μὴ πρότερον οὕτως ἀναιδῶς τὸν Θεὸν βλασφημήσαντα.* Et cap. 60. *Ὁ μέγας δὲ Ἰουστῖνός φησιν, ἐν τῇ τοῦ Χριστοῦ παρουσίᾳ πρώτως γνῶναι τὸν διάβολον, ὅτι καταδεδίκασται εἰς τὴν ἄβυσσον καὶ εἰς τὴν τοῦ πυρὸς γέενναν.*

p.789. MASSUETUS: *Ante Domini adventum nunquam ausus est Satanas* etc.] Satanam ante Christi adventum de sempiterna damnatione sua non adeo certum fuisse, quin adhuc spes aliqua obtinendae per illum salutis affulgeret, atque idcirco nondum immanitati suae et in Deum proterviae frena laxasse, non Iustinus modo atque Irenaeus opinati sunt, sed etiam Epiphanius Haeres. 39. quae est Sethianorum, §. 8. Auctor carminis cont. Marcion. inter opera Tertull. lib. I. cap. 3. Isidorus Pelusiota lib. II. epist. 90. et Oecumenius in cap. ultimum epist. I. d. Petri. Huic vero opinioni fundamentum praebere potuit trita illa veterum non paucis sententia, diabolum nondum damnationis suae accepisse sententiam; neque sempiternis cruciatibus addictum; sed in extremo iudicio id eum esse passurum. Sed de his iam alibi diximus. Consule, si lubet, Petavium, Dogmatum Theolog. T. III. lib. I. de Angelis cap. 8. et lib. III. cap. 4.

CAP. XXVII.

p.791. FEUARDENTIUS: *Et sensum liberum*] Vult autem homines impios propria libertate a Deo deficere, sicut et pridem daemones, quod abundantius ostendit lib. 4. etc. Paullo post idem etiam declarat assumto simili ex iis, qui sibiipsis oculos eruunt in corusco
p.792. lumine. — *Voluntaria sententia*] Discessionis a Deo, excaecationis
p.793. mentis, damnationis quoque impiorum caussam libertati propriae, non autem bonitati divinae adscribit, ringantur licet veteres recentioresque Gnostici.

CAP. XXVIII.

p.794. FEUARDENTIUS: *Illo enim veniente*] Sermonem institutum de Antichristo repetit edocetque, illum libera spontaneaque voluntate

operaturum mala: refragentur servi arbitrii defensores. — *Et unum ex capitibus quasi occisum*] Ambrosius per hoc caput quasi occisum intelligit haereses, quibus primis temporibus fanatici homines ecclesiae fidem labefactare conati sunt; quas sancti Patres scriptis, sermonibus et disputationibus exstirparunt. Hoc caput ad tempus quasi occisum, per Antichristum resuscitabitur; qui omnes blasphematores suis blasphemiis antecedet. — *Et eos qui in caelo habitant*] Ambrosius: *Blasphemabit nomen Dei, dicens Christum non esse Deum; blasphemabit et eos, qui in caelo habitant, id est, martyres et ceteros sanctos, dicens nihil prodesse eos posse cuiquam, falsumque esse quidquid de eis a fidelibus asseritur.* — *Post deinde et de armigero ejus*] Ambrosius: *Haec bestia aut unum ex discipulis Antichristi designat deteriorem ceteris, aut multos qui eum praedicaturi sunt.* Augustinus Homilia II. in Apocal. *Haec est haeretica ecclesia, quae sub nomine Christiano agnum praefert, ut draconis venena latenter infundat.* — *Haec ne quis eum*] Consentit Irenaeo Andreas p.795. Cappadox his verbis: *Intuentium oculos fascinando haec faciet Antichristi praecursor, ut existimetur Antichristus esse Christus, ut qui a tali miraculorum patratore testimonium accipiat.* — *Et imaginem*] Augustinus seu Ticonius per simulacrum bestiae intelligit diaboli inventionem, quam instar Dei suscipient fascinati homines; aut simulationes eorum, qui non veraci effigie, sed fallaci imagine Christiani iudicantur. Rupertus, simulacrum quoddam, quale fecisse Nabuchodonosor legimus (Daniel. 3.), quod ut in eo adoretur filius perditionis, constituet in locis sacris, de quibus signum crucis Christi deiiciet. — *Et characterem*] Ambrosius. *Potest fieri, ut sicut nos habemus characterem Christi, id est, crucem qua signamur, ita habeat Antichristus proprium characterem, quo signentur ii qui in eum crediderint.* In eadem quoque est sententia Hippolytus martyr scribens, characterem illius bestiae futurum, non uti signo crucis, sed illud potius exsecrari et abolere etc.

CAP. XXIX.

FEUARDENTIUS: *Qui fuit a diluvio*] Idololatriae ortum, pro- p.797. gressum et incrementa ab aquarum inundatione accepisse, ante Ire- —799 naeum scripto reliquit Clemens Rom. lib. I. Recog. nempe a scelerata Cham progenie. Iustinus in oratione ad Graecos et Athenagoras in Legatione Orpheum florentem tempore Gedeonis Hebraei, uti refert Eusebius, *πολυθεοκτίστην*, id est multiplicium deorum falsorum conditorem atque magistrum appellant. Epiphanius initio Panarii, et eiusdem Anacephalaeosi; aetate Saruch abavi patriarchae Abrahae, profectam idololatriam dicit; cui subscribunt Augustinus 18. de civit. cap. 12. et Cyrillus Alex. 1. et 3. contra Iulianum. Isidorus suspicatur Prometheum, quem temporibus Iosephi patriarchae vixisse scribit Eusebius, primum omnium simulacra hominum de luto finxisse. Galatinus lib. VI. c. 20. idolorum cultum ad Nembrothum Assyriorum tyrannum refert: quippe qui homines igni sacra facere et colere coëgerit. Haec autem de crassa illa et externa idolorum inventione, cultuque per cruentas sive hominum, sive brutorum victi-

mas, intelligenda modo censerem. Quandoquidem peccatum angelorum, et primorum parentum idololatriam spiritualem et internam nominant Ambrosius in 6. cap. ad Rom. et. Augustin. Quaest. 85. ex Novo Testamento. Quin etiam Iustinus martyr primos parentes nostros paradiso eiectos dicit, quod deos crederent, qui non essent, deorumque nomen posteris tradidisse. Ambrosius lib. de paradiso cap. 13. serpentem vocat originem idololatriae. Observant quoque Clemens 2. Recognit. Theophilus Antiochenus 2. ad Autol. et Iustinus Orat. paraen. serpentem primum omnium Deos multitudinis numero nominasse, ut tetrum errorem sensim inter homines introduceret. Opinantur in magna Genesi Hebraei, Caini improbam progeniem invaluisse, Deumque et eius de Messia promissiones nihili duxisse: Enochum vero veri Dei invocationem renovasse; ceteris ad idololatriam proclivioribus: quorum iudicium approbat et laudat Oleaster
p 799. Lusitanus Comment. in Genes. — *Propter quae et diluvium superveniet ignis*] Ignem postremae mundi conflagrationis intelligit, qui theologorum sententia et mediam et infimam aëris regionem, adeoque universam terram et ipsum etiam mare ardoribus suis corripiet atque perpurgabit. De hoc a propheta (Psal. 49. Psal. 96.) dictum volunt: *Ignis in conspectu eius exardescet etc. Ignis ante ipsum praecedet etc.* Et a b. Petro: *Elementa calore solventur, terra autem et quae in ipsa sunt opera, exurentur.* 1. Petri 3. 10. Vide sermones tractatusque b. Ephrem Syri de Resurrectione et futuro iudicio: et patres scholasticos ad finem lib. IV. Sent.

CAP. XXX.

p.800. FEUARDENTIUS: *Quotquot autem secundum inanem gloriam*] Temeritatem illorum impugnat et iuste damnat, qui non minus audacter quam indocte proprium Antichristi nomen sese invenisse et in medium protulisse videri cupiebant, et in Apocalypsin inferebant,
p.801. evellentes quod insitum erat. — *Et munitio*] Graece ἀσφάλεια, id est, quum res tuta, et nihil imminet periculi. Oecumenii interpres *Pax et tuta omnia;* Ambrosius vertit *firmitas;* communis editio *securitas.* — *Sed et tribum, ex qua veniet*] Ex tribu Dan nasciturum illum insignem filium perditionis, persuasissimum fuisse Irenaeo hinc patet. Consentiunt ei ex graecis scriptoribus Hippolytus martyr lib. de Consummatione saeculi, Sibylla Tiburtina, Theodoretus quaest. 109. in Genesin: ex latinis Gregor. 31. Mor. cap. 18. August. Tract. de Antichristo, Ambrosius lib. de Benedictionibus Patriarcharum cap. 7. Prosper, Haymo, Rupertus et recentiores. — *Quoniam autem non propter inopiam nominum*] Quum omnia quae dicuntur in Apocalypsi de adventu, nomine, numero nominis et charactere Antichristi prophetica sint, non mirum, si, iuxta canonem Irenaei, ante eventum, exploratam et certam non consecuta declarationem, aenigmatica et ambigua maneant adhuc hominibus. Praestat ergo, quod ad praesentem locum attinet, eiusdem Irenaei amplecti consilium, ut certius et sine periculo sequi, complementum prophetiae huius sustinendo, quam inconsulte ac temere aliquid asserere. Ve-

rum quae exempli et exercitii gratia, Irenaeum imitati reliqui scriptores ex numeris istis 666 nomina collegerunt, illa hoc loco proponere non intempestivum fortasse fuerit. Primum nomen quod hic ab Irenaeo ponitur, est *EYAN* in excusis codicibus; at numerus 666 deficiens et vetus codex palam arguunt mendum subesse. Ideoque ex fide veteris codicis, et graecis characteribus restituimus *EYANΘAΣ*, cuius elementa sigillatim sumta numerum ab Irenaeo quaesitum faciunt ($\varepsilon = 5$, $\upsilon = 400$, $\alpha = 1$, $\nu = 50$, $\vartheta = 9$, $\alpha = 1$, $\sigma = 200$). Secundum, quod cum Irenaeo agnoscit et Arethas Cappadox, est *ΛΑΤΕΙΝΟΣ*, siquidem λ. 30, α. 1, τ. 300, ε. 5, ι. 10, ν. 50, o. 70, σ. 200, collatis numerose litteris efficiunt 666. Tertium Arethae Cappadoci (Comm. in 13. Apoc.) sicut Irenaeo placet, nempe *ΤΕΙΤΑΝ*. Nam τ. 300, ε. 5, ι. 10, τ. 300, α. 1, ν. 50, eadem enumeratione reddunt summam 666. Quartum constituit post Hippolytum martyrem Primasius, *ΑΡΝΟΥΜΕ, Nego;* siquidem α. 1, ϱ. 100, ν. 50, o. 70, υ. 400, μ. 40, ε. 5, summa 666. Quintum tradit Arethas Cappadox, *ΑΛΜΙΕΤΙΣ*, λ etenim 30, α. 1, μ. 40, π. 80, ε. 5, τ. 300, ι. 10, σ. 200, reddunt summam 666. Sextum, eodem Aretha auctore, esse poterit *ΟΝΙΚΗΤΗΣ*, id est, *victor;* quandoquidem o. 70, ν. 50, ι. 10, κ. 20, η. 8, τ. 300, η. 8, σ. 200, summa 666. Septimum apud euudem Aretham est *ΚΑΚΟΣ ΟΔΗΓΟΣ, malus dux.* Nam κ. 20, α. 1, κ. 20, o. 70, σ. 200, o. 70, δ. 4, η. 8, γ. 3, o. 70, σ. 200, summa 666. Octavum, eodem auctore, *ΑΛΗΘΗΣ ΒΛΑΒΕΡΟΣ, vere nocens:* equidem α. 1, λ. 30, η. 8, ϑ. 9, η. 8, σ. 200, β. 2, λ. 30, α. 1, β. 2, ε. 5, ϱ. 100, o. 70, σ. 200, complent summam 666. Nonum idem subiicit, *ΠΑΛΑΙ ΒΑΣΚΑΝΟΣ, jam olim invidus:* Nam π. 80, α. 1, λ. 30, α. 1, ι. 10, β. 2, α. 1, σ. 200, κ. 20, α. 1, ν. 50, o. 70, σ. 200, reddunt summam 666. Decimum postremo addit, *ΑΜΝΟΣ ΑΔΙΚΟΣ, agnus nocens:* certe α. 1, μ. 40, ν. 50, o. 70, σ. 200, α. 1, δ. 4, ι. 10, κ. 20, o. 70, σ. 200, facient summam 666. Undecimum habet Primasius ex Ticonio, *ΑΝΤΕΜΟΣ*, α. 1, ν. 50, τ. 300, ε. 5, μ. 40, o. 70, σ. 200, efficiunt 666. Duodecimum enumerat Rupertus *ΓΕΝΣΗΡΙΚΟΣ*, γ. 3, ε. 5, ν. 50, σ. 200, η. 8, ϱ. 100, ι. 10, κ. 20, o. 70, σ. 200.

CAP. XXXI.

FEUARDENTIUS: *Nunc autem tribus diebus*] Diserte docet, id quod firmiter credidit et catholice tradidit catholica ecclesia de descensu Christi ad inferos, nempe animam ipsius seiunctam a corpore, non tantum operatione quadam, sed propria praesentia (ut in scholis loquimur) inferiores partes terrae penetrasse; et ad locum, quo sanctorum spiritus tenebantur, pervenisse: et cum ipsis ad momentum resurrectionis usque mansisse: unde una secum eduxit quotquot erant regno Dei apti et idonei; hoc vero dogma inter eos fidei articulos, de quibus ambigere nefas, annumeratum semper fuisse, ex scriptis utriusque Testamenti, et Patrum universorum libris facile colligitur. — *Commemoratus est Dominus*] Monuimus superius verba p. 804.

haec in sacris Bibliis nunc non inveniri, quae quondam sacrilegio Iudaeorum erasa fuisse in odium Christianorum, impense dolet Iusti-
p.805. nus martyr. — *Figuras clavorum*] Vet. cod. *fixuras*, Graecus Evangelii contextus *τύπον*, id est, figuram. Augustinus enarrans Epistolam Ioannis, vertit *cicatrices*. Aperte autem docet Christum cum figuris et characteribus vulnerum ascendisse ad Patrem: unde evidenter consequitur eum eisdem notis signatum et ornatum venturum esse ad postremum iudicium, affirmantibus beatis angelis: *Sic veniet, quemadmodum vidistis eum ascendentem in caelum.*

p.804. GRABIUS: *Et modos meditationis ad incorruptelam ignorant*] Obscura mihi haec visa, ac suspicio corruptelae in voce *meditationis* animo oberravit, donec ei se ingessere verba auctoris supra pag. 403. lin. 6. ubi carnem fidelium aeternae vitae participem futuram dicit, *ἤδη μεμελετηκυῖαν καὶ εἰθισμένην βαστάζειν τὴν ζωήν. Quae jam meditata* (id est, *prius exercitata*, sive *praeparata* uti not. c. ibidem annotavi) *et assueta sit portare vitam.* Quod igitur ibi de corporibus, hîc de animabus fidelium asserit, nempe dari *τρόπους μελέτης πρὸς ἀφθαρσίαν, modos exercitationis* sive *praeparationis ad incorruptelam*, id est, diversos gradus, per quos homo partim ante, partim post mortem deducitur, usque dum ad summum aeternae gloriae statum atque incorruptelam, qua Deo proximus fit, perveniat. Quippe *oportet hominem primo glorificari* (per resurrectionem), *et glorificatum videre suum Dominum; Deus enim est, qui habet videri; visio vero Dei efficax est incorruptelae, incorruptela vero proximum facit esse Deo*, uti verba Irenaei sonant lib. IV. cap. 75. Atque eadem ratione capite sequenti, quo telam hîc coeptam pertexit, resurrectionem atque regnum millenarium vocat *principium incorruptelae, per quod regnum, qui digni fuerint, paullatim assuescunt capere Deum etc. — Haeretici enim etc.*] Haec et sequentia usque ad finem huius capitis, quasi in parenthesi dicta accipe: quippe quae praecedunt, abrupta sunt, filo eorum continuato demum sequenti cap. 32. cuius initium huius principio parallelum esse, unicuique ea comparanti patet. Per haereticos vero intellige Valentinianos et Marcionitas, qui ambo animas iustorum defunctorum mox caelos supergredi, et sursum evolare statuebant; illi quidem ad matrem Achamoth, hi vero ad bonum, qui ab eis fingebatur, Patrem. Atque hos ipsos feriunt ista Iustini M. verba in dialogo cum Tryphone pag. 307. *Οἳ καὶ λέγουσι μὴ εἶναι νεκρῶν ἀνάστασιν, ἀλλὰ ἅμα τῷ ἀποθνήσκειν τὰς ψυχὰς αὐτῶν ἀναλαμβάνεσθαι εἰς τὸν οὐρανόν. Qui dicunt non esse mortuorum resurrectionem, verum simul atque moriantur, animas ipsorum in cae-*
p.805. *lum recipi. — Qui dicunt inferos quidem esse hunc mundum*] Eandem sententiam reiicit quoque Tertullianus lib. de Anima cap. 55. his verbis: *Nobis inferi non nuda cavositas, nec subdivalis aliqua mundi sentina creduntur; sed in fossa terrae et in alto vastitas, et in ipsis visceribus eius abstrusa profunditas.*

p.806. F. FRANC. FEU-ARDENTIUS *ad Lectorem, De postremis quinque Irenaei capitibus.* Posteriora quinque capita, nunquam antea typis excusa, ex veteri nostro codice venerandae fidei subiicimus: quae Irenaei

germana et vera esse, tum ipsa scribendi dicendique ratio, tum Eusebius, Nicephorus et Anastasius Nicaenus, eadem Irenaei nomine aliquot in locis citantes, prout locis suis indicabimus, citra ullam controversiam probant et demonstrant. Praeterea, Hieron. in vita Papiae. Prooem. in lib. 18. Comm. in Isaiam, Comm. in 36. Ezech. b. Irenaeum una cum Papia, Tertulliano, Victorino, Lactantio, Severo, Apollinari, quibus addo Iustinum martyrem, notat insecutum Iudaeorum Δευτερώσεις regnum Christi, et electorum eius, post resurrectionem, exstinctum Antichristum, et universorum iudicium, in terris, terrenaque Ierusalem restituta, per mille annos futurum dixisse, iuxta litteralem sensum exprimentem omnia quae in prophetis et Apocalypsi his de rebus leguntur: adversus quem vir eloquentissimus Dionysius Alexandrinus elegantem librum scripsit, deridendo mille annorum fabulam, et auream atque gemmatam in terris Ierusalem, otium sabbati, cunctarum gentium servitutem etc. Haec quum nemo ex libris Irenaei hactenus editis colligere possit, ex his tamen fragmentis, quae modo in lucem edimus, perspicuum est ad Irenaeum pertinere. Sublata porro candide suspicor, ne vel huiusmodi opinio ab ecclesia improbata, huius tanti episcopi et martyris auctoritatem elevaret, vel famam obscuraret apud posteros, vel denique ne argumentis illius illecti quidam sententiam iam explosam amplecterentur. Verum nec id tutum, nec probabile mihi videtur, his praesertim artibus, periculis acceptis mederi: alioquin bona pars scriptorum Patrum orthodoxorum evanesceret ac periret. Medendum porro erat praemonitione, et locorum detortorum fideli expositione, non litura: calamo, non scalpello. Nihilo secius enim lapsus tanti martyris auctoritatem eius derogat, quam peccata Mosis, Davidis, Salomonis, Ionae, Petri, Matthaei et Pauli, scriptorum suorum maiestatem laedunt aut imminuunt. Itaquae pio lectori satis erit, talem opinionem, quam hîc percurret ab Irenaeo induci, doctissimo ac beatissimo homini tamen excidisse: secumque repetere, Christum Dominum in duobus filiis Zebedaei, deinde in duobus discipulis Emaunta peregrinantibus, postremo in apostolis suis, ipso die ascensionis suae in caelum, illam coarguisse. Eam postea scriptis editis confutatam ac reiectam a Dionysio Areopagita lib. de Ecclesiast. hierar. parte I. cap. 7. Caio et Dionysio Alex. antiquis et magni nominis scriptoribus, Euseb. lib. III. Hist. cap. 22. et 33. Augustino 20. de Civ. cap. 7. 8. et 9. Theodoreto lib. III. haereticarum fabularum, Epiphanio lib. III. contra haereses, tomo I. Denique secum animadvertet, sententiam diu ab ecclesia dissimulatam et toleratam fuisse: nec prius tanquam haeresin damnatam et explosam, quam quidam Nepos Aegyptius episcopus, deinde Coracion, postremo Apollinaris Laodicenus eandem scriptis et concionibus suis nimis pugnaciter et pertinaciter defenderint et invexerint: ut patet ex Eusebio, lib. VII. hist. cap. 19. et 20. et Hieronymo, lib. VIII. in Isaiam, et alibi passim. Ab Irenaeo itaque hac in re summa cum reverentia et animi modestia sic discedet, ut illius existimationem retineat; nec quidquam ex ea diminuat, vel eo maxime nomine, quod primus hanc nequaquam invexerit, neque pertinaci aut

factioso spiritu defenderit, sed a Papia, et a quibusdam aliis, qui Iudaeorum traditiones nondum penitus deposuerant, exceptam, falsus animi refricarit.

CAP. XXXII.

p.806. FEUARDENTIUS: *Oportet ergo*] Intelligit de mirabili illa rerum universarum renovatione, quae adventum Christi et iudicium subsequetur.

CAP. XXXIII.

p.808. FEUARDENTIUS: *Quando illum bibam*] Haec Christi verba nullo modo favent, neque faciunt pro Chiliastis, quia loquitur, vel de regno quod a resurrectione sua statim coepit illucescere, in quo cum apostolis bibit, idque corporaliter, ut Petrus profitetur Actor. 10. ad probandam certam, solidam perspicuamque corporis sui resurrectionem: ita exponunt Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius. Vel de regno Dei, quod vita futura, beata et caelestis appellatur: in quo vini novi nomine, divinam illam laetitiam, hilaritatem, iucunditatem, et consolationem sempiternam significatam curavit: quem-
p.809. admodum explicant August. et Hieron. — *Quemadmodum presbyteri*] Hinc apparet opinionem de regno temporali per mille annos, Irenaeum nec primo excogitasse, nec ut sibi propriam obstinate tutatum, sed maculam quandam, et quasi naevum, a quibusdam Patribus contraxisse. Coniecturam fecerim Papiam, aut alios quosdam inglorios, Irenaeo familiares, subaudiri. — Quin etiam hunc errorem dimanasse a quadam vetusta, prava tamen, Iudaeorum praecedente traditione, quis haudquaquam vane (forsan) suspicaretur, qua repromissam regi Messiae felicitatem et gloriam omnem, terrenam, temporalemque futuram sibi pollicebantur, et non a Papia primum exortam, sub ultimis temporibus Traiani Imp. ut est Baronii sententia. Constat enim ex Evangelio (Matth. 20.) matrem filiorum Zebedaei cum filiis, longe prius hoc eodem errore detentam fuisse, quum a Christo petivit, ut unus illorum sederet ad dexteram, alius ad sinistram eius, quum venisset in regnum suum. Insuper apostolos (Act. 1.) de huiusmodi regno cogitasse, quando petierunt ab eo, si in ipso tempore resurrectionis suae restitueret regnum Israëli. Nec verum esset dicere, de fidelium ac Christianorum temporibus istud intelligendum: quandoquidem omnino constet duos superiores discipulos una cum matre fideles iam fuisse, et apostolos in die ascensionis Dominicae christianissimos et fidelissimos.

CAP. XXXIV.

p.812. FEUARDENTIUS: *In resurrectione prima*] Verba ista Apocalypseos sua obscuritate Irenaeo et aliis multis magnisque viris magnam errandi fenestram patefecerunt. Rati enim sunt duas fore carnis resurrectiones, primam bonorum, secundam malorum post mille annos; Christum autem a prima ad secundam usque mansurum in terris, ibique cum sanctis et electis regnaturum, incredibili omnium bonorum terrestrium felicitate. Verum observandum, resurrectionem, quae hic prima vocatur a Ioanne, non proprie ad corpora,

sed ad animas pertinere: quae tum resuscitari dicuntur, quum transeunt a peccati morte ad vitam gratiae, et a vita gratiae ad vitam illius gloriae, qua corporibus nondum adsumtis, interim in caelo ad diem iudicii usque potiuntur, et cum Christo regnant. Hoc autem tempus mille annorum numero, qui frequenter in sacris literis pro indefinita numeri multitudine usurpatur, significatum et praescriptum est. Resurrectio secunda, generalis illa bonorum et malorum e tumulis excitatio dicitur, in qua piorum animae cum corporibus, geminato suae beatitatis gaudio, in aeternum perfruentur: atque ita declaratur locus ab Augustino seu Ticonio hom. 17. in Apocalypsin; Ambrosio, Primasio, Andrea et Aretha Cappadocibus, Ansberto, Ruperto, Lyrano commentariis in 21. cap. Apoc. Ergo pro Millenariorum sententia nihil facit.

GRABIUS: *Omnibus gentibus*] Nota universalitatis forte explica- p. 811.
tionis gratia ab Irenaeo addita est: neque enim in LXX habetur vox *πάντων*. — *In conspectu filiorum gentium*] Irenaeus legit *ἐνώπιον τῶν υἱῶν τῶν ἐθνῶν*, pro *ἐνώπιον τῶν λαῶν τῶν ἐθνῶν*, uti modo LXX. habent. — *Plagae suae*] LXX. modo habent *πληγῆς* p. 812.
σου, *plagae tuae*. — *Supra omnem terram*] LXX *ἐπὶ τὰ ἀγαθὰ τῆς γῆς*. — *Et si venerit in vespertina vigilia — ministrabit eis*] Hoc de vespertina vigilia colón cum Irenaeo agnoscit Vulgatus interpres in quibusdam MSS. codd. et ex eo Beda aliique Latini, horumque antiquior Graecus Pater Methodius, in Convivio X Virginum, Orat. 5. pag. 92. Auctarii novissimi Bibliothecae Patrum Combefisii, ubi verba Lucae quidem sine dicto colo recitantur, ast ex immediate sequentibus verbis colligitur, non ab ipso Methodio, sed a scriba recentiori istud omissum esse. Haec enim ibi subiungit: *Ἐπισκέψασθε γάρ, ὅτι τρεῖς ἀποθέμενος φυλακὰς νυκτὸς, ἑσπερινὴν καὶ δευτέραν καὶ τρίτην etc.* — *Ad non inhabitandum — ut non sint homines*] Irenaeus in utroque commate *πρὸς* legisse videtur, quum nostra exemplaria *τῶν ὁ* utrobique *παρὰ* habeant. — *Longe nos*] Vox *ἡμᾶς* ab editt. LXX merito abest. — *Verbum*] Irenaeus itaque non *λόγους*, uti nunc LXX habent, sed *λόγον* singulariter iuxta Hebraeum legit; nisi scriba ex Latina Vulgata *verbum* posuerit. — *Congregabit*] Particulam *καὶ* igitur, quae in editt. *τῶν ὁ* exstat, Irenaeus non agnoscit, uti nec codex Alexandrinus. — *Et — fortio-* p. 813.
ris] Ex hoc loco, et superiori pag. 212. col. 1. lin. 5. seq. (pag. 183. col. 1. lin. 34.) patet, Irenaeum in singulari *στερεωτέρου*, non *στερεωτέρων*, uti nunc LXX sonant, legisse, et *καὶ* in principio huius commatis additum habuisse. — *Ad bona, et in terram*] Sive Irenaeus in LXX sive interpres in Irenaeo pro *ἀγαθὰ κυρίου, ἐπὶ γῆν*, perperam legit *ἀγαθά, καὶ ἐπὶ γῆν*. — *Et vinum bibent. Et non ipsi*] Priores tres voces nullus Biblicorum cod. agnoscit, ideoque eas, explicationis gratia, forte ab ipso Irenaeo additas suspicari licet. Ceterum tres posteriores voculae cod. Alexandrino *τῶν ὁ* exacte consonant, quum in editt. *τῶν ὁ* desit coniunctio *καί*.

CAP. XXXV.

FEUARDENTIUS: *Dies Domini insanabilis*] Septuaginta transla- p. 814.

tionem sequitur. Porro me fugit quî faciat locus iste pro Millenariis. Siquidem iuxta litterae sensum, quem tantopere hîc examinat Irenaeus, devastationem Babylonis eius, quam Semiramis condiderat, alii deinceps Chaldaeorum et Assyriorum potentissimi imperatores munierant; huius, inquam, excidium per exercitus Persarum et Medorum, impp. Cyro et Dario, miserabile, iustum tamen, una cum aliis prophetis Isaias hoc oraculo tamquam tuba praecinebat. — *Et illos quos Dominus in carne inveniet*] Pace et reverentia tanti martyris dixerim, non remanebunt in terra iusti, quos Domini adventus viventes deprehendet, sed rapientur in nubibus, obviam Christo in aëra procedentes, sicut scripsit apostol., et sic cum Domino semper erunt.

p.814. GRABIUS: *Insanabilis venit*] Ita et in Alexandrino *τῶν ὁ* codice, *ἀνίατος ἔρχεται.* Sed in editt. ordine inverso exstat: *ἔρχεται ἀνίατος.* — *Tollatur ut non videat*] In LXX legitur: *ἀρθήτω ὁ ἀσεβής, ἵνα μὴ ἴδῃ* etc. — *Elongabit*] Id est, *crescere faciet,* ut quidem Irenaeus exponit, post aliqua subiungens: *crescentes ex visione Domini etc.* — *A Deo tuo*] Pronomen *tuo* tam hîc, quam paullo post iterum iterumque additum, modernus Baruchi textus non habet. — *Pax iustitiae et gloriae colenti Deo*] Sed in Barucho legitur: *εἰρήνη δικαιοσύνης, καὶ δόξα θεοσεβείας, pax iustitiae et honor pietatis,*

p.816. uti Vulgata reddidit. — *De throno*] Ita cum Irenaeo vulgatus interpres et codex Alexandrinus aliique. Sed edita N. Test. exemplaria habent *ἐκ τοῦ οὐρανοῦ.* — *Delebit*] Vocem *Deus* in nostris N. Test. codicibus additam Irenaeus non agnovisse videtur, uti nec Syriacus aliique orientales interpretes: quippe non solum in veteri Irenaei versione, sed et Anastasio loco sequenti pag. 460. (337.) citato deest.

CAP. XXXVI.

p.818. FEUARDENTIUS: *Et quemadmodum presbyteri dicunt*] Papiam, ut mea est opinio, intelligit, aut fortassis Aristionem et Ioannem quendam seniorem, quorum auditor fuerat. Horum autem opinationes a catholica ecclesia iampridem explosas et eiectas supra annotavimus: quas nihilominus noster Alphonsus a Castro in medium iterum prolatas, multiplici sacrarum litterarum testimonio revincit et supprimit,

p.819. lib. III. adversus haereses. — *Liberam futuram creaturam*] Id est, quemadmodum propter nos facta est omnis creatura variis mutationibus et passionibus obnoxia: ita magna puritate et pace gaudebit, quum ad supremam felicitatem ex his miseriis educti fuerimus, quorum gratia creata fuit. Sed haec caussae millenariorum nullo modo suffra-

p.820. gantur. — *Et ascendat ad eum supergrediens angelos*] De Christi redemtoris nostri humana natura hîc primo loquitur, quam super omnem principatum et potestatem secum extulit in caelum, in quod subactis omnibus suis hostibus extremo iudicio revertetur.

Lipsiae, typis I. B. Hirschfeldii.

Im Verlage von **T. O. Weigel** in Leipzig erscheint:

BIBLIOTHECA PATRUM GRAECORUM DOGMATICA.

Ad optimorum librorum fidem edendam curavit Joannes Carolus Thilo, Phil. et Theol. Doctor hujusque in academia Halensi Professor P. O.

Vol. I. S. Athanasii opera dogmatica selecta.
Lipsiae, T. O. Weigel. 1852.

Besonderer Titel des ersten Bandes:

S. Athanasii Archiepiscopi Alexandrini

OPERA DOGMATICA SELECTA

ex recensione Bern. de Montfaucon cum ejusdem interpretatione et adnotationibus. Praefatus est Joannes Carolus Thilo.
Lipsiae, T. O. Weigel. 1852.

Von den Schriften der griechischen Kirchenväter haben im Besondern die dogmatischen und polemischen aus der Zeit der kirchlichen Feststellung der Grundlehren des christlichen Glaubens, der Lehren von der Dreieinigkeit und Menschwerdung Gottes, eine grosse und bleibende Bedeutung für die theologische Wissenschaft. Sie repräsentiren die Auctorität der kirchlichen Tradition und sind neben den Acten der Concilien für ein gründliches Studium der Dogmengeschichte und kirchlichen Dogmatik jedem gelehrten Theologen unentbehrlich. Wie aber diese Schriften meist von solchen Kirchenvätern herrühren, die eine grössere Anzahl zum Theil umfangreicher Werke hinterlassen haben, und nur in den Ausgaben ihrer gesammten Werke sich finden, so ist es bei dem hohen Preise der guten Ausgaben und bei der grossen Seltenheit mehrerer nur sehr wenigen Gelehrten möglich, sich dieselben anzuschaffen und die Meisten müssen darauf verzichten, jene Schriften beständig zur Hand zu haben. Die vorzugsweise zu benutzenden Ausgaben des Athanasius von Bern. de Montfaucon, des Basilius M. von Jul. Garnier, des Gregorius Naz. von Charl. Clemencet, des Gregorius Nyss. von Fronton le Duc und Jac. Gretser (Par. 1638.), des Cyrillus Alex. von J. Aubert, des Theodoretus von Jac. Sirmond und des Joannes Damasc. von Mich. Lequien, werden selbst auf Universitäts-Bibliotheken zum Theil vermisst. Dieser Mangel ist schon früher gefühlt worden und

im vorigen Jahrhundert hat namentlich Rössler durch seine Bibliothek der Kirchenväter in Uebersetzung und Auszügen demselben abzuhelfen gesucht. Solche Auszüge können aber für den wissenschaftlichen Gebrauch die vollständigen Schriften im Originale nicht ersetzen und wer jetzt ein dem Rösslerschen ähnliches Werk nach dem gegenwärtigen Standpunkt der Wissenschaft unternehmen wollte, würde damit wenig Beifall finden. Dagegen steht zu erwarten, dass eine Sammlung der wichtigsten dogmatischen Schriften der grossen griechischen Kirchenlehrer von Athanasius bis Johann von Damaskus, wie sie die Bibliotheca patrum graecorum dogmatica darbieten wird, Vielen erwünscht und für das Studium der kirchlichen Dogmatik wahrhaft förderlich sein werde. Je mehr die Theologie in der neuesten Zeit sich zu dem überlieferten Kirchenglauben zurückwendet und denselben zu neuer Lebendigkeit in der Kirche zu reproduciren strebt, desto mehr muss man glauben, dass das Bedürfniss weiterer Verbreitung jener Schriften werde gefühlt werden, in welchem das dem Katholicismus und Protestantismus gemeinsame Grunddogma nicht im Interesse der Wissenschaft und Schule, sondern der Religion und Kirche aus dem lebendigen Bewusstsein derselben vertheidigt, erörtert und festgestellt ist.

Die bei der Ausführung des Werkes beobachteten Grundsätze werden in der Vorrede zu dem ersten Theil dargelegt werden. Vorläufig mag es genügen, Folgendes zu bemerken: 1) Aus der bezeichneten Schriftenclasse werden diejenigen als die wichtigsten in die Bibliotheca aufgenommen, welche von jeher in der Kirche als dogmatische Normalschriften gegolten haben oder für die Entwickelungsgeschichte des christlichen Dogma von besonderm Interesse und deshalb für dieselbe vorzugsweise benutzt sind. Anhangsweise werden denselben, soweit es zweckmässig erscheint und der Raum gestattet, die Ueberbleibsel der Schriften der darin bekämpften Häretiker beigegeben. 2) Die Mehrzahl der Schriften wird aus den anerkannt besten Ausgaben mit den lateinischen Uebersetzungen so wie die Vorerinnerungen und kritischen Noten der Herausgeber unverändert abgedruckt und nur bei einigen Schriften, namentlich des Gregorius Nyss. werden die gedruckten sehr fehlerhaften Texte nach Handschriften berichtigt und die lateinischen Uebersetzungen danach verbessert, wovon unter dem Text genaue Rechenschaft gegeben wird. 3) Die Prolegomena des Herausgebers zu den einzelnen Bänden beschränken sich auf die Rechtfertigung der Auswahl der in jedem Bande enthaltenen Schriften und auf litterar-historische Notizen über dieselben mit Andeutungen zur rechten Benutzung derselben. Die nöthigen Indices werden jedem Bande beigefügt. 4) Das ganze Werk wird fünf Octavbände (der dritte in zwei Theilen) umfassen und jeder Band mit Specialtitel versehen Ein Ganzes für sich bilden und einzeln verkäuflich sein. Der erste die Schriften des Athanasius enthaltende Band wird im Anfang des Sommers, der zweite (die Schriften des Basilius M. und Gregorius Naz.) am Ende dieses Jahres erscheinen. Wenn äussere Umstände nicht hemmend dazwischentreten, wird das ganze Werk im Laufe des Jahres 1854 vollendet werden. Der Preis soll, damit der Zweck des Unternehmens erreicht werde, möglichst billig gestellt werden.

Ferner erscheint unter dem doppelten Titel:

ΧΡΗΣΜΟΙ ΣΙΒΥΛΛΙΑΚΟΙ.

ORACULA SIBYLLINA

textum ad codices manuscriptos nunc primum in usum criticum adhibitos recognovit, notis criticis illustravit, una cum versione metrica et prolegomenis

edidit

J. H. FRIEDLIEB,

S. S. Theologiae Doctor et in Universitate Vratislaviensi Prof. P. O.

Die

SIBYLLINISCHEN WEISSAGUNGEN

zum Erstenmale vollständig gesammelt,

nach neuer Textes-Vergleichung berichtigt, mit einem kritischen Commentare und metrischer deutscher Uebersetzung

herausgegeben von

Prof. Dr. FRIEDLIEB.

In Druck befindet sich:

EPISTOLA AD DIOGNETUM

JUSTINI PHILOSOPHI ET MARTYRIS

NOMEN PRAE SE FERENS.

Textum recensuit

translatione latina instruxit, prolegomenis et adnotationibus ornavit, indices adiecit

JOANN. CAROL. THEOD. OTTO,

Philosophiae et Theologiae doctor, in Caes. Reg. facultate evangelico theologica Vindobonensi professor publ. ord., societatum aliquot literariarum sodalis.

Editio secunda emendatior et auctior.

Ferner erscheint im Jahre 1852:

Q. S. F. TERTULLIANI

QUAE SUPERSUNT OMNIA

edidit Franciscus Oehler. 3 Tomi. gr. 8. geh.

Früher erschien in gleichem Verlage:

CODEX LITURGICUS

ECCLESIAE UNIVERSAE IN EPITOMEN REDACTUS.

Curavit

Herm. Adalb. Daniel.

Phil. Dr. Societatis Hist.-Theol. Lips. Sodalis.

gr. 8. geh.

T. I. Liturg. Romano-Catholicae. $2^5/_6$ Thlr.
T. II. Liturg. Lutheranae 3 Thlr.
T. III. Liturg. Eccl. Reform. et Anglicanae. 4 Thlr.

Ein IV. Band — die Liturgieen der Orientalischen Kirche — wird das Werk beschliessen.

BIBLIOTHECA ANECDOTORUM

SEU

VETERUM MONUMENTORUM ECCLESIASTICORUM

COLLECTIO NOVISSIMA.

EX CODD. BIBLIOTHECAR. HISPANICAR. COLLEGIT, DESCRIPS., DISPOS. ET ED.

GOTTH. HEINE.

Pars. I.

Monumenta regni Gothorum et Arabum in Hispaniis.

Praefatus est

M. J. E. Vollbeding.

8 maj. $1^1/_3$ Thlr.

Date Due

Library Bureau Cat. no. 1137

DOES NOT CIRCULATE

DO NOT
PHOTOCOPY

BR65.I6 A380 1853 vol.2

Irenaeus, Saint, Bishop of Lyon
Sancti Irenaei episcopi
Lugdunensis / Adolphus Stieren,

39967000607650